Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Institutio Christianae religionis

https://hdl.handle.net/1874/406835

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

CALVINI
Instit. Christ. Relig.
Ejusd. Comm. in Genes:
AUGUSTINI Epistolae.

F. to.
54

17.

a.

№ 40.a.

Theolo
Folio n°. 54.

Theolo[gia]
Folio n[um]. 54.

8 fol 54

INSTITVTIO CHRISTIANAE religionis,

IOHANNE CALVINO AVTHORE.

Additi sunt nuper duo Indices, antè ab A. Marlorato collecti: quorum prior res præcipuas, posterior in ea expositos copiosissimè sacræ scripturæ locos continet.



GENEVÆ,
Excudebat Franciscus Perrinus.
M. D. LXVIII.

Ex donat. hùb. à Birthe

PRAECIPVA CAPITA EORVM QVAE IN HOC INstitutionis Christianæ opere continentur.

de Abnegatione nostri, lib.3.cap.7.
de Adæ lapsu. lib.2.cap.1
de Angelis. lib.1.cap.14
de Ascensu Christi in cælum. lib.2.cap.16
de Baptismo. lib.4.cap.15
de Charitate proximi. lib.2.cap.8
de Cælibatu Sacerdotum. lib.4.cap.12
de Cœna Christi. lib.4.cap.17
de Conciliis, & eorum authoritate. lib.4.cap.9
de Confessione Papali & satisfactione. lib.3.cap.4
de Confirmatione Papali. lib.4 cap.19
de Conscientia. lib.3 cap.19
Christus ad quid missus. lib.2.cap.15
de Christi diuinitate. lib.2.cap.14
Quomodo Christi persona vna sit in duabus naturis. lib.2.cap.14
de Descensu Christi ad inferos. lib.2.cap.16
Quomodo Christus mediator. lib.2.cap.12
Christum nobis meritum esse vitam æternam. lib.2.cap.17
Christus Propheta, Rex & Sacerdos. lib.2.cap.15
de Crucis tolerantia. lib.3.cap.8
de Dei notitia. lib.1.cap.1, & sequentibus.
Cognosci Deum naturaliter ab omnibus. lib.1.cap 3
Cognitio Dei quorsum tendat.. lib.1 cap.2
Dei cognitionem suffocari vel insciția vel malitia hominum. lib.1.cap.4
de vnica Dei essentia, & tribus personis. lib.1.cap.13
Impiorum oculis quomodo videatur Deus. lib.1.cap.18
de Diabolis. lib.1 cap.14
de Ecclesia. lib.4.cap.1
Ecclesiæ veræ & falsæ comparatio. lib.4 cap.2
de Ecclesiæ iurisdictione & disciplina. lib.4.cap.11.12
de Ecclesiæ potestate quoad leges ferendas. lib.4.ca.10
de Ecclesiæ potestate quoad fidei dogmata. lib.4.cap.8
de veteris Ecclesiæ statu. lib.4.cap.4
de Electione æterna. lib.3.cap.21
Vocatione sanciri æternam Dei electionem. lib.3.ca.24
de Fide. lib.3.cap.2
de Hæreticis & schismaticis. lib.4.cap.1
de Hominis creatione. lib 1.cap.15
de Idolis. lib.1.ca 11.12
de Ieiunio. lib 4.ca.12
de Iesu nomine. lib.2.ca.15
de Imagine Dei. lib.1.ca.15
Imaginem Deo affingere, nefas esse. lib.1.ca.11
de Impositione manuum. lib.4 ca.19
de Indulgentiis. lib.3.ca 5
de Iudiciis forensibus. lib.4.ca.20
de Iuramento. lib.2.ca.8
de Iustificatione fidei. lib.3.ca.11
de Iustificationis initio & progressu. lib 3.ca.14
In Iustificatione quæ obseruanda. lib.3.ca.13
de Lege. lib.2.cap.7
de Lege, ipsius fine, officio & vsu. lib.2 ca.7
Legis moralis explicatio. lib 2.cap.8
de Legibus. lib.4.cap.20
de Libero arbitrio. lib.1.ca.15, & lib.2.ca.2.& 5
de Libertate Christiana. lib.3.ca.19
de Matrimonio. lib.4.ca.19
de Mediatore Christo. lib.2.cap.12
Ex Mercede malè colligi operum iustitiam. lib.3.ca.18
de Meritis operum. lib.3.cap.15
de Missa Papali. lib.4.cap.18
de Monachatu. lib.4.cap.13
de Morte Christi. lib.2.cap.16
Mundum à Deo conditum, ab eodem foueri ac gubernari. lib.1.cap.16
de Mundi gubernatione. lib.1.cap.16
de Oratione. lib.3.cap.20
de Ordinibus Ecclesiasticis Papæ. lib.4.cap 19
de Ordine & ministeriis Ecclesiæ. lib 4.cap.3
de Pædobaptismo. lib.4.cap.16
de Pastorum electione & officio. lib.4.cap.3
de Peccato in Spiritum sanctum. lib.3 cap.3
de Peccato originali. lib.2.cap.1
de Pœnitentia vera. lib 3.cap.3
de Pœnitentia Papali. lib.4 cap.19
de Politica administratione. lib.4.cap.20
de Prædestinatione Dei. lib.3.cap.21
Promissionum Legis & Euangelii conciliatio. lib.3.cap.17
de Prouidentia Dei. lib.1.cap.16
de Purgatorio. lib 3.cap.5
Redemptor Christus. lib.2.cap.16
de Regeneratione. lib.3.cap.3
de Romanæ sedis primatu & Romani papatus exordio. lib 4.cap.6.&.7
Reprobos sua culpa accersere sibi interitum ad quē sunt prædestinati. lib.3.cap.24
de Resurrectione Christi. lib 2.cap.16
de Resurrectione vltima. lib.3 cap.25
de Sacramentis. lib.4.cap.14
de falsò nominatis Sacramentis. lib.14.cap.19
de Sanctorum intercessione. lib.3.cap.20
de Satisfactione Papali. lib.3.cap.4
de Scandalo. lib.3 cap.19
Scripturæ sacræ authoritas. lib.1.cap.6
Scripturæ doctrinam necessariam nobis esse. lib.1.cap.9
de Spiritu sancto, & illius officiis. lib.3.cap.1
de Spiritus arcana operatione. lib.3.cap.1
Testamenti veteris & noui similitudo. lib.2.cap.10
de Traditionibus humanis. lib.4.cap.10
de Trinitate. lib 1.cap.13
de Vita hominis Christiani. lib.3.cap.6
de Vitæ futuræ meditatione. lib 3.cap.9
Vita præsenti quomodo vtendum. lib.3.cap.10
Vocatione sanciri æternam Dei electionem lib.3.cap.24
de Vocatione sua diligenter cuique inspicienda. lib.3.cap.7
de Votis. lib.4.cap.13
de Vnctione vltima Papali. lib.4.cap.19

Hæc omnia perspicuè ac solidè in hisce Institutionibus tractãtur: & quicquid aduersarii cõtrà obiiciunt, ita confutatur, vt cuiuis pio lectori ita satisfiat, nequid eum posthac morentur sophistarum fuci.

Iohannes Caluinus Lectori.

IN prima huius noſtri operis editione quia eum quẽ pro immenſa ſua bonitate Dominus ſucceſſum dedit, minime expectabam, leuiter, maiori ex parte (vt in minutis operibus fieri ſolet) defunctus eram: verùm quum intelligerem, eo piorũ ferè omnium fauore exceptum eſſe quem nunquam voto expetere, nedum ſperare auſus fuiſſem: vt mihi plus multo deferri ex animo ſentiebam quàm eſſem promeritus, ita magnæ ingratitudinis fore putaui niſi adeò propẽſis in me ſtudiis, ac meã induſtriam ſponte inuitãtibus, reſpondere ſaltem pro mea tenuitate conarer. Neque id ſecunda tantùm editione tẽtaui: ſed quoties deinde excuſum fuit opus, nõnulla acceſſione locupletãtum fuit. Etſi autem laboris tunc impenſi me non pœnitebat: nunquã tamen mihi ſatisfeci, donec in hunc ordinẽ qui nũc proponitur digeſtum fuit. Nunc me dediſſe confido quod veſtro omnium iudicio probetur. Certè quãto ſtudio ad operam hãc Eccleſiæ Dei præſtandam incubuerim, luculentum teſtimonium proferre licet, quòd proxima hyemæ dum exiſtimabã à febre quartana mortẽ mihi denũtiari, quo magis vrgebat morbus, eo minus mihi peperci, donec librum ſuperſtitẽ relinquerẽ, qui tam benignæ piorum inuitationi gratiã aliquam repẽderet. Maluiſſem equidem citius, verùm ſat citò ſi ſat bene. Opportunè autẽ prodiſſe tunc putabo vbi ſenſero vberiorem adhuc quàm antehac fructum aliquẽ Eccleſiæ dei attuliſſe. hoc mihi vnicum votum. Et ſanè mecum malè ageretur niſi vnius Dei approbatione cõtentus, vel ſtulta & peruerſa imperitorum hominum, vel iniqua & maligna improborum iudicia contemnerem. Nam quanuis Deus & propagãdi regni ſui, & adiuuandæ publicæ vtilitatis ſtudio animũ meũ penitus addixerit: mihi quoque probè conſcius ſim, ipſum & angelos teſtes habeã, nihil ex quo officiũ doctoris in Eccleſia ſuſcepi, mihi fuiſſe propoſitum quàm Eccleſiæ prodeſſe, ſinceram pietatis doctrinã aſſerendo: neminem tamen eſſe puto qui pluribus impetatur, mordeatur & laceretur calumniis. Quũ iam ſub prelo eſſet epiſtola, certò reſciui, Auguſtæ, vbi conuentus ordinum Imperii agebatur, ſparſum fuiſſe de mea ad Papatum defectione rumorem, & cupidius quàm par erat in aulis Principum exceptum. Hæc eſt ſcilicet eorum gratitudo quos certè non latent plurima conſtantiæ meæ experimenta, quæ vt calumniam adeò fœdam reſpuũt, ita ab ea me apud omnes æquos & humanos iudices tueri debuerãt. Fallitur autem cum tota ſua caterua diabolus, ſi me putidis mendaciis obruendo, hac indi-

gnitate fractiorẽ vel magis lętum fore putat: quia Deum pro immensa sua bonitate daturum mihi confido vt in cursu sanctæ suæ vocationis æquabili tolerantia perseuerem. Cuius rei nouum in hac editione documẽtum piis lectoribus exhibeo. Porrò hoc mihi in isto labore propositum fuit, sacræ Theologiæ candidatos ad diuini verbi lectionem ita præparare & instruere, vt & facilem ad eam aditum habere, & inoffenso in ea gradu pergere queãt. siquidem religionis summam omnibus partibus sic mihi complexus esse videor, & eo quoque ordine digessisse, vt siquis eam rectè tenuerit, ei non sit difficile statuere & quid potissimum quærere in Scriptura, & quem in scopum quicquid in ea cõtinetur referre debeat. Itaque, hac veluti strata via, siquas posthac Scripturæ enarrationes edidero, quia non necesse habebo de dogmatibus longas disputationes instituere, & in locos cõmunes euagari: eas compendio semper astringam. Ea ratione, magna molestia & fastidio pius lector subleuabitur: modò præsentis operis cognitione, quasi necessario instrumẽto, præmunitus accedat. Sed quia huius instituti ratio in tot meis commentariis quasi in speculis clarè apparet, re ipsa malo declarare quale sit, quàm verbis prædicare. Vale amice Lector, & siquem ex meis laboribus fructum percipis, me precibus tuis apud Deum patrem nostrum adiuua.

Geneuæ. Calend. Augusti. ANNO M.D.LIX.

Quos animus fuerat tenui excusare libello,
Discendi studio magnum fecere volumen.

Augustinus Epist. 7.

Ego ex eorum numero me esse profiteor qui scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt.

Potentissimo, illustrissimoque mo-

narchæ, Francisco, Francorum Regi Christianissimo, principi suo Iohannes Caluinus pacem ac salutem in Christo precatur.

QVVM huic operi manum primùm admouerem, nihil minus cogitabã, Rex clarissime, quàm scribere quæ maiestati tuæ postea offerrentur. Tantùm erat animus rudimenta quædam tradere, quibus formarentur ad verã pietatẽ qui aliquo religionis studio tanguntur. Atque hunc laborem Gallis nostris potissimùm desudabam, quorum permultos esurire & sitire Christum intelligebam: paucissimos autem videbam qui vel modica eius cognitione rite imbuti essent. Hanc mihi fuisse propositam rationem liber ipse loquitur, ad simplicem scilicet rudémque docendi formam compositus. Verùm quum perspicerem vsque eo quorundam improborum furorem inualuisse in regno tuo, vt nullus sanæ doctrinæ sit istic locus: facturus mihi operæpretium visus sum si eadem opera & institutionem iis darem, & confessionem apud te ederem vnde discas qualis sit doctrina in quam tãta rabie exardescunt furiosi illi, qui ferro & ignibus regnum tuum hodie turbant. Neque enim vereor fateri, hîc me summam ferè eius ipsius doctrinæ complexũ esse quam illi carcere, exilio, proscriptione, incendio mulctandam, quam terra marìque exterminandam vociferantur. Equidem scio quàm atrocibus delationibus aures animúmque tuum impleuerint, vt causam nostram tibi quàm odiosissimam redderent: sed id tibi pro tua clementia perpendendum est, nullam neque in dictis, neque in factis innocentiam fore, si accusasse sufficiat. Sanè si quis faciendæ inuidiæ causa, doctrinam hanc, cuius rationem tibi reddere conor, omnium ordinum calculis damnatam, multis fori præiudiciis cõfossam iamdudum fuisse causetur, nihil aliud dixerit quàm partim aduersariorum factione & potentia violenter deiectam: partim mendaciis, technis, calumniis, insidiosè fraudulentérque oppressam. Vis est, quòd indicta causa sanguinariæ sententiæ aduersus illam feruntur: fraus, quòd seditionis & maleficii præter meritum insimulatur. Nequis hæc iniuria nos queri existimet, ipse nobis testis esse potes, Rex nobilissime, quàm mendacibus calumniis quotidie apud te traducatur, quòd nõ aliorsum spectet nisi vt Regibus sua sceptra è manibus extorqueat, tribunalia, iudiciáque omnia præcipitet, subuertat ordines omnes & politias, pacẽ & quietem populi perturbet, leges omnes abroget, dominia & possessiones disipet, omnia denique sursum deorsum voluat. Et tamen minimam portiunculam audis. horrẽda enim quædam in vulgus spargũtur: quæ si vera essent, meritò illam cum suis authoribus mille ignibus ac crucibus dignam vniuersus mundus iudicet. Quis iam miretur publicum odium in illam accensum esse, vbi iniquissimis istis criminationibus fides hàbetur? En cur in nostram ipsorum doctrinæque nostræ damnationem omnes ordines consentiant ac conspirent. Hoc affectu correpti, qui ad iudicandũ sedẽt, præiudicia quæ domo attulerunt, pro sententiis pronũtiant: & se rite perfunctos suis partibus putant si neminẽ ad supplicium trahi iubeãt, nisi aut sua

confeſsione, aut ſolidis teſtimoniis conuictum. At cuius criminis? Damnatæ (aiunt) iſtius doctrinæ. At quo iure dãnata eſt? Id autem erat defenſionis præſidium: non doctrinã ipſam abnegare, ſed pro vera tueri. Hîc muſitandi quoque facultas præciditur. Quare non iniquè poſtulo, Rex inuictiſsime, vt integram cauſæ iſtius cognitionem ſuſcipias: quæ perturbatè hactenus nullóque iuris ordine, & impotenti æſtu magis quam legitima grauitate tractata eſt, vel quoquomodo exagitata. Neque hîc me priuatam defenſionem meditari exiſtimes, qua ſaluum in patriam reditum mihi conficiam: quam tametſi quo decet humanitatis affectu proſequor, vt nunc tamen res ſunt, ea non moleſtè careo. Verùm cõmunem piorum omnium, adeóque ipſam Chriſti cauſam complector, quę modis omnibus hodie in regno tuo proſciſſa ac protrita, velut deplorata iacet, Phariſæorum id quidem quorundã tyrannide magis quàm tua conſcientia. Sedquî id fiat, hîc dicere nihil attinet. afflicta certè iacet. Hoc enim procurarunt impii, vt Chriſti veritas, ſi non vt fugata diſsipatáque intereat, certè vt ſepulta & ignobilis lateat: paupercula verò Eccleſia aut crudelibus cædibus abſumpta ſit, aut exiliis abacta, aut minis ac terroribus perculſa ne hiſcere quidem audeat. Et inſtant etiamnũ qua ſolent inſania & ferocitate, fortiter in parietem iam inclinatum, & ruinam quam fecerũt incumbentes. Nullus interim prodit qui talibus furiis patrocinium ſuum opponat. Quòd ſiqui veritati maximè fauere videri volunt, ignoſcendum eſſe cenſent errori & imprudentiæ imperitorum hominum. Sic enim modeſti homines loquuntur, errorem & imprudentiam vocantes quam norunt certiſsimam eſſe Dei veritatem: imperitos homines, quorum ingenium non adeò deſpicabile Chriſto fuiſſe videt, quin cæleſtis ſuæ ſapientiæ myſteriis dignatus ſit. Adeò omnes pudet Euangelii. Tuum autem erit, ſereniſsime Rex, nec aures, nec animũ à tam iuſto patrocinio auertere: præſertim vbi de re tanta agitur: nempe quomodo Dei gloriæ ſua conſtet in terris incolumitas, quomodo ſuam dignitatem Dei veritas retineat, qnomodo regnum Chriſto ſartum tectúmque inter nos maneat. Digna res auribus tuis, digna tua cognitione, digna tuo tribunali. Siquidem & verum Regem hæc cogitatio facit, agnoſcere ſe in regni adminiſtratione Dei miniſtrum. Nec iam regnum ille ſed latrocinium exercet qui non in hoc regnat vt Dei gloriæ ſeruiat. Porrò fallitur qui diuturnam proſperitatem expectat eius regni, quod Dei ſceptro, hoc eſt, ſancto eius verbo, non regitur: quãdo cæleſte
Pro.29.c.18 oraculum excidere non poteſt, quo edictum eſt diſsipatũ iri populum vbi defecerit prophetia. Nec te ab hoc ſtudio abducere debet humilitatis noſtræ cõtemptus. Nos quidem quàm pauperculi ſimus & abiecti homunciones, probè nobis conſcii ſumus: coram Deo, ſcilicet, miſeri peccatores, in hominum conſpectu deſpectiſsimi: mundi (ſi vis) excrementa quædam & reiectamenta, aut ſiquid adhuc vilius nominari poteſt. vt, quo apud Deum gloriemur, nihil reſtet, præter vnam eius miſericordiam, qua in ſpem æternæ ſalutis nullo noſtro merito aſciti ſimus: apud verò homines non ita multum, præter noſtram infirmitatem, quam vel nutu confiteri, ſumma inter eos ignominia eſt. Sed doctrinam noſtram ſupra omnem mundi gloriam, ſublimem: ſupra omnem poteſtatem, inuictam ſtare oportet: quia non noſtra eſt, ſed Dei viuentis, ac Chriſti eius, quem Pater Regem conſtituit, vt à mari vſque ad mare dominetur, & à fluminibus vſque ad terminos orbis terrarum. Et ſic quidẽ dominetur,

tur,vt totam terram,cum ferreo ſuo atque æreo robore, cum ſplendore aureo & argẽteo, ſola oris ſui virga percuſſam non ſecus comminuat quàm figulina vaſcula: quemadmodum de magnificentia regni ipſius vaticinantur Prophetæ. Reclamant quidem aduerſarii, falſò nos prætendere verbum Dei,cuius ſceleratiſsimi ſimus corruptores. Hæc verò quàm ſit non modò malitioſa calumnia, ſed infignis quoque impudentia, ipſe, confeſsionem noſtram legendo, pro tua prudentia iudicare poteris. Nonnihil tamen hîc etiam dicendum eſt quod tibi ad lectionem ipſam, vel ſtudium attentionémque excitet, vel certè viam ſternat. Paulus, quum ad fidei analogiam omnem prophetiam formatã eſſe voluit, certiſsimam amuſsim poſuit qua probari Scripturæ interpretatio debeat. Ad hanc itaque fidei regulam ſi noſtra exigãtur, in manibus eſt victoria. Quid enim melius atque aptius fidei conuenit quàm agnoſcere nos omni virtute nudos,vt à Deo veſtiamur? omni bono vacuos, vt ab ipſo impleamur? nos peccati ſeruos, vt ab ipſo liberemur? nos cæcos, vt ab ipſo illuminemur? nos claudos, vt ab ipſo dirigamur? nos debiles, vt ab ipſo ſuſtentemur? nobis omnem gloriandi materiam detrahere, vt ſolus ipſe glorioſus emineat & nos in ipſo gloriemur? Hæc atque id genus reliqua quum à nobis dicuntur, interpellant illi, queritãturque hoc modo ſubuerti cęcum neſcio quod lumẽ naturæ, fictas pręparationes, liberum arbitriũ, & meritoria ſalutis æternæ opera, cũ ſuis etiam ſupererogationibus: quia ferre nõ poſſunt integrã omnis boni, virtutis, iuſtitiæ, ſapiẽtiæ laudem ac gloriam apud Deũ reſidere. At non legimus reprehenſos qui nimium è fonte aquæ viuæ hauſerint: contrà grauiter obiurgantur qui fodẽrunt ſibi puteos, puteos contritos, & qui continere aquam nõ valent. Rurſum quid fidei conuenientius quàm Deũ ſibi pollicẽri propitium Patrẽ, vbi Chriſtus frater ac propitiator agnoſcitur? quàm omnia læta ac proſpera ſecurè ab eo expectare, cuius inenarrabilis erga nos dilectio eò progreſſa eſt vt proprio Filio non pepercerit quin pro nobis ipſum traderet? quàm in certa expectatione ſalutis & vitæ æternæ acquieſcere, vbi Chriſtus à Patre datus cogitatur, in quo tales theſauri ſunt abſconditi? Hîc nobis manum iniiciunt, & illam fiduciæ certitudinem arrogantia & præſumptione non carere clamant. At,vt nihil de nobis, ita omnia de Deo præſumenda ſunt. nec alia ratione vana gloria ſpoliamur niſi vt in Domino diſcamus gloriari. Quid vltrà? Percurre, fortiſsime Rex, omnes noſtræ cauſæ partes, & quouis ſceleratorum hominum genere nequiores nos exiſtima, niſi planè comperias, in hoc nos laborare, & probris affici quia ſpem reponimus in Deo viuo: quia hãc credimus eſſe vitam æternam, noſſe vnum verum Deum, & quem ille miſit Ieſum Chriſtum. Propter hanc ſpem, alii noſtrûm vinculis conſtringuntur, alii virgis cæduntur, alii in ludibrium circunducuntur, alii proſcribuntur, alii ſæuiſsimè torquentur, alii fuga ẽlabuntur: omnes rerum anguſtia premimur, diris execrationibus deuouemur, maledictis laceramur, indigniſsimis modis tractamur. Intuere iam in aduerſarios noſtros (de ordine ſacrificorum loquor, quorum nutu & arbitrio alii nobiſcum inimicitias exercent) & mecum pauliſper reputa quo ſtudio ferãtur. Veram religionem, quæ Scripturis tradita eſt, quæque inter omnes conſtare debuerat, facilè & ſibi & aliis ignorare, negligere, deſpicere permittunt: parúmque referre putant quid quiſque de Deo & Chriſto teneat, vel non teneat, modò implicita, vt aiunt, fide, ſuam mentem Ec-

Dani. 2. c. 32
Ieſa. 11. a. 4
Pſal. 2. c. 9

Rom. 12. b. 6

1. Tim. 4. c. 10
Iohan. 17. a. 3

Ierem. 2. c. 13

Rom. 8. f. 32

cleſiæ iudicio ſubmittat. nec valde afficiuntur ſi Dei gloriã manifeſtis blaſphemiis pollui cõtingat, modò nequis aduerſus ſedis Apoſtolicæ primatũ & ſanctę matris Eccleſiæ authoritatẽ digitum tollat. Cur ergo tanta ſæuitia & acerbitate pro Miſſa, Purgatorio, peregrinationibus, & id genus nugis belligerantur, vt ſine eorũ explicatiſsima, vt ita dicam, fide ſaluam fore pietatem negent, quũ tamẽ nihil eorum à verbo Dei eſſe probent? Cur? niſi quia illis Deus venter eſt, culina religio: quibus ſublatis, non modò non Chriſtianos, ſed ne homines quidem futuros ſe credunt? Tametſi enim alii ſplendidè ſe ingurgitant, alii tenuibus cruſtulis victitant, omnes tamen ex eadem viuunt olla, quæ ſine illis fomentis non frigeret modò, ſed penitus conglaciaret. Ideò vt quiſque eorum pro ventre eſt maximè ſolicitus, ita pro ſua fide deprehenditur bellator acerrimus. Denique huc ad vnũ omnes incumbunt, vel vt regnum incolume, vel vt ventrẽ confertum retineant: nemo vel minimã ſynceri zeli dat ſignificationẽ. Nec ſic tamẽ deſinunt doctrinã noſtram inceſſere & quibus poſſunt nominibus criminari & infamare, quo vel inuiſam vel ſuſpectã reddant. Nouam appellant & nuper natam, dubiam eſſe & incertam cauillantur: rogant quibus cõfirmata ſit miraculis: quærunt an ſit æquum vt contra tot ſanctorũ Patrum conſenſum, & vetuſtiſsimam conſuetudinẽ obtineat: vrgent vt ſchiſmaticam eſſe fateamur, quæ contra Eccleſiã prælium moueat: vel Eccleſiam multis ſeculis intermortuã fuiſſe, quibus nihil tale auditum fuit. Poſtremò nihil opus eſſe aiunt multis argumentis: qualis enim ſit iudicari à fructibus poſſe: vtpote quę tantum ſectarũ aceruum, tot ſeditionum turbas, tantam vitiorum licentiã peperit. Scilicet perquam illis facile eſt apud credulam imperitámque multitudinẽ deſertæ cauſę inſultare. verùm ſi nobis quoque mutuæ eſſent dicendi vices, deferueret profectò hęc acrimonia qua ſic in nos plenis buccis, ac tã licenter quàm impunè, deſpumant. Principiò nouã quòd appellant, Deo ſunt vehementer iniurii, cuius ſacrum verbum nouitatis inſimulari non merebatur. Illis quidem nouam eſſe minimè dubito, quibus & Chriſtus nouus eſt & Euange-
Rom. 4. d. 25 lium nouum: ſed qui illã Pauli concionẽ veterem eſſe nouerunt, Ieſum Chriſtum mortuum propter peccata noſtra, reſurrexiſſe propter iuſtificationẽ noſtram, nihil apud nos deprehendent nouũ. Quòd diu incognita ſepultáque latuit, humanę impietatis crimen eſt: nunc quum Dei benignitate nobis redditur, ſaltẽ poſtliminii iure ſuam antiquitatẽ recipere debebat. Ex eodem ignorantiæ fonte pro dubia incertáque habent. hoc profecto eſt quod Dominus
Ieſa. 1. a. 3 per Prophetã ſuum conqueritur, Bouẽ cognouiſſe poſſeſſorem ſuum, & aſinũ præſepe dominorũ ſuorũ: ſe non agnoſci à populo ſuo. Verùm vtut in eius incertitudinẽ ludant, ſi ſua illis proprio ſanguine vitæque diſpendio obſignãda eſſet, liceret ſpectare quanti ab illis fiat. Longè alia noſtra fiducia eſt, quæ nec mortis terrores, nec adeò ipſum Dei tribunal formidat. Quòd miracula à nobis poſtulant, improbè faciunt. non enim recens aliquod Euangeliũ cudimus, ſed illud ipſum retinemus cuius confirmãdæ veritati ſeruiunt omnia quæ vnquam & Chriſtus & Apoſtoli miracula ediderunt. At id præ nobis habẽt ſingulare, quòd aſsiduis in hunc vſque diem miraculis fidem ſuam confirmare poſſunt. Imò potius allegant miracula, quæ animum alioqui bene compoſitum labefactare queant: adeò aut friuola ſunt & ridicula, aut vana & mendacia. Nec tamen, etiamſi valde prodigioſa eſſent, contra Dei veritatem vllius

momenti

momenti esse oportebat: quando & nomen Dei sanctificari vbique & semper conuenit, siue portentis, siue naturali rerum ordine. Speciosior forsan esse fucus poterat, nisi de fine vsúque miraculorum legitimo Scriptura nos admoneret. Signa enim quæ Apostolorum prædicationem sequuta sunt, in eius cõfirmationẽ edita fuisse docet Marcus. sic & Lucas Dominum sermoni gratiæ suæ reddidisse testimoniũ narrat, quum signa & portẽta fierent per Apostolorum manus. Cui simillimũ est illud Apostoli, Salutem annuntiato Euangelio fuisse confirmatam, contestante Domino signis & portentis & variis virtutibus. Quæ verò audimus Euangelii esse signacula, eáne ad diruendã Euangelii fidem conuertemus? quæ veritati tantùm obsignandæ sunt destinata an mẽdaciis confirmandis accõmodabimus? Proinde doctrinã, quæ præcedere ab Euãgelista dicitur, priore loco examinari exploraríque par est. quæ si probata fuerit, tum demum à miraculis iure confirmationẽ sumere debet. Probæ autem doctrinæ, authore Christo, isthæc nota est, si non in hominũ sed Dei gloriam quærendã vergit. Hanc quũ doctrinæ probationẽ Christus asserat, perperã cẽsentur miracula quæ aliò quàm ad illustrandum vnius Dei nomẽ trahũtur. Et meminisse nos decet, sua esse Satanæ miracula, quæ tametsi præstigię sunt magis quàm veræ virtutes, sunt tamẽ eiusmodi quæ imprudẽtes & imperitos deludãt. Magi & incantatores miraculis semper claruerunt. idololatriã stupenda miracula aluerunt: quæ tamẽ nec Magorũ, nec idololatrarum superstitionem nobis approbãt. Atque hoc olim ariete vulgi simplicitatẽ concutiebãt Donatistæ, quòd miraculis pollerent. Idẽ ergo nunc nostris aduersariis respõdemus quod tunc Donatistis Augustinus, Dominum contra istos mirabiliarios, cautos nos fecisse: quum prædixit venturos pseudoprophetas, qui signis mẽdacibus variísque prodigiis in errorem electos, si fieri posset, inducãt. Et Paulus admonuit, Antichristi regnũ futurum cum omni potentia & signis & prodigiis mẽdacibus. At hæc (inquiunt) miracula nõ ab idolis, nõ à maleficis, nõ à pseudoprophetis, sed à sanctis fiunt. Quasi verò non nouerimus hanc esse Satanæ artem, transfigurare se in Angelum lucis. Olim Ægyptii sepultum apud se Ieremiam sacrificiis aliísque diuinis honoribus prosequuti sunt. nónne sancto Dei Propheta ad idololatriam abutebantur? & tamen tali sepulchri veneratione consequebantur, vt curationem à tactu serpẽtum putarent iustam illius mercedem esse. Quid dicemus? nisi fuisse hanc sempérque fore iustissimã Dei vindictam, iis qui dilectionem veritatis non receperunt, mittere efficaciam illusionis, vt credant mendacio? Miracula ergo nobis minimè desunt, eáque certa nec cauillis obnoxia. Quæ autem illi pro se obtendunt, meræ sunt Satanæ illusiones, quando à vero Dei sui cultu ad vanitatem populum abducunt. Præterea calumniosè nobis Patres opponunt (antiquos & melioris adhuc seculi scriptores intelligo) acsi eos haberent suæ impietatis suffragatores. quorum authoritate si dirimendum certamen esset, melior victoriæ pars (vt modestissimè etiam loquar) ad nos inclinaret. Verùm quum multa præclarè ac sapienter ab illis Patribus scripta sint; in quibusdã verò iis acciderit quod hominibus solet: isti pii scilicet filii, qua sũt & ingenii & iudicii & animi dexteritate, eorum tantùm lapsus & errores adorant: quæ benedicta sunt vel non obseruant, vel dissimulant, vel corrumpunt: vt dicas prorsus illis curæ fuisse, in auro legere stercora. Tum improbis clamoribus nos obruunt, ceu Patrum

Mar.16.d.20 Act.14.a.3.

Heb.2.a.4

Ioan.7.c.18; & 8.f.50

In Iohã. tra. 13

Matt.24.b. 24

1.Thes.2.c.9

2.Cor.11.d. 14

Hie.in præf. Ieremiæ.

2.Thes.2.c.11

contemptores & aduersarios. Nos verò adeò illos non contemnimus, vt si id præsentis instituti esset, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem quæ hodie à nobis dicuntur, ipsorum suffragiis comprobare. Sic tamen in eorum scriptis versamur, vt semper meminerimus, omnia nostra esse, quæ nobis seruiant, non dominentur: nos autem vnius Christi, cui per omnia, sine exceptione, parendum sit. Hunc delectũ qui non tenet, nihil in religione constitutum habebit. quando multa ignorarunt sancti viri illi: sæpe inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsi pugnant. Non sine causa (inquiunt) à Solomone admonemur ne transgrediamur antiquos terminos quos posuerunt patres nostri. At non eadem est regula in agrorum limitibus & obedientia fidei: quam sic comparatam esse oportet vt obliuiscatur populum suum & domũ patris sui. Quòd si tantopere gestiunt ἀλλοτριορρεῖν, cur non Apostolos potius, quàm alios quosuis, Patres interpretãtur, à quibus præscriptos terminos nefas sit reuellere? sic enim interpretatus est Hieronymus, cuius verba in suos canones retulerũt. Quòd si eorum, quos intelligũt, fixos volunt esse terminos: cur ipsi, quoties libet, adeò licenter transgrediuntur? Ex Patribus erant, quorũ alter dixit, Deum nostrum non edere neque bibere: itaque non habere opus calicibus neque discis: alter, sacra aurũ non quærere, neque auro placere quæ auro non emuntur. Transgrediuntur ergo limitem quum in sacris tantopere auro, argento, ebore, marmore, lapillis, sericis delectantur: nec rite Deum coli putant nisi omnia exquisito splendore vel potius insano luxu diffluãt. Pater erat qui dixit, ideo se liberè carnes edere quo die cæteri abstinebant, quia Christianus esset. Itaque fines transiliunt quum diris animam deuouent quæ per quadragesimam carnem gustauerit. Patres erant, quorũ vnus dixit, monachũ, qui manibus suis non laboret, violento, aut si mauis latroni, iudicari æqualem: alter, non licere monachis ex alieno viuere, etiamsi assidui sint in cõtemplationibus, in orationibus, in studiis. Et hunc limitem transgressi sunt, quum otiosos ac doliares monachorũ ventres in lustris ac fornicibus collocarũt, qui aliena substantia saginarentur. Pater erat qui dixit horrendam esse abominationẽ, videre depictã vel Christi vel sancti vllius imaginem in Christianorum templis. Neque id hominis vnius voce pronuntiatũ est, sed ab Ecclesiastico etiam Concilio decretũ, ne quod colitur, in parietibus depingatur. Plurimum abest quin se intra hos fines contineant, quando non relinquũt angulum imaginibus vacuum. Alius Pater consuluit vt officio humanitatis erga mortuos in sepultura defuncti, sineremus eos quiescere. Hos limites perrũpũt quũ perpetuã mortuorũ solicitudinem incutiunt. Ex Patribus erat qui substantiã panis & vini testatur in Eucharistia ita permanere & nõ desinere, sicut manet in Christo Domino substantia & natura hominis, iuncta diuinæ. Igitur modũ præterreunt qui fingunt desinere substantiã panis & vini verbis Domini recitatis, vt in corpus ac sanguinẽ transsubstantietur. Patres erãt qui vti vniuersæ Ecclesiæ vnam duntaxat Eucharistiã exhibebant, atque vt inde arcebant flagitiosos & sceleratos, ita grauissimè dãnabant omnes eos qui præsentes ea nõ cõmunicarent. Hos fines quàm procul submouerunt? quũ non tẽpla tantùm, sed etiam priuatas domos Missis suis replent, ad eas spectandas quosuis admittunt, & eo quẽque libẽtius, quo largius quisque numerat, quantũuis impuri sint & scelesti: ad fidẽ in Christum, & fidelẽ Sacramentorum cõmunionem inuitant neminem

5. Cor. 3. d. 21

Pro. 22. d. 28

Psal. 45. c. 11

Acatius in li. 11. cap. 16. tripert. histor. Amb. lib. 2. de off. c. 28.

Spiridiõ tri. histor. lib. 1. cap. 10.

Trip. histor. lib. 8. cap. 1. August. de opere mona. cap. 17.

Epiph. epist. ab Hie. vers.

Con. Eleber c. 36.

Amb. lib. de Abra. 1. c. 7.

Gelasius Papa in Concil. Rom.

Chrys. in primo ca. Eph.

Calixtus papa de cõsecrat. distin. 2

minem: quin potius ſuum opus pro gratia & merito Chriſti venditant. Patres erant, quorum vnus abvſu ſacræ Chriſti Cœnæ in totum ſubmouendos decreuit qui alterius ſpeciei participatione contenti, ab altera abſtinebant: alter fortiter pugnat, non denegandum populo Chriſtiano Domini ſui ſanguinẽ, pro cuius confeſsione ſanguinem ſuum effundere iubetur. Hos quoque terminos ſuſtulerunt, quum inuiolabili lege idipſum iuſſerunt quod ille excommunicatione puniebat, hic valida ratione improbabat. Pater erat qui temeritatem eſſe aſſeruit, de re obſcura in vtramuis partem definire ſine claris atque euidẽtibus Scripturæ teſtimoniis. Hunc terminum obliti ſunt quum tot conſtitutiones, tot Canones, tot magiſtrales determinationes ſine vllo Dei verbo ſtatuerunt. Pater erat qui Montano inter alias hæreſes exprobrauit quòd primus ieiuniorum leges impoſuiſſet. Hunc quoque terminum longè exceſſere quum ieiunia ſtrictiſsimis legibus ſanxerunt. Pater erat qui negauit Eccleſiæ miniſtris interdicendum coniugium, caſtitatem pronuntiauit, cum propria vxore concubitum. & Patres erant qui eius authoritati aſſenſerunt. His finibus egreſsi ſunt quum ſuis ſacrificis cælibatum ſeuerè indixerunt. Pater erat qui cenſuit vnum Chriſtum audiendum eſſe, de quo dictum ſit, Ipſum audite: nec reſpiciendum quid alii ante nos aut dixerint aut fecerint, ſed quid (qui primus omniũ eſt) Chriſtus præceperit. Hunc finem neque ipſi ſibi præſtituunt, neque aliis præſtitutum habere permittunt, dum quoſuis potius & ſibi & aliis magiſtros quàm Chriſtum præficiunt. Pater erat qui contendit Eccleſiam non debere ſe Chriſto præponere, quia ille ſemper veraciter iudicet: Eccleſiaſtici autem iudices, ſicut homines, plerunque fallantur. Hoc etiam fine perrupto, aſſerere non dubitant totam Scripturæ authoritatem ab Eccleſiæ arbitrio pendêre. Patres omnes vno pectore execrati ſunt & vno ore deteſtati, ſanctum Dei verbum ſophiſtarum argutiis contaminari & dialecticorum rixis implicari. An iſti iis limitibus ſe continent, dum nihil aliud in tota vita moliuntur, quàm infinitis contentionibus & pluſquam ſophiſticis iurgiis Scripturæ ſimplicitatem inuoluere & impedire? vt ſi nunc Patres ſuſcitentur, & huiuſmodi iurgandi artem audiant quam ſpeculatiuam theologiam appellãt iſti, nihil minus credant quàm de Deo haberi diſputationem. Verùm latius iuſtis ſpatiis ſeſe oratio noſtra effunderet, ſi recenſere vellem quàm petulanter iſti Patrum iugum, quorum obſeruantes filii videri volunt, excutiant. Menſes profectò atque anni me deficerent. Et adeò perdita ſunt deploratáque impudentia, vt nos caſtigare auſint quòd terminos antiquos trãſgredi non dubitemus. Iam verò quòd nos ad conſuetudinem vocant nihil efficiunt. Iniuſtiſsimè enim nobiſcum ageretur ſi conſuetudini cedendum eſſet. Equidem ſi recta eſſent hominum iudicia, conſuetudo à bonis petenda erat. verùm longè aliter ſæpiuſcule agi contingit. quod enim à multis fieri conſpectum eſt, cõſuetudinis ius mox obtinet. Atqui vix vnquam tam bene habuerunt res humanę vt pluribus placerẽt meliora. Ergo ex priuatis multorum vitiis publicus error plerunque factus eſt, vel potius communis vitiorum conſenſus: quem nunc boni iſti viri pro lege eſſe volunt. Vident qui oculos habent, non vnum mare malorum inundaſſe, multas ſonticas peſtes inuaſiſſe orbem, omnia in præceps ruere: vt aut prorſus res humanæ deplorandæ ſint, aut tantis malis iniicienda manus, vel potius vis afferenda. Et abigitur remediũ, non alia ratione niſi quia

Gelaſ. Can. Cõperimus, de conſecr. diſt. 2

Cypr. epiſ. 2. lib. 1. de lapſis.

Auguſt. li. 2. De peccat. mer. ca. vlt.

Apollon. de quo Eccleſ. hiſto. lib. 5. cap. 12.

Paphnu. Tripert. hiſ. lib. 2. cap. 14.

Cypr. epiſt. 2. lib. 2.

Auguſt. cap. 2. cont. Creſconium grãmaticum.

Decret.dist. 8.cap.fi.Ex. de consue. iampridem malis assueuimus. Sed locum sanè habeat in hominũ societate publicus error: in regno tamen Dei sola eius æterna veritas audienda & spectanda est, cui nulla annorum serie, nulla cõsuetudine,nulla coniuratione præscribi potest.Sic quondam electos Dei docebat Iesaias ne dicerent Conspiratio,ad omnia in quibus populus dicebat Conspiratio. hoc est, ne in sceleratũ populi consensum vnà ipsi conspirarent, néue timorem eius timerent, ac formidarẽt: sed potius vt Dominum exercituum sanctificarent, & ipse esset timor eorum & pauor.Nunc itaque,vt volent, & præterita secula & præsentia exempla nobis obiectent: si Dominum exercituum sanctificauerimus, non valde terrebimur.Siue enim in similem impietatem multa secula consenserint,fortis est qui vltionem in tertiam & quartam generationem faciat:siue totus simul orbis in eandem nequitiam conspiret, experimento docuit quis sit eorum exitus qui cum multitudine delinquunt, quum vniuersum hominum genus diluuio perdidit, seruato Noe cum modica familia, qui per suam vnius fidẽ totum orbem condemnaret. Denique praua cõsuetudo non secus ac publica quædam est pestis, in qua non minus pereunt qui in turba cadunt. Adhæc expendere decebat quod alicubi dicit Cyprianus, eos qui ignoratione peccant, etsi non possint omni se culpa eximere, videri tamen posse quoquomodo excusabiles: oblatam autem Dei beneficio veritatem qui pertinaciter respuunt, nihil habere quod obtendant. Dilemmate suo non adeò vehementer nos premunt vt fateri adigant vel Ecclesiam fuisse aliquandiu intermortuã, vel nunc cum Ecclesia nobis litem esse. Vixit sanê Christi Ecclesia, & viuet quandiu Christus regnabit ad dexteram Patris: cuius manu sustinetur, cuius præsidio defenditur,cuius virtute suã incolumitatem retinet.Præstabit enim ille indubiè quod semel recepit, se affuturum suis vsque ad consummationem seculi. Aduersus eam nulla nunc nobis pugna est.siquidẽ Deum vnũ & Christũ Dominũ vno consensu,cũ omni fidelium populo, colimus & adoramus,qualiter semper ab omnibus piis adoratus est.Sed non parũ à vero ipsi aberrant,dum Ecclesiã nõ agnoscunt nisi quã præsenti oculo cernãt, & eam iis finibus circũscribere conantur quibus minimè inclusa est. In his cardinibus controuersia nostra vertitur: primùm quòd Ecclesiæ formam semper apparere & spectabilẽ esse contendunt: deinde quòd formam ipsam in sede Romanæ Ecclesiæ & Præsulum suorum ordine constituunt. Nos contrà asserimus, & Ecclesiam nulla apparente forma constare posse, nec formam externo illo splendore, quem stultè admirantur, sed longè alia nota contineri: nempe pura verbi Dei prædicatione, & legitima Sacramentorum administratione. Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur. Sed quàm sæpe in populo Iudæorum sic deformari contigit vt nulla species emineret? quam putamus formam resplenduisse quũ Helias solum se relictum deploraret? quandiu ab aduẽtu Christi deformis latuit? quoties ab eo tempore bellis, seditionibus, hæresibus sic oppressa est vt nulla parte fulgeret? An si eo tẽpore vixissent,credidissent vllam esse Ecclesiã? sed audiuit Helias salua esse septem millia virorũ qui non curuauerant genu corã Baal. Nec dubiũ nobis esse debet quin semper in terris regnauerit Christus ex quo cælum ascendit. notabilẽ verò aliquã formam si tum pii oculis requisiissent,nónne protinus concidissent animis? Et sanè id iam summi vitii loco in suo seculo ducebat Hilarius, quòd stulta Episcopalis dignitatis admira-

Gen.7.a.1 Heb.11.b.7

Epist.3.lib.2 & in Epis.ad Iulianum de hæret. baptizand.

Mat,28.d.20

1.Reg.19.b. 11

tione

tione occupati, latentem ſub ea larua exitialem lernam non animaduerterent. ſic enim loquitur, Vnum moneo, cauete Antichriſtum. malè enim vos parietum amor cepit: malè Eccleſiã Dei in tectis ædificiiſque veneramini: malè ſub iis Pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum eſt in iis Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſyluæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores. in iis enim Prophetæ aut manentes aut demerſi prophetabãt. Quid autem hodie in cornutis ſuis Epiſcopis mundus veneratur, niſi quoniã ſanctos eſſe religionis præſules autumat quos celebribus vrbibus videt præſidere? Apageſis ergo tam ſtupidam æſtimationem. Quin potius permittamus hoc Domino. vt quando ipſe ſolus nouit qui ſui ſint, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab hominũ aſpectu auferat. Eſt, fateor, horribilis illa Dei vindicta ſuper terrã. ſed ſi ita meretur hominũ impietas, cur iſtæ Dei vltioni obſiſtere nitimur? Sic anteactis ſeculis Dominus hominum ingratitudinem vltus eſt. nam quia veritati ſuæ obedire noluerant, & lucem ſuam extinxerant, eos excæcatos ſenſu, & abſurdis mẽdaciis ludi, & altis tenebris immergi paſſus eſt, vt nulla veræ Eccleſiæ facies extaret. interim tamen ſuos & diſperſos & deliteſcẽtes, in mediis erroribus & tenebris ab exitio ſeruauit. Nec mirũ: didicit enim ſeruare & in ipſa confuſione Babylonis, & flamma fornacis ardentis. Quòd autem formam Eccleſię neſcio qua vana pompa cenſeri volunt, id quàm periculoſum ſit paucis indicabo magis quàm enarrabo, ne orationem in immenſum extrahã. Pontifex, inquiunt, qui ſedẽ Apoſtolicã tenet, & qui ab eo antiſtites ſunt inuncti & conſecrati, infulis modò & lituis inſigniti ſint, Eccleſiam repręſentant, & pro Eccleſia haberi debent. ideo nec errare poſſunt. Quî ſic? quia paſtores ſunt Eccleſiæ, & cõſecrati Domino. Et Aaron cæteríque præfecti Iſrael nónne paſtores erant? Aaron verò & filii eius iam Sacerdotes deſignati errauerunt tamen, quũ vitulum fabricauerunt. Cur ſecundum hanc rationẽ Eccleſiam non repræſentaſſent quadringenti illi Prophetæ qui Ahab mentiebantur? At Eccleſia ſtabat à partibus Micha, ſolius quidem & contẽptibilis, ſed ex cuius ore verũ egrediebatur. Nónne & nomen & faciem Eccleſiæ præ ſe ferebant Prophetæ, quũ vno impetu aduerſus Ieremiam inſurgerent, & minaces iactarent fieri non poſſe vt periret Lex à Sacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à Propheta? Aduerſus totã Prophetarũ nationẽ ſolus Ieremias mittitur qui à Domino denuntiet fore vt Lex pereat à Sacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à Propheta. Nónne talis ſplẽdor refulgebat in eo concilio quod Pontifices, Scribæ & Phariſæi collegerunt, cõſilia de interficiendo Chriſto captaturi? Eant nunc, & in externa larua hæreant, vt Chriſtum & omnes Dei Prophetas faciant ſchiſmaticos: Sataníæ rurſum miniſtros faciant Spiritus ſancti organa. Quòd ſi ex animo loquuntur, reſpondeat mihi bona fide, vbinam gentium ac locorum Eccleſiam reſidere exiſtiment ex quo Baſilienſis Concilii decreto deiectus & abdicatus eſt Pontificatu Eugenius, ſubrogato in eius locum Amedæo? Negare, vel ſi rumpantur, nequeunt, Concilium, quantum ad externos ritus attinet, fuiſſe legitimum: nec ab vno tantùm Pontifice, ſed à duobus indictum. Damnatus eſt illic Eugenius ſchiſmatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto Cardinalium & Epiſcoporum grege qui cum eo Concilii diſſolutionem molitus erãt. Poſtea tamen Principum fauore ſubleuatus, ſaluum Pontificatũ recepit. Illa Amedæi electio, generalis & ſacroſanctæ Syn-

Cõtra Auxẽtium.

2. Tim. 2. c. 19

Exo. 32. a. 4

1. Reg. 22. b. 11

Iere. 18. c. 18

Iere. 4. c. 9

Ioh. 12. b. 10

odi authoritate rite peracta, in fumum abiit: niſi quòd ipſe galero Cardinalitio, ceu canis latrans iniecta offa, placatus eſt. Ex illorum hæreticorum rebellium, pertinacium gremio prodiit quicquid poſtea Paparum, Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Presbyterorum fuit. Hîc deprehenſi hæreant neceſſe eſt. Vtram enim in partem Eccleſiæ nomen conferent negabúntne Conciliũ generale fuiſſe, cui nihil ad exteriorem maieſtatem deerat? nempe quod duobus diplomatibus ſolenniter indictum, præſidente Romanæ ſedis Legato cõſecratum, rerũ omnium ordine bene compoſitum, eadẽ ſemper dignitate ad extremum perſeuerauit. Fatebuntur ſchiſmaticũ Eugenium cum tota ſua cõhorte, à qua omnes ſanctificati ſunt? Aut igitur Eccleſiæ formã aliter definiant: aut quotquot ſunt, habebuntur à nobis ſchiſmatici, qui ſcientes volentes ab hæreticis ordinati ſunt. Quòd ſi nunquã antea compertũ fuiſſet, externis pompis non alligari Eccleſiam, ipſi prolixo documento nobis eſſe poſſunt, qui ſub ſpecioſo illo Eccleſiæ titulo tandiu ſe orbi ſupercilioſè venditarunt, quum tamen eſſent exitiales Eccleſię peſtes. De moribus non loquor, & tragicis illis facinoribus, quibus ſcatet tota eorũ vita: quando Phariſæos ſe eſſe aiunt, qui ſint audiendi non imitandi. Ipſam, ipſam doctrinã, cui id deberi aiunt quòd ſunt Eccleſia, exitialem animarũ carnificinam, facem, ruinam, & excidium Eccleſiæ eſſe non obſcurè cognoſces, ſi legendis noſtris aliquantum otii tui decidas. Poſtremò non ſatis candidè faciunt quum inuidioſè cõmemorant quantas turbas, tumultus, contentiones ſecũm traxerit noſtræ doctrinæ prædicatio, & quos nunc in multis fructus ferat. nã horum malorũ culpa indignè in ipſam deriuatur, quæ in Satanæ malitiam torqueri debuerat. Eſt hic diuini verbi quidam quaſi genius, vt nunquam emergat, quieto ac dormiente Satana. hæc certiſsima & in primis fidelis nota, qua diſcernitur à mendacibus doctrinis, quæ ſe facilè produnt dum æquis omnium auribus recipiuntur, & à mundo plaudente audiuntur. Sic ſeculis aliquot, quibus profundis tenebris ſubmerſa fuerunt omnia, huic mundi domino cuncti ferè mortales ludus erant ac iocus, nec ſecus ac Sardanapalus aliquis in alta pace deſidebat ac deliciabatur. quid enim aliud quàm riſiſſet ac luſiſſet, tranquilla ac pacata regni poſſeſsione? At verò vbi lux è ſupernis affulgens tenebras eius aliquantum diſcuſsit, vbi fortis ille regnũ eius turbauit ac perculit, tum verò ſolitũ ſuum torporem excutere cœpit, & arma corripere. Et primùm quidem hominum manus concitauit, quibus illuceſcentẽ veritatem violenter opprimeret. per quas vbi nihil profectum eſt, ad inſidias ſe conuertit: diſsidia & dogmatum contentiones per Catabaptiſtas ſuos & alia nebulonum portenta excitauit, quibus eam obſcuraret, tandem & extingueret. Et hunc vtraque machina ipſam tentare perſeuerat. ſiquidem & verum illud ſemen vi ac manu hominũ euellere conatur, & ſuis zizaniis (quantum in ſe eſt) nititur occare, ne creſcat, & fructum reddat. Id tamen ipſum fruſtra, ſi monitorem Dominum audimus qui & eius artes multo antè nobis aperuit, ne incautos deprehenderet, & contra omnes eius machinas, ſatis firmis præſidiis armauit. Cæterùm, in ipſum Dei verbum inuidiã conferre, aut ſeditionum, quas improbi & rebelles: aut ſectarum, quas impoſtores contrà excitant: quanta eſt malignitas? Nouũ tamen exemplum non eſt. Interrogabatur Elias annon is eſſet qui turbabat Iſrael. Chriſtus ſeditioſus Iudæis erat. Apoſtolis etiamẽ impingebatur commotionis

popularis. Quid aliud agunt qui hodie omnes turbas, tumultus, cõtentiones quæ in nos ebulliunt, nobis imputant? Talibus autem quid respondendũ sit, docuit nos Elias, nos non esse qui vel errores spargimus, vel tumultus commouemus: sed eos ipsos qui Dei virtuti obluctantur. Verùm vt illud vnum ad retundendam eorum temeritatem satis est: ita rursum aliorum imbecillitati occurrendum, quos talibus offendiculis commoueri, ac perturbatos vacillare non rarò contingit. Illi verò ne hac perturbatione labascant, ac de gradu deiiciantur, sciant eadem expertos esse suo seculo Apostolos quæ nunc vsu nobis veniunt. Erant indocti & instabiles, qui ad suam ipsorum perniciem depraua- 2.Pet.3.d.16
rent quæ à Paulo diuinitus scripta erant, vt ait Petrus. Erant Dei contemptores, qui quum audiebant abundasse peccatum vt gratia exundaret, statim ingerebant, Manebimus in peccato, vt gratia abundet. Quum audiebant fideles Rom.6.a.1. c.15
non esse sub Lege, protinus occinebant, Peccabimus, quia non sumus sub Lege, sed sub gratia. Erant qui illum mali suasorem arguebant. Subintrabãt multi Philip.1.b.15
pseudapostoli, qui diruerent Ecclesias quas ipse ædificauerat. Quidam per inuidiam & contentionem, nec syncerè Euangelium prædicabant, malitiosè etiam cogitantes se pressuram suscitare vinculis eius. Alicubi non multus erat Euangelii profectus. Omnes quæ sua erant, quærebant, non quæ Iesu Christi. Alii retrorsum abibant, canes ad vomitum, & sues ad volutabrum luti. Plerique libertatem Spiritus rapiebant ad licentiam carnis. Insinuabant sese multi fratres, à quibus deinde piis imminebant pericula. Inter ipsos fratres varię concertationes suscitabantur. Quid hîc Apostolis agendum erat? an non vel ad tẽpus dissimulandum, vel potius omittendum illud Euangelium ac deserẽdum erat, quod tot litium videbant esse seminarium, tot periculorum materiam, tot scandalorum occasionem? At in huiusmodi angustiis succurrebat, Chri- Luc.2.c.34
stum esse lapidem offensionis. & petram scandali positum in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui cõtradiceretur. qua fiducia armati per omnia tumultuum offensionúmque discrimina audacter progrediebãtur. Eadem & nos cogitatione sustentari decet, quando hunc perpetuum Euangelii 2.Cor.2.d.16
genium esse testatur Paulus, vt sit odor mortis in mortem iis qui pereunt: tametsi in hunc potius vsum vobis destinatum erat vt odor esse vitæ in vitam, ac potentia Dei in salutem fidelium. quod ipsum nos quoque certè experiremur, nisi nostra ingratitudine corrumperemus hoc tam singulare Dei beneficium, ac in exitium nostrum verteremus quod nobis vnicum salutis præsidium esse debuerat. Sed ad te reuertor, ô Rex. Nihil te moueant vanæ illæ delationes, quibus terrorem tibi iniicere nituntur nostri aduersarii, Non aliud hoc nouo Euangelio, (sic enim appellant,) captari ac quæri, nisi seditionum opportunitatem, ac vitiorum omnium impunitatem. Neque enim diuisionis Deus noster author est, sed pacis: & Filius Dei non peccati minister est, qui venit ad dissoluenda opera diaboli. Et nos talium cupiditatum immeritò accusamur, quarum ne minimam quidem suspicionem vnquam dedimus. Scilicet nos regnorum inuersionem meditamur: quorum nulla vnquam factiosa vox audita est, & vita semper quieta simplexque cognita fuit, quum sub te viueremus: & qui nũc etiã domo profugi, tibi tamen regnóque tuo fausta omnia precari non desinimus. Scilicet nos impunitam vitiorum petulantiã aucupamur, quorum in moribus etsi multa reprehendi possunt, nihil tamen tanta insulta-

tione dignum. nec tam infœliciter (gratia Dei) in Euangelio profecimus quin iſtis obtrectatoribus vita noſtra, caſtitatis, benignitatis, miſericordiæ, continentiæ, patientiæ, modeſtiæ, & virtutis cuiuſuis exemplum eſſe poſſit. Nos ſanè Deum ſyncerè timere & colere reipſa palàm eſt, quando tum vita tum morte noſtra nomen eius ſanctificari petimus, & ipſa inuidia coacta eſt quibuſdã noſtrûm innocentiæ & ciuilis integritatis teſtimonium dare: in quibus id vnum morte plectebatur quod ſingulari in laude ponendum erat. Quòd ſiqui ſub prætextu Euangelii tumultuantur (quales hactenus aliquos in regno tuo fuiſſe non compertum eſt) ſiqui vitiorum ſuorum licentiæ, libertatem gratiæ Dei prætexunt (quales permultos noui) ſunt leges & legum pœnę, quibus pro meritis grauiter coerceantur: modò ne interim Euangelium Dei ob ſceleſtorũ hominum nequitiam malè audiat. Habes, Rex, ſatis multis expoſitam calumniatorum virulentam iniquitatem, ne in eorum delationes vltra modum credula aure propendeas. vereor etiam ne nimis multis: quando hæc iam præfatio ad iuſtę penè apologię modum accedit: qua non defenſionem texere, ſed duntaxat ad ipſam cauſæ actionem audiendam animum tuum præmollire ſtudui, auerſum quidem nũc & alienatum à nobis, addo etiam inflammatum: ſed cuius gratiam recolligere nos poſſe confidimus, ſi hanc noſtram confeſſionem, quam pro defenſione apud tuam maieſtatem eſſe volumus, placidus cõpoſitúſque ſemel legeris. Sin verò ita aures tuas occupant maleuolorum ſuſurri, vt nullus ſit reis pro ſe dicendi locus: importunæ verò illæ furiæ, te conniuente, ſemper vinculis, flagris, equuleis, ſectionibus, incendiis ſæuiunt: nos quidem, velut oues mactationi deſtinatæ, ad extrema quęque redigemur: ſic tamen, vt in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras, & manum Domini fortem expectemus: quæ indubiè tempore aderit, & ſeſe armata exeret tum ad pauperes ex afflictione eruendos, tum etiam ad vindicandos qui tanta ſecuritate nunc exultant, contemptores. Dominus Rex regum, thronum tuum iuſtitia ſtabiliat, & ſolium tuum æquitate, illuſtriſsime Rex.

Baſileæ, Calend. Auguſti, A N. M. D. X X X V I.

INSTITVTIONIS CHRI-
ſtianæ religionis Liber primus.

DE COGNITIONE DEI CREATORIS.

Dei notitiam & noſtri res eſſe coniunctas, & quomodo inter ſe cohæreant. CAP. I.

TOTA ferè ſapientiæ noſtræ ſumma, quæ vera demum ac ſolida ſapientia cenſeri debeat, duabus partibus conſtat, Dei cognitione & noſtri. Cæterùm, quum multis inter ſe vinculis connexæ ſint, vtra tamen alteram præcedat, & ex ſe pariat, non facilè eſt diſcernere. Nam primò, ſe nemo aſpicere poteſt quin ad Dei in quo viuit & mouetur, intuitum ſenſus ſuos protinus conuertat: quia minimè obſcurum eſt, dotes quibus pollemus, nequaquam à nobis eſſe. imò ne id quidem ipſum quod ſumus, aliud eſſe quàm in vno Deo ſubſiſtentiam. Deinde ab his bonis quæ guttatim è cælo ad nos ſtillant, tanquam à riuulis ad fontem deducimur. Iam verò ex noſtra tenuitate melius apparet illa, quæ in Deo reſidet bonorum infinitas. Præſertim miſerabilis hæc ruina, in quam nos deiecit primi hominis defectio, ſurſum oculos cogit attollere, non modò vt inde ieiuni & famelici petamus quod nobis deeſt, ſed metu expergefacti, humilitatem diſcamus. Nam vt in homine reperitur quidam miſeriarũ omnium mundus, ac ex quo ſpoliati ſumus diuino ornatu, pudẽda nuditas immenſam probrorũ congeriem detegit: propriæ infœlicitatis conſcientia vnũquenque pungi neceſſe eſt, vt in aliquam ſaltem Dei notitiam veniat. Ita ex ignorantiæ, vanitatis inopiæ, infirmitatis, prauitatis denique & corruptionis propriæ ſenſu recognoſcimus, nõ alibi quàm in Domino ſitam eſſe veram ſapientiæ lucem, ſolidam virtutẽ, bonorum omnium perfectam affluentiam, iuſtitiæ puritatem. atque adeò malis noſtris ad conſideranda Dei bona excitamur: nec antè ad illum ſeriò aſpirare poſſumus, quàm cœperimus nobisipſis diſplicere. Quis enim hominum non libenter in ſe requieſcat? quis etiam nõ requieſcit quandiu ſibi eſt incognitus, hoc eſt, ſuis dotibus eſt contentus, & inſcius ſuæ miſeriæ vel immemor? Proinde vnuſquiſque ſui agnitione non tantùm inſtigatur ad quærendum Deum, ſed etiam ad reperiendum quaſi manu ducitur.

2 Rurſum, hominem in puram ſui notitiam nunquam peruenire conſtat niſi prius Dei faciem ſit contemplatus, atque ex illius intuitu ad ſeipſum inſpiciendum deſcẽdat. Nam (quæ ingenita eſt omnibus nobis ſuperbia) iuſti ſemper nobis videmur & integri, & ſapientes, & ſancti: niſi manifeſtis argumentis, iniuſtitiæ, fœditatis, ſtultitiæ, & impuritatis noſtræ conuincamur. Non autem conuincimur ſi in nos duntaxat ipſos reſpicimus, & non in Dominum quoque: qui vnica eſt regula ad quam exigendum eſt iſtud iudiciũ. Quia enim ad hypocriſim natura propenſi ſumus omnes, ideò inanis quædam iuſtitiæ ſpecies pro iuſtitia ipſa nobis abundè ſatisfacit. Et quia nihil intra nos vel circum apparet quod non ſit plurima obſcœnitate inquinatum: quod paulo minùs fœdum eſt, pro puriſſimo arridet quandiu mentem noſtram intra humanæ pollutionis fines continemus. Non ſecus atque oculus, cui nihil aliàs obuerſatur niſi nigri coloris, candidiſſimũ eſſe iudicat quod tamen ſubobſcura eſt albedine, vel nõnulla etiam fuſcedine aſperſum. Quin ex corporeo ſenſu propius adhuc diſcernere licet quantũ in æſtimandis animæ virtutibus hallucinemur. Nam ſi vel terram deſpicimus medio die, vel intuemur quæ aſpectui noſtro circumcirca patent, validiſſima perſpicaciſſimáque acie videmur nobis præditi: at vbi in ſolem ſuſpicimus, atque arrectis oculis contemplamur, vis illa quæ egregiè in terra valebat, tanto fulgore protinus perſtringitur & cõfunditur, vt fateri cogamur, illud noſtrum in conſiderãdis terrenis acumẽ, vbi ad ſolem ventum eſt, merã eſſe hebetudinẽ.

Ita & in reputandis ſpiritualibus noſtris bonis contingit. quantiſper enim extra terram non reſpicimus, propria iuſtitia, ſapiẽtia, virtute pulchrè contenti, nobis ſuauiſſimè blandimur, & tantùm non ſemidei videmur. at ſi ſemel cœperimus cogitationem in Deum erigere, & expendere qualis ſit, & quàm exacta iuſtitiæ, ſapientiæ, virtutis eius perfectio, ad cuius amuſſim conformari nos oportet: quod antea in nobis falſo iuſtitiæ prætextu arridebat, pro ſumma iniquitate mox ſordeſcet: quod mirificè imponebat ſapientiæ titulo, pro extrema ſtultitia fœtebit: quod virtutis facié præ ſe ferebat, miſerrima impotẽtia eſſe arguetur: adeò diuinæ puritati malè reſpondet quod videtur in nobis vel abſolutiſsimũ.

3 Hinc horror ille & ſtupor, quo paſſim Scriptura recitat perculſos atque afflictos fuiſſe ſanctos quoties Dei præſentiam ſentiebant. Quum enim eos videamus, qui abſente ipſo ſecuri firmíque conſiſtebant, ipſo gloriam ſuã manifeſtante, ſic quatefieri ac conſternari vt mortis horrore concidant, imò abſorbeantur, & penè nulli ſint: colligendum inde eſt, hominem humilitatis ſuæ agnitione nunquã ſatis tangi & affici, niſi poſtquam ſe ad Dei maieſtatem comparauit. Eius autem cõſternationis exempla crebra habemus tum in Iudicibus, tum in Prophetis: adeò vt vox illa in Dei populo vſitata foret, Moriemur, quia Dominus apparuit nobis. Ideò & hiſtoria Iob ad proſternendos ſuæ ſtultitiæ, impotentiæ, pollutionis conſcientiã homines, potiſsimum ſemper argumentum à diuinæ ſapientiæ, virtitutis, puritatis deſcriptione ducit. Neque fruſtra. videmus enim vt Abraham melius ſe terram & puluerem agnoſcat, ex quo propius ad conſpiciẽdam Domini gloriã acceſsit: vt Elias retecta facie, eius acceſſum expectare non ſuſtineat: tantum eſt in aſpectu formidinis. Et quid faciat homo putredo ac vermis, quũ ipſos quoque Cherubim velare, ipſo pauore, faciem ſuam oporteat? Hoc ſcilicet eſt quod dicit propheta Ieſaias, Erubeſcet ſol & cõfundetur luna quum Dominus exercituum regnauerit: hoc eſt, Vbi claritatem ſuam extulerit, ac propius admouerit, lucidiſsimum quodque præ illa tenebris obſcurabitur. Vtcunque tamen Dei noſtríque notitia mutuò inter ſe nexu ſint colligatæ, ordo rectè docendi poſtulat vt de illa priore diſſeramus loco, tum ad hanc tractandam poſtea deſcendamus.

Iudi.13. d.22
Ieſa.6.b.5
Ezech.2.a.1, & alibi.

Gen.18.d.27

1.Reg.19.c. 13

Ieſa.24. d.23
Ieſa.2.c.10, & d.19.

Quid ſit Deum cognoſcere, & in quem finem tendat eius cognitio. CAP. II.

IAM verò Dei notitiam intelligo, qua non modò concipimus aliquem eſſe Deum, ſed etiam tenemus quod de eo ſcire noſtra refert, quod vtile eſt in eius gloriam, quod denique expedit. Neque enim Deum, propriè loquẽdo, cognoſci dicemus vbi nulla eſt religio nec pietas. Atque hîc nondum attingo eam notitiæ ſpeciẽ qua homines in ſe perditi ac maledicti Deum redemptorem in Chriſto mediatore apprehendunt: ſed tantũ de prima illa & ſimplici loquor, ad quã nos deduceret genuinus naturæ ordo ſi integer ſtetiſſet Adam. Nã etſi nemo iam in hac humani generis ruina Deum vel patrem, vel ſalutis authorẽ, vel vllo modo propitium ſentiet donec ad eum nobis pacificandũ medius occurrat Chriſtus: aliud tamẽ eſt ſentire Deum fictorem noſtrum ſua nos potentia fulcire, prouidentia regere, bonitate fouere, omníque benedictionũ genere proſequi: aliud verò, gratiã recõciliationis in Chriſto nobis propoſitam amplecti. Quia ergo Dominus primùm ſimpliciter creator tam in mundi opificio, quàm in generali Scripturæ doctrina, deinde in Chriſti facie redemptor apparet: hinc duplex emergit eius cognitio: quarum nõc prior tractanda eſt, altera deinde ſuo ordine ſequetur. Quanquam autem Deum apprehendere mens noſtra non poteſt quin illi cultum aliquem tribuat: non tamen ſimpliciter tenere ſufficiet illum eſſe vnum quem ab omnibus oporteat coli & adorari: niſi etiam perſuaſi ſimus fontem omnium bonorũ eſſe: nequid alibi quàm in ipſo quæramus. Hoc ita accipio, non ſolùm quòd mundum hunc, vt ſemel condidit, ſic immenſa potentia ſuſtineat, ſapientia moderetur, bonitate conſeruet, humanũ genus præſertim iuſtitia iudicióque regat, miſericordia toleret, præſidio tueatur: ſed quia nuſquã vel ſapiẽtiæ ac lucis, vel iuſtitiæ, vel potentiæ, vel rectitudinis, vel ſynceræ veritatis gutta reperietur quæ nõ ab ipſo fluat, & cuius ipſe non ſit cauſa: vt hæc ſcilicet omnia ab ipſo expectare & petere diſcamus, eíque cum gratiarum actione accepta referre. Nam hic virtutum Dei ſenſus nobis idoneus eſt pietatis magiſter, ex qua religio naſcitur. Pietatem voco cõiunctã cum amore Dei reuerentiam quam beneficiorũ eius notitia conciliat. Donec enim ſentiant homines, Deo ſe omnia debere, paterna ſe eius cura foueri, eũ ſibi omnium bonorũ eſſe authorẽ, vt nihil

extra

extra ipsum quærẽdum sit, nunquam ei se voluntaria obseruantia subiicient. imò nisi solidam in eo fœlicitatem sibi constituant, nunquam se illi verè & ex animo totos addicẽt.

2 Itaque frigidis tantùm speculationibus ludunt quibus in hac quæstione insistere propositum est, quid sit Deus: quum interfit nostra potius, qualis sit, & quid eius naturæ conueniat scire. Quorsum enim attinet, Deum aliquem cum Epicuro fateri, qui abiecta mundi cura se otio tantùm oblectet? Quid denique iuuat Deum cognoscere quocum nihil sit nobis negotii? Quin potius huc valere debet eius notitia, primùm vt ad timorem ac reuerentiam nos instituat: deinde vt ea duce ac magistra omne bonum ab illo petere, & illi acceptum ferre discamus. Quomodo enim mentem tuam subire queat Dei cogitatio, quin simul extemplò cogites, quum figmentum illius sis, eiusdem imperio esse ipso creationis iure addictum & mancipatũ? vitam tuam illi deberi? quicquid agis, ad illum referri oportere? Id si est, iam profectò sequitur vitam tuam prauè corrumpi nisi ad obsequium eius componitur: quãdo nobis viuendi lex esse debet eius voluntas. Rursum nec ad liquidum perspicere ipsum potes, nisi vt bonorũ omniũ fontem esse & originem agnoscas: vnde & desiderium illi adhærendi, & fiducia in ipsum nasceretur si non sua mentem hominis prauitas à recta inuestigatione abduceret. Nam initio pia mens Deum non quemlibet sibi somniat, sed vnicum & verum duntaxat intuetur: neque illi quodcunque visum fuerit, affingit, sed talem habere contenta est qualem se manifestat ipse, summáque diligentia semper cauet ne audaci temeritate vltra voluntatem eius egressa, perperàm vagetur. Ita cognitum quia cuncta moderari intelligit, tutorem sibi esse confidit ac protectorem, ideóque in eius fidem totam se confert. quia bonorum omnium intelligit esse authorem, siquid premit, siquid deest, mox se recipit in eius præsidiũ, opem ab eo expectans. quia bonum & misericordem esse persuasa est, in eum certa fiducia recumbit, nec dubitat malis suis omnibus semper in eius clementia paratum fore remediũ. quia dominum ac patrem agnoscit, eum quoque dignum statuit esse cuius imperium in omnibus intueri, maiestatem suspicere, gloriam promouendam curare, mãdatis obsequi debeat. quia iustum esse iudicem videt, suáque seueritate armatum ad vindicanda scelera, eius tribunal semper in conspectu sibi proponit, ac ipsius metu se retrahit ac cohibet ab ira eius prouocanda. Neque tamen iudicii eius sensu ita terretur vt subducere se velit, etiam siquod pateat effugium: quin illum non minus amplectitur malorum vltorem, quàm erga pios beneficum, quando ad eius gloriam non minus pertinere intelligit, impiis & sceleratis apud eum repositam esse pœnam, quàm iustis vitæ æternæ mercedem. Præterea non sola vindictæ formidine se coercet à peccando, sed quia Deum loco patris amat & reueretur, loco domini obseruat & colet, etiamsi nulli essent inferi, solam tamen eius offensionem horret. En quid sit pura germanáque religio, nempe fides cum serio Dei timore coniuncta: vt timor & voluntariam reuerentiam in se contineat, & secum trahat legitimũ cultum qualis in Lege præscribitur. Atque hoc diligentius notandum est, quòd omnes promiscuè venerãtur Deum, pauciſſimi reuerentur, dum vbique magna est in ceremoniis ostentatio, rara autem cordis synceritas.

Dei notitiam hominum mentibus naturaliter esse inditam. CAP. III.

OVENDAM ineſſe humanæ menti, & quidem naturali inſtinctu, diuinitatis ſenſum, extra controuerſiam ponimus: ſiquidem, ne quis ad ignorantiæ prætextum confugeret, quandam ſui numinis intelligentiã vniuerſis Deus ipſe indidit, cuius memoriam aſſiduè renouans, nouas ſubinde guttas inſtillat: vt quum ad vnum omnes intelligant Deum eſſe, & ſuum eſſe opificem, ſuo ipſorum teſtimonio damnentur quòd non & illum coluerint, & eius voluntati vitam ſuam conſecrarint. Sanè ſicubi Dei ignorantia quæratur, nuſquam magis extare poſſe eius exemplum veriſimile eſt, quàm inter obtuſiores populos, & ab humanitatis cultu remotiores. Atqui nulla eſt etiam, vt Ethnicus ille ait, tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non inſideat hæc perſuaſio, Deum eſſe. Et qui in aliis vitæ partibus minimum videtur à beſtiis differre, quoddam tamen perpetuò religionis ſemen retinent. adeò penitus omnium animos occupauit, adeò tenaciter omnium viſceribus inhæret communis iſta præſumptio. Nulla ergo quum ab initio mundi regio, nulla vrbs, nulla denique domus fuerit quæ religione carere poſſet: in eo tacita quædam confeſſio eſt, inſcriptum omnium cordibus diuinitatis ſenſum. Quin & idololatria, hùius conce-

Cic. de Nat. deorum.

ptionis amplum est documentum. Quàm enim non libenter se deiiciat homo, vt alias præ se creaturas suspiciat, scimus. Proinde quum lignum potius & lapidem colere malit, quàm vt nullum putetur habere Deum: constat vehementissimam istam esse de numine impressionem, quæ adeò ex hominis mente obliterari nequeat, vt facilius sit naturæ affectum frangi: quemadmodum certè frangitur, dum homo ex illa naturali inflatione ad infima quæque sponte se dimittit, quo Deum reuereatur.

2 Quare vanissimum est quod à quibusdam dicitur: paucorum versutia & calliditate excogitatam esse religionem, vt hac arte simplicem populum in officio continerent: quum tamen ipsi, qui aliis authores erant Dei colendi, nihil minus crederent quàm aliquem esse Deum. Fateor quidem plurima in religione commentos esse astutos homines, quibus reuerentiam plebeculæ iniicerent, & terrorem incuterent, quo haberent obsequentiores eius animos. sed id nusquam obtinuissent nisi iam prius constanti illa de Deo persuasione imbutæ fuissent hominum mentes, ex quo velut semine emergit ad religionem propensio. Ac ne illos quidem ipsos qui religionis titulo callidè rudioribus imponebãt, Dei notitia prorsus vacasse credibile est. Tametsi enim extiterunt olim nonnulli, & hodie non pauci emergunt qui Deum esse negent: velint tamẽ nolint, quod nescire cupiunt, subinde sentiscũt. Nemo in audaciorem aut effrænatiorem numinis contemptum prorupisse legitur quàm C. Caligula: nemo tamen miserius trepidauit, quum aliquod iræ diuinæ indicium se proferebat: ita Deum quem studebat ex professo contemnere, inuitus exhorrescebat. Hoc passim eius quoque similibus euenire videas. vt enim quisque est audacissimus Dei contemptor, ita vel ad folii cadentis strepitum maximè perturbatur. vnde id, nisi ex diuinæ maiestatis vltione: quæ illorum conscientias eo vehementius percellit, quo magis eam refugere conantur? Omnes quidem latebras respectant, quibus se abdant à Domini præsentia, & eam rursum ex animo suo deleant: sed velint nolint, irretiti semper tenentur. Vtcunque interdum videatur euanescere ad momentum aliquod, subinde tamen recurrit, & nouo impetu irruit. vt siqua illis remissio est à conscientiæ anxietate, non multum absimilis sit à somno ebriosorum aut phreneticorum, qui ne dormientes quidem placidè conquiescunt: quia diris & horrificis insomniis continenter vexantur. Ergo impii quoque ipsi exemplo sunt, vigere semper in omnium hominum animis aliquam Dei notionem.

3 Hoc quidem rectè iudicantibus semper cõstabit, insculptum mentibus humanis esse diuinitatis sensum, qui deleri nunquam potest. Imò & naturaliter ingenitam esse omnibus hanc persuasionem, esse aliquem Deum, & penitus infixam esse quasi in ipsis medullis, locuples testis est impiorum contumacia, qui furiosè luctando, se tamen extricare è Dei metu nequeunt. Iocosè licet eludant Diagoras & similes, quicquid omnibus seculis de religione creditum fuit: subsannet Dionysius cæleste iudicium: Sardonius hic risus est, quia intus eos mordet conscientiæ vermis cauteriis omnibus acrior. Non dico quod Cicero, vetustate obsolescere errores, religionem in dies magis crescere & meliorem fieri. Nam mundus (vt paulo pòst dicendum erit) omnen Dei notitiam, quantum in se est, excutere conatur, & eius cultum modis omnibus corrumpere. Hoc tantùm dico, quum stupida quam impii ad Deum spernendum cupidè accersunt, durities in eorum animis tabescat, vigere tamen, ac subinde emergere quem maximè extinctum cuperent, deitatis sensum. Vnde colligimus non esse doctrinam quæ in scholis primùm discenda sit, sed cuius sibi quisque ab vtero magister est, & cuius neminem obliuisci, natura ipsa patitur, quãuis huc multi neruos omnes intendãt. Porrò si ea cõditione nati sunt omnes ac viuunt vt Deum cognoscant: Dei autem notitia nisi hucvsque processerit, fluxa est ac euanida: eos omnes à creationis suæ lege degenerare palàm est qui non ad hunc scopum vniuersas suæ vitæ cogitationes actionésque destinãt. Quod nec Philosophos ipsos latuit. Non enim aliud est quod voluit Plato, dum sæpius docuit, summum animæ bonum Dei esse similitudinem, vbi percepta eius cognitione, in ipsum tota transformatur. Proinde scitissimè quoque ille apud Plutarchum Gryllus ratiocinatur, dum homines affirmat, si ab eorum vita semel absit religio, non modò brutis pecudibus nihil excellere, sed multis partibus longè esse miseriores, vt qui tot malorum formis obnoxii, tumultuariam & irrequietam vitam perpetuò trahant. Vnum ergo esse Dei cultum, qui superiores ipsos reddat, per quem solum ad immortalitatem aspiratur.

In Phædone & Theæteto.

CAP.

Eandem notitiam partim inſcitia, partim malitia vel ſuffocari vel corrumpi. CAP. IIII.

SICVT autem omnibus inditum eſſe diuinitus religionis ſemen experientia teſtatur: ita vix centeſimus quiſque reperitur qui conceptum in ſuo corde foueat, nullus autem in quo matureſcat: tãtum abeſt vt fructus appareat ſuo tempore. Porrò ſiue alii euaneſcant in ſuis ſuperſtitionibus, ſiue alii data opera malitioſè à Deo deſciſcant, omnes tamen degenerant à vera eius notitia. Ita fit vt nulla in mundo recta maneat pietas. Quòd autem errore aliquos in ſuperſtitionem labi dixi, non ita accipio quaſi ſua eos ſimplicitas à crimine liberet: quia cæcitas qua laborant, ſemper ferè & ſuperba vanitate, & cõtumacia implicita eſt. Vanitas & quidem ſuperbiæ coniuncta, in eo deprehenditur quòd neque miſeri homines in Deo quærẽdo ſupra ſeipſos, vt par erat, cõſcendunt, ſed pro carnalis ſui ſtuporis modo ipſum metiũtur: & neglecta ſolida inueſtigatione ad vanas ſpeculationes curioſè trãſuolant. Itaque non apprehendunt qualem ſe offert: ſed qualem pro ſua temeritate fabricati ſunt, imaginantur. Quo gurgite aperto, quaquauerſum pedem moueant, in exitium præcipites ſemper ruere neceſſe eſt. Quidquid enim poſtea in cultum aut obſequium Dei moliantur, impenſum illi ferre nequeunt: quia non ipſum, ſed cordis ſui figmentum potius & ſomnium, pro ipſo colunt. Hanc prauitatẽ diſertè notat Paulus, infatuatos eſſe dicens, quum ſapientes eſſe appeterẽt. Prius dixerat euanuiſſe in ſuis cogitationibus: ſed ne quis eos culpa eximeret, ſubiicit, meritò eos excæcari, quia ſobrietate non contenti, ſed plus ſibi arrogando quàm fas ſit, tenebras vltro accerſunt, imò inani ac peruerſo faſtu ſeipſos infatuant. Vnde ſequitur, non eſſe excuſabilem eorum ſtultitiam cuius cauſa eſt non vana modò curioſitas, ſed libido plus ſciendi quàm par ſit, cum falſa confidentia. Rom.1.c.22

2 Quòd autẽ Dauid impios & veſanos dicit ſentire in cordibus ſuis, non eſſe Deum, primò ad eos reſtringitur qui ſuffocata naturæ luce, conſultò ſeipſos obſtupefaciunt, vt paulo pòſt iterum videbimus. Quemadmodũ multos videmus, poſtquam audacia peccandi & conſuetudine obduruerint, furioſè repellere omnem Dei memoriã, quæ tamen illis ſpontè à naturæ ſenſu intus ſuggeritur. Iam quo magis deteſtabilem eorum furorem reddat, eos inducit præcisè negãtes Deum eſſe, quãuis eſſentiam illi ſuam non adimant, ſed quia ſpoliantes eum ſuo iudicio & prouidentia, otioſum cælo includunt. Nã quum nihil minus Deo conueniat quàm abiectam mundi gubernationem fortunæ permittere, cæcutire ad hominum ſcelera, vt impunè laſciuiant: quiſquis extincto cæleſtis iudicii metu ſecurè ſibi indulget, Deum eſſe negat. Atque hæc iuxta Dei vindicta eſt, pinguedinem obducere cordibus, vt impii poſtquam oculos ſuos clauſerunt, videndo non videant. Et Dauid alibi optimus ſuæ ſententiæ eſt interpres, vbi dicit timorem Dei non eſſe præ oculis impiorum: item ſibi in maleficiis ſuperbè plaudere, quia Deum non aſpicere, ſibi perſuadeant. Quanquam ergo coguntur aliquem Deũ agnoſcere, eius tamen gloriam exinaniunt, potentiam illi detrahendo. ſicut enim (teſte Paulo) Deus ſeipſum abnegare nequit, quia ſui perpetuò ſimilis manet: ita iſti mortuũ & inane idolum fingendo, Deum negare verè dicuntur. Adhæc notandum eſt, quãuis luctentur cum proprio ſenſu, & Deum non ſolùm inde excutere, ſed in cælo quoque abolere cupiant, nunquam tamen eò vſque inualeſcere ſtuporem quin retrahat Deus ipſos interdum ad ſuum tribunal. Sed quia nullo metu retinentur quominus violenter contra Deum ruant: quandiu illos ita rapit cæcus impetus, bruũam Dei obliuionem in ipſis regnare certum eſt. Pſal.13.a.1. Pſal.36.a.2. Pſal.10.c.11 2.Tim.2.b.13

3 Sic inane illud patrocinium quod ſuperſtitioni ſuæ prætexere multi ſolent, euertitur, putant enim ſtudium qualecunque religionis, quãlibet præpoſterum, ſatis eſſe: ſed non animaduertunt, veram religionem ad Dei nutum, ceu ad perpetuam regulam, debere conformari: Deum verò ipſum ſemper ſui ſimilem manere: non ſpectrum eſſe aut phantaſma, quod pro vniuſcuiuſque libidine transformetur. Et ſanè videre eſt quàm mendacibus fucis Deo illudat ſuperſtitio, dum gratificari tentat. Nam ea ferè ſola, quæ ſibi curæ non eſſe teſtatus eſt, arripiens, quæ præſcribit, ac ſibi placere docet, aut contemptim habet, aut etiam non diſſimulanter reiicit. Sua ergo deliria colunt & adorant quicunque cultus Deo coramẽtitios erigunt: quia neqũaquam ita cum Deo nugari auderent niſi Deum prius nugarum ſuarum ineptiis cõſentaneum finxiſſent. Quare Apoſtolus, vagam illam & erraticam de numine opinionem, Dei eſſe ignorantiam pronuntiat. Quum Deum, inquit, neſciretis, ſeruiebatis iis qui natura dii non erant. Et alibi ſine Deo fuiſſe tradit Epheſios quo tempore à recta vnius Dei cognitione aberrabãt. Gal.4.a.8 Epheſ.2.c.12

Nec multum interest, hac saltem in parte, Deúmne vnum, an plures concipias: quia semper à vero Deo discedis,& deficis:quo relicto,nihil tibi restat nisi execrabile idolum. Superest ergo vt cum Lactantio constituamus: nullam esse legitimam religionem nisi cum veritate coniunctam.

4 Accedit & secundum peccatum,quòd neque Dei rationem vnquam habent nisi inuiti: nec ad ipsum appropinquant donec renitentes pertrahantur, nec tum quoque voluntario imbuuntur timore, qui ex diuinæ maiestatis reuerentia fluat,sed tantùm seruili & coacto,quẽ illis Dei iudicium extorquet:quod quia effugere nequeunt, exhorrẽt, sic tamen vt etiam abominentur. Siquidem conuenienter in impietatem,atque in hanc solam,competit illud Statii, Timorem primum,feciſſe in orbe deos. Qui animum à Dei iustitia alienum gerunt, tribunal, quod ad vindicandas eius transgressiones stare sciunt, euersum magnoperè cupiunt. Quo affectu, aduersus Dominum belligerantur, qui sine iudicio esse non potest:sed dum eius potentiam sibi ineuitabilem imminere intelligunt, quia nec amoliri,nec effugere valent,reformidant. Itaque ne vbique videantur eum cõtemnere cuius maiestas eos vrget,qualicunque religionis specie defungũtur:interim tamen non desinunt omni vitiorum genere se polluere,& flagitia flagitiis copulare,donec sanctam Domini Legem omni ex parte violarint, & vniuersam eius iustitiã dissiparint: vel certè non ita retinentur simulato illo Dei timore, quin suauiter in peccatis suis acquiescant,& sibi blandiantur, & carnis suæ intemperantiæ indulgere malint, quàm Spiritus sancti fræno eam cohibere. Sed quando inanis ea est & mendax religionis vmbra, vix etiam digna quæ vmbra nominetur:hinc rursus facilè elicitur quantum ab hac confusa Dei notitia differat quæ solis fidelium pectoribus instillatur pietas,ex qua demũ religio nascitur. Et tamen hoc per flexuosos circuitus consequi volunt hypocritæ, vt Deo quem fugiunt propinqui appareant. Vbi enim perpetuus obedientiæ tenor in tota vita esse debuerat, in punctis ferè operibus securè illi rebellantes, pauculis tantùm sacrificiis placare eum studeant: vbi sanctimonia vitæ & cordis integritate illi seruiendum erat, friuolas nugas comminiscuntur, & nihili obseruatiunculas quibus eum sibi conciliẽt. Imò maiore licentia in fœcibus suis torpent, quia confidunt expiationum ludicris se posse erga illum defungi:deinde vbi in illum defixa esse fiducia debuerat, in se vel creaturis subsidunt,eo posthabito. Tandem se tanta errorum congerie implicãt, vt scintillas illas quæ micabant ad cernendam Dei gloriam suffocet, ac demum extinguat malitiæ caligo. Manet tamen semen illud quod reuelli à radice nullo modo potest, aliquam esse diuinitatem:sed ipsum adeò corruptũ,vt non nisi pessimos ex se fructus producat. Imò inde certius elicitur quod nunc contẽdo, Naturaliter insculptum esse Deitatis sensum humanis cordibus,quia reprobis quoque ipsis eius confessionẽ extorquet necessitas. Rebus tranquillis facetè illudunt Deo;imò ad extenuandam eius potentiam dicaces sunt ac garruli. desperatio siqua eos vrget,ad eundem quærendum extimulat,dictátque concisas preces,ex quibus pateat non prorsus ignaros fuisse Dei,sed quod citius emergere debuerat, fuisse peruicacia suppressum.

Dei notitiam in mundi fabrica & continua eius gubernatione lucere. CAP. V.

ADHAEC quia vltimus beatæ vitæ finis in Dei cognitione positus est: ne cui præclusus esset ad fœlicitatem aditus,non solùm hominum mentibus indidit illud quod diximus religionis semen, sed ita se patefecit in toto mundi opificio, ac se quotidie palàm offert, vt aperire oculos nequeant quin aspicere eum cogantur. Essentia quidem eius incomprehensibilis est, vt sensus omnes humanos procul effugiat eius numen: verùm singulis operibus suis certas gloriæ suæ notas insculpsit, & quidem adeò claras & insignes vt sublata sit quamlibet rudibus & stupidis ignorantiæ excusatio. Ideò optimo iure Propheta exclamat, luce quasi vestimento ipsum esse amictum:acsi diceret,cœpisse tunc demum visibili ornatu insignem prodire ex quo in mundi creatione sua insignia protulit, quibus nunc quoties oculos huc vel illuc circunferimus,decorus apparet. Ibidem etiam scitè idem Propheta cælos vt expansi sunt, regio illius tentorio cõparat,cœnacula dicit cõtignasse in aquis,nubes eius esse vehicula,equitare super alas ventorum, ventos & fulgetra celeres esse eius nuntios. Et quoniam plenius sursum refulget potentiæ & sapientiæ eius gloria, passim vocatur cælum eius palatium. Ac primùm, quaqua versum oculos coniicias, nulla est mundi particula in qua non scintillæ saltem aliquæ gloriæ ipsius emicare cernantur. Amplissimam verò hanc

Psal. 104.a.2

& pul-

& pulcherrimã machinã, quàm latè patet, vno intuitu lustrare nequeas quin vi immensa fulgoris totus vndique obruaris. Quare eleganter author Epistolæ ad Hebræos secula nuncupat, inuisibilium rerum spectacula: quòd nobis vice speculi sit tam concinna mundi positio, in quo inuisibilem alioqui Deum contemplari liceat. Qua ratione Propheta cælestibus creaturis idioma attribuit, nullis nationibus incognitum: quòd euidentior illic extat diuinitatis testificatio quàm vt præterire gentis vllius vel obtusissimæ consideration em debeat. Quod clarius enarrans Apostolus, patefactum esse hominibus dicit quod de Deo cognosci operæpretium erat: quia inuisibilia eius, ad æternam vsque eius virtutem & diuinitatem, à creatione mundi intellecta, omnes ad vnum conspiciunt.

Heb.11.a.3

Psal.19.a.1

Rom.1.c.19

2 Mirificã eius sapientiam quæ testetur, innumera sunt tum in cælo, tum in terris documenta: non illa modò reconditiora, quibus propius obseruandis astrologia, medicina, & tota physica scientia destinata est: sed quæ rudissimi cuiusque idiotæ aspectui se ingerunt, vt aperiri oculi nequeant quin eorum cogantur esse testes. Equidem qui liberales illas artes vel imbiberunt, vel etiam deguſtarũt, earum subsidio adiuti, longè altius prouehuntur ad introspici ẽda diuinæ sapientiæ arcana: nemo tamen earum inscitia impeditur quominus artificii satis supérque peruideat in Dei operibus, vnde in opificis admirationem prorumpat. Nempe ad disquirendos astrorum motus, distribuendas sedes, metienda interualla, proprietates notandas, arte ac exactiore industria opus est: quibus perspectis, vt Dei prouidentia explicatius se profert, ita in eius gloriam conspiciendam, animum par est aliquanto sublimius assurgere. Sed quum ne plebeii quidem & rudissimi qui solo oculorum adminiculo instructi sunt, ignorare queãt diuinæ artis excellentiam, vltrò se in ista innumerabili, & tamẽ adeò distincta & dispositа cælestis militiæ varietate exerentem: constat neminem esse cui non abundè sapientiam suam Dominus patefaciat. Similiter in humani corporis structura connexionem, symmetriã, pulchritudinem, vsum, ea, quam Galenus adhibet, solertia pensiculare, eximii est acuminis. Sed omnium tamen confessione, præ se fert corpus humanum tam ingeniosam compositionem, vt ob eam meritò admirabilis opifex iudicetur.

Libris de vsu partium.

3 Ac proinde quidam ex philosophis olim hominem non immeritò vocarunt μικρόκοσμον, quia rarum sit potentiæ, bonitatis & sapientiæ Dei specimen, satisque miraculorum in se contineat occupandis nostris mentibus, modò ne attendere pigeat. Qua ratione Paulus, vbi admonuit, Deum palpando à cæcis quoque posse deprehẽdi, mox procul quærendum non esse adiungit, quia scilicet intus singuli cælestem gratiam qua vegetantur, indubiè sentiunt. Si verò vt Deum apprehendamus, extra nos egredi opus non est, quam veniam merebitur eius socordia, qui vt Deum inueniat, in se descendere grauabitur? Eadem etiam ratio est cur Dauid, vbi breuiter celebrauit admirabile Dei nomen & decus quæ vbique refulgent, statim exclamet, Quid est homo cuius memores? Item, Ex ore infantium & lactantium stabilisti robur. siquidem non tantùm in genere humano clarum operum Dei speculum extare pronuntiat, sed infantibus dum à matrum vberibus pendent, satis disertas esse linguas ad prædicandam eius gloriam, vt minimè opus sit aliis rhetoribus. Vnde etiam eorum ora in aciem producere non dubitat tanquam validè instructa ad refellendam eorum amentiam qui Dei nomen pro diabolica sua superbia extinguere cuperent. Vnde & illud emergit quod ex Arato citat Paulus, nos esse Dei progeniem: quia tanta præstantia nos exornans, se patrem nobis esse testatus est. Sicuti etiam ex communi sensu & quasi dictante experientia profani Pœtæ eum vocarunt hominum patrem. Neque verò se quisquam vltrò & libenter Deo addicet in obsequium, nisi qui gustato paterno eius amore vicissim ad eum amandum & colendum illectus fuerit.

Act.17.f.27

Psal.8.a.5

Act.17.g.28

4 Hîc autem detegitur fœda hominum ingratitudo, qui dum in se continent officinam innumeris Dei operibus nobilem, & simul tabernam inæstimabili opum copia refertam, quum erũpere deberent in laudes, tanto maiore fastu contrà inflantur ac turgẽt. Quàm miris modis in ipsis operetur Deus, sentiunt: quantam etiam donorum varietatem ex eius liberalitate possideãt, vsu ipso docentur. Hæc diuinitatis signa esse, cogũtur scire velint nolint: intus tamẽ supprimũt. Non opus quidẽ est extra seipsos egredi, modò ne sibi arrogando quòd è cælis datũ est, defodiant in terra quod eorũ mentibus ad Deũ clarè videndũ prælucet. Imò prodigiosos hodie multos spiritus terra sustinet, qui totũ diuinitatis semen in natura humana sparsum cõferre non dubitant ad obruendum Dei nomen,

Quàm deteſtabilis eſt, obſecro, hæc veſania, vt homo in corpore ſuo & anima centies Deum reperiens, hoc ipſo excellẽtiæ prætextu Deum eſſe neget? Non dicent ſe fortuitò à brutis animantibus diſtinctos: tantùm obducto naturæ velo, quæ illis rerum omnium eſt artifex, Deum ſubducunt. Vident tam exquiſitũ artificium in ſingulis ſuis membris ab ore & oculis vſque ad infimos vnguiculos. Hîc quoque naturam ſubſtituũt in locum Dei. Sed in primis tam agiles animæ motus, tam præclaræ facultates, tam raræ dotes diuinitatem præ ſe ferunt, quæ ſe non patitur facilè cellari: niſi Epicuræ tanquam Cyclopes, ex hac altitudine bellum Deo proteruius inferrent. Itáne verò ad regendum quinque pedum vermiculum toti cæleſtis ſapientiæ theſauri concurrunt? vniuerſitas mundi hac prærogatiua carebit? Primò ſtatuere aliquid organicum in anima quod ſingulis partibus reſpondeat, adeò nihil ad obſcurandam Dei gloriam facit, vt potius eam illuſtret. Reſpondeat Epicurus, quis atomorum concurſus cibum & potũ coquens, partem in excrementa, partem in ſanguinem digerat, ac efficiat vt ſingulis membris tanta ſit induſtria ad præſtãdum officium acſi totidẽ animæ communi conſilio corpus vnũ regerent?

5 Sed mihi nunc cum illa porcorum hara negotiũ non eſt: eos magis compello qui præpoſteris argutiis dediti, frigidum illud Ariſtotelis dictum libenter obliquo flexu traherent tam ad immortalitatem animæ abolendam, quàm ad eripiendum Deo ius ſuum. Nam quia organicæ ſunt animæ facultates, hoc prætextu alligãt eam corpori, vt ſine eo non ſubſiſtat: Naturæ verò elogiis, quãtum in ſe eſt, Dei nomen ſupprimũt. Atqui longè abeſt quin potentiæ animæ in functionibus quæ corpori ſeruiunt incluſæ ſint. Quid hoc ad corpus vt cælum metiaris, numerum ſtellarum colligas, teneas cuiuſque magnitudinem, ſcias quo ſpatio inter ſe diſtent, qua celeritate vel tarditate cõficiant ſuos curſus, quot gradibus huc vel illuc deflectant? Fateor quidem eſſe aliquem Aſtrologiæ vſum: ſed tãtùm oſtendo, in hac tam alta diſquiſitione rerum cæleſtium non eſſe organicam ſymmetriam, ſed ſuas animæ eſſe partes à corpore ſeparatas. Exemplum vnum propoſui, ex quo reliqua ſumere, lectoribus promptum erit. Multiplex ſanè animæ agilitas qua cælum & terram perluſtrat: præterita futuris coniungit: retinet memoriter quæ pridem audiuit: imò quidlibet ſibi figurat: ſolertia etiam qua res incredibiles excogitat, & quæ tot mirabilium artium mater eſt, certa ſunt diuinitatis inſignia in homine. Quid quòd dormiendo non tantùm ſe circumagit & verſat, ſed multa vtilia concipit, de multis ratiocinatur, futura etiam diuinat? Quid hîc dicendum eſt, niſi deleri non poſſe quæ in homine impreſſa ſunt immortalitatis ſigna? Nunc quæ ratio feret vt ſit homo diuinus, & creatorem non agnoſcat? Nos ſcilicet, iudicio quod nobis inditum eſt diſcernemus inter iuſtum & iniuſtũ, nullus autem erit in cælo iudex? Nobis etiam in ſomno manebit aliquid reſiduum intelligentiæ, nullus Deus excubias aget in mundo regendo? Tot artium rerúmque vtilium inuentores cenſebimur, vt fraudetur Deus ſua laude? quum tamen experientia ſatis doceat diſparibus modis aliunde diſtribui quod habemus. Quòd autem de arcana inſpiratione quæ vegetat totum mundum quidam blaterant, non modò dilutum, ſed omnino profanum eſt. Placet illis celebre dictum Virgilii,

Æneid.6. Principio cælum ac terras, campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit: totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudúmque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo, &c. Nempe vt mũdus qui in ſpectaculum gloriæ Dei conditus eſt, ſuus ipſe ſit creator. Sic enim idem alibi communem Græcis & Latinis ſententiam ſequutus,

Georg.4. Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Ætherios, dixêre Deum. nanque ire per omnes
Terráſque tractúſque maris, cælúmque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quenque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas:
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viua volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo. En quid ad gignendã fouendámque in cordi

in cordibus hominum pietatem valeat ieiuna illa ſpeculatio de vniuerſa mẽte quæ mundum animat ac vegetat. Quod etiã ex ſacrilegis impuri canis Lucretii vocibus melius liquet quę à principio illo deductæ ſunt. Hoc verò eſt, vt procul faceſſat, verus Deus quem timeamus & colamus, vmbratile numen facere. Fateor quidem piè hoc poſſe dici, modò à pio animo proficiſcatur, Naturam eſſe Deum: ſed quia dura eſt & impropria loquutio, quũ potius Natura ſit ordo à Deo præſcriptus, in rebus tanti ponderis, & quibus debetur ſingularis religio, inuoluere cõfuſè Deũ cum inferiore operũ ſuorum curſu, noxium eſt.

5 Meminerimus ergo, quoties quiſque naturam ſuam cõſiderat, vnum eſſe Deum, qui ſic gubernat omnes naturas vt velit nos in ſe reſpicere, fidem noſtram ad ſe dirigi, coli & inuocari à nobis: quia nihil magis præpoſterum quàm frui tam præclaris dotibus quæ in nobis diuinitatem ſpirant, & authorem negligere qui precario nobis eas largitur. Iam potentia quàm præclaris ſpeciminibus nos in cõſiderationem ſui rapit? niſi fortè latere nos poteſt, cuius ſit virtutis, infinitam hanc cæli ac terræ molem ſuo verbo ſuſtentare: ſolo nutu, nunc fragore tonitruum cælum concutere, fulminibus quidlibet exurere, fulgetris aerem accendere: nunc variis tempeſtatum formis conturbare, eũdem ipſum ſtatim, vbi libuit, vno momento ſerenare: mare, quod aſſiduam terræ vaſtationem minari ſua altitudine videtur, quaſi in aere ſuſpenſum, coercere: & nunc horrendum in modum tumultuoſo ventorum impetu concitare, nunc ſedatis vndis, pacatum reddere. Huc pertinent quæ paſſim occurrunt potentiæ Dei elogia ex naturæ teſtimoniis, præſertim verò in libro Iob & apud Ieſaiam: quæ nunc conſultò prætereo, quia commodiorem alibi locum reperiẽt, vbi ex Scripturis de mundi creatione diſſeram. Tantùm nunc attingere volui, exteris & domeſticis communem hanc eſſe viam quærendi Dei, ſi lineamenta ſequantur quæ ſurſum ac deorſum viuam eius effigiem adumbrant. Iam ipſa potentia nos ad cogitandam eius æternitatem deducit: quia æternum eſſe, & à ſeipſo principium habere neceſſe eſt, vnde omnia trahunt originem. Porrò ſi cauſa quæritur qua & ad creanda hæc ſemel omnia inductus ſit, & nunc ad conſeruanda moueatur: ſolam illi ſuam bonitatem comperiemus pro cauſa eſſe. Quinetiam hæc ſi vna ſit, plus ſatis tamen ſufficere debet ad nos in amorem eius alliciendos: quando nulla eſt creatura, vt Propheta monet, in quam non effuſa ſit eius miſericordia. Pſal. 145. 9

6 In ſecundo quoque genere operum eius, quæ ſcilicet præter ordinarium naturæ curſum eueniunt, nihilo obſcuriora ſe proferunt virtutum eius argumenta. Nam in adminiſtranda hominum ſocietate ita prouidentiam ſuam temperat, vt quum ſit erga omnes innumeris modis benignus ac beneficus: apertis tamen ac quotidianis indiciis, ſuã piis clemẽtiam, improbis ac ſceleratis ſeueritatem declaret. Non enim dubiæ ſunt quas de flagitiis ſumit vltiones: quemadmodum non obſcurè tutorem, ac etiam vindicem ſe innocentiæ eſſe demonſtrat, dum bonorum vitam ſua benedictione proſperat, neceſſitati opitulatur, dolores lenit ac ſolatur, calamitates ſubleuat, ſaluti per omnia conſulit. Neque verò perpetuam iuſtitiæ eius regulam obſcurare debet, quòd improbos & ſontes ad tempus impunitos ſæpiuſculè exultare ſinit, probos autem & immerentes multis rebus aduerſis iactari, impiorum etiam malitia & iniquitate premi ſuſtinet. Quin potius longè diuerſa cogitatio ſubire mentem debet: quando in flagitium vnum manifeſto iræ indicio animaduertit, omnia ipſum odiſſe: quando multa inulta prætermittit, aliud fore iudicium quo punienda differuntur. Similiter miſericordiæ ſuæ cõſiderandæ quantam materiam nobis ſuppeditat, dum ſæpius miſeros peccatores indefeſſa tamen benignitate proſequitur, donec eorum prauitatem, benefaciendo fregerit, pluſquam paterna indulgentia ad ſe reuocando?

7 In hunc finem Prophęta commemorans in rebus deſperatis repente & mirabiliter ac præter ſpem Deum miſeris ac ferè perditis ſuccurrere, ſiue per deſerta vagantes à feris protegat, & tãdem reducat in viam, ſiue egentibus ac famelicis victum ſuppeditet, ſiue captiuos ex tetris foueis & ferreis cuſtodiis emittat, ſiue naufragos in portum adducat incolumes, ſiue à morbis ſanet ſemimortuos, ſiue æſtu & ſiccitate exurat terras, ſiue occulta irrigatione gratiæ fœcundet, ſiue attollat contemptiſſimos è vulgo, ſiue proceres deiiciat ex alto dignitatis gradu: propoſitis eiuſmodi exẽplis colligit, qui cẽſentur eſſe fortuiti caſus, totidem eſſe prouidentiæ cæleſtis teſtimonia, præſertim verò paternæ clementiæ: atque hinc piis dari materiam lætitiæ, impiis verò & reprobis ora obſtrui. Sed quia maior pars erroribus ſuis imbuta, in tam illuſtri theatro cæcutit, exclamat raræ & Pſal. 107.

singularis esse sapientiæ,prudenter expẽdere hæc Dei opera,quorum aspectu nihil proficiunt qui alioqui videntur esse acutissimi.Et certè quantum vis splẽdeat Dei gloria,vix centesimus quisque verus est eius spectator. Nihilo magis aut potentia aut sapientia in tenebris latent. quarum altera præclarè emergit dum impiorum ferocia, omnium opinione insuperabilis momento vno retunditur,arrogantia domatur,diruũtur validissima præsidia,tela & arma comminuuntur,vires infringuntur,machinationes euertuntur, & sua ipsarum mole concidunt:quæ supra cælos se efferebat audacia,in centrum vsque terræ prosternitur:rursum eriguntur humiles è puluere,& inopes è stercore suscitãtur: oppressi & afflicti,ab extremis angustiis eruuntur:deplorati, in spem bonam restituuntur: inermes de armatis,pauci de plurimis,imbecilles de validis victoriam referunt.Sapientia verò ipsa manifestè excellit dum optima vnamquanque rem opportunitate dispensat: quamlibet mundi perspicaciam confundit,deprehendit astutos in astutia sua:nihil denique non optima ratione attemperat.

Psal.113.b.7

1.Cor.3.d.19

8 Videmus non longa nec laborioſa demõstratione opus esse ad eruenda quæ illustrandæ asserendæque diuinæ maiestati seruiunt, testimonia: siquidem ex paucis quæ delibauimus,quocunque incideris adeò prompta & obuia esse cõstat,vt oculis designari,ac digitis notari facilè queant. Atque hîc rursus obseruandum est, inuitari nos ad Dei notitiam,non quæ inani speculatione cõtenta in cerebro tantùm volitet, sed quæ solida futura sit & fructuosa si ritè percipiatur à nobis, radicémque agat in corde. A suis enim virtutibus manifestatur Dominus:quarũ vim quia sentimus intra nos, & beneficiis fruimur, viuidius multo ac cognitione nos affici necesse est quàm si Deum imaginaremur cuius nullus ad nos sensus perueniret. Vnde intelligimus hanc esse rectissimam Dei quærendi viam & aptissimum ordinem: non vt audaci curiositate penetrare tẽtemus ad excutiendam eius essentiam,quæ adoranda potius est,quàm scrupulosius disquirenda:sed vt illum in suis operibus contemplemur quibus se propinquum nobis familiarémque reddit, ac quodammodo communicat. Quò respiciebat Apostolus quum diceret non longè quærendum esse,quippe qui præsentissima sua virtute habitet in vnoquoque nostrûm.Proinde Dauid,inenarrabilem eius magnitudinem antè confessus, postquam ad operum commemorationem descendit,eam ipsam se enarraturum profitetur. Quare & nos in eam Dei inuestigationem incumbere decet,quæ sic suspensum admiratione ingenium teneat vt efficaci sensu penitus simul afficiat. Et quemadmodũ docet alicubi Augustinus, quia illum non possumus capere, velut sub eius magnitudine deficientes,ad opera respicere conuenit,vt eius reficiamur bonitate.

Act.17.f.27

Psal.145.

Augusti.in Psal.144

9 Deinde eiusmodi notitia non modò ad Dei cultũ excitare nos debet, sed ad spem quoque futuræ vitæ expergefacere,& erigere. Quum enim animaduertamus quæ Dominus tum clementiæ,tum seueritatis suæ specimina edit,inchoata duntaxat & semiplena esse:haud dubiè ad maiora sic ipsum præludere reputemus oportet, quorum manifestatio plenáque exhibitio in aliam vitam differtur.ecõuerso, pios ab impiis quum videamus afflictionibus grauari, iniuriis concuti,calumniis opprimi, contumeliis probrísque lacerari:sceleſtos contrà florere,prosperari, quietem cum dignitate obtinere, ídque impunè: protinus colligendum est, alteram fore vitam,in qua, & sua iniquitati vindicta,& merces iustitiæ reposita sit. Adhæc quum obseruemus, Domini ferulis sæpius fideles castigari, certo certius constituere licet, multo minus impios eius flagella olim euasuros. Scitum enim est illud Augustini: Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursus, si nullum peccatum nunc aperte Deus puniret, nulla esse diuina prouidentia crederetur. Fatendum est igitur, in singulis Dei operibus,præsertim autem ipsorum vniuersitate,non secus atque in tabulis depictas esse Dei virtutes, quibus in eius agnitionem, & ab ipsa in veram plenámque fœlicitatem inuitatur atque illicitur vniuersum hominum genus. Porrò lucidissimæ quum illic appareant:quorsum tamen potissimum spectent,quid valeant,quem in finem à nobis sint reputandæ,tum demum assequimur dum in nos ipsos descendimus, ac consideramus quibus modis suam in nobis vitam, sapientiam, virtutem Dominus exerat:suam iustitiam, bonitatem,clementiam erga nos exerceat. Nam etsi iustè conqueritur Dauid, incredulos desipere, quia in humani generis gubernatione profunda Dei cõsilia non expẽdunt: est tamen hoc verissimum quod idem alibi dicit, admirabilem Dei sapientiam hac in parte excedere capillos capitis nostri.Sed quia hoc argumentum posthac suo ordine plenius tractandum erit,nunc omitto.

Lib.1.de Ciuitate Dei, capite 8.

Psal.92.b.7

Psal.40.c.13

10 Atqui quãtacunque claritate & ſe & immortale ſuũ regnum Dominus in operum ſuorum ſpeculo repræſentet: qui tamen eſt noſter ſtupor, ad tam perſpicuas teſtificationes ſemper hebeſcimus, vt ſine profectu effluant. Nam quantum ad mũdi fabricam & pulcherrimam poſitionem attinet, quotuſquiſque eſt noſtrũm, qui dum oculos vel in cælum attollit, vel per regiones terræ varias circunfert, mentem ad Creatoris memoriam referat, ac non magis, prætĕrito Authore, in operum aſpectu deſideat? Quantum verò attinet ad ea quæ præter naturalis decurſus ordinem quotidie eueniunt, quotuſquiſque nõ magis reputat, cæca potius fortunæ temeritate rotari & volutari homines quàm Dei prouidentia gubernari? Quòd ſi quando iſtarum rerum ductu ac directione, ad Dei conſiderationem adigimur (quod omnibus euenire neceſſarium eſt) tamen vbi temerè diuinitatis alicuius ſenſum concepimus, extemplò ad carnis noſtræ deliria vel praua commenta delabimur, ac puram Dei veritatem noſtra corrumpimus vanitate. In eo quidem diſſimiles, quòd quiſque ſibi priuatim aliquid peculiaris erroris accerſit: in hoc tamen ſimillimi, quòd ad vnum omnes, ab vno vero Deo ad prodigioſa nugamenta deficimus. Quo morbo non plebeia modò & obtuſa ingenia, ſed præclariſſima, & ſingulari alioqui acumine prædita, implicantur. Quàm prolixè ſuam in hac parte ſtoliditatem ac inſulſitatem prodidit tota Philoſophorum natio? Nam vt aliis parcamus qui multo abſurdius ineptiunt: Plato inter omnes religioſiſſimus, & maximè ſobrius, ipſe quoque in rotundo ſuo globo euaneſcit. Et quid aliis non eueniret, quum ita primores, quorum erat reliquis prælucere, hallucinentur & impingant? Similiter, vbi rerum humanarum gubernatio prouidentiam manifeſtius arguit quàm vt abnegari queat, nihilo tamen inde plus proficitur, quàm ſi temeraria fortunæ voluntate crederentur omnia ſurſum deorſum verſari: tanta eſt noſtra in vanitatem & errorem propenſio. De excellentiſsimis ſemper loquor, non vulgaribus illis, quorum in profananda Dei veritate proceſſit in immẽſum inſania.

11 Hinc immenſa illa errorũ colluuies, qua totus orbis refertus ac coopertus fuit. ſuũ enim cuique ingenium inſtar labyrinthi eſt, vt mirum non ſit ſingulas Gentes in varia commenta diducta eſſe. neque id modò, ſed ſingulis propè hominibus proprios fuiſſe deos. nam vt ad inſcitiam & tenebras accedit temeritas & laſciuia, vix vnus vnquam repertus eſt qui non ſibi idolum vel ſpectrum Dei loco fabricaret. Certè non ſecus atque ex vaſta ampláque ſcaturigine aquæ ebulliunt, immenſa deorum turba ab hominum mente profluxit, dum quiſque nimis licentioſè vagando, perperàm hoc vel illud de ipſo Deo comminiſcitur. Neque tamen hîc ſuperſtitionum quibus implicitus fuit mundus, catalogum texere neceſſe eſt: quia nec vllus eſſet finis: & vt verbum nullum fiat, ſatis ex tot corruptelis apparet quàm horribilis ſit humanæ mentis cæcitas. Rude & indoctum vulgus omitto. Sed inter Philoſophos qui ratione & doctrina penetrare in cælum conati ſunt, quàm pudẽda eſt varietas? vt quiſque altiore ingenio præditus fuit, artéque & ſcientia limatus, ita ſpecioſos colores ſuæ ſententiæ inducere viſus eſt: quos tamen omnes ſi propius inſpicias, euanidos eſſe fucos reperies. Argutè ſibi viſi ſunt dicere Stoici, poſſe elici ex cũctis naturæ partibus varia Dei nomina, neque tamen propterea lacerari vnum Deum. Quaſi verò non iam plus ſatis ad vanitatem procliues ſimus, niſi multiplex deorum copia nobis obiecta, lõgius & violentius nos in errorem abſtraheret. Myſtica etiam Ægyptiorum theologia oſtendit, ſedulò in hoc omnes incubuiſſe ne abſque ratione deſipere viderentur. Ac primo fortè intuitu aliquid tãquam probabile ſimplices & incautos deciperet: ſed nihil vnquam excogitauit vllus mortalium, quo non turpiter corrupta fuerit religio. Atque hæc tam confuſa varietas Epicureis, & craſſis aliis pietatis contemptoribus audaciam addidit vt omnem Dei ſenſum abiicerẽt. Nam quum prudentiſſimos quoſque certare viderent contrariis opinionibus, ex eorũ diſſidiis, & friuola etiam, vel abſurda cuiuſque doctrina colligere non dubitarunt, fruſtra & ſtultè tormenta ſibi accerſere homines vbi deum qui nullus eſt inueſtigant: ídque ſe impunè facere duxerunt, quia præſtaret breui cõpendio prorſus Deum negare, quàm fingere incertos deos, & deinde lites mouere quæ nullum haberent exitum. Ac nimis quidem inſcitè ratiocinantur illi, vel potius tegendæ ſuæ impietati nebulam inducunt ex hominum inſcitia, ex qua Deo quidquam decedere minimè æquum eſt. Sed quum fateãtur omnes nullam eſſe rem de qua tantoperè docti ſimul & indocti diſſentiant, hinc colligitur, pluſquam hebetes ac cæcas in cæleſtibus myſteriis eſſe hominum mentes quæ in Dei inueſtigatione ſic errant. Laudatur ab aliis Simonidis reſponſum, qui rogatus ab Hierone tyranno

quid esset Deus, diem sibi ad cogitandum dari petiit. Quum idem quęreret postridie tyrannus, biduum postulauit: ac sæpius duplicato numero dierum, tandem respondit, Quantò diutius considero, tantò res mihi videtur obscurior. Prudenter sanè ille sententiam de re sibi obscura suspenderit: hinc tamen apparet, si naturaliter tantùm edocti sint homines, nihil certum, vel solidum, vel distinctum tenere: sed confusis tantùm principiis esse affixos, vt Deum incognitum adorent.

12 Iam tenendum quoque est, quicunque puram religionem adulterant (vt omnibus accidere necesse est opinioni suę deditis) discessionem facere ab vno Deo. Aliud quidem sibi in animo esse iactabunt: sed quid intendant, vel quid sibi persuadeant, non multum ad rem facit: quãdo Spiritus sanctus pronuntiat omnes esse apostatas, qui pro mentis suæ caligine dæmonia supponunt in Dei locum. Hac ratione Paulus sine Deo fuisse pronuntiat Ephesios donec ex Euangelio didicissent quid esset verum Deum colere. Neque hoc ad gentem vnam duntaxat restringere oportet, quum generaliter alibi asserat euanuisse cunctos mortales in suis cogitationibus, postquam in mũdi fabrica illis patefacta erat Creatoris maiestas. Ideóque Scriptura vt vero & vnico Deo locum faciat, quidquid diuinitatis olim celebratum fuit inter Gentes, falsitatis & mendacii damnat: nec vllum numen relinquit nisi in monte Sion, vbi peculiaris vigebat Dei cognitio. Certè inter Gentiles Christi ætate proximè ad veram pietatem accedere visi sunt Samaritæ. audimus tamen ex ore Christi eos nescisse quid colerent. vnde sequitur, vano errore fuisse delusos. Denique etiamsi non omnes laborauerint crassis vitiis, aut in apertas idololatrias prolapsi sint: nulla tamen pura & probata fuit religio quæ tantùm in communi sensu fundata esset. Quanuis enim pauci quidam non insanierint cum vulgo, manet tamen fixa Pauli doctrina, Non apprehendi sapientiam Dei à principibus mundi huius. Quòd si excellentissimi quique in tenebris errarunt, quid de fæcibus ipsis dicendum erit? Quare nihil mirum si cultus omnes hominum arbitrio excogitatos tanquam degeneres repudiet Spiritus sanctus: quia in cælestibus mysteriis opinio humanitus concepta, etsi non semper magnam errorum congeriem pariat, erroris tamen est mater. Atque vt nihil deterius accedat, hoc tamen vitium non leue est, fortuitò adorare Deum incognitum: cuius tamen rei fiunt Christi ore quicunque ex Lege edocti non sunt quem Deum colere oporteat. Et certè non longius progressi sunt qui optimi fuerunt legislatores, quàm vt in publicn consensu fundata esset religio. Quinetiam apud Xenophontem laudat Socrates Apollinis responsum. quo præcepit vt quisque ritu patrio & pro vrbis suæ consuetudine deos coleret. Vnde autem hoc ius mortalibus vt sua authoritate definiant quod mũdum longè superat? vel quis ita maiorũ placitis, vel populi scitis acquiescere poterit, vt Deum absque dubitatione recipiat humanitus sibi traditum? Potius iudicio quisque suo stabit, quàm se alieno arbitrio subiiciet. Quum ergo nimis infirmum ac fragile sit pietatis vinculum, vel vrbis consuetudinem, vel antiquitatis consensum in colendo Deo sequi, restat vt de se testetur è cælo ipse Deus.

Ephes. 2. c. 12

Rom. 1. c. 21.

Habac. 2. d. 18. 20

Iohã. 4. c. 22

1. Cor. 2. b. 8

Iohã. 4. c. 22.

13 Ergo frustra nobis in mundi opificio collucent tot accẽsæ lampades ad illustrandam authoris gloriam: quæ sic nos vndique irradiant, vt tamen in rectam viam per se nequaquam possint perducere. Et scintillas certè quasdam excitant: sed quæ antè præfocantur quàm pleniorem effundant fulgorem. Quamobrem Apostolus, eo ipso loco, vbi Hebr. 11. a. 3 secula, simulachra vocat rerum inuisibilium: subiungit, per fidem intelligi esse verbo Dei aptata: ita significans, inuisibilem diuinitatem repræsentari quidem talibus spectaculis: sed ad illam perspiciendã non esse nobis oculos nisi interiore Dei reuelatione per fidem illuminentur. Neque Paulus, vbi tradit patefieri quod cognoscendũ est de Deo ex mundi creatione, talem manifestationem designat quæ hominum perspicacia comprehenda tur: quin potius eam ostendit non vltrà procedere nisi vt reddantur inexcusabiles. Idem quoque, tametsi alicubi negat Deum procul vestigandum, vtpote qui intra nos habitet: alio tamen loco docet quorsum valeat eiusmodi propinquitas: In præteritis, inquit, generationibus permisit Dominus Gentes ingredi viis suis, non tamen seipsum sine testimonio reliquit, benefaciens è cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum. Vtcunque ergo non destituatur testimonio Dominus, dum plurima & varia benignitate homines in sui cognitionem suauiter allicit, vias tamen suas, hoc est exitiales errores, propterea sequi non desinunt.

Rom. 1. c. 19

Act. 17. f. 27

Act. 14. c. 16.

14 Quanquam autem naturali facultate deficimur quominus ad puram vsque & liquidam

liquidam Dei cognitionem cõscendere liceat: quia tamen hebetudinis vitium intra nos est, præcisa est omnis tergiuersatio. Neque enim ignorantiam sic prætexere licet quin semper & ignauiæ & ingratitudinis vel conscientia ipsa nos conuincat. Digna scilicet quæ admittatur defensio, si homo ad audiendam veritatem aures sibi defuisse obtendat, ad quam enarrandam suppetũt mutis creaturis plusquam canoræ voces: si oculis se non posse videre causetur quod sine oculis creaturæ demonstrant: si mentis imbecillitatem excuset, vbi omnes sine ratione creaturæ erudiunt. Quare omni prorsus excusatione meritò excludimur, quòd vagi & palantes aberramus: quum omnia rectam viam demonstrent. Sed enim, vtcunque hominum vitio imputandum sit, quòd semen notitię Dei, ex mirabili naturæ artificio mentibus suis insperſum, mox corrumpunt, ne ad frugem bonam ac synceram perueniat: verissimum tamen est, nuda ista & simplici testificatione, quæ Dei gloriæ à creaturis magnificè redditur, nequaquam nos sufficienter erudiri. Simul enim ac modicum diuinitatis gustum ex mũdi speculatione delibauimus: vero Deo prætermisso, eius loco somnia & spectra cerebri nostri erigimus: ac iustitiæ, sapientiæ, bonitatis, potentiæ laudem ab ipso fonte huc & illuc traducimus. Quotidiana porrò eius facta ita aut obscuramus aut inuertimus prauè æstimando, vt & suam illis gloriam, & authori debitam laudem præripiamus.

Vt ad Deum creatorem quis perueniat, opus esse Scriptura duce & magistra. CAP. VI.

ERGO quanquam hominum ingratitudinem satis supérque omni patrocinio spoliat fulgor ille qui in cælo & in terra omnium oculis ingeritur: sicuti Deus vt genus humanum inuoluat eodem reatu, cũctis sine exceptione numen suum delineatum in creaturis proponit: aliud tamen & melius adminiculum accedere necesse est quod nos probè ad ipsum mundi creatorem dirigat. Itaque non frustra verbi sui lumen addidit, quo innotesceret in salutem. atque hac prærogatiua dignatus est quos voluit propius & magis familiariter ad se colligere. Nam quia vaga & instabili agitatione circunferri videbat omnium animos, postquam Iudæos sibi elegit in gregem peculiarem, cancellos illis circundedit, ne aliorum more euanescerent. Nec frustra eodem remedio nos in pura sui notitia cõtinet: quia mox alioqui difflueret etiam qui videntur præ aliis firmi stare. nempe sicuti senes, vel lippi, & quicunque oculis caligant, si vel pulcherrimum volumen illis obiicias, quanuis agnoscant esse aliquid scriptum, vix tamen duas voces contexere poterunt: specillis autem interpositis adiuti, distinctè legere incipient: ita Scriptura confusam alioqui Dei notitiã in mentibus nostris colligens, discussa caligine liquidò nobis verum Deum ostendit. Hoc igitur singulare donum est, vbi ad erudiendam Ecclesiam non mutis duntaxat magistris Deus vtitur, sed os quoque sacrosanctum reserat: neque tantùm promulgat colendum esse aliquem Deum, sed eum se esse simul pronuntiat qui colendus sit: nec electos docet modò in Deum respicere, sed se quoque exhibet in quem respiciant. Hunc ordinem ab initio erga ecclesiam suam tenuit, vt præter communia illa documenta verbum quoque adhiberet: quæ rectior est & certior ad ipsum dignoscendum nota. Nec dubium est quin Adam, Noe, Abraham, & reliqui patres hoc adminiculo penetrauerint ad familiarem notitiam, quæ illos ab incredulis quodam modo discreuit. Nondum loquor de propria fidei doctrina qua fuerunt illuminati in spem æternæ vitæ. nam vt transirent à morte in vitam, Deum non modò creatorem agnoscere necesse fuit, sed redemptorem quoque: vt certè vtrunque adepti sunt ex verbo. Ordine enim præcessit illa notitiæ species qua tenere datum fuit quisnam sit Deus ille à quo mundus est conditus, & gubernatur. Deinde adiuncta fuit altera interior, quæ sola mortuas animas viuificat, qua Deus non tantùm mundi conditor, & omnium quæ fiunt vnicus author & arbiter cognoscitur, sed etiam redemptor in Mediatoris persona. Cæterùm quia nondum ad mundi lapsum & naturæ corruptionem ventum est, de remedio etiam tractare supersedeo. Meminerint ergo lectores, me nondum de fœdere illo differere, quo sibi Deus adoptauit Abrahæ filios: & de illa doctrinæ parte qua propriè segregati semper fuerunt fideles à profanis gentibus: quia in Christo fundata fuit: sed tãtùm quomodo ex Scriptura discere conueniat, Deum qui mundi creator est, certis notis ab omni commentitia deorum turba discerni. Opportunè deinde series ipsa ad Redemptionem nos deducet. Quanquam autem multa ex Nouo testamento testimonia adhibebimus, alia etiam ex Lege & Prophetis, vbi ex-

preſſa ſit Chriſti mentio: in hunc tamen finem tendent omnia, Deum mundi opificem nobis patefieri in Scriptura, & quid de eo ſentiendum ſit exponi, ne per ambages incertum aliquod numen quæramus.

2 Siue autem per oracula & viſiones Patribus innotuit Deus, ſiue hominum opera & miniſterio ſuggeſſit quod deinde per manus poſteris traderent: indubium tamen eſt inſculptam fuiſſe eorum cordibus firmam doctrinæ certitudinẽ, vt perſuaſi eſſent, atque intelligerent à Deo profectum eſſe quod didicerant. Semper enim Deus indubiam fecit verbo ſuo fidem, quæ omni opinione ſuperior eſſet. Tandem vt continuo progreſſu doctrinæ veritas ſeculis omnibus ſuperſtes maneret in mũdo, eadem oracula quæ depoſuerat apud Patres, quaſi publicis tabulis conſignata eſſe voluit. Hoc conſilio Lex promulgata fuit, cui poſtea interpretes additi ſunt Prophetæ. Etſi enim multiplex fuit Legis vſus, vt melius videbitur ſuo loco: præſertim verò Moſi & omnibus Prophetis propoſitum fuit, modum reconciliationis inter Deum & homines docere (vnde etiam Paulus Chriſtum vocat finem Legis) iterum tamen repeto, præter doctrinã fidei & pœnitentiæ propriam, quæ Chriſtum Mediatorem proponit, Scripturam vnicum & verum Deum quatenus mundum creauit & gubernat, certis notis & inſignibus ornare, ne miſceatur cum falſa deorum turba. Ergo quãuis hominem ſeriò oculos intendere conueniat ad conſideranda Dei opera, quando in hoc ſplẽdidiſſimo theatro locatus eſt vt eorum eſſet ſpectator: aures tamen præcipuè arrigere conuenit ad verbum, vt melius proficiat. Ac proinde mirum non eſt, magis ac magis in ſtupore ſuo obdureſcere qui in tenebris nati ſunt: quia pauciſſimi vt ſe intra metas contineant, verbo Dei ſe præbẽt dociles, ſed potius exultãt in ſua vanitate. Sic autem habẽdum eſt, vt nobis affulgeat vera religio, exordium à cæleſti doctrina fieri debere, nec quenquã poſſe, vel minimũ guſtum rectæ ſanæque doctrinæ percipere, niſi qui Scripturæ fuerit diſcipulus. vnde etiã emergit veræ intelligẽtiæ principiũ, vbi reuerẽter amplectimur quod de ſe illic teſtari Deus voluit. Neque enim perfecta ſolũ, vel numeris ſuis cõpleta fides, ſed omnis recta Dei cognitio ab obediẽtia naſcitur. Et ſanè hac in parte ſingulari prouidẽtia cõſuluit mortalibus Deus in omnes ætates.

Rom. 10. a. 4

3 Nam ſi reputamus quàm libricus ſit humanæ mentis lapſus in Dei obliuionem, quanta in omne genus erroris procliuitas, quanta ad cõfingendas identidem nouas & fictitias religiones libido: perſpicere licebit quàm neceſſaria fuerit talis cæleſtis doctrinæ conſignatio, ne vel obliuione deperiret, vel errore euaneſceret, vel audacia hominum corrumperetur. Quum itaque palàm ſit, Deum erga eos omnes quos vnquam erudire cum fructu voluit, ſubſidium verbi adhibuiſſe, quòd effigiem ſuam in pulcherrima mundi forma impreſſam, parum eſſe efficacem prouideret: hac recta via contendere expedit, ſi ad ſynceram Dei contemplationem ſeriò aſpiramus. Ad Verbum, inquam, eſt veniendum, vbi probè, & ad viuum, nobis à ſuis operibus deſcribitur Deus, dum opera ipſa non ex iudicii noſtri prauitate, ſed æternæ veritatis regula æſtimantur. Ab eo ſi deflectimus, vt nuper dixi, quamlibet ſtrenua enitamur celeritate, quia tamen extra viam curſus erit, nunquam ad metam pertingere continget. Sic enim cogitandum eſt: fulgorem diuini vultus, quem & Apoſtolus inacceſſum vocat, eſſe nobis inſtar inexplicabilis labyrinthi, niſi Verbi linea in ipſum dirigamur. vt ſatius ſit in hac via claudicare, quàm extra eam celerrimè currere. Itaque ſæpius Dauid ſuperſtitiones è mũdo tollendas docens, quo pura vigeat religio, Deum regnantem inducit: regnandi nomine non poteſtatem ſignificans qua præditus eſt, & quam in vniuerſa naturæ gubernatione exercet: ſed doctrinam qua ſibi legitimum principatum aſſerit: quia nunquam euelli queunt ex hominum cordibus errores donec plantata fuerit vera Dei cognitio.

1. Tim. 6. d. 16

Pſalmis 93. 96. 97. 99. & ſimilibus.

Pſam. 19. a. 1.

4 Proinde idem Propheta, vbi commemorauit gloriam Dei à cælis enarrari, opera manuum enuntiari à firmamẽto, ab ordinata dierum noctiumque ſerie maieſtatem eius prædicari, deinde ad Verbi mentionem deſcendit: Lex, inquit, Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminãs oculos. Etſi enim alios quoque Legis vſus comprehendit, ſignificat tamen in genere, quum fruſtra Deus omnes populos ad ſe inuitet cæli terræque intuitu, hanc eſſe peculiarem filiorum Dei ſcholam. Eodem ſpectat Pſalmus 29. vbi Propheta concionatus de terribili Dei voce, quæ in tonitru, ventis, imbribus, turbinibus & procellis terram concutit, tremefacit mõtes, cedros cõfringit: in fine tandẽ ſubiicit, cani eius laudes in Sanctuario, quia ad omnes

Dei voces

Dei voces quæ in aere resonant,surdi sunt increduli.Sicut alium Psalmum,vbi descripsit terribiles fluctus maris, ita claudit:Testimonia tua verificata sunt:decor tẽpli tui,sanctitas in lõgitudinem dierũ. Hinc & illud emanat quod Samaritanæ mulieri dicebat Christus,gentem eius & reliquos omnes populos adorare quod nescirent: solos Iudæos Deo vero cultũ exhibere.Nam quum humana mẽs pro sua imbecillitate peruenire ad Deum nullo modo queat nisi sacro eius verbo adiuta & subleuata, omnes tunc mortales,exceptis Iudęis,quia Deũ sine verbo quærebant,necesse fuit in vanitate atque errore versari. Psal.93.b.5 Iohan.4.c.22

Quo testimonio Scripturam oporteat sanciri,nempe Spiritus:vt certa constet eius authoritas:atque impium esse commentum,fidem eius pendere ab Ecclesiæ iudicio. CAP. VII.

VERVM antequam longius progrediar, quædam inferere operæpretium est de Scripturæ authoritate, quæ non modò animos præparent ad eius reuerentiam, sed omnem dubitationem eximant. Porrò vbi sermonem Dei esse qui proponitur,in confesso est,nemo est tam deploratæ audaciæ, nisi fortè & sensu cõmuni,& humanitate quoque ipsa destitutus,qui fidem loquenti derogare ausit. Sed quoniam non quotidiana è cælis redduntur oracula, & Scripturæ solæ extãt quibus visum est Domino suam perpetuæ memorię veritatem consecrare:non alio iure plenam apud fideles authoritatem obtinent,quàm vbi statuunt è cælo fluxisse,acsi viuę ipsæ Dei voces illic exaudirentur.Res sanè dignissima quæ & tractetur fusius,& accuratius expendatur. Sed dabũt veniam lectores,si magis respiciã quid ferat operis instituti ratio,quàm quid huius rei amplitudo requirat. Inualuit autẽ apud plerosque pernicioſissimus error, Scripturæ tantum inesse momenti quantum illi Ecclesiæ suffragiis conceditur:acsi verò æterna inuiolabilisque Dei veritas,hominum arbitrio niteretur.sic enim magno cum ludibrio Spiritus sancti quærunt,Ecquis nobis fidẽ faciat,hæc à Deo prodiisse?Ecquis salua & intacta ad nostram vsque ętatem peruenisse,certiores reddat?Ecquis persuadeat,librũ hunc reuerenter excipiẽdum,alterum numero expungendũ:nisi certam istorum omniũ regulã Ecclesia præscriberet?Pendet igitur,inquiunt,ab Ecclesiæ determinatione & quę Scripturæ reuerentia debeatur,& qui libri in eius catalogo censendi sint.Ita sacrilegi homines,dum sub Ecclesiæ prætextu volunt effrænatam tyrannidem inuehere,nihili curãt quibus se & alios absurditatibus illaqueent, modò hoc vnum extorqueant apud simplices,Ecclesiam nihil non posse.Atqui si ita est,quid miseris conscientiis fiet, solidam vitæ æternæ securitatem quærentibus,si quæcunque extant de ea promissiones,solo hominũ iudicio fultæ,cõsistant?An accepto tali responso fluctuari & trepidare desinent?Rursum, quibus impiorum sannis subiicitur fides nostra, quantam apud omnes in suspicionem vocatur,si credatur,hominum beneficio, non secus ac precariam habere authoritatem?

2 Sed eiusmodi rabulæ,vel vno Apostoli verbo pulchrè refellũtur.Ecclesiã ille testatur,Prophetarum & Apostolorum fundamento sustineri. Si fundamentum est Ecclesiæ Prophetica & Apostolica doctrina:suam huic certitudinem antè cõstare oportet, quàm illa extare incipiat. Neque est quod cauillentur, etiamsi inde primum exordium ducat Ecclesia,manere tamen dubium quæ Prophetis & Apostolis sint adscribẽda, nisi iudiciũ ipsius intercedat.Nam si Christiana Ecclesia Prophetarum scriptis,& Apostolorũ prędicatione initio fundata fuit, vbicunque reperietur ea doctrina, Ecclesiam certè præcessit eius approbatio:sine qua nunquam Ecclesia ipsa extitisset. Vanissimum est igitur commentum,Scripturæ iudicandæ potestatem esse penes Ecclesiam: vt ab huius nutu illius certitudo pendêre intelligatur. Quare dum illam recipit,ac suffragio suo obsignat, non ex dubia aut alioqui controuersa authẽticam reddit:sed quia veritatẽ esse agnoscit Dei sui,pro pietatis officio,nihil cunctando veneratur.Quòd autem rogant, Vnde persuademur à Deo fluxisse,nisi ad Ecclesię decretum confugiamus?perinde est acsi quis roget, Vnde discemus lucem discernere à tenebris,album à nigro,suaue ab amaro? Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum oltro Scriptura præ se fert, quàm coloris sui res albæ ac nigræ:saporis,suaues & amaræ. Ephe.2.d.20

3 Scio equidem vulgò citari Augustini sentẽtiam,vbi se Euangelio crediturũ negat nisi Ecclesiæ ipsum moueret authoritas.Sed quàm perperàm & calũniosè citetur in eum sensum,ex contextu facilè est deprehẽdere.Negotiũ illi erat cum Manichæis,qui absque controuersia credi sibi volebant,quum veritatem se habere pollicerentur, non ostenderent.Quia verò vt Manichæo suo fidem astruerent,obtendebant Euangeliũ,rogat quidnam facturi sint si in hominem incidãt qui ne Euãgelio quidem credat: quo genere per- Locus est cõtra epistolã fundamentalem,cap.5

suasionis eum sint in suam sententiam adducturi. Postea subiicit: Ego verò non crederem Euangelio, &c. significans se, quum alienus esset à fide, nõ aliter potuisse adduci vt Euangelium amplecteretur pro certa Dei veritate, quàm Ecclesiæ authoritate victum. Et quid mirum, si quis nondum Christo cognito, hominum respectum habeat? Non ergo illic docet Augustinus fundatam esse piorum fidem in Ecclesiæ authoritate: nec Euãgelii certitudinem inde pendêre intelligit: verùm simpliciter nullam fore Euangelii certitudinem infidelibus, vt inde Christo lucrifiãt, nisi Ecclesiæ consensus eòs impellat. Atque id paulo antè non obscurè confirmat, ita loquẽdo: Quum ego laudauero quod credo, & quod credis irrisero, quid putas nobis esse iudicandum, quídve faciendum, nisi vt eos relinquamus qui nos inuitant certa cognoscere, & postea imperant vt incerta credamus: & eos sequamur qui nos inuitant prius credere quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: nõ iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmãte atque illuminante? Hæc certè sunt Augustini verba: ex quibus cuiuis colligere promptum est, nõ hanc sancto viro fuisse mẽtem, vt fidem quam Scripturis habemus, à nutu arbitrióve Ecclesiæ suspenderet: sed tantùm vt indicaret quod nos quoque verum fatemur, eos qui nondum Spiritu Dei sunt illuminati, Ecclesiæ reuerẽtia ad docilitatem induci, vt Christi fidem ex Euangelio discere sustineant: atque ita hoc modo Ecclesiæ authoritatem isagogen esse qua ad fidem Euangelii præparamur. Nam, vt videmus, piorum certitudinem longè alio fundamẽto vult esse suffultam. Alioqui non nego quin sæpe Manichæos Ecclesiæ vniuersæ consensu vrgeat, dum Scripturam, quam illi repudiabant, vult approbare. Vnde illa aduersus Faustum exprobratio: quòd se Euangelicæ veritati non subdat, tam fundatæ, tam stabilitæ, tanta gloria diffamatæ, & à tempore Apostolorum per certas successiones cõmendatæ. Sed nusquam eò spectat, vt pendêre doceat quam Scripturis authoritatem deferimus, ab hominum definitione aut decreto: tantùm, quod in causa plurimum valebat, vniuersale Ecclesiæ iudicium profert, in quo aduersariis erat superior. Siquis pleniorem huius approbationem desiderat, libellum eius legat De vtilitate credendi: vbi reperiet, non aliam credendi facilitatem ab ipso commẽdari nisi quæ nobis aditum modo præbeat, sitque opportunum inquirendi exordium, vt ipse loquitur: non tamen in opinione acquiescendum esse, sed certa & solida veritate nitendum.

Eiusdem libri cap. 4.

Lib. 32.

4 Tenendum quod nuper dixi, nõ antè stabiliri doctrinæ fidẽ, quàm nobis indubiè persuasum sit, authorẽ eius esse Deũ. Itaque summa Scripturæ probatio passim à Dei loquentis persona sumitur. Non iactãt Prophetæ & Apostoli vel acumen suũ, vel quæcunque fidem loquentibus conciliant, neque insistunt rationibus: sed sacrũ Dei nomen proferunt, quo ad obsequiũ cogatur totus mundus. Nunc videndũ quomodo non opinione tantùm probabili, sed liquida veritate pateat, non temerè, nec fallaciter obtendi Dei nomen. Iam si conscientiis optimè consultũ volumus, ne instabili dubitatione perpetuò circunferãtur, aut vacillẽt, ne etiã hæsitent ad minimos quosque scrupulos, altius quàm ab humanis vel rationibus, vel iudiciis, vel cõiecturis petenda est hæc persuasio, nẽpe ab arcano testimonio Spiritus. Verum quidẽ est, si argumẽtis agere libeat, multa posse in mediũ proferri quæ facilè euincant, siquis est in cælo Deus, Legẽ, & Prophetias, & Euangeliũ ab eo manasse. Imò quãuis docti homines & summo iudicio prædíti contrà insurgant, & omnes ingenii vires conferant atque ostẽtent in hac disceptatione: nisi tamen ad perditam impudentiã obduruerint, extorquebitur illis hæc cõfessio, manifesta signa loquentis Dei cõspici in Scriptura, ex quibus pateat cælestem esse eius doctrinam. ac paulo pòst videbimus, omnes Scripturæ sacræ libros quibusque aliis scriptis longissimè præcellere. Imò si puros oculos, & integros sensus illuc afferimus, statim occurret Dei maiestas, quæ subacta reclamandi audacia, nos sibi parere cogat. Præposterè tamen faciũt qui disputando contẽdunt solidam Scripturæ fidem adstruere. Eqúidem tametsi nec summa dexteritate, nec facundia polleo: si tamen mihi certamen esset cum vaferrimis quibusque Dei contemptoribus, qui in labefactanda Scriptura solertes & faceti videri appetunt, nõ difficilè mihi fore confido obstreperas eorum voces compescerem. ac si vtilis in refellendis eorum cauillis esset labor, non magno negotio quas in angulis iactantias mussitant discuterem. Verùm si quis sacrũ Dei verbum asserat ab hominũ maledictis, non protinus tamen quam requirit pietas certitudinem cordibus infiget. Quia opinione tãtùm stare videtur religio profanis hominibus, nequid stultè aut leuiter credãt, ratione probari sibi cupiunt

ac po-

ac postulãt Mosen & Prophetas diuinitus loquutos esse. Atqui testimoniũ Spiritus omni ratione præstãtius esse respõdeo. Nam sicuti Deus solus de se idoneus est testis in suo sermone: ita etiã non antè fidẽ reperiet sermo in hominũ cordibus quàm interiore Spiritus testimonio obsignetur. Idẽ ergo Spiritus qui per os Prophetarũ loquutus est, in corda nostra penetret necesse est, vt persuadeat fideliter protulisse quod diuinitus erat mãdatum. Atque hæc connexio aptissimè ab Iesaia ponitur in his verbis, Spiritus meus qui in te est, & verba quæ posui in ore tuo & seminis tui, in perpetuũ nõ deficiẽt. Bonos quosdã malè habet quòd dũ impunè obmurmurant impii cõtra Dei verbũ, non ad manum suppetat clara probatio. Quasi verò nõ ideo vocetur Spiritus & sigillum, & arra ad confirmandam piorum fidem, quia donec mẽtes illuminet, semper inter multas hæsitationes fluctuant. Iesa. 51. & 16.

5 Maneat ergo hoc fixum, quos Spiritus sanctus intus docuit, solidè acquiescere in Scriptura, & hanc quidem esse αὐτόπιστον, neque demonstrationi & rationibus subiici eam fas esse: quam tamen meretur apud nos certitudinem, Spiritus testimonio consequi. Etsi enim reuerentiam sua sibi vltrò maiestate conciliat, tunc tamen demum seriò nos afficit quum per Spiritum obsignata est cordibus nostris. Illius ergo virtute illuminati, iam non aut nostro, aut aliorum iudicio credimus, à Deo esse Scripturam: sed supra humanum iudicium, certo certius constituimus (non secus ac si ipsius Dei numen illic intueremur) hominum ministerio, ab ipsissimo Dei ore ad nos fluxisse. Non argumenta, non verisimilitudines quærimus quibus iudicium nostrum incumbat: sed vt rei extra æstimandi aleam positæ, iudicium ingeniúmque nostrum subiicimus. Non id quidem qualiter solẽt quidam interdum rem incognitam arripere, quæ mox perspecta displicet: sed quia inexpugnabilem nos veritatem tenere, probè nobis conscii sumus. Neque qualiter superstitionibus solent miseri homines captiuam mentem addicere: sed quia non dubiam vim numinis illic sentimus vigere ac spirare, qua ad parendum, scientes quidem ac volentes, viuidius tamen & efficacius quàm pro humana aut voluntate, aut scientia trahimur & accendimur. Itaque optimo iure per Iesaiam clamat Deus Prophetas cum toto populo sibi esse testes quia vaticiniis edocti, indubiè tenebant absque fallacia vel ambiguitate loquutum esse Deum. Talis ergo est persuasio quæ rationes non requirat: talis notitia, cui optima ratio constet, nempe in qua securius constantiúsque mens quiescit quàm in vllis rationibus: talis denique sensus, qui nisi ex cælesti reuelatione nasci nequeat. Non aliud loquor quàm quod apud se experitur fidelium vnusquisque, nisi quòd lõgè infra iustam rei explicationem verba subsidunt. Pluribus nunc supersedeo, quoniam hac de re alibi tractandi locus iterum se offeret: tantùm nunc sciamus, veram demum esse fidem quam Spiritus Dei cordibus nostris obsignat. Imò vna hac ratione contentus erit modestus ac docilis lector: promittit Iesaias omnes renouatæ Ecclesiæ filios, Dei fore discipulos. Singulari priuilegio illic Deus solos electos dignatur, quos à toto humano genere discernit. Etenim quodnam veræ doctrinæ initium est nisi prompta alacritas ad audiendam vocem Dei? Atqui Deus audiri postulat per os Mosis, sicuti scriptum est, Ne dicas in corde tuo, Quis ascendet in cælum, aut quis descendet in abyssum? ecce sermo est in ore tuo. Si hunc intelligentiæ thesaurum filiis suis recõditum esse Deus voluit, nihil mirum vel absurdum si in hominum vulgo cernitur tanta inscitia & stupiditas. Vulgus nomino præcipuos etiam quosque, donec in Ecclesiæ corpus insiti fuerint. Adde quòd Iesaias non extraneis modò, sed Iudæis etiam qui domestici censeri volebant, Propheticã doctrinam incredibilem fore admonens, simul causam addit, Quia non reuelabitur omnibus brachium Dei. Quoties ergo nos cõturbat credentium paucitas, ex opposito veniat in mentem, non alios comprehendere Dei mysteria nisi quibus datum est. Iesa. 54. c. 13. Iesa. 43. b. 10. Deut. 30. c. 10. Iesa. 53. a. 1.

Probationes, quatenus fert humana ratio, satis firmas suppetere ad stabiliendam Scripturæ fidem.

CAP. VIII.

HAEC nisi certitudo adsit quolibet humano iudicio & superior & validior, frustra Scripturæ authoritas vel argumentis munietur, vel Ecclesiæ consensu stabilietur, vel aliis præsidiis confirmabitur. siquidem nisi hoc iacto fundamento, suspensa semper manet. Sicuti contrà, vbi semel cõmuni sorte exemptam religiosè ac pro dignitate amplexi sumus, quæ ad eius certitudinem animis nostris inserendam & infigendam non adeò valebant, tunc aptissima sunt adminicula. Mirum enim quantum confirmationis ex eo accedat, dum intentiore studio reputamus quàm ordinata & disposita illic appareat diuinæ sapientiæ dispensatio, quàm cælestis vbique &

nihil terrenum redolens doctrina,quàm pulchra partium omnium inter se consensio,& eiusmodi reliqua quæ ad conciliandam scriptis maiestatem conueniunt. Tum verò solidius adhuc confirmãtur corda nostra dum cogitamus rerum magis dignitate quàm verborum gratia,in eius admirationem nos rapi.Nam & hoc non sine eximia Dei prouidentia factum est,vt sublimia regni cælestis mysteria sub cõtemptibili verborum humilitate bona ex parte traderentur:ne si splendidiore eloquentia illustrata forẽt, cauillarẽtur impii,solam eius vim hîc regnare.Nunc quum inculta illa, & tantùm non rudis simplicitas maiorem sui reuerentiam excitet quàm vlla Rhetorum facundia,quid iudicare licet nisi potentiorem Scripturæ sacræ vim veritatis constare, quàm vt verborum arte indigeat?

1. Cor. 2.a.4 Non ergo absque ratione Apostolus Dei virtute, non humana sapientia, fundatam esse fidem Corinthiorum arguit,quòd sua inter eos prædicatio,non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione Spiritus & potentiæ commendabilis fuisset. siquidem ab omni dubitatione vindicatur veritas, vbi non alienis suffulta præsidiis, sola ipsa sibi ad se sustinendam sufficit. Hæc autem virtus quàm propria sit Scripturæ,inde liquet,quòd ex humanis scriptis quamlibet artificiosè expolitis,nullum omnino perinde ad nos afficiendos valet.Lege Demosthenem,aut Ciceronẽ: lege Platonem, Aristotelẽ,aut alios quosvis ex illa cohorte:mirum in modum,fateor,te alliciẽt,oblectabunt,mouebunt, rapient: verùm inde si ad sacram istã lectionem te conferas,velis nolis ita viuidè te afficiet, ita cor tuum penetrabit, ita medullis insidebit,vt præ istius sensus efficacia, vis illa Rhetorũ ac Philosophorum propè euanescat.vt promptum sit perspicere,diuinũ quiddam spirare sacras Scripturas,quæ omnes humanæ industriæ dotes ac gratias tãto interuallo superent.

2 Fateor quidem Prophetis nonnullis elegans & nitidum, imò etiam splendidum esse dicendi genus: vt profanis scriptoribus non cedat eorum facundia.ac talibus exemplis voluit ostendere Spiritus sanctus non sibi defuisse eloquentiam dum rudi & crasso stylo alibi vsus est.Cæterùm siue Dauidẽ,Iesaiam & similes legas, quibus suauis & iucunda fluit oratio,siue Amos hominem pecuarium,Ieremiam & Zachariam, quorũ asperior sermo rusticitatem sapit, vbique conspicua erit illa quam dixi Spiritus maiestas. Nec me latet,vt Satan in multis est Dei æmulus,quo se fallaci similitudine melius insinuet in animos simpliciũ, ita impios errores quibus miseros homines fallebat, astutè sparsisse inculto sermone & ferè barbaro,& sæpe obsoletis loquendi formis vsum esse, vt sub hac larua tegeret suas imposturas.sed quàm inanis & putida sit affectatio, vident omnes mediocri sensu prædiți.Quantũ verò ad sacram Scripturam attinet,quãuis multa arrodere conentur proterui homines,constat tamen sententiis refertã esse quæ humanitus concipi non potuerint.Inspiciãtur singuli Prophetæ:nemo reperietur qui non longè excesserit humanum modum: vt palato prorsus carere censendi sint quibus insipida est eorum doctrina.

3 Tractarunt alii hoc argumentũ copiosè: quo fit vt pauca tantùm delibare in præsens sufficiat quæ ad summam totius causæ maximè faciũt.Præter ea quæ iam attigi,non parum habet ponderis ipsa Scripturæ antiquitas. Nam vtcunque Græci scriptores de Ægyptiaca theologia multa fabulentur,nullum tamen cuiusquã religionis monumentũ extat quod non sit Mosis seculo longè inferius. Neque Moses nouum Deum comminiscitur:sed quod de æterno Deo longa temporũ serie à patribus quasi per manus traditum acceperant Israelitæ,proponit. Quid enim aliud agit,quàm vt ad fœdus ipsos reuocet cũ Abrahamo initum? Quòd si rem inauditam attulisset,nullus erat accessus:sed oportuit liberationem à seruitute,in qua detinebãtur,rem omnibus notam ac tritam esse:vt audita eius mentio protinus omnium animos erigeret.Quinetiam de quadringentorum annórum numero probabile est fuisse edoctos.Nunc reputandũ est,si à tam alto exordio Moses(qui tamen ipse tanto interuallo temporum superat alios omnes scriptores)repetit doctrinæ suæ traditionem,quantum vetustate Scriptura sacra inter alias omnes emineat.

4 Nisi fortè Ægyptiis credere libeat vetustatẽ suam extendentibus ad sex annorum millia ante creatum mundũ.Sed quum profanis etiam quibusque semper ludibrio fuerit eorum garrulitas,non est cur in eius refutatione laborem. Citat autem Iosephus contra Appiõnem testimonia memoratu digna ex antiquissimis scriptoribus, vnde colligere licet,gentium omnium consensu doctrinam in Lege proditam ab vltimis seculis fuisse celebrem,quãuis neque lecta neque verè cognita fuerit.Iam nequa hęreret apud malignos suspicio,nequa etiam improbis cauillandi esset ansa, vtrique periculo optimis remediis Deus occurrit. Dũ refert Moses quid trecẽtis ferè antè annis cælesti afflatu pronũtiasset

Iacob

Iacob de posteris suis, quomodo tribum suam nobilitat? Imò eam notat æterna infamia in persona Leui. Simeon, inquit, & Leui vasa iniquitatis: in consilium eorum non veniat anima mea, nec in arcanum eorũ lingua mea. Certè potuit dedecus illud silere, non tantùm vt patri suo parceret, sed ne seipsum cum tota familia aspergeret eiusdé ignominiæ parte. Quomodo suspectus esse poterit qui primum familiæ ex qua oriundus erat, authorem Spiritus sancti oraculo detestabilem fuisse vltrò prædicans, neque priuatim sibi consulit, neque recusat subire inuidiam apud gẽtiles suos, quibus haud dubiè hoc molestum erat? Quum etiam impium Aaronis germani fratris & Mariæ sororis murmur commemorat, dicemúsne ex carnis suæ sensu loqui, an parere Spiritus sancti imperio? Adhæc quum summa eius esset authoritas, cur saltem ius summi Sacerdotii non relinquit filiis suis, sed in vltimum locum eos ablegat? Pauca tantùm ex multis delibo: sed in ipsa Lege passim occurrent multa argumenta quæ vendicent plenam fidem, vt absque controuersia Moses quasi Dei Angelus è cælo prodeat.

Gene. 49. a. 5, 6

Nume. 12. a. 1

5 Iam verò tot ac tam insignia quæ refert miracula, totidem sunt Legis ob ipso latæ proditæque doctrinæ sanctiones. Nam quòd nube abreptus fuit in montem: quòd illic vsque ad diem quadragesimum humano contubernio exemptus fuit: quòd in ipsa Legis promulgatione facies eius tanquam solaribus radiis fulgebat: quòd vndique micabant fulgetra: tonitrua & fragores toto aere exaudiebantur: tuba etiam nullo humano ore inflata clangebat: quòd tabernaculi ingressus nube opposita excipiebatur à conspectu populi: quòd horrendo Core, Dathan & Abirom, totiúsque impiæ factionis exitio tam mirificè vindicata fuit eius authoritas: quòd lapis virga percussus flumen protinus eiecit: quòd man è cælo ad eius precationem depluit: nónne hunc Deus ipsum cælitus cõmendabat tanquam indubium Prophetam? Siquis obiiciat, me sumere pro confessis quæ controuersia non careant, huius cauilli facilis est solutio. Nam quum hæc omnia pro concione publicauerit Moses, quis fingendi locus fuit apud ipsos rerum gestarũ oculatos testes? Scilicet prodiisset in medium, ac populum infidelitatis, contumaciæ, ingratitudinis aliorúmque scelerum coarguens, suam doctrinam sub ipsorum conspectu iactasset sancitam fuisse iis miraculis quæ ipsi nunquam vidissent.

Exo. 24. d. 18

Exo. 34. d. 29

Exo. 19. e. 16

Exo. 40. d. 34

Numer. 16. d. 24

Num. 20. b. 10

Num. 11. b. 9

6 Nam & hoc notatu dignũ, quoties narrat de miraculis, simul odiosè coniungi quę totum populum stimulare ad reclamandum poterant si vel minima fuisset occasio. vnde apparet non aliter vt subscriberent fuisse adductos, nisi quia plus satis conuicti erant sua experientia. Cæterùm quoniam res erat illustrior quàm vt profanis scriptoribus liberum esset negare edita fuisse à Mose miracula, calumniam illis suggessit pater mendacii, ea magicis artibus adscribens. Sed qua coniectura magnm fuisse insimulant qui tantopere ab hac superstitione abhorret, vt lapidibus obruere iubeat qui tantùm cõsuluerit magos & ariolos? Certè nemo impostor præstigiis ludit qui nõ obstupefacere vulgi animos studeat captandæ famæ causa. Quid autem Moses? se & fratrem Aaronẽ nihil esse clamans, sed tantùm exequi quæ Deus præscripsit, satis abstergit omnem sinistram notam. Iam si res ipsæ considerentur, quænam incantatio facere potuit vt man è cælo quotidie pluens, ad populum alendum sufficeret: siquis plus iusta mensura repositum haberet, ex ipsa putredine disceret incredulitatẽ suam diuinitus puniri? Adde quòd multis seriis probationibus sic examinari passus est Deus seruũ suum, vt nunc obstrepẽdo nihil proficiant improbi. Quoties enim superbè & petulãter nunc surrexit totus populus, nunc quidã inter se conspirando, sanctum Dei seruũ euertere conati sunt, eorũ furorem præstigiis eludere quî potuit? Et euentus palã docet, hoc modo sancitã in omnia secula fuisse eius doctrinã.

Exod. 7. b. 11

Leni. 20. a. 6

Exod. 16. b. 7

7 Adhæc quòd tribui Iuda in persona Patriarchę Iacob assignat principatũ, quis neget spiritu Prophetico factum esse: pręsertim si rem ipsam, vt euentu comprobata fuit, cogitationi nostrę subiicimus? Finge Mosen primum esse vaticinii authorem: ex quo tamen scriptum hoc memoriæ prodidit, prętereunt anni quadringenti quibus nulla est in tribu Iuda sceptri mentio. Post Saulem inauguratum videtur regia potestas in tribu Beniamin residere. Quum à Samuele vngitur Dauid, quænam eius trãsferendæ ratio apparet? Quis regem sperasset ex plebeia hominis pecuarii domo exiturũ? Et quum illic septem essent fratres, quis minimo natu honorem destinasset? Qua deinde ratione ad spem regni peruenit? Quis humana arte vel industria vel prudẽtia gubernatam fuisse vnctionem dicat, ac non potius vaticinii cælestis complementũ esse? Similiter quę de Gentibus in fœdus Dei cooptãdis, obscurè licet, prædicit, quum post duo ferè annorum millia euenerint, an non

Gen. 49. b. 10

1. Sam. 11. d. 15

1. Sam. 16. c. 13

diuino afflatu ipsum loquutũ esse palàm faciũt? Omitto alias prædictiones, quæ diuinam reuelationem ita planè spirant vt sanis hominibus constet Deum esse qui loquitur. Breuiter, vnum Canticum illustre speculum est in quo Deus euidenter apparet. Deut.32.

8 In reliquis autem Prophetis multo etiamnum clarius id cernitur. Pauca tantùm exempla deligam, quia in omnibus colligendis nimius esset labor. Quum Iesaiæ tempore pacatum esset regnum Iuda, imò quum in Chaldæis aliquid præsidii sibi repositum putaret, de excidio vrbis populique exilio concionabatur Iesaias. Vt demus nondum satis clarum specimen fuisse diuini instinctus, multo antè prædicere quæ tunc videbantur fabulosa, tandẽ vera apparuerũt: quæ tamen simul de redemptione vaticinia edit, vnde nisi à Deo profecta fuisse dicemus? Cyrum nominat, per quẽ subigendi erant Chaldæi, & populus in libertatẽ asserendus. Elapsi sunt anni plus centũ ex quo ita vaticinatus est Propheta, priusquã nasceretur Cyrus. nam hic cẽtesimo demũ anno aut circiter post illius mortem natus est. Nemo diuinare tunc poterat fore aliquem Cyrum cui cum Babyloniis bellum futurum esset: qui tam potenti monarchia sub manum suam redacta, finem Israelitici populi exilio imponeret. Nuda hęc narratio, sine vllo verborum ornatu, nónne indubia esse Dei oracula, nõ hominis coniecturas, quæ Iesaias loquitur, planè demõstrat? Rursus quum Ieremias prius aliquãto quàm populus abduceretur, annis septuaginta finiret tẽpus captiuitatis, reditúmque & libertatẽ indiceret, nónne à Spiritu Dei gubernari eius linguam oportuit? Cuius impudentię erit negare talibus documentis sancitam fuisse Prophetarum authoritatem, adeóque impletum esse quod ipsi iactant ad vindicandam sermonibus suis fidem? Priora ecce venerunt, noua annuntio: antequam oriantur, nota vobis faciam. Omitto quòd Ieremias & Ezechiel, quum tam procul essent dissiti, tamen eodem tempore prophetantes, in dictis omnibus perinde consentiebãt acsi mutuò alter alteri dictasset verba. Quid Daniel? annon vsque ad annum ferè sexcẽtesimum de rebus futuris prophetias ea cõtexit acsi historiam de rebus gestis & passim notis scriberet? Hæc si probè meditata habeant pii homines, ad compescendos impiorũ hominũ latratus abundè instructi erunt. clarior enim est ista demonstratio quàm vt vllis cauillis sit obnoxia. Ierem. 25. c. 11, 12. Iesa. 42. b. 9

9 Scio quid in angulis obstrepant quidam nebulones, vt in oppugnanda Dei veritate acumen ingenii sui ostentent. Quærunt enim, quis nos certiores fecerit à Mose & Prophetis hæc fuisse scripta quæ sub eorum nominibus legũtur. Quinetiam quæstionem mouere audẽt fuerítne vnquam aliquis Moses. At siquis indubium reuocet fuerítne vnquam vel Plato aliquis, vel Aristoteles, vel Cicero, quis non colaphis aut flagellis castigãdam talem insaniam dicat? Fuit Lex Mosis cælesti magis prouidentia, quàm hominum studio mirabiliter conseruata. Et quanquam negligentia Sacerdotum ad breue tempus sepulta iacuit, ex quo pius rex Iosias eam inuenit, per continuas ætatum successiones inter manus hominum versata est. Neque verò quasi rem ignotam aut nouam protulit Iosias, sed quæ semper vulgata fuerat, & cuius tunc celebris erat memoria. Dicatũ erat templo volumen prototypon: dicatum regiis archiuis descriptum inde exemplar. tantùm hoc acciderat quòd Sacerdotes Legem ipsam ex solenni more publicare desierant, & populus etiam ipse vsitatam lectionem neglexerat. Quid quòd nullum ferè seculum præteriit quo non confirmata renouatáque fuerit eius sanctio? an iis incognitus erat Moses qui Dauidem tractabant? Verùm, vt de omnibus simul loquar, certo certius est ipsorum scripta non aliter peruenisse ad posteros quàm de manu in manum, vt ita loquar, perpetua annorum serie à patribus tradita, qui partim loquẽtes audierant, partim recenti memoria discebant ab auditoribus, fuisse ita loquutos.

10 Imò quod ex Machabæorum historia obiiciunt ad eleuandam Scripturæ fidem, tale est vt nihil ad eam stabiliẽdam excogitari possit aptius. Primùm tamen quem obtendunt colorem diluamus: deinde in eos retorquebimus quam in nos machinam erigunt. Quum Antiochus, inquiunt, libros omnes iusserit concremari, vnde prodierunt quæ nunc habemus exemplaria? Ego autem vicissim interrogo in qua officina tam citò fabricari potuerint. Constat enim post sedatã sæuitiam mox extitisse, & à piis omnibus qui in eorũ doctrina educati familiariter eos nouerãt, sine controuersia fuisse agnitos. Quinetiã quũ omnes impii, quasi facta coniuratione, Iudæis tam proteruè insultauerint, nemo vnquã illis obiicere ausus est falsam librorum suppositionem. Nam qualiscũque, eorum opinione, sit religio Iudaica, Mosen tamẽ ipsius esse authorẽ fatẽtur. Quid ergo aliud quàm proteruiam suam plusquam caninã produnt isti blaterones, dum supposititios libros esse 1. Mac. 1. g. 59

mentiun

mentiuntur,quorum ſacra vetuſtas hiſtoriarum omniũ conſenſu approbatur?Sed ne refellendis tam putidis calũniis fruſtra plus operæ impendam,potius hinc reputemus quãtam Dominus conſeruandi Verbi ſui curam habuerit, quando ipſum ex truculentia ſæuiſſimi tyranni,quaſi ex preſenti incendio præter ſpem omniũ eripuit:quòd pios Sacerdotes alióſque tanta conſtantia inſtruxit,vt non dubitauerint theſaurum hunc vitæ ſuæ diſpẽdio,ſi opus foret,redemptum,ad poſteros tranſmittere:quòd acerrimam tot præſidum ac ſatellitum conquiſitionem fruſtratus eſt. Quis inſigne ac mirificũ Dei opus non agnoſcat,quòd ſacra illa monumenta quæ prorſus interiiſſe ſibi impii perſuaſerant,mox quaſi poſtliminio redierũt,& quidem maiore cum dignatione?Sequuta eſt enim Græca interpretatio quæ per totũ orbem ea vulgaret. Neque in eo tãtùm apparuit miraculum quòd fœderis ſui tabulas Deus à ſanguinariis Antiochi edictis vindicauit,ſed quòd inter tam multiplices gẽtis Iudaicæ clades,quibus ſubinde attrita & vaſtata, mox propè ad internecionem redacta fuit, ſaluæ tamen ſuperſtitéſque manſerunt. Lingua Hebræa non ignobilis modò, ſed propè incognita iacebat:& certè,niſi religioni conſultum voluiſſet Deus, in totum periiſſet. Quantum enim ex quo reuerſi ſunt ab exilio Iudæi, à linguæ patriæ genuino vſu deſciuerint,ex eius ſeculi Prophetis apparet:quod ideò notatu vtile eſt, quia ex hac comparatione clarius elicitur Legis & Prophetarum antiquitas. Et per quos ſalutis doctrinam in Lege & Prophetis comprehenſam nobis Deus ſeruauit, vt Chriſtus ſuo tempore patefieret?Per infeſtiſſimos Chriſti ipſius hoſtes Iudæos:quos meritò Eccleſiæ Chriſtianæ librarios Auguſtinus ideò appellat,quia nobis ſubminiſtrarunt lectionem cuius ipſi vſum non habent.

11 Porrò ſi ad nouum teſtamentum venitur, quàm ſolidis fulturis nititur eius veritas? Hiſtoriam humili abiectóque ſermone tres Euangeliſtæ recitant.faſtidio eſt multis ſuperbis iſta ſimplicitas:nempe quoniam ad præcipua doctrinæ capita non attẽdunt, ex quibus colligere facilè eſſet eos ſupra humanum captum de cæleſtibus myſteriis diſſerere.Certè quicunque ingenui pudoris gutta prẽditi erunt,lecto primo capite Lucæ pudefient.Iam Chriſti conciones,quarum ſumma à tribus illis Euãgeliſtis perſtringitur,omni contemptu eorum ſcripta facilè eximunt.Iohannes autem è ſublimi tonans, quos nõ cogit in obſequium fidei,eorum peruicaciã quolibet fulmine validius proſternit.Prodeant in medium omnes iſti naſuti cenſores,quibus ſumma voluptas eſt Scripturæ reuerẽtiam ex ſuis & aliorum cordibus excutere.legant Iohãnis Euangelium:velint nolint,illic reperient mille ſententias quę ſaltem eorum ſocordiam expergefaciant:imò quę eorum conſcientiis ad cohibendos eorum riſus horribile inurant cauteriũ. Eadem Pauli & Petri ratio eſt,in quorum ſcriptis quãuis maior pars cæcutiat,ipſa tamen cæleſtis maieſtas deuinctos ſibi omnes & quaſi conſtrictos tenet. Vnum verò hoc eorum doctrinam ſupra mundũ ſatis ſupérque attollit, quòd Matthęus ad menſæ ſuę quęſtum antea affixus,Petrus & Iohannes in nauiculis ſuis verſati,omnes craſſi idiotę nihil didicerant in hominum ſchola quod aliis traderent. Paulus verò non tantum ex profeſſo hoſte,ſed etiam ſæuo & ſanguinario, conuerſus in nouum hominem,ſubita & inſperata mutatione oſtendit cæleſti imperio ſe compulſum doctrinam quam oppugnauerat aſſerere.Negent canes iſti Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos delapſum eſſe,vel ſaltem hiſtoriæ fidem abrogent: res tamen palàm clamitat à Spiritu fuiſſe edoctos,qui antè in ipſa plebe cõtemptibiles, repentè de cæleſtibus myſteriis tam magnificè diſſerere cœperunt.

12 Adde quòd aliæ quoque ſunt optimæ rationes cur põdere ſuo non careat Eccleſiæ conſenſus. Neque enim pro minimo ducendum eſt,ex quo Scriptura publicata fuit, tot ſeculorũ voluntates conſtanter in eius obedientiã conſenſiſſe:& vtcunque miris modis eam vel opprimere,vel euertere,vel inducere prorſus & ex hominum memoria oblitterare Satan cũ toto mundo conatus ſit,ſemper tamen inſtar palmę ſuperiorẽ euaſiſſe,& inexpugnabilem perſtitiſſe.Siquidem nemo ferè excellentiore ingenio, vel ſophiſta, vel rhetor olim fuit,qui vim ſuam aduerſus ipſam non intenderet: nihil tamen profecerunt omnes. In eius excidium vniuerſa terræ potentia ſe armauit:& in fumũ abierunt omnes eius conatus. Quomodo tã validè vndequaque impetita reſtitiſſet,nonniſi humano freta præſidio?Quin magis hoc ipſo à Deo eſſe cõuincitur,quòd reluctãtibus humanis omnibus ſtudiis,ſua tamen virtute vſque emerſerit. Adde etiã huc,quòd non vna ciuitas,non gens vna in eam recipiendam & amplexandã conſpirauit:ſed quàm longè latéque patet terrarum orbis, variarum gentium, quibus alioqui nihil inter ſe commune erat, ſancta

conſpiratione ſuam authoritatem adepta eſt. Porrò quum plurimũ nos mouere debeat talis conuenientia tam diuerſorum animorum, & rebus omnibus alioqui inter ſe diſſidentium, quando eam nonniſi cæleſti numine conciliatam apparet: non parum tamen grauitatis illi accreſcit, dũ intuemur in eorum pietatem qui ſic cõueniunt, non omnium quidem, ſed quibus, ceu luminibus, fulgere Eccleſiam ſuam Dominus voluit.

13 Iam quanta ſecuritate nos ei doctrinæ nomen dare paſſ eſt, quam tot ſanctorum virorum ſanguine ſancitam ac teſtificatam videmus? Illi pro ſemel ſuſcepta non dubitarunt mortem animoſè & intrepidè, atque adeo magna alacritate oppetere: nos cum tali arrhabone ad nos tranſmiſſam, quî non certa & inconcuſſa perſuaſione ſuſciperemus? Non ergo eſt mediocris Scripturæ approbatio, tot teſtium ſanguine fuiſſe obſignatam: præſertim dum reputamus, eos mortem ad reddẽdum fidei teſtimonium oppetiiſſe, non fanatica intemperie, qualiter interdum erratici ſpiritus ſolent: ſed firmo conſtantíque, ſobrio tamen Dei zelo. Aliæ ſunt nec paucæ nec inualidæ rationes, quibus ſua Scripturæ dignitas ac maieſtas non modò aſſeratur piis pectoribus, ſed aduerſus calumniatorum technas egregiè vindicetur: ſed quæ non ſatis per ſe valeant ad firmam illi fidem comparandam, donec eius reuerentiam cæleſtis Pater, ſuo illic numine patefacto, omni controuerſia eximit. Quare tum verè demum ad ſaluificam Dei cognitionem Scriptura ſatiſfaciet, vbi interiori Spiritus ſancti perſuaſione fundata fuerit eius certitudo. Quæ verò ad eam confirmandam humana extant teſtimonia, ſic inania non erunt, ſi pręcipuum illud & ſummum, velut ſecundaria noſtræ imbecillitatis adminicula, ſubſequãtur. Sed ineptè faciunt qui probari volunt infidelibus, Scripturam eſſe verbum Dei: quod niſi fide, cognoſci nequit. Meritò itaque Auguſtinus, qui pietatem & pacem mentis debere præcedere admonet, vt de tantis rebus aliquid homo intelligat.

De vtilitate credendi.

Omnia pietatis principia euertere fanaticos, qui poſthabita Scriptura, ad reuelationem anſuolant. CAP. IX.

PORRO qui repudiata Scriptura, neſcio quam ad Deum penetrandi viam imaginantur, nõ tam errore teneri quàm rabie exagitari putandi ſunt. Emerſerunt enim nuper vertiginoſi quidam, qui Spiritus magiſterium faſtuoſiſſimè obtẽdentes, lectionem ipſi omnem reſpuunt, & eorum irrident ſimplicitatem qui emortuam & occidentem, vt ipſi vocant, literam adhuc conſectãtur. Sed velim ab ipſis ſcire quiſnã ſit iſte ſpiritus cuius afflatu eò ſublimitatis euehuntur, vt Scripturę doctrinã ceu puerilem & humilem deſpicere auſint. Nam ſi Chriſti Spiritum eſſe reſpõdent, perquàm ridicula eſt eiuſmodi ſecuritas: ſiquidem Apoſtolos Chriſti, alióſque in prima Eccleſia fideles non alio ſpiritu illuminatos fuiſſe, vt opinor, concedent? Atqui nullus eorũ verbi Dei cõtemptum inde didicit, ſed vnuſquiſque potius maiore reuerentia imbutus fuit: quemadmodum eorum ſcripta luculentiſſimè teſtantur. Et ſanè ſic per os Ieſaiæ prædictum fuerat. Neque enim vbi dicit, Spiritus meus qui in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo nõ diſcedẽt ab ore tuo, neque ab ore ſeminis tui in perpetuum, veterem populum externę doctrinæ aſtringit acſi elemẽtarius eſſet: quin potius veram hanc & plenã ſub Chriſti regno fœlicitatem nouæ Eccleſiæ fore docet, vt nõ minus voce Dei quã Spiritu regatur. vnde colligimus, nefando ſacrilegio diuelli ab iſtis nebulonibus quæ indiſolubili nexu Propheta coniunxit. Huc adde quòd Paulus in tertium vſque cælũ raptus, non deſtitit tamen proficere in doctrina Legis & Prophetarũ: ſicuti & Timotheum ſingularis præſtãtiæ doctorẽ hortatur vt lectioni attẽdat. Ac memoratu dignum eſt elogium illud quo Scripturam ornat, vtilem eſſe ad docẽdum, monendum, arguendũ, quo perfecti reddantur ſerui Dei. Quàm diabolici furoris eſt caducum vel temporalem Scripturę vſum fingere, quæ ad vltimã vſque metam filios Dei deducit? Deinde & hoc mihi reſponderi ab ipſis velim, an alium hauſerint ſpiritũ ab eo quẽ diſcipulis ſuis Dominus promittebat. Tametſi extrema inſania vexãtur, non tamẽ eos tanta vertigine puto raptari vt id iactare auſint. Qualem autem fore promittẽdo denuntiabat? nẽpe qui non à ſeipſo loqueretur, ſed ſuggereret eorũ animis & inſtillaret quę ipſe per verbũ tradiſſet. Non ergo promiſſi nobis Spiritus officiũ eſt, nouas & inauditas reuelationes cõfingere, aut nouũ doctrinæ genus procudere, quo à recepta Euangelii doctrina abducamur: ſed illam ipſam quæ per Euangelium cõmendatur, doctrinã mentibus noſtris obſignare.

Ieſa.59.d.21.

1.Timo.4.d.13

2.Timo.3.d.16

Iohan.13.b.10

2 Vnde facilè intelligimus, Scripturę & lectioni & auſcultationi eſſe ſtudioſè incumbendum, ſiquem à Spiritu Dei vſum ac fructũ percipere libet (ſicuti etiam laudat Petrus

2.Pet.1.d.19

eorum

eorum ſtudium qui attenti ſunt ad Propheticam doctrinam, quæ tamen videri poterat loco ceſſiſſe poſt exortam Euangelii lucem) contrà verò, ſiquis ſpiritus, præterita verbi Dei ſapientia, aliam doctrinam nobis ingerit, eum meritò vanitatis ac mendacii ſuſpectum eſſe debere. Quid enim? quum ſe Satan in angelum lucis tranſſiguret, quam authoritatem habebit apud nos Spiritus niſi certiſſima nota diſcernatur? Et ſanè perſpicuè nobis deſignatus eſt voce Domini: niſi quia ſponte in ſuum exitium errare affectant miſeri iſti, dum Spiritum è ſeipſis potius quàm ab ipſo quærunt. At verò indignum eſſe cauſantur, Spiritum Dei, cui ſubiiciẽda ſunt omnia, Scripturæ ſubiacere. Quaſi verò ſit hoc ignominioſum Spiritui ſancto, ſibi eſſe vbique parem & conformem, ſibi per omnia conſtare, nuſquam variare. Equidem ſi ad humanam, vel angelicam, vel alienam quamvis regulum exigeretur, cẽſendus tum eſſet, in ordinem, adde etiam ſi placet, in ſeruitutem redigi. ſed dum ſibiipſi comparatur, dum in ſeipſo conſideratur, quis ideo dicet irrogari ei iniuriam? Atqui ita ad examen reuocatur: fateor: ſed quo ſuam apud nos maieſtatem ſanciri voluit. Nobis abundè eſſe debet, ſimul atque ſe nobis inſinuat. Verùm ne ſub titulo ſuo Satanæ ſpiritus obrepat in ſua imagine quam Scripturis impreſſit, vult à nobis recognoſci. Scripturarum author eſt: varius diſſimiliſque eſſe non poteſt. Qualem igitur ſe illic ſemel prodidit, talis perpetuò maneat oportet. Hoc contumelioſum illi non eſt: niſi fortè honorificum ducamus à ſeipſo deſciſcere & degenerare.

3 Quòd verò literæ occidenti nos incubare cauillãtur, in eo pœnas luunt contẽptæ Scripturæ. Satis enim conſtat Paulum illic aduerſus pſeudoapoſtolos contendere, qui quidem Legem citra Chriſtum commendantes, à Noui teſtamenti beneficio populum auocabant, quo paciſcitur Dominus ſe Legem ſuam in fidelium viſcera inſculpturum, & cordibus inſcripturũ. Emortua eſt igitur litera, & ſuos lectores necat lex Domini, vbi & à Chriſti gratia diuellitur, & intacto corde, auribus tãtùm inſonat. Verùm ſi per Spiritum efficaciter cordibus imprimitur, ſi Chriſtum exhibet: Verbum eſt vitæ, conuertens animas, ſapientiam præſtans paruulis, &c. Quinetiam eodem loco prædicationẽ ſuam Apoſtolus miniſterium Spiritus vocat: nimirũ ſignificans, ita ſuæ quam in Scripturis expreſſit, veritati inhærere Spiritum ſanctum, vt vim tum demum ſuam proferat atque exerat vbi ſua conſtat Verbo reuerentia ac dignitas. Nec his repugnat quod nuper dictum eſt, Verbum ipſum non valde certum nobis eſſe niſi Spiritus teſtimonio cõfirmetur. Mutuo enim quodam nexu Dominus Verbi Spiritúſque ſui certitudinem inter ſe copulauit: vt ſolida Verbi religio animis noſtris inſidat, vbi affulget Spiritus qui nos illic Dei faciẽ contemplari faciat: vt viciſſim nullo hallucinationis timore Spiritum amplexemur, vbi illum in ſua imagine, hoc eſt in Verbo, recognoſcimus. Ita eſt ſanè. Nõ Verbum hominibus ſubitæ oſtentationis cauſa in medium protulit Deus, quod Spiritus ſui aduentu extemplò aboleret, ſed eũdem Spiritum cuius virtute Verbum adminiſtrauerat, ſubmiſit, qui ſuum opus efficaci Verbi confirmatione abſolueret. In hunc modum Chriſtus diſcipulis duobus ſenſum aperiebat: non vt abiectis Scripturis per ſe ſaperent: ſed vt Scripturas intelligerent. Similiter Paulus, dum hortatur Theſſalonicenſes ne Spiritum extinguant, non ſublimiter eos arripit ad inanes ſine Verbo ſpeculationes: ſed continuò ſubiicit, non ſpernendas prophetias. Quo proculdubiò innuitur, Spiritus lucem præfocari ſimul atque in contemptum veniunt prophetiæ. Quid ad hæc tumidi iſti ἐνθουσιαζαὶ, qui hanc vnam reputant eximiam illuminationem, vbi ſecurè omiſſo ac valere iuſſo Dei verbo, quicquid ſtertendo conceperint, non minus confidenter quàm temere arripiunt? Filios certe Dei longè alia decet ſobrietas: qui vt omni veritatis luce, ſine Dei Spiritu, orbatos ſe vident, ita non ignorant, Verbum eſſe organum quo Spiritus ſui illuminationem fidelibus Dominus diſpenſat. Alium enim Spiritum neſciunt quàm qui in Apoſtolis habitauit & loquutus eſt: cuius oraculis aſſiduè ad Verbi audientiam reuocantur.

2. Cor. 3. b. 6

2. Cor. 3. b. 8

Luc. 24. d. 27

1. Theſſ. 5. c. 19. 20

Scripturam, vt omnem ſuperſtitionem corrigat, verum Deum excluſiuè opponere diis omnibus Gentium. CAP. X.

SED enim quoniam Dei notitiam, quæ in mũdi machina vniuerſíſque creaturis non obſcurè alioqui proponitur, familiarius tamen etiamnum & clarius Verbo docuimus explicari: iam operæpretiũ eſt expendere ecquid ſe talem Dominus in Scriptura nobis repræſentet qualem in operibus ſuis delineari, prius viſum eſt. Longa certe materia: ſiquis in ea diligentius tractanda immorari velit. At ego velut indicem propoſuiſſe contentus ero, quo monitæ piæ mẽtes,

quid potiſſimum in Scripturis de Deo inueſtigãdum ſit norint,& ad certum eius inquiſitionis ſcopum dirigantur. Nondum attingo peculiare fœdus quo genus Abrahæ à reliquis Gentibus diſtinxit. Nam gratuita adoptione recipiens in filios qui hoſtes erant, Redemptor iam tunc apparuit: nos autem adhuc in ea notitia verſamur quę in mundi creatione ſubſiſtit, neque aſcẽdit ad Chriſtum Mediatorem. Etſi autem paulo pòſt quoſdam ex nouo teſtamento locos citare operæpretium erit (ſicuti etiam inde & potentia Dei creatoris,& prouidentia in primę naturę conſeruatione probatur) lectores tamen monitos volo quid nunc agere mihi propoſitum ſit, ne fines ſibi præſcriptos tranſiliant. denique tenere in præſentia ſufficiat quomodo Deus cæli & terræ opifex mundum à ſe conditum gubernet. Paſſim verò celebratur & paterna eius bonitas,& volũtas ad beneficentiam procliuis: & exempla tradũtur ſeueritatis, quæ iuſtum ſcelerum vltorem eſſe oſtendunt, præſertim vbi tolerantia ſua contra obſtinatos nihil proficit.

2 Certis quidem locis dilucidæ magis deſcriptiones nobis proponuntur, quibus εἰκονικῶς viſenda exhibetur germana eius facies. Nam quum eam deſcriberet Moſes, videtur ſanè voluiſſe breuiter comprehendere quicquid de ipſo intelligi ab hominibus fas
Exod. 34.a.6 eſſet. Iehouah, inquit, Iehouah, Deus miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera, apud quem innocẽs non erit innocens, qui reddis iniquitatẽ patrum filiis ac nepotibus. Vbi animaduertamus eius æternitatem καὶ αὐτουσίαν, magnifico illo nomine bis repetito, prædicari: deinde commemorari eius virtutes, quibus nobis deſcribitur nõ quis ſit apud ſe, ſed qualis erga nos: vt iſta eius agnitio viuo magis ſenſu, quàm vacua & meteorica ſpeculatione cõſtet. Virtutes porrò eaſdem hîc enumerari audimus quas notauimus in cælo & terra relucere: clementiam, bonitatem, miſericordiam, iuſtitiã, iudicium, veritatem. Nam virtus & potentia ſub titulo Elohim continetur. Iiſdem etiam epithetis illum inſigniunt Prophetæ, quum ad plenũ volunt ſanctum eius nomen illuſtrare. Ne multa con-
Pſal. 145. gerere cogamur, in præſentia nobis Pſalmus vnus ſufficiat: in quo tam exactè ſumma omnium eius virtutũ recenſetur, vt nihil omiſſum videri queat. Et nihil tamen illic poni tur quod non liceat in creaturis contemplari. Adeò talem ſentimus, experiẽtia magiſtra,
Iere. 6. g. 24 Deum, qualem ſe verbo declarat. Apud Ieremiam, vbi pronuntiat qualis agnoſci à nobis velit, deſcriptionem proponit non ita plenam, ſed eodem planè recidentem. Qui gloriatur, inquit, in hoc glorietur, quòd me nouerit Dominum qui facio miſericordiam, iudicium,& iuſtitiam in terra. Tria certè hæc apprimè nobis cognitu ſunt neceſſaria: Miſericordia, qua ſola cõſiſtit noſtra omnium ſalus: Iudiciũ, quod in flagitioſos quotidie exercetur,& grauius etiam eos manet in æternum exitium: Iuſtitia, qua cõſeruantur fideles, & benigniſſimè fouentur. Quibus cõprehenſis, te abũdè habere vaticinium teſtatur quo poſſis in Deo gloriari. Neque tamen ita omittuntur aut veritas eius, aut potentia, aut ſanctitas, aut bonitas. Quomodo enim conſtaret, quæ hîc requiritur iuſtitiæ, miſericordiæ, iudicii eius ſcientia, niſi veritate eius inflexibili niteretur? Et quomodo crederetur terram iudicio & iuſtitia moderari, niſi intellecta eius virtute? Vnde autem, niſi ex bonitate, miſericordia? Si denique viæ omnes eius ſunt miſericordia, iudicium, iuſtitia, in illis quoque & ſanctitas conſpicua eſt. Porrò non in alium ſcopum deſtinatur, quæ in Scripturis nobis proponitur Dei notitia, quàm quæ in creaturis impreſſa nitet: nempe ad Dei timorem primùm, deinde ad fiduciam nos inuitat: quo ſcilicet & perfecta vitæ innocentia,& non ſimulata obedientia colere illũ diſcamus tum ab eius bonitate toti depẽdere.

3 Sed hîc ſummam generalis doctrinæ colligere propoſitũ eſt. ac primò quidem obſeruent lectores, Scripturã vt ad verũ Deũ nos dirigat, diſertè excludere ac reiicere deos omnes Gentium, quia ſæculis ferè omnibus paſſim adulterata fuit religio. Verũ quidẽ eſt, vnius Dei nomen vbique fuiſſe notum ac celebre. Nam qui ingẽtem deorum turbã colebant, quoties ex genuino naturę ſenſu loquuti ſunt, acſi vnico Deo cõtenti eſſent, ſimpliciter vſi ſunt Dei nomine. atque hoc prudẽter notauit Iuſtinus martyr, qui in hũc finem librum compoſuit De monarchia Dei, vbi ex plurimis teſtimoniis oſtẽdit vnitatem Dei fuiſſe omnium cordibus inſculptam. Idem etiam Tertullianus ex cõmuni ſermone probat. Sed quia omnes ad vnum vanitate ſua vel tracti vel prolapſi ſunt ad falſa commenta, atque ita euanuerunt eorum ſenſus, quicquid naturaliter ſenſerũt de vnico Deo non vltrà valuit niſi vt eſſent inexcuſabiles. Nam & ſapientiſſimi quique eorum vagum mentis ſuæ errorem palàm aperiunt, vbi Deum quempiam ſibi adeſſe cupiunt: & ita votis in-

uocant

uocant incertos deos. Adde quòd multiplicem Dei naturam imaginãdo,licet minus absurdè quàm rudè vulgus de Ioue, Mercurio, Venere, Minerua & aliis sentirent, non fuerunt ipsi quoque immunes à Satanæ fallaciis.ac iam alibi diximus, quæcũque effugia argutè excogitarunt Philosophi, crimẽ defectionis non diluere quin ab omnibus corrupta fuerit Dei veritas. Hac ratione Habacuc, vbi idola omnia damnauit, Deum in tẽplo suo quærere iubet,ne alium admitterent fideles quàm qui se verbo suo patefecerat. Habac. 2. d. 20

Deo tribuere visibilem formam nefas esse,ac generaliter deficere à vero Deo quicunque idola sibi erigunt. CAP XI.

VERVM vt Scriptura rudi crassóque hominum ingenio cõsulens, populariter loqui solet, vbi verũ Deum à falsis discernere vult, idolis præcipuè eum opponit.non quòd probet quæ subtilius & elegantius à Philosophis traduntur, sed quo melius detegat mundi stultitiam, imò amentiam in quærẽdo Deo, quãdiu suis quisque speculationibus adhæret.Exclusiua igitur definitio quæ passim occurrit, in nihilum redigit quicquid diuinitatis propria opinione sibi fabricant homines:quia Deus ipse solus est de se idoneus testis.Interea quum hic brutus stupor totum orbem occupauerit, vt visibiles Dei figuras appererẽt, atque ita ex ligno,lapide,auro, argento,aliáve mortua & corruptibili materia formarent deos,tenendũ nobis est hoc principium,impio mendacio corrumpi Dei gloriam quoties ei forma vlla affingitur.Itaque Deus in Lege postquam sibi vni asseruit Deitatis gloriã, vbi docere vult quem cultum probet vel repudiet,mox adiungit: Non facies tibi sculptile, neque similitudinẽ vllam:quibus verbis licentiam nostram coercet, ne ipsum vlla visibili effigie repræsentare tentemus.ac formas omnes breuiter enumerat,quibus iam olim cœperat eius veritatem in mendacium cõuertere superstitio. Scimus enim Solem adoratum fuisse à Persis. quotquot etiam astra in cælo cernebant stultæ Gentes,totidem sibi finxerunt deos. Iam nullum propè animal fuit quod AEgyptiis non esset Dei figura.Græci verò supra alios sapere visi sunt,quòd sub humana forma Deũ colerẽt.Atqui imagines Deus inter se nõ cõparat, quasi altera magis,altera minꝰ cõueniat: sed absque exceptione repudiat simulachra omnia,picturas,aliáque signa quibus eum sibi propinquum fore putarunt superstitiosi. Exo.20.a.4 Maximus Tyrius Platonic. Serm. 38

2 Id colligere promptũ est ex rationibus quas prohibitioni adiungit.Primũ apud Mosen, Memẽto quòd Iehouah loquutus tibi sit in valle Horeb: vocem audisti,corpus non vidisti.obserua ergo teipsum,ne fortè deceptus, facias tibi vllam similitudinẽ, &c. Videmus vt apertè vocem suam opponat Deus omnibus figuris: vt sciamus à Deo descisцere quicũque visibiles eius formas appetũt. Ex Prophetis sufficiet vnus Iesaias qui in hac demõstratione plurimus est,vt doceat indecora & absurda fictione fœdari Dei maiestatem, dum incorporeus materia corporea, inuisibilis visibili simulachro,spiritus re inanimata, immensus exigui ligni,lapidis,vel auri frusto assimilatur.In eundem quoque modum ratiocinatur Paulus: Genus quum simus Dei, non existimandum auro,& argẽto, aut lapidi arte sculpto,aut inuẽto hominis Diuinũ esse simile. Vnde constat,quicquid statuarum erigitur vel imaginum pingitur ad Deum figurandum, simpliciter ei displicere ceu quædam maiestatis suæ dedecora. Et quid mirũ si hæc è cælo Spiritus sanctus oracula detonet,quum ad talem confessionem è terra edendam miseros quoque & cæcos idololatras cogat?Nota est illa Senecæ querimonia, quæ apud Augustinum legitur: Sacros (inquit) immortales,inuiolabilésque deos in materia vilissima,atque ignobili dedicãt,illísque hominum & ferarum habitus induunt:quidam verò mixto sexu,& diuersis corporibus: ac numina vocant quæ si accepto spiritu occurrerent,monstra haberentur.vnde rursus palàm apparet, friuolo cauillo elabi imaginum patronos, qui obtendunt Iudæis fuisse vetitas quòd ad superstitionem procliues essent. Quasi verò ad gentem vnã pertineat quod Deus ex æterna sua essentia, & continuo naturæ ordine, adducit. Neque verò Iudæos Paulus alloquebatur,sed Athenienses,quum errorem in Deo figurando refelleret. Deut.4. c.15 Iesa.40.d.18 & 41.b.7, g. 29,& 45.b.9, & 46.b.5 Act.17.g. 29 Lib. de Ciuit. Dei, ca. 10

3 Exhibuit quidẽ interdum Deus certis signis numinis sui præsentiã, vt diceretur spectari facie ad faciem: sed omnia quæ vnquã edidit signa,aptè quadrabãt ad rationem docẽdi, & simul apertè monebant homines de incomprehensibili eius essentia. Nubes enim & fumus & flãma,quanquam symbola erant cælestis gloriæ,quasi iniecto fræno cohibebant omniũ mentes ne penetrare altius tentarent. Quare ne Moses quidem(cui tamen præ aliis familiarissimè se patefecit) precibus adeptus est vt faciẽ illã cerneret. quin responsum accepit,non esse hominẽ tanti fulgoris capacẽ.Apparuit Spiritus sanctus sub Deut.4. b.11 Exo.33. c.13 Matth.3.d. 16

ſpecie columbæ:ſed dum protinus euanuit,quis non videt, vnius momenti ſymbolo admonitos eſſe fideles Spiritum inuiſibilem credendum eſſe? vt eius virtute & gratia contenti,nullam ſibi externam figuram accerſerent.Nam quòd ſub forma hominis Deus interdum apparuit, præludiũ fuit futuræ in Chriſto reuelationis. Itaque hoc prætextu mi-
Exo.25.b.17 18,21 nimè licuit Iudæis abuti vt ſibi deitatis ſymbolum erigerẽt ſub humana figura. Propitiatorium quoque, vnde præſentiam virtutis ſuæ ſub Lege exeruit Deus, ſic compoſitum erat vt innueret optimum diuinitatis aſpectum hunc eſſe,dum animi ſupra ſe admiratione efferuntur. Cherubim ſiquidem alis extentis illud operiebant: velum obtegebat: locus ipſe procul reconditus ſatis per ſe occulebat.Proinde inſanire eos minimè obſcurum eſt qui ſimulachra Dei & Sanctorum exemplo illorum Cherubim defendere conantur. Quid enim obſecro volebant imagunculæ illæ, niſi imagines repræſentandis Dei myſteriis non eſſe idoneas? quando in hoc formatæ erant, vt alis velantes propitiatorium, non oculos modò humanos, ſed omnes ſenſus prohiberent à Dei intuitu: atque ita temeritatẽ corrigerent. Huc accedit quòd Prophetæ Seraphim ſibi in viſione oſtẽſos velata facie
Ieſa. 62. 1, b.6. nobis pingunt: quo ſignificãt tantum eſſe diuinæ gloriæ fulgorem vt Angeli quoque ipſi à recto intuitu arceantur, & tenues eius ſcintillæ, quæ in Angelis emicant, ab oculis noſtris ſint ſubducta. Quanquam Cherubim de quibus nunc agitur, ad veterem Legis pædagogiam pertinuiſſe agnoſcunt quicunque rectè iudicant. Ita in exemplum eos trahere quod noſtræ ætati ſeruiat,abſurdum eſt.Præteriit enim ſeculum illud puerile,vt ita loquar, cui eiuſmodi rudimenta deſtinata erant. Ac ſanè pudendũ eſt, profanos ſcriptores magis dextros eſſe Legis Dei interpretes quàm Papiſtas.Iudæis per ludibrium exprobrat Iuuenalis,quòd puras nubes & cæli numen adorẽt.Peruerſè quidem & impiè: verius tamen loquitur,Dei effigiem apud illos extare negans,quàm Papiſtæ, qui viſibilem aliquã Dei effigiẽ fuiſſe garriunt.Quòd autẽ populus ille feruida celeritate ſubinde ad idola ſibi quærenda prorupit,nõ aliter quàm aquæ ex magna ſcaturigine violẽto impetu ebulliũt: hinc potius diſcam⁹ quãta ſit ingenii noſtri ad idololatriã propẽſio, ne vitii cõmunis culpam regerẽdo in Iudæos ſub vanis peccandi illecebris mortiferum ſomnum dormiamus.

Pſal.115.b.4 & 135.c.15 4 Eodem tendit illud,Simulachra Gentium argentum & aurum,opera manuũ hominum:quia & ex materia colligit Propheta,non eſſe deos quorum effigies aurea eſt vel argentea:& pro cõfeſſo ſumit, quicquid proprio ſenſu concipimus de Deo,inſipidum eſſe figmentum.Aurum potius & argentum nominat,quàm lutũ vel lapidem,ne vel ſplendor vel pretium idolis reuerentiam cõciliet. Concludit tamẽ in genere, nihil minus eſſe probabile quàm ex mortua qualibet materia conflari deos. Interea non minus in altero inſiſtit, nimis veſana temeritate efferri mortales, qui euanidum ſpiritum in ſingula momenta precario trahentes,Dei honorẽ cõferre audent idolis.Fateri cogetur homo ſe animal eſſe ephemeron,& pro Deo tamẽ haberi volet metallũ cui deitatis originẽ dedit. Vn-
Hora.1.Ser. Saty.8 de enim idolis principium,niſi ex hominũ arbitrio?Iuſtiſſima eſt profani illius poetæ ſubſannatio,

Olim truncus eram ficulnus,inutile lignum,
Quum faber,incertus ſcamnum facerẽne,&c. Maluit eſſe Deum.

ſcilicet terrenus homuncio qui ſingulis ferè momentis vitã exhalat, ſuo artificio Dei nomen & honorẽ ad mortuum truncũ transferet. Sed quia Epicureus ille facetè ludendo, nullam religionem curauit, omiſsis eius & ſimilium dicteriis, pungat nos,imò trãsfodiat
Ieſa.44.b.12 obiurgatio Prophetæ,Nimium eſſe vecordes qui ex eodẽ ligno ſe calefaciunt,furnum accendunt coquendo pani,aſſant carnem vel elixant, deúmque fabricant coram quo ſup-
Ieſa.40. c.21 plices ad precandũ ſe poſternũt.Itaque alibi non tantùm ex Lege reos peragit,ſed exprobrat quòd ex fundamẽtis terræ non didicerint: quãdo ſcilicet nihil minus cõſentaneum, quàm velle Deũ qui immenſus eſt ac incõprehenſibilis, redigere ad quinque pedũ menſuram.Et tamen portentum hoc quod palàm naturæ ordini repugnat, cõſuetudo oſtendit eſſe hominibus naturale. Tenendum porrò eſt,hãc loquendi formã paſſim notari ſuperſtitiones,quòd opera ſint manuum hominum,quæ Dei authoritate carent: vt hoc fixum ſit,deteſtabiles eſſe omnes cultus quos à ſeipſis homines excogitant.Furorem exag-
Ieſa.2.b.8, & 31.c.7, & 57.c.10 gerat Propheta in Pſalmo,quòd auxiliũ implorent à rebus mortuis, ſenſúque carentibus
Oſeæ.14. b. 4,mich.5.d. 13 qui intelligentia ideo prædicti ſunt vt ſciant ſola Dei virtute omnia moueri.Sed quia tam populos omnes quàm priuatim vnũquenque rapit naturæ corruptela ad tantã dementiã,dira imprecatione tandẽ fulminat Spiritus,Similes illis fiãt qui faciunt ea,& quicun-
Pſal.115.d.8 que illis fidunt.Notandum autem non minus ſimilitudinem vetari quàm ſculptile: quo

inepta

inepta Græcorũ cautio refutatur. Bellè enim defunctos se putant si Deum non sculpant, dum in picturis licentiosius quàm vllæ aliæ gentes lasciuiunt. Atqui Dominus non à statuario modo sibi erigi effigiem, sed à quolibet artifice effingi prohibet: quia perperàm & cum maiestatis suæ contumelia sic assimilatur.

5 Scio quidem illud vulgò esse plusquam tritum, Libros idiotarũ esse imagines. Dixit hoc Gregorius: at longè aliter pronuntiat Spiritus Dei, in cuius schola si edoctus fuisset hac in parte, nunquam ita loquutus foret. Nã quum Ieremias lignum esse doctrinam vanitatis pronuntiat: quum Habacuc docet conflatile esse doctorem mẽdacii: certè hinc generalis colligenda est doctrina, futile esse, adeóque mendax, quicquid de Deo ex imaginibus homines didicerint. Siquis excipiat, eos à Prophetis reprehendi qui simulachris ad impiam superstitionem abutebantur: fateor id quidem: sed addo, quod omnibus conspicuum est, in totum dãnari ab illis quod Papistæ pro certo axiomate sumunt, imagines esse pro libris. Opponunt enim vero Deo simulachra, tanquã res contrarias, & quæ nunquam simul conuenire possint. Hæc, inquam, comparatio, in locis illis quos nuper citaui, statuitur: quum vnus sit verus Deus quem colebant Iudæi, perperàm & falsò cõfingi visibiles figuras quæ Deum repræsentent: ac miserè deludi omnes qui Dei cognitionem inde petunt. Denique nisi ita res haberet, fallacem esse & adulterinam quæcũque ex simulachris petitur Dei cognitio, non ita generaliter damnarent eam Prophetæ. Saltẽ hoc habeo: quum vanitatẽ & mẽdaciũ esse docemus, quòd simulachris Deum effingere homines tentãt, nihil aliud quã de verbo ad verbũ nos referre quod Prophetæ tradiderunt.

Ier. 10. a. 3
Habac. 2. b. 18

6 Legantur præterea quæ de hac re Lactantius & Eusebius scripserunt, qui pro certo assumere non dubitant, mortales fuisse omnes quorum simulachra visuntur. Nec aliter Augustinus, qui securè pronuntiat nefas esse non modò adorare simulachra, sed Deo collocare. Neque tamẽ aliud dicit quàm quod multis antè annis in Concilio Elibertino decretum fuerat: cuius hoc est tricesimum sextum caput, Placuit in tẽplis non haberi picturas: ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur. Sed in primis memorabile quod ex Varrone alibi citat idẽ Augustinus, suáque subscriptione cõfirmat, Qui primi deorum simulachra induxerunt, eos & metũ dempsisse, & errorẽ addidisse. Hoc si solus Varro diceret, parum fortasse haberet authoritatis: pudorem tamen nobis meritò incutere deberet, quòd homo Ethnicus, quasi in tenebris palpans, ad hanc lucem peruenerit, ideò indignas esse Dei maiestate corporeas imagines, quia metum eius diminuãt hominibus, errorémque augeant. Res certè ipsa testatur verè hoc non minus quàm prudenter fuisse dictum: sed Augustinus à Varrone mutuatus, tanquã ex suo sensu profert. Ac primùm quidem admonet, primos de Deo errores, quibus homines sunt impliciti, non cœpisse à simulachris, sed noua materia superaddita, creuisse. Deinde ideo imminui aut etiã tolli Dei timorem interpretatur, quia facilè possit eius numẽ in simulachrorum stultitia ineptóque & absurdo figmento contemni. quod secundum vtinam non tam verum esse experiremur. Quisquis ergo ritè doceri cupiet, aliunde quàm ex simulachris discat quod de Deo sciendum est.

Lib. 4. de Ciuit. Dei. cap. 9, & 31

7 Quare siquid frontis habẽt Papistæ, ne posthac effugio isto vtãtur, libros esse idiotarum imagines: quod tam apertè pluribus Scripturæ testimoniis refellitur. Tametsi vt hoc illis concedam, ne sic quidem multum profecerint pro idolis suis tuendis. Cuiusmodi portenta pro Deo obtrudant nostrum est. Quas verò sanctis picturas vel statuas dicant, quid sunt nisi perditissimi luxus & obscœnitatis exẽplaria? ad quæ siquis formare se velet, fustuario dignus sit. Equidẽ lupanaria pudicius & modestius cultas meretrices ostendunt quàm templa eas quas volũt censeri virginum imagines. Martyribus nihilo decentiorem fingunt habitum. Componant ergo sua idola vel ad modicum saltem pudorem, vt paulo verecundius mentiãtur alicuius sanctitatis libros esse. Sed tũm quoque respondebimus, non hanc esse in sacris locis docẽdi fidelis populi rationem: quem lõgè alia doctrina quàm istis næniis illic institui vult Deus. In Verbi sui prædicatione & sacris mysteriis communem illic omnibus doctrinam proponi iussit: in quam parũ sedulò intentum sibi animum esse produnt qui oculis ad idola contemplanda circumaguntur. Quos ergo vocant Papistæ idiotas, quorũ ruditas solis imaginibus doceri sustineat? hos scilicet, quos pro suis discipulis agnoscit Dominus: quos cælestis suæ philosophiæ reuelatione dignatur: quos salutaribus regni sui mysteriis vult erudiri. Fateor quidẽ, vt res habẽt, hodie esse non paucos qui talibus libris carere nequeãt. Sed vnde quæso, isthæc stupiditas, nisi quòd

ea doctrina fraudantur quæ sola erat ad eos formãdos idonea? Neque enim alia de causa, qui præerant Ecclesiis, resignarũt idolis docendi vices, nisi quia ipsi muti erant. Christũ vera Euangelii prædicatione depingi, & quodammodo ob oculos nostros crucifigi testatur Paulus. Quorsum igitur attinebat tot passim in templis cruces erigi, ligneas, lapideas, argenteas & aureas, si probè & fideliter illud inculcaretur, Christum esse mortuum vt in cruce maledictionem nostram sustineret, peccata nostra expiaret corporis sui sacrificio, sanguinéque ablueret, nos denique reconciliaret Deo Patri? Ex quo vno plus discere poterant quàm ex mille crucibus ligneis aut lapideis. nam in aureas & argẽteas quari mentes & oculos tenacius fortè defigunt, quàm in vlla Dei verba.

Gal.3.a.1.

8 Porrò de idolorum origine, publico ferè consensu receptum est quod in libro Sapientiæ habetur: primos scilicet extitisse eorum authores, qui hunc honorem detulerũt mortuis, vt ipsorum memoriã superstitiosè colerent. Et sanè fateor peruersum hunc morem fuisse vetustissimum: nec facem fuisse nego qua accẽsus hominũ ad idololatriã furor magis exarsit: non tamen concedo hunc fuisse primum mali fontem. Idola enim iam fuisse prius in vsu quàm ista in consecrãdis mortuorum imaginibus ambitio inualuisset, (cuius apud profanos scriptores crebra fit mentio) cõstat ex Mose. Quum Rachelem narrat furatam esse patris sui idola, non secus ac de cõmuni vitio loquitur. Vnde colligere licet, hominis ingenium perpetuam, vt ita loquar, esse idolorum fabricam. A diluuio quædam erat mundi palingenesia: atqui non multi anni fluunt quin sibi homines pro libidine deos fingãt. Ac credibile est, superstite adhuc sancto Patriarcha, idololatriæ deditos fuisse nepotes, vt oculis suis nõ sine acerbissimo dolore cerneret idolis fœdari terrã, cuius corruptelas nuper Deus tã horribili iudicio purgauerat. Nam Thare & Nachor iã ante natum Abraham falsorũ deorum cultores erant, sicuti testatur Iosue. Quum tam citò desciuerit progenies Sem, quid de posteris Cham iudicabimus qui in patre suo pridem fuerãt maledicti? Ita est sanè. Mens hominis, vt superbia & temeritate est referta, Deũ pro captu suo imaginari audet: vt hebetudine laborat, imò crassissima ignorãtia est obruta, pro Deo vanitatem & inane spectrum cõcipit. Ad hæc mala accedit noua improbitas, quòd homo qualem intus concepit Deum, exprimere opere tentat. Mens igitur idolũ gignit: manus parit. Hanc esse idololatriæ originem, quòd homines Deum sibi adesse non credunt nisi carnaliter exhibeat se præsentẽ, prodit Israelitarum exemplum. Nescimus, dicebãt, quid isti Mosi contigerit: fac nobis deos qui nos præcedant. Deũ quidem esse nouerant, cuius experti virtutem erant in tot miraculis: sed propinquũ sibi esse non cõfidebant nisi oculis cernerent corporeum vultus eius symbolum, quod sibi testimonium esset gubernãtis Dei. A præeunte ergo imagine volebãt cognoscere Deum itineris sibi esse ducẽ. Id quotidiana experientia docet, inquietam semper esse carnem, donec sibi simile figmentum nacta est in quo se pro Dei imagine inaniter soletur. Omnibus ferè à condito mundo seculis, huic cæcæ cupiditati vt obsequerentur homines, erexerunt signa in quibus Deum sibi præ oculis carnalibus obuersari credebant.

Sapien.14.b. 15

Gen.31.c.19

Iosue.24.a.2

Exod.32.a.1

9 Tale figmẽtum sequitur protinus adoratio: quum enim Deum se homines in simulachris intueri arbitrarentur, & ipsum quoque illic coluerunt. Tandem toti & animis & oculis illic affixi, magis obrutescere cœperũt: & quasi aliquid diuinitatis ineesset, obstupescere & admirari. Iam constat, homines ad simulachrorum cultum non antè prorumpere, quàm crassiore aliqua opinione sint imbuti: non quidẽ vt deos existiment, sed quia vim aliquam diuinitatis illic inhabitare imaginantur. Itaque siue Deum siue creaturam tibi in simulachro repræsentes, vbi ad venerationem prosterneris, iam superstitione aliqua fascinatus es. Hac ratione, Dominus nõ statuas modò erigi ad se effigiandum fabrefactas, sed titulos etiam quoslibet & lapides consecrari vetuit qui in adorationem prostarẽt. Eadem quoque ratione in præcepto Legis altera pars de adoratione subiicitur. Nam simulatque efficta est Deo vibisilis forma, huic quoque alligatur illius virtus. Ita stupidi sunt homines vt Deum affigant vbicunque affingunt. ac proinde fieri non potest quin adorent. Neque interest idolúmne simpliciter colant, an Deum in idolo: hæc semper idololatria est, quum idolo, qualicunque colore, exhibentur diuini honores. Et quia superstitiosè coli non vult Deus, illi eripitur quicquid confertur in idola. Huc animum aduertant qui ad defensionem execrabilis idololatriæ, qua multis antehac seculis vera religio submersa subuersáque fuit, miseros prætextus aucupantur. Non reputantur, inquiunt, pro diis imagines. Nec tam prorsus incogitantes erant Iudæi vt non meminissent Deum

fuisse

fuiſſe cuius manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent vitulũ. Quin Aaroni dicenti, illos eſſe deos à quibus liberati eſſent è terra Ægypti, intrepidè annuebant, non dubia ſignificatione, velle ſe retinere illum Deum liberatorem, modò præeuntem in vitulo conſpicerent. Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethnici credendi ſunt vt non intelligerent Deũ alium eſſe quàm ligna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio ſimulachra, deos ſemper eoſdem animo retinebant: & multa erant vni deo ſimulachra, nec pro multitudine complures tamen deos ſibi fingebant: præterea noua quotidie cõſecrabant, nec putabant tamen ſe nouos facere deos. Legantur excuſationes quas ab idololatris ſui ſeculi fuiſſe prætextas refert Auguſtinus: nempe quum arguerentur, reſpondebant vulgares, ſe non viſibile illud colere, ſed numen quod illic inuiſibiliter habitabat. Qui verò purgatioris, vt ipſe loquitur, religionis erant, nec ſimulachrum nec dæmonium ſe colere aiebant: ſed per effigiẽ corpoream intueri eius rei ſignum quam colere deberẽt. Quid ergo? Omnes idololatræ, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus, non aliter quàm dictum eſt fuerunt animati. ſpirituali intelligentia non contenti, certiorem ac propiorem ex ſimulachris impreſſum iri ſibi putabant. Poſtquam ſemel placuit præpoſtera iſta Dei aſsimilatio, nullus finis factus, donec nouis ſubinde præſtigiis deluſi, in imaginibus Deum vim ſuam exerere opinarentur. Nihilominus & Deum æternum Iudæi, vnum verúmque cæli ac terræ Dominum, ſub talibus ſimulachris perſuaſi erant ſe colere: & Gentes, ſuos licet falſos deos, quos tamen in cælo habitare fingerent. In Pſalmum 113

10 Hoc qui antehac factum, & noſtra etiam memoria fieri negant, impudẽter mentiuntur. Cur enim coram illis proſternuntur? Cur ſeſe ad illa, precaturi, tanquam ad Dei aures, conuertunt? Siquidem verum eſt quod ait Auguſtinus: Neminẽ orare vel adorare ſic intuentẽ ſimulachrum, qui nõ ſic afficiatur vt ab eo exaudiri ſe putet, vel ſibi præſtari quod deſiderat, ſperet. Cur inter eiuſdem Dei ſimulachra tantum diſcrimen vt altero præterito, aut vulgariter honorato, alterum omni ſolenni honore proſequantur? Cur in viſendis ſimulachris, quorum ſimilia domi ſuæ habent, votiuis peregrinationibus ſe fatigant? Cur pro illis hodie, tanquam pro aris & focis, ad cædes vſque & ſtrages digladiãtur, vt facilius laturi ſint vnicum Deum ſibi eripi quàm ſua idola? Et tamen nondum craſſos vulgi errores (qui penè infiniti ſunt, & omnium ferè corda occupant) enumero: tantùm indico quod ipſi profitentur quum ſe maximè ab idololatria purgare volunt. Non vocamus, inquiunt, noſtros deos. Neque illi aut Iudæi, aut Gentiles olim vocabant: & tamen Prophetæ paſsim illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non deſinebant: tantùm ob ea quæ quotidie ab iis fiunt qui Chriſtiani haberi volunt, nempe quòd Deum in ligno & lapide carnaliter venerabantur. In Pſalmum 113

11 Quanquam non ignoro, nec diſſimulandũ eſt, diſtinctione ipſos elabi magis arguta, cuius paulo pòſt iterum plenior fiet mentio. Cultum enim quem ſimulachris ſuis impendunt, εἰδωλοδουλείαν eſſe obtendunt, εἰδωλολατρείαν eſſe negant. Sic enim loquuntur, dum cultum quem appellant duliæ, ſine Dei iniuria ſtatuis & picturis poſſe communicari docent. Ergo innoxios ſe arbitrantur ſi tantummodò ſerui ſint idolorum, non etiam cultores. Quaſi verò non aliquanto leuius ſit colere quàm ſeruire. Et tamen dum in Græca voce latebras captant, ſecum ipſi pugnant admodum pueriliter. Nam quum λατρεύειν nihil aliud Græcis ſignificet quàm colere: perinde valet quod dicunt, acſi imagines ſuas fateantur ſe colere, ſed abſque cultu. Nec eſt quòd obiiciant, aucupia me in verbis tẽdere: ſed ipſi dum tenebras conãtur offundere ſimplicium oculis, inſcitiam ſuam produnt. Quamlibet tamen ſint diſerti, nunquam ſua eloquentia conſequentur vt rem vnam & eandem nobis duas eſſe probent. In re, inquam, oſtendant diſcrimen, vt habeantur veteribus idololatris diſsimiles. Sicuti enim reatum nõ effugiet adulter aut homicida, ſi aliud aſcititium ſceleri ſuo nomen impoſuerit: ita iſtos ſubtili nominis commento abſolui abſurdum eſt, ſi cauſa nihil ab idololatris differunt, quos damnare ipſi etiam coguntur. Atqui tantum abeſt vt ab illorum cauſa ſuam ſeiungãt, vt potius fons totius mali ſit præpoſtera æmulatio, qua cum illis certarunt, dum ſymbola quibus Deum ſibi figurent, & ſuo ingenio ſibi comminiſcuntur, & ſuis manibus confingunt.

12 Neque tamen ea ſuperſtitione teneor vt nullas prorſus imagines ferendas cenſeam. Sed quia ſculptura & pictura Dei dona ſunt, purum & legitimũ vtriuſque vſum requiro: ne quæ Dominus in ſuam gloriam & bonum noſtrum nobis contulit, ea non tantùm polluantur præpoſtero abuſu, ſed in noſtram quoque pernicie conuertantur. Deum

effingi visibili specie nefas esse putamus,quia id vetuit ipse,& fieri sine aliqua gloriæ eius deformatione non potest. Ac ne in hac opinione nos solos esse putent, omnes sanos scriptores id semper improbasse reperient qui in eorum monumẽtis versati fuerint. Si ne figurare quidem Deo corpoream effigiem fas est,multo minus ipsam pro Deo, vel Deum in ipsa colere licebit. Restat igitur vt ea sola pingantur ac sculpantur quorũ sint capaces oculi:Dei maiestas,quæ oculorum sensu longè superior est,ne indecoris spectris corrumpatur.In eo genere partim sunt historiæ ac res gestæ,partim imagines ac formæ corporũ, sine vlla rerum gestarũ notatione. Priores, vsum in docendo vel admonẽdo aliquem habent:secundæ,quid præter oblectationem afferre possint non video.Et tamen constat tales fuisse omnes propemodũ imagines quæ hactenus in templis prostiterunt. Vnde iudicare licet,non iudicio aut delectu,sed stulta & inconsiderata cupiditate illic fuisse excitatas. Omitto quàm perperàm & indecenter magna ex parte sint effictæ, quàm licentiosè hîc pictores & statuarii lasciuierint,quam rem paulo antè attigi:tantùm dico, etiamsi nihil vitii inesset,nihil tamen habere ad docendum momenti.

13 Verùm illo quoque discrimine omisso,an vllas omnino imagines, siue quæ res gestas,siue quæ hominum corpora figurent habere in templis Christianis expediat, obiter expẽdamus. Principio,siquid nos mouet veteris Ecclesiæ authoritas,meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, & syncerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab imaginibus vacua. Ergo tunc primùm in ornamentum templorum ascitæ sunt quum ministerii synceritas nõnihil degenerasset. Non disputabo ecquid rationis habuerint qui primi fuerũt eius rei authores: verùm si ætatem cum ætate conferas, videbis illos multum declinasse ab eorum integritate qui imaginibus caruerant. Quid? an passuros fuisse putamus sanctos illos patres Ecclesiam tandiu ea re carere quam vtilem ac salutarem esse iudicarent? At certè quia videbant in ea aut nihil aut minimum vtilitatis,plurimum autem subesse periculi,repudiarunt magis consilio
Epist.49 & ratione,quàm ignoratione aut negligentia prætermiserunt. Quod etiam Augustinus claris verbis testatur,Quum his sedibus locantur,inquit,honorabili sublimitate,vt à precantibus atque immolantibus attendantur,ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quanuis sensu & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videãtur,&c. Et alibi, Hoc enim facit & quodãmodo extorquet illa figura membrorum,vt animus in corpore viuens magis arbitretur sentire corpus,quod suo simillimũ
In Psal. 113 videt,&c.Paulo pòst, Plus valent simulachra ad curuãdam infœlicem animam, quòd os, oculos, aures,pedes habent:quàm ad corrigendam,quòd non loquuntur,neque vident,
1.Iohã.5.d.11 neque audiunt,neque ambulant. Hæc sanè videtur causa esse cur Iohannes non tantùm à simulachrorum cultu,sed ab ipsis quoque simulachris cauere nos voluerit. Et nos horribili insania,quæ ad totius ferè pietatis interitum orbem antehac occupauit,plus nimio sumus experti, simulatque in templis collocãtur imagines, quasi signum idololatriæ erigi:quia sibi temperare non potest hominum stultitia,quin protinus ad superstitiosos cultus delabatur. Quòd si nec tantum periculi immineret, quum tamen expendo in quem vsum destinata sint templa,nescio quomodo indignum mihi videtur eorũ sanctitate,vt alias recipiant imagines quàm viuas illas & iconicas, quas verbo suo Dominus consecrauit:Baptismũ intelligo & Cœnam Domini, cum aliis ceremoniis quibus oculos nostros & studiosius detineri,& viuidius affici conuenit quàm vt alias hominum ingenio fabrefactas requirant. En incomparabile imaginum bonum, quod nulla pensatione resarciri potest, si Papistis creditur.

14 Iam satis multa,opinor,de hac re dicta forent, nisi manum quodãmodo mihi iniiceret Synodus Nicena,non illa celeberrima quã coegit Constantinus magnus,sed quæ Irenes Imperatricis fussu & auspiciis ante annos octingentos habita est. Decreuit enim non habendas modò in templis esse imagines,sed etiam adorãdas. Quicquid enim dixerim, magnum ex aduerso præiudicium afferet Synodi authoritas.Etsi,vt verũ fatear,non tam hoc me mouet, quàm vt appareat lectoribus, quorsum euaserit eorũ furor qui imaginum magis fuerunt cupidi quàm Christianos decebat. Sed hoc primùm expediamus. Qui hodie simulachrorũ vsum tuentur, Nicenæ illius Synodi patrocinium allegant. Extat autem refutatorius liber sub Caroli Magni nomine, quem ex dictione colligere licet eodem fuisse tempore compositum.Illic Episcoporũ sententiæ qui concilio interfuerunt recitantur,& argumenta quibus pugnarunt. Dixit Iohannes legatus Oriẽtalium, Creauit Deus

tuit Deus hominẽ ad imaginem ſuam: atque inde collegit habendas igitur eſſe imagines. Idem cõmendari nobis putauit imagines hac ſententia, Oſtẽde mihi faciem tuam, quia ſpecioſa eſt. Alius, vt probaret collocandas eſſe in altaribus, hoc teſtimonium citauit, Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. Alius, vt earum aſpectum nobis vtilem monſtraret, adduxit verſum ex Pſalmo, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Alius ſimilitudinem hanc arripuit, Sicut Patriarchæ vſi ſunt Gentium ſacrificiis, ita Chriſtianis habendas eſſe ſanctorũ imagines pro idolis Gentium. Eodem torſerunt illud, Domine, dilexi decorẽ domus tuæ. Sed in primis ingenioſa eſt iſta interpretatio, Vt audiuimus, ita & vidimus. Deũ igitur nõ ſolo Verbi auditu cognoſci, ſed etiam imaginũ aſpectu. Simile Theodori epiſcopi acumen: Mirabilis, inquit, Deus in ſanctis ſuis: Atqui alibi habetur, Sanctis qui ſunt in terra: Ergo ad imagines hoc referri debet. Denique tam putidæ ſunt inſulſitates, vt eas referre me quoque pigeat.

15 Vbi de adoratione diſputant, illic adoratio & Pharaonis, & virgæ Ioſeph, & tituli quem erexit Iacob, in medium adducitur. Quanquam in hoc poſtremo non tantùm deprauant Scripturæ ſenſum, ſed arripiunt quod nuſquã legitur. Tum illa, Adorate ſcabellum pedum eius. Item, Adorate in monte ſancto eius. Item, Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: firmæ admodum & appoſitæ illis videntur probationes. Siquis per ludibrium attribuere imaginum patronis ridiculam perſonam vellet, poſſétne maiores & craſſiores colligere ineptias? Ac nequa amplius reſtaret dubitatio, Theodoſius Mirenſis epiſcopus adorandas eſſe imagines Archidiaconi ſui ſomniis tam ſeriò confirmat acſi oraculum cæleſte in promptu haberet. Eant nunc ſimulachrorũ fautores, & Synodi decreto nos vrgeant. Quaſi verò non omnem ſibi fidem abrogent venerandi illi patres, ſcripturas vel tam pueriliter tractando, vel tam impiè fœdéque lacerando.

16 Venio nunc ad impietatũ portenta, quæ euomere auſos eſſe mirum eſt: non fuiſſe autem illis reclamatum cum ſumma omnium deteſtatione, bis mirum. Atque hãc flagitioſam amentiã traduci expedit, vt ſaltem fucus antiquitatis quem Papiſtæ obtendunt, ſimulachrorũ cultui detrahatur. Theodoſius Amori epiſcopus anathema crepat aduerſus omnes qui imagines nolunt adorari. Alius omnes Græciæ & Oriẽtis calamitates huic ſceleri imputat, quòd non fuerint adoratæ. Quibus ergo pœnis digni Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, quorum tempore nullæ extiterunt? Addunt poſtea, ſi imagini imperiali cum ſuffitu & thymiamate obuiam proceditur: multo magis hunc honorẽ Sanctorum ſimulachris deberi. Conſtantius autem Conſtantiæ Cypri epiſcopus ſe imagines reuerẽter amplecti profitetur, cultúmque honoris qui viuificæ Trinitati debetur, illis ſe exhibiturum confirmat: quiſquis idem facere recuſauerit, eum anathematizat, & cum Manichæis & Marcionitis amandat. Ac ne putes priuatam eſſe vnius hominis ſententiam, aſſentiuntur reliqui. Imò Iohãnes legatus Orientalium, calore vltrà protectus, præſtare admonet lupanaria omnia in vrbem admitti, quàm imaginũ cultũ abnegare. Tãdem omniũ conſenſu ſtatuitur, hæreticis omnibus deteriores eſſe Samaritanos: at ipſis Samaritanis εἰκονομάχας. Cæterùm ne ſuo ſolenni Plaudite fabula careat, additur clauſula, Gaudeãt & exultent qui Chriſti habẽtes imaginem ſacrificium illi offerunt. Vbi nunc latriæ & duliæ diſtinctio, qua Dei & hominum oculos ſolent perſtringere? Nam concilium ſine exceptione tantundem ſimulachris ac Deo viuo largitur.

Deum ab idolis diſcerni vt ſolus in ſolidum colatur. CAP. XII.

DIXIMVS autem initio, Dei notitiam non eſſe poſitam in frigida ſpeculatione, ſed ſecũ trahere eius cultum. ac obiter attigimus quomodo ritè colatur: quod aliis locis fuſius explicandum erit. nunc tantùm breuiter repeto, quoties aſſerit Scriptura vnicum eſſe Deum, non pugnare de nudo nomine, ſed hoc etiam præcipere, ne aliò transferatur quicquid in diuinitatem competit. vnde etiam patet quid à ſuperſtitione differat pura religio. Εὐσέβεια certè Græcis tantundem valet ac rectus cultus: quia ſemper cæci ipſi in tenebris palpando, ſenſerunt tenendam eſſe certam regulam, ne præpoſterè colatur Deus. Religionis nomen etſi verè ſcitéque Cicero à relegendo deducit, coacta eſt tamen, & longè petita quam aſſignat ratio, quòd probi cultores ſæpius relegerent, ac diligenter retractarẽt quid verum eſſet. Potius exiſtimo vagæ licentiæ opponi hoc nomen: quia maior pars mũdi quicquid obuium eſt temerè arripit: imò etiam huc & illuc tranſuolat: pietas autem, vt in firmo gradu conſiſtat, ſeſe intra fines ſuos relegit. ſicuti inde mihi dicta videtur ſuperſtitio, quòd modo &

2. de Nat. deorum.

præscripta ratione nõ contenta, superuacuam rerum inanium congerie accumulet. Cæterùm vt voces omittamus, ætatum omnium consensu receptum semper fuit, vitiari peruertíque religionem falsis erroribus. vnde colligimus, vbi zelo incõsiderato quidvis nobis permittimus, friuolum esse quem superstitiosi obtendunt prætextum. Quãuis tamen in omniũ ore personet hæc confessio, turpis interim se prodit inscitia, quòd neque adhærent vni Deo, neque delectum adhibent in eius cultu, sicut antehac docuimus. Atqui Deus, vt sibi ius suum vendicet, clamat se esse æmulum, ac seuerum fore vltorem si cum vllo deo fictitio misceatur. deinde legitimum cultum definit, vt genus humanũ sub obsequio contineat. Vtrunque complectitur Lege sua, vbi primò sibi addicit fideles, vt illis sit vnus legislator: deinde regulã præscribit qua ritè ex suo arbitrio colatur. De Lege quidem, quia multiplex est eius vsus ac finis, suo loco disseram: nunc partem hanc duntaxat attingo, frænum illic impositum esse hominibus, ne ad vitiosos cultus declinẽt. Quod autem priore loco posui, tenendum est, nisi in vno Deo resideat quicquid proprium est diuinitatis, honore suo ipsum spoliari, violaríque eius cultum. Atque hîc intẽtiore cura animaduertere conuenit quibus astutiis ludat superstitio. Neque enim ad alienos deos sic descisçit vt videatur summum Deum deserere, vel in aliorũ ordinem redigere: sed dum supremum locum illi concedit, turbam minorum deorum circundat, inter quos propria eius officia partitur. ita (licet dissimulãter & callidè) diuinitatis gloria, ne apud vnum tota maneat, dissecatur. Sic veteres olim, tam ex Iudæis quàm Gentibus, deorum patri & arbitrio ingentem illam turbam subdiderũt, quibus communis esset, pro ordinis ratione, cæli & terræ cum summo Deo administratio. Sic aliquot retrò seculis, Sancti qui hac vita excesserant, in Dei societatem euecti sunt, vt pro illo & colerentur & inuocarentur & celebrarentur. Tali abomination ne offuscari quidẽ putamus Dei maiestatem, quũ magna ex parte supprimatur & extinguatur: nisi quòd frigidam retinemus de suprema eius potentia opinionem. interea inuolucris decepti, diducimur in varios deos.

2 Quinetiam in hunc finem inuenta est latriæ & duliæ, quam appellant, distinctio, quò impunè viderentur Angelis & mortuis transcribi diuini honores. Quem enim Sanctis cultum deferũt Papistæ, nihil reipsa differre à Dei cultu palàm est. promiscuè enim & Deum & illos adorant: nisi quòd dũ vrgentur, exceptione hac euadunt, Deo se illibatum seruare quod suum est, quia latriam illi relinquãt. Atqui de re non de voce quũ sit quæstio, quis illis permittat tam securè in re omniũ maxima ludere? Verùm (vt hoc quoque omittamus) non aliud tandem consequentur sua distinctione, quàm cultum ab ipsis vni Deo præstari, aliis autem seruitium. λατρεία enim apud Græcos valet quantum apud Latinos cultus: δουλεία verò propriè seruitutem sonat. & tamen in Scripturis interdũ confunditur hoc discrimen. Porrò vt demus esse perpetuũ, nempe inquirendum est quid vtrunque valeat. δουλεία quidẽ seruitus est, λατρεία cultus. Iã quin maius quiddã sit seruire quàm colere, nemo dubitat. Nam ei seruire durum esset sæpenumero quem colere non recusares. ita iniqua esset distributio, Sanctis assignare quod maius est, Deo quod minus est relinquere. At cõplures ex veteribus hac distinctione vsi sunt. Quid tum, si omnes eã perspiciunt non modò impropriam esse, sed penitus friuolam?

Gal.4.a.8 3 Omissis argutiis rem expendamus. Paulus quum Galatis reducit in memoriã quales fuerint priusquam essent illuminati in Dei notitia, dicit eos duliam exhibuisse iis qui natura non erant dii. Vtcunque latriam non nominet, an ideò excusabilis est eorum superstitio? Ipse quidem nihilominus peruersam illam superstitionem damnat, cui nomen
Mat.4.b.10 duliæ imponit, quàm si exprimeret latriæ nomen. Et quum Christus Satanæ insultum repellit hoc clypeo, scriptum esse, Dominũ Deum tuum adorabis, nõ veniebat nominatim in quæstionem latria. Satan enim nonnisi προσκυνησιν exigebat. Similiter quum reprehen-
Apo.19.b.10 ditur Iohannes ab Angelo quòd in genua coram eo procidisset, non debemus intelligere Iohannem tam fuisse amentem vt debitum soli Deõ honorẽ vellet ad Angelũ transferre. Sed quia fieri aliter nequit quin diuinũ aliquid sapiat cultus qui cum religione coniunctus est, προσκυνεῖν ille Angelum nõ potuit quin ex Dei gloria detraheret. Legimus quidem sæpe, adoratos fuisse homines: sed ille fuit ciuilis honor, vt ita dicam: religio autem aliam habet rationem, quæ simulatque coniuncta est cum cultu, diuini honoris profanationem secum trahit. Idẽ & in Cornelio videre licet. neque enim tam malè profecerat in
Act.10.d.25 pietate, quin summum cultum vni Deo tribueret. Quòd ergo se coram Petro prosternit, non facit certè hoc animo vt eũ adoret loco Dei. seuerè tamen Petrus ne hoc faciat prohibet.

hibet. Cur, nisi quia nunquã tam articulatè homines inter Dei & creaturarũ cultum discernunt, quin promiscuè transferant ad creaturam quod erat Dei proprium? Proinde si volumus vnum Deũ habere, meminerimus ne tantulũ quidẽ ex eius gloria delibandum quin retineat quod sibi proprium est. Itaque Zacharias, vbi de Ecclesiæ reparatione con- Zach.14.b.9
cionatur, disertè exprimit nõ modò vnum fore Deũ, sed vnum quoque fore eius nomen: nequid scilicet cũ idolis cõmune habeat. Qualem verò cultum exigat Deus, alibi suo ordine videbitur. Nam Lege sua voluit præscribere hominibus quid fas sit ac rectũ, & ideo ad certã normam eos astringere, ne quisque sibi permitteret cultũ quemlibet cõminisci. Sed quia non expedit multa miscendo onerare lectores, partẽ illam nõdum attingo. hoc tenere sufficiat, quæcunque pietatis officia aliò transferuntur quàm ad vnicũ Deum, sacrilegio non carere. Ac primùm quidem superstitio diuinos honores vel Soli & aliis stellis, vel idolis affinxit: deinde sequuta est ambitio, quæ mortales Dei spoliis ornando, quicquid sacrum erat profanare ausa est. & quanquam stabat principium illud, colere summum numen, Geniis tamen, diisque minoribus, aut heroibus mortuis promiscuè sacrificia offerre vsu receptum fuit. Adeò in hoc vitium procliuis est lapsus, vt quod sibi vni seuerè vendicat Deus, communicetur cum magna turba.

Vnicam Dei essentiam ab ipsa creatione tradi in Scripturis, quæ tres in se personas continet. CAP. XIII.

QVOD de immensa & spirituali Dei essentia traditur in Scripturis, non modò ad euertenda vulgi deliria, sed etiam ad refutandas profanæ Philosophiæ argutias valere debet. Scitè sibi vnus ex Veteribus dicere visus est, Deum esse quicquid videmus, & quicquid non videmus. Atqui hoc modo in singulas mundi partes diuinitatem transfusam esse finxit. Etsi autem Deus, vt nos in sobrietate contineat, parcè de sua essentia disserit, duobus tamen illis quæ dixi epithetis tam crassas imaginationes tollit quàm reprimit humanæ mentis audaciam. Nam certè eius immensitas terrere nos debet, ne eum sensu nostro metiri tentemus: Spiritualis verò natura quicquam de eo terrenum aut carnale speculari vetat. Eodem pertinet quòd sæpius domicilium sibi in cælo assignat. Etsi enim, vt est incõprehensibilis, terram quoque ipsam implet: quia tamen mentes nostras pro sua tarditate subsidere in terra videt, meritò, vt pigritiem & inertiam excutiat, supra mundũ nos attollit. Atque hinc concidit Manichæorum error, qui duo principia statuendo, diabolum ferè Deo parem fecerunt. Certè hoc fuit & Dei vnitatem abrumpere, & restringere immensitatem. Nam quòd abuti testimoniis quibusdam ausi sunt, turpis inscitiæ fuit: sicuti ipse error, execrabilis insaniæ. Anthropomorphitæ etiam, qui Deum corporeum ex eo sunt imaginati quòd os, aures, oculos, manus, & pedes Scriptura illi sæpe ascribit, facilè refutãtur. Quis enim vel parum ingeniosus nõ intelligit Deum ita nobiscũ, ceu nutrices solent cum infantibus, quodammodo balbutire? Proinde tales loquendi formæ non tam ad liquidum exprimunt qualis sit Deus, quàm eius notitiam tenuitati nostræ accõmodant. quod vt fiat, longè infra eius altitudinem descendere necesse est.

2 Sed alia quoque speciali nota qua propius possit dignosci, se designat. nam ita se prædicat vnicum esse, vt distinctè in tribus personis cõsiderandum proponat, quas nisi tenemus, nudũ & inane duntaxat Dei nomen sine vero Deo in cerebro nostro volitat. Porrò nequis triplicem Deum somniet, aut putet tribus personis lacerari simplicem Dei essentiam, quærenda hîc nobis erit breuis & facilis definitio quæ nos ab omni errore expediat. Cæterùm quia vocem Personæ odiosè exagitant nonnulli quasi humanitus inuentã, qua æquitate id faciant prius videndum. Filium Dei Apostolus characterẽ hypostaseos Patris Heb.1.a.3
nominãs, haud dubiè aliquã Patri subsistentiam assignat in qua differat à Filio. Nam pro Essentia accipere (sicuti fecerunt quidam interpretes, acsi Christus, velut sigillo impressa cera, Patris in se substãtiam repræsentaret) nõ durum modò, sed absurdum quoque esset. Nam quum simplex & indiuidua sit essentia Dei, qui totã in se continet, neque portione aut defluxu, sed integra perfectione, impropriè imò ineptè dicetur ei⁹ character. Sed quia Pater, quãuis sua proprietate distinctus, se totũ in Filio expressit, optima ratione dicitur suã hypostasin reddidisse in eo conspicuã. Cui aptè cõuenit quod mox additur, esse splendorem gloriæ. Certè ex Apostoli verbis colligimus propriã esse in Patre hypostasin quæ in Filio refulgeat. Vnde etiã rursus facilè elicitur Filii hypostasis, quæ eum à Patre distinguat. Eadem in Spiritu sancto ratio: quia & Deũ esse statim probabimus, & tamen alium

à Patre cẽſeri neceſſe eſt. Hæc porrò diſtinctio nõ eſt eſſentiæ, quam nefas eſt facere multiplicem. Ergo ſi fidem obtinet Apoſtoli teſtimonium, ſequitur tres in Deo eſſe hypoſtaſes. Idem quum expreſſerint Latini Perſonæ voce, nimii faſtidii atque etiã peruicaciæ eſt de re clara rixari. Si verbum de verbo transferre libeat, ſubſiſtentia dicetur. Multi eodem ſenſu ſubſtantiam dixerunt. Nec verò ſolis Latinis in vſu fuit Perſonæ nomen, ſed Græci ſimiliter fortè teſtandi conſenſus cauſa, docuerunt tria πρόσωπα in Deo eſſe. Qui tamen ſiue Græci ſiue Latini verbo inter ſe differunt: probè conſentiunt in rei ſumma.

3 Nunc vt de perſona oblatrent hæretici, vel quidã nimis moroſi obſtrepant ſe non admittere hominum arbitrio confictum nomen, quum nobis excutere non poſſint tres dici, quorum quiſque in ſolidum ſit Deus, nec tamen plures eſſe deos, quænã eſt iſta improbitas improbare verba quæ non aliud explicãt quàm quod Scripturis teſtatum conſignatúmque eſt? Satius foret, inquiũt, non modò ſenſa noſtra, ſed verba etiam intra Scripturæ fines continere, quàm exoticas voces ſpargere, quæ diſſentionum ac iurgiorum ſeminaria futura ſint. ſic enim lãguetur circa verborũ pugnas: ſic veritas altercãdo amittitur: ſic charitas odioſè rixando diſſoluitur. Si verbum exoticum appellant quod totidem ſyllabis compoſitum in Scriptura oſtendi non poſſit, iniquam ſanè legem nobis imponunt, qua damnatur omnis interpretatio quæ Scripturæ contextu non cõſarcinatur. Sin exoticum illud eſt quod curioſè excogitatum ſuperſtitioſè defenditur, quod ad contentionem magis quàm ad ædificationẽ valet, quod vel importunè vel nullo fructu vſurpatur, quod ſua aſperitate pias aures offendit, quod à verbi Dei ſimplicitate abſtrahit: eorũ ſobrietatem toto animo amplector. non enim minori religione de Deo nobis loquẽdum quàm cogitandum ſentio: quando & quicquid de eo à nobis cogitamus ſtultum eſt, & quicquid loquimur, inſulſum. Eſt autem modus aliquis ſeruandus: petenda certa ex Scripturis & cogitandi & loquendi regula, ad quam & mẽtis cogitationes omnes & oris verba exigantur. Sed quid vetat quo minus quæ captui noſtro perplexa in Scripturis impeditáque ſunt, ea verbis planioribus explicemus quæ tamẽ religioſè & fideliter ipſius Scripturæ veritati ſeruiant, & parcè modeſtéque, nec citra occaſionem vſurpentur? Cuius rei non deſunt ſatis multa exempla. Quid autem, vbi Eccleſiã ſumma neceſſitate vrgeri ad vſurpandas Trinitatis & Perſonarum voces comprobatum fuerit, ſiquis verborum nouitatem tum reprehẽdat, nónne meritò iudicetur lucem veritatis indignè ferre? vt qui tantùm hoc reprehendat, veritatem planam ac dilucidam reddi.

4 Huiuſmodi autem verborum nouitas (ſi ita appellanda eſt) tum potiſſimum vſu venit dũ aduerſus calũniatores aſſerenda eſt veritas, qui tergiuerſando ipſam eludũt. Quod hodie plus ſatis experimur, quibus plurimũ eſt negotii in expugnãdis puræ ſanæque doctrinæ hoſtibus: adeò obliquo & volubili flexu lubrici iſti angues effugiunt niſi fortiter premantur, & deprehenſi vrgeantur. Sic veteres variis prauorum dogmatum certaminibus exagitati, quid ſentirẽt coacti ſunt exquiſita perſpicuitate ediſſerere, ne obliqua ſubterfugia impiis relinquerent, quibus verborum inuolucra errorum erant latebræ. Arius fatebatur Chriſtum Deum, & Filium Dei, quia euidentibus oraculis reluctari non poterat, & quaſi probè defunctus conſenſum aliquẽ cum aliis ſimulabat. At interim non deſinebat iactare Chriſtum creatum eſſe & initium habuiſſe, vt reliquas creaturas. Quo flexilem hominis vafriciem è latebris extraherent veteres, vltrà progreſſi ſunt, Chriſtũ pronuntiantes æternum Patris Filium, Patríque conſubſtantialem. Hîc efferbuit impietas, dum nomen ὁμοουσίου peſſimè odiſſe & execrari Ariani cœperunt. Quòd ſi principiò confeſsi eſſent ſincerè & ex animo Deum, nõ inficiati eſſent Patri eſſe conſubſtantialẽ. Quis probos illos viros inſectari audeat quaſi rixatores & contentioſos, quòd ob voculã vnam tanto diſceptãdi feruore incaluerint, & Eccleſiæ quietem turbauerint? At vocula illa diſtinguebat inter puræ fidei Chriſtianos & ſacrilegos Arianos. Surrexit poſtea Sabellius, qui Patris, Filii, & Spiritus ſancti nomina ferè pro nihilo ducebat, nõ diſtinctionis alicuius cauſa poſita eſſe diſputãs, ſed diuerſa eſſe Dei attributa, cuiuſmodi plurima habẽtur. Si in certamen ventum eſſet, fatebatur ſe credere Patrem Deum, Filium Deũ, Spiritum Deum. ſed poſteà elabi promptum erat, nihil ſe aliud dixiſſe quàm ſi Deum fortem, & iuſtum, & ſapientem vocaſſet. Itaque recinebat aliam cantilenam, Patrem eſſe Filiũ, & Spiritum ſanctum eſſe Patrem, nullo ordine, nulla diſtinctione. Probi doctores, quibus tum pietas cordi erat, vt hominis improbitatẽ frangerẽt, reclamabant verè agnoſcẽdas eſſe in Deo vno tres ὑποστάσεις. Atq; vt ſe cõtra tortuoſas verſutias aperta ſimplicíque veritate muni-

munirent, affirmarunt verè in vno Deo ſubſiſtere, ſeu (quod idem erat) in Dei vnitate ſubſiſtere perſonarum Trinitatem.

5 Si ergo temerè non ſunt inuenta nomina, cauendum eſt ne ea repudiando ſuperbæ temeritatis arguamur. Vtinam quidē ſepulta eſſent, cōſtaret modò hæc inter omnes fides, Patrem, & Filium, & Spiritum eſſe vnum Deum: nec tamē aut Filium eſſe Patrem, aut Spiritum Filium, ſed proprietate quadā eſſe diſtinctos. Neque verò tam præciſa ſum auſteritate vt ob nudas voculas digladiari ſuſtineam. Animaduerto enim veteres, multa alioqui religione de iis rebus loquentes, nec inter ſe, nec ſingulos etiam ſecum vbique conſentire. Quas enim Hilarius formulas à Conciliis vſurpatas excuſat? Quò licentiæ interdum proſilit Auguſtinus? Quàm abſimiles ſunt Græci Latinis? Sed huius variationis exemplum vnum ſufficiat. Nomen ὁμοούσιον quum reddere Latini vellent, dixerunt Conſubſtantialem, vnam eſſe Patris & Filii ſubſtantiam indicantes, atque ita Subſtantiā vſurpantes pro Eſſentia. Vnde & Hieronymus ad Damaſum, ſacrilegiū eſſe dicit tres in Deo ſubſtantias prædicare. Atqui plus centies apud Hilariū reperies, tres eſſe in Deo ſubſtantias. In vocabulo autem Hypoſtaſeos quàm perplexus eſt Hieronymus? Venenum enim ſubeſſe ſuſpicatur, quum nominantur tres in Deo hypoſtaſes. Et ſiquis pio ſenſu hac voce vtatur, impropriam tamen loquutionem eſſe non diſſimulat. ſi tamen ſyncerè ita loquutus ſit: ac non potius quos oderat Epiſcopos Oriētis ſciens ac volens grauare ſtuduerit iniuſta calumnia. Certè hoc parum ingenuè aſſerit, in omnibus profanis ſcholis οὐσίαν nihil aliud eſſe quàm hypoſtaſin, quod ex cōmuni tritóque vſu paſſim refellitur. Modeſtior & humanior Auguſtinus, qui etſi nomen Hypoſtaſeos in hoc ſenſu Latinis auribus nouum eſſe dicit: adeò tamen Græcis ſuam loquendi conſuetudinem non eripit, vt Latinos etiam qui phraſin Græcam imitati fuerant, placidè toleret. Et quod etiam à Socrate de ipſa ſcribitur libro ſexto Hiſtoriæ tripartitæ, eò tendit quaſi ab imperitis hominibus ſit perperàm ad hanc rem accommodata. Quin idem Hilarius magno crimini ducit hæreticis, quòd eorū improbitate cogatur ſubiicere periculo humani eloquii quæ mentium religione contineri oportuerat, non diſſimulans quin id ſit agere illicita, ineffabilia loqui, inconceſſa præſumere. Paulo pòſt multis adhuc excuſat quòd audet proferre noua nomina. nā vbi poſuit naturæ nomina, Patrē, Filium, & Spiritū: ſubnectit, extra ſignificantiā ſermonis eſſe, extra ſenſus intentionē, extra intelligētiæ conceptionē, quicquid vltrà quæritur. Ac alibi fœlices Galliæ Epiſcopos prædicat, qui aliā nec excudiſſent, nec recepiſſent, nec omnino nouiſſent confeſſionem, quàm veterem illā & ſimpliciſſimā quę ab ætate Apoſtolorum apud omnes Eccleſias recepta fuerat. Nec abſimilis eſt Auguſtini excuſatio, neceſſitate extortā fuiſſe hanc vocē propter humani eloquii in re tanta inopiā, non vt exprimeretur quod eſt, ſed ne taceretur quomodo tres ſint, Pater, Filius, & Spiritus. Atque hæc ſanctorū virorum modeſtia monere nos debet ne tā ſeuerè velut cēſorio ſtylo protinus notemus eos qui in verba à nobis concepta iurare nolint: modò ne aut faſtu, aut proteruia, aut malitioſo aſtu id faciant: ſed expendāt ipſi viciſſim quanta neceſſitate adacti ſic loquamur, vt paulatim vtili loquendi formæ tandem aſſuefiant. Cauere etiam diſcant, ne, vbi occurrendum eſt ex vna parte Arianis, ex altera Sabellianis, dum vtriſque tergiuerſandi anſam præcidi ſtomachantur, nonnullam ſuſpicionem iniiciant vel Arii ſe eſſe diſcipulos, vel Sabellii. Dicit Arius Chriſtum eſſe Deum: ſed muſſitat factum eſſe & initium habuiſſe. Dicit vnum cum Patre: ſed clàm in ſuorum aures inſurrat, vnitum eſſe vt cæteros fideles, quanquam ſingulari prærogatiua. Dic conſubſtantialem, detraxeris verſipelli laruam, & tamen nihil addis Scripturis. Dicit Sabellius, Patrem, Filium, & Spiritum nihil in Deo diſtinctum ſonare. Dic tres eſſe, vociferabitur te nominare tres deos. Dic in vna Dei eſſentia perſonarum Trinitatem: dixeris vno verbo quod Scripturæ loquuntur, & inanem loquacitatem compreſſeris. Porrò ſiquos tàm anxia conſtringit ſuperſtitio vt hæc nomina non ferant: nemo tamen iam, vel ſi rumpatur, inficiari poterit, quum vnum audimus, intelligendam eſſe ſubſtātiæ vnitatem: quum tres audimus in vna eſſentia, perſonas notari in hac Trinitate. Quo non fraudulenter confeſſo, verba nihil moramur. Sed expertus pridem ſum, & quidem ſæpius, quicunque de verbis pertinacius litigant, fouere occultum virus: vt magis expediat eos vltrò prouocare quàm in eorum gratiam obſcurius loqui.

Lib. 5. de Trinit. cap. 8, & 9

Libr. 2. de Trinit.

De cōciliis.

6 Cæterùm omiſſa de vocibus diſputatione, iam de re ipſa dicere aggrediar. Perſonam igitur voco ſubſiſtentiā in Dei eſſentia, quæ ad alios relata, proprietate incōmuni-

cabili distinguitur. Subsistētiæ nomine aliud quiddā intelligi volumus quàm essentiam. Si enim Sermo simpliciter esset Deus, interea non haberet aliquid propriū, perperàm dixisset Iohannes fuisse semper apud Deum. Vbi continuo pòst addit, Deum quoque fuisse ipsum Sermonē, ad vnicam essentiam nos reuocat. Sed quia apud Deum esse non potuit quin resideret in Patre, hinc emergit illa subsistētia, quæ etsi indiuiduo nexu cum essentia coniuncta est, nec potest separari, specialē tamen habet notā qua ab ipsa distinguatur. Iam ex tribus subsistentiis vnāquanque dico ad alias relatā proprietate distingui. Relatio hîc disertè exprimitur: quia vbi simplex fit Dei mentio & indefinita, nō minus ad Filium & Spiritum pertinet nomē hoc quàm ad Patrē. Simul autem atque Pater cum Filio confertur, sua quēque proprietas ab altero discernit. Tertiò quicquid singulis proprium est, incommunicabile esse asserо, quia in Filium cōpetere vel transferri non potest quicquid ad notam discretionis tribuitur Patri. Neque verò mihi displicet Tertulliani definitio, modò dextrè sumatur: esse quandam in Deo dispositionem vel œconomiam quæ de essentiæ vnitate nihil mutet.

Iohan.1.a.1

Lib. contra Praxeam.

7 Priusquam tamen longius progrediar, probanda erit & Filii & Spiritus sancti deitas. deinde vt inter se differant videbimus. Certè quum Dei verbum nobis proponitur in Scriptura, absurdissimum fuerit imaginari fluxam duntaxat & euanidam vocem, quæ in aerem emissa prodeat extra ipsum Deum: cuiusmodi & oracula Patribus edita, & prophetiæ omnes fuerunt: quum perpetua magis Sapientia indicetur apud Deum residens, vnde & oracula & prophetiæ omnes prodierunt. Non enim minus (teste Petro) loquuti sunt Spiritu Christi veteres Prophetæ quàm Apostoli: & quicunque postea cælestem doctrinam administrarunt. Quia verò nondum manifestatus erat Christus, necesse est Sermonem intelligere ante secula ex Patre genitum. Quòd si Sermonis fuit ille Spiritus, cuius organa fuerūt Prophetæ, indubiè colligimus verum fuisse Deum. Atque hoc in mundi creatione satis clarè docet Moses, Sermonem illum intermedium statuens. Cur enim disertè narrat Deum singulis operibus creandis dixisse, Fiat hoc vel illud, nisi vt imperuestigabilis Dei gloria in imagine sua reluceat? Nasutis & garrulis hoc eludere prōptum esset, vocem accipi pro iussu & imperio. sed meliores interpretes Apostoli, qui tradunt per Filium secula esse condita, & portare omnia potenti suo verbo. Hîc enim videmus verbum pro nutu vel mādato Filii accipi, qui ipse æternus & essentialis est Patris Sermo. Nec verò sanis & modestis obscurum est quod dicit Solomon, vbi sapientiam inducit à Deo ante secula genitam, & rerum creationi & cunctis Dei operibus præsidentem. Nam temporarium quēdam Dei nutum fingere, stultum ac friuolum esset: quum tunc exerere voluerit Deus fixum æternúmque suum consiliū, atque etiam aliquid occultius. Quò etiam spectat dictum illud Christi, Pater meus & ego vsque ad hunc diem operamur. Se enim à primo mundi exordio assiduum in opere cum Patre fuisse affirmans, apertius explicat quod breuius attigerat Moses. Sic ergo Deum fuisse loquutum colligimus vt Sermoni in agendo suæ essent partes, atque ita vtriusque cōmunis esset operatio. Multo autem omnium clarissimè Iohannes, quum Sermonē illum qui ab initio Deus apud Deum erat, rerum omnium causam simul cum Deo Patre statuit. Nam & solidam permanentémque Verbo attribuit essentiā, & aliquid peculiare assignat, & dilucidè ostendit quomodo Deus loquēdo mundi fuerit creator. Ergo vt omnes diuinitus profectæ reuelationes verbi Dei titulo ritè insigniuntur, ita Verbum illud substantiale summo gradu locare conuenit, oraculorum omnium scaturiginem, quod nulli varietati obnoxium, perpetuò vnum idēmque manet apud Deum, & Deus ipse est.

1.Pet.1.b.11

Heb.1.a.2

Eccl.24.b.14

Iohan.5.c.17

Iohan.1.a.3

8 Hîc obstrepunt nonnulli canes, qui quum suam illi diuinitatem palàm eripere non ausint, æternitatē clam suffurantur. Dicunt enim, tum demum Sermonem esse cœpisse quum Deus in mundi creatione sacrū suum os aperuit. Sed nimis inconsideratè substantiæ Dei nouationem quandam affingunt. Nam vt quæ externum opus respiciūt Dei nomina attribui ei cœperunt ab existentia operis ipsius (quale est quòd cæli & terræ creator vocatur) ita nullum nomen agnoscit pietas vel admittit quod Deo aliquid nouum in seipso accidisse significet. Nam si quid fuisset aduentitium, concideret illud Iacobi, manare desursum omne donum perfectum, & descendere à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, vel conuersionis obumbratio. Nihil ergo minus ferendum quàm principium fingere illius Sermonis qui & Deus semper fuit, & postea mūdi opifex. Sed argutè scilicet ratiocinantur, Mosen, narrando Deum tunc primùm loquutū esse, simul innuere nullum

Iac.1.c.17

nullum antè in ipso fuisse Sermonem. quo nihil magis est nugatoriũ. Neque enim quia manifestari aliquid certo tempore incipit, colligendum propterea erat, nunquam prius fuisse. Ego verò longè secus concludo. quũ in ipso momẽto quo dixit Deus, Fiat lux, Sermonis virtus emerserit & extiterit, ipsum multo antè fuisse. Quam dudum autẽ siquis inquiret, nullum exordium reperiet. Neque enim certum temporis spatiũ terminat quum dicit ipse, Pater illustra Filium gloria quam apud te initiò possedi, antequam iacerentur mundi fundamenta. Neque hoc præteriit Iohannes: quia antequam ad mundi creationem descendat, principiò Sermonem apud Deum fuisse dicit. Cõstituimus ergo rursum, Sermonem extra temporis initium à Deo cõceptum, apud ipsum perpetuò resedisse: vnde & æternitas, & vera essentia, & diuinitas eius comprobatur. Gen.1.a.3 Iohan.17.a.5

9 Etsi autem Mediatoris personam nondũ attingo, sed differo vsque in eum locum vbi de redemptione agetur: quia tamen sine controuersia inter omnes cõstare debet, Christum esse illum Sermonem carne indutum, huc optimè conuenient quæcunque deitatem Christo asserunt testimonia. Quũ dicitur Psalmo 45, Solium tuum Deus in seculum & vsque, tergiuersantur Iudæi, nomen Elohim competere etiam in Angelos & summas potestates. Atqui nusquam extat similis in Scriptura locus, qui thronum æternum creaturæ erigat. neq; enim simpliciter Deus vocatur, sed æternus quoque Dominator. Deinde nemini defertur hic titulus, nisi cum adiectione, qualiter Moses fore dicitur Pharaoni in Deum. Alii in genitiuo casu legũt, quod nimis insipidum est. Fateor quidem sæpe diuinum vocari quod singulari præstantia eximium est: sed ex contextu satis liquet durum illud esse & coactum, imò nequaquam quadrare. Verùm si non cedat eorum peruicacia, certè non obscurè à Iesaia idem Christus inducitur & Deus, & summa potentia ornatus, quod vnius Dei proprium est. Hoc est, inquit, nomen quo vocabunt eum, Deus fortis, Pater futuri seculi, &c. Oblatrant hîc quoque Iudæi, & sic lectionem inuertunt, Hoc est nomen quo vocabit eum Deus fortis, Pater futuri, &c. vt hoc duntaxat Filio reliquum faciant, Principem vocari pacis. Sed quorsum tot epitheta in Deum Patrẽ hoc loco congesta forent? quum Prophetæ cõsilium sit Christum insignibus notis quæ fidem in eo nostram ædificent, ornare? Quare dubium non est quin eadẽ ratione Deus fortis nunc vocetur, qua paulo antè Immanuel. Nihil autem dilucidius Ieremiæ loco quæri potest, hoc fore nomen quo vocabitur germen Dauidis, Iehouah iustitia nostra. Nam quum doceãt ipsi Iudæi vltrò alia Dei nomina nihil quàm epitheta esse, hoc solum quod ineffabile dicunt, esse substantiuum ad exprimendam eius essentiam: colligimus Filium vnicum esse Deum & æternum, qui alibi pronuntiat se gloriam suam non daturũ alteri. Latebras quidem hîc captant, quia & altari à se extructo nomen istud imposuerit Moses, & Ezechiel ciuitati nouæ Ierusalem. Sed quis non videt altare extrui in monimentum quòd Deus sit exaltatio Mosis? nec Hierosolymam insigniri Dei nomine nisi ad testandam Dei præsentiam? Sic enim Propheta loquitur, Nomen ciuitatis ex illa die, Iehouah ibi. Moses verò in hunc modum, Ædificauit altare, & vocauit eius nomen, Iehouah exaltatio mea. Sed maius scilicet certamen restat ex alio Ieremiæ loco, vbi hoc ipsum elogium ad Ierusalem refertur his verbis, Hoc est nomen quo vocabunt eam, Iehouah iustitia nostra. Atqui tantum abest quin hoc testimoniũ officiat veritati quam defendimus, vt magis suffragetur. Quum enim antea Christum esse verum Iehouah testatus esset, vnde fluat iustitia, nunc pronuntiat, Ecclesiam Dei hoc verè ita sensuram, vt nomine ipso gloriari queat. Itaque priore loco fons & causa iustitiæ ponitur: deinde additur effectus. Exod.7.a.1 Iesa.9.b.6 Iere.23.a.6 Iesa.42.b.8 Ezc.48.e.36 Exo.17.d.15 Iere.33.c.16

10 Quòd si non satisfaciunt hæc Iudæis, tam frequenter Iehouam statui in Angeli persona, non video quibus cauillis eludant. Angelus apparuisse sanctis Patribus dicitur. Idẽ sibi nomẽ æterni Dei vendicat. Si excipiat quispiã, personæ quã sustinet respectu hoc dici, minimè ita soluitur nodus. Neq; enim seruus, sacrificiũ offerri sibi permittens, suum Deo honorẽ eriperet. Atqui Angelus panẽ se manducaturũ negans, iubet offerri sacrificium Iehouæ. Deinde verò se illum Iehouam esse reipsa probat. Itaque Manuah & eius vxor ex hoc signo non Angelum modò, sed Deum se vidisse colligũt. Vnde vox illa, Moriemur quia Deũ vidimus. Dum verò respondet vxor, Si voluisset nos occidere Iehouah, nõ suscepisset è manu nostra sacrificiũ: certè Deũ fatetur qui Angelus antè dictus est. Adde quòd ipsa Angeli respõsio dubitationem tollit, Cur de nomine meo interrogas quod est mirabile? Quo magis detestabilis fuit Serueti impietas, dum asseruit Deum nunquam patefactum fuisse Abrahæ & aliis Patribus, sed eius loco adoratum fuisse Angelum. Rectè Iudic.6, & 7 Iudic.13.c.16 Ibidẽ, d.22, & 23 Ibidem, c.18

autẽ & prudẽter orthodoxi Eccleſiæ Doctores Sermonẽ Dei eſſe interpretati ſunt principem illum Angelũ, qui iam tunc præludio quodam fungi cœpit Mediatoris officio. Etſi enim nondum erat carne veſtitus, deſcendit tamen quaſi intermedius, vt familiarius ad fideles accederet. Propior igitur communicatio dedit ei Angeli nomẽ: interea quod ſuum erat, retinuit, vt Deus eſſet ineffabilis gloriæ. Idẽ ſibi vult Oſeas, qui poſtquam re-
Oſeæ 12.b.5 cenſuit luctam Iacob cum Angelo, Iehouah, inquit, Deus exercituũ, Iehouah memoriale nomen eius. Iterum oggãnit Seruetus, Deum geſtaſſe perſonã Angeli. Quaſi verò non
Gen.32.g.29 30 confirmet Propheta quod à Moſe dictũ fuerat, Vtquid interrogas de nomine meo? Et cõfeſſio ſancti Patriarchæ ſatis declarat non fuiſſe creatum Angelum, ſed in quo plena dei-
1.Cor.10.a.4 tas reſideret, quum dicit, Vidi Deum facie ad faciem. Hinc etiam illud Pauli, Chriſtũ fuiſſe populi ducem in deſerto. quia etſi nondum aduenerat humiliationis tempus, figuram tamen propoſuit æternus ille Sermo eius officii cui deſtinatus erat. Iã ſi abſque contẽtione expenditur caput Zachariæ ſecundum, Angelus qui alterum Angelum mittit, idem mox pronuntiatur Deus exercituum, & ei ſumma potentia adſcribitur. Innumera teſtimonia omitto in quibus tutò acquieſcit fides noſtra, quanuis Iudæos non admodũ mo-
Ieſa.25.c.9 ueant. Nam quum dicitur apud Ieſaiam, Ecce Deus noſter iſte: hic eſt Iehouah: expectabimus eum, & ſeruabit nos: oculatis patet monſtrari Deum qui in ſalutem populi denuò exurgit. Et emphaticæ demõſtrationes bis poſitæ nõ aliò ſinunt hoc trahi quàm ad Chri-
Malach. 3. a.1 ſtum. Apertior etiamnum & ſolidior locus Malachiæ, vbi venturum Dominatorem, qui tunc expetebatur, ad templum ſuum promittit. Certè nonniſi vni ſummo Deo ſacrum fuit templũ, quod tamen Propheta Chriſto vẽdicat. Vnde ſequitur, eundem eſſe Deum qui ſemper adoratus fuit apud Iudæos.

11 Nouum autem teſtamentum innumeris teſtimoniis ſcatet. Ideo danda eſt opera vt breuiter potius ſeligamus pauca quàm omnia congeramus. Quanuis autem de eo loquuti ſint Apoſtoli, ex quo iã extiterat Mediator in carne: quicquid tamen adducã, probandæ eius æternæ deitati aptè conueniet. In primis iſtud eſt ſingulari animaduerſione dignum, quòd Apoſtoli, quæ de æterno Deo prædicta erant, in Chriſto vel iam exhibita,
Ieſa.8.c.14 vel olim repræſentanda docent. Nam vbi Ieſaias Dominum exercituum Iudæis & Iſraelitis in petram ſcandali & lapidem offenſionis fore vaticinatur, id Paulus aſſerit in Chri-
Rom.9.g.23 ſto eſſe impletum. Dominũ ergo illum exercituũ Chriſtum eſſe declarat. Similiter alibi,
Rom.14.b. 10 Oportet, inquit, nos omnes ſemel ſiſti ad tribunal Chriſti. Scriptũ eſt enim, Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua iurabit mihi. Id quũ apud Ieſaiam de ſe Deus prædicet,
Iſa.45.d.23 Chriſtus reipſa in ſe exhibeat, conſequitur illum ipſum Deũ eſſe cuius gloria traduci aliò
Ephe.4.b.8 non poteſt. Quod etiam ad Epheſios ex Pſalmis citat, in Deum vnicè competere liquet:
pſal.67.c.19 Aſcendens in altum duxit captiuitatem. tum aſcenſionem eiuſmodi adumbratam fuiſſe intelligens quum inſigni aduerſus exteras gẽtes victoria, potentiam ſuam exeruit Deus,
Iohã.1.b.14 in Chriſto plenius exhibitã ſignificat. Sic Iohannes gloriã Filii fuiſſe teſtatur, quæ Ieſaiæ
ieſa.6.a.1 per viſionem reuelata fuit: quum tamẽ Propheta ipſe Dei maieſtatem ſibi viſam ſcribat.
Heb.1.c.10, & b.6 Illa verò quæ Apoſtolus ad Hebræos in Filium confert, non obſcurum eſt eſſe clariſſima Dei elogia: Tu in principio Domine fundaſti cælum & terram, &c. Item, Adorate eum omnes Angeli eius. Neque tamẽ illis abutitur, quum ad Chriſtum trahit. ſiquidem quæcunque in Pſalmis illis canuntur, ſolus ipſe impleuit. Ille enim fuit qui exurgens miſertus eſt Sion: ille qui omnium gentium & inſularum regnum ſibi aſſeruit. Et cur dubitaſſet Iohannes Dei maieſtatem ad Chriſtum referre, qui præfatus fuerat, Verbum ſemper
Iohan.1.a.1, & b.14. 2.Cor.5.b.10 Rom.9.a.5 1.Tim.3.d. 16 fuiſſe Deum? Quid formidaſſet Paulus Chriſtum in Dei tribunali collocare, tam aperto præconio eius diuinitatem antè proſequutus, vbi dixerat eſſe Deum in ſecula benedictũ? Atque vt appareat quàm ſibi bene in hac parte conſentiat, alibi etiam Deũ in carne manifeſtatum eſſe ſcribit. Si Deus eſt in ſecula laudandus, ille eſt igitur cui ſoli omnem gloriam & honorem deberi, alio loco idem affirmat. Neque verò id diſſimulat: quin palàm
1. Tim. 1. d. 17 Philip.2.a.6 clamat, Quum in forma Dei eſſet, non fuiſſe ducturum rapinæ loco ſi æqualem Deo ſe præbuiſſet: ſed vltrò ſeipſum exinaniuiſſe. Ac ne factitium quempiam Deum eſſe impii
1.Iohã. 5. d. 20 obſtreperẽt, vltrà progreditur Iohãnes: Ipſe, inquit, eſt verus Deus, & vita æterna. Quanquam ſatis ſupérque nobis eſſe debet, Deum nominari: præſertim ab eo teſte qui diſertè nobis non plures eſſe deos aſſeuerat, ſed vnum. Ille autem Paulus eſt, qui ſic loquitur,
1.Cor.8.b.5 Vtcunque multi nominentur dii, ſiue in cælo, ſiue in terra: nobis tamen vnus eſt Deus, ex quo omnia. Ex eodem ore quum audiamus Deum in carne manifeſtatum, Deum

ſuo

ſuo ſanguine acquiſiuiſſe ſibi Eccleſiam: quid ſecundum Deum imaginamur, quem ille nequaquã agnoſcit? Et minimè dubiũ eſt quin idem piis omnibus fuerit ſenſus. Thomas certè ſimiliter Dominum & Deum ſuum apertè prædicando, vnicum illum eſſe Deum profitetur quem ſemper adorauerat. 1.Tim.3.d.15 16,act.20.b.28 Iohan.20.g.28

12 Iam ſi ab operibus eius diuinitatem cenſemus quæ illi in Scripturis aſcribuntur, euidentius inde adhuc eluceſcet. Quũ enim ſe ab initio vnà cum Patre hactenus operari diceret, Iudæi ad alia eius dicta ſtupidiſsimi, ſenſerũt tamen eum ſibi diuinam potentiam vſurpare. Ac propterea (vt Iohannes refert) magis eum quærebant interficere, quòd non ſabbathum modò ſoluebat, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Qualis ergo erit ſtupor noſter, niſi hinc eius diuinitatem planè aſtrui ſentiamus? Et ſanè prouidentia & virtute mundum adminiſtrare, nutúque propriæ virtutis omnia moderari, (quod illi dat Apoſtolus) non eſt niſi Creatoris. Neque ſolam gubernandi orbis prouinciam cum Patre participat: ſed alia quoque ſingula officia, quæ creaturis cõmunicari nequeant. Clamat Dominus per Prophetam, Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Secundũ hanc ſententiam quum iniuriã irrogari Deo Iudæi exiſtimarẽt, eo quòd peccata Chriſtus remittebat, hanc poteſtatem ſibi cõpetere non tantùm verbis aſſeruit, ſed miraculo etiam comprobauit. Ergo peccatorum remiſſionis non miniſterium, ſed poteſtatem penes ipſum eſſe conſpicimus, quam à ſe ad alium tranſituram Dominus negat. Quid tacitas cordium cogitationes percontari & penetrare, an non ſolius Dei eſt? At eam quoque habuit Chriſtus: vnde colligitur eius diuinitas. Iohan.5.c.17 Hebr.1.a.3 Iesa.43.d.25 Matth.9.a.6 Matth.9.a.4

13 In miraculis autem quàm perſpicuè luculentéque apparet? Quibus etſi paria & ſimilia tum Prophetas tũ Apoſtolos edidiſſe fateor: in hoc tamen pluriműm eſt diſcriminis, quòd hi dona Dei ſuo miniſterio diſpenſarunt: ille ſuam ipſius virtutem exeruit. Vſus eſt quidẽ interdum precatione, quò gloriã ad Patrem referret: ſed videmus vtplurimũ propriam eius virtutem nobis oſtenſam. Et quomodo non eſſet verus author miraculorum, qui diſpenſationem aliis ſua authoritate cõmittit? Narrat enim Euangeliſta illum dediſſe Apoſtolis poteſtatẽ mortuos ſuſcitandi, leproſos curandi, eiiciendi dæmones, &c. Illi autem ſic miniſterio eiuſmodi defuncti ſunt vt ſatis oſtenderent virtutem non aliunde eſſe quàm à Chriſto. In nomine Ieſu Chriſti (inquit Petrus) ſurge & ambula. Nõ mirum ergo ſi miracula ſua obiecerit Chriſtus, ad reuincendam Iudæorum incredulitatẽ: vtpote quæ virtute eius edita, ampliſſimum diuinitatis teſtimoniũ reddebãt. Præterea ſi extra Deum nulla eſt ſalus, nulla iuſtitia, nulla vita, Chriſtus autem in ſe hæc omnia cõtinet, Deus certè oſtenditur. Neque mihi quiſpiam obiiciat, diffuſam à Deo in ipſum vitam aut ſalutem non enim ſalutem accepiſſe, ſed ipſe ſalus eſſe dicitur. Et, ſi nemo bonus niſi ſolus Deus, quomodo eſſet purus homo, non dico bonus ac iuſtus, ſed ipſa bonitas & iuſtitia? Quid, quòd à primo creationis exordio, teſte Euangeliſta, in ipſo vita erat: & ipſe vita iam tum exiſtens, erat lux hominũ? Proinde talibus documentis freti fidem in ipſo noſtrã & ſpem reponere audemus: quum ſciamus tamen ſacrilegam eſſe impietatem ſicuius fiducia in creaturis hæreat. Creditis in Deum, inquit, & in me credite. Atque ita Paulus duos Ieſaiæ locos interpretatur, Quicunque ſperat in eo non pudefiet. Item, Erit ex radice Iſai qui conſurget ad regendos populos: in ipſo Gentes ſperabunt. Et quid de ea re plura Scripturæ teſtimonia perſequamur, quum toties occurrat hæc ſententia, Qui credit in me habet vitam æternam? Iam quæ ex fide põdet inuocatio, illi etiam competit, quæ tamen diuinæ maieſtatis propria eſt ſiquid aliud proprium habet. Dicit enim Propheta, Quicunque inuocauerit nomen Iehoua, ſaluus erit. Alter verò, Turris fortiſſima nomen Iehoua: ad ipſam cõfugiet iuſtus, & ſeruabitur. Atqui in ſalutem inuocatur nomen Chriſti. ſequitur ergo ipſum eſſe Iehoua. Porrò inuocationis exemplum habemus in Stephano, quum dicit, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. deinde in vniuerſa Eccleſia, quemadmodum Ananias teſtatur eodẽ libro, Domine, inquit, ſcis quanta hic intulerit mala ſanctis omnibus qui inuocant nomen tuum. Ac quo apertius intelligatur totam diuinitatis plenitudinem in Chriſto corporaliter habitare, fatetur Apoſtolus nullã inter Corinthios aliam doctrinam præ ſe tuliſſe quàm eius cognitionẽ, nec aliud quàm ipſam prædicaſſe. Quale iſtud quæſo & quantum eſt Filii duntaxat nomen annuntiari nobis quos Deus iubet in ſui ſolius cognitione gloriari? Quis meram creaturam ipſum iactare auſit, cuius notitia vnica eſt noſtra gloriatio? Huc accedit quòd ſalutationes Pauli epiſtolis præfixæ eadem à Filio precantur beneficia quæ à Patre: quo docemur nõ modò illius interceſſione ad nos Mat.19.c.17 Iohan.1.a.4 Iohã.14.a.1 Iesa.26.d.16 & 11.c.10, rom.10.b.11 & 15.c.12 Iohã.3.g.47 Ioel 2.g.32 Prou.18.b.10 Act.7.g.59 Act.9.b.13 1.Cor.2.a.2 Iere.9.g.24

peruenire quæ largitur cæleſtis Pater,ſed potẽtiæ cõmunione Filium ipſum eſſe authorẽ. Quæ practica notitia certior haud dubiè ſolidiórque eſt qualibet otioſa ſpeculatione.Illic enim pius animus Deum præſentiſſimum conſpicit & penè attrectat, vbi ſe viuificari,illuminari,ſeruari,iuſtificari,ac ſanctificari ſentit.

14 Quare iiſdem etiam è fontibus præcipuè ad deitatem Spiritus aſſerendã petenda eſt probatio.Eſt quidem minimè obſcurum illud teſtimonium Moſis in creationis hiſtoria,Spiritum Dei expanſum fuiſſe ſuper abyſſos, vel materiam informem. quia oſtendit nõ modò pulchritudinem mundi quæ nunc cernitur, vigere ſaltem Spiritus virtute: ſed antequam accederet hic ornatus, iam tunc in fouẽda illa cõfuſa mole Spiritum fuiſſe operatum. Nullis etiam cauillis obnoxium eſt quod dicitur apud Ieſaiam,Et nunc Iehouah miſit me & Spiritus eius:quia ſummum in mittẽdis Prophetis imperium cum Spiritu ſancto cõmunicat: ex quo relucet diuina eius maieſtas.ſed optima, vt dixi, cõfirmatio nobis erit ex familiari vſu.Longè enim à creaturis alienum eſt quod illi Scripturæ tribuunt:& nos ipſi certa pietatis experiẽtia diſcimus.Ille enim eſt qui vbiq; diffuſus omnia ſuſtinet, vegetat & viuificat in cælo & in terra. Iã hoc ipſo creaturarũ numero eximitur, quòd nullis circunſcribitur finibus.ſed ſuum in omnia vigorẽ transfundendo,eſſentiam, vitam, & motionẽ illis inſpirare, id verò planè diuinum eſt. Deinde ſi regeneratio in vitam incorruptibilem quauis præſenti vegetatione ſuperior eſt & multo excellẽtior,quid de eo cẽſendum eſt cuius ex virtute procedit?Ipſum autem nõ mutuatitio,ſed proprio vigore regenerationis eſſe authorẽ Scriptura multis locis docet:neque eius modò,ſed futuræ quoque immortalitatis.Denique in ipſum omnia,vt in Filium, cõferuntur quæ maximè propria ſunt diuinitatis officia. Siquidẽ etiam profunda Dei ſcrutatur, cui nullus eſt inter creaturas conſiliarius. ſapientiam & loquendi facultatẽ largitur:quum tamen Dominus Moſi pronuntiet, id facere ſuum eſſe ſolius. ſic per ipſum in Dei participationem venimus, vt eius virtutẽ ſentiamus erga nos quodãmodo viuificã.iuſtificatio noſtra, eius opus eſt.ab ipſo eſt potẽtia, ſanctificatio,veritas,gratia,& quicquid boni cogitari poteſt: quoniã vnus eſt Spiritus à quo profluit omne donorum genus. Nam digna in primis notatu eſt ſententia illa Pauli, Quãuis diuerſa ſint dona, & multiplex variáque diſtributio, eundem tamen eſſe Spiritum:quia ipſum nõ modò principium vel originem ſtatuit, ſed etiam authorem. quod etiam clarius exprimitur paulo pòſt his verbis, Omnia diſtribuit vnus & idem Spiritus provt vult.Niſi enim eſſet aliquid in Deo ſubſiſtens,minimè ei daretur arbitrium & voluntas.Clariſſimè ergo Paulus Spiritum inſignit diuina potentia,& in Deo hypoſtaticè reſidere demonſtrat.

Gen.1.a.2

Ieſa.48.c.16

1.Cor.2.c.10 & d.16

1.Cor.12.b.10

Exod.4.c.11

1.Cor.12.b.11 & ſeq.

15 Nec verò quum de ipſo Scriptura loquitur, à Dei appellatione abſtinet. Paulus enim nos eſſe tẽplum Dei ex eo colligit quia Spiritus eius habitat in nobis. Quod nõ eſt leuiter prætereundum. ſiquidem quum toties promittat Deus ſe electurum nos ſibi in templum, non aliter impletur ea promiſſio quàm eius Spiritu in nobis habitante. Certè vt præclarè dicit Auguſtinus, Si ex lignis & lapidibus tẽplum Spiritui facere iuberemur, quia cultus hic ſoli Deo debetur, clarum eſſet diuinitatis eius argumentum. nunc ergo quanto clarius iſtud eſt,quòd non templum illi facere,ſed nosipſi eſſe debemus? Et Apoſtolus ipſe nunc templum nos Dei eſſe,nunc Spiritus ſancti eodem ſignificatu ſcribit.Petrus verò Ananiam reprehendens quòd Spiritui ſancto mentitus eſſet, non hominibus mentitum eſſe dicebat, ſed Deo. Atque vbi Ieſaias Dominum exercituũ loquentem inducit,Paulus Spiritum ſanctum eſſe docet qui loquitur. Imò quũ paſſim dicant Prophetæ,verba quæ proferunt, eſſe Dei exercituum, Chriſtus & Apoſtoli ad Spiritũ ſanctum referunt. vnde ſequitur, verum eſſe Iehouah, qui præcipuus eſt Prophetiarum author. Rurſus vbi Deus ſe ad iram populi contumacia prouocatum conqueritur, pro eo Ieſaias Spiritum eius ſanctum contriſtatum ſcribit. Poſtremò ſi blaſphemia in Spiritum neque in hoc ſeculo neque in futuro remittitur, quum veniam obtineat qui in Filium blaſphemauit,palàm hinc aſſeritur diuina eius maieſtas, quã lædere vel imminuere,crimẽ inexpiabile eſt. Sciẽs ac volẽs ſuperſedeo à multis teſtimoniis quibus vſi ſunt veteres. Plauſibile illis viſum eſt citare ex Dauide, Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: vt probarent non minus Spiritus ſancti opus eſſe mundum quàm Filii. Sed quum in Pſalmis vſitatum ſit bis idem repetere,& quum apud Ieſaiam Spiritus oris idem valeat atque ſermo,infirma illa ratio fuit. Itaque tantùm parcè attingere volui quibus ſolidè inniterentur piæ mentes.

1.Cor.3.d.17, & 6.d.19, & 2.cor.6.d.16

Aug. ad Maximinũ, Epiſt.66

Act.5.a.3.4

Ieſa.6.c.9. act.28.f.25, 26

Ieſa.63.c.10. Mat.12.c.31 marc.3.d.29 luc.12.b.10

Pſal.33.b.6

Ieſa.11.a.4

16 Quia

16 Quia autẽ Christi aduentu clarius se patefecit Deus, ita etiã in tribus personis familiarius innotuit. Sed ex multis testimoniis vnum hoc nobis sufficiat. Nam Paulus hæc tria sic connectit,Deum,fidem,& Baptismum,vt ab vno ad aliud ratiocinetur:nẽpe quia vna est fides,vt inde vnum esse Deum demõstret:quia vnus est Baptismus, inde quoque vnam esse fidem ostendat. Ergo si in vnius Dei fidem ac religionem initiamur per Baptismum,nobis necesse est verum censere Deum in cuius nomen baptizamur.Nec verò dubium est quin hac solenni nũcupatione perfectam fidei lucem iam esse exhibitam testari voluerit Christus quum diceret,Baptizate eos in nomen Patris,& Filii,& Spiritus sancti. siquidem hoc perinde valet atque baptizari in vnius Dei nomen qui solida claritate apparuit in Patre,Filio,& Spiritu.vnde planè constat in Dei essentia residere tres personas in quibus Deus vnus cognoscitur. Et sanè quum fides non circunspicere huc & illuc debeat,neque per varia discurrere,sed in vnum Deum spectare,in eum conferri, in eo hærere:ex eo facilè constituitur quòd si varia sint fidei genera, plures etiam esse deos oporteat.Iam quia sacramentũ est fidei Baptismus,Dei vnitatem nobis cõfirmat ex eo quòd vnus est.Hinc etiam cõficitur,vt nonnisi in vnum Deum baptizari liceat: quia eius amplectimur fidem in cuius nomen baptizamur. Quid ergo sibi vult Christus,quum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizari præcepit,nisi vna fide in Patrem,& Filium, & Spiritum credendum esse:id verò quid aliud est,quàm clarè testari Patrem, Filium & Spiritum vnum esse Deum:Itaque quum fixum illud maneat Deum vnum esse non plures, Verbum & Spiritum non aliud esse quàm ipsam Dei essentiam constituimus. Et verò stolidissimè ineptiebant Arriani,qui Filii diuinitatem confitentes, Dei substantiam illi adimebant.Nec absimilis Macedonianos rabies vexabat,qui per Spiritum dona gratiæ duntaxat in homines effusa intelligi volebant.Nam vt sapientia,intelligentia,prudentia, fortitudo,timor Domini,ab ipso proficiscuntur:ita vnus ipse est sapientiæ,prudentiæ,fortitudinis,pietatis Spiritus.Nec secũdum gratiarum distributionem ipse diuiditur: sed vtcunque illæ variè diuidantur,idem tamen & vnus manet,inquit Apostolus.

Ephes. 4.a.5

Mat.28.d.19

1.Cor.12.b.11

17 Rursum & quædam Patris à Verbo, Verbi à Spiritu distinctio Scripturis demonstratur.In qua tamen excutienda,quãta religione ac sobrietate versandũ sit,ipsa mysterii magnitudo nos admonet. Ac mihi sanè vehementer istud Gregorii Nazianzeni arridet, ὲ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· ὲ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι: Non possum vnũ cogitare quin trium fulgore mox circũfundar:nec tria possum discernere quin subitò ad vnũ referar.Proinde & nos eam personarũ Trinitatẽ ne imaginari in animum inducamus quę cogitationem seorsum distractam detineat,ac non ad illã mox vnitatem reducat. Veram certè distinctionem insinuant Patris, Filii, & Spiritus vocabula, nequis nuda epitheta esse putet quibus à suis operibus variè designetur Deus, sed distinctionẽ, non diuisionem Proprietatẽ Filio à Patre esse distinctã ostendunt loci quos iã citauimus: quia Sermo nõ fuisset apud Deum nisi alius esset à Patre: neque gloriam suam habuisset apud Patrem nisi ab eo distinctus.Similiter Patrem à se distinguit, quum alium esse dicit qui testimonium sibi perhibet.Atque huc tendit quod alibi dicitur Patrem,per Verbum omnia creasse:quod non poterat nisi ab ipso quodammodo distinctus. Præterea non descendit Pater in terrã,sed is qui à Patre exiit:nõ mortuus est,nec resurrexit, sed qui ab eo missus fuerat.Neque ab assumpta carne exordium habuit hæc distinctio, sed antea quoque vnigenitum in sinu Patris fuisse manifestum est.Quis enim asserere sustineat, tũ demum sinum Patris ingressum Filium quum è cælo descẽdit ad suscipiendam humanitatem:Erat ergo antè in sinu Patris, & suam apud Patrem gloriam obtinebat. Spiritus sancti à Patre distinctionẽ Christus innuit,quum dicit eũ à Patre procedere:à seipso autem quoties alium vocat: vt quũ alium consolatorẽ ab se mittendũ denuntiat, & alibi sæpius.

In Serm. de sacro Baptis.

Iohan.5.c.32 & 8.b.16,& alibi.

Iohan.1.c.18

Iohan. 14.b 6, & 15.d.26 Iohã.14.b.16

18 Enimuero ad vim distinctionis exprimendã,similitudines à rebus humanis mutuari nescio an expediat.Solent id quidem interdũ facere veteres:sed simul fatentur plurimum differre quicquid pro simili in medium afferunt.quo fit vt omnem audaciam hîc reformidem: ne siquid intempestiuè productũ fuerit,aut malignis calumnię,aut rudibus hallucinationis ansam præbeat.Quam tamen Scripturis notatam distinctionem animaduertimus,subticeri non cõuenit. Ea autem est,quòd Patri principium agendi, rerúmque omnium fons & scaturigo attribuitur:Filio sapientia,consiliũ,ipsáque in rebus agẽdis dispensatio:at Spiritui virtus & efficacia assignatur actionis. Porrò quanquam Patris æternitas,Filii quoque & Spiritus æternitas est,quando nunquam Deus sine sapientia virtu-

téque sua esse potuit,in æternitate autem non est quærendum prius aut posterius:nõ est tamen inanis aut superuacua ordinis obseruatio, dum primus recẽsetur Pater,deinde ex eo Filius, postea ex vtroque Spiritus. Nam & mens vniuscuiusque eò sponte inclinat vt primò Deum consideret,deinde emergentem ex eo sapiẽtiam, tum postremò virtutem qua consilii sui decreta exequitur. Qua ratione,à Patre duntaxat existere dicitur Filius: à Patre simul & Filio Spiritus.multis id quidem locis,sed nusquam clarius quàm cap.8. ad Romanos,vbi scilicet idem Spiritus,nunc Christi,nunc eius qui suscitauit Christum
2. Pet.1.d. 21 à mortuis,promiscuè vocatur:neque iniuria. Nã & Petrus Spiritũ Christi fuisse testatur, quo vaticinati sunt Prophetæ: quum toties Scriptura doceat Spiritum fuisse Dei patris.

19 Porrò simplicissimam Dei vnitatem adeò non impedit ista distinctio, vt Filium inde probare liceat vnum esse cum Patre Deum,quia vno simul cum eo Spiritu constet: Spiritum autem non aliud esse à Patre & Filio diuersum, quia Patris & Filii sit Spiritus. Siquidem in vnaquaque hypostasi tota intelligitur natura, cũ hoc,quòd subest sua vnicuique proprietas.Pater totus in Filio est,totus in Patre Filius,quemadmodum ipse quo
Iohã.14.b.10 que asserit, Ego in Patre, & Pater in me:nec vlla essentiæ differentia seiungi alterum ab altero scriptores Ecclesiastici concedunt. His appellationibus quæ distinctionem denotant (inquit Augustinus) hoc significatur quòd ad se inuicem referuntur, non ipsa substantia qua vnum sunt.Quo sensu conciliandæ sunt inter se veterum sententiæ, quæ pugnare alioqui nonnihil viderentur.Nunc enim Patrẽ Filii principium esse tradunt:nunc Filium à seipso & diuinitatem & essentiam habere asseuerant, adeóque vnum esse cum Patre principium.Eius diuersitatis causam bene ac perspicuè explicat Augustinus alibi, quum ita loquitur. Christus ad se Deus dicitur,ad Patrem Filius dicitur.Rursúsque, Pater ad se Deus dicitur,ad Filium dicitur Pater.Quòd dicitur ad Filium Pater, non est Filius:quòd dicitur Filius ad Patrem,non est Pater:quòd dicitur ad se Pater, & Filius ad se, est idem Deus. Ego quum de Filio sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & propriè ipsum à se esse asserimus: & ideo vnicum vocamus principium: quum verò relationem quæ illi cum Patre est notamus, Patrem Filii principium meritò facimus. In huius rei explicatione quintus liber Augustini de Trinitate totus versatur. Longè verò tutius est in ea quam tradit relatione subsistere,quàm subtilius penetrando ad sublime mysterium,per multas euanidas speculationes euagari.

Augustinus Homil. de temp.38.de Trinit.& col.ad Paschẽtium, Epist. 174.
Cyril.lib.7. de Trinit.
Idem lib. 3. Dialog.
Aug.in Psalmum 109,& Tract.in Iohan.39.
Aug.in Psalmum 68

20 Ergo quibus cordi erit sobrietas, & qui fidei mensura contenti erunt, breuiter quod vtile est cognitu accipiant:nempe quum profitemur nos credere in vnum Deum, sub Dei nomine intelligi vnicam & simplicem essentiam, in qua comprehendimus tres personas vel hypostaseis:ideóque quoties Dei nomen indefinitè ponitur, non minus Filium & Spiritum,quàm Patrem designari.vbi autem adiungitur Filius Patri,tunc in medium venit relatio:atque ita distinguimus inter personas. Quia verò proprietates in personis ordinem secum ferunt,vt in Patre sit principium & origo: quoties mentio fit Patris & Filii simul, vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur.hoc modo retinetur vnitas essentiæ, & habetur ratio ordinis,quæ tamen ex Filii & Spiritus deitate nihil minuit.Et certè quum antè visum fuerit Apostolos asserere Filium Dei illum esse quem Moses & Prophetæ testati sunt esse Iehouah, semper ad vnitatem essentiæ venire necesse est. Proinde nobis sacrilegium detestabile est,Filium vocari alium Deum à Patre:quia simplex Dei nomẽ relationem nõ admittit,nec potest Deus ad seipsum dici hoc vel illud esse.Iam quòd nomen Iehouæ indefinitè sumptum in Christum cõpetat,ex Pauli etiam
2. Cor.12.c.9 verbis patet, Propterea ter rogaui Dominum:quia vbi retulit Christi responsum, Sufficit tibi gratia mea,subiicit paulo pòst, Vt inhabitet in me virtus Christi. Certũ enim est nomen Domini pro Iehouah illic esse positum: atque ita restringere ad personam Mediatoris,friuolum esset ac puerile:quando absoluta est oratio quæ Filium cũ Patre non cõpanat.Et scimus ex recepta Græcorum consuetudine Apostolos passim nomen κυρίε subsistituere in locum Iehouah. Et ne procul quærendum sit exemplum, non alio sensu orauit
Act.2.c.16. Ioel. 2.g. 28 Dominum Paulus,quàm quo citatur locus Ioelis à Petro, Quisquis inuocauerit nomen Domini,saluus erit. Vbi nomen hoc peculiariter Filio ascribitur,aliam esse rationẽ constabit suo loco.nunc tenere satis est,quum absolutè Paulus Deũ rogasset,statim subiicere nomen Christi.Ita & totus Deus à Christo ipso Spiritus nuncupatur. Nihil enim obstat quominus tota spiritualis sit Dei essentia,in qua Pater, Filius & Spiritus cõprehendatur. Quod ipsum ex Scriptura planũ fit.nam vt illic Deum audimus nominari Spiritũ, ita &

Spiritum

Spiritũ ſanctũ,quatenus eſt hypoſtaſis totius eſſentiæ, audimus dici & Dei eſſe,& à Deo.

21 Quoniam autem Satan,vt fidem noſtram ab ipſis rādicibus conuelleret, partim de diuina Filii & Spiritus eſſentia,partim de perſonali diſtinctione ingentes pugnas ſemper mouit:atque vt omnibus propè ſeculis impios ſpiritus excitauit qui doctores orthodoxos hac in parte vexarent, ita & hodie ex veteribus fauillis nouum ignem accendere conatur: hîc peruerſis quorundam deliriis occurrere operæpretium eſt. Hactenus dociles manu ducere,non autem cum præfractis & contentioſis manum conſerere maximè propoſitum fuit:nunc autẽ veritas quæ placidè oſtenſa fuit,ab omnibus improborum calumniis aſſerẽda.Etſi præcipuum ſtudium in hoc incumbet, vt habeant qui faciles apertáſque Dei verbo aures dederint, in quo certo pede conſiſtant. Equidem hîc, ſiquando aliàs in reconditis Scripturæ myſteriis,ſobriè multáque cum moderatione philoſophandum:adhibita etiã multa cautione, ne aut cogitatio aut lingua vltrà procedat quàm verbi Dei fines ſe protendunt. Quomodo enim immenſam Dei eſſentiam ad ſuum modulum mẽs humana definiat,quæ nondũ ſtatuere certò potuit quale ſit Solis corpus, quod tamen oculis quotidie conſpicitur?Imò verò,quomodo proprio ductu ad Dei vſque ſubſtantiam excutiendam penetret,quæ ſuam ipſius minimè aſſequitur? Quare Deo libenter permittamus ſui cognitionem.Ipſe enim demum vnus,vt inquit Hilarius,idoneus ſibi teſtis eſt,qui niſi per ſe cognitus non eſt.Permittemus autem ſi & talem concipiemus ipſum qualem ſe nobis patefacit: nec de ipſo aliunde ſciſcitabimur quàm ex eius verbo. Extant in hoc argumẽtum homiliæ Chryſoſtomi quinque aduerſus Anomœos, quibus tamen cohiberi Sophiſtarum audacia non potuit quin fræna garrulitati laxarent. Nihilo enim modeſtius hîc ſe geſſerunt quàm vbique ſolẽt. Cuius temeritatis infeliciſſimo ſucceſſu admoneri nos decet,vt docilitate magis quàm acumine in iſtam quęſtionẽ incumbere curæ ſit:nec in animum inducamus aut Deum vſquam inueſtigare niſi in ſacro eius verbo,aut de ipſo quicquam cogitare niſi præeunte eius verbo, aut loqui niſi ex eodem verbo ſumptum.Quòd ſi quæ ſubeſt in vna diuinitate Patris,Filii,& Spiritus diſtinctio(vt eſt cognitu difficilis)ingeniis quibuſdã plus faceſſit negotii & moleſtiæ quàm expediat, meminerint labyrinthum ingredi hominis mentes dum ſuæ curioſitati indulgent:atque ita regi ſe ſuſtineant cæleſtibus oraculis,vtcunque myſterii altitudinem non capiant. Lib.1.de Trinit.

22 Texere catalogum errorum quibus olim tentata fuit fidei ſynceritas in hoc doctrinæ capite,nimis lõgum eſſet,plenúmque inutili tædio:ac hæreticorum plerique craſſis deliriis totam Dei gloriam ita aggreſſi ſunt obruere,vt ſatis eſſe duxerint concutere ac turbare imperitos.Statim verò à paucis hominibus ebullierunt plures ſectæ,quæ partim lacerarent Dei eſſentiam, partim diſtinctionem quæ inter Perſonas eſt confunderent. Porrò ſi tenemus quod antè ex Scriptura ſatis oſtẽſum eſt, ſimplicem & indiuiduam eſſe eſſentiam vnius Dei,quæ ad Patrem,& Filium,& Spiritum pertineat:rurſus Patrem proprietate aliqua differre à Filio, & Filium à Spiritu:non Ario tantùm & Sabellio, ſed aliis vetuſtis errorum authoribus clauſa erit ianua.Sed quia noſtro tempore exorti ſunt phrenetici quidam,vt Seruetus & ſimiles,qui nouis præſtigiis omnia inuoluerunt, paucis eorum fallacias diſcutere operæpretium eſt.Seruetonomẽ Trinitatis ita fuit exoſum, imò deteſtabile,vt Trinitarios omnes quos vocabat,diceret eſſe atheos. Omitto inſulſas voces quas ad conuitiandum excogitauit. Hęc quidem ſpeculationum eius fuit ſumma,tripartitum induci Deum vbi in eius eſſentia reſidere dicuntur tres Perſonæ, Triadémque hãc eſſe imaginariã, quia cum Dei vnitate pugnet. Interea Perſonas voluit eſſe externas quaſdã ideas,quæ verè non ſubſiſtant in eſſentia Dei,ſed Deũ nobis hac vel illa ſpecie figurent:ac initiò quidẽ nihil in Deo fuiſſe diſtinctum,quia olim idem erat Verbum quod Spiritus:ſed ex quo emerſit Chriſtus Deus de Deo, Spiritum etiam alium ex ipſo Deum fluxiſſe.Etſi autem allegoriis interdum fucat ſuas nænias,vt quum dicit Sermonem æternum Dei fuiſſe Spiritum Chriſti apud Deum,& relucentiam ideæ:item, Spiritum fuiſſe deitatis vmbram:poſtea tamen vtriuſque deitatem in nihilum redigit,aſſerens ſecũdum diſpẽſationis modum tam in Filio quàm in Spiritu partem eſſe Dei,ſicũti idem Spiritus ſubſtantialiter in nobis atque etiam in lignis & lapidibus,Dei portio eſt.Quid de Mediatoris Perſona blateret,ſuo loco videbimus.Prodigioſum verò hoc commentum,Perſonã nihil aliud eſſe quàm viſibilem gloriæ Dei ſpeciem,non longa refutatione indiget. Nam quum Iohannes nondum creato mundo λόγον fuiſſe Deum pronuntiet, longè ab idea diſcernit. Si verò tunc quoque & ab vltima æternitate λόγος ille qui Deus erat, fuit apud Iohan. 1. a.1 Iohã. 17.a.5

Patrem,& propria ſua gloria apud Patrem inſignis fuit, non potuit certè externus eſſe aut figuratiuus ſplendor:ſed neceſſariò ſequitur fuiſſe hypoſtaſin, quæ in Deo ipſo intus reſideret.Quanquam autẽ non ſit Spiritus mentio niſi in hiſtoria creationis mundi,non
Gene. 1.a.2. tamen illic inducitur vt vmbra, ſed eſſentialis Dei virtus,quum narrat Moſes informem quoque illam maſſam fuiſſe in eo ſuffultam. Æternum igitur Spiritum ſemper in Deo fuiſſe tunc apparuit,dum fouendo ſuſtinuit confuſam cæli & terræ materiam, donec accederet pulchritudo & ſeries. Certè nondum potuit effigies vel repræſentatio Dei eſſe, vti ſomniat Seruetus.Alibi verò ſuam impietatem apertius detegere cogitur, quòd Deus æterna ſua ratione Filium ſibi viſibilem decernens,hoc modo viſibilem ſe exhibuit.nam ſi hoc verum ſit,non alia relinquitur Chriſto diuinitas,niſi quatenus æterno Dei decreto Filius eſt ordinatus.Adde quòd ſpectra illa quæ in locũ hypoſtaſeon ſupponit, ſic trãſformat,vt noua accidentia Deo affingere non dubitet.Illud verò omnium maximè execrãdum,quòd tam Filium Dei quàm Spiritum promiſcuè creaturis omnibus permiſcet. Partes enim & partitiones palàm aſſerit eſſe in eſſentia Dei, quarum vnaquæque portio Deus eſt:præſertim verò ſpiritus fideliũ coæternos dicit & cõſubſtantiales Deo:quanuis alibi ſubſtantialem deitatem non tantùm hominis animæ,ſed aliis rebus creatis aſſignet.

23 Ex hac lacuna prodiit aliud non diſſimile monſtrum. Nebulones enim quidam, vt Serueticæ impietatis inuidiam ac dedecus effugerẽt,tres quidem perſonas eſſe confeſſi ſunt,ſed ratione addita,quòd Pater qui verè & propriè vnicus eſt Deus, Filium & Spiritum formando,ſuam in eos deitatẽ tranſfudit.Nec verò abſtinent ab horrendo loquendi genere,Patrem hac nota diſtingui à Filio & Spiritu,quia ſit ſolus eſſentiator.Colorem hunc primò obtendunt,paſſim Chriſtum vocari Dei Filium: vnde colligunt non alium propriè Deum eſſe niſi Patrem.Atqui non obſeruant,quanuis Dei nomen Filio quoque ſit commune,tamen κατ' ἐξοχὴν Patri interdum adſcribi,quia fons eſt ac principium deitatis:idque vt notetur ſimplex eſſentiæ vnitas. Excipiũt,ſi verè eſt Dei Filius, abſurdum eſſe cenſeri perſonæ Filium.Ego vtrũque verum eſſe reſpondeo, Dei nempe eſſe Filium, quia Sermo eſt à Patre ante ſecula genitus (nondum enim de Mediatoris perſona nobis ſermo eſt) & tamen explicandi cauſa habendam eſſe rationem perſonæ, vt nomen Dei non ſimpliciter ſumatur,ſed pro Patre.nam ſi nõ alium cenſemus Deum quàm Patrem, non obſcurè deiicitur Filius ab hoc gradu. Ergo quoties deitatis fit mentio, minimè admitti debet antitheſis inter Filium & Patrem,quaſi huic tantùm conueniat nomen veri
Ieſa.6.a.1 Dei.Nam ſanè Deus qui Ieſaiæ apparuit,verus & vnicus fuit Deus:quem tamen Iohan-
Iohã. 12.f.41 nes affirmat fuiſſe Chriſtum.Qui etiam per os Ieſaiæ teſtatus eſt ſe fore in lapidem offen-
Ieſa. 8. c. 14 diculi Iudæis,vnicus erat Deus: quem Paulus Chriſtum fuiſſe pronuntiat. Quum per Ie-
rom. 9.g.33. ſaiam clamat, Viuo ego: mihi flectetur omne genu, vnicus Deus eſt.atqui idem Paulus
Ieſa. 45. d.23 Chriſtum interpretatur. Huc accedunt quæ recitat Apoſtolus teſtimonia,Tu Deus fun-
om. 14.b.11 daſti cælum & terram. Item,Adorent eum omnes Angeli Dei, quæ nonniſi in vnicum
Hebr.1.c.10, & b.6 Deum competunt:quum tamen propria Chriſti elogia eſſe contendat. Nec valet cauil-
Pſal. 102. d. 26 pſal. 97. lum illud,trãſferri ad Chriſtum quod Dei proprium eſt,quia ſit relucentia gloriæ ipſius.
b.7 Nam quũ vbique ponatur nomen Iehouæ,ſequitur deitatis reſpectu ex ſe ipſo eſſe. Nam
Ieſa. 44. a.6 ſi eſt Iehouah,negari non poteſt quin idem ſit ille Deus qui per Ieſaiam alibi clamat,Ego
Iere. 10. b. 11 ego ſum, & præter me non eſt Deus. Expendere etiam conuenit illud Ieremiæ, Dii qui non fecerunt cælum & terram,pereant de terra quæ ſub cælo eſt:quando ex oppoſito fateri neceſſe erit Filium Dei eum eſſe cuius deitas ſæpius apud Ieſaiam probatur ex mundi creatione.Quomodo autem creator qui omnibus eſſe dat,non erit ex ſeipſo,ſed eſſentiam aliũde mutuabitur? Nam quiſquis eſſentiatum à Patre Filium eſſe dicit, à ſeipſo negat eſſe.Reclamat autem Spiritus ſanctus,illum Iehouah nominans.Iam ſi demus totam eſſentiam eſſe in ſolo Patre,vel fiet partibilis,vel eripietur Filio:atque ita ſpoliatus ſua eſſentia,titularis ſolùm erit Deus.Eſſentia Dei,ſi creditur ipſis nugatoribus, ſoli Patri conuenit,quatenus ipſe ſolus eſt,& eſt Filii eſſentiator.Ita diuinitas Filii quiddam erit abſtractum à Dei eſſentia,vel deriuatio partis à toto.Iam concedãt ex ſuo principio neceſſe eſt, Spiritum eſſe ſolius Patris: quia ſi deriuatio eſt à prima eſſentia,quæ nõniſi Patri propria eſt,iure non cenſebitur Spiritus Filii.quod tamen refellitur Pauli teſtimonio, vbi communem Chriſto & Patri facit. Adhæc ſi expungitur è Trinitate Patris Perſona, in quo à Filio & Spiritu differet niſi quia ſolus eſt ipſe Deus? Fatentur Chriſtum eſſe Deum, & tamen à Patre differre. Viciſſim notam aliquã diſcretionis eſſe oportet,ne Pater ſit Filius.

Qui

Qui in essentia eam ponunt, manifestè in nihilum redigũt veram Christi deitatem: quæ sine essentia esse non potest, & quidẽ tota. Non differet certè Pater à Filio nisi proprium aliquid habeat in se quod Filio commune non sit. Quid iam reperient in quo eum distinguant? Si in essentia est discretio, respondeant annon cum Filio eam communicauerit. Hoc verò nõ potuit esse ex parte: quia dimidium fabricare Deum nefas esset. Adde quòd hoc modo fœdè laceraretur Dei essentiam. Restat vt tota & in solidum Patris & Filii sit communis. Quod si verum est, iam sanè quoad ipsam nulla erit alterius ab altero discretio. Si excipiant, Patrem essentiando manere nihilominus vnicum Deum, penes quem sit essentia: Christus ergo figuratiuus erit Deus, ac specie tantùm vel nomine, non re ipsa: quia Deo nihil magis proprium quàm esse, iuxta illud, Qui est, misit me ad vos. Exod.3.d.14

24 Falsum quidem esse quod sumunt, quoties absolutè fit Dei mentio in Scriptura, nonnisi Patrem intelligi ex multis locis refellere promptum est: & in illis ipsis quos pro se citant, turpiter produnt suam incogitantiam, quia illic Filii nomen apponitur: vnde apparet relatiuè accipi Dei nomẽ, ideóque restringi ad Patris personam. ac eorum obiectio vno verbo diluitur, Nisi solus Pater, inquiunt, verus esset Deus, suus ipse pater esset. Neque enim absurdum est, propter gradum & ordinem Deum peculiariter vocari qui non solùm genuit ex se suam sapientiam, sed Deus etiam est Mediatoris, sicuti plenius suo loco differam. Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantùm quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia Mediatoris suscepit personam & munus, vt Deo nos coniungeret. Et quoniam Filium à Dei honore tam audacter excludunt, scire velim, quum pronũtiat nullum esse bonum præter vnum Deum, an se bonitate priuet. Non loquor de humana eius natura, ne fortè excipiãt, quicquid in ea boni fuit, ex gratuito dono fluxisse: quæro an Sermo æternus Dei bonus sit nécne. Si negent, satis conuicta tenetur eorum impietas: fatendo seipsos iugulant. Quòd autem primo intuitu videtur Christus à se remouere nomen boni, sententiam nostram magis confirmat: nempe quum singulare sit vnius Dei elogium, quatenus ex vulgari more salutatus fuerat bonus, falsum honorem repudians, bonitatem qua pollet diuinam esse admonet. Quæro etiam, vbi affirmat Paulus solum Deum esse immortalem, sapiẽtem & veracem, an his verbis in ordinem mortalium, stultorum & fallacium redigatur Christus. Non erit igitur immortalis, qui ab initio vita fuit vt Angelis immortalitatem conferret? non erit sapiens, qui æterna est Dei sapientia? non erit verax ipsa veritas? Quæro præterea Christúmne adorãdum censeant. Si enim hoc iure sibi vendicat, vt flectatur coram ipso omne genu, sequitur illum esse Deum, qui in Lege vetuit quenquam alium præter se adorari. De solo Patre si accipi volunt quod apud Iesaiam dicitur, Ego sum, ac nemo præter me, hoc testimonium in ipsos retorqueo, quando videmus Christo attribui quicquid Dei est. Nec locus est eorum cauillo, Christum in carne fuisse exaltatum in qua exinanitus fuerat, & carnis respectu omne imperium illi datum esse in cælo & in terra: quia etsi extẽditur Regis & Iudicis maiestas ad totam Mediatoris personam, nisi tamen Deus manifestatus esset in carne, non potuit in tantam altitudinem extolli quin Deus secum ipse pugnaret. Atque hanc controuersiam optimè Paulus tollit, æqualem Deo fuisse docens, antequã se exinaniret sub forma serui. Porrò æqualitas ista quomodo staret nisi fuisset Deus ille cuius nomen est Ia & Iehouah, qui equitat super Cherubim, qui Rex est totius terræ, & Rex seculorum? Iam vrcunque obstrepant, non potest eripi Christo quod alibi dicit Iesaias, Hic, hic est Deus noster, expectauimus eũ: quando his verbis aduentum Dei Redemptoris describit qui non modò ab exilio Babylonico populum reduceret, sed Ecclesiam plenè restitueret omnibus numeris. Altero etiam cauillo nihil proficiunt, Christum fuisse Deum in Patre suo. Nam etsi fatemur ratione ordinis & gradus principium diuinitatis esse in Patre, detestabile tamen esse dicimus commentum illud, solius Patris essentiam esse propriam, quasi Filii deificator esset: quia hoc modo vel multiplex esset essentia, vel titulo & imaginatione tenus Christum appellant Deum. Si concedant Filium esse Deum, sed secundum à Patre: iam in ipso genita & formata erit essentia, quæ est in Patre ingenita & informis. Scio multis nasutis ludibrio esse quod ex verbis Mosis personarum distinctionem elicimus, vbi Deum sic loquentem inducit, Faciamus hominem ad imaginem nostram. vident tamen pii lectores quàm frigidè atque ineptè hoc velut colloquium induceret Moses, nisi subessent in vno Deo plures personæ. Iam quos alloquitur Pater, certum est fuisse increatos: nihil verò increatũ, excepto ipso Deo,

Matth.9.c.17

1.Timoth.1.d.17

Philip. 2. b. 10

Iesa.44.a.6

Philip. 2.d. 6,7

Iesa. 25. c.9.

Gene.1.c.26

& quidem vno. Nunc ergo nisi concedant Patris, Filii & Spiritus cõmunem fuisse creandi potestatem, & commune iubendi imperium, sequetur Deum non intus secum ita loquutum esse, sed direxisse ad alios extraneos opifices sermonẽ. Denique locus vnus duo simul eorum obiecta facilè expediet. Nam quod pronuntiat Christus ipse, Deum esse Spiritum, ad Patrem solum restringi consentaneum non esset, acsi Sermo ipse non esset spiritualis naturæ. Quòd si Filio similiter vt Patri conuenit nomen Spiritus, sub indefinito Dei nomine Filium comprehendi colligo. Subiicit tamen continuo pòst, non alios probari cultores Patri nisi qui eum in spiritu & veritate adorant. vnde alterum consequitur, quia sub capite fungitur Christus officio doctoris, Dei nomen Patri adscribere, non vt aboleat suam ipsius deitatem, sed vt gradatim nos ad eam attollat.

Iohã. 4.d.24

25 Sed in eo scilicet hallucinãtur quòd indiuidua somniant, quorum singula partem obtineant essentiæ. Atqui ex Scripturis docemus vnum essentialiter Deum esse, ideóque essentiam tam Filii quàm Spiritus esse ingenitam. sed quatenus Pater ordine primus est, atque ex se genuit suam Sapientiam, meritò, vt nuper dictum est, censetur principium & fons totius diuinitatis. Ita Deus indefinitè est ingenitus: & Pater etiam personæ respectu ingenitus. Stultè etiam putant se ex nostra sententia colligere quaternitatem statui, quia falsò & calumniosè cerebri sui commentum nobis adscribunt, quasi deriuatiuè fingamus prodire ex vna essentia tres personas: quum ex scriptis nostris liqueat non abstrahere nos personas ab essentia, sed quanuis in ipsa resideant, distinctionem interponere. Si separatæ essent ab essentia personæ, probabilis fortè esset eorum ratio: sed hoc modo trinitas esset deorum, non personarum quas in se continet vnus Deus. Ita soluitur futilis eorum quæstio, concurrátne essentia ad conflandam Trinitatem: quasi tres deos ex illa descendere imaginemur. Quòd excipiunt Trinitatem igitur fore sine Deo, ex eadem insulsitate nascitur. quia etsi ad distinctionem non concurrit vt pars vel membrum, non tamen personæ sine ipsa, vel extra ipsam: quia & Pater, nisi Deus esset, non poterat esse Pater: & Filius non aliter Filius nisi quia Deus. Deitatem ergo absolutè ex seipsa esse dicimus. vnde & Filium, quatenus Deus est, fatemur ex seipso esse, sublato personæ respectu: quatenus verò Filius est, dicimus esse ex Patre. ita essentia eius principio caret: personæ verò principiũ est ipse Deus. Et quidẽ orthodoxi scriptores, quicũque olim de Trinitate loquuti sunt, ad personas tantùm retulerũt hoc nomen: quãdo non modò absurdus esset error, in ipsa distinctione cõplecti essentiã, sed nimis crassa impietas. Nam qui volunt tria concurrere, Essentiã, Filium, & Spiritũ, eos Filii & Spiritus essentiã exinanire palàm est. alioqui partes inter se cõmistæ concidereẽt: quod est in omni distinctione vitiosum. Denique si Pater & Deus synonyma essent, sic deificator esset Pater, nihil in Filio residuũ esset præter vmbrã: nec aliud esset Trinitas quàm cõiũctio Dei vnius cũ duabus rebus creatis.

26 Quòd obiiciunt, Christum, si propriè sit Deus, Filium Dei perperàm vocari, iam responsum est, quia fit vnius personæ ad alteram cõparatio, nomen Dei non sumi indefinitè, sed restringi ad Patrem, quatenus deitatis est principium, nõ essentiando, vt fanatici nugantur, sed ratione ordinis. Hoc sensu accipitur sermo ille Christi ad Patrem, Hæc est vita æterna vt credant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Nam in Mediatoris persona loquens, mediũ gradum tenet inter Deum & homines. neque tamen ideò imminuitur eius maiestas. Nam etsi seipsum exinaniuit, gloriam tamen suam, quæ abscondita fuit corã mundo, non perdidit apud Patrem. Sic Apostolus ad Hebræos cap. 2, quanquam fatetur exiguo tempore fuisse imminutum infra Angelos, non tamẽ dubitat simul asserere, æternum esse Deum qui fundauit terram. Tenendum igitur est, quoties Christus in persona Mediatoris Patrem compellat, sub hoc Dei nomine diuinitatẽ complecti, quæ ipsius quoque est. Sic quum Apostolis diceret, Expedit me ascendere ad Patrem, quia Pater maior me est, non secundã diuinitatem tantùm sibi tribuit vt sit quoad æternam essentiam Patre inferior: sed quia cælesti gloria potitus, fideles colligit in eius participationem. In superiore gradu Patrem locat, quatenus differt conspicua splendoris perfectio, quæ in cælo apparet, ab ea gloriæ mensura quæ conspecta fuit in ipso carne vestito. Eadem ratione alibi Paulus Christum dicit redditurum Deo & Patri regnum, vt sit Deus omnia in omnibus. Nihil absurdius quàm auferre perpetuitatem Christi deitati. Quòd si nunquã desinet esse Dei Filius, sed idẽ manebit semper qui fuit ab initio: sequitur, sub Patris nomine vnicã Dei essentiam, quæ vtriusque communis est, comprehendi. Et certè ideò ad nos descendit Christus vt ad Patrem attollendo, simul etiam ad seipsum

Iohan. 17. a. 3

Iohã. 15. d. 28

1. Cor. 15. c. 24

attolleret,

attolleret,quatenus vnũ eſt cum Patre.Nomen ergo Dei excluſiuè ad Patrem reſtringere vt Filio auferatur,neque fas neque rectum eſt.Nam &hac de cauſa verum eſſe Deum aſſerit Iohannes, nequis ſecundo deitatis gradu ſubſidere putet infra Patrem.ac miror quid ſibi velint iſti nouorum deorum fabri, dum Chriſtum verum Deum confeſſi, mox eum excludunt à Patris deitate:quaſi poſſit eſſe verus Deus niſi qui vnus eſt,aut trãſfuſa diuinitas non ſit nouum aliquod figmentum. Iohan. 1. a.1

27 Quòd multos locos accumulãt ex Irenæo vbi Patrem Chriſti aſſerit eſſe vnicum & æternum Deum Iſrael,vel pudẽda inſcitia eſt,vel ſumma improbitas. Animaduertere enim debuerant ſancto viro negotium & certamen fuiſſe cum phreneticis, qui Patrem Chriſti negabãt illum eſſe Deum qui per Moſen & Prophetas olim loquutus fuerat, ſed neſcio quod ſpectrum è labe mundi productum. Itaque in hoc totus eſt, vt palàm faciat non alium prædicari in Scriptura Deum quàm Chriſti Patrem,& perperam alium excogitari, ac proinde nihil mirum ſi toties concludat non alium fuiſſe Deum Iſraelis quàm qui celebratur à Chriſto & Apoſtolis.Sic etiam nunc, vbi diuerſo errori reſiſtendum eſt, verè dicemus,Deum qui olim apparuit Patribus,nõ alium fuiſſe quàm Chriſtum. Porrò ſiquis excipiat fuiſſe Patrem, in promptu erit reſponſio, dum pro Filii diuinitate pugnamus,nos Patrem minimè excludere. Ad hoc Irenæi conſilium ſi attendant lectores,ceſſabit omnis contentio.Quinetiam ex ſexto capite lib.3 tota lis facilè dirimitur,vbi in hoc vnum inſiſtit pius vir,Qui abſolutè & indefinitè vocatur in Scriptura Deus,illũ eſſe verè vnicum Deum : Chriſtum verò abſolutè Deum vocari. Meminerimus hunc fuiſſe diſceptationis ſtatũ,ſicuti ex toto progreſſu patet,ac præſertim libri ſecundi cap.46.nõ vocari Patrem ænigmaticè & parabolicè qui verè non ſit Deus. Adde quòd alibi cõiunctim tam Filium quàm Patrem prædicatũ fuiſſe Deum contendit à Prophetis & Apoſtolis. Poſtea verò definit quomodo Chriſtus,qui Dominus eſt omnium & Rex, & Deus, & Iudex,ab eo qui eſt Deus omnium acceperit poteſtatem : nempe ſubiectionis reſpectu,quia humiliatus eſt vſque ad mortem crucis. Interea paulo pòſt affirmat,Filium eſſe opificem cæli & terræ,qui Legem tulit per Moſis manum,& Patribus apparuit.Iam ſiquis blateret,Irenæo ſolum Patrem eſſe Deum Iſrael, regerã quod idem ſcriptor apertè tradit, Chriſtum vnum & eundem exiſtere:ſicuti etiam ad eum refert vaticinium Habacuc, Deus ab Auſtro veniet. Eodem pertinet quod legitur cap.9.lib.4. Ipſe igitur Chriſtus cum Patre viuorum eſt Deus. Et eiuſdem libri cap.12 interpretatur Abraham credidiſſe Deo,quia factor cæli & terræ,& ſolus Deus ſit Chriſtus. Lib.3. cap.9 Cap.12.eiuſdem libri. Cap.16. eiuſdem libri. Cap.18,& 23 eiuſdẽ libri.

28 Tertullianum nihilo verius patronum ſibi aſciſcunt.quia etſi aſper interdum & ſpinoſus eſt in ſuo loquendi genere, ſummam tamen doctrinæ quam tuemur,non ambiguè tradit:nempe quum vnus ſit Deus, diſpenſatione tamen vel œconomia eſſe eius Sermonem:vnicum eſſe Deum ſubſtantiæ vnitate, & nihilominus vnitatem diſpenſationis myſterio in Trinitatem diſponi:tres eſſe non ſtatu, ſed gradu : nec ſubſtantia, ſed forma: nec poteſtate,ſed ſerie.Dicit quidem ſe defendere ſecundũ à Patre Filium,ſed non alium intelligit niſi diſtinctione. Viſibilem alicubi Filium dicit:ſed poſtquam in vtranque partem ratiocinatus eſt,definit inuiſibilẽ eſſe quatenus eſt Sermo. Denique Patrem ſua perſona determinari affirmans,alieniſſimum ſe probat ab eo commento quod refellimus.Et quanquam non alium Deum agnoſcit quàm Patrem,ſeipſum tamen proximo contextu explicans, ſe non excluſiuè loqui oſtendit Filii reſpectu, quia negat alium eſſe à Patre Deum:ideóque non violari monarchiam perſonæ diſtinctione. Atque ex perpetuo eius conſilio verborum ſenſum colligere promptum eſt. Contendit enim aduerſus Praxeam, quanuis in tres perſonas diſtinctus ſit Deus, non tamen fieri plures deos, neque diſcerpi vnitatem. Et quia ſecundùm Praxeæ commentum Chriſtus non poterat Deus eſſe quin idem eſſet Pater,ideo tantoperè de diſtinctione laborat. Quòd verò Sermonem & Spiritum vocat portionem totius, et dura eſt loquutio,excuſabilis tamen eſt, quãdo ad ſubſtantiam nõ refertur, ſed diſpoſitionem tantùm & œconomiam notat quæ ſolis perſonis conuenit, Tertulliano ipſo teſte.Inde etiam pendet illud,Quot perſonæ tibi videtur peruerſiſſime Praxea,niſi quot ſunt voces? Sic etiam paulo pòſt, Vt credãt Patrem & Filium in ſuis quenque nominibus & perſonis. His arbitror ſatis refelli poſſe eorum impudentiã qui ex Tertulliani authoritate fucum tentant facere ſimplicibus.

29 Et certè quiſquis diligenter veterum ſcripta inter ſe conferet, non aliud reperiet apud Irenæum quàm quod ab aliis qui deinde ſequuti ſunt,proditum fuit. Iuſtinus vnus

est ex vetustissimis:nobis autem per omnia suffragatur. Obiectent tam ab illo quàm à reliquis Patrem Christi vocari vnum Deum.Idem Hilarius quoque docet,imò asperius loquitur,æternitatem esse in Patre. An vt Filio auferat Dei essentiam? Atqui in eius fidei quam sequimur defensione totus est. Nec tamen eos pudet mutila nescio quæ dicta excerpere,ex quibus persuadeant Hilarium esse erroris sui patronum. Ignatium quòd obtendunt,si velint quicquam habere momenti,probent Apostolos legem tulisse de quadragesima & similibus corruptelis. nihil næniis illis quæ sub Ignatii nomine editæ sunt, putidius.Quo minus tolerabilis est eorum impudentia,qui talibus laruis ad fallendum se instruunt.Porrò hinc veterum consensus clarè perspicitur,quòd neque in concilio Niceno Arius ex cuiusquam probati scriptoris authoritate fucum facere ausus est: & nemo ex Græcis vel Latinis excusat à prioribus se dissentire.Augustinus,cui nebulones isti infestissimi sunt,quàm sedulò excusserit omnium scripta,& quàm reuerẽter amplexus sit, dicere nihil attinet.Certè in minimis quibusque scrupulis ostendere solet cur ab illis discedere cogatur. In hoc etiam argumento siquid ambiguum vel obscurum legerit apud alios,non dissimulat.Quam tamen isti oppugnant doctrinam pro confesso sumit ab vltima antiquitate sine cõtrouersia fuisse receptam.Neque tamen quid antè docuissent alii, ipsum latuisse, vel ex vno verbo constat, vbi dicit in Patre esse vnitatem,lib.de doctrina Christiana primo.an garrient sui tunc fuisse oblitum? Atqui alibi ab hac calumnia se purgat,vbi Patrem vocat principium totius deitatis, quia à nullo est: prudenter scilicet expendens specialiter Patri adscribi Dei nomen,quòd nisi ab ipso fiat initium, concipi nequeat simplex Dei vnitas.His etiam demum,vt spero,agnoscet pius lector omnes calumnias discussas, quibus Satan hactenus puram doctrinæ fidem peruertere vel obtenebrare molitus est.Denique totam huius doctrinæ summam fideliter esse explicatam confido,si quidem modum curiositati imponant lectores,nec molestas & perplexas disputationes cupidius quàm par sit sibi accersant. Nam quos oblectat speculandi intemperies, minimè placandos suscipio.Certè nihil astutè præterii quod mihi aduersum esse putarem:sed dum Ecclesiæ ædificationi studeo, multa non attingere consultius visum est, quæ & parum prodessent,& lectores grauarent superuacua molestia. Quid enim disputare attinet an semper generet Pater?quando stultè fingitur cõtinuus actus generandi, ex quo liquet ab æterno tres in Deo Personas substitisse.

In ipsa etiam mundi & rerum omnium creatione Scripturam certis notis discernere verum Deum à fictitiis. CAP. XIIII.

Iesa.40.c.12 QVANQVAM falsorum deorum cultoribus socordiam meritò exprobrat Iesaias, quòd ex terræ fundamentis & cælorum ambitu non didicerint quisnam esset verus Deus: quæ tamen est ingenii nostri tarditas & hebetudo necesse fuit, ne ad Gentium figmenta defluerent fideles, expressius illis depingi verum Deum. Nam quum euanida sit quæ apud Philosophos maximè tolerabilis habetur descriptio, Deum mentem esse mundi: ipsum familiarius à nobis cognosci operæpretium est, ne semper in ambiguo vacillemus. Itaque historiam creationis extare voluit,cui innixa Ecclesiæ fides non alium Deum quæreret nisi qui propositus est à Mose opifex mundi & conditor.Illic primò notatum est tempus,vt continua annorum serie fideles ad primam humani generis & rerum omnium originem peruenirẽt. quæ apprimè vtilis est cognitio,nõ tantùm vt prodigiosis fabulis, quæ in Ægypto & aliis terræ plagis olim grassatæ sunt, obuiam eatur, sed etiam vt cognito mundi exordio, clarius eluceat Dei æternitas,nósque in sui admirationem magis rapiat. Neque verò mouere nos debet profana illa subsannatio,mirum esse cur non citius venerit Deo in mentem, cælum & terram condere, sed otiosus immensum spatium præterfluere siuerit, quod ante plurima ætatum millia efficere posset: quum ad sex annorum millia nõdum peruenerit mundi ad vltimum finem vergentis diuturnitas. Nam cur tandiu distulerit Deus neque fas est nobis inquirere,neque expedit:quia si eousque penetrare contendat mens humana,centies in itinere deficiet:neque etiam cognitu vtile esset quod Deus ipse,vt fidei nostrę modestiã probaret,consultò voluit celatum esse.Ac scitè pius ille senex,quum proteruus quispiam ex eo per ludibrium quæreret quid ante creatum mundum egisset Deus:respondit fabricasse inferos curiosis. Hæc non minus grauis quàm seuera admonitio compescat lasciuiam,quæ multos titillat,adeóque impellit ad prauas & noxias speculationes. Denique meminerimus, Deum illum inuisibilem & cuius incomprehensibilis

est sapien

est sapientia, virtus & iustitia, Mosis historiam speculi loco nobis proponere, in quo viua eius effigies relucet. Sicuti enim nihil distinctè cernunt oculi vel senio obtusi, vel alio vitio hebetes, nisi specillis adiuuentur: ita, quæ nostra est imbecillitas, nisi nos dirigat Scriptura in Deo quærendo, statim euanescimus. Qui verò proteruiæ suæ indulgent, quia nunc frustra monentur, serò horribili interitu sentient quanto satius fuerit arcana Dei consilia reuerenter suspicere, quàm blasphemias euomere quibus cælum obscurent. Et rectè Augustinus iniuriam Deo fieri conqueritur vbi superior eius voluntate flagitatur rerum causa. Idem alibi prudenter admonet, non minus perperam de immensis temporũ quàm locorum spatiis quæstionem moueri. Certè quantumuis latè pateat cælorum circuitus, est tamen aliqua eius dimẽsio. Nunc siquis cum Deo expostulet, quòd centuplo superet vacuitas, annon piis omnibus detestabilis erit petulantia? Eodem furoris prosiliunt qui exagitant Dei otium, quòd eorum arbitrio mundum ante innumera secula non condiderit. Vt suæ cupiditati morem gerant, extra mundum egredi affectant: quasi verò in tã ampla cæli & terræ circunferentia, non satis multa occurrant quæ inęstimabili suo fulgore absorbeant sensus omnes nostros: quasi intra sex annorum millia non satis multa documenta ediderit Deus, in quorum assidua meditatione mentes nostræ se exerceant. Ergo libenter maneamus inclusi his cancellis, quibus nos circũscribere Deus voluit, & quasi mentes nostras contrahere, ne vagandi licentia diffluerent.

Lib. de Gen. contra Manich.
Lib. 11. de Ciuitate Dei.

2 Eiusdem rationis est quod narrat Moses, non momento sed sex diebus absolutum fuisse Dei opus. Nam & hac circunstantia ab omnibus figmentis colligimur ad vnicum Deum qui in sex dies opus suum digessit, ne molestum nobis esset in eius consideratione occupari toto vitæ cursu. Quanuis enim oculi nostri, in quancũque partem se vertãt, coguntur in operum Dei intuitu versari: videmus tamen quàm fluxa sit attentio, & quàm citò præteruolent siquæ nos tangãt piæ cogitationes. Hîc etiam obstrepit humana ratio, quasi à Dei potentia alieni fuerint tales progressus, donec subacta ad fidei obsequiũ quietem illam colere discat, ad quam nos inuitat septimi diei sanctificatio. In ipso autem ordine rerum diligenter considerandus est paternus Dei amor erga humanum genus, quòd non antè creauit Adam quàm mũdum omni bonorum copia locupletasset. Nam si eum in terra adhuc sterili & vacua locasset, si vitam dedisset ante lucem, visus fuisset eius vtilitati parum consulere. Nunc vbi Solis & astrorum motus disposuit ad vsus humanos, terram, aquas, aerem animalibus repleuit, frugum omnium abundantiam protulit quæ alimentis sufficeret: curam prouidi & seduli patrisfamiliâs suscipiens, mirificam erga nos suam bonitatem ostendit. Quæ breuiter tantùm delibo si quisque attentius apud se expendat, constabit Mosen certum vnius Dei creatoris testem ac pręconem fuisse. Omitto quæ iam exposui, non de nuda tantùm Dei essentia illic fieri sermonem, sed æternã quoque eius sapientiam & Spiritum nobis proponi. ne alium Deum somniemus quàm qui in illa expressa imagine vult agnosci.

3 Sed antequam de hominis natura plenius differere incipiam, aliquid de Angelis inserere oportet: quia etsi Moses vulgi ruditati se accõmodans, non alia Dei opera cõmemorat in historia creationis nisi quæ oculis nostris occurrunt: vbi tamen postea Angelos Dei ministros inducit, colligere facilè licet eorũ esse conditorem, cui suam operam & officia impendunt. Quanuis ergo Moses populariter loquens, nõ statim à primis rudimentis Angelos recensuerit inter Dei creaturas: nihil tamen vetat quominus disertè & explicatè de illis tradamus quæ alibi passim docet Scriptura. quia si Deũ ex operibus suis agnoscere cupimus, minimè omittendum est tam præclarum & nobile specimen. Adde quòd refutandis multis erroribus valde necessaria est hæc pars doctrinæ. Multorum mẽtes ita perstrinxit Angelicæ naturæ præstantia, vt putarent illis iniuriam fieri si vnius Dei imperio subiecti quasi in ordinem cogerentur. hinc illis afficta diuinitas. Emersit etiam Manichæus cum sua secta, qui sibi duo principia fabricauit, Deum & diabolum. ac Deo quidem tribuebat bonarum rerum originem: malas autem naturas ad diabolum authorem referebat. Hoc deliriũ si mentes nostras teneret implicitas, non cõstaret Deo sua in mundi creatione gloria. Nam quum nihil magis Dei propriũ sit quàm ęternitas, & αὐτουσία, id est, à seipso existentia, vt ita loquar: qui diabolo hoc tribuunt, nõne quodammodo eũ diuinitatis ornant titulo? Iam vbi omnipotentia Dei, si diabolo tale conceditur imperium, vt illo inuito ac repugnante, quicquid voluerit exequatur? Quòd autem vnicum habent fundamentum Manichæi, nefas esse ascribi bono Deo vllius rei malæ creationem, id or-

thodoxam fidem minimè lædit, quæ non admittit aliquam esse in mundi vniuersitate malam naturam: quandoquidem nec prauitas & malitia tum hominis, tum diaboli, aut quæ inde nascuntur peccata, ex natura sunt, sed ex naturæ corruptione: nec quicquam omnino ab initio extitit in quo non & sapientiæ & iustitiæ suæ specimen ediderit Deus. His ergo peruersis commentis vt obuiam eatur, altius animos attollere necesse est quàm oculi nostri penetrent. Quo consilio verisimile est, vbi in symbolo Niceno vocatur Deus omnium conditor, res inuisibiles fuisse expressas. Modum tamen quem præscribit pietatis regula, tenere curæ erit, ne altius quàm expedit speculando, lectores à fidei simplicitate abducti vagentur. Et certè quum vtiliter semper nos doceat Spiritus: in quibus verò parum est momenti ad ædificationem, vel subticeat prorsus vel leuiter tantùm & cursim attingat, nostri quoque officii est, libenter ignorare quæ non conducunt.

4 Angelos sanè, quũ Dei sint ministri ad iussa eius exequenda ordinati, esse quoque illius creaturas, extra controuersiã esse debet. De tempore vel ordine quo creati fuerint, contentionem mouere nónne peruicaciæ magis quàm diligentiæ est? Terram esse perfectam, & cælos perfectos, cum omni exercitu eorum, narrat Moses: quid attinet anxiè percontari quoto die præter astra & planetas alii quoque magis reconditi cælestes exercitus esse cœperint? Ne longior sim, meminerimus hîc, vt in tota religionis doctrina, tenẽdam esse vnam modestiæ & sobrietatis regulam, ne de rebus obscuris aliud vel loquamur, vel sentiamus, vel scire etiam appetamus quàm quod Dei verbo fuerit nobis traditum. Alterum, vt in lectione Scripturæ, iis continenter quærendis ac meditandis immoremur quæ ad ædificationem pertinent: non curiositati aut rerum inutilium studio indulgeamus. Et quia Dominus non in friuolis quęstionibus, sed in solida pietate, timore nominis sui, vera fiducia, sanctitate, officiis erudire nos voluit, in ea scientia acquiescamus. Quamobrem, si ritè sapere volumus, relinquenda sunt nobis illa ματαιώματα, quæ & ab otiosis hominibus de Angelorum natura, ordinibus, multitudine absque Dei verbo traduntur. Scio hęc cupidius à multis arripi, & maiori voluptati esse quàm quæ in vsu quotidiano sunt posita. Verùm, nisi Christi discipulos esse nos piget, eam quã ipse methodum præscripsit, sequi ne pigeat. Ita fiet vt eius magisterio contẽti, à superuacuis speculationibus, à quibus nos reuocat, non tantùm abstineamus, sed etiam abhorreamus. Dionysium illum, quicunque fuerit, nemo negauerit multa subtiliter & argutè in cælesti Hierarchia disputasse: verùm si quis propius excutiat, deprehendet maxima ex parte meram esse garrulitatem. Theologo autem non garriendo aures oblectare, sed vera, certa, vtilia docendo, conscientias confirmare propositum est. Si librum illum legas, putes hominem de cælo delapsum referre non quæ didicit, sed quæ oculis vidit. Atqui Paulus, qui extra tertium cælum raptus fuerat, non modò nihil tale prodidit, sed testatus quoque est nefas esse homini loqui quæ viderat arcana. Illa ergo nugatoria sapientia valere iussa, ex simplici Scripturæ doctrina consideremus quod de Angelis suis scire nos Dominus voluit.

Genes. 2. a. 1

2. Cor. 12. a. 1

5 Angelos esse cælestes Spiritus quorum ministerio & obsequio vtitur Deus ad exequẽda omnia quæ decreuit, passim in Scriptura legitur: vnde & hoc illis nomẽ attributũ est quòd illos veluti internuntios adhibet Deus ad se hominibus manifestandũ. Aliæ etiã quibus insigniũtur appellationes, ex simili ratione sumptæ sunt. Exercitus vocãtur, quia vt satellites principem suum circundant, eius maiestatẽ exornant & conspicuã reddunt, & instar militum ad signum ducis sui semper intẽti sunt, & ita parati sunt ac expediti ad capessenda illius iussa, vt simul ac annuerit, operi se accingãt, vel potius sint in opere. Talem imaginem throni Dei, ad declarandam eius magnificentiam, cum alii Prophetæ describunt, tum præcipuè Daniel: vbi mille millia, & decies mille myriadas astitisse dicit, quum Deus tribunal conscendisset. Quoniam verò vim ac fortitudinem manus suæ Dominus per ipsos mirabiliter exerit ac declarat, inde Virtutes nominantur. Quia verò imperium suum in mundo per eos exercet ac administrat, ideò dicuntur nunc Principatus, nunc Potestates, nunc Dominationes. Postremo, quia in illis quodammodo residet gloria Dei, Throni quoque hac ratione appellantur. Quanquã de hoc postremo nihil volim asserere: quia diuersa interpretatio vel æquè, vel magis etiã congruit. Verùm hoc nomine omisso, prioribus illis sæpe vtitur Spiritus sanctus ad commẽdandam Angelici ministerii dignitatem. Neque enim æquum est, sine honore præteriri ea instrumẽta quibus numinis sui præsentiam specialiter Deus exhibet. Quinetiam ob id non semel Dii nuncupantur, quòd in suo ministerio, velut in speculo, diuinitatem aliqua ex parte nobis repræsentant.

Dan. 7. c. 10

Colos. 1. b. 10

Ephes. 1. d. 1

Gen. 18. a. 1, & 32. a. 2, & f. 28. ios. 5. d. 14 iudic. 6. c. 14 & 13. d. 22

præsentãt. Tametsi enim mihi nõ displicet quod veteres scriptores, vbi Scriptura Angelum Dei Abrahæ, Iacob, Mosi & aliis apparuisse cõmemorat, Christum fuisse Angelum illum interpretãtur: sæpius tamen vbi de Angelis omnibus fit mentio, hoc nomẽ illis tribuitur. Neque id mirum videri debet. nam si principibus ac præfectis id honoris datur, quòd Dei, qui summus est Rex & Iudex, vices gerũt in sua functione: longè maior causa est cur deferatur Angelis, in quibus diuinæ gloriæ claritas multo abundantius elucet. Psal.82.b.6

6 Quod autem ad consolationem nostram fideíque confirmationẽ facere maximè poterat, in eo docendo plurimum insistit Scriptura: nempe Angelos diuinæ ergá nos beneficentiæ dispensatores esse & administros. Ideóque cõmemorat, pro salute nostra ipsos excubare, suscipere defensionẽ nostri, vias nostras dirigere, solicitudinem gerere nequid aduersi nobis accidat. Vniuersales sunt sententiæ quæ in primis ad Christũ, Ecclesiæ caput, deinde ad omnes fideles pertinent. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidẽ pedes tuos. Item, Manet Angelus Domini per circuitũ eorum qui timent eum, & eruit eos. Quibus ostendit Deus, sese eorũ quos custodiendos suscepit, tutelam Angelis suis delegare. Secundùm hanc rationem Angelus Domini consolatur Agar fugitiuam, & dominæ suæ reconciliari iubet. Pollicetur Abraham seruo suo Angelum fore ducẽ itineris ipsius. Iacob in benedictione Ephraim & Manasse precatur vt Angelus Domini, per quẽ liberãtus fuerat ab omni malo, prosperari eos faciat. Sic Angelus protegendis Israelitici populi castris præfectus fuit: & quoties voluit Israelem Deus redimere è manu hostium, Angelorum ministerio vindices excitauit. Sic denique (ne plura cõmemorare necesse sit) Angeli Christo ministrarunt, & ei adfuerunt in omnibus angustiis. Eius resurrectionem mulieribus, discipulis gloriosum aduentũ nuntiarunt. Itaque quo istud protectionis nostræ munus impleãt, contra Diabolũ omnésque hostes nostros depugnãt, & vindictam Dei aduersus eos qui nobis infesti sunt exequũtur. Quemadmodũ legimus Angelũ Dei, vt Ierusalem obsidione liberaret, centũ octoginta quinque millia in castris regis Assyrii vna nocte confecisse. Psal.91.c.11 Psal.34.b.8 Gene.16.c.9 Ibidẽ.24.a 7 Ibid.48.c.16 Exo.14.d.19 & 23.d.20 Iudic.2.a.1, & 6.b.11, & 13.a.10. Mat.4.b.11, Iuc.22.c.43 Mat.28.b. 5.7, luc.24.a. 5, act.1.b.10. 2.Reg.19.g. 35, iesa.37. g.36

7 Cæterùm an singulis fidelibus singuli Angeli sint attributi ad eorum defensionẽ, pro certo asserere nõ ausim. Certè quum Daniel Angelũ Persarũ & Græcorũ Angelum inducit, significat certos Angelos regnis ac prouinciis quasi præsides destinari. Christus etiam quum dicit Angelos puerorũ semper videre faciẽ Patris, certos esse Angelos, quibus cõmendata sit eorum salus, innuit. Sed ex eo nescio an colligi debeat, vnicuique præesse suum Angelũ. Hoc quidem pro certo habendũ, non tantùm vni Angelo vnũquenque nostrûm esse curæ: sed omnes vno consensu vigilare pro salute nostra. Nam de omnibus Angelis simul dicitur, quòd plus gaudeãt super vno peccatore ad resipiscẽtiam conuerso, quã super nonaginta nouẽ iustis qui in iustitia perstiterint. De pluribus etiã Angelis dicitur, quòd Lazari animam in sinum Abrahæ detulerint. Nec verò frustra ministro suo monstrat Elisæus tot currus igneos qui peculiariter illi destinati erant. Vnus est locus qui videtur ad id confirmandum aliis paulò clarior. Nam quum Petrus è carcere eductus pulsasset fores domus in qua congregati erant fratres, quum suspicari non possent eum esse, dicebant Angelum ipsius. Videtur hoc illis in mẽtem venisse ex cõmuni conceptione, quòd singulis fidelibus præsides assignati sint sui Angeli. Quanquã hîc quoque responderi potest, nihil obstare quominus vnũquẽlibet ex Angelis intelligamus, cui Dominus tunc Petri curam mandasset, neque tamen propterea esset perpetuus eius custos: quẽadmodum vulgò imaginantur duos Angelos, bonũ & malum, tãquam diuersos genios, singulis esse attributos. Neque tamẽ operæpretiũ est anxiè inuestigare quod scire nostra nõ multũ refert. Nam sicui hoc non satisfaciet, omnes cælestis militiæ ordines pro salute sua excubias agere, nõ video quid proficere ex eo possit si intelligat Angelũ vnũ peculiariter custodẽ sibi datũ. Qui verò ad vnũ Angelũ restringunt quã de vnoquoque nostrũ curam Deus gerit, magnã sibi & omnibus Ecclesiæ membris iniuriam faciũt: æsi de nihilo promissæ essent illæ auxiliares copiæ, quibus vndique cincti & muniti animosius certemus. Luc.15.b.7 Luc.16.e.23 2.Reg.16.d. 17. Act.12.c.15

8 De multitudine verò & ordinibus qui definire audẽt, viderint quale habeãt fundamentũ. Michael, fateor, princeps magnus vocatur apud Danielẽ, & Archangelus apud Iudam. Et Archangelum fore docet Paulus, qui tuba citabit homines ad iudiciũ. Sed quis inde poterit honorũ gradus inter Angelos statuere, distinguere singulos suis insignibus, locum & stationem cuique assignare? Nam & duo nomina quæ in Scripturis extant, Michael & Gabriel, & tertium si addere velis ex historia Tobiæ, ex significatu videri possunt Dan.12.a.1 Iudæ b.9 1.Thess.4.d. 16

pro infirmitatis noſtrę captu, Angelis indita. etſi id in medio malo relinquere. Quantum ad numerum, audimus ex ore Chriſti multas legiones, à Daniele multas myriadas: plenos currus vidit Eliſæi miniſter: & ingentem multitudinem declarat, quòd dicuntur caſtrametari in circuitu timentium Deum. Forma ſpiritus carere certum eſt: & tamen Scriptura pro ingenii noſtri modulo Angelos ſub Cherubim & Seraphim non fruſtra nobis alatos pingit, ne dubitemus incredibili celeritate ſemper ad auxilium nobis ferendũ præſentes fore ſimulac res tulerit: acſi fulgur è cælo emiſſum, qua ſolet pernicitate, ad nos volaret. Quicquid præterea de vtroque quæri poteſt, credamus ex eo eſſe genere myſteriorum quorum plena reuelatio in vltimum diem differtur. Proinde à nimia vel in quærendo curioſitate, vel in loquendo audacia cauendum meminerimus.

Mat. 26. c. 55
Dani. 7. c. 10
Pſal. 34. b. 8

9 Hoc tamen, quod nonnulli inquieti homines in dubium vocant, pro certo eſt habendum, Angelos ſpiritus eſſe miniſtratorios, quorum obſequio vtitur Deus ad ſuorum protectionem, & per quos tum ſua beneficia inter homines diſpenſat, tum reliqua etiam opera exequitur. Fuit illa quidem olim Sadducæorum opinio, per Angelos nihil deſignari quàm vel motus quos Deus hominibus aſpirat, vel ea quæ edit virtutis ſuæ ſpecimina. Sed huic deliramento tot reclamant Scripturæ teſtimonia vt mirũ ſit tam craſſam ignorationem in illo populo ferri potuiſſe. Vt enim omittam quos ſuperius locos citaui, vbi referuntur millia & legiones Angelorum, vbi gaudium illis tribuitur, vbi narrantur fideles manibus ſuſtinere, eorum animas deferre in quietem, videre faciem Patris, & ſimilia: ſunt alii, ex quibus clariſſimè euincitur revera eſſe ſpiritus naturę ſubſiſtentis. Nam quod Stephanus & Paulus dicunt, Legem eſſe latam in manu Angelorum: & Chriſtus, electos fore poſt reſurrectionem Angelis ſimiles: diem iudicii ne Angelis quidem eſſe cognitum: ſe tunc venturum cum ſanctis Angelis: vt maximè torqueatur, neceſſe erit ita intelligi. Similiter quum Paulus Timotheum coram Chriſto & electis ipſius Angelis atteſtatur vt præcepta ſua cuſtodiat, non qualitates aut inſpirationes ſine ſubſtantia, ſed veros ſpiritus denotat. Nec aliter ſubſiſtit quod in Epiſtola ad Hebræos legitur, Chriſtum excellentiorem Angelis effectum, illis non eſſe ſubiectum orbem terrarum, Chriſtum non ipſorum, ſed hominum naturam aſſumpſiſſe: niſi beatos eſſe Spiritus intelligamus, in quos cadant iſtæ comparationes. Et ipſe author Epiſtolæ ſeipſum declarat, vbi in regno Dei, fidelium animas & ſanctos Angelos ſimul collocat. Præterea quod iam citauimus, Angelos puerorum ſemper videre faciem Dei, eorum præſidio nos defendi, eos lętari de ſalute noſtra, mirari multiplicem Dei gratiã in Eccleſia, ſubeſſe Chriſto capiti. Eodem pertinet quòd ſanctis Patribus toties apparuerunt ſub forma hominum, loquuti ſunt, excepti etiam fuerunt hoſpitio. Et Chriſtus ipſe ob primatũ quem obtinet in perſona Mediatoris, Angelus vocatur. Hoc obiter attingere libuit, ad ſimplices præmuniendos aduerſus illas ſtultas & abſurdas cogitationes quæ ante multa ſecula à Satana excitatæ, ſubinde repullulant.

Act. 7. g. 55
Gal. 3. c. 19
Mat. 22. c. 30 & 24. c. 37
Ibidẽ 25. c. 31
Iuc. 9. d. 26
1. Timo. 5. d. 21
Hebr. 1. b. 4 & 2. d. 16
Ibidẽ 12. f. 22
Malac. 3. a. 1

10 Reſtat vt ſuperſtitioni occurramus, quæ obrepere plerũque ſolet vbi dicitur Angelos nobis omnium bonorum miniſtros eſſe ac præbitores. Eòenim protinus delabitur hominis ratio, vt nihil non honoris deferendũ illis putet. Ita fit vt quæ ſolius Dei & Chriſti ſunt, ad ipſos tranſferantur. Ita videmus Chriſti gloriam ſuperioribus aliquot ſeculis fuiſſe multis modis obſcuratam, quum immodicis elogiis Angeli præter Dei verbum cumularentur. Neque vllum ferè antiquius eſt vitium ex iis quæ hodie impugnamus. Siquidem Paulo etiam fuiſſe magnum certamen cum nonnullis apparet, qui ſic Angelos euehebant vt Chriſtum propemodum in ordinem redigerent. Hinc tãta ſolicitudine vrget in Epiſtola ad Coloſſenſes, Chriſtum nõ modò Angelis omnibus eſſe anteferendum, ſed ipſis quoque bonorum omnium eſſe authorem: ne eo derelicto, ad illos cõuertamur qui nec ſibi ſufficere poſſunt, ſed ex eodem, quo nos, fonte hauriũt. Certè quum in eis fulgor diuini numinis refulgeat, nihil eſt magis procliue quàm in eorum adorationem ſtupore quodam nos proſterni, & omnia deinde illis tribuere quæ nonniſi Deo debentur. Quod etiam Iohannes in Apocalypſi fatetur ſibi accidiſſe: ſed ſimul addit fuiſſe ſibi reſponſum, Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, Deum adora.

Cap. 1. b. 16, & c. 20
Apo. 19. b. 10

11 Atqui hoc periculũ bene cauebimus ſi expẽdamus cur per eos Deus potius quã per ſe ſine ipſorũ opera potentiã ſuam declarare, fidelium ſalutẽ curare, ſuæque beneficentiæ dona ipſis cõmunicare ſoleat. Non facit hoc certè neceſſitate, quaſi carere illis nequeat: nam quoties libet, ipſis præteritis, opus ſuum vel ſolo nutu peragit: tantũ abeſt vt ad leuandam difficultatem ſint illi ſubſidio. Hoc ergo ad ſolatium noſtræ imbecillitatis facit,

facit,nequid omnino quod animis noſtris vel in bonam ſpem erigendis, vel in ſecuritate confirmandis valeat,deſideremus.Illud quidem vnum ſatis ſupérque eſſe deberet, quòd Dominus aſſerit ſe noſtrũ eſſe protectorem.Sed dum tot periculis,tot noxis,tot hoſtium generibus nos videmus circunſideri:quæ noſtra eſt mollities ac fragilitas, fieri interdum poterit vt trepidatione impleamur, vel deſperatione concidamus, niſi pro modulo noſtro gratiæ ſuæ præſentiam apprehendere nos Dominus faciat. Hac ratione non modò nos ſibi curæ fore promittit, ſed ſe innumeros habere ſatellites quibus procurandam ſalutem noſtram mandauerit.horum prę̃ſidio ac tutela quandiu ſepti ſumus,quicquid periculi immineat,nos extra omnem mali aleam eſſe poſitos. Perperã id quidem fieri à nobis fateor,quòd poſt illam ſimplicem promiſſionem de vnius Dei protectione, adhuc circunſpectamus vnde veniat nobis auxilium. Sed quia Dominus pro immẽſa ſua clementia & facilitate, vult huic noſtro vitio ſubuenire,non eſt cur tantum eius beneficium negligamus.Eius rei exemplum in puero Eliſæi habemus;qui quum mõtem obſidione cingi videret ab exercitu Syrorum,nec vllum effugium patere, pauore cõſternabatur quaſi actum de ſe ac domino ſuo eſſet. Hîc Eliſæus Deum precatus eſt vt illius aperiret oculos: ille protinus montem equis ac curribus igneis refertum conſpicit, multitudine ſcilicet Angelorum,à quibus cuſtodiendus erat cum Propheta. Hac viſione cõfirmatus ſe recepit,& hoſtes potuit intrepido animo deſpicere,quorũ aſpectu fuerat propè exanimatus. 2. Reg. 6. d. 17

12 Proinde quicquid de Angelorum miniſterio dicitur,ad hunc finem dirigamus, vt expugnata omni diffidentia,ſpes in Deo noſtra fortius ſtabiliatur.Siquidem hæc præſidia ideo nobis à Domino ſunt cõparata ne hoſtiũ multitudine terreamur, quaſi aduerſus opem eius præualeret,ſed ad illam Eliſæi ſentẽtiam cõfugiamus, plures eſſe pro nobis quàm cõtra nos.Quã igitur prę̃poſterũ eſt,ab Angelis nos abduci à Deo,qui in hoc ſunt conſtituti vt præſentiorẽ eius opẽ nobis teſtẽtur?Abducũt autẽ, ſi nõ noſtâ ad ipſum manu ducũt,vt ſolum auxiliatorẽ ſpectemus,inuocemus ac prędicemus:ſi nõ vt eius manus à nobis cõſiderantur,quæ nullũ ad opus niſi ipſo dirigente ſe moueant: ſi nõ in vno Mediatore Chriſto nos retinent,vt ab eo prorſus pendeamus,in eo recũbamus,ad eum feramur,& ipſo acquieſcamus.Quod enim in viſione Iacob deſcribitur,hę̃rere ac penitus infixũ eſſe animis noſtris debet,Angelos in terrã ad homines deſcendere, & ab hominibus in cælum aſcẽdere per ſcalam,cui inſidet Dominus exercituũ. Quo indicatur ſola Chriſti interceſſione fieri vt Angelorũ miniſteria ad nos perueniant, ſicut ipſe affirmat, Poſthac videbitis cælos apertos,& Angelos deſcendentes ad Filiũ hominis,Ioh.1.g.51.Itaque ſeruus Abrahæ,Angeli cuſtodiæ cõmendatus, nõ propterea ipſum inuocat vt ſibi adſit, ſed ea commendatione fretus preces fundit coram Domino, petítque vt miſericordiam ſuam erga Abrahamũ exerat.Quemadmodum enim nõ ideo potentiæ bonitatíſque ſuæ miniſtros facit eos Deus vt ſuam cum illis gloriam partiatur: ita non opem ſuam ideo in ipſorum miniſterio nobis promittit vt noſtram inter ipſos & eum fiduciã diuidamus. Valeat ergo Platonica illa philoſophia de quę̃rẽdo per Angelos ad Deũ aditu,& ipſis in hũc finem colendis,quo Deum faciliorẽ nobis reddant:quam ſuperſtitioſi curioſíque homines conati ſunt in religionẽ noſtrã ab initio inuehere,& ad hunc vſque diẽ perſeuerant. Gen. 28. c.12 Gen. 24. a. 7 Vide Plat. in Epinomide & Cratylo

13 Quæ de Diabolis Scriptura tradit,eò ferè tendunt omnia vt ſolicíti ſimus ad præcauendas eorum inſidias & molitiones:tum iis armis nos inſtruamus quæ ad propulſandos potentiſſimos hoſtes ſatis firma ſint ac valida.Nam quũ deus ac princeps huius ſeculi vocatur Satan,quũ fortis armatus,ſpiritus cui poteſtas eſt aeris,leo rugiens dicitur:non aliò reſpiciunt iſtæ deſcriptiones niſi vt cautiores ſimus & vigilantiores,tum ad pugnam capeſſendã paratiores. Quod etiã expreſſis verbis interdũ notatur. Nã Petrus poſtquam Diabolum dixit circuire inſtar leonis rugientis,quærentem quos deuoret:mox adhortationem ſubiungit,vt fide fortiter reſiſtamus.Et Paulus,vbi monuit luctam nõ cum carne & ſanguine nobis eſſe,ſed cũ principibus aeris,poteſtatibus tenebrarum,& nequitiis ſpiritualibus, continuò arma induere iubet quæ ad tãtum támque periculoſum certamen ſuſtinendum paria ſint.Quare nos quoque ad hunc finem omnia cõferamus,vt hoſtem, & hoſtem audacia promptiſſimum, viribus robuſtiſſimum, artibus callidiſſimũ, diligentia & celeritate infatigabilem,machinis omnibus refertiſſimum,pugnandi ſcientia expeditiſſimũ nobis aſſiduè imminere præmoniti:non ſocordia vel ignauia opprimi nos ſinamus,ſed ex aduerſo erectis excitatíſque animis,pedẽ figamus ad reſiſtẽdũ.& quia hæc militia non niſi morte finitur,ad perſeuerantiam nos hortemur. Præcipuè verò imbecillita- 1. Pet. 5. b. 8 Epheſ. 6. b. 12

tis & ruditatis noſtræ nobis conſcii, Dei opem inuocemus, nec quicquam tentemus niſi ipſo freti: quando ipſius eſt ſolius & conſilium & robur & animos & arma ſubminiſtrare.

14 Quo autem ad id agendũ magis excitemur ac vrgeamur, non vnum aut alterum aut paucos hoſtes, ſed magnas eſſe copias denũtiat Scriptura, quæ nobiſcum bellum gerunt. Nam & Maria Magdalena dicitur liberata fuiſſe à ſeptem dęmoniis quibus occupabatur: & illud eſſe ordinarium teſtatur Chriſtus, quòd ſi eiecto ſemel dæmonio locum iterum patefacias, ſeptem ſpiritus nequiores ſecum aſſumit, ac redit in poſſeſſionem vacuam. Imò legio tota dicitur hominem vnum obſediſſe. His ergo docemur, cum infinita hoſtium multitudine bellandum nobis eſſe: ne paucitate contempta, ſimus ad prælių remiſſiores, vel intermiſſionẽ aliquam dari nobis interdum putãtes, deſidiæ indulgeamus. Quòd autem ſingulari numero ſæpe vnus Satan vel Diabolus proponitur, in eo denotatur principatus ille iniquitatis qui aduerſatur regno iuſtitiæ. Quemadmodũ enim Eccleſia & ſanctorum ſocietas Chriſtum habet caput: ita impiorum factio, & ipſa impietas cum ſuo principe nobis depingitur, qui ſummum imperium illic obtineat. Qua ratione dictũ eſt illud, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & angelis eius.

Marc. 16. b. 9
Mat. 12. d. 42
Luc. 8. d. 30
Mat. 25. d. 41

15 Hoc quoque ad perpetuum cum Diabolo certamen accendere nos debet, quòd aduerſarius Dei & noſter vbique dicitur. Nã ſi cordi nobis eſt Dei gloria vt par eſt, totis viribus aduerſus eum enitendum eſt qui illius extinctionẽ molitur. Si ad regnum Chriſti aſſerẽdum animati ſumus vt oportet, neceſſe eſt nobis irrecõciliabile cum eo bellum eſſe qui in illius ruinam conſpirat. Rurſus ſiqua ſalutis noſtræ cura nos tangit, nec pax nec induciæ cum eo nobis eſſe debẽt qui in eius perniciem aſſiduè inſidias tendit. Talis autem deſcribitur Geneſeos cap. 3, vbi hominem ab obedientia quã Deo debebat abducit, vt ſimul & Deum iuſto honore ſpoliet, & hominem ipſum in ruinam præcipitet. Talis etiã in Euangeliſtis, vbi inimicus vocatur, & ſpargere zizania ad corrumpẽdum vitæ æternæ ſemen dicitur. In ſumma, quod de ipſo teſtatur Chriſtus, ab initio fuiſſe homicidam & mẽdacem, in omnibus eius factis experimur. Mendaciis enim veritatẽ Dei oppugnat: lucem tenebris obſcurat: hominum mentes implicat erroribus: odia ſuſcitat: contentiones ac pugnas accẽdit: omnia in eum finẽ vt Dei regnum euertat, homines in æternum interitum ſecum demergat. Vnde conſtat, ipſum natura prauum, malignũ ac malitioſum eſſe. Nam in eo ingenio quod ad gloriã Dei & hominũ ſalutem impetendã factum eſt, ſummã prauitatẽ eſſe oportet. Hoc etiã ſignificat Iohannes in epiſtola ſua, quũ ſcribit eum ab initio peccare. Siquidẽ intelligit, ipſum omnis malitiæ & iniquitatis authorẽ, ducẽ, architectũ.

Mat. 13. d. 28
Iohã. 8. f. 44

16 Atqui quum à Deo conditus ſit Diabolus, hanc malitiam quam eius naturæ tribuimus, non ex creatione, ſed ex deprauatione eſſe meminerimus. Quicquid enim dãnabile habet, defectione & lapſu ſibi accerſiuit. Quod ideo nos admonet Scriptura, ne talẽ credẽtes à Deo prodiiſſe, Deo ipſi adſcribamus quod eſt ab eo alieniſſimum. Hac ratione denuntiat Chriſtus Satanam ex propriis loqui, quum mendacium loquitur: & rationem ponit, quia non ſtetit in veritate. Certè quum in veritate perſtitiſſe negat, innuit aliquando in ea fuiſſe: & quum patrem facit mendacii, hoc illi adimit ne Deo vitium imputet, cuius ipſe ſibi cauſa fuit. Quanquam autem hæc breuiter ſunt & minus clarè dicta, ad id tamen abundè ſufficiunt vt Dei maieſtas ab omni calũnia vindicetur. Et quid noſtra refert, vel plura, vel in alium finem de Diabolis ſcire? Fremunt nonnulli quòd non ordine & diſtinctè lapſum illum, eiúſque cauſam, modum, tẽpus, ſpeciem pluribus locis Scriptura exponat. Sed quia hæc nihil ad nos, melius fuit, & non ſubticeri in totum, at certè leuiter attingi: Quia nec Spiritu ſancto dignum fuit, inanibus hiſtoriis ſine fructu curioſitatem paſcere: & videmus hoc fuiſſe Domino propoſitũ, nihil in ſacris ſuis oraculis tradere quod non ad ædificationem diſceremus. Ergo ne ſuperuacuis ipſi immoremur, contenti ſimus hoc breuiter habere de Diabolorũ natura, fuiſſe prima creatione Angelos Dei: ſed degenerando ſe perdidiſſe, & aliis factos eſſe inſtrumenta perditionis. Hoc quia vtile cognitu erat, clarè apud Petrum & Iudam docetur. Angelis, inquiunt, qui peccauerant nec ſeruarant ſuam originem, ſed reliquerant ſuum domicilium, non pepercit Deus. Et Paulus electos Angelos nominans, haud dubiè reprobos tacitè opponit.

2. Pet. 2. a. 4, iudæ 2. 6
1. Tim. 5. d. 21

17 Quantũ verò ad diſcordiã & pugnam attinet quã Satanæ cum Deo eſſe dicimus, ſic accipere oportet, vt fixum interim illud maneat, illum, niſi volente & annuente Deo, nihil facere poſſe. Legimus enim in hiſtoria Iob, illum ſe ſiſtere coram Deo ad excipiẽda mãdata, nec pergere audere ad facinus aliquod obeundum niſi impetrata facultate. Sic

Iob. 1. b. 6, & 2. a. 1

& quum

& quum decipiendus est Achab, recipit se fore spiritum mendacii in ore omniũ Prophetarum: & à Domino amãdatus,id præstat. Hac ratione & spiritus Domini malus dicitur qui torquebat Saul,quòd eo veluti flagello puniebantur impii regis peccata.Et alibi scribitur, plagas Ægyptiis fuisse à Deo inflictas per angelos malos. Secundùm hæc particularia exempla Paulus generaliter testatur excæcationem incredulorum opus esse Dei, quum antea vocasset operationem Satanæ. Cõstat ergo sub Dei potestate esse Satanam, & sic ipsius nutu regi vt obsequium reddere ei cogatur. Porrò quum dicimus Satanam Deo resistere, & illius opera cum huius operibus dissidere, hanc repugnantiã & hoc certamen à Dei permissione pendêre simul asserimus. De voluntate iam non loquor, nec etiam de conatu,sed de effectu tantùm.Quando enim improbus est natura Diabolus,minimè ad obedientiam diuinæ voluntatis propensus est, sed totus ad contumaciam & rebellionem fertur. Hoc igitur à seipso suáque nequitia habet, vt cupiditate & proposito, Deo aduersetur.Hac improbitate extimulatur ad conatum earum rerum quas maximè aduersarias esse Deo putat.Sed quia Deus illũ potentię suæ fræno vinctum constrictúmque tenet,ea modò exequitur quæ sibi diuinitus concessa fuerint:atque ita creatori suo, velit nolit,obsequitur:quia cogitur ministerium præbere quocunque ille impulerit. 1.Reg. 22. c. 20 1. Sam. 16. c. 14, & 18.c.10 Psal.78.e.49 2. Thess.2.c. 9.11

18 Iam verò quia Deus immundos spiritus,provt libitum est,huc illuc inflectit,hoc regimen ita temperat,vt fideles pugnando exerceant, adoriantur insidiis, incursionibus solicitent,pugnando vrgeant,fatigent etiam sæpe,conturbent,pauefaciant,ac interdum vulnerent, sed nunquam vincant nec opprimant: impios autem subactos trahant,in eorum animis & corporibus imperium exerceant, ad omnia flagitia velut mancipiis abutantur.Quantum ad fideles attinet,quia ab eiusmodi hostibus inquietantur:ideo has exhortationes audiunt, Nolite locum dare Diabolo. Diabolus hostis vester vt leo rugiens circuit,quærens quem deuoret:cui resistite fortes fide.& similes. Ab hoc genere certaminis se non fuisse immunem fatetur Paulus, quum scribit ad remedium domandæ superbiæ sibi datum Satanæ angelum,à quo humiliaretur. Omnibus ergo filiis Dei commune est id exercitium.Quia autẽ promissio illa de conterendo Satanæ capite,ad Christum & omnia eius membra communiter pertinet, ideo nego vinci vnquã vel opprimi ab eo fideles posse.Consternuntur quidem sæpe,sed non exanimantur quin se recolligãt: concidunt violẽtia ictuum,sed postea eriguntur:vulnerantur, sed non lethaliter.denique sic laborant toto vitæ curriculo,vt in fine victoriã obtineant. quod tamen ad singulos actus non restringo.Scimus enim iusta Dei vindicta,Satanę permissum fuisse ad tempus Dauidem vt eius impulsu populum numeraret:nec frustra spem venię relinquit Paulus etiam si qui diaboli laqueis irretiti fuerint.Ideo alibi idem Paulus promissionẽ superius citatam inchoari in hac vita,vbi luctandum est,ostendit:post luctam adimpleri,quum dicit,Deus autem pacis breui Satanam cõteret sub pedibus vestris.In capite quidem nostro semper ad plenum extitit hæc victoria: quia nihil in eo habuit princeps mundi: in nobis autem, qui membra eius sumus, ex parte nunc apparet: perficietur autem, quum carne nostra exuti,secundùm quam infirmitati obnoxii adhuc sumus,Spiritus sancti virtute pleni erimus.In hunc modũ,vbi suscitatur erigitúrque regnũ Christi,Satan cũ sua potestate cõcidit.quẽadmodũ ait Dominus ipse,Videbã Satanã quasi fulgur de cælo cadẽtẽ.Hoc enim responso cõfirmat quod de prædicationis suæ potentia retulerant Apostoli.Item, Quum princeps occupat atriũ suũ,in pace sunt omnia quæ possidet. quum autẽ superuenit fortior,eiicitur,&c.Et in hũc finẽ Christus moriẽdo,vicit Satanã, qui habebat mortis imperiũ:& triumphũ de omnibus eius copiis egit,ne Ecclesiæ noceãt.alioqui centies eam pessundaret singulis momẽtis.Nã(quæ nostra est imbecillitas,& quę illius sunt furiosæ vires) quomodo vel tantillũ cõtra multiplices & assiduos eius impetus staremus,nisi freti ducis nostri victoria?Non ergo in animas fideliũ permittit Deus regnũ Satanę,sed impios dum taxat & incredulos illi gubernãdos tradit,quos in suo grege censeri non dignatur.Nã dicitur hunc mundũ sine controuersia occupare donec à Christo exturbetur.Itẽ,excæcare omnes qui nõ credũt Euangelio.Itẽ,peragere opus suũ in filiis contumacibus.& meritò: sunt enim impii omnes vasa irę.Ideo cui potius quã diuinę vltionis ministro subiicerẽtur? Denique ex patre diabolo esse dicũtur:quia vt in eo filii Dei agnoscũtur fideles quòd imaginẽ eius gerũt:ita illi ex Satanæ imagine, in quã degenerarũt, eius filii propriè cẽsentur. Ephe.4.f.27. 1.Pet.5.c.8 2.Cor.12.b.7 Gen.3.c.15 2.Sam.24.a.1 2. Tim. 2. d. 26 Rom.16.c. 20 2. Cor. 4.a.4 Ephes. 2.a.2 Iohã. 8. f.44 1.iohã.3.b.8

19 Quemadmodum autem superius refutauimus nugatoriã illam de sanctis Angelis philosophiã,quæ docet nihil esse quã inspirationes vel monitiones bonas,quas in mẽ-

tibus hominum Deus excitat: sic & hoc loco refellendi sunt qui diabolos nihil quàm malos affectus aut perturbationes esse nugantur, quæ nobis ingeruntur à carne nostra. Id autem breuiter facere licebit, quia extant non pauca in hanc rẽ & satis aperta Scripturæ testimonia. Primùm quum immundi spiritus vocantur & Angeli apostatæ, qui ab origine sua degenerarunt, ipsa nomina satis exprimunt, non motiones aut affectiones mentium, sed magis reuera quod dicuntur, mentes vel spiritus sensu & intelligentia præditos. Similiter vbi filii Dei cum Diaboli filiis tam à Christo quàm ab Iohanne conferuntur, nónne inepta esset comparatio si nomen diaboli nihil quàm malas inspirationes designaret? Et Iohannes aliquid etiamnum apertius addit, diabolum ab initio peccare. Similiter quum Michaelem archangelum inducit Iudas pugnantem cum diabolo: certè angelo bono opponit malum & defectorem. Cui respondet id quod legitur in historia Iob, comparuisse Satanam cum sanctis angelis coram Deo. Clarissimi autem omnium sunt illi loci qui mentionem pœnæ faciunt quam sentire incipiunt à Dei iudicio, & præcipuè sensuri sunt in resurrectione. Fili Dauid, cur venisti ante tẽpus ad torquẽdum nos? Item, Ite maledicti in ignem æternũ, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Item, Si propriis angelis non pepercit: sed catenis detractos proiecit in caliginem ad æternam damnationem seruãdos, &c. Quàm ineptę loquutiones forẽt, destinatos æterno iudicio diabolos, ignem illis esse pręparatum, iam torqueri ipsos & cruciari à Christi gloria, si nulli essent omnino diaboli? Sed quoniam hæc res disputatione non eget apud eos qui verbo Domini fidem habent, apud istos verò inanes speculatores, quibus nihil placet nisi nouum, Scripturæ testimoniis parum proficitur: videor mihi feciſſe quod volui, vt scilicet instructæ sint piæ mentes aduersus eiusmodi deliria, quibus inquieti homines se & alios simpliciores turbant. Fuit autem operæpretium hoc quoque attingere, nequi illo errore impliciti, dum putant nullum se habere hostem, fiant ad resistendum segniores & incautiores.

Iohã. 7. f. 44
iohã. 3. b. 10

1. Ioan. 3. b. 8

Iudæ b. 9.
Iob. 1. b. 6, & 2. a. 1

Mat. 8. d. 29
Ibidem 25. d 41
2. Pet. 2. a. 4

20 Interea ne pigeat in hoc pulcherrimo theatro piam oblectationem capere ex manifestis & obuiis Dei operibus. Est enim hoc (vt alibi diximus) etsi non præcipuũ, naturæ tamen ordine primum fidei documẽtum, quaquauersum oculos circunferamus, omnia quæ occurrunt, meminisse Dei esse opera: & simul quem in finem à Deo condita sint, pia cogitatione reputare. Ergo vt vera fide apprehendamus quod de Deo scire refert, historiam creationis mundi operæpretium est in primis tenere, qualiter à Mose breuiter expositа, & à sanctis deinde vitis, Basilio præsertim & Ambrosio, copiosius illustrata est. Ex ea discemus, Deum Verbi ac Spiritus sui potentia ex nihilo creasse cælum & terram: hinc omne genus animalia réſque inanimatas produxisse, mirabili serie distinxisse innumeram rerum varietatem, suam vnicuique generi naturam indidisse, assignasse officia, loca attribuisse & stationes: &, quum omnia sint corruptioni obnoxia, prouidisse tamen vt singulæ species ad diem extremum saluæ conseruentur. Proinde alias fouere arcanis modis, & nouũ subinde vigorẽ illis quasi instillare: aliis vim propagãdi contulisse, ne suo interitu prorsus intereãt. Itaque cęlũ & terrã quàm fieri potuit absolutissima rerũ omniũ copia, varietate, pulchritudine, non secus atque amplã ac splendidã domum, exquisitissima simul & copiosissima supellectile instructam ac refertam, mirabiliter exornasse. Demum hominẽ formando, eúmque tã speciosо decore, tótque ac tantis dotibus insigniendo, præclarissimum in eo suorum operũ specimẽ edidisse. Verùm quoniam mundi creationem enarrare mihi non est propositum, satis sit hæc paucula iterũ in transitu attigisse. Melius enim est, vt iam monui lectores ex Mose & aliis qui mundi historiam fideliter ac diligenter memoriæ commendarunt, pleniorem huius loci intelligentiam petere.

21 Quorsum verò tendere, & quẽ in scopũ referri debeat operũ Dei cõsideratio, pluribus disputare nihil attinet: quum & alibi magna ex parte expedita hæc quæstio, & quãtũ præsentis instituti interest, paucis verbis absolui queat. Sanè si pro dignitate explicare libeat quàm inæstimabilis Dei sapientia, potentia, iustitia, bonitas in mundi cõpositione reluceat, nullus ornationis splẽdor, nullus ornatus tantæ rei magnitudini par erit. Nec dubiũ quin velit nos Dominus in hac sancta meditatione continenter occupari: vt dum illas immensas sapientiæ, iustitiæ, bonitatis, potentiæ suæ diuitias in omnibus creaturis, velut in speculis contemplamur, nõ tantùm eas fugiente oculo percurramus, & euanido (vt sic loquar) intuitu: sed in ea cogitatione diu immoremur: eam seriò ac fideliter animis reuoluamus, memoriáque identidem repetamus. Verùm quia nunc in didactico versamur genere, ab iis supersedere nos cõuenit quæ longas declamationes requirunt. Ergo vt cõpendio

pendio ſtudeam,tunc ſciant lectores ſe vera fide apprehendiſſe quid ſit Deũ cæli & terræ eſſe creatorem, ſi illam primùm vniuerſalem regulam ſequãtur, vt quas in ſuis creaturis Deus exhibet conſpicuas virtutes, non ingrata vel incogitantia vel obliuione tranſeant: deinde ſic ad ſe applicare diſcãt quò penitus afficiantur in ſuis cordibus. Prioris exẽplum eſt,dum reputamus quanti fuerit artificis,hanc ſtellarum multitudinem quæ in cælo eſt, tã diſpoſita ſerie ordinare & aptare vt nihil excogitari poſſit aſpectu ſpecioſius: alias ita inſerere & affigere ſuis ſtationibus vt moueri nequeant: aliis liberiorẽ curſum concedere,ſed ita vt errando non vltra ſpatium vagentur: omnium motum ita temperare, vt dies & noctes,menſes,annos & anni tẽpora metiatur:& hãc quoque,quã quotidie cernimus, inæqualitatem dierum ad tale temperamentum redigere vt nihil confuſionis habeat. Sic quoque dum potentiam obſeruamus, in ſuſtinenda tanta mole, in tam celeri cæleſtis machinæ volutatione gubernanda,& ſimilibus. Hæc enim paucula exempla ſatis declarant quid ſit Dei virtutes in mundi creatione recognoſcere. Alioqui ſi totam rem, vt dixi, oratione perſequi libeat, nullus erit modus. quando tot ſunt diuinæ potentiæ miracula,tot inſignia bonitatis, tot ſapientiæ documenta, quot ſunt in mundo rerum ſpecies,imò quot ſunt res vel magnæ vel exiguæ.

22 Reſtat altera pars quæ ad fidẽ propius accedit:vt dum animaduertimus in bonũ ac ſalutem noſtram Deũ omnia deſtinaſſe,ſimul in nobis ipſis,& tantis quæ in nos contulit bonis,ſentimus ipſius potẽtiam & gratiã:inde nos ad ipſius fiduciam,inuocationem, laudem,amorem excitemus. Porrò omnia ſe hominis cauſa condere,ipſo creandi ordine demonſtrauit ipſe Dominus, vt paulo antè admonui. Non enim abs re eſt quòd mundi fabricam in ſex dies diſtribuit:quum nihilo difficilius eſſet,vno momẽto totum opus ſimul omnibus numeris complere, quàm eiuſmodi progreſſione ſenſim ad complementũ peruenire. Verùm in eo ſuam erga nos prouidentiam paternámque ſolicitudinem commẽdare voluit, quòd antequam hominẽ fingeret, quicquid vtile illi ac ſalutare prouidebat fore,id totum præparauit. Quantæ nũc ingratitudinis foret,dubitare an huic optimo Patri curæ ſimus,quem videmus de nobis, priuſquam naſceremur, fuiſſe ſolicitum? Quàm impium eſſet diffidentia trepidare,ne aliquãdo nos in neceſsitate deſtituat eius benignitas,quam videmus nondum natis cum ſumma bonorum omnium affluentia fuiſſe expoſitam? Adhæc audimus ex Moſe,nobis eius liberalitate ſubiectũ quicquid omnino rerum eſt in toto orbe. Certum eſt,non ideo feciſſe quò nos luderet inani titulo donationis. Ergo nihil vnquã nobis defuturũ eſt quoad ſalutis noſtræ referet. Denique vt ſemel finiam, quoties Deum nominamus cæli & terræ creatorem,ſimul in mentẽ nobis veniat,eorum omniũ quæ condidit, diſpenſationẽ in manu ac poteſtate ipſius eſſe,nos verò eſſe ipſius filios, quos alendos & educandos in ſuam fidem cuſtodiámque receperit: vt bonorum omnium ſummam ab eo vno expectemus, ac certò ſperemus illum nunquam paſſurum nos rebus ad ſalutem neceſſariis indigere,ne aliunde ſpes noſtra pẽdeat: vt quicquid deſideramus,ad eum vota noſtra reſpiciant: cuiuſcunque rei fructum percipimus, eius eſſe beneficium agnoſcamus,& cum gratiarum actione profiteamur: vt tanta bonitatis ac beneficentiæ ſuauitate illecti,ipſum toto pectore amare & colere ſtudeamus.

Gen.1.d. 28 & 9.a.2

Qualis homo ſit creatus: vbi de animæ facultatibus, de imagine Dei, libero arbitrio, & prima naturæ integritate diſſeritur.

CAP. XV.

IAM de hominis creatione dicendũ: non modò quia inter omnia Dei opera nobiliſſimũ ac maximè ſpectabile eſt iuſtitiæ eius, & ſapientiæ,& bonitatis ſpecimen: ſed quia,vt initiò diximus, non poteſt liquidò & ſolidè cognoſci Deus à nobis niſi accedat mutua noſtri cognitio. Etſi autem ea duplex eſt: nempe vt ſciamus quales nos prima origine ſimus conditi, & qualis noſtra conditio eſſe cœperit poſt Adæ lapſum (nec verò multũ prodeſſet creationem noſtrã tenere,niſi in hac triſti ruina agnoſceremus qualis ſit naturæ noſtræ corruptela & deformitas) nunc tamen integræ naturæ deſcriptione contenti erimus. Et ſanè antequam ad miſeram iſtã hominis conditionem,cui nunc addictus eſt, deſcendimus, operæpretium eſt tenere qualis ab initio cõditus fuerit. Cauendũ eſt enim ne præciſè tantùm naturalia hominis mala demonſtrando,ea videamur ad naturæ authorem referre: quandoquidem in hoc prætextu ſe habere ſatis defenſionis putat impietas ſi obtendere queat,quicquid habet vitii,à Deo quodammodo profectũ eſſe: nec dubitat,ſi redarguitur, cum Deo ipſo litigare,culpámque in eum trãſcribere cuius meritò rea agitur. Et qui religioſius loqui de

numine videri volunt, libẽter tamen excusationem prauitatis suæ captant à natura, non cogitantes se Deum quoque (licet obscurius) fugillare: cuius in contumeliam recideret si quid vitii inesse naturæ probaretur. Quũ ergo videamus carnẽ inhiare subterfugiis omnibus, quibus vtcunque deriuari aliò à se malorum suorum culpam existimat, huic malitiæ diligenter obuiandum est. Itaque sic tractanda est humani generis calamitas vt præcidatur omnis tergiuersatio, & iustitia Dei ab omni insimulatione vindicetur. Postea suo loco videbimus quàm longè absint homines ab ea puritate qua donatus fuerat Adam. Ac primò tenendum est, quum ex terra & luto sumptus fuit, iniectũ fuisse superbiæ frænum: quia nihil magis absurdum est quàm sua excellentia gloriari qui non solùm habitant tugurium luteum, sed qui sunt ipsi ex parte terra & cinis. Quòd autem Deus vas testaceum non modò animare dignatus est, sed etiam domiciliũ esse voluit immortalis spiritus, iure in tanta fictoris sui liberalitate gloriari potuit Adam.

2 Porrò hominem constare anima & corpore, extra controuersiã esse debet. atque animæ nomine essentiam immortalem, creatam tamen intelligo, quæ nobilior eius pars est. Interdum spiritus vocatur. etsi enim dum simul iunguntur hæc nomina, significatione inter se differunt: vbi tamen seorsum ponitur spiritus, tantundem valet atque anima. Eccle.12.c.7 sicuti quum Solomo de morte loquens, dicit tunc spiritum ad Deum redire qui dedit illum. Luc.23.f.46 Act.7.g.59 Et Christus spiritum suum Patri commendans, Stephanus etiam Christo, non aliud intelligunt, quàm vbi soluta est à carnis ergastulo anima, Deum esse perpetuum eius custodem. Qui verò animam imaginãtur ideo spiritum dici quia flatus sit, aut vis diuinitus infusa corporibus quæ tamen essentia careat: eos nimis crassè desipere & res ipsa, & tota Scriptura ostendit. Verum quidem est, dum terræ plus iusto affixi sunt homines, hebetari, imò, quia à patre luminum alienati sunt, tenebris esse obcæcatos, vt se à morte fore superstites non cogitent. interim tamen nõ ita in tenebris extincta lux est, quin immortalitatis suæ sensu tangantur. Certè conscientia, quæ inter bonum & malum discernens, Dei iudicio respõdet, indubium est immortalis spiritus signum. Quomodo enim ad Dei tribunal penetraret motus sine essentia, & terrorem sibi ex reatu inuteret? Neque enim spiritualis pœnæ metu afficitur corpus, sed in solã animam cadit. vnde sequitur, essentia præditã esse. Iam ipsa Dei cognitio satis coarguit, animas quæ mundum trãscendunt, esse immortales, quia ad vitæ fontem non peruenire vigor euanidus. Denique quũ tot præclaræ dotes quibus humana mens pollet, diuinum aliquid insculptũ ei esse clamitent, totidem sunt immortalis essentiæ testimonia. Nam qui brutis animalibus inest sensus, extra corpus non egreditur: vel saltem non longius se extendit quàm ad res sibi obiectas. Mentis verò humanæ agilitas cælũ & terrã, naturæque arcana perlustrãs, & vbi secula omnia intellectu & memoria complexa est, singula digerẽs sua serie, futuráque ex præteritis colligens, clarè demonstrat latere in homine aliquid à corpore separatũ. Deum inuisibilem & Angelos intelligentia cõcipimus, quod minimè in corpus cõpetit. Recta, iusta, & honesta, quæ sensus corporeos latent, apprehendimus. Ergo huius intelligẽtiæ sedem spiritum esse oportet. Imò somnus ipse, qui hominẽ obstupefaciens, vita etiã exuere videtur, non obscurus est immortalitatis testis: quando non modò earum rerũ quæ nunquã factæ sunt cogitationes suggerit, sed etiã in futurũ tempus præsagia. Breuiter hæc attingo quæ profani quoque scriptores splẽdidiore verborũ ornatu magnificè extollũt: sed apud pios lectores satis valebit simplex admonitio. Iam nisi anima essentiale quiddã esset à corpore separatum, non doceret Scriptura nos habitare domos luteas, & morte migrare ex tabernaculo carnis: exuere quod corruptibile est, vt tandẽ vltimo die reportemus mercedem, provt se quisque gesserit in corpore. Nã hi certè loci, & similes qui passim occurrũt, non solùm manifestè distinguunt animã à corpore, sed hominis nomẽ ad eam transferendo, 1.Cor.7.a.1 præcipuam esse partẽ indicant. Iam quum hortatur fideles Paulus vt se mundẽt ab omni inquinamẽto carnis & spiritus, duas partes in quibus resident sordes peccati cõstituit. Pe- 1.Pet.2.b.25 trus quoque Christũ vocãs animarum pastorem & episcopum, perperàm loquutus esset 1.Pet.1.b.9 nisi essent animæ erga quas fũgeretur hoc officio. Neque staret quod dicit de æterna ani- Ibid.2.b.11 marũ salute: & quod iubet animas purificare, & prauas cupiditates militare aduersus animam: quod item author Epistolæ ad Hebræos pastores dicit excubias agere, vt rationem Heb.13.c.17 reddãt pro animabus nostris: nisi propriam essentiã animæ haberent. Eodẽ spectat quod Paulus testem inuocat Deum in animã suam: quia rea corã Deo non fieret nisi pœnæ esset obnoxia. Quod etiam clarius exprimitur Christi verbis, dũ timere eum iubet qui post- Mat.10.c.28,

quam

quam occiderit corpus, animam potest mittere in gehennã ignis. Iam dum author Epi- Luc.12.d.5
stolæ ad Hebræos patres carnis nostræ à Deo distinguens, qui vnus est pater spirituũ, non Heb.12.c.9
potuit clarius animarum essentiam asserere. Adhæc, nisi animæ corporũ ergastulis solu-
tæ manerent superstites, absurdè induceret Christus Lazari animam gaudio fruẽtem in Luc 16.e.22
sinu Abrahæ: & rursum diuitis animam horrendis tormentis addictam. Hoc idem Paulus 2.Cor.5.b
cõfirmat, nos à Deo peregrinari docens quãdiu in carne habitamus: eius vêrò præsentia 6,8
extra carnem frui. Nolongior sim in re parum obscura, hoc tãtùm ex Luca addam, inter
Sadducæorum errores referri quòd spiritus & Angelos esse non crederent. Act.23.b.8

3 Huius etiã rei probatio inde firma colligitur, quòd dicitur homo creatus ad imagi- Gen.1.d.27
nem Dei. Quanuis enim in homine externo refulgeat Dei gloria, propriam tamen ima-
ginis sedem in anima esse dubium nõ est. Non inficior quidem, externam speciem, qua-
tenus nos distinguit à brutis animalibus ac separat, simul Deo propius adiungere: nec ve-
hementius contendam, siquis censeri velit sub imagine Dei, quòd quum prona spectent
animalia cætera terram, os homini sublime datum est, cælúmque videre iussus, & erectos
ad sydera tollere vultus. modò fixum illud maneat, imaginẽ Dei, quæ in his externis no-
tis conspicitur vel emicat, spiritualem esse. Osiander enim (quem scripta eius testantur in
futilibus commentis peruersè fuisse ingeniosum) imaginem Dei promiscuè tam ad cor-
pus quàm ad animam extendens, cælum terræ miscet. Dicit Patrem, Filium, & Spiritum
sanctum in homine locare suam imaginem, quia vtcunque stetisset Adam integer, Chri-
stus tamen futurus fuerit homo. Ita secundùm eum corpus quod destinatũ erat Christo,
exẽplar ac typus fuit corporeæ illius figuræ quæ tunc formata fuit. Sed vbi reperiet Chri-
stum Spiritus esse imaginẽ? Fateor certè in Mediatoris persona lucere totius diuinitatis
gloriam: sed quomodo Sermo æternus vocabitur Spiritus imago, quem ordine præcedit?
Denique euertitur inter Filium & Spiritum distinctio, si hic illum non refert suam imagi-
nem. Adhæc scire ex eo velim quomodo Christus in carne quã induit Spiritum sanctum
referat, & quibus notis vel lineamẽtis exprimat eius similitudinem. Et quũ Filii quoque
personæ sermo ille, Faciamus hominem, &c. cõmunis sit, eum suiipsius imaginem sequi- Ibidem c.26
tur esse: quod ab omni ratione abhorret. Adde quòd nonnisi ad Christi hominis typum
vel exemplar formatus fuit homo, si recipitur Osiandri figmẽtum. atque ita idea ex qua
sumptus est Adam, fuit Christus, quatenus vestiendus carne erat: quum Scriptura longè
alio sensu doceat eum in imagine Dei creatũ esse. Plus coloris habet eorum argutia, qui
exponunt, Adam creatum fuisse in imagine Dei, quia Christo, qui vnica Dei imago est,
fuerit cõformis. sed in ea quoque nihil est solidum. Disputatio etiã non parua est de ima-
gine, & similitudine, dum interpretes differentiam quæ nulla est, inter duas istas voces
quærũt: nisi quòd similitudo vice expositionis addita est. Primò scimus Hebræis tritas es-
se repetitiones quibus rem vnam bis explicãt. deinde in re ipsa nulla est ambiguitas quin
Dei imago nominetur homo, quia Deo similis est. Vnde ridiculos esse apparet qui subti-
lius philosophantur in nominibus illis, siue Zelem, hoc est imaginẽ, statuant in substan-
tia animæ, & Demuth, hoc est similitudinem, in qualitatibus, siue aliud diuersum afferãt.
quia vbi Deus hominem creare decreuit in imagine sua, quod erat obscurius, exegeticè
repetit hac particula, Ad similitudinem. quasi diceret se hominem facturum, in quo se-
ipsum velut in imagine repræsentaret, propter insculptas similitudinis notas. Itaque Mo-
ses paulo pòst idem recitans, imaginem Dei bis ponit, omissa similitudinis mentione. Fri-
uolum autem est quod obiicit Osiander, non dici partem hominis, vel animam cum suis
dotibus, imaginem Dei: sed totum Adam, cui nomẽ à terra vnde sumptus est, impositum
fuit. friuolum inquam sani omnes lectores hoc iudicabunt. Nam dum mortalis vocatur
totus homo, non ideo morti subiicitur anima: nec rursum vbi dicitur animal rationale,
ideo in corpus ratio vel intelligentia competit. Quanuis ergo anima nõ sit homo, absur-
dum tamen non est, eum animæ respectu vocari Dei imaginẽ: etsi principium quod nu-
per posui retineo, patere Dei effigiem ad totam præstantiam, qua eminet hominis natu-
ra inter omnes animantium species. Proinde hac voce notatur integritas qua præditus
fuit Adam quum recta intelligentia polleret, affectus haberet compositos ad rationem,
sensus omnes recto ordine temperatos, veréque eximiis dotibus opificis sui excellentiam
referret. Ac quanuis primaria sedes Diuinæ imaginis fuerit in mente & corde, vel in ani-
ma eiúsque potentiis: nulla tamen pars fuit etiam vsque ad corpus, in qua non scintillæ
aliquæ micarent. Certùm est in singulis etiã mundi partibus fulgere lineamẽta quædam

gloriæ Dei: vnde colligere licet, vbi in homine locatur eius imago, tacitam subesse antitheſin quæ hominẽ ſupra alias omnes creaturas extollat, & quaſi ſeparet à vulgo. Neque verò negandũ eſt, Angelos ad Dei ſimilitudinem creatos eſſe, quando ſumma noſtra perMat.22.c.30 fectio, teſte Chriſto, erit ſimiles illis fieri. Sed nõ fruſtra peculiari hoc elogio, Dei erga nos gratiã commendat Moſes: præſertim quum viſibiles tantùm creaturas homini cõparet.

4 Nondum tamen data eſſe videtur plena imaginis definitio niſi clarius pateat quibus facultatibus præcellat homo, & quibus ſpeculum cẽſeri debeat gloriæ Dei. Id verò nõ aliũde melius quàm ex reparatione corruptæ naturæ cognoſci poteſt. Quin Adã, vbi excidit è gradu ſuo, hac defectione à Deo alienatus ſit minimè dubium eſt. Quare etſi demus non prorſus exinanitã ac deletam in eo fuiſſe Dei imaginem, ſic tamen corrupta fuit, vt quicquid ſupereſt, horrenda ſit deformitas. Ideóque recuperãdæ ſalutis nobis initium eſt in ea inſtauratione quam conſequimur per Chriſtum, qui etiã hac de cauſa vocatur ſecundus Adam: quia nos in veram & ſolidam integritatem reſtituit. Quanuis
1.Cor.15.f.45 enim viuificantem ſpiritum quo donantur à Chriſto fideles, opponens Paulus animæ viuenti in qua creatus fuit Adam, vberiorem gratiæ menſurã in regeneratione cõmendet: non tamen alterum illud caput tollit, hunc regenerationis eſſe finem, vt nos Chriſtus ad
Col.3.b.10 imaginem Dei reformet. Itaque alibi nouũ hominem renouari docet ſecundũ imaginem
Ephe.4.c.24 eius qui creauit illũ. Cui reſpondet illud, Induite nouum hominẽ qui ſecundùm Deum creatus eſt. Iã videndũ eſt quid maximè ſub hac renouatione cõprehendat Paulus. Priore loco agnitionem ponit, altero autem ſyncerã iuſtitiam, & ſanctitatẽ. vnde colligimus imaginem Dei in[illegible]tio in luce mentis, in cordis rectitudine, partiúmque omnium ſanitate conſpicuam fuiſſe Dei imaginẽ. Quanquã enim fateor ſynecdochicas eſſe loquendi formas, non poteſt tamen principiũ hoc conuelli, quod in renouatione imaginis Dei præcipuum eſt, in ipſa etiam creatione tenuiſſe ſummum gradũ. Eodem pertinet quod alibi
2.Cor.3.d.18 tradit, nos reuelata facie gloriã Chriſti ſpeculantes, in eandem imaginem transformari. Videmus nũc vt Chriſtus perfectiſsima ſit Dei imago, ad quam formati ſic inſtauramur, vt vera pietate, iuſtitia, puritate, intelligentia imaginẽ Dei geſtemus. Quo poſito, Oſiandrica illa de figura corporis imaginatio per ſe facilè euaneſcit. Quòd autem vir ſolus imago
1.Cor.11.b.7 & gloria Dei vocatur apud Paulũ, & mulier excluditur ab hoc honoris gradu, ad ordinem politicum reſtringi ex contextu patet. At ſub imagine cuius ſit mentio, cõprehendi quicquid ad ſpiritualem & æternam vitam ſpectat, iam ſatis probatum eſſe arbitror. Hoc
Iohan.1.a.4 idem aliis verbis confirmat Iohannes, aſſerens, vitam quæ in æterno Dei Sermone ab initio erat, fuiſſe lucem hominum. Nam quum propoſitum ſit, ſingularem Dei gratiam qua homo reliquis animantibus præcellit laudare, vt eum ſegreget ex cõmuni numero, quia non vulgarem adeptus eſt vitam, ſed coniunctam cum luce intelligentiæ: ſimul oſtendit quomodo ad imaginẽ Dei ſit conditus. Ergo quum Dei imago ſit integra naturæ humanæ præſtantia, quæ refulſit in Adam ante defectionẽ, poſtea ſic vitiata & propè deleta, vt nihil ex ruina niſi confuſum, mutilũ, labéque infectum ſuperſit: nũc aliqua ex parte conſpicitur in electis, quatenus ſpiritu regeniti ſunt: plenum verò fulgorem obtinebit in cælo. Vt verò ſciamus quibus partibus cõſtet, de animæ facultatibus differere operæpretium
Lib. de Tri. 10, & lib. De ciuitate Dei 11. eſt. Nam illa Auguſtini ſpeculatio minimè firma eſt, animam Trinitatis eſſe ſpeculũ, quia in ea reſident intellectus, voluntas, & memoria. Neque etiam probabilis eorum opinio, qui Dei ſimilitudinem in dominatu ei tradito locãt: acſi Deum hac nota ſolùm referret, quia cõſtitutus ſit omnium rerum herus ac poſſeſſor, quum penes ipſum non extra propriè quærenda ſit: imò interius ſit animæ bonum.

5 Cæterùm antequam lõgius progrediar, Manichæorum delirio occurrere neceſſe
Geneſ.2.b.7 eſt, quod rurſus hac ætate inuehere tẽtauit Seruetus. Quòd dicitur inſpiraſſe Deus in faciem hominis ſpiraculum vitæ, putarunt animã traducem eſſe ſubſtãtiæ Dei: quaſi aliqua immenſæ diuinitatis portio in hominem fluxiſſet. Atqui hic diabolicus error quàm craſſas & fœdas abſurditates ſecũ trahat, breuiter oſtendere facilè eſt. Nam ſi ex Dei eſſentia per traducem ſit anima hominis, ſequetur, Dei naturã non ſolùm mutationi eſſe obnoxiam & paſſionibus, ſed ignorãtiæ quoque, prauis cupiditatibus, infirmitati & omne genus vitiis. Nihil homine inconſtantius, quia eius animam exagitant & variè diſtrahunt cõtrarii motus: ſubinde per inſcitiam hallucinatur: minimis quibuſque tentationibus victus ſuccumbit: animam ipſam ſcimus ſordium omnium lacunam ac receptaculum eſſe. quæ omnia Dei naturæ aſcribere cõueniet, ſi recipimus animam eſſe ex Dei eſſentia, vel

arcanum

arcanum diuinitatis influxum. Quis ad hoc portentum non exhorreat? Verè quidem ex Arato Paulus nos dicit esse Dei progeniẽ: sed qualitate, non substantia, quatenus scilicet diuinis nos dotibus ornauit. Interea Creatoris essentiam lacerare, vt partẽ quisque possideat, nimiæ amentiæ est. Animas ergo, quanuis illis insculpta sit imago Dei, creatas esse non minus quàm Angelos, certò statuendũ est. Creatio autẽ non trãsfusio est, sed essentiæ ex nihilo exordium. Nec verò si à Deo spiritus datus est, & ex carne migrãdo ad eum redit, protinus dicendum est, ex eius substantia decerptũ esse. Atque hac quoque in parte Osiander, dum suis illusionibus effertur, impio errore se implicuit, imaginẽ Dei in homine non agnoscẽs sine essentiali iustitia, quasi nos inæstimabili Spiritus sui virtute conformes sibi reddere nequeat Deus quin substãtialiter Christus in nos se trãsfundat. Quocunque colore has præstigias fucare conentur nõnulli, oculos sanis lectoribus nunquam ita perstringent quin videãt resipere Manichæorum errorem. Atque vbi de imaginis instauratione differit Paulus, ex eius verbis elicere promptum est, non substantiæ influxu, sed Spiritus gratia & virtute hominem fuisse Deo conformẽ. Dicit enim Christi gloriam speculando, in eandem imaginem nos transformari tanquam à Domini Spiritu: qui certe ita in nobis operatur vt Deo consubstantiales non reddat. Act. 17. f. 28. 2. Cor. 3. d. 18.

6 Animæ definitionem à Philosophis petere stultum esset, quorũ nemo ferè, excepto Platone, substantiam immortalem solidè asseruit. Eam quidem alii quoque Socratici attingunt: sed ita vt nemo apertè doceat de quo ipse persuasus non fuit. Inde autem Platoni rectior sententia, quòd imaginem Dei in anima considerat. Alii eius potentias ac facultates ita præsenti vitæ affigunt, vt extra corpus nihil reliquum faciant. Porrò ex Scriptura antè docuimus esse substantiam incorpoream: nunc addendũ est, quanuis propriè loco non comprehendatur, corpori tamen inditam illic quasi in domicilio habitare: non tantùm vt omnes eius partes animet, & organa reddat apta & vtilia suis actionibus, sed etiam vt primatum in regenda hominis vita teneat: nec solùm quo ad officia terrenæ vitæ, sed vt ad Deum colendum simul excitet. Hoc postremum tametsi in corruptione liquidò non cernitur, eius tamen reliquiæ in ipsis vitiis impressæ manent. Vnde enim tanta famæ cura hominibus, nisi ex pudore? vnde autẽ pudor, nisi ex honesti respectu? cuius principium & causa est, quòd se ad colendam iustitiã natos esse intelligunt: in quo inclusum est religionis semen. Sicut autem absque cõtrouersia ad cælestis vitæ meditationem conditus fuit homo, ita eius notitiam animæ fuisse insculptam certum est. Et sanè præcipuo intelligentiæ vsu careret homo si sua eũ lateret fœlicitas: cuius perfectio est cum Deo coniunctum esse. vnde & præcipua animæ actio est vt illuc aspiret. ac proinde quo quisque magis ad Deum accedere studet, eo se probat ratione esse præditum. Qui plures volunt esse animas in homine, hoc est sensitiuam & rationalem, etsi videntur aliquid afferre probabile, quia tamen in eorum rationibus nihil est firmum, repudiãdi nobis sunt, nisi in rebus friuolis & inutilibus nos torquere libeat. Magnam repugnantiam esse dicunt inter organicos motus & rationalem animæ partem. Quasi non ipsa quoque ratio secũ dissideat, & eius consilia alia cum aliis non secus ac hostiles exercitus confligant. Sed quum hæc perturbatio sit ex naturæ deprauatione, perperàm inde colligitur, duas esse animas, quia facultates qua decet symmetria inter se non consentiant. Cæterùm de ipsis facultatibus subtilius differere Philosophis permitto. nobis ad ædificandã pietatem simplex definitio sufficiet. Vera quidem esse, nec iucunda modò cognitu, sed etiam vtilia esse fateor, dextréque ab illis collecta quæ docent: nec verò ab eorum studio prohibeo qui discendi cupidi sunt. Admitto igitur primò loco esse quinque sensus, quos tamen Platoni organa magis vocari placet, quibus in sensum communem, ceu in receptaculum quoddam, obiecta omnia instillentur: sequi phantasiam, quæ à sensu communi apprehẽsa diiudicet: postea rationem, penes quam vniuersale est iudicium: postremò mentem, quæ defixo quietóque intuitu contempletur quæ ratio discurrendo volutare solet. Item menti, rationi, phantasiæ, tribus animæ facultatibus cognitiuis tres etiam appetitiuas respondere: Voluntatem, cuius partes sint, quæ mens & ratio proponunt, appetere: Vim irascendi, quæ à ratione & phantasia porrecta arripiat: Vim concupiscendi, quæ à phantasia sensúque obiecta apprehendat. Hæc vt vera sint, aut saltem probabilia, quoniam tamen vereor ne magis nos sua obscuritate inuoluant quàm iuuent, omittenda censeo. Sicui libet alio modo animæ potẽtias distribuere, vt altera vocetur appetitiua: quæ tametsi rationis expers, rationi tamen obtemperat, si aliunde dirigatur: altera dicatur intellectiua, quæ sit per se-

In Theæteto. Arist. libr. 1. Ethi. ca. vlt. Item lib. 6. cap. 2.

ipſam rationis particeps:nõ valde reclamo. Nec iſtud refellere velim, tria eſſe agẽdi principia,ſenſum,intellectum, appetitũ. Sed nos diuiſionem potius eligamus infra omnium captum poſitam,quæ certe à philoſophis peti non poteſt. Nam illi dum ſimpliciſſimè loqui volunt, animam diuidunt in appetitum & intellectum. ſed vtrunque faciunt duplicem.Hunc interdum contemplatiuum eſſe dicunt, qui ſola cognitione contentus, nullum actionis motũ habeat:quam rem ingenii nomine deſignari putat Cicero. interdum practicum, qui boni malíve apprehenſione voluntatem variè moueat.Sub quo genere bene iuſtéque viuendi ſcientia continetur.Illum quoque(appetitũ dico)in voluntatem, & concupiſcentiam partiuntur, ac βούλησιν quidem eſſe quoties rationi appetitus, quem ὁρμὴν appellant obtemperat: πάθος autem fieri vbi excuſſo rationis iugo, ad intemperiem excurrit.Ita ſemper in homine rationem imaginantur qua ſe rectè moderari queat.

Themiſt. in lib.3. de Anima. cap. 49. De duplici intellectu.

De Fin.lib.5

7 Ab hac docendi ratione paulùm diſcedere cogimur:quia philoſophi,quibus incognita erat naturæ corruptio quæ ex defectionis pœna prouenit, duos hominis ſtatus valde diuerſos perperàm confundũt.Sic ergo habeamus, ſubeſſe duas humanæ animæ partes,quæ quidem præſenti inſtituto conueniant,intellectum & voluntatem.Sit autem officium intellectus,inter obiecta diſcernere, provt vnumquodque probãdum aut improbandum viſum fuerit: voluntatis autem, eligere & ſequi quod bonũ intellectus dictauerit: aſpernari ac fugere quod ille improbarit. Nihil hîc nos remorẽtur illæ Ariſtotelis minutiæ,nullam eſſe menti per ſe motionem, ſed electionem eſſe quæ moueat: quam eandem nuncupat intellectum appetitiuum. ne ſuperfluis quæſtionibus intricemur, ſatis ſit nobis intellectum eſſe quaſi animæ ducem & gubernatorem: volũtatem in illius nutum ſemper reſpicere & iudicium in ſuis deſideriis expectare. Qua ratione verè tradidit ipſe idem Ariſtoteles ſimile quiddam eſſe in appetitu fugam & perſequutionem,quale eſt in mente affirmatio aut negatio.Porrò quàm certa nunc ſit ad dirigendam voluntatem intellectus gubernatio,alibi videbitur.hîc duntaxat volumus, nullam reperiri poſſe in anima potentiam, quæ non ritè ad alterutrum iſtorum membrorum referatur. Atque hoc modo ſenſum ſub intellectu cõprehendimus:quem alii ſic diſtinguunt, quòd ſenſum ad voluptatem propendere dicũt, pro qua intellectus bonũ ſequatur. Inde fieri vt appetitio ſenſus,concupiſcentia fiat & libido: affectio intellectus, voluntas. Rurſum pro appetitus nomine,quod illi malunt,voluntatis nomen,quod vſitatius eſt,vſurpo.

Ita Plato in Phædro.

Lib.Eth.6. cap.2.

8 Ergo animam hominis Deus mente inſtruxit,qua bonum à malo,iuſtum ab iniuſto diſcerneret:ac quid ſequendum vel fugiendum ſit,præeũte rationis luce videret. vnde partem hanc directricem τὸ ἡγεμονικὸν dixerunt philoſophi.Huic adiunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, vt ratio, intelligentia,prudẽtia, iudicium non modò ad terrenæ vitæ gubernationẽ ſuppeterent, ſed quibus tranſcenderent vſque ad Deum & æternam fœlicitatem. Deinde vt accederet electio,quæ appetitus dirigeret,motúſque omnes organicos temperaret:atque ita voluntas rationis moderationi eſſet prorſus conſentanea. In hac integritate libero arbitrio pollebat homo,quo ſi vellet,adipiſci poſſet æternam vitam.Hîc enim intempeſtiuè quæſtio ingeritur de occulta prædeſtinatione Dei: quia non agitur quid accidere potuerit nécne,ſed qualis fuerit hominis natura.Potuit igitur Adã ſtare ſi vellet,quando non niſi propria voluntate cecidit. ſed quia in vtranque partem flexibilis erat eius voluntas, nec data erat ad perſeuerandum conſtantia, ideo tam facilè prolapſus eſt. Libera tamen fuit electio boni & mali:neque id modò,ſed in mente & volũtate ſumma rectitudo,& omnes organicæ partes ritè in obſequium compoſitæ, donec ſeipſum perdẽdo, bona ſua corrupit.Hinc tanta philoſophis obiecta caligo, quòd in ruina ædificiũ, & in diſſipatione aptas iuncturas quærebant. Principium illud tenebant, non fore hominem rationale animal niſi ineſſet libera boni & mali electio.veniebat etiam illis in mentem, alioqui tolli diſcrimen inter virtutes & vitia niſi proprio conſilio vitam homo inſtitueret. Probè quidem hactenus, ſi nulla fuiſſet in homine mutatio, quæ dum ipſos latuit nihil mirum ſi cælum terræ miſceant. Qui verò Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito & in ſpirituale exitium demerſo liberum arbitrium adhuc quærunt, inter philoſophorum placita & cæleſtem doctrinam partiendo, planè deſipiunt, vt nec cælum nec terram attingant. Sed hæc ſuo loco melius.Nunc duntaxat illud tenendum eſt,longè alium prima creatione fuiſſe hominem quàm totam eius poſteritatẽ, quæ originem à corrupto trahens, hereditariam labem ab eo contraxit. Nam ad rectitudinem formatæ erant ſingulæ animæ

partes,

partes,& constabat mentis sanitas,& voluntas ad bonum eligendũ libera.Siquis obiiciat, quasi in lubrico fuisse positam,quia imbecilla esset facultas:satis ad tollendam excusationem valuit ille gradus.neque enim æquum fuit hac lege Deum constringi, vt hominem faceret vel qui non posset vel nollet omnino peccare. Præstãtior quidem fuisset talis natura.sed præcisè expostulare cum Deo,quasi hoc debuerit cõferre homini,plusquam iniquum est:quando in eius arbitrio fuit quantulumcunque vellet dare. Cur autem perseuerantiæ virtute eum non sustinuerit,in eius consilio latet: nostrum verò est ad sobrietatem sapere. Acceperat quidem posse, si vellet, sed non habuit velle quo posset: quia hoc velle sequuta esset perseuerantia. Excusabilis tamen non est, qui tantum accepit vt sibi sponte accerseret interitũ: nulla verò imposita fuit Deo necessitas quin mediam illi voluntatem daret,atque etiam caducam,vt ex illius lapsu gloriæ suæ materiam eliceret.

Augustlibr. 11.super Genes.ca.7.8.9.

De correp. & grat. ad Valẽt.cap.11

Deum sua virtute mundum à se conditum fouere ac tueri, & singulas eius partes sua prouidentia regere. CAP. XVI.

PORRO Deum facere momentaneum creatorẽ,qui semel duntaxat opus suum absoluerit, frigidum esset ac ieiunũ. atque in hoc præcipuè nos à profanis hominibus differre conuenit, vt non minus in perpetuo mundi statu quàm prima eius origine præsentia diuinæ virtutis nobis illuceat. Etsi enim impiorum quoque animi solo terræ cælique aspectu ad creatorem surgere coguntur, suũ tamen peculiarem modũ habet fides, quo solidam creationis laudem Deo assignet. Quò pertinet illud Apostoli quod antè citauimus, nonnisi fide nos intelligere concinnatum esse seculum verbo Dei: quia nisi ad prouidentiam eius vsque transimus, nondum ritè capimus quid hoc valeat,Deum esse creatorem:vtcunque & mente comprehẽdere & lingua fateri videamur.Carnis sensus,vbi Dei virtutẽ semel in ipsa creatione sibi propositum,illic subsistit:& quum longissimè procedit, nihil aliud quàm in edendo tali opificio,authoris sapientiam,& potentiã,& bonitatem(quæ sponte sese proferunt, & nolentibus etiam ingerunt)expendit & considerat:in eo autem conseruando & moderando generalem quandam actionem,vnde vis motionis dependeat. Denique ad res omnes sustinendas sufficere putat vigorẽ diuinitus ab initio inditum. At verò fides altius penetrare debet, nempe vt quem omnium creatorem esse didicit statim quoque perpetuum moderatorẽ & conseruatorem esse colligat: neque id vniuersali quadã motione tam orbis machinã quàm singulas eius partes agitando: sed singulari quadam prouidentia vnumquodque eorum quæ condidit ad minimum vsque passerem,sustinendo,fouendo, curãdo. Sic Dauid breuiter præfatus mundum fuisse à Deo conditum, statim ad continuum prouidẽtiæ tenorem descẽdit, Verbo Iehouæ cæli firmati sunt,& spiritu oris eius omnis virtus eorũ.Mox addit,Iehoua respexit super filios hominum.& quæ in eandem sentẽtiam attexit. Quamquam enim non tam scitè ratiocinantur omnes, quia tamen credibile non esset curari à Deo res humanas nisi esset mundi opifex: nec quisquam seriò credit fabricatũ esse mundum à Deo,quin sibi persuadeat operum suorũ curam habere: non absre Dauid optima serie ab vno ad alterum nos deducit. In genere quidem arcana Dei inspiratione vegetari omnes mundi partes & philosophi docent,& humanæ mentes concipiunt.Interea eóvsque non pertingunt quò euehitur Dauid,secúmque pios omnes attollit, dicens, Omnia ad te respiciunt,vt des illis escam tempore suo.te dante, colligunt: te manum aperiente, satiãtur bonis.simulatque faciem auerteris,consternantur: vbi reduxeris spiritum, intereunt, & in terram reuertuntur. Si rursus emittis spiritum,creantur, & renouas faciẽ terræ.Imò quanuis Pauli sententiæ subscribant,in Deo nos esse, & moueri,& viuere: longè tamen absunt à serio eius quam commendat gratiæ sensu: quia specialem Dei curam, ex qua demum cognoscitur paternus eius fauor,minimè gustant.

Psal.33.a.6

Ibidem c. 13

Psal.103.d. 27.28.29.30

Act.17.f.28

2 Quo melius pateat hoc scrimen, sciendum est, prouidentiam Dei, qualis traditur in Scriptura, fortunæ & casibus fortuitis opponi. Iam quum vulgò persuasum fuerit omnibus seculis,& eadem opinio cunctos ferè mortales hodie quoque occupet,fortuitò contingere omnia:quod de prouidentia tenendum erat, non modò hac praua opinione obnubilari,sed ferè sepeliri certum est.Siquis in latrones incidat,vel feras bestias,si vento repentè exorto naufragium faciat in mari,si domus vel arboris ruina obruatur:si alius per deserta oberrans inueniat penuriæ suæ remedium, vndis iactatus ad portum perueniat, mirabiliter à distantia tãtùm vnius digiti euadat à morte: hos omnes tã prosperos quàm aduersos occursus fortunæ carnis ratio adscribet. Quisquis verò edoctus est Christi ore,

Mat.10.c.30

capillos omnes capitis ſui eſſe numeratos, cauſam longius quæret, ac ſtatuet quoſlibet euentus occulto Dei cõſilio gubernari. Ac de rebus quidem inanimatis ſic habẽdum eſt, quãuis naturaliter ſingulis indita ſit ſua proprietas, vim tamen ſuã non exerere niſi quatenus præſenti Dei manu diriguntur. Sunt igitur nihil aliud quàm inſtrumenta quibus Deus aſſiduè inſtillat quantum vult efficaciæ, & pro ſuo arbitrio ad hanc vel illam actionem flectit ac conuertit. Nullius creaturæ mirabilior vel illuſtrior vis eſt quàm ſolis. Præterquam enim quòd totum orbem illuminat ſuo fulgore, quãtum iſtud eſt quòd animalia omnia ſuo calore fouet ac vegetat? terræ fœcũditatem ſuis radiis inſpirat? ſeminibus in eius gremio tepefactis, herbeſcentẽ inde viriditatẽ elicit, quam nouis alimẽtis ſuffultam auget ac cõfirmat, donec in culmos aſſurgat? quòd perpetuo vapore paſcit, donec in florem, & ex flore in frugem adoleſcat? quòd tunc etiã excoquẽdo ad maturitatẽ perducit? quòd arbores ſimiliter & vites ab eo tepefactæ gẽmant primùm ac frondeſcũt, deinde florem emittunt, & ex flore fructũ generãt? At Dominus, vt ſolidam horũ omnium laudem ſibi vẽdicaret, antè & lucem extare voluit, & terram omni herbarum & fructuum genere refertam eſſe quàm ſolem crearet. Non ergo ſolem faciet pius homo vel principalem vel neceſſariam eorum cauſam quæ ante ſolis creationem extiterunt, ſed inſtrumentum dũtaxat quo vtitur Deus, quia ita vult: quum poſſit, eo præterito, per ſeipſum nihilo difficilius agere. Deinde quum legimus biduo ſolem ſubſtitiſſe in vno gradu ad preces Ioſue, in gratiam regis Ezechiæ vmbram eius retroceſſiſſe per decẽ gradus, paucis illis miraculis teſtatus eſt Deus, non ſic quotidie cæco naturæ inſtinctu ſolem oriri & occidere quin ipſe ad renouãdam paterni erga nos ſui fauoris memoriam curſum eius gubernet. Nihil magis naturale eſt quàm ver hyemi, veri æſtatem, æſtati autumnum viciſſim ſuccedere. Atqui in hac ſeriẽ tanta perſpicitur ac tam inæqualis diuerſitas, vt facilè appareat ſingulos annos, menſes & dies noua & ſpeciali Dei prouidentia temperari.

Gen.1.a.3,& b.11

Ioſue 10.c.13 2. Reg.20.c. 11

3 Et ſanè omnipotentiam ſibi vendicat ac deferri à nobis vult Deus, non qualẽ ſophiſtæ fingunt inanem, otioſam & ferè ſopitam: ſed vigilem, efficacem, operoſam, & quæ in continuo actu verſetur. neque etiam quæ generale tantùm ſit principium cõfuſi motus, acſi fluuium per alueos ſemel præfixos fluere iuberet: ſed ad ſingulos & particulares motus intenta ſit. Ideo enim cenſetur omnipotens, non quòd poſſit quidem facere, ceſſet tamen interim & deſideat, vel quem præfixit naturæ ordinem generali inſtinctu continuet: ſed quia ſua prouidentia cælum & terram gubernans, ſic omnia moderatur vt nihil niſi eius conſilio accidat. Nam quum in Pſalmo dicitur facere quæcunque vult, certa & deliberata notatur voluntas. Inſipidum enim eſſet philoſophico more interpretari Prophetæ verba, Deum eſſe primum agens, quia principiũ & cauſa eſt omnis motus: quum potius hoc ſolatio in rebus aduerſis ſe leniant fideles, nihil ſe perpeti niſi Dei ordinatione & mandato: quia ſunt ſub eius manu. Quòd ſi Dei gubernatio ſic extenditur ad omnia eius opera, puerile cauillum eſt, eam includere in naturæ influxu. Nec verò magis Deum ſua gloria fraudant quàm ſeipſos vtiliſſima doctrina, qui Dei prouidentiam coarctant tam anguſtis finibus, acſi libero curſu ſecundũ perpetuã naturæ legem ferri omnia ſineret: quia nihil homine miſerius, ſi ad quoſlibet cæli, aeris, terræ, aquarũ motus expoſitus foret. Adde quòd hoc modo nimis indignè extenuatur ſingularis erga vnumquenque Dei bonitas. Exclamat Dauid infantes adhuc pendentes à matrum vberibus ſatis facundos eſſe ad celebrandam Dei gloriam: quia ſcilicet ſtatim ab vtero egreſſi, cæleſti cura paratam ſibi alimoniam inueniunt. Eſt quidem hoc verum in genere, modò ne oculos & ſenſus noſtros fugiat quod palàm experientia demonſtrat, aliis matribus plenas eſſe mammas & vberes, aliis ferè aridas, provt liberalius hunc Deus alere vult, parcius verò alium. Qui verò Dei omnipotentiæ iuſtam laudem tribuunt, duplicem inde percipiunt fructum, quòd ſatis ampla benefaciẽdi facultas penes ipſum ſit, in cuius poſſeſſione ſunt cælum & terra, & cuius nutum reſpiciunt omnes creaturæ vt ſe in obſequium addicant. deinde quòd ſecurè in eius protectione quieſcere licet, cuius arbitrio omnes ſubiacent quæ alicunde timeri poſſunt noxæ, cuius imperio non ſecus ac fræno coercetur Satan cũ omnibus ſuis furiis totóque apparatu, à cuius nutu pendet quicquid ſaluti noſtræ aduerſatur: nec aliter corrigi vel ſedari poſſunt immodici & ſuperſtitioſi metus, quos ſubinde ex periculorum obiectu cõcipimus. Superſtitioſè nos eſſe timidos dico, ſi quoties minantur nobis creaturæ, vel terrorem aliquem ingerunt, perinde expaueſcimus acſi quam ex ſe vim nocendi haberent ac poteſtatẽ, vel temerè lædereẽt ac fortuitò, vel aduerſus earum

Pſal.115.a.3

Pſal.8.a.3

noxas

noxas non ſatis eſſet in Deo auxilii. Exẽpli gratia, vetat Propheta ne à ſtellis & ſignis cæli metuant filii Dei, quemadmodum increduli ſolent. Non quemlibet certè timorem damnat. Sed quum mundi gubernationem à Deo ad aſtra transferant infideles, ſuam vel fœlicitatem vel miſeriam ab aſtrorum decretis & præſagiis, non autem à Dei voluntate pendere fingunt, ita fit vt timor eorum ab vno illo quem reſpicere debebant ad ſtellas & cometas abſtrahatur. Ab hac igitur infidelitate qui cauere volet, memoria ſemper teneat, non erraticam vel potentiam, vel actionem, vel motionem eſſe in creaturis: ſed arcano Dei conſilio ſic regi, vt nihil contingat niſi ab ipſo ſciente & volente decretum. Iere.10.a.b

4 Principiò igitur teneãt lectores prouidentiã vocari, non qua Deus è cælo otioſus ſpeculetur quæ in mundo fiunt, ſed qua veluti clauum tenẽs, euentus omnes moderatur. Ita non minus ad manus quàm ad oculos pertinet. Nec enim quũ filio ſuo dicebat Abraham, Deus prouidebit, tantùm volebat præſcium futuri euẽtus aſſerere: ſed curam rei incognitæ in eius voluntatẽ reiicere qui rebus perplexis & confuſis exitum dare ſolet. Vnde ſequitur, prouidentiã in actu locari. nimis enim inſcitè nugantur multi de nuda præſcientia. Non tam craſſus eſt eorum error qui gubernationem Deo attribuũt, ſed confuſam & promiſcuam, vt dixi: nempe quæ orbis machinam cum ſingulis partibus generali motu voluat atque impellat: cuiuſque verò creaturæ actionem peculiariter non dirigat. Neque tamen hic etiam error tolerabilis eſt. hac enim prouidentia quam vniuerſalem appellãt, nihil impediri tradunt, vel creaturas omnes, quominus contingenter moueantur, vel hominem, quo minus libero voluntatis ſuæ arbitrio huc atque illuc ſe conuertat. atque ita inter Deum & hominẽ partiuntur: vt ille motionẽ huic ſua virtute inſpiret qua agere poſſit pro naturæ ſibi inditæ ratione: hic autẽ actiones ſuas voluntario conſilio moderetur. Breuiter Dei potentia ſed non deſtinatione mundũ, res homines, ipſóſque homines gubernari volunt. Taceo Epicureos (qua peſte refertus ſemper fuit mundus) qui Deum otioſum inertémque ſomniant: alióſque nihilo ſaniores, qui olim commenti ſunt Deum ita dominari ſupra mediam aeris regionem, vt inferiora fortunæ relinqueret. ſiquidem aduerſus tam euidentem inſaniam ſatis clamãt mutæ ipſæ creaturæ. Nunc enim ſententiã illam quæ vulgò ferè obtinuit refutare propoſitũ eſt, quæ cæcam modò neſcio quam & ambiguam motionem quum Deo concedat; quod præcipuum eſt illi adimit, vt incomprehenſibili ſapientia quæque dirigat ac diſponat ad ſuum finem: atque ita verbo tantùm non re Deum facit mundi rectorem, quia moderationẽ eripit. Quid enim quæſo eſt moderari, niſi ita præeſſe vt deſtinato ordine ea regas quibus præes? Neque tamen quod de vniuerſali prouidẽtia dicitur in totum repudio: modò viciſſim hoc mihi concedant, mundum à Deo regi, non tantùm quia poſitum à ſe naturæ ordinẽ tuetur, ſed quia peculiarem vniuſcuiuſque ex ſuis operibus curam gerit. Verùm quidem eſt ſingulas rerum ſpecies arcano naturæ inſtinctu moueri, acſi æterno Dei mandato parerent, & quod ſemel ſtatuit Deus, ſponte fluere. Atque huc referri poteſt quod dicit Chriſtus, ſe & Patrem ab initio vſque ſemper fuiſſe in opere: & quod Paulus docet, in ipſo nos viuere, moueri, & eſſe. quod etiam author epiſtolæ ad Hebræos Chriſti diuinitatem probare volẽs, dicit potenti eius nutu ſuſtineri omnia. Sed perperàm hoc prætextu tegunt & obſcurant quidam ſpecialem prouidentiam, quæ adeò certis claríſque Scripturæ teſtimoniis aſſeritur, vt mirum ſit potuiſſe de ea quempiam dubitare. Et certè qui velum illud quod dixi obtendunt, coguntur ipſi quoque correctionis vice addere, multa fieri peculiari Dei cura: ſed hoc perperàm ad actus tantùm particulares reſtringunt. Quare nobis probandum eſt, Deum ſic attendere ad ſingulos euentus regendos, & ſic omnes illos prouenire à definito eius conſilio, vt nihil fortuitò contingat. Act.17.f.28 Hebr.1.a.3

5 Si demus, principium motus penes Deũ eſſe, ſponte verò vel caſu omnia ferri quò impellit naturæ inclinatio, mutuæ dierum & noctium vices, hyemis etiã & æſtatis, erunt Dei opus, quatenus ſuas quibuſque partes attribuens, certam legem præfixit: nempe ſi æquabili tenore eundem ſemper modum ſeruarent, dies qui noctibus ſuccedunt, menſes menſibus, & anni annis. Quòd autem nunc immodici calores cũ ſiccitate cõiuncti quicquid eſt frugum exurunt, nunc pluuiæ intẽpeſtiuæ ſegetes corrumpunt, quòd ex grandinibus & procellis ſubita calamitas accidit: non erit hoc Dei opus: niſi fortè quia ex aſtrorum occurſu, & aliis naturalibus cauſis vel nebulæ, vel ſerenitas, vel frigus vel calor originem trahunt. Atqui hoc modo nec paterno Dei fauori, nec iudiciis locus relinquitur. Si Deũ humano generi ſatis beneficũ eſſe dicant, quia cælo & terræ vim ordinariã inſtillet

qua alimenta ſuppeditent, nimis dilutum eſt ac profanum figmentum: acſi fœcunditas anni vnius non eſſet ſingularis Dei benedictio: penuria autem & fames non eſſet maledictio & vindicta. Sed quia rationes omnes colligere nimis longũ eſſet, ſufficiat ipſius Dei authoritas. In Lege & in Prophetis ſæpius pronuntiat, quoties rore & pluuia terram irrigat, ſe gratiam ſuam teſtari, cælum obdureſcere inſtar ferri ſuo imperio, vredine & aliis vitiis conſumi ſegetes, grandinibus & procellis quoties agri feriantur, certæ & ſpecialis ſuæ vindictæ eſſe ſignum. Hæc ſi recipimus, certum eſt non cadere pluuiæ guttam niſi certo
Pſal.146.b.9 Dei mandato. Laudat quidem Dauid generalem Dei prouidentiam, quòd eſcam miniſtret pullis coruorum inuocantibus eum: ſed quũ animalibus Deus ipſe famem minatur, nónne ſatis declarat nunc tenui nunc ampliore demẽſo, provt viſum eſt, ſe alere cuncta animantia? Puerile eſt, vt iam dixi, hoc ad particulares actus reſtringere, quum ſine exce-
Mat.10.c.29 ptione loquatur Chriſtus, nullum ex paſſerculis nullius pretii cadere in terram ſine Patris voluntate. Certè ſi auium volatus certo Dei conſilio regitur, fateri neceſſe eſt cum
Pſal.12.a.5 Propheta, ſic eum habitare in ſublimi, vt ſe humiliet ad videndum quæcunque accidunt in cælo & in terra.

6 Sed quia ſcimus humani præcipuè generis cauſa mundum eſſe conditum, in eius
Ier.10.d.23 etiam gubernatione hic nobis ſpectãdus eſt finis. Exclamat Propheta Ieremias, Scio Domine, quia non eſt hominis via eius, neque viri vt dirigat greſſus ſuos. Solomo autem, A
Pro.20.d.24 Domino ſunt greſſus viri, & quomodo diſponet homo viam ſuam? Dicant nunc, hominem à Deo moueri ſecundum naturæ ſuæ inclinationem, ipſum autem conuertere motum quò viſum fuerit. At ſi id verè diceretur, penes hominem foret viarum ſuarũ arbitrium. Negabunt fortè, quia nihil ſine Dei potentia valeat. At quum Prophetam & Solomonem conſtet non potentiam modò, ſed electionem quoque ac deſtinationẽ Deo attribuere, nequaquam ſe expediunt. Atque hanc hominũ temeritatẽ eleganter alibi carpit Solomo, qui ſcopum ſibi præſtituunt ſine Dei reſpectu, acſi manu eius non ducerentur.
Prou.16.a.1 Hominis, inquit, eſt diſpoſitio cordis, & Domini eſt præparatio linguæ. Ridicula ſanè inſania, quòd facere ſine Deo inſtituunt miſeri homines, qui ne profari quidem poſſunt niſi quod ille voluerit. Porrò quo magis exprimeret Scriptura, nihil penitus in mũdo geri niſi ex eius deſtinatione, quæ maximè fortuita videntur, illi ſubiacere oſtendit. Quid enim magis ad caſum referas quàm dum prætereuntem viatorem defractus ex arbore ra-
Exod.21.c.13 mus interficit? At longè aliter Dominus, qui ſe fatetur eum tradidiſſe in manũ occiſoris. Sortes ſimiliter quis non fortunæ cæcitati permittat? Verùm Dominus non patitur, qui ſibi vendicat earum iudicium. Non ſua potentia fieri docet vt & in ſinum coniiciantur lapilli & extrahantur: ſed quod vnum caſui dari poterat, à ſeipſo eſſe teſtatur. Eodem per-
Prou.16.d. 33 tinet illud Solomonis, Pauper & fœnerator occurrũt ſibi: oculos amborũ Deus illuminat. Quanuis enim permixti ſint pauperibus diuites in mundo, dum ſingulis diuinitus aſſignatur ſua conditio, admonet, Deum, qui omnibus illucet, minimè cæcutire, atque ita pauperes ad tolerantiam hortatur: quia onus ſibi à Deo impoſitum excutere conãtur quicunque ſua ſorte contenti nõ ſunt. Sic & alter Propheta profanos homines obiurgat, qui induſtriæ hominũ vel fortunæ aſcribunt quòd alii iacent in ſordibus, alii ad honores
Pſal.75.7 emergunt. Neque ab Oriente, neque ab Occaſu, neque à deſerto ſunt exaltationes: quia Deus iudex eſt, hic humiliat & hic eleuat. Quia non poteſt Deus exuere iudicis munus: hinc ratiocinatur, arcano eius conſilio alios excellere, alios manere contemptibiles.

7 Quinetiam particulares euẽtus teſtimonia eſſe dico in genere ſingularis Dei pro-
Exo.19.c.13 uidẽtiæ. Excitauit Deus in deſerto ventum auſtralẽ, qui populo adueheret copiã auium.
Ionæ 1.6.4 Quum Ionam voluit in mare proiici, ventum turbini excitando emiſit. Dicent qui non putant Deum mundi gubernacula tenere, hoc fuiſſe præter cõmunem vſum. Atqui inde colligo nullum vnquam ventum oriri, vel ſurgere, niſi ſpeciali Dei iuſſu. Nec verò aliter
Pſal.104.a.4 verum eſſet illud, ventos facere ſuos nuntios, & miniſtros ſuos ignem flammeum, nubes facere vehicula ſua, & equitare ſuper alas vẽti: niſi & nubes & ventos circũageret ſuo arbitrio, ſingularémque virtutis ſuæ præſentiam in illis oſtẽderet. Sic etiam alibi docemur,
Pſal.107.e. 25.29 quoties ventorũ flatu mare ebullit, impetus illos teſtari ſingularẽ Dei præſentiam. Præcipit, & excitat ſpiritum procellæ, & in ſublime attollit fluctus maris. deinde ſtare facit procellam in ſilentio, vt ceſſent fluctus nauigantiũ. ſicut alibi denuntiat, ventis vrentibus ſe flagellaſſe populũ. Sic quum naturaliter vis generandi indita ſit hominibus, Deus tamen ſpeciali gratiæ vult ferri acceptum quòd alios relinquit in orbitate, alios ſobole digantur.

nam

nam donum eius,fructus ventris. Ideo dicebat Iacob vxori, An ego pro Deo sum, vt tibi dem liberos? Vt semel finiam, nihil magis ordinariũ in natura quàm nos pane ali. Atqui pronuntiat Spiritus non modò terræ prouentum Dei esse donum speciale,sed non viuere solo pane homines:quia non ipsa saturitas eos vegetat,sed arcana Dei benedictio:sicut è conuerso minatur se fracturum panis fulturam.Nec verò aliter seria posset concipi oratio de quotidiano pane,nisi Deus cibum paterna manu nobis suggereret.Ideo Propheta, vt fidelibus persuadeat,Deum in ipsis pascendis optimi patrisfamiliâs partes implere,admonet,escam dare omni carni.Denique vbi ab vna parte audimus,Oculi Domini super iustos,& aures eius ad preces eorum:ab altera autẽ,Oculus Domini super impios,vt perdat è terra memoriam eorũ, sciamus creaturas omnes sursum & deorsum præsto ad obsequium adesse,vt eas in quencunque vult vsum accommodet. Vnde colligitur, non tantum generalem eius prouidentiam vigere in creaturis, vt naturæ ordinem continuet:sed in certum & proprium finem aptari,admirabili eius consilio.

Gen.30.a.2

Deut.8.a.2

Iesa.3.a.1

Psal.136.d.25

Psal.34.c.16

Ibidem 17

8 Qui huic doctrinæ inuidiam facere volunt,calumniantur esse dogma Stoicorum, de fato: quod & Augustino exprobratũ aliquãdo fuit.Nos etsi de verbis inuiti litigamus, Fati tamen vocabulum non recipimus:tum quia est ex eorum genere, quorum profanas nouitates refugere nos Paulus docet:tum quia eius odio conãtur grauare Dei veritatem. Dogma verò ipsum falsò nobis ac malitiosẽ obiectatur. Non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu & implicita quadam serie, quæ in natura contineatur: sed Deum constituimus arbitrum ac moderatorem omnium, qui pro sua sapientia,ab vltima æternitate decreuit quod facturus esset:& nũc sua potentia,quod decreuit exequitur. Vnde eius prouidentia non cælum modò ac terram, & creaturas inanimatas,sed hominum etiam consilia & voluntates gubernari sic asserimus, vt ad destinatum ab ea scopum rectâ ferãtur. Quid ergo?inquies.nihílne fortuitò, nihil contingenter accidit?Respondeo,verè à Basilio magno dictum esse, Fortunam & Casum, Ethnicorum esse voces,quarum significatione piorum mẽtes occupari non debeant. Nam si successus omnis,Dei benedictio est,calamitas & aduersitas, eius maledictio: fortunæ iam in rebus humanis aut casui nullus relinquitur locus. Et mouere nos quoque illud Augustini debet:In libris contra Academicos, inquit, nõ mihi placet toties me appellasse Fortunam. quanuis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum in externis vel bonis vel malis. Vnde & illa verba sunt quæ nulla religio dicere prohibet,Fortè,Forsan,Forsitan,Fortasse,Fortuitò.quod tamen totum ad diuinam reuocandum est prouidentiam.Neque hoc tacui,dicens, Etenim fortasse quæ vulgò Fortuna nuncupatur,occulto quoque ordine regitur:nihílque aliud in rebus casum vocamus,nisi cuius ratio & causa secreta est. Dixi quidem hoc: verùm pœniret me sic nominasse illic Fortunam:quũ videam homines habere in pessima consuetudine, vt vbi dici debet,Hoc Deus voluit,dicant,Hoc voluit Fortuna. Denique passim docet, siquid Fortunæ relinquitur, temerè versari mũdum.Et quãquam alicubi definit, partim libero hominis arbitrio, partim Dei prouidentia omnia geri, huic tamen subesse homines & ab ea regi,satis paulo pòst ostendit,principium illud sumẽs, nihil esse absurdius quàm fieri quicquã nisi ordinante Deo:quia temerè accideret.Qua ratione & contingentiam quæ ab hominum arbitrio pendet excludit:mox verò clarius causam esse quærendã negans voluntatis Dei. Quoties autẽ permissionis ab ipso mentio fit,quomodo hoc intelligi debeat ex vno loco optimè patebit, vbi Dei voluntatem, summam esse probat & primam omnium causam: quia nihil nisi ex iussu eius vel permissione accidit.Certè non fingit Deum in otiosa specula cessantem,dum aliquid vult permittere,vbi actualis(vt ita loquar)voluntas intercedit,quæ alioqui non posset censeri causa.

Lib. ad Bonif. 2.cap. 6, & alibi.

1.Retract. cap.1

Lib.83.Quæstionum.

Lib.de Trinit.3.cap.4

9 Quoniam tamen longè infra prouidentiæ Dei altitudinem subsidit mẽtis nostræ tarditas,adhibenda est quæ eam subleuet distinctio.Dicam igitur, vtcunque ordinentur omnia Dei cõsilio & certa dispensatione,nobis tamen esse fortuita.non quòd Fortunam reputemus mũdo ac hominibus dominari, temeréque omnia sursum deorsum volutare: (abesse enim à Christiano pectore decet hãc vecordiã.)sed quoniam eorũ quæ eueniunt, ordo,ratio,finis,necessitas,vtplurimũ in Dei consilio latet,& humana opinione non apprehenditur: quasi fortuita sunt quæ certum est ex Dei voluntate prouenire. Non enim aliam imaginem præ se ferunt, aut in natura sua cõsideratæ, aut secundùm notitiam nostram iudiciúmque æstimatæ.Fingamus,exempli gratia,mercatorem, qui syluam ingres-

ſus cum comitatu fidorum hominum,imprudenter à ſociis aberret,ipſo errore feratur in ſpoliariũ,incidat in latrones,iuguletur.Mors eius non tantùm Dei oculo prætuiſa,ſed decreto ſtabilita fuerat.Non enim dicitur præuidiſſe quantum cuiuſque vita protẽderetur,
Iob 14.a.5 ſed terminos conſtituiſſe ac fixiſſe qui præteriri non poterũt.Quantũ tamen mentis noſtræ captus apprehendit,omnia illic fortuita apparẽt.Quid hîc ſentiet Chriſtianus?nempe quicquid in morte eiuſmodi interceſſit,fortuitũ natura, vt eſt,reputabit:prouidẽtiam tamen Dei præfuiſſe non dubitabit ad fortunam in ſuum finem dirigendam.Eadẽ eſt ratio futurorum contingẽtiæ.Futura omnia vt incerta nobis ſunt,ita in ſuſpenſo habemus, acſi vtramuis in partem propenſa forent.Manet tamen nihilominus cordibus noſtris infixum,nihil euenturũ quod non Dominus iam prouiderit. Hoc ſenſu apud Eccleſiaſten ſæpe repetitur nomen euentus: quia primo intuitu non penetrant homines ad primam cauſam,quæ procul abſcondita eſt. Et tamen nunquam ita deletum fuit ex hominũ cordibus quod de occulta Dei prouidentia proditum eſt in Scripturis,quin ſemper micarẽt in tenebris aliquæ ſcintillæ.Sic Philiſthinorum augures, quanuis ambigui vacillent, Deo
1.Sam.6.b.9 tamen partim aduerſum caſum tribuunt,partim fortunæ.Si arca,inquiunt,tranſierit per viam illam, ſciemus Deum eſſe qui nos percuſſit:ſin verò per alterã, caſus fuit ſuper nos. Stultè quidem,vbi eos fallit diuinatio,ad fortunam confugiũt: interea videmus eos conſtringi,ne audeãt quod infœliciter illis acciderat fortuitum putare. Cæterùm quomodo prouidentiæ ſuæ fræno euentus quoſlibet in quancunque vult partem flectat Deus, inſigni exemplo liquebit. Ecce eodem articulo temporis quo deprehenſus fuerat Dauid in
1.Sam.23.d. 26.27 deſerto Mahon,irruptionem faciũt Philiſthini in terram:cogitur Saul diſcedere.Si Deus, ſaluti ſerui ſui conſulere volens,impedimentum hoc Sauli obiecit,certè quanuis repentè præter hominum opinionem arma ceperint Philiſthini, non tamen dicemus caſu fuiſſe factum:ſed quæ nobis videtur cõtingentia,ſecretum Dei impulſum fuiſſe agnoſcet fides. Non ſemper quidem apparet ſimilis ratio: ſed indubiè ſic habendum eſt, quæcũque cernuntur in mundo conuerſiones, ex ſecreta manus Dei agitatione prodire. Interea quod ſtatuit Deus, ſic neceſſe eſt euenire vt tamẽ neque præciſè neque ſuapte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Chriſti oſſibus familiare occurrit. Quum induerit corpus noſtro ſimile,fragilia fuiſſe eius oſſa nemo ſanus negabit:quæ tamen frangi fuit impoſſibile.Vnde iterum videmus non temerè in ſcholis inuentas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundùm quid,& abſoluta:item conſequentis & conſequentiæ:quãdo oſſa Filii ſui Deus, quæ à fractura exemerat,fragilitati ſubiecit,atque ita reſtrinxit ad cõſilii ſui neceſſitatem quæ naturaliter contingere potuit.

Quorſum & in quem ſcopum referenda ſit hæc doctrina, vt nobis conſtet eius vtilitas. CAP. XVII.

PORRO (vt propenſa ſunt ad vanas argutias hominum ingenia) fieri vix poteſt quin ſe perplexis nodis impediant quicunque non tenent probum rectúmque huius doctrinæ vſum. Itaque in quem finem omnia diuinitus ordinari Scriptura doceat,breuiter hîc attingere expediet. Ac primò quidem notandum eſt,tam in futurum quàm in præteritum tẽpus conſiderandam eſſe prouidentiam Dei:deinde ſic moderatricem eſſe rerum omnium,vt nunc mediis interpoſitis operetur, nunc ſine mediis, nunc contra omnia media. Poſtremò huc tendere,vt totum humanum genus ſibi eſſe curæ Deus oſtendat:precipuè verò in regenda Eccleſia(quam propiore intuitu dignatur)ſe excubias agere. Iam & hoc addendũ eſt, quanuis aut paternus Dei fauor & beneficentia, aut iudicii ſeueritas ſæpe in toto prouidentiæ curſu reluceat:interdũ tamen eorum quæ accidunt occultas eſſe cauſas, vt obrepat cogitatio,cæco fortunæ impetu volui & rotari res humanas: vel ad obloquẽdum nos caro ſolicitet, acſi Deus homines quaſi pilas iactando, ludũ exerceret. Verũ quidem eſt,ſi quietis & ſedatis mentibus ad diſcendum parati eſſemus,exitu tandem patefieri, Deo cõſtare optimam conſilii ſui rationem: vel vt ſuos erudiat ad tolerantiam, vel vt corrigat prauos eorum affectus,& laſciuiam domet,vel vt ad ſui abnegationem ſubigat, vel expergefaciat torporem:rurſum vt proſternat ſuperbos,vt impiorum aſtutiam diſcutiat, vt diſſipet eorum machinationes. Vtcunque tamen nos lateant ac fugiant cauſæ,apud eum eſſe abſconditas certò habendum eſt: ac proinde cum Dauide exclamandum, Magna feciPſal.40.b.6 ſti Deus mirabilia tua,& cogitationes tuas ſuper nos nõ licet ordinare.ſi loqui tẽto, præualent ſupra narrationẽ. Etſi enim ſemper in ærumnis noſtris occurrere debẽt peccata,

vt pœ-

vt pœna ipſa nos ad pœnitentiam ſolicitet: videmus tamẽ vt Chriſtus arcano Patris con- Iohan. 9.a.3
ſilio plus iuris aſſerat, quàm vt quẽque provt meritus eſt caſtiget. Nam de cæco nato ait, Neque hic peccauit, neq; parẽtes: ſed vt manifeſtetur gloria Dei in ipſo. Hîc enim obſtrepit ſenſus, dum ipſos natales præuenit calamitas, acſi Deus parum clementer immeritos ſic affligeret. Atqui in hoc ſpectaculo fulgere gloriam Patris ſui teſtatur Chriſtus, modò puri ſint nobis oculi. Sed tenenda modeſtia eſt, ne ad cauſam reddendã Deum trahamus: ſed ita reuereamur occulta eius iudicia, vt nobis eius voluntas, iuſtiſſima ſit rerũ omnium cauſa. Quum cælum occupant denſæ nubes, exoritúrque violenta tempeſtas, quia & triſtis caligo oculis obiicitur, & tonitru aures percellit, & ſenſus omnes terrore obſtupefiũt, videntur nobis omnia confundi & miſceri: eadem interim ſemper manet in cælo quies & ſerenitas. Ita ſtatuendum eſt, dum res in mundo turbulentæ iudicium nobis eripiunt, Deum ex pura iuſtitiæ & ſapientiæ ſuæ luce hos ipſos motus optimè compoſito ordine temperare ac dirigere in rectum finem. Et certè prodigioſus in hac parte eſt multorũ furor, qui maiore licentia Dei opera vocare audent ad ſuum calculum, & arcana eius conſilia excutere, tum etiam de incognitis præcipitem ferre ſentẽtiam, quàm de mortalium hominum factis. Quid enim magis præpoſterum, quàm erga æquales noſtros hac vti modeſtia, vt iudicium ſuſpendere malimus quàm notam temeritatis incurrere: obſcuris autem Dei iudiciis, quæ reuerenter ſuſpicere decebat, proteruè inſultare?

2 Ergo Dei prouidentiam ritè & vtiliter nemo expẽdet niſi qui ſibi cum fictore ſuo mundíque opifice negotium eſſe reputans, ad metum & reuerentiam, qua decet humilitate, ſe ſubmiſerit. Hinc fit vt tam multi hodie canes doctrinam hanc virulentis ſuis morſibus, vel ſaltem latratu impetant: quia nõ plus Deo licere volunt quàm ipſis dictat propria ratio. Nos etiam quanta poſſunt proteruia exagitant, quòd non contenti Legis præceptis, quibus comprehenſa eſt Dei voluntas, arcanis etiam eius conſiliis mundum regi dicamus. Quaſi verò cerebri noſtri figmentũ ſit quod docemus: ac non vbique idem diſertè pronuntiet Spiritus, & innumeris loquendi formis repetat. Sed quia eos retinet aliquis pudor ne ſuas blaſphemias audeant in cælum euomere: quo liberius inſaniãt, ſe nobiſcum litigare fingunt. Verùm niſi admittant, incõprehenſibili Dei conſilio quicquid in mundo accidit gubernari, reſpondeant quorſum dicat Scriptura, eius iudicia profundam eſſe abyſſum. Pſal.36.a.7 Nam quum clamet Moſes voluntatem Dei nõ procul in nubibus, vel in abyſſis quærendam eſſe, quia familiariter in Lege expoſita ſit, ſequitur profundæ abyſſo conferri aliam voluntatem abſconditam: de qua etiam Paulus, O profunditatem diuitiarum & ſapiẽtiæ & cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit mentem Domini? aut conſiliarius eius fuit? Ac vorum quidem eſt, in Lege & Euangelio comprehendi myſteria quæ longè emineãt ſupra ſenſus noſtri modum: ſed quoniam Deus ad capienda hæc myſteria, quæ verbo patefacere dignatus eſt, ſuorum mentes intelligentiæ ſpiritu illuminat: nulla iam illic abyſſus, ſed via, in qua tutò ambulandum eſt, & lucerna pedibus regẽdis, & lux vitæ, & certæ conſpicuæque veritatis ſchola. At mundi gubernandi admirabilis ratio meritò abyſſus vocatur: quia dum nos latet, reuerenter adoranda eſt. Pulchrè vtrunque paucis verbis expreſſit Moſes. Occulta, inquit, Deo noſtro: quæ autẽ hîc ſcripta ſunt, ad vos & filios veſtros pertinent: Videmus enim vt non tantùm ad Legẽ meditãdam ſtudiũ adiicere, ſed arcanam Dei prouidentiã reuerẽter ſuſpicere iubeat. Huius quoque altitudinis elogiũ ponitur in libro Iob, quòd mentes noſtras humiliet. Poſtquam enim orbis machinã ſurſum & deorſum luſtrãdo, magnificè diſſeruit author de operibus Dei, ſubiicit tandẽ, En iſtæ ſunt extremitates viarũ eius, & quantulum quod auditur in eo? Qua ratione diſtinguit alio loco inter ſapientiã quæ penes Deũ reſidet, & ſapiendi modum quem hominibus præſcripſit. Nam vbi de naturæ arcanis concionatus eſt, ſapientiam dicit ſoli Deo eſſe cognitam, fugere autem oculos omnium viuentium. Sed paulo pòſt ſubiicit, vulgatam eſſe vt inueſtigetur: quia dictum ſit homini, Ecce timor Dei eſt ſapiẽtia. Huc ſpectat Auguſtini dictum, Quia non omnia nouimus quæ de nobis optimo ordine Deus agit, in ſola bona voluntate nos ſecundùm Legem agere, in aliis verò ſecundùm Legem agi: quia eius prouidentia Lex ſit incommutabilis. Ergo quũ ſibi ius mundi regendi vendicet Deus nobis incognitum, hæc ſit ſobrietatis ac modeſtiæ lex, acquieſcere ſummo eius imperio, vt eius voluntas nobis ſit vnica iuſtitiæ regula, & iuſtiſſima cauſa rerum omnium. Non illa quidem abſoluta voluntas de qua garriunt ſophiſtæ, impio profanóque diſſidio ſeparantes eius

Rom.11.d.33

Deut.28.d.29

Iob 26. d. 14
Iob 28

Lib.83.quæſtio.cap.27

iuſtitiam à potentia: ſed illa moderatrix rerum omnium prouidentia, à qua nihil niſi rectum manat, quanuis nobis abſconditæ ſint rationes.

3 Ad hanc modeſtiam quicunque erunt compoſiti, neque in præteritum tempus de rebus aduerſis contra Deum fremẽt, neque ſcelerum culpam in ipſum regerent: ſicut Homericus Agamemnõ, -ἐγὼ δ' ἐκ αἴτιος εἰμὶ, Αλλα' Ζεὺς καὶ μοῖρα. neque rurſum, vt Plautinus ille adoleſcens, quaſi fatis abrepti, deſperatione ſe proiicient in exitium. Inſtabilis eſt ſors rerum, pro libidine fata agunt homines: referam me ad ſcopulum, vt rem iſtic cum ætate perduam. Neque alterius exemplo, Dei nomen ſuis flagitiis obtendent. Sic enim Lyconides in altera comœdia, Deus impulſor fuit: credo deos voluiſſe: Nam ni vellent, nõ fieret, ſcio. Quin potius ex Scriptura, quid Deo placeat inquirẽt ac diſcẽt, vt Spiritu duce illuc nitantur. ſimul Deum quocunque vocat ſequi parati, re ipſa oſtendẽt nihil huius doctrinæ cognitione eſſe vtilius. Stultè cum ſuis ineptiis tumultuantur profani homines, vt penè cælum terræ, vt, dicitur, permiſceant. Si mortis noſtræ punctum ſignauit Dominus, effugere non licet: fruſtra igitur in cautionibus adhibẽdis laboratur. Quòd ergo alius committere ſe viæ non audet, quam periculoſam audit, ne à latronibus trucidetur: alius medicos accerſit, ac pharmacis ſe fatigat, vt vitæ opituletur: alius à craſſioribus cibis abſtinet, ne lædat imbecillam valetudinẽ: alius ruinoſas ædes inhabitare formidat: omnes denique vias excogitant, & magna animi intentione excudũt, quibus id quod concupiſcũt aſſequãtur: aut hæc omnia inania ſunt remedia, quæ captãtur ad corrigendã Dei voluntatem: aut non certo eius decreto terminãtur vita & mors, ſanitas & morbus, pax & bellum, & alia quæ homines provt vel appetunt, vel oderunt, ita ſua induſtria vel obtinere vel refugere ſtudent. Quinetiam orationes fidelium peruerſas, nedum ſuperuacuas fore colligunt, quibus petitur vt Dominus proſpiciat iis quæ iam ab æterno decreuit. In ſumma, omnia quæ in poſterum capiuntur conſilia, tollunt, perinde ac Dei prouidentiæ aduerſa, quæ, illis non aduocatis, quid fieri vellet decreuit. Deinde quicquid iam accidit, ita prouidentiæ Dei imputant, vt conniueant ad hominem, quem idipſum deſignaſſe conſtet. Occidit ſicarius probum ciuem? exequutus eſt, inquiunt, conſilium Dei. Furatus eſt aliquis, aut ſcortatus? quia fecit quod prouiſum erat à Domino & ordinatum, miniſter eſt eius prouidentiæ. Parentis mortem, neglectis remediis, ſecurus filius expectauit? non potuit Deo obſiſtere, qui ſic ab æterno præſtituerat. Ita flagitia omnia, virtutes vocãt, quia Dei ordinationi obſequantur.

4 Atqui quod ad futura pertinet, humanas deliberationes facilè cũ Dei prouidentia conciliat Solomo. Sicut enim eorum ſtoliditatem ridet qui ſine Domino quiduis au-
Prou.16.b.9 dacter ſuſcipiunt, acſi eius manu non regerentur: ita alibi ſic loquitur, Cor hominis cogitat viam ſuam, & Dominus diriget greſſus eius: ſignificans æternis Dei decretis nos minimè impediri quominus ſub eius volũtate & proſpiciamus nobis, & omnia noſtra diſpenſemus. Neque id manifeſta caret ratione. Nanque is qui vitã noſtram ſuis terminis limitauit, eius ſimul curam apud nos depoſuit: eius conſeruandæ rationibus ſubſidiiſque inſtruxit: periculorum quoque præſcios fecit: ne incautos opprimerẽt, cautiones ac remedia ſuggeſſit. Nunc perſpicuum eſt quid ſit noſtri officii: nempe, ſi vitam nobis noſtrã tutandã commiſit Dominus, vt eã tueamur: ſi ſubſidia offert, vt iis vtamur: ſi pericula præmonſtrat, ne temerè irruamus: ſi remedia ſuppeditat, ne negligamus. Atqui periculũ nullum oberit, niſi fatale: quod ineluctabile eſt remediis omnibus. Quid autem ſi ideo fatalia non ſunt diſcrimina, quia iis propulſandis ac ſuperãdis remedia tibi Dominus aſſignauit? Vide quomodo tuæ ratiocinationi cum ordine diuinæ diſpenſationis conueniat. Tu cauendum nõ eſſe periculum colligis, quia fatale quũ non ſit, ſimus etiam citra cautionem euaſuri: Dominus autẽ ideo vt caueas iniungit, quia fatale tibi eſſe nolit. Non expendunt inſani iſti quod eſt ſub oculis, conſultandi cauendique artes inſpiratas hominibus eſſe à Domino, quibus prouidentiæ eius ſubſeruiant, in vitæ propriæ conſeruatione. Quemadmodum contrà neglectu & ſocordia, quæ illis iniũxit mala, ſibi accerſunt. Quî fit enim vt vir prouidus, dum ſibi conſulit, imminentibus etiam malis ſe explicet, ſtultus inconſulta temeritate pereat, niſi quòd & ſtultitia & prudẽtia diuinæ ſunt diſpenſationis inſtrumenta in vtranque partem? Ideo nos celare futura omnia voluit Deus, vt tanquam dubiis occurramus, neque deſinamus parata remedia opponere, donec aut ſuperata fuerint, aut omnem curam ſuperauerint. Ideo antè admonui, prouidẽtiam Dei non ſemper nudam occurere, ſed provt adhibitis mediis eam Deus quodammodo veſtit.

5 Iidem

5 Idem præteriti temporis euentus perperàm & inconsideratè ad nudã Dei prouidentiam trahunt. Nam quia ex ea pendent quæcunque contingunt, Ergo, inquiunt, nec furta, nec adulteria, nec homicidia perpetrantur, quin Dei volũtas intercedat. Cur ergo, inquiunt, fur punietur, qui eum expilauit quem Dominus paupertate voluit castigare? Cur punietur homicida, qui eum interfecit cui vitam Dominus finierat? Si Dei voluntati seruiunt huiusmodi omnes, cur punientur? Sed enim eos Dei voluntati seruire nego. Non enim qui malo animo fertur, præbere ministerium Deo iubenti dicemus, quum malignæ cupiditati tantùm obsequatur. Paret ille Deo, qui de eius voluntate edoctus, eò contendit quò ab ea vocatur. Vnde autem edocemur, nisi ex eius verbo? Proinde in rebus agendis ea est nobis perspicienda Dei voluntas quam verbo suo declarat. Id requirit vnum Deus à nobis, quod præcipit. Siquid aduersus præceptum designamus, non obedientia est, sed contumacia & transgressio. At, nisi vellet, non faceremus. Fateor. Sed an facimus mala in hunc finem, vt ei obsequium præstemus? At nobis ea nequaquam mandat: quin potius irruimus, non quid ille velit cogitãtes, sed libidinis nostræ intemperie sic furentes, vt contra ipsum destinato consilio nitamur. Atque hac ratione, malè agendo, iustæ eius ordinationi seruimus: quia pro immensa suæ sapientiæ magnitudine, ad bene agendum malis instrumentis vti bene probéque nouit. Ac vide quàm insulsa sit eorum argumentatio: impunita esse authoribus suis scelera volunt, quia nonnisi Dei dispensatione patrantur. Ego plus cõcedo: fures & homicidas, & alios maleficos, diuinæ esse prouidentiæ instrumenta, quibus Dominus ipse ad exequenda quæ apud se constituit iudicia vtitur. Atqui eorum malis vllam inde excusationem deberi nego. Quid enim? An vel eadem secum iniquitate Deum implicabũt, vel suam prauitatem illius iustitia operient? Neutrum possunt. Quo minus se purgent, propria conscientia redarguuntur. quo minus Deum insimulent, totum in se malum deprehendunt: penes ipsum, nonnisi legitimum malitiæ suæ vsum. Sed enim per ipsos operatur. Et vnde, quæso, fœtor iste aduauere, quod calore solis tum putrefactum, tum reseratum fuerit? Radiis solis excitari omnes vident. nemo tamen illos fœtere ideo dicit. Ita quum in homine malo subsideat mali materia & culpa, quid est quòd inquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, si ad suum arbitriũ vtatur eius ministerio? Facessat igitur canina hæc procacitas, quæ allatrare quidem eminus Dei iustitiam potest, sed non attingere.

6 Verùm has calumnias vel potius phreneticorũ deliria facilè discutiet pia sanctáque prouidentiæ meditatio, quam nobis dictat pietatis regula, vt optimus & suauissimus inde fructus nobis proueniat. Ergo Christianum pectus, quum certo certius persuasum sit, omnia Dei dispensatione euenire, nihil fortuitò contingere: ad illum, velut præpuam rerum causam, oculos semper referet: causas tamen inferiores suo loco intuebitur. Deinde singularem Dei prouidentiam ad se conseruãdum excubare non dubitabit, quæ nihil euenire passura sit, quàm quod bono ac saluti sibi vertat. Quoniam autem cum hominibus primùm, deinde cum reliquis creaturis illi negotium est, vtrobique sibi pollicebitur Dei prouidentiam regnare. Quantum ad homines attinet, siue boni sint, siue mali, eorum consilia, voluntates, conatus, facultates sub eius manu esse agnoscet, vt flectere quò libuerit, ac quoties libuerit constringere, in eius arbitrio situm sit. Singularem Dei prouidentiam in salutem fidelium excubare plurimæ sunt & luculentissimæ promissiones quæ testentur: Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, nec permittet vnquam fluctuari iustum. quoniam illi curæ sumus. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Qui tangit vos, tangit pupillã oculi mei. Ero clypeus tuus, murus aheneus: aduersantibus tibi aduersabor. Etiamsi mater obliuiscatur filiorum, non tamen obliuiscar tui. Quinetiam hic potissimus est scopus in historiis Biblicis, vt doceãt tanta sedulitate vias sanctorum custodiri à Domino, vt ne ad lapidem quidem impingant. Ergo vt iure paulo antè à nobis explosa fuit eorum opinio qui vniuersalem Dei prouidentiam comminiscuntur, quæ non speciatim ad curam vniuscuiusque creaturæ se demittat: in primis tamen specialem hanc curã erga nos recognoscere operæpretium est. Vnde Christus, vbi asseruit ne vilissimum quidem passerculum in terram decidere sine Patris voluntate, huc statim applicat, vt quo pluris sumus passeribus, eo propiore cura reputemus Deũ nobis prospicere. ac eousque ipsam extendit, vt cõfidamus capillos capitis nostri numeratos esse. Quid nobis aliud optemus, si nec vnus è capite pilus defluere potest nisi ex eius volũtate? Non de genere humano tãtùm loquor: sed quia

Psal.55.d.23
1.Pet.5.b.9
Psal.91.a.1
Zach.2.c.8
Iesa.26.a.2
Iesa.29.d.15
Mat.10.c.29
Ibidem c.30

Deus Eccleſiam ſibi in domicilium elegit, non dubium eſt quin paternam in ea regenda curam ſingularibus documentis oſtendat.

7 His tum promiſſis, tum exemplis cõfirmatus Dei ſeruus, adiunget teſtimonia quæ docent ſub eius poteſtate eſſe omnes homines, ſiue eorum conciliãdi ſunt animi, ſiue cohibenda malitia, nequid noceat. Dominus enim eſt qui dat nobis gratiam, non apud eos modò qui nobis bene volunt, ſed etiam in oculis Ægyptiorum: hoſtium verò noſtrorum improbitatem frangere variis modis nouit. Interdum enim mentem illis adimit, nequid ſani ſobrijve capere queant: qualiter Satanam dimittit, qui mẽdacio impleat os omnium Prophetarum, ad decipiendum Achab: Rechabeam iuuenili conſilio dementat, vt regno per ſuam ſtultitiam ſpolietur. Nonnunquam vbi mentem illis concedit, ita abſterret & exanimat, ne id quod conceperunt velint aut machinentur. Interdum etiam, vbi conari permiſit quod libido & rabies ſuadebat, impetus eorum opportunè abrumpit, nec ſinit ad finem vſque procedere quod inſtituunt. Sic cõſilium Achitophel, quod exitiale Dauidi futurum erat, ante tempus diſſipauit. Sic & creaturas omnes in ſuorum bonum ac ſalutem moderari, ei curæ eſt: ac diabolum etiam ipſum, quem cõſpicimus, nihil auſum fuiſſe tentare aduerſum Iob, ſine permiſſu eius ac mãdato. Hanc notitiam neceſſariò ſequitur tum animi gratitudo in proſpero rerũ ſucceſſu, tum in aduerſitate patientia, tum etiam in poſterum incredibilis ſecuritas. Quicquid ergo proſperè atque ex animi ſententia eueniet, id totum acceptum Deo referet, ſiue per hominum miniſterium ſenſerit eius beneficentiam, ſiue ab inanimatis creaturis adiutus fuerit. Sic enim reputabit cum animo ſuo, Certè Dominus eſt qui ad me iſtorũ animos inclinauit, qui mihi adglutinauit, vt ſuæ erga me benignitatis inſtrumenta forent. In frugum abundantia cogitabit, Dominum eſſe qui cælum exaudit, vt cælum exaudiat terrã, ipſa quoque exaudiat ſuos fœtus: in alijs non dubitabit benedictionem Domini ſolam eſſe qua omnia proſperentur: nec tot cauſis admonitus, ingratus eſſe ſuſtinebit.

Exod. 3. g. 21

1. Reg. 22. d. 22

Ibidẽ 12. b. 10, & d. 15

2. Sam. 17. b. 7, & c. 14

Iob 1. c. 12

8 Si aduerſi quid contigerit, extemplò mentem hîc quoque extollet in Deum, cuius manus ad patientiam placidámque animi moderationem nobis imprimendam valet plurimum. Si Ioſeph in recognoſcenda fratrum perfidia immoratus eſſet, nunquam fraternum potũiſſet in eos animum recipere. Sed quoniam mẽtem ad Dominum reflexit, oblitus iniuriæ, ad manſuetudinem ac clementiam inclinatus eſt, vt fratres etiam vltrò ſoletur, ac dicat, Non vos eſtis qui me vendidiſtis in Ægyptũ, ſed Dei voluntate præmiſſus ſum ante vos, vt vitam vobis conſeruem. Vos quidem cogitaſtis de me malũ, ſed Dominus conuertit illud in bonum. Si Iob ad Chaldæos ſe conuertiſſet, à quibus vexabatur, ſtatim accenſus eſſet ad vindictam: ſed quia opus Domini ſimul recognoſcit, ſemet pulcherrima illa ſententia conſolatur, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum. Sic Dauid conuitiis & lapidibus à Semei impetitus, ſi in hominem defixiſſet oculos, ad retaliandam iniuriam ſuos animaſſet: verùm quia non ſine Domini motu illum agere intelligit, illos potius mitigat. Sinite eum, inquit, quia Dominus ei præcepit vt maledicat. Hoc eodem fræno alibi doloris intẽperiem cohibet, Tacui & obmutui, inquit, quia tu feciſti Iehouah. Si nullum efficacius eſt iræ atque impatientiæ remedium, non parum certè profecit qui Dei prouidentiam didicit in hac parte meditari, vt poſſit eò mentem ſemper reuocare, Dominus voluit, ideo ferendum eſt: non modò quia reluctari non licet, ſed quia nihil vult niſi quod & iuſtũ ſit & expediat. Sũma huc redit, vt iniuſtè ab hominibus læſi, omiſſa eorũ improbitate (quæ nihil quàm dolorem noſtrũ exaſperaret, animóſque acueret ad vindictam) meminerimus ad Deum conſcendere, ac pro certo ſtatuere diſcamus, iuſta eius diſpenſatione fuiſſe & permiſſum & immiſſum quicquid hoſtis ſceleratè in nos admiſit. Paulus, vt à retaliandis iniuriis nos compeſcat, prudenter admonet nobis non eſſe luctam cum carne & ſanguine, ſed cum hoſte ſpirituali Diabolo, vt nos ad certandum paremus. Sed hæc ad ſedandos omnes iracundiæ impetus vtiliſſima admonitio eſt, tam Diabolum quàm improbos omnes Deum armare ad cõflictum, & ſedere quaſi agonothetam vt patientiam noſtrã exerceat. Quòd ſi abſque hominum opera eueniãt quæ nos premunt clades & miſeriæ, in memoriam redeat Legis doctrina, Quicquid proſperi eſt, ex fonte benedictionis Dei fluere: aduerſa omnia eſſe eius maledictiones: ac terreat nos illa horribilis denũtiatio, Si temerè inceditis cõtra me, ego quoque temerè incedam cõtra vos. Quibus verbis coarguitur torpor noſter, vbi pro cõmuni carnis ſenſu fortuitum eſſe ducentes quicquid in vtrãque partem accidit, neque beneficiis

Iob 1. d. 21

2. Sam. 16. b. 10

Pſal. 38. b. 10

Ephes. 6. b. 12

Deut. 28

Leuit. 26. d. 23

Dei

Dei animamur ad eius cultum, neque flagellis ad resipiscẽtiam stimulamur. Hæc eadem ratio est cur acerbè expostularent Ieremias & Amos cum Iudæis, quia tam bona quàm mala fieri putarent Deo non iubente. Eodem refertur illa Isaiæ concio, Ego Deus creans lucem, & formãs tenebras: faciens pacem, & creans malum. ego Deus facio hæc omnia. Thren. 3. c. 38. Amos 3. b. 6 Iesa. 46. a. 7

9 Neque tamen interim ad causas inferiores vir pius conniuebit. Neque enim quia ministros diuinæ bonitatis arbitrabitur eos à quibus beneficio affectus fuerit, ideo illos prẽteribit, acsi nullam gratiam sua humanitate promeriti essent: sed illis obstrictum se ex animo sentiet, & libenter fatebitur obligationem, & gratiam pro facultate & re nata referre studebit. Denique Deũ in acceptis bonis reuerebitur & prædicabit, vt præcipuum authorem: sed homines vt eius ministros honorabit: atque, vt res est, intelliget se Dei voluntate iis esse deuinctum per quorum manum beneficus esse voluerit. Siquid iacturę vel ob negligentiam vel ob imprudentiam fecerit, Domino quidem volente factum id apud se statuet, verùm sibi quoquè imputabit. Siquis morbo absumptus sit, quẽ, quum ex officio curare debuisset, negligenter tractauit: tametsi nõ ignorabit ad terminum peruenisse quem prẽterire non poterat, peccatum tamen suũ inde non eleuabit: sed quia non est defunctus erga eum fideliter suo munere, perinde accipiet acsi negligentię suæ culpa periisset. Multo minus, vbi in designando vel homicidio vel furto fraus & cõcepta animo malitia interceſſerit, eam excusabit sub prætextu diuinæ prouidentiæ: sed in eodẽ facinore, Dei iustitiam, hominis nequitiam, vt se vtraque manifestè prodit, distinctè contemplabitur. In futuris verò potissimùm, inferiorum huiusmodi causarum rationem habebit. Nam inter Domini benedictiones reponet si non destituetur subsidiis humanis, quibus ad incolumitatem suam vtatur. itaque nec in capiendis consiliis cessabit, nec torpebit in ope eorũ imploranda, quibus suppetere cõspiciet vnde iuuetur: sed à Domino sibi in manum offerri reputans quæcunque cõmodare sibi aliquid possunt creaturæ, ipsas, tãquam legitima diuinæ prouidentiæ instrumenta, ad vsum applicabit. Ac, quũ incertus sit quem sint exitum habitura quæ negotia aggreditur (nisi quòd in omnibus Dominũ suo bono prospecturum nouit) ad id studio aspirabit quod sibi expedire ducet, quãtum intelligentia mentéque assequi potest. Neque tamen in capiendis cõsiliis proprio sensu feretur: sed Dei sapientiæ se commendabit ac permittet, vt eius ductu in rectum scopũ dirigatur. Cęterùm nõ externis subsidiis ita eius fiducia subnitetur, vt si adsint, in iis securè acquiescat: si desint, perinde ac destitutus trepidet. Mentẽ enim in sola Dei prouidẽtia semper habebit defixam, neque à firmo eius intuitu, præsentium rerũ cõsideratione, abduci patietur. Sic Ioab tametsi prælii euentum in arbitrio manúque Dei esse agnoscit, nõ tamen inertię se dedit: sed quod suæ vocationis est sedulò exequitur: Domino autem permittit euẽtum moderari. Stabimus fortes, inquit, pro gente nostra, & vrbibus Dei nostri: Dominus autẽ faciat quod bonum est in oculis suis. Eadem cognitio temeritate & praua confidentia exutos ad continuam Dei inuocationem nos impellet: tum etiam animos nostros bona spe fulciet, vt quæ nos circunstant pericula, securè & fortiter despicere non dubitemus. 2. Sam. 10. c. 12

10 Hac verò parte se prodit inæstimabilis piæ mentis fœlicitas. Innumera sunt quæ vitam humanam obsident mala, quæ totidem ostentant mortes. Vt extrà non exeamus: quum mille morborũ receptaculum sit corpus, imò intus inclusas teneat ac foueat morborum causas, seipsum homo ferre non potest quin multas exitiorum suorum formas secum ferat, ac vitam quodãmodo cum morte implicitam trahat. Quid enim aliud dicas, vbi nec frigetur, nec sudatur sine periculo? Iam quocunque te vertas, quæ circa te sunt omnia, non modò ambiguæ sunt fidei, sed apertè ferè minantur, ac præsentem mortem videntur intentare. Conscende nauem, pede vno à morte distas. Equo insside, in lapsu pedis vnius vita tua periclitatur. Incede per vias vrbis, quot sunt in tectis tegulæ, tot discriminibus es obnoxius. Si ferramentũ in tua aut amici manu sit, exerta est noxa. Quotquot animalia ferocia vides, in tuã pernicię armata sunt. Quòd si vel horto bene munito includere te studeas, vbi nihil quàm amœnitas appareat, illic serpens interdum deliteſcet. Domus assiduè incendio subiecta, interdiu tibi paupertatem, noctu etiam oppressionem minatur. Ager grandini, pruinæ, siccitati, aliisque tempestatibus expositus quum sit, sterilitatem, atque ex ea famem tibi denuntiat. Omitto veneficia, insidias, latrocinia, vim apertam, quorũ pars nos domi obsident, pars peregrè cõsequuntur. Inter has angustias annõ oportet miserrimum esse hominem, vtpote qui in vita semiuiuus anxium & languidum spiritum ægrè trahat, non secus acsi imminentem perpetuò ceruicibus gladium haberet?

Dices iſta rarò euenire, aut certè non ſemper, neque omnibus, nunquam verò ſimul omnia. Fateor. ſed quũ aliorum exemplis admoneamur, euenire etiã nobis poſſe: nec noſtram magis, quàm eorũ vitam excipi debere: fieri non poteſt vt non timeamus ac formidemus tanquam nobis euentura. Tali ergo trepidatione quid calamitoſius fingas? Adde quòd Dei contumeliã non caret, ſi dicatur hominem, ex creaturis nobiliſſimam, proſtituiſſe ad cæcos & temerarios quoſlibet Fortunæ ictus. Sed hîc de miſeria hominis tãtùm loqui propoſitum eſt, quam ſenſurus ſit ſi ſub imperium Fortunæ redigatur.

11 At vbi lux illa diuinæ prouidentiæ ſemel homini pio affulſit: iã non extrema modò, qua antè premebatur, anxietate & formidine, ſed omni cura releuatur ac ſoluitur. Vt enim meritò Fortunam horret, ita ſecurè Deo ſeſe audet permittere. Hoc, inquam, ſolatium eſt, vt intelligat patrem cæleſtem ſic omnia ſua potentia continere, ſic imperio nutúque ſuo regere, ſic ſapientia moderari: vt nihil, niſi ex eius deſtinatione, cadat. in eius porrò fidem ſe receptum, Angelorum curæ demandatum, neque aquæ, neque ignis, neque ferri noxa poſſe attingi, niſi quoad locũ illis dare Deo moderatori libuerit. Sic enim canit Pſalmus, Quoniam ipſe liberabit te de laqueo venatoris, & à peſte noxia. Sub ala ſua proteget te, atque in pennis eius fiduciam habebis. pro ſcuto erit veritas eius. Non timebis à pauore nocturno, nec à ſagitta volante per diem, à peſte perambulante in caligine, à noxa graſſante in meridie, &c. Vnde & illa emergit in ſanctis gloriandi fiducia, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi caro. Dominus protector meus, quid trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non deſinam bene ſperare. Vnde id quæſo habent, quòd illis nunquam excutitur ſua ſecuritas, niſi quia vbi temerè mundus volutari in ſpeciem videtur, Dominum vbique operari ſciunt, cuius opus confidunt ſibi fore ſalutare? Iam ſi vel à diabolo, vel à ſceleratis hominibus impetitur eorum ſalus: hîc verò, niſi prouidentiæ recordatione ac meditatione confirmentur, protinus concidere neceſſe ſit. Verùm vbi in memoriam reuocant, diabolum totámque improborum cohortem ſic omnibus partibus manu Dei, tãquam fræno, cohiberi, vt nec concipere vllum aduerſus nos maleficium, nec cõceptum moliri, nec ad perpetrandum, ſi maximè moliantur, digitum mouere queant, niſi quantum ille permiſerit, imò niſi quantum mandarit: nec compedibus tãtùm eius teneri ligatos, ſed etiam ad obſequia præſtanda fræno cogi: habent vnde ſe prolixè conſolentur. Nam vt Domini eſt, eorum furorem armare, & conuertere deſtinaréque quò libuerit: ita & modum finémq; ſtatuere, ne pro ſua libidine licentioſè exultent. Qua perſuaſione ſuffultus Paulus, profectionem ſuam, quam vno in loco dixerat à Satana impeditam fuiſſe, alibi in Dei permiſſione ſtatuit. Si tãtùm dixiſſet obſtaculum fuiſſe à Satana, nimium poteſtatis viſus fuiſſet cedere, acſi ipſa quoque Dei conſilia euertere eſſet in eius manu: nunc verò vbi Deum arbitrũ ſtatuit, à cuius permiſſione pendeant omnia itinera, ſimul oſtendit nihil niſi eius nutu cõſequi Satanam poſſe, quicquid machinetur. Eadem ratione Dauid, quia propter varias conuerſiones quibus aſſiduè voluitur & quaſi rotatur hominũ vita, in hoc aſylum ſe recipit, Tempora ſua eſſe in manu Dei. Poterat aut vitæ curſum, aut tẽpus in ſingulari numero ponere: ſed temporum nomine exprimere voluit, quantumuis inſtabilis ſit hominum conditio, quæcunque ſubinde accidunt vices diuinitus gubernari. Qua ratione Raſin & Rex Iſrael, quum viribus in exitium Iuda copulatis, viderentur faces ad perdendam & abſumendam terram accenſæ, vocantur à Propheta titiones fumigãtes, qui nihil quàm modicum fumum exhalare queant. Sic Pharaõ, quum & opibus, & robore, & multitudine copiarum omnibus formidoloſus eſſet, ipſe beluæ marinæ, copiæ eius piſcibus comparantur. Ducem ergo & exercitum denuntiat Deus ſe hamo ſuo capturum, & tracturũ quò volet. Denique, ne hîc diutius immorer, facilè, ſi animaduertas, perſpicies, extremum eſſe omnium miſeriarum, prouidentiæ ignorationem: ſummam beatitudinem in eiuſdem cognitione eſſe ſitam.

Pſal. 91. a. 3

Pſal. 118. a. 6 & 27. a. 3, & 56. a. 5, & alibi.

12 De prouidentia Dei, quantum ad ſolidam fidelium & eruditionem & conſolationem conducit, (nam explendæ vanorum hominum curioſitati neque ſatis quicquam eſſe poteſt, neque optandum eſt vt ſatiſfiat) ſatis dictum foret, niſi obſtarent pauci quidã loci, qui innuere videntur, contrà quàm ſuprà expoſitum eſt, non firmum ac ſtabile conſtare Deo cõſilium, ſed procerum inferiorum diſpoſitione mutabile. Primùm aliquoties Dei pœnitentia cõmemoratur, vt, quòd illum pœnituerit hominis creati: Saulis in regnũ euecti: quòd eum pœnitebit mali quod infligere populo ſuo ſtatuerat, ſimulac cõuerſionem

1. Theſ. 2. d. 18

1. Cor. 16. b. 7

Pſal. 31. c. 16

Ieſa. 7. a. 4

Eze. 29. a. 4

Gen. 6. b. 6

1. Sam. 15. c. 11

Iere. 18. a. 8

nem eius aliquam ſenſerit. Deinde nonnullæ decretorum eius abrogationes referuntur. Per Ionam edixerat Niniuitis, quadraginta diebus elapſis perituram Niniuen: atqui mox eorum pœnitentia ad clementiorem ſententiam inflexus eſt. Ezechiæ mortem per os Ieſaiæ pronuntiarat: ad quam differendam lachrymis eius & precibus commotus eſt. Hinc argumentantur multi, Deum non æterno decreto res hominum conſtituiſſe: ſed provt ſunt cuiuſque merita, vel prò vt æquum ac iuſtum cẽſet, ſingulos in annos, dies & horas, hoc vel illud decernere. De pœnitentia ſic habendum, non magis illam in Deum cadere, quàm vel ignorantiam, vel errorem, vel impotentiam. Si enim nemo ſciens ac volens ſe in pœnitentiæ neceſſitatem coniicit, Deo pœnitentiam non tribuemus quin aut ignora re dicamus quid futurum ſit, aut effugere non poſſe, aut præcipitanter & inconſideratè ruere in ſententiam cuius ſtatim pœniteat. Id autem tantum abeſt à ſenſu Spiritus ſancti, vt in ipſa pœnitentiæ mentione, neget Deum pœnitudine duci, quia homo nõ ſit quem pœnitere queat. Ac notãdum eſt in eodem capite ſic vtrunque coniungi vt comparatio ſpeciem repugnantiæ optimè conciliet. Mutatio figuratè traditur, quòd Deum pœniteat Saulis in Regem creati. Paulo pòſt additur, Non mentietur fortitudo Iſrael, nec pœnitudine flectetur: quia homo non eſt, vt eum pœniteat. Quibus verbis palàm abſque figura immutabilitas aſſeritur. Itaque Dei ordinationem in rebus humanis adminiſtrandis & perpetuam & omni pœnitentia ſuperiorem eſſe certum eſt. Ac ne dubia eſſet eius conſtantia, teſtimonium illi reddere ſui quoque aduerſarii coacti ſunt. Balaã enim, vel inuitum, in hanc vocem prorumpere oportuit, non eſſe Deum inſtar hominis vt mentiatur, nec quaſi hominis filium vt mutetur: ac fieri non poſſe vt non faciat quicquid dixerit, vt non impleat quicquid loquutus ſit.

Ionæ 3. b. 4, d. 10
Ieſa. 38. a. 1. 5,
2. reg. 20. a. 1. 5
1. Sam. 15. f. 29
Nume. 23. &. 19

13 Quid ergo ſibi vult pœnitentiæ nomen? Nempe quod aliæ omnes loquendi formulæ quæ Deum humanitus nobis deſcribunt. Quia enim ad eius altitudinem non pertingit noſtra infirmitas, quæ nobis traditur eius deſcriptio, ad captum noſtrum ſubmittenda eſt, vt à nobis intelligatur. Hæc eſt porrò ſubmittendi ratio, vt ſe talem nobis figuret, non qualis in ſe eſt, ſed qualis à nobis ſentitur. Extra omnem perturbationis affectum quum ſit, iraſci ſe peccatoribus teſtatur. Quemadmodũ ergo quum audimus Deũ iratum, imaginari nõ debemus aliquam in ipſo motionem, ſed reputare potius loquutionem hanc à ſenſu noſtro ſumptam, quia faciem excandeſcẽtis iratíque præ ſe ferat Deus quoties iudicium exercet: ita nec aliud debemus concipere ſub pœnitentiæ vocabulo, quàm factorum mutationem: quia ſoleant homines facta ſua mutando, teſtari ſibi diſplicere. Quoniam ergo mutatio quælibet inter homines, correctio eius eſt quod diſplicet: correctio autem ex pœnitentia prouenit: ideo per pœnitentiæ nomen ſignificatur quod Deus in ſuis operibus mutat: interim nec conſilium illi nec voluntas inuertitur, nec affectus commutatur: ſed quod ab æterno prouiderat, probauerat, decreuerat, perpetuo tenore proſequitur, vtcunque appareat ſubita hominum oculis varietas.

14 Nec ſacra hiſtoria, dum Niniuitis remiſſum narrat quod iam promulgatum fuerat excidium, & Ezechiæ vitam, denuntiata morte, prorogatam: abrogata fuiſſe Dei decreta oſtendit. Qui ſic ſentiunt, in denuntiationibus hallucinantur: quæ tametſi ſimpliciter affirmant, tacitam in ſe nihilominus conditionem continere ex fine ipſo intelligetur. Cur enim ad Niniuitas Ionam Dominus mittebat, qui ruinam vrbis prædiceret? Cur per Ieſaiam mortem indicabat Ezechiæ? Poterat enim & illos & hunc perdere, ſine cladis nuntio. Aliud ergo ſpectauit quàm vt mortis ſuæ præſcii venientem illam eminus cernerent. Nimirũ non perditos voluit: ſed, ne perderentur, emendatos. Quòd ergo Niniuem poſt quadraginta dies ruituram Ionas vaticinatur, ideo fit ne ruat. Quòd Ezechiæ ſpes vitæ longioris præciditur, ideo fit vt longiorem vitam impetret. Quis iam non videt, Dominum eiuſmodi comminationibus voluiſſe ad reſipiſcentiam expergefacere quos terrebat, vt effugerent quod peccatis ſuis meriti erant iudicium? Id ſi conuenit, natura rerũ eò nos ducit vt in ſimplici denuntiatione conditionẽ tacitam ſubaudiamus. Quod etiã confirmatur ſimilibus exemplis, Abimelech regem corripiens Dominus, quòd Abrahæ ſuam vxorem ſuſtuliſſet, his verbis vtitur, Ecce, tu morieris propter mulierem quam accepiſti. eſt enim viro iuncta. Poſtquam autem ille excuſauit, in hunc modum loquitur, Reſtitue vxorem viro: eſt enim Propheta, & orabit pro te vt viuas. Sin minus, ſcito quòd moriendo morieris tu, & omnia quæ habes. Vides vt primo edicto vehemẽtius animum eius concutiat, quò ſatisfactioni reddat intentum: altero autem voluntatem liquidè ſuam ex-

Ionæ 3. c. 10
Ieſa. 38. a. 5
Gen. 20. a. 3

plicet? Quando ſimilis eſt aliorum locorum ratio, ne ex illis inferas quicquam fuiſſe priori Domini conſilio derogatum, quia quod promulgauerat, irritum fecerit. Viam enim potius æternæ ſuæ ordinationi ſternit Dominus, quum pœnam denuntiando, ad reſipiſcentiam monet eos quibus vult parcere, quàm voluntate quicquam variet, ac ne ſermone quidem: niſi quòd ſyllabatim nõ exprimit quod intelligere tamen promptum eſt.
Eſa. 14. f. 27 Siquidem illud Ieſaiæ manere verum oportet, Dominus exercituum deliberauit, & quis poterit diſſoluere? manus eius extenta, & quis auertet eam?

Deum ita impiorum opera vti, & animos flectere ad exequenda ſua iudicia, vt purus ipſe ab omni labe maneat. CAP. XVIII.

EX aliis locis vbi Deus Satanam ipſum & omnes reprobos ſuo arbitrio flectere vel trahere dicitur, difficilior emergit quæſtio. Quomodo enim per illos agens, nullam ex eorum vitio labem contrahat, imò in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos iuſtè damnet, vix capit ſenſus carnis. hinc reperta diſtinctio inter agere & permittere: quia hic nodus multis inexplicabilis viſus eſt, ſub Dei manu & imperio Satanam & impios omnes ita eſſe, vt eorum malitiam in quẽcunque viſum eſt finem dirigat: & ſceleribus vtatur ad exequenda ſua iudicia. Ac excuſabilis fortè eſſet eorũ modeſtia quos terret abſurditatis ſpecies, niſi quòd perperam mendacii patrocinio aſſerere tentant Dei iuſtitiam ab omni ſiniſtra nota. Abſurdum videtur, volente ac iubente Deo excęcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiuerſando itaque effugiunt, Dei tãtùm permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri. ipſe verò palàm ſe facere pronuntians, effugium illud repudiat. Quòd autem nihil efficiant homines niſi arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitent niſi quod ipſe iam apud ſe decreuerit, & arcana ſua directione cõſtituat, innumeris & claris teſtimoniis probatur. Quod antè citauimus ex pſalmo, Deum quæcũque vult facere, ad omnes actiones hominum pertinere certum eſt. Si Deus bellorum & pacis certus eſt arbiter, vt illic dicitur, idque ſine vlla exceptione, eo inſcio aut quieſcẽte homines cæco motu temerè ferri quis dicere audebit? Sed in ſpecialibus exemplis plus lucis erit. Ex primo capite Iob ſcimus Satanam ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda iuſſa, nõ minus quàm Angelos, qui ſponte obediunt: diuerſo quidem id modo & fine: ſed tamen nequid aggredi poſſit, niſi volente Deo. Etſi auda permiſſio deinde ſubiici videtur, vt ſanctum virum affligat: quia tamen vera eſt illa ſententia, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Deo placuit, ita factum eſt: colligimus, eius probationis cuius Satã & ſceleſti latrones miniſtri fuerũt, Deum fuiſſe authorem. Molitur Satan ſanctum virum deſperatione adigere in furorem: Sabæi crudeliter & impiè in aliena bona prædando inuolant. Agnoſcit Iob diuinitus ſe exutum eſſe omnibus fortunis, & ſe pauperem factũ, quia ſic placuerit Deo. Ergo quicquid agitent homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clauũ tenet, vt ad exequenda ſua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, vt ſit ſpiritus mẽdax in ore omnium Prophetarum. Si Dei iudiciũ eſt excæcatio & amentia Achab, nudæ permiſſionis figmentum euaneſcit: quia ridiculum eſſet, iudicem tantùm permittere non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem miniſtris. Iudæis propoſitum eſt Chriſtum extinguere: Pilatus & milites rabioſæ eorum libidini morem gerunt. fatentur tamen in ſolenni precatione diſcipuli nihil feciſſe omnes impios niſi quod manus & conſilium Dei decreuerant. ſicuti iamantè concionatus fuerat Petrus, definito cõſilio & præſcientia Dei traditum fuiſſe vt interficeretur. acſi diceret, Deum (quem nihil ab initio latuit) ſcientem & volẽtem ſtatuiſſe quod Iudæi executi ſunt. ſicuti alibi repetit, Deus qui prænuntiauit per omnes ſuos Prophetas paſſurum eſſe Chriſtum, ita impleuit. Abſalon inceſto coitu, patris torũ polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat. verba enim ſunt, Tu feciſti occultè: ego verò palàm faciam, & coram ſole hoc. Quicquid fæuitiæ exercent Chaldæi in Iudæa, opus Dei eſſe pronuntiat Ieremias. Qua ratione Nabucadnezer vocatur Dei ſeruus. Clamat paſſim Deus, ſuo ſibilo, tubæ ſuę clangore, imperio & iuſſu excitari impios ad bellum: Aſſyrium vocat virgam furoris ſui, & ſecurim quam manu ſua mouet. Cladem vrbis ſanctæ & Templi ruinam vocat opus ſuum. Dauid non obſtrepens Deo, ſed iuſtum iudicem agnoſcẽs, ex illius tamen iuſſu prouenire maledicta Semei fatetur. Dominus inquit, iuſſit eum maledicere. Sæpius in ſacra hiſtoria occurrit, quicquid accidat, proficiſci à Domino, ſicuti decem tribuum

Iob 1. d. 21
2. Reg. 22. c. 20
Act. 4. f. 28
Ibidẽ 2. d. 23
Ibidẽ 3. c. 18
2. Sam. 16. d. 22
Ibidẽ. 12. c. 12
Ier. 50. d. 25
Ieſa. 5. f. 26
Ieſa. 10. a. 5 & 19. d. 25
2. Sam. 16. b. 10
1. Reg. 11. f. 31

defectionem,

defectionem, interitum filiorũ Heli,& eiuſdem generis permulta. Qui mediocriter exercitati ſunt in Scripturis, vident me ex multis pauca tantùm proferre teſtimonia, vt breuitati conſulã,ex quibus tamen ſatis ſupérque liquet nugari eos & ineptire qui in locum prouidentiæ Dei nudam permiſſionem ſubſtituunt,acſi in ſpecula ſedens expectaret fortuitos euentus:atque ita eius iudicia penderent ab hominum arbitrio. 1. Sam.2. g. 34.

2 Quantum ad arcanos motus ſpectat,quod de corde Regis prædicat Solomo,flecti huc vel illuc,provt Deo viſum eſt,ad totum certè humanum genus extenditur, tantundémque valet acſi dixiſſet,quicquid animis cõcipimus,arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi. Et certè niſi intus operaretur in mẽtibus hominum,non rectè dictum eſſet, auferre labium à veracibus,& à ſenibus prudentiam:auferre cor principibus terræ,vt errent per deuia.Atque huc pertinet quod ſæpe legitur, homines eſſe pauidos, provt eius terrore occupantur eorum corda. Sic Dauid è caſtris Saulis, nemine ſciente,egreſſus eſt: quia ſopor Dei irruerat ſuper omnes. Sed nihil clarius poteſt deſiderari quàm vbi toties pronuntiat ſe excęcare hominum mentes,ac vertigine percutere,ſpiritu ſoporis inebriare,incutere amentiam,obdurare corda. Hæc etiam ad permiſſionem multi reiiciunt,acſi deſerendo reprobos,à Satana excæcari ſineret. Sed quum diſertè exprimat Spiritus,iuſto Dei iudicio infligi cæcitatem & amentiam,nimis friuola eſt illa ſolutio.Dicitur induraſſe cor Pharaonis,item aggrauaſſe,& roboraſſe.Eludunt inſulſo cauillo quidam has loquendi formas: quia dum alibi dicitur Pharao ipſe aggrauaſſe cor ſuum, indurationis cauſa ponitur eius voluntas. Quaſi verò non optimè conueniant hæc duo inter ſe, licet diuerſis modis,hominem, vbi agitur à Deo, ſimul tamen agere.Ego autem, quod obiiciunt in eos retorqueo:quia ſi indurare nudam permiſſionem ſonat,ipſe contumacię motus non erit propriè in Pharaone. Porrò quàm dilutum eſſet ac inſipidum ita interpretari, acſi tantùm Pharao ſe obdurari paſſus eſſet. Adde quòd anſam talibus cauillis præcidit Scriptura. Tenebo,inquit Deus, cor illius. Sic & de incolis terræ Chanaan dicit Moſes progreſſos fuiſſe in pugnam,quia roboraſſet Deus eorum corda.Quod idem ab alio Propheta repetitur, Vertit cor eorum vt odio haberent populum ſuum. Similiter apud Ieſaiam contra gentem fallacem miſſurum ſe Aſſyrios pronuntiat,ac præcepta daturum,vt auferant ſpolia, & diripiant prædam.non quia impios & præfractos homines docere velit ad ſponte parendum, ſed quia flexurus ſit ad exequenda ſua iudicia, perinde acſi iuſſa eius animis inſculpta geſtarent. vnde apparet certa deſtinatione Dei fuiſſe impulſos. Fateor quidem interpoſita Satanæ opera ſępe Deum agere in reprobis:ſed vt eius impulſu Satan ipſe ſuas partes agat, & proficiat quatenus datum eſt. Spiritus malus turbat Saulem: ſed dicitur eſſe à Deo:vt ſciamus furorẽ Saulis à iuſta Dei vindicta prodire.Dicitur etiã idem Satan excæcare infidelium mentes: ſed vnde hoc, niſi quòd à Deo ipſo manat efficacia erroris,vt mendaciis credant qui renuunt parere veritati? Secundùm priorem rationem dicitur,Si Propheta quiſpiam loquutus fuerit mendaciter,ego Deus illum decepi.Secundùm alteram verò dicitur ipſe dare homines in reprobum ſenſum, & proiicere in fœdas cupiditates: quia iuſtæ ſuæ vindictæ præcipuus eſt author, Satan verò tantùm miniſter. Sed quia,vbi ſecũdo libro diſputabimus de libero vel ſeruo hominis arbitrio, iterum hæc res tractanda erit,breuiter mihi nunc dixiſſe videor quantum locus poſtulabat. Summa hæc ſit,quum Dei voluntas dicitur rerum omnium eſſe cauſa, prouidentiam eius ſtatui moderatricem in cunctis hominum conſiliis & operibus, vt non tãtùm vim ſuam exerat in electis,qui Spiritu ſancto reguntur,ſed etiam reprobos in obſequium cogat. Prou. 21.a.1. Exo. 7.g.26 Leuit. 26.f. 36 1.Sam.26 Rom. 7.c.21 Exod. 8.d.15 Ibid.4.e.21 Ioſue 11. d. 20 Pſalm.105.c. 25 Ieſa. 10. b.9 1. Sam. 16.c. 14 2. Cor. 4.a.4 Eze. 14. c. 9 Rom.1. d.28

3 Quando autem hactenus recitaui ſolùm quæ apertè & non ambiguè in Scriptura traduntur, viderint qui cæleſtibus oraculis ſiniſtras ignominiæ notas inurere non dubitant, quodnam vſurpent cenſuræ genus. Nam ſi ex inſcitiæ ſimulatione laudem modeſtiæ appetunt,quid ſuperbius fingi poteſt,quàm Dei authoritati verbulum vnum opponere?Mihi ſecus videtur,vel, Hoc attingi nõ placet. Sin apertè maledicũt,quidnam proficient cælum ſputis impetendo? Nouum quidem huius petulantiæ exemplum non eſt: quia fuerunt omnibus ſeculis impii & profani homines,qui aduerſus hanc doctrinæ partem ore rabido latrarent. Sed quod olim pronũtiauit Spiritus per os Dauidis,re ipſa ſentient verum eſſe,vt vincat Deus quum iudicatur. Obliquè perſtringit Dauid hominum amentiam in hac tam effræni licentia,quòd ex ſuo cœno non ſolùm aduerſus Deum litigant,ſed poteſtatem ſibi arrogant eius damnandi. Interea breuiter admonet, quas in cælum euomunt blaſphemias, ad Deum non pertingere, quin iuſtitiam ſuam, diſcuſſis ea- Pſal.51.d.6

1. Iohã.5.a.4 luminarum nebulis illustret: fides etiam nostra (quia in sacro Dei verbo fundata, superior est toto mundo) nebulas istas ex sua altitudine despiciat. Nam quod primò obiiciunt, si nihil eueniat nisi volente Deo, duas in eo contrarias esse voluntates, quia occulto consilio decernat quæ Lege sua palàm vetuit: facilè diluitur. Antequam tamen respondeam, monitos iterum volo lectores, cauillum hoc nõ in me sed in Spiritum sanctum torqueri, Iob.1.d.21 qui certè hanc sancto viro Iob confessionem dictauit, Sicut Deo placuit ita factum est. quum spoliatus esset à latronibus, in illorum iniuria & maleficio iustum Dei flagellum 1.Sam.2.e.25 agnoscit. Quid alibi Scriptura? Non obtemperarũt patri suo filii Eli, quia voluit Deus occidere eos. Psal.115.a.3 Clamat etiam alius Propheta, Deum, qui in cælo residet, quæcunque vult facere. Et iam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum omnium authorem quæ isti censores volunt otioso tantùm eius permissu cõtingere. Iesa. 45. a.7. Amos. 3.b.6 Testatur se creare lucem & tenebras, formare bonum & malum: nihil mali accidere quod ipse non fecerit. Dicant obsecro, volénsne an nolens iudicia sua exerceat. Deut. 19.b.5 Atqui sicuti docet Moses, eum qui fortuitò securis lapsu occiditur, diuinitus traditum esse in manũ percussoris: ita tota Ecclesia dicit apud Act.4.f.28 Lucam, Herodem & Pilatum conspirasse, vt facerent quæ Dei manus & consilium decreuerat. Et sanè, nisi Deo volente crucifixus esset Christus, vnde nobis redemptio? Neque tamen ideo vel secum pugnat, vel mutatur Dei voluntas, vel quod vult se nolle simulat: sed quum vna & simplex in ipso sit, nobis multiplex apparet: quia pro mentis nostræ imbecillitate, quomodo idem diuerso modo nolit fieri & velit nõ capimus. Paulus vbi Gen- Ephe. 3.b.10 tium vocationem dixit mysterium esse absconditum, paulo pòst adiungit, in ea manifestatam fuisse πολυποίκιλον sapientiam Dei. An quia propter hebetudinem sensus nostri multiplex apparet Dei sapientia (vel multiformis, vt reddidit vetus interpres) ideo somnianda nobis est in ipso Deo aliqua varietas, quasi vel consiliũ mutet, vel à seipso dissideat? Imò vbi non capimus quomodo fieri velit Deus quod facere vetat, veniat nobis in memoriam nostra imbecillitas, & simul reputemus, lucem quam inhabitat, non frustra 1.Tim.6.d. 16 vocari inaccessam, quia caligine obducta est. Ergo huic Augustini sententiæ pii omnes & Enchir.ad Laur.ca. 101 modesti facilè acquiescent, Interdum bona volũtate hominem velle aliquid quod Deus non vult. velut si bonus filius patrem vult viuere, quem Deus vult mori. Rursus fieri posse vt idẽ velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrẽ, velit hoc etiam Deus. nẽpe ille vult quod nõ vult Deus, iste verò vult quod vult & Deus. Et tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius consonat, quanuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas: tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem referatur cuiusque voluntas, vt vel approbetur, vel improbetur. Nam Deus quæ bene vult, per malas voluntates malorum hominum implet. Paulo verò antè dixerat, sua defectione Angelos apostatas, omnésque reprobos, quantum ad ipsos pertinet, feciisse quod Deus nolebat: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo hoc potuisse: quia dum contra Dei voluntatem faciunt, de ipsis facta est eius voluntas. Psal. 111. a. 2 vnde exclamat, Magna opera Dei, exquisita in omnes voluntates eius: vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret si non sineret: nec vtique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.

4 Hoc etiã modo soluitur, imò sponte liquescit altera obiectio, Si non modò impiorum opera vtitur Deus, sed etiam cõsilia & affectus gubernat, scelerum omnium esse authorem: ac proinde immeritò damnari homines si exequũtur quod decreuit Deus, quia eius voluntati obtẽperent. Perperam enim miscetur cum præcepto voluntas, quam longissimè ab illo differre innumeris exemplis constat. Nam etsi dum stuprauit Absalon pa- 2.Sam. 16.d. 22 tris vxores, voluit Deus hoc probro vlcisci Dauidis adulterium: non ideo tamen præcepit Ibidem c.10 scelerato filio incestum committere, nisi fortè Dauidis respectu, sicut loquitur de conuitiis Semei. Nam illum Dei iussu maledicere dum fatetur, minimè cõmendat obsequium, acsi Dei imperio pareret proteruus ille canis: sed eius linguã flagellum Dei esse agnoscẽs, castigari patienter sustinet. Hoc quidem tenendum est, dum per impios peragit Deus quod occulto suo iudicio decreuit, non esse excusabiles, quasi obediant eius præcepto, quod data opera pro sua libidine violant. Iam quomodo ex Deo sit, & occulta eius prouidentia regatur quod peruersè faciunt homines, illustre documentum est electio regis Ia- 1. Reg. 12.e. 20 robeam, in qua seuerè damnatur populi temeritas & amentia, quòd ordinem à Deo sancitum peruerterit, ac perfidè desciuerit à familia Dauidis. & tamen scimus voluisse vngi vnde

vnde & in verbis Oseæ quædam apparet repugnantiæ species, quòd vbi conquestus est Deus regnum illud se nesciente & nolente fuisse erectum, alibi prædicat se dedisse regem Iarobeam in furore suo. Quomodo hæc cõuenient, Iarobeam non ex Deo regnasse, & ab eodem fuisse præfectum regem? Nempe quia nec descisceré à familia Dauidis potuit populus quin iugum sibi diuinitus impositum excuteret: neque tamen libertas ipsi Deo erepta fuit quominus Solomonis ingratitudinẽ ita puniret. Videmus ergo vt Deus, perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine iustè velit. vnde & Iarobeam præter spem sacra vnctione impellitur ad regnum. Hac ratione dicit Sacra historia fuisse à Deo suscitatum hostem, qui Solomonis filium exueret regni parte. Diligenter vtrunque expendant lectores, quia placuerat Deo sub manu vnius Regis gubernari populum: vbi in duas partes scinditur, fieri contra illius voluntatem: & tamen ab eiusdem voluntate initium fuisse diuortii. Nam certè quòd Iarobeam nihil tale cogitantem Propheta & vòce & vnctionis tessera ad spem regni solicitat, non fit hoc vel nescio vel inuito Deo, qui ita fieri mandauit: & tamẽ iurè damnatur populi rebellio, quòd velut inuito Deo à Dauidis posteris desciuerit. Hac ratione etiam subiicitur postea, quòd Rechabeam superbè despexit populi preces, hoc à Deo factum esse, vt stabiliret verbum quod pronuntiauerat per manum Ahihæ serui sui. Ecce vt nolente Deo laceretur sacra vnitas, & tamen vt eodem volente alienentur à filio Solomonis decem tribus. Accedat simile quoque aliud exemplum, vbi consentiente populo, imò manus suas præbente, iugulantur filii regis Achab, & exterminatur tota progenies. Verè quidem refert Iehu nihil in terram cecidisse ex Dei sermonibus, sed ipsum fecisse quicquid loquutus fuerat per manum serui sui Eliæ. Et tamen non abs re ciues Samariæ perstringit quòd operam suam commodassent, Iustine estis, inquit? Si ego coniuraui contra dominum meum, quis hos omnes occidit? Iam antè liquidò, nisi fallor, explicui quomodo in eodem opere tam se prodat hominis crimẽ, quàm refulgeat Dei iustitia: & modestis ingeniis semper hæc Augustini responsio sufficiet, Quum Pater tradiderit Filium, & Christus corpus suum, & Iudas Dominũ, cur in hac traditione Deus est iustus, & homo reus, nisi quia in re vna quam fecerunt, causa non vna est ob quam fecerunt? Siquos autem magis impediat quod nunc dicimus, nullum esse Dei cum homine consensum, vbi hic iusto illius impulsu agit quod sibi non licet: succurrat quod alibi admonet idem Augustinus, Quis non ad ista iudicia contremiscat, vbi agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundum eorum merita? Et certè in Iudæ perfidia nihilo magis fas erit culpam sceleris Deo adscribere, quia Filium suum & tradi voluit ipse, & tradidit in mortem: quàm redemptionis laudem ad Iudam transferre. Itaque verè alibi idem scriptor admonet, in hoc examine Deum nõ inquirere quid potuerint homines, vel quid fecerint, sed quid voluerint, vt in rationem veniat cõsilium & volũtas. Quibus hoc asperum videtur, quàm tolerabilis sit sua morositas paulisper cogitent, dum rem claris Scripturæ testimoniis testatam, quia excedat eorum captum, respuunt, ac vitio vertunt in medium proferri quæ Deus nisi sciuisset vtilia esse cognitu, nunquam per Prophetas suos & Apostolos doceri iussisset. Nam sapere nostrum nihil aliud esse debet quàm mansueta docilitate amplecti, & quidem sine exceptione, quicquid in sacris Scripturis traditum est. Qui verò proteruius insultant, quum satis constet eos contra Deum blaterare, longiori refutatione digni non sunt.

Osee 8. a. 4

Osee 13. c. 11

1. Reg. 11. d. 23

1. Reg. 12. d. 15

2. Reg. 10. b. 7

Epist. 48. ad Vincentiũ.

De gratia & lib. arbit. ad Valent. cap. 20

INSTITVTIONIS CHRI
stianæ religionis Lib. II.

DE COGNITIONE DEI REDEMptoris in Christo, quæ Patribus sub Lege primùm, deinde & nobis in Euangelio patefacta est.

Adæ lapsu & defectione totum humanum genus maledictioni fuisse addictum, & à prima origine degenerasse. vbi de peccato originali. CAP. I.

NON sine causa, prouerbio veteri tantopere homini commendata semper fuit cognitio suiipsius. Nam si turpe ignorare ducitur quæcunque ad humanæ vitæ rationem pertinent: multo verò fœdior ignorantia nostri est, qua fit vt in capiendo de re qualibet necessaria consilio miserè hallucinemur, atque adeò cæcutiamus. Verùm quo vtilior est præceptio, eo diligentius videndum est nobis ne ipsa præposterè vtamur: quod Philosophis quibusdam videmus accidisse. Illi enim dum hominem hortantur vt seipsum nouerit, finem simul proponunt, ne dignitatem excellentiámque suam nesciat. neque aliud ipsum in se contemplari volunt, quàm vnde inani fiducia intumescat & superbia infletur. Nostri autem cognitio primùm in eo sita est, vt reputantes quid nobis in creatione datum sit, & quàm benignè suam erga nos gratiam continuet Deus, sciamus quanta sit naturæ nostræ excellentia, si quidem integra maneret: simul tamen cogitemus, nihil nobis inesse proprium, sed precariò nos tenere quicquid in nos Deus contulit, vt semper ab ipso pendeamus. Deinde vt nobis occurrat misera post Adę lapsum nostra cõditio, cuius sensus, prostrata omni gloria & fiducia,
Gen. 1. d. 27 nos pudore obrutos verè humiliet. Nam sicuti Deus ad imaginem suam initiò nos finxit, vt mentes nostras tum ad virtutis studium, tum ad æternæ vitæ meditationem erigeret: ita, ne socordia nostra obruatur tanta generis nostri nobilitas quæ nos à brutis animalibus discernit, cognoscere operæpretium est, ideò nos ratione & intelligentia præditos esse, vt sanctam & honestam vitam colẽdo ad propositum beatæ immortalitatis scopum tendamus. Cæterùm in mentem venire nequit prima illa dignitas, quin mox ex altera parte se offerat triste fœditatis & ignominiæ nostræ spectaculum, ex quo in primi hominis persona ab origine nostra excidimus. Vnde & nostri odium ac displicentia veráque humilitas oritur, & nouum accenditur quærendi Dei studium, in quo quisque ea bona recuperet quorum prorsus inanes & vacui deprehendimur.

2 Hoc sanè quærendum in excutiendis nobis esse præscribit Dei veritas. nempe talem exigit notitiam, quę nos & ab omni propriæ facultatis confidentia procul auocet, & omni gloriandi materia destitutos, ad submissionem adducat. Quam regulam tenere conuenit si ad rectam & sapiendi & agendi metam pertingere libet. Neque me latet quanto plausibilior sit illa sententia quæ ad reputanda nostra bona potius nos inuitat, quàm ad inspiciendam, quo nos pudore obruere debet, miseram nostram inopiam vnà cum ignominia. Siquidem nihil est quod magis appetat humanum ingenium quàm blanditiis demulceri. atque ideò, vbi dotes suas magni fieri audit, in hanc partem nimia credulitate propendet. Quo minus mirum est, hîc adeò pernicioſè fuisse à maxima hominum parte aberratum. Nam quum sit ingenitus vniuersis mortalibus plusquam cæcus sui amor, libentissimè sibi persuadẽt nihil inesse sibi quod meritò debeat esse odiosum. Ita sine alieno patrocinio vanissima hæc opinio fidem passim obtinet, hominem sibi abundè sufficere ad bene beatéque viuendum. Quòd siqui modestius sentire volunt, vtcunque aliquid Deo concedant, ne sibi arrogare omnia videantur: sic tamen partiuntur vt potissima & gloriæ & fiduciæ materia semper apud se resideat. Iam si accedit oratio, quæ sponte prurientem

rientem in hominis medullis ſuperbiã ſuis illecebris titillet, nihil eſt quod magis arrideat. Proinde vt vnuſquiſque humanæ naturæ præſtantiam benigniſſimè ſuo præconio extulit, ita magno ſeculorum propè omnium applauſu fuit exceptus. Sed enim quæcunque talis eſt humanæ excellentiæ commendatio, quæ hominem in ſe acquieſcere doceat, nihil aliud quàm ſuauitate illa ſua delicias facit: & ſic quidem illudit, vt qui aſſentiuntur, eos peſſimo exitio perdat. Quorſum enim pertinet, vana omni fiducia fretos deliberare, inſtituere, tentare, moliri quæ putamus ad rem pertinere: & defici quidem ac deſtitui tũ ſana intelligentia, tum verâ virtute inter primos conatus: pergere tamen ſecurè, donec in exitium corruamus? Atqui nõ aliter ſuccedere iis poteſt qui ſe aliquid poſſe propria virtute confidũt. Talibus ergo magiſtris, qui reputandis tantùm bonis noſtris nos detinẽt, ſi quis auſcultet, non in ſui cognitionem proficiet, ſed in peſſimam ignorationem abripietur.

3 Ergo quum in hoc conſentiat Dei veritas cum publico omnium mortalium ſenſu, ſecundam ſapientiæ partem in noſtri cognitione repoſitam eſſe: in ipſa tamen cognoſcendi ratione magnum eſt diſſidium. Tunc enim homo, iudicio carnis, probè ſibi exploratus videtur, quum & intelligentia & integritate ſua confiſus, audaciã ſumit, ac ſeſe incitat ad virtutis officia: & indicto vitiis bello, ad id quod pulchrum & honeſtũ eſt toto ſtudio incumbere conatur. Qui autem ſe ad amuſſim diuini iudicii inſpicit & examinat, nihil reperit quod animum ad bonam fiduciam erigat: ac quo penitius ſe excuſſit, eo magis deiicitur: donec omni fiducia prorſus abdicatus, nihil ſibi ad vitam rectè inſtituẽdam relinquit. Neque tamen vult nos obliuiſci Deus primæ nobilitatis, quam Adæ patri noſtro contulerat, nempe quæ nos ad iuſtitiæ bonitatiſque ſtudiũ meritò expergefacere debeat. Non enim poſſumus aut primam noſtram originem, aut quorſum conditi ſumus cogitare, quin ad meditandam immortalitatem, expetendúmque Dei regnum pungamur. Sed tantum abeſt vt animos nobis faciat iſta recognitio, vt potius ſubmiſſis illis, ad humilitatem proſternat. Quæ enim illa eſt origo? Nempe à qua excidimus. Quis ille creationis noſtræ finis? A quo penitus auerſi ſumus, vt miſeræ noſtræ ſortis pertæſi ingemiſcamus: ingemiſcendo, ad perditam illam dignitatem ſuſpiremus. Nos autem, quum dicimus nihil in ſe oportere hominem intueri quod ipſum animoſum reddat, intelligimus nihil eſſe penes ipſum cuius fiducia debeat ſuperbire. Quare ſi libet, quam homo ſui notitiam habere debet, ita partiamur, vt primo loco, quem in finem creatus ſit, & donis non contemnendis prædítus, reputet: qua cogitatione ad diuini cultus vitæque futuræ meditationem excitetur: deinde ſuas facultates, vel certè facultatum inopiam expendat: qua perſpecta, nõ ſecus atque in nihilum redactus, in extrema confuſione iaceat. Huc tendit prior conſideratio, vt quale ſit officium ſuum agnoſcat: altera, quid ad ipſum præſtandum valeat. De vtraque, provt ſeries docendi poſcet, à nobis diſſeretur.

4 Quia verò non leue delictum, ſed deteſtabile fuiſſe ſcelus oportet, quod tam ſeuerè vltus eſt Deus, ſpecies ipſa peccati in lapſu Adæ conſideranda nobis eſt, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus. Puerile eſt quod de gulæ intemperie vulgò receptum fuit. Quaſi verò ſumma & caput virtutum omnium in abſtinentia vnius tantùm fructus fuerit, quum vndique affluerent quæcunque expetibiles erant deliciæ, atque in beata illa terræ fœcunditate non tantùm copia ad lautitias ſuppeteret, ſed etiam varietas. Altius igitur ſpectandum, quia prohibitio ab arbore ſcientiæ boni & mali, obedientiæ examen fuit, vt parendo Adam ſe Dei imperio libenter ſubeſſe probaret. Nomen verò ipſum oſtendit præcepti non alium fuiſſe finem, quàm vt ſua ſorte cõtentus, ſe improba cupiditate altius non efferret. Promiſſio autem, qua vitam æternã ſperare iuſſus eſt quandiu ederet de arbore vitæ: rurſum horrenda mortis denuntiatio, ſimulac guſtaret de arbore ſcientiæ boni & mali, ad fidem eius probãdam & exercendam ſpectabat. Hinc elicere non difficile eſt quibus modis in ſe prouocauerit Adam iram Dei. Non malè quidem Auguſtinus, dum ſuperbiam dicit malorum omnium fuiſſe initium: quia niſi hominem altius quàm licebat & quàm fas erat extuliſſet ambitio, manere poterat in ſuo gradu: plenior tamen definitio ex tentation is ſpecie, quã deſcribit Moſes, ſumenda eſt. Nam dum ſerpentis captione abducitur per infidelitatem mulier à verbo Dei, iam initium ruinæ apparet fuiſſe inobedientiam. Quod etiam confirmat Paulus, vnius hominis inobedientia omnes fuiſſe perditos docens. Simul tamen notandum, deſciuiſſe primum hominem ab imperio Dei, quòd non tantùm Satanæ illecebris captus fuerit, ſed cõtempta veritate, deflexerit ad mẽdaciũ. Et certè contẽpto Dei verbo, excutitur omnis eius reue- Rom. 5. d. 19

rētia:quia nec aliter cōsistit eius maiestas inter nos,nec integer manet eius cultus,nisi dū ab eius pendemus ore.Proinde infidelitas radix defectionis fuit.Hinc autem emersit ambitio,& superbia,quibus annexa fuit ingratitudo, quòd Adam plus appetendo quàm cōcessum erat,tantam Dei liberalitatem qua ditatus erat,indignè spreuit. Hæc verò prodigiosa fuit impietas, terræ filio parum videri quòd ad similitudinem Dei factus esset, nisi accedat æqualitas.Si fœdum & execrabile scelus est apostasia,qua se homo conditoris sui imperio subducit,imò petulanter excutit eius iugum,frustra extenuatur peccatum Adę. Quanquam non simplex apostasia fuit,sed cum fœdis in Deum probris coniuncta, dum Satanæ calumniis subscribunt quibus Deum & mendacii & inuidiæ & malignitatis insimulat.Denique infidelitas ambitioni ianuam aperuit:ambitio verò contumaciæ fuit mater,vt homines,abiecto Dei metu,sese proiicerēt quò ferebat libido. Itaque rectè Bernardus ianuam salutis aperiri nobis docet,quum hodie Euangelium auribus recipimus:sicuti illis fenestris,dum Satanæ patuerūt,mors admissa fuit.Nunquam enim repugnare Dei imperio ausus fuisset Adam nisi eius verbo incredulus. Optimum scilicet hoc erat frænū ad omnes affectus ritè temperandos,nihil melius esse quàm Dei mandatis parendo, colere iustitiam:deinde vltimam fœlicis vitæ metam esse ab ipso diligi.Diaboli ergo blasphemiis abreptus,quantum in se erat exinaniuit totam Dei gloriam.

5 Sicut spiritualis Adæ vita erat, manere opifici suo coniunctum & deinctum: ita alienatio ab eo fuit animæ interitus. Nec mirum si genus suū pessundedit sua defectione qui totum naturæ ordinem peruertit in cælo & in terra. Ingemiscūt omnes creaturæ,inquit Paulus,corruptioni obnoxiæ,non volentes. Si causa quæritur,non dubium est quin partem sustineant eius pœnæ quam promeritus est homo, in cuius vsum conditæ fuerāt. Quū ergo sursum & deorsum ex eius culpa fluxerit maledictio, quæ grassatur per omnes mūdi plagas,nihil à ratione alienū si propagata fuerit ad totā eius sobolem.Postquā ergo in eo obliterata fuit cælestis imago,non solus sustinuit hanc pœnam, vt in locum sapientiæ,virtutis,sanctitatis,veritatis,iustitiæ(quibus ornamentis vestitus fuerat)teterrimæ cederent pestes,cæcitas,impotentia,impuritas,vanitas,iniustitia: sed iisdem quoque miseriis implicuit suam progeniem,ac immersit. Hæc est hereditaria corruptio,quam peccatum originale veteres nuncuparunt, Peccati voce intelligentes naturæ antea bonæ puræque deprauationem. Qua de re multa fuit illis concertatio, quum à communi sensu nihil magis sit remotum quàm ob vnius culpam fieri omnes reos, & ita peccatum fieri commune. Quæ videtur fuisse ratio vetustissimis Ecclesiæ doctoribus cur obscurè tātùm perstringerent hoc caput:saltem minus dilucidè quàm par erat explicarent.Neque tamē hæc timiditas efficere potuit quin surgeret Pelagius, cuius profanum commentum fuit, Adam suo tantùm damno peccasse,nihil nocuisse posteris.hac scilicet astutia Satan morbum tegendo,incurabilem reddere tētauit.Cæterùm quum euinceretur manifesto Scripturę testimonio,peccatum à primo homine transiisse in totam posteritatem:cauillabatur trāsiisse per imitationem,non propaginem. Ergo boni viri in hoc elaborarunt(ac præ aliis Augustinus)vt ostenderent nos non ascita nequitia corrumpi,sed ingenitam vitiositatem ab vtero matris afferre. Quod inficiari summæ impudentiæ fuit.Sed Pelagianorū & Cælestianorum temeritatem non mirabitur qui ex illius sancti viri monumentis perspexerit quàm fuerint in aliis omnibus perditæ frontis bestiæ. Certè non ambiguum est quod confitetur Dauid, se in iniquitatibus genitum, & in peccato conceptum à matre. Non arguit illic patris aut matris delicta:sed,quo Dei erga se bonitatem melius commendet,propriæ peruersitatis cōfessionem ab ipsa genitura repetit.Quum id Dauidi peculiare non fuisse constet,sequitur communem humani generis sortem sub eius exemplo notari.Omnes ergo qui ab impuro semine descendimus, peccati contagione nascimur infecti:imò,antequam lucem hāc vitæ aspicimus, sumus in Dei conspectu fœdati & inquinati.Quis enim daret mundum de immundo?Ne vnus quidem,vt est in libro Iob.

Rom.8.d.22

Psal.51.b.7

Iob 14.a.4

6 Audimus ita in filios transmitti parentum immunditiem, vt omnes citra vllam exceptionem, sua origine sint inquinati. Huius autem pollutionis non reperietur exordium,nisi ad primum omnium parentem,tanquam ad fontem,ascendimus.Ita certè habendum est, fuisse Adamum humanæ naturæ non progenitorem modò, sed quasi radicem, atque ideo in illius corruptione meritò vitiatum fuisse hominum genus. Quod ex illius & Christi cōparatione planum facit Apostolus. Quemadmodū(inquit)per vnū hominē peccatū intrauit in vniuersum mundum,& per peccatū mors,quæ in omnes homines per-

Rom.5.b.12

nes peruagata, quando omnes peccauerunt: ita per gratiã Christi iustitia & vita nobis restituta est. Quid hîc garrient Pelagiani? peccatũ Adæ imitatione propagatum? Ergóne ex Christi iustitia nihil aliud proficimus, nisi quòd exẽplum nobis est ad imitationẽ propositum? Quis tantum sacrilegium ferat? Quòd si extra cõtrouersiam est, Christi iustitiã communicatione nostram esse, & ex ea vitam: simul conficitur, vtrunque ita in Adam fuisse perditam, vt in Christo recuperetur: peccatum verò & mortẽ ita per Adam obrepsisse, vt per Christum aboleantur. Non sunt obscura verba, iustificari multos per Christi obedientiam, quemadmodum per Adæ inobedientiam peccatores fuerãt constituti. Ideóque inter eos duos hãc esse relationẽ, quòd hic nos suo exitio inuolutos secum perdidit: ille nos sua gratia in salutem restituit. In tam perspicua luce veritatis nihil longiori vel magis laboriosa probatione opus esse arbitror. Sic & in priore ad Corinthios, quum in resurrectionis fiducia vult pios confirmare, ostendit recuperari in Christo vitam, quæ in Adam perdita fuerat. Qui, nos omnes in Adã mortuos esse pronũtiat, iam simul apertè quoque testatur, peccati labe esse implicitos. Neque enim ad eos peruenire damnatio qui nulla iniquitatis culpa attingerentur. Sed clarius intelligi quid velit, quàm ex alterius membri relatione, non potest, vbi spem vitæ restitutam in Christo docet. Satis autem scitur, illud nõ aliter fieri quàm vbi mirifica illa communicatione iustitiæ suę vim in nos Christus transfundit. quemadmodum alibi scribitur, Spiritum nobis vitam esse propter iustitiam. Ergo neque aliter interpretari licet quod dicitur, nos in Adam mortuos esse, quàm quòd ipse peccando, non sibi tãtùm cladem ac ruinam asciuit, sed naturam quoque nostram in simile præcipitauit exitium. Neque id suo vnius vitio, quod nihil ad nos pertineat: sed quoniam vniuersum suum semen ea in quam lapsus erat vitiositate infecit. Nec verò aliter staret illud Pauli, natura omnes esse iræ filios, nisi iam in ipso vtero maledicti essent. Naturam verò illic notari, non qualis à Deo condita est, sed vt in Adã vitiata fuit, facilè colligitur: quia minimè cõsentaneum esset, Deum fieri mortis authorem. Sic ergo se corrupit Adam, vt ab eo transierit in totam sobolem contagio. Satis etiam clarè pronuntiat cælestis ipse iudex Christus omnes prauos & vitiosos nasci, vbi docet, quicquid genitũ est ex carne, carnem esse, ideóque omnibus clausam esse vitæ ianuam, donec regeniti fuerint.

Cap. 15. c. 22

Rom. 8. b. 10

Ephes. 2. a. 3

Iohan. 3. a. 6

7 Neque ad eius rei intelligentiam necessaria est anxia disputatio, quæ veteres non parum torsit: an filii anima ex traduce paternæ animæ oriatur, quòd in ea potissimũ lues resideat. Eo nos esse contentos oportet, Dominum, quas voluit humanæ naturæ collatas dotes, apud Adamum deposuisse. Ideò illum, quum acceptas perdidit, non tantùm sibi perdidisse, sed nobis omnibus. Quis de animæ traduce sit sollicitus, vbi audiat Adamum nobis non minus quàm sibi ornamenta illa quæ perdidit, accepisse? non vni hominí data illa fuisse, sed vniuersæ hominis naturæ attributa? Nihil ergo absurdi, si spoliato eo, natura nuda inópsque destituitur: si illo per peccatum inquinato, in naturam contagio serpit. Proinde à radice putrefacta rami putridi prodierunt, qui suam putredinem transmiserũt ad alios ex se nascentes surculos. Sic enim vitiati sunt filii in parente, vt nepotibus essent tabifici: hoc est, ita corruptionis exordium in Adam fuit, vt perpetuo defluxu, à prioribus in posteros transfundatur. Neque enim in substantia carnis aut animæ causam habet cõtagio: sed quia à Deo ita fuit ordinatum, vt quæ primo homini dona contulerat, ille tam sibi quàm suis haberet simul ac perderet. Quòd autem cauillantur Pelagiani, verisimile non esse à parentibus piis corruptionem ducere liberos, quum magis eorum puritate sanctificari debeant, facilè refutatur. Non enim ex eorũ regeneratione spirituali descẽdunt, sed generatione carnali. Proinde, vt ait Augustinus, siue reus infidelis, siue absolutus fidelis, non absolutos vterque generat, sed reos: quia ex vitiosa natura generat. Porrò quòd eorum sanctitati quodammodo communicant, specialis est populi Dei benedictio, quæ non facit quominus prima illa & vniuersalis gentis humanę maledictio præcedat. Ex natura enim, reatus: sanctificatio autem ex supernaturali gratia.

Lib. contrã Pelag. & Cæleſt.

8 Atque ne hæc de re incerta & incognita dicta fuerint, peccatũ originale definiamus. Neque verò singulas, quæ à scriptoribus positę sunt, definitiones excutere mihi propositum est: sed vnam proferam duntaxat, quæ veritati mihi videtur optimè cõsentanea. Videtur ergo peccatum originale hereditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio, in omnes animę partes diffusa: quæ primùm facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert quæ Scriptura vocat opera carnis. Atque id est propriè quod à Paulo sæpius peccatũ nominatur. Quæ verò inde emergunt opera, qualia sunt adulteria, scortationes, furta,

Galat. 5. c. 19

odia,cædes,comeſſationes, fructus peccati ſecundum hanc rationem vocat: quanquam & peccata,cum in Scripturis paſſim, tum etiã ab ipſo nuncupantur. Hæc itaque duo diſtinctè obſeruanda:nempe,quòd ſic omnibus naturę noſtræ partibus vitiati peruerſiq́ue, iam ob talem duntaxat corruptionem damnati meritò conuictíque coram Deo tenemur, cui nihil eſt acceptum niſi iuſtitia,innocentia,puritas.Neque iſta eſt alieni delicti obligatio.quod enim dicitur, nos per Adæ peccatum obnoxios eſſe factos Dei iudicio:nõ ita eſt accipiendum,acſi inſontes ipſi & immerẽtes culpã delicti eius ſuſtineremus: ſed quia per eius tranſgreſſionem maledictione induti ſumus omnes,dicitur ille nos obſtrinxiſſe. Ab illo tamen non ſola in nos pœna graſſata eſt,ſed inſtillata ab ipſo lues in nobis reſidet,cui iure pœna debetur.Quare Auguſtinus,vtcunque alienum peccatum ſæpe vocet(quo clarius oſtendat propagine in nos deriuari)ſimul tamen & propriũ vnicuique aſſerit.Et Apoſtolus ipſe diſertiſſimè teſtatur,ideò mortem in omnes peruagatam, quòd omnes peccarint,id eſt,inuoluti ſint originali peccato,& eius maculis inquinati. Atque ideò infantes quoque ipſi,dũ ſuã ſecum damnationé à matris vtero afferunt,non alieno,ſed ſuo ipſorũ vitio ſunt obſtricti. Nam tametſi ſuæ iniquitatis fructus nõdum protulerint,habent tamẽ in ſe incluſum ſemen:imò tota eorum natura,quoddam eſt peccati ſemen:ideò nõ odioſa & abominabilis Deo eſſe non poteſt. Vnde ſequitur, propriè coram Deo cẽſeri peccatũ quia non eſſet reatus abſque culpa.Alterũ deinde accedit,quòd hæc peruerſitas nunquã in nobis ceſſat, ſed nouos aſſiduè fructus parit: ea ſcilicet, quæ antè deſcripſimus, opera carnis:non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit.Quare qui peccatum originale definierunt carentiam iuſtitiæ originalis, quam ineſſe nobis oportebat,quanquam id totum complectuntur quod in re eſt,non tamen ſatis ſignificanter vim atque energiam ipſius expreſſerunt. Nõ enim natura noſtra boni tantùm inops & vacua eſt:ſed malorum omnium adeò fertilis & ferax,vt otioſa eſſe non poſſit.Qui dixerunt eſſe concupiſcentiam,non nimis alieno verbo vſi ſunt,ſi modò adderetur(quod minimè cõceditur à pleriſque) quicquid in homine eſt, ab intellectu ad voluntatem,ab anima ad carnem vſque, hac cõcupiſcentia inquinatũ refertúmque eſſe. aut,vt breuius abſoluatur,totũ hominem nõ aliud ex ſeipſo eſſe quàm concupiſcentiam.

Cũ alibi ſæpe, tum verò 3, de peccatorũ merit. & rem. cap.8. Rom.5.b.12

9 Quamobrem dixi cunctas animæ partes à peccato fuiſſe poſſeſſas, ex quo à fonte iuſtitię deſciuit Adam.Neque enim appetitus tantùm inferior eũ illexit,ſed arcem ipſam mentis occupauit nefanda impietas,& ad cor intimum penetrauit ſuperbia:vt frigidũ ſit ac ſtultum,corruptelam,quæ inde manauit,ad ſenſuales tantùm,vt vocãt,motus reſtringere:aut fomitem vocare qui ſolam partem quæ illis ſenſualitas eſt ad peccatum alliciat, excitet ac trahat.In quo craſſam inſcitiam detexit Petrus Lombardus,qui ſedem quærẽs & veſtigans dicit in carne eſſe,teſte Paulo,non quidem propriè, ſed quia in carne magis apparet.Quaſi verò tantùm partem animæ deſignet Paulus,ac non totã naturam quæ ſupernaturali gratiæ opponitur.Et Paulus omnem dubitationem tollit, corruptionem docens non in vna tãtùm parte ſubſidere, ſed nihil à mortifera eius tabe purũ eſſe, aut ſyncerum. Nam de vitioſa natura diſputans,non tantùm inordinatos qui apparent appetituum motus damnat,ſed præcipuè contendit mentem cæcitati, & cor prauitati addictũ eſſe.atque tertium illud ad Romanos caput nihil aliud eſt quàm originalis peccati deſcriptio.Id ex renouatione clarius patet.Nam ſpiritus,qui veteri homini & carni opponitur, non modò gratiam notat qua corrigitur inferior pars animæ vel ſenſualis, ſed plenam omnium partium reformationem complectitur.Atque ideò Paulus non tantùm craſſos appetitus in nihilum redigi,ſed nos ſpiritu mentis renouari iubet. ſicut etiam alibi tranſformari nos iubet in nouitate mentis.vnde ſequitur,partem illam, in qua maximè refulget animæ præſtantia & nobilitas,non modò vulneratam eſſe,ſed ita corruptam,vt non modò ſanari,ſed nouam propè naturam induere opus habeat. Quatenus & mentem & cor occupet peccatum,mox videbimus.Hîc tantùm breuiter attingere volui, totum hominem quaſi diluuio à capite ad pedes ſic fuiſſe obrutum, vt nulla pars à peccato ſit immunis:ac proinde quicquid ab eo procedit in peccatũ imputari.ſicut dicit Paulus omnes affectus carnis,vel cogitationes,eſſe inimicitias aduerſus Deum,& ideò mortem.

Ephe.4.c.23 Roma.12.a.2

Rom.8.b.7

10 Eant nũc qui Deũ ſuis vitiis inſcribere audent, quia dicimus naturaliter vitioſos eſſe homines. Opus Dei perperã in ſua pollutione ſcrutantur, quod in illa integra adhuc & incorrupta Adæ natura requirere debuerãt. A carnis ergo noſtræ culpa,nõ à Deo noſtra perditio eſt.quãdo nõ alia ratione periimus, niſi quia degenerauimus à prima noſtra conditione.

conditione. Neque hîc obstrepat quispiam, potuisse Deum nostræ saluti melius prospicere si Adæ lapsui occurrisset. Nam obiectio ista cum ob nimis audacem curiositatē piis mentibus abominanda est, tum ad prædestinationis arcanum attinet, quod suo loco postea tractabitur. Quare ruinam nostram naturæ deprauationi imputandam memineri-mus, ne in Deum ipsum naturæ authorem stringamus accusationem. Hærere quidem exitiale illud vulnus in natura verum est: sed multum refert accesseritne aliunde, an ab origine insederit. Constat autem per peccatum inflictum fuisse. Non est igitur cur conqueramur nisi de nobisipsis, quod diligenter annotauit Scriptura. Dicit enim Ecclesiastes, Hoc solo, quòd fecerit Deus hominem rectum: ipsi autem quæsierunt sibi adinuentiones multas. Homini tantùm suum exitium adscribēdum apparet, quum Dei benignitate rectitudinem adeptus, sua ipse dementia in vanitatem delapsus sit. Eccle. 7. d. 30

11 Dicimus ergo naturali hominem vitiositate corruptum, sed quæ à natura non fluxerit. A natura fluxisse negamus, vt significemus aduentitiam magis esse qualitatem quę homini acciderit, quàm substantialem proprietatem quæ ab initio indita fuerit. Vocamus tamen naturalem, nequis ab vnoquoque praua consuetudine comparari putet, quum hereditario iure vniuersos comprehensos teneat. Neque id sine authore facimus. Eadem enim causa nos omnes esse natura filios iræ docet Apostolus. Quomodo creaturæ omnium nobilissimæ infensus esset Deus, cui placent infima quæque opera sua? Sed operis sui corruptioni magis infensus est quàm operi suo. Ergo si ob vitiatam humanam naturam non inscitè dicitur homo naturaliter esse Deo abominabilis, non etiam ineptè dicetur naturaliter prauus & vitiosus: quemadmodum non veretur Augustinus, ratione corruptæ naturæ, naturalia dicere peccata quæ in carne nostra necessario regnant, vbi abest Dei gratia. Ita euanescit stultum Manichæorum nugamentum, qui quum substantialem in homine malitiam imaginarētur, alterum illi conditorem affingere ausi sunt, ne iusto Deo viderentur mali causam & principium assignare. Ephes. 2. a. 3

Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum, & miseræ seruituti addictum. CAP. II.

POSTQVAM visum est peccati dominatum, ex quo primū hominem sibi obligatum tenuit, non solùm in toto genere grassari, sed in solidum etiam occupare singulas animas, nunc propius excutiendum restat, ex quo in hanc seruitutem redacti sumus, an omni spoliati simus libertate: & siqua particula adhuc viget, quousque vis eius procedat. Sed quo facilius nobis huius quæstionis veritas eluceat, scopum obiter præfigam, quò tota summa destinanda sit. Hæc autem optima caueudi erroris erit ratio, si pericula considerentur quæ vtrinque imminēt. Nam vbi omni rectitudine abdicatur homo, statim ex eo desidiæ occasionem arripit: & quia nihil ad iustitiæ studium valere per se dicitur, illud totum, quasi iam nihil ad se pertineat, susque déque habet. Rursum vel minutulum illi quippiam arrogari non potest quin & Deo præripiatur suus honor, & ipse temeraria confidentia labefactetur. Ad hos ergo scopulos ne impingamus, tenendus hic cursus erit, vt homo nihil boni penes se reliquum sibi esse edoctus, & miserrima vndique necessitate circunseptus, doceatur tamen ad bonum quo vacuus est, ad libertatem, qua priuatus est, aspirare: & acrius ab ignauia excitetur quàm si summa virtute fingeretur instructus. Hoc secundum quàm necessarium sit, nemo non videt. De priore video à pluribus dubitari quàm conueniebat. Nam hoc extra controuersiam posito, nihil homini de suo adimendum esse, quantopere interfit ipsum falsa gloriatione deiici, palàm constare debet. Nam si ne tum quidem hoc homini concessum fuit vt in se gloriaretur, quum Dei beneficentia summis ornamentis esset insignitus, quantū nunc humiliari conuenit, vbi ob suam ingratitudinem ab eximia gloria in extremā ignominiam deturbatus est? Pro eo, inquam, tempore quo in summum honoris fastigium eue ctus erat, Scriptura nihil aliud ei tribuit quàm quòd creatus esset ad imaginem Dei: quo scilicet insinuat, non propriis bonis sed Dei participatione fuisse beatum. Quid ergo nūc supereſt nisi vt Deum, (cuius beneficentiæ gratus esse non potuit, quum diuitiis gratiæ eius afflueret) omni gloria nudus ac destitutus agnoscat? & quem bonorum suorum recognitione non glorificauit, nunc saltem propriæ paupertatis confessione glorificet? Nihilo etiam minus è re nostra est, omnem sapientiæ virtutisque laudem nobis derogari, quàm ad Dei gloriam attinet: vt cum sacrilegio ruinam nostram coniungant qui aliquid vltra verū nobis largiūtur. Quid enim aliud fit, quum marte nostro docemur cōtendere,

Hæc duo præcipitia notat Augustinus Epist. 47. & in Iohan. ca. 12

niſi quòd baculo arundineo in ſublime euehimur,quo mox cõfracto decidamus? Quanquam nimis etiamnum commendantur vires noſtrę,dum baculo arundineo comparantur. Fumus enim eſt quicquid de illis vani homines commenti ſunt & garriunt. Quare non abs re toties ab Auguſtino præclara iſta ſententia repetitur, præcipitari magis à ſuis defenſoribus liberum arbitrium,quàm ſtabiliri. Hæc præfari neceſſe fuit propter nõnullos,qui,dum audiunt humanam virtutem funditus euerti,vt Dei virtus in homine ædificetur, totam hanc diſputationem peſſimè oderunt quaſi periculoſam , nedum ſuperuacuam:quam tamen & in religione neceſſariam,& nobis vtiliſſimam eſſe apparet.

2 Nunc conſideremus,quum paulo antè dixerimus in mente & corde ſitas eſſe animæ facultates, quid pars vtraque polleat. Philoſophi ſanè magno conſenſu rationem in mente conſidere fingunt, quæ inſtar lampadis conſiliis omnibus præluceat, & inſtar reginæ voluntatẽ moderetur.Ita enim luce diuina perfuſam eſſe,vt optimè cõſulere:eo vigore præſtare,vt optimè imperare queat.Senſum contrà torpere & lippitudine teneri,vt ſemper humi ſerpat,& in craſſioribus obiectis volutetur, nec vnquã ſe attollat ad veram perſpicaciam. Appetitum,ſi rationi parere ſuſtineat,nec ſenſui ſubigẽdum ſe permittat, ad ſtudium virtutum ferri,rectam viam tenere,& in voluntatem formari: quòd ſi in ſeruitutem ſenſus ſe addicat,ab eo corrumpi & deprauari,vt in libidinem degeneret. Atque omnino quum ex eorum opinione illæ quas ſuprà dixi animæ facultates inſideant,intellectus,ſenſus,& appetitus,ſeu volũtas: (quæ appellatio iam vulgatiore vſu recepta eſt) intellectum ratione præditum aſſerunt optima ad bene beatéque viuendum moderatrice, ipſe modò ſe in ſua præſtãtia ſuſtineat,ac vim ſibi naturaliter inditam exerat. Inferiorem autem eius motionem,quæ ſenſus dicitur, qua ad errorem & hallucinationem abſtrahitur,talem eſſe vt rationis ferula domari & paulatim profligari queat. Voluntatem porrò inter rationem & ſenſum mediam locant,ſui ſcilicet iuris & libertatis compotem,ſiue rationi obtemperare,ſiue ſenſui rapiendam ſe proſtituere libeat.

3 Non inficiantur quidem interdum,ipſa nimirum experientia conuicti,quanta cũ difficultate rationi apud ſe regnum homo ſtabiliat: dum nunc titillatur voluptatum illecebris,nunc falſa bonorum imagine deluditur, nunc impotenter percutitur immoderatis affectibus,& tanquam funibus,vel neruis (vt ait Plato) in diuerſum abripitur. Qua etiã ratione Cicero dicit illos à natura datos igniculos,prauis opinionibus maliſque moribus mox extingui. Vbi verò ſemel occuparunt in animis hominũ eiuſmodi morbi, impotentius graſſari fatentur quàm vt facilè coercere eos liceat:nec dubitãt ferocibus equis comparare,qui ex turbata ratione,ceu auriga excuſſo,intemperanter ac ſine modo laſciuiãt. Hoc tamen extra controuerſiã ponunt,virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate.nã ſi noſtræ (inquiunt) electionis eſt hoc aut illud agere:ergo & non agere.Rurſum ſi non agere: ergo & agere.Libera autem electione agere videmur quæ agimus, & ab iis abſtinere quibus abſtinemus:ergo ſiquid boni agimus vbi libeat, poſſumus illud omittere:ſiquid mali perpetramus,poſſumus id quoque fugere. Quinetiam eò licentiæ quidam eorum proruperũt,vt iactarint deorum quidem eſſe munus,quòd viuimus: noſtrum verò, quòd bene ſanctéque viuimus.vnde & illud Ciceronis in perſona Cottæ,quia ſibi quiſque virtutem acquirit,neminem ex ſapientibus vnquam de ea gratias Deo egiſſe.Propter virtutẽ enim laudamur,inquit,& in virtute gloriamur.quod nõ fieret ſi donum eſſet Dei,non à nobis. Ac paulo pòſt, Iudicium hoc omnium mortalium eſt,fortunam à Deo petẽdam,à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam.Hæc ergo philoſophorum omnium ſententiæ ſumma eſt,humani intellectus rationem rectæ gubernationi ſufficere: voluntatem illi ſubiacentem, à ſenſu quidem ad mala ſolicitari: ſed,vt liberam electionem habet, impediri nequaquam poſſe quin rationem ducem per omnia ſequatur.

4 Inter ſcriptores Eccleſiaſticos tametſi nemo extitit qui nõ agnoſceret & ſanitatẽ rationis in homine grauiter ex peccato vulneratam , & voluntatem prauis cupiditatibus valde implicitam eſſe: multi tamen eorum longè plus æquo philoſophis acceſſerunt. Ex quibus veteres mihi videntur hoc cõſilio vires humanas ſic extuliſſe, ne ſi impotentiam diſertè eſſent cõfeſſi, primùm philoſophorum ipſorum cachinnos,quibuſcum tunc certamen habebant,excuterent:deinde carni ſuapte ſponte nimis ad bonũ torpenti nouam deſidiæ occaſionem præberent. Ergo nequid communi hominum iudicio abſurdum traderent,Scripturæ doctrinam cum philoſophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare ſtudium illis fuit:præcipuè tamen ſecundum illud ſpectaſſe, ne deſidiæ locum facerent,

Li.1.de leg. Lib.3.Tuſc. Quæſt.

Vide apud Ariſt.libr.3. Ethic.cap.5

Seneca. 3.de Nat. deorum.

rent,ex eorũ verbis apparet.Habet Chryſoſtomus alicubi: Quoniam bona & mala in noſtra Deus poteſtate poſuit,electionis liberum donauit arbitrium:& inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur. Item,Sæpe qui malus eſt,ſi voluerit,in bonum mutatur: & qui bonus, per ignauiã excidit, & fit malus. quia liberi arbitrii eſſe noſtrã naturam fecit Dominus:nec imponit neceſſitatem,ſed congruis remediis appoſitis totum iacere in ægrotantis ſententia ſinit.Item,Sicut niſi gratia Dei adiuti,nihil vnquam poſſumus rectè agere:ita niſi quod noſtrum eſt attulerimus,non poterimus ſupernum acquirere fauorẽ. Dixerat autẽ prius, Vt nõ totũ diuini ſit auxilii,ſimul nos aliquid afferre oportet. Adeóque verbum hoc illi paſſim familiare eſt, Afferamus quod eſt noſtrũ, reliqua Deus ſupplebit. Cui conſentaneum quod ait Hieronymus,Noſtrum eſſe incipere,Dei autẽ perficere:noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod nõ poſſumus.Vides certè iis ſententiis homini plus quàm par erat ad virtutis ſtudium illos eſſe largitos: quia putabãt ſe non aliter torporem nobis ingenitum poſſe expergefacere, quàm ſi ſolo ipſo nos peccare arguerent.id autem quanta dexteritate ab illis factum ſit,poſtea videbimus. Certè,quas retulimus ſententias,eſſe falſiſſimas,paulo pòſt conſtabit.Portò tametſi Græci præ aliis, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus, in extollenda humanæ volũtatis facultate modum exceſſerunt,veteres tamẽ omnes,excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variãt, aut vacillãt, aut perplexè loquuntur,vt certi ferè nihil ex eorum ſcriptis referre liceat.Itaque enumerandis ſingulorũ ſententiis exactius nõ inſiſtemus:ſed carptim ex vnoquoque tantũ delibabimus quantum argumẽti explicatio exigere viſa fuerit. Qui poſtea ſequuti ſunt(dum pro ſe quiſque in humanæ naturæ defenſione argutiæ laudẽ captat) ſenſim alii poſt alios in deterius continuò delapſi ſunt:donec eò ventũ eſt vt vulgò putaretur homo, ſenſuali tantùm parte corruptus,habere prorſus incolumem rationem,volũtatem etiã maiori ex parte.Interea volitauit illud in ore omnium, naturalia dona in homine corrupta eſſe,ſupernaturalia verò ablata. Sed quorſum tẽderet, vix centeſimus quiſque leuiter guſtauit. Ego certè ſi dilucidè tradere velim qualis ſit naturæ corruptela,his verbis facilè ſim contentus. Sed magnoperè intereſt attentè expendi quid homo & in cũctis naturæ ſuæ partibus vitiatus,& donis ſupernaturalibus exutus valeat.Nimis ergo philoſophicè hac de re loquuti ſunt qui ſe Chriſti iactabant eſſe diſcipulos.Nã quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrii nomẽ extitit.Græcos verò nõ puduit multo arrogantius vſurpare vocabulum. ſiquidem αὐτεξούσιον dixerunt, acſi poteſtas ſuiipſius penes hominem fuiſſet.Quoniã ergo ad vulgus etiã ipſum omnes hoc principio imbuti ſunt,præditum eſſe libero arbitrio hominẽ,nonnulli autem eorum qui eximii volunt videri,quovſque id extendatur neſciunt:nos vim vocis prius excutiamus, tum ex Scripturæ ſimplicitate exequamur quid ſuapte natura homo ad bonum aut malum polleat. Liberum arbitrium quid eſſet,quum in omniũ ſcriptis identidem occurrat,pauci definierunt.Videtur tamen Origenes id de quo paſſiminter eos conueniebat,poſuiſſe,quum dixit, Facultatem eſſe rationis ad bonum malúmve diſcernendũ: voluntatis ad vtrumvis eligẽdum. Nec ab eo variat Auguſtinus, quum docet facultatem eſſe rationis & volũtatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente:malũ,ea deſiſtente.Obſcurius Bernardus,dum vult argutè loqui,qui ait eſſe conſenſum,ob voluntatis inamiſſibilem libertatẽ,& rationis indeclinabile iudicium.Nec ſatis popularis Anſelmi definitio, qui tradit eſſe poteſtatem ſeruandi rectitudinem propter ſeipſam. Itaque Petrus Lombardus & Scholaſtici Auguſtini definitionem magis amplexi ſunt, quia & apertior erat,& gratiam Dei non excludebat:ſine qua voluntatem ſibi per ſe non ſufficere videbãt.Sua tamen & ipſi afferunt,ſiue quę meliora eſſe,ſiue quæ facere putabant ad maiorem explicationẽ.Principiò conſentiunt,nomen arbitrii magis ad rationem referendum,cuius eſt diſcernere inter bona & mala:epithetum liberi,ad voluntatẽ propriè pertinere,quæ ad vtrũque flecti poſſit. Quare quum libertas propriè volũtati conueniat,Thomas optimè quadrare dicit ſi liberum arbitrium dicatur vis electiua,quæ mixta quidem ex intelligentia & appetitu,magis tamẽ ad appetitum inclinet. Iam habemus in quibus ſitam eſſe doceant vim liberi arbitrii, in ratione ſcilicet & voluntate.nunc quantum vtrique parti tribuant,breuiter videndum ſupereſt.

5 Communiter ſolent res medias, quæ ſcilicet nihil ad regnum Dei pertinẽt, ſub libero hominis cõſilio ponere:veram autem iuſtitiam ad ſpecialẽ Dei gratiã & ſpiritualem regenerationem referre.Quod dũ vult oſtendere author operis De vocatione Gentium, triplicem voluntatem numerat: primam ſenſitiuam, alteram animalem, tertiam ſpiri-

Homil.de prodi. Iudę.

Homil.18.in Geneſin.

Homil.51.

Dialog.3.cõtra Pelag.

Lib.3. περὶ ἀρχῶν.

Lib.2.ſent. diſtinct.24.

Part.1.quęſt. 83.art.3

Lib.1.cap.2

tualem:quarum priores duas homini liberas esse tradit,vltimã opus esse Spiritus sancti in homine. Quod an verũ sit,suo loco tractabitur.nunc enim recensere breuiter aliorũ sententias,nõ refellere propositum est.Hinc fit vt quum de libero arbitrio agunt scriptores, non quid ad ciuiles seu externas actiones,sed quid ad diuinæ Legis obediẽtiam valeat,in primis requirãt.Quam posteriorem quæstionem sic præcipuam esse fateor, vt illam arbitrer non prorsus negligendam.Cuius sententię spero me optimam rationem redditurum. Obtinuit autem in scholis distinctio,quæ triplicem libertatem numerat:à necessitate primam,secundam à peccato,tertiam à miseria.quarum prima sic homini naturaliter inhæreat vt nequeat vllo modo eripi,duæ alteræ per peccatũ sint amissæ. Hanc distinctionem ego libenter recipio,nisi quòd illic necessitas cum coactione perperam confunditur:inter quas quantum sit discriminis,& quàm necessariò considerandum, alibi apparebit.

6 Hoc si recipitur,extra controuersiam erit, non suppetere ad bona opera liberum arbitrium homini,nisi gratia adiuuetur,& gratia quidem speciali,qua electi soli per regenerationem donantur.Nam phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiscuè expositam esse garriũt. Sed nondum istud liquet sitne in totum priuatus bene agendi facultate,an habeat adhuc nonnullam, sed pusillam & infirmam: quæ per se quidem nihil possit,opitulante verò gratia, suas ipsa quoque partes agat. Id dum vult expedire Magister sententiarum,duplicem gratiam necessariam esse nobis docet, quò reddamur ad bonum opus idonei.Alteram vocat Operantem,qua fit vt efficaciter velimus bonum : Cooperantem alteram,quæ bonam voluntatẽ sequitur adiuuãdo.In qua partitione hoc mihi displicet,quòd dum gratiæ Dei tribuit efficacem boni appetitum, innuit hominẽ iam suapte natura,bonum quodãmodo,licet inefficaciter,appetere. sicut Bernardus bonam quidem voluntatem opus Dei esse asserens,homini tamen hoc cõcedit,vt motu proprio bonam eiusmodi voluntatem appetat.Sed istud ab Augustini mente procul abest, à quo tamen sumpsisse partitionem videri vult Lombardus.In secũdo membro ambiguitas me offendit,quæ peruersam genuit interpretationem.Ideo enim putarunt nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quòd nostri iuris sit primam gratiam vel respuendo irritam facere, vel obedienter sequendo confirmare.Quod author operis De vocatione Gentium sic expri mit,Liberum esse iis qui rationis iudicio vtuntur, à gratia discedere: vt non discessisse sit præmium, & vt quod non potest nisi Spiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur quorum id potuit voluntate non fieri.Hæc duo notare obiter libuit,vt videas iam lector quantum à sanioribus Scholasticis dissentiam.Longiore enim interuallo à recentioribus Sophistis differo,quanto scilicet à vetustate longius abscesserunt.Vtcũque,ex hac tamen partitione intelligimus qua ratione liberũ dederint arbitrium homini. Pronuntiat enim tandem Lombardus,non liberi arbitrii ideo nos esse quòd ad bonum & malum vel agendum vel cogitandũ peræque polleamus:sed duntaxat quòd coactione soluti sumus.Quæ libertas non impeditur,etiãsi praui simus,& serui peccati,& nihil quã peccare possimus.

Lib.2.dist. 26

De libero arbitrio.

Lib.2.cap.4

Lib.2.sent. distinct.25

7 Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo,non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionẽ:sed quia malè voluntate agit,non coactione.Optimè id quidẽ:sed quorsum attinebat rem tantulam adeò superbo titulo insignire?Egregia verò libertas,si homo quidem non cogitur ad seruiendum peccato:sic tamen est ἐθελόδουλος, vt vincta teneatur peccati compẽdibus eius volũtas. Equidem λογομαχίας abominor, quibus frustra Ecclesia fatigatur:sed religiosè censeo cauendas eas voces quæ absurdũ aliquid sonant:præsertim vbi pernicioſè erratur. Quotus autem,quæso,quisque est,qui dum assignari homini liberum arbitriũ audit,non statim concipit illum esse & mentis suæ & voluntatis dominum, qui flectere se in vtramuis partem à seipso possit? Atqui(dicet quispiã) sublatum erit huiusmodi periculum,si de significatione diligenter plebs admoneatur. Imò verò quum in falsitatem vltrò humanum ingenium propẽdeat,citius errorem ex verbulo vno hauriet, quàm veritatem ex prolixa oratione. Cuius rei certius habemus in hoc ipso vocabulo, quàm optandum sit,experimentum.Illa enim veterum interpretatione prætermissa,tota ferè posteritas in verbi etymo dum hæret,in exitialem confidentiam euecta est.

8 Quòd si nos Patrũ authoritas mouet:illi quidem assiduè in ore habẽt vocabulum, sed simul declarãt quãti faciant illius vsum.In primis Augustinus, qui nõ dubitat seruum appellare.Alicubi succensẽt aduersus eos qui liberũ negant arbitrium:sed præcipuam rationem declarat,quum ait, Tantùm ne audeat quisquã sic negare volũtatis arbitrium, vt velit excusare peccatum. At certè alibi fatetur sine Spiritu non esse liberam hominis voluntatem

Lib.1.cõtra Iulianum.

Homil.53.in Iohan.

Ad Anast. epist.44

luntatem,quum cupiditatibus vincientibus ac vincentibus ſubdita ſit. Item, victa vitio in quod cecidit voluntate,cœpiſſe carere libertate naturam.Item,hominem libero arbitrio malè vſum,& ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe. Item, liberum arbitrium captiuatum, nequid poſſit ad iuſtitiam.Item, liberum non fore,quod nõ Dei gratia liberauerit. Item, iuſtitiam Dei non impleri, quũ Lex iubet, & homo quaſi ſuis viribus facit:ſed quum Spiritus adiuuat:& hominis nõ libera,ſed à Deo liberata voluntas obſequitur. Atque horum omnium rationẽ breuiter reddit, quum alibi ſcribit, hominẽ magnas liberi arbitrii vires, quũ cõderetur,accepiſſe:ſed peccando amiſiſſe.Itaque alibi,poſtquam oſtendit liberum arbitriũ conſtitui per gratiam,acriter in eos inuehitur, qui ſibi illud arrogant ſine gratia. Vtquid ergo,inquit, miſeri homines aut de libero arbitrio audẽt ſuperbire, antequam liberentur:aut de ſuis viribus,ſi iam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii vtique libertatem ſonare. Vbi autem Spiritus Domini,ibi libertas.Si ergo ſerui ſunt peccati,quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus eſt,huic & ſeruus addictus eſt.Si autem liberati ſunt,quid ſe iactant velut de opere proprio? An ita liberi ſunt, vt nec ſerui eius eſſe velint qui dicit,Sine me nihil poteſtis facere? Quid, quòd alio etiam loco videtur iocoſè eludere vſum eius vocis,quum dicit, liberum quidem eſſe arbitrium, ſed non liberatum:liberum iuſtitiæ, ſeruum peccati. Quam ſententiam alibi quoque repetit & explicat,vbi docet liberum à iuſtitia non eſſe hominem, niſi arbitrio voluntatis: à peccato autem non fieri liberum niſi gratia Saluatoris. Qui libertatem hominis nihil aliud eſſe ſibi teſtatur quàm emancipationem, vel manumiſſionem à iuſtitia,illius inane nomen videtur bellè irridere. Itaque ſiquis vocis huius vſum non praua intelligentia ſibi permittat,per me quidem non vexabitur ob eam rem:ſed quia ſine ingenti periculo non poſſe retineri cẽſeo,magno contrà Eccleſiæ bono futurum ſi aboleatur: neque ipſe vſurpare velim,& alios,ſi me conſulant,abſtinere optarim.

Deperf.iuſt. Foch.adLaurent.cap.30
Lib.3.ad Bonifac.cap.8
Lib.3.cap.7
Lib.1. ad Bonifac.cap.3
Lib.3. cap.7
Lib. de ver. Apoſt.ſer.3
Lib.de ſpiritu & litera.cap.30
2.Cor.3.d.17
Iohan.15.a.5
De corrept. & grat. cap. 13

9 Magnum mihi præiudicium attuliſſe forſan videar,qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos,excepto Auguſtino,ita ambiguè aut variè in hac re loquutos eſſe confeſſus ſum,vt certum quippiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat. Hoc enim perinde nonnulli interpretabuntur quaſi à ſuffragii iure depellere ideo ipſos voluerim,quia mihi ſint omnes aduerſarii.Ego verò nihil aliud ſpectaui quàm quòd volui ſimpliciter ac bona fide conſultũ piis ingeniis:quæ ſi eorum ſententiam hac in parte expectent,ſemper incerta fluctuabũt: adeò nunc hominem liberi arbitrii viribus ſpoliatum, ad ſolam gratiam confugere docent:nunc propriis ipſum armis aut inſtruunt,aut videntur inſtruere.Difficile tamen factu nõ eſt,vt appareat eos in huiuſmodi loquendi ambiguitate, humana virtute nihil aut quàm minimo æſtimata, totam Spiritui ſancto bonorũ omnium laudẽ detuliſſe: ſi quã dam eorum ſentẽtias huc inſeram quibus id clarè docetur. Quid enim ſibi vult illud Cypriani,toties ab Auguſtino celebratum,De nullo gloriandum:quia nihil noſtrum eſt,niſi vt homo prorſus apud ſe exinanitus,à Deo totus pendere diſcat.Quid illud Auguſtini & Eucherii,dum lignum vitæ Chriſtum eſſe exponũt, ad quem qui manum porrexerit, viuet:lignum ſcientiæ boni & mali,voluntatis arbitrium, de quo, qui relicta gratia Dei guſtauerit,morietur? Quid illud Chryſoſtomi,Quòd omnis homo nõ modò naturaliter peccator,ſed totus peccatum eſt? Si nihil boni noſtrum eſt,ſi homo à vertice ad calcem totus eſt peccatum, ſi ne tentare quidem licet quantum valeat arbitrii facultas: quî iam inter Deum & hominem laudem boni operis partiri liceat? Poſſem eiuſmodi formæ permulta ex aliis referre:ſed nequis cauilletur,me ſeligere ſola ea quæ cauſæ meæ ſeruiunt, quæ autem aduerſantur callidè præterire, ab hac recitatione abſtineo. Audeo tamen hoc affirmare, vtcunque nimii interdum ſint in libero arbitrio extollendo, hunc tamen illis propoſitum fuiſſe ſcopum, vt hominem à virtutis ſuæ fiducia penitus auerſum, in Deo vno fortitudinem ſuam repoſitam habere doceant. Nunc ad ſimplicem veritatis explicationem in conſideranda hominis natura venio.

Lib.de prædeſt. ſanct. Item ad Bonifaciũ libr. 4,& alibi
Lib. in Geneſin.
Homil.1. in aduerſu.

10 Quod tamen initio huius capitis præfatus ſum,cogor rurſum hîc repetere, Vt quiſque maximè ſuæ calamitatis, inopiæ,nuditatis,ignominiæ cõſcientia deiectus eſt & conſternatus,ita optimè in ſui cognitione profeciſſe.Nõ enim periculum eſt ne ſibi nimium adimat homo,dummodo recuperandum in Deo diſcat quod ſibi deeſt. At ſibi ne tantillum quidem ſumere vltra ius ſuũ poteſt, quin & inani confidentia ſe perdat, & diuinum honorem ad ſe traducens,immanis ſacrilegii reus fiat.Et ſanè quoties hæc libido mẽtem noſtram inceſſit vt aliquid noſtrũ habere expetamus,quod in nobis ſcilicet potius quàm

in Deo reſideat, cogitationem hanc non ab alio conſiliario ſciamus nobis ſuggeri quàm qui primos parentes induxit vt diis eſſe ſimiles vellent, ſcientes bonum & malum. Si verbum diabolicum eſt, quod hominem in ſeipſo erigit, illi ne locum demus: niſi ab hoſte conſilium capere libet. Dulce quidem eſt, tantum habere propriæ virtutis vt in teipſo acquieſcas: ſed, ne ad inanem iſtam fiduciam illectemur, deterreant nos tot graues ſententiæ, quibus ſeuerè proſternimur: quales ſunt, Maledictum eſſe qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ ſuum. Item, Non delectari Deũ robore equi: tibias viri illi non placere: ſed affici erga timentes ſe, ſuſpicientes bonitatem ſuam. Item, Ipſum eſſe qui dat laſſo vires, & virtute defecto robur auget: qui facit vt fatigentur & laborent adoleſcẽtes, iuuenes impingant: qui autem in ipſo vno ſperant, roborentur. Quæ omnes eò ſpectant, vt ne quantulacũque fortitudinis noſtræ opinione nitamur, ſi Deum volumus habere propitium, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiã. Tum in memoriam rurſum veniant iſtæ promiſſiones, Effundam aquam ſuper ſitiẽtem, & flumina ſuper aridam. Item, Omnes ſitientes venite ad aquas. Quæ teſtãtur, ad percipiendas Dei benedictiones nullos admitti niſi ſuæ paupertatis ſenſu tabeſcentes. Nec prætereundæ eiuſmodi, qualis iſta eſt Ieſaiæ, Non erit amplius tibi ſol ad lucendum per diem, neque luna ad lucendum per noctem: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternã. Solis certè aut lunæ ſplendorẽ non aufert Dominus ſeruis ſuis: ſed quia vult in ipſis ſolus glorioſus apparere: ab iis etiam quæ habentur eorum opinione excellentiſſima, fiduciam eorum procul auocat.

Iere. 17. a. 5
Pſal. 147. b. 10
Ieſa. 40. g. 29
Iac. 4. b. 6
Ieſa. 44. a. 3
Idem 55. a.
Ieſa. 60. d. 19

11 Semper ſanè mihi vehementer illud Chryſoſtomi placuit, Fundamentum noſtræ philoſophiæ eſſe humilitatem. magis etiamnũ illud Auguſtini, Quemadmodum, inquit, rhetor ille rogatus quid primum eſſet in eloquentiæ præceptis: reſpondit pronuntiationem: quid ſecundum, pronuntiationem: quid tertium, pronuntiationem. ita ſi me interroges de religionis Chriſtianæ præceptis, primò, ſecundò, & tertiò & ſemper reſpondere liberet humilitatem. Porrò humilitatem non intelligit, vbi homo aliquantæ virtutis ſibi conſcius à ſuperbia faſtúque abſtinet: ſed vbi talem ſe verè ſentit qui nullum habeat niſi in humilitate refugium, quemadmodũ alibi declarat. Nemo, inquit, ſe palpet de ſuo Satanas eſt. id vnde beatus eſt, à Deo tantùm habet. Quid enim de tuo habes niſi peccatũ? Tolle tibi peccatum, quod tuum eſt: nam iuſtitia Dei eſt. Item, Quid tantum de naturæ poſſibilitate præſumitur? vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt. Vera confeſſione, non falſa defenſione opus habet. Item, Quãdo quiſque cognoſcit quòd in ſeipſo nihil eſt, & adiutorium de ſe nullum habet: arma in ipſo cõfracta ſunt, bella ſedata ſunt. Neceſſe autem eſt vt conterantur omnia impietatis arma, confringantur, comburantur: remaneas inermis, nullum habeas in te adiutorium. Quanto magis in te infirmus es, tanto magis te ſuſcipit Dominus. Sic in Pſalmum ſeptuageſimum, iuſtitiæ noſtræ reminiſci nos vetat, quo Dei iuſtitiam agnoſcamus: ac Deum oſtendit ſic nobis gratiam ſuam commẽdare, vt nos nihil eſſe ſciamus. Stare tantùm Dei miſericordia, quum à nobis ipſis nonniſi mali ſimus. Ne hîc ergo de iure noſtro cum Deo contendamus, acſi ſaluti noſtræ decederet quod illi tribuitur. Siquidem vt noſtra humilitas, eius eſt altitudo: ita confeſſio noſtræ humilitatis, miſerationem eius in remedium paratam habet. Neque verò exigo vt homo non conuictus, vltrò cedat: & ſiquas facultates habet, ab iis animum auertat, quo in veram humilitatem ſubigatur: ſed vt ſepoſito φιλαυτίας καὶ φιλονεικίας morbo (quo excæcatus, æquo altius de ſe ſentit) in veraci Scripturæ ſpeculo ſeipſum probè recognoſcat.

Homil. de perf. Euang.
Epiſt. 56. ad Dioſco.
Homilia in Iohan. 49
Lib. de natura & gratia, cap. 52
In pſal. 45

12 Ac illa quidem vulgaris ſententia quam ſumpſerunt ex Auguſtino, mihi placet, naturalia dona fuiſſe corrupta in homine per peccatum, ſupernaturalibus autem exinanitum fuiſſe. Nam hoc poſteriore membro intelligunt tam fidei lucem quàm iuſtitiam, quæ ad cæleſtem vitam æternámque fœlicitatem adipiſcendam ſufficerent. Ergo ſe abdicans à regno Dei, ſimul priuatus eſt ſpiritualibus donis, quibus in ſpem ſalutis æternæ inſtructus fuerat. vnde ſequitur, ita exulare à regno Dei, vt quæcunque ad beatam animæ vitam ſpectãt, in eo extincta ſint, donec per regenerationis gratiam ipſa recuperet. In his ſunt, fides, amor Dei, charitas erga proximos, ſanctitatis & iuſtitiæ ſtudium. Hæc omnia quum nobis reſtituat Chriſtus, aduentitia cenſentur, & præter naturam: ideóque fuiſſe abolita colligimus. Rurſum ſanitas mentis & cordi rectitudo ſimul fuerunt ablata. atque hæc eſt naturalium donorum corruptio. Nam etſi aliquid intelligentiæ & iudicii reſiduum manet vnà cum voluntate, neque tamen mẽtem integram & ſanam dicemus, quæ & debilis eſt, & multis tenebris immerſa. & prauitas voluntatis plus ſatis nota eſt.

Quum

Quum ergo ratio qua discernit homo inter bonum & malum, qua intelligit & iudicat, naturale donũ sit, non potuit in totũ deleri: sed partim debilitata, partim vitiata fuit, vt deformes ruinæ appareãt. Hoc sensu dicit Iohãnes lucẽ adhuc in tenebris lucere, sed à tenebris non cõprehendi: quibus verbis vtrunq; clarè exprimitur, in peruersa & degenere hominis natura micare adhuc scintillas, quæ ostendãt rationale esse animal, & à brutis differre, quia intelligẽtia prædita sit: & tamen hanc lucẽ multa ignorantiæ densitate suffocari, vt efficaciter emergere nequeat. Sic voluntas, quia inseparabilis est ab hominis natura, nõ periit: sed prauis cupiditatibus deuincta fuit, vt nihil rectũ appetere queat. Hæc quidẽ plena est definitio, sed quæ pluribus explicanda est. Ergo, vt secundum primam illam distinctionem, qua hominis animam in intellectum & voluntatẽ partiti sumus, orationis ordo procedat: vim intellectus priore loco excutiamus. Perpetuæ cæcitatis ita eum damnare, vt nihil intelligentiæ vllo in genere rerum reliquum facias, nõ modò verbo Dei, sed sensus etiam communis experimẽto repugnat. Videmus enim insitum esse humano ingenio desiderium nescio quod indagandæ veritatis, ad quam minimè aspiraret nisi aliquo eius odore antè percepto. Est ergo iam hæc nõnulla humani intellectus perspicientia, quòd veritatis amore naturaliter rapitur: cuius neglectus in brutis animãtibus arguit crassum absque ratione sensum. Quanquam hæc quamcunque appetentia, antequam cursus sui stadiũ ingrediatur, deficit: quia mox concidit in vanitatem. Siquidem mẽs hominis, præ hebetudine, rectam veri inuestigandi viam tenere nequit: sed per varios errores vagatur, & tanquã in tenebris palpando subinde impingit, donec tandẽ palata euanescat. ita veritatẽ quærendo, quàm sit ad ipsam quærendã & inueniendã inepta prodit. Altera deinde vanitate grauiter laborat: quòd in quarum rerũ veram notitiam incumbere expediat, sæpius non discernit. Itaque in disquirendis superuacuis ac nihili rebus ridicula curiositate se torquet: ad res maximè cognitu necessarias aut nõ aduertit, aut contẽptim & rarò deflectit: studium certè suum vix vnquam seriò applicat. De qua prauitate quum passim conquerantur profani scriptores, omnes ferè se ea implicuisse comperiuntur. Quare Solomo, in toto suo Ecclesiaste, vbi ea studia est persequutus in quibus sibi videntur homines valde sapere inania tamen esse & friuola pronuntiat.

Iohan.1.a.5

13 Neque tamẽ ita conatus eius semper in irritum cedunt, quin aliquid assequatur, præsertim vbi seipsam ad inferiora ista intendit. Quinetiam non ita stupida est quin exiguum quiddam & de superioribus delibet, vtcunque negligentius illis percontandis vacet: non id quidem æqua facultate. Nam quum supra vitæ præsentis spatium euehitur, tum præcipuè demum cõuincitur suæ imbecillitatis. Quare, vt melius perspiciamus quonere operæpretium est. Sit ergo hæc distinctio, esse aliam quidem rerum terrenarum intelligẽtiam, aliam verò cælestiũ. Res terrenas voco, quæ ad Deũ regnúmque eius, ad veram iustitiã, ad futuræ vitæ beatitudinẽ non pertingunt: sed cũ vita præsenti rationem relationémq; habent, & quodammodo intra eius fines continẽtur. Res cæleſtes, puram Dei notitiã, veræ iustitiæ rationẽ, ac regni cælestis mysteria. In priore genere sunt, politia, œconomia, artes omnes mechanicæ, disciplinæque liberales. In secũdo, Dei ac diuinæ voluntatis cognitio, & vitæ secundũ eam formandæ regula. De priori autem sic fatendũ, Quoniam homo animal est natura sociale, naturali quoque instinctu, ad fouendã conseruandámque eam societatem propẽdet: idcóque ciuilis cuiusdam & honestatis & ordinis vniuersales impressiones inesse omnium hominum animis conspicimus. Hinc fit vt nemo reperiatur qui non intelligat, oportere quosuis hominũ cœtus legibus contineri, quíque non earum legũ principia mente cõplectatur. Hinc ille perpetuus tam Gentiũ omnium, quàm singulorum mortalium in leges consensus, quia insita sunt vniuersis, absque magistro aut legislatore, ipsarũ semina. Neque moror dissensiones & pugnas, quæ mox emergunt, dum alii cupiunt ius & fas omne inuersum, soluta regum repagula, libidinem solam pro iure grassari, vt fures & latrones: alii: (quod vitium plusquam vulgare est) iniquum esse putant quod pro æquo ab aliis sancitur: cõtrà, laudabile contendũt quod ab aliis vetatur. Siquidem illi non ideo leges oderunt quòd ignorent bonas & sanctas esse: sed præcipiti cupiditate furentes, cum manifesta ratione pugnant: &, quod mentis intelligentia probant, pro sua libidine abominantur. Posterius certamen tale est vt primam illam conceptionem æquitatis non diſimat. siquidem de legum capitibus dum inter se disceptant homines, in quandam æquitatis summam consentiunt. In quo debilitas certè humanæ

mentis arguitur,quæ,etiam dum viam ſequi videtur,claudicat & vacillat. Manet tamen illud, inſperſum eſſe vniuerſis ſemen aliquod ordinis politici. Atque hoc amplum argumentum eſt,in huius vitæ conſtitutione,nullum deſtitui luce rationis hominem.

14 Sequuntur artes tum liberales, tum manuariæ, quibus diſcēdis,quia ineſt omnibus nobis quædam aptitudo,in eis etiam apparet vis humani acuminis. Quanquam autem non ſunt omnes omnibus diſcendis idonei, ſatis tamen communis energiæ certum ſpecimen eſt,quòd nemo propè reperitur cuius in arte aliqua perſpicientia nō ſe exerat. Neque ſola ſuppetit ad diſcēdum energia & facilitas, ſed ad excogitandū in vnaquaque arte nouum aliquid, vel amplificandum & expoliendum quod alio præeunte didiceris. Quod vt Platonem perperàm impulit vt traderet comprehenſionem eiuſmodi nihil eſſe quàm recordationem: ita nos optima ratione cogit fateri, eſſe ingenitum humano ingenio eius principium. Hæc ergo documenta apertè teſtantur vniuerſalem rationis & intelligentiæ comprehenſionem eſſe hominibus naturaliter inditam.Sic tamen vniuerſale eſt bonum,vt in eo pro ſe quiſque peculiarem Dei gratiam agnoſcere debeat. Ad quam gratitudinem nos abundè expergefacit ipſe naturæ conditor, dū moriones creat, in quibus repræſentat quibus excellat dotibus hominis anima, niſi eius lumine perfuſa: quod ſic naturale ineſt omnibus, vt prorſus gratuitum ſit erga ſingulos beneficentiæ eius munus. Ipſarum porrò artium inuentio aut methodica traditio, aut interior & præſtantior cognitio(quæ propria eſt paucorū)non eſt quidē ſolidum argumentū cōmunis perſpicaciæ:quia tamen promiſcuè cōtingit piis & impiis,iure inter naturales dotes numeratur.

15 Quoties ergo in profanos ſcriptores incidimus illa,quæ admirabilis in iis affulget veritatis luce admoneamur,mentem hominis, quantūlibet ab integritate ſua collapſam & peruerſam, eximiis tamen etiamnum Dei donis veſtitam eſſe & exornatā. Si vnicum veritatis fontem, Dei Spiritum eſſe reputamus,veritatē ipſam neque reſpuemus, neque contemnemus, vbicunque apparebit: niſi velimus in Spiritum Dei contumelioſi eſſe. non enim dona Spiritus,ſine ipſius contemptu & opprobrio,vilipēduntur.Quid autem? Veritatem affulſiſſe antiquis iureconſultis negabimus, qui tanta æquitate ciuilem ordinem & diſciplinam prodiderūt? Philoſophos cæcutiſſe dicemus cum in exquiſita iſta naturæ contemplatione,tum artificioſa deſcriptione? Dicemus mētem illis defuiſſe,qui arte diſſerēdi conſtituta,nos cum ratione loqui docuerunt?Dicemus eos inſaniiſſe,qui medicinam excudendo, ſuam induſtriam nobis impenderūt? Quid mathemata omnia? putabimúſne amentium deliria? Imò ne ſine ingenti quidem admiratione,veterum ſcripta legere de his rebus poterimus: admirabimur autē,quia præclara,vt ſunt,cogemur agnoſcere.Porrò laudabiléne aliquid aut præclarum cenſebimus, quod non recognoſcamus à Deo prouenire?Pudeat nos tantæ ingratitudinis,in quam non inciderunt Ethnici poetæ,qui & philoſophiam & leges,& bonas omnes artes, deorum inuenta eſſe cōfeſſi ſunt. Ergo quum homines iſtos, quos Scriptura ψυχικοὺς vocat,vſque eò fuiſſe pateat in rerum inferiorum inueſtigatione acutos & perſpicaces,talibus exemplis diſcamus quot naturæ humanæ bona Dominus reliquerit,poſtquam vero bono ſpoliata eſt.

16 Neque tamen interim obliuiſcamur hæc præſtantiſſima diuini Spiritus eſſe bona, quæ in publicum generis humani bonū, quibus vult diſpenſat. Si enim Beſeleel & Oliab intelligentiam & ſcientiam quæ ad fabricam tabernaculi requirebatur, oportuit à Spiritu Dei inſtillari: nō mirum eſt, ſi earum rerum quæ ſunt in vita humana præſtantiſſimæ, cognitio per Spiritum Dei communicari nobis dicatur. Neque eſt cur roget quiſpiam, Quidnam cum Spiritu commercii impiis,qui ſunt à Deo prorſus alieni? Nam quòd dicitur Spiritus Dei in ſolis fidelibus habitare, id intelligendū de Spiritu ſanctificationis, per quem Deo ipſi in templa conſecramur.Neque tamen ideò minus replet,mouet,vegetat omnia eiuſdem Spiritus virtute, idque ſecundùm vniuſcuiuſque generis proprietatem, quam ei creationis lege attribuit. Quòd ſi nos Dominus impiorū opera & miniſterio, in phyſicis,dialecticis,mathematicis & reliquis id genus voluit adiutos,ea vtamur:ne ſi Dei dona vltrò in ipſis oblata negligamus, demus iuſtas ignauiæ noſtræ pœnas. At verò, nequis hominem valde beatum putet quū ſub elementis huius mundi tanta veritatis comprehendendæ energia illi conceditur: ſimul addendum eſt, totam iſtam & intelligendi vim,& intelligentiam quæ inde conſequitur,rem eſſe fluxam & euanidā coram Deo,vbi non ſubeſt ſolidum veritatis fundamentum. Veriſſimè enim Auguſtinus (cui ſubſcribere,vt diximus,coacti ſunt Magiſter ſententiarum & ſcholaſtici) vt gratuita homini dona

Exo. 31.a. 2, & 35.d.30

Lib. 2. Diſt. 25

poſt

post lapsum detracta esse, ita naturalia hæc quæ restabãt, corrupta fuisse docet. nõ quòd per se inquinari possint, quatenus à Deo proficiscũtur: sed quia polluto homini pura esse desierunt, ne quam inde laudem consequatur.

17 Hæc summa sit, in vniuerso genere humano perspici naturæ nostræ propriã esse rationem, quæ nos à brutis animalibus discernat, sicut ipsa sensu differunt à rebus inanimatis. Nam quòd nascũtur moriones quidam, vel stupidi, defectus ille generalẽ Dei gratiam nõ obscurat: quin potius tali spectaculo monemur, quod nobis relictum est, Dei indulgentiæ meritò debere ascribi: quia nisi nobis pepercisset, totius naturæ interitum secum traxisset defectio. Quòd autem alii præstant acumine, alii iudicio superant, aliis mẽs agilior est ad hanc vel illam artem discendam, in hac varietate gratiam suam nobis commendat Deus, ne sibi quisquã velut propriũ arroget quod ex mera illius liberalitate fluit. Vnde enim alius alio præstantior, nisi vt in natura cõmuni emineat specialis Dei gratia, quæ multos præteriens, nemini se obstrictam esse clamat? Adde quòd singulares motus pro cuiusque vocatione Deus instillat. cuius rei multa occurrunt exempla in libro Iudicum, vbi dicitur Spiritus Domini induisse quos ad regendum populum vocabat. Denique in eximiis quibusque factis specialis est instinctus. Qua ratione Saulem sequuti sunt fortes, quorum tetigerat Deus corda. Et quum prædicitur inauguratio in regnum, ita loquitur Samuel, Transibit super te Spiritus Domini, & eris vir alius. Atque hoc ad totum gubernationis cursum extenditur: sicuti postea narratur de Dauide, quòd transierit super eum Spiritus Domini à die illa in posterum. Sed idem alibi traditur quoad particulares motus. Imò apud Homerum ingenio pollere dicũtur homines non modò provt cuique distribuit Iupiter, sed οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι. Et certè experientia ostendit, dum attoniti sæpe hærent qui maximè ingenioſi erant ac solertes, in manu & arbitrio Dei esse mẽtes hominum, vt eas singulis momentis regat: qua ratione dicitur auferre sensum prudentibus, vt errent per inuia. Cæterùm in hac diuersitate conspicimus tamen aliquas imaginis Dei superstites notas, quæ totum humanum genus ab aliis creaturis distinguant.

Iudic.6.g.34

1.Sam.10. b.6

1.Sam.16.c. 13

Odyss.σ

Psal.107.d. 40

18 Nunc exponendũ est quid cernat humana ratio, vbi ad regnum Dei venitur & spiritualem illam perspicientiam: quæ tribus potissimum rebus constat, Deum nosse, paternum erga nos eius fauorem, in quo salus nostra consistit: & formandæ secundum legis regulam, vitæ rationem. Cum in primis duobus, tum verò in secũdo propriè, qui sunt hominum ingeniosissimi, talpis sunt cæciores. Equidem nõ inficior, sparsim quædam apud philosophos de Deo legi scitè & appositè dicta: sed quæ vertiginosam quandam imaginationem semper resipiant. Præbuit quidem illis Dominus, vt suprà dictum est, exiguũ diuinitatis suæ gustum, ne ignorantiam impietati obtenderent: & eos interdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confessione ipsi conuincerentur: sed ita viderunt quæ videbant, vt tali intuitu minimè ad veritatem dirigerentur, nedum pertingerent. qualiter nocturni fulgetri coruscationem, qui in medio agro est viator, longè latéque ad momentũ videt: sed adeò euanido aspectu, vt antè noctis caligine resorbeatur, quàm pedem mouere queat: tãtum abest vt in viam tali subsidio deducatur. Præterea illæ veritatis guttulæ, quibus libros tanquam fortuitò aspergunt, quot & quàm portentosis mendaciis sunt inquinatæ? Denique illã diuinæ erga nos beneuolentiæ certitudinẽ (sine qua hominis ingenium immensa cõfusione repleri necesse est) ne olfecerunt quidem vnquam. Ad hanc ergo veritatem nec appropinquat, nec contendit, nec collimat humana ratio, vt intelligat quis sit verus Deus, qualísve erga nos esse velit.

19 Sed quia falsa perspicaciæ nostræ opinione ebrii, ægerrimè nobis persuaderi sinimus, illam in rebus diuinis cæcam prorsus esse & stupidam: satius, opinor, fuerit Scripturæ testimoniis, quàm rationibus id cõprobare. Hoc pulcherrimè docet Iohãnes, eo quem nuper citaui loco, quum scribit in Deo ab initio fuisse vitam, & eam vitam quæ esset lux hominum: lucẽ hanc in tenebris lucere, & à tenebris non comprehendi. Indicat quidem hominis animam fulgore diuinæ lucis irradiari, vt nunquam planè vel exigua saltem eius flamma, vel saltem scintilla destituatur: sed ea tamen illuminatione Deum non comprehendere. Cur id? quia eius acumen, quantum ad Dei notitiam, mera est caligo. Quũ enim Spiritus homines appellat tenebras, eos semel spoliat omni spiritualis intelligentiæ facultate. Quare fideles, qui Christum amplectuntur, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo natos asserit. Quasi diceret, non esse tam sublimis sapientiæ capacem carnem, vt Deum, & quod Dei est, suscipiat, nisi Dei Spiritu illumine-

Iohan.1. a.4

Ibidem b.13

Mat. 16.c.17 tur. Quemadmodum testatus est Christus, hanc specialem esse Patris reuelationem, quòd à Petro agnosceretur.

20 Si persuasum nobis foret (quod extra controuersiã esse debet) naturæ nostræ deesse quicquid cælestis Pater electis suis per Spiritũ regenerationis confert, hîc nulla esset hæ-
Psal.34.b.10 sitandi materia. Sic enim loquitur populus fidelis apud Prophetam, Quoniam apud te
1.Cor. 12.a.3 est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Idem testatur Apostolus, quum ait ne-
Iohã. 3. d.27 minem posse dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Et Iohannes Baptista, stuporem discipulorum videns, exclamat, neminem posse accipere quicquam, nisi datum illi fuerit désuper. Donum autem ab eo intelligi de speciali illuminatione, non cõmuni naturæ dote, inde constat, quòd tot verbis, quibus Christum cõmendauerat discipulis suis, nihil se profeciisse conqueritur. Video, inquit, verba nihil esse ad mentes hominum de rebus diuinis imbuendas, nisi Dominus per Spiritum suum intelligentiã dederit. Quinimo Moses, dum populo exprobrat suam obliuionẽ, simul tamen notat, nõ aliter ipsum posse
Deut.29.a.2 in mysteriis Dei sapere, nisi ipsius beneficio. Viderunt, inquit, oculi tui signa illa portentáque ingentia: & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad videndum. Quid plus exprimeret, si nos vocaret stipites in operibus
Iere.24. c.7 Dei considerandis? Vnde Dominus per Prophetam, singularis gratiæ loco, pollicetur se daturum Israelitis cor, vt ab illis cognoscatur: nimirum innuens, tantum hominis mentem spiritualiter sapere, quantum abs se illustrata fuerit. Hoc quoque sua voce dilucidè
Iohã. 6. e.44 confirmauit Christus, quum diceret neminem venire ad se posse, nisi cui datum à Patre suo foret. Quid? annon ipse est viua Patris imago, in qua totus gloriæ eius splendor nobis exprimitur? Ergo non potuit melius ostendere qualis sit nostra ad cognoscendum Deum facultas, dum ad cernẽdam eius imaginem, vbi ita palàm exhibetur, oculos nobis esse negat. Quid? Annon ideo in terras descendit vt Patris voluntatem hominibus patefaceret? Annon sua quoque legatione fideliter defunctus est? Ita est sanè. sed nihil efficitur eius prædicatione, nisi interior magister Spiritus viã ad animos patefaciat. Ergo non veniunt ad eum, nisi qui à Patre audierũt & edocti sunt. Quæ ista discendi & audiẽdi ratio? Nempe vbi aures ad audiendum, & mentes ad intelligendum, Spiritus mira & singulari vir-
Iesa.54.c.7 tute format. Ac ne illud nouum videatur, Iesaiæ vaticiniũ citat, vbi dum Ecclesiæ instaurationem promittit, eos Dei discipulos fore docet qui in salutem colligentur. Si aliquid peculiare de electis suis illic prædicit Deus, constat non de eo doctrinæ genere ipsum loqui quod impiis etiam & profanis commune est. Restat igitur vt intelligamus, nemini patere in regnum Dei ingressum nisi cui nouam mẽtem Spiritus sanctus sua illuminatione fecerit. Omnium verò clarissimè Paulus, qui disputationem hanc ex professo ingressus, postquam stultitiæ ac vanitatis damnauit vniuersam hominum sapientiam, adeóque
1.Cor.2.d.14 prorsus exinaniuit, ita concludit demum, Animalem hominem nõ posse percipere quæ sunt Spiritus Dei: stultitiam esse illi, nec posse intelligere, quia spiritualiter diiudicantur. Quem vocat animalem? nempe qui naturæ lumine nititur. Ille, inquam, nihil in spiritualibus mysteriis Dei comprehendit. Quid ita? an quia per ignauiam negligit? Imò, etiamsi enitatur, nihil potest: quia scilicet spiritualiter diiudicãtur. Quid istud significat? quia humanæ perspicaciæ penitus abscondita, per solam Spiritus reuelationem patefiunt: adeò vt pro stultitia ducãtur, vbi Spiritus Dei non illucet. Antè autem supra oculorũ, aurium, mentium capacitatem extulerat quæ præparauit Deus diligentibus se. quin sapientiam humanam, quasi velum quoddam esse testatus fuerat, quo mens à cernendo Deo impe-
1.Cor.1. c.20 ditur. Quid volumus? pronuntiat Apostolus, infatuatam à Deo sapientiam huius mundi: & nos scilicet acumen illi tribuemus, quo ad Deum & cælestis regni adyta penetrare possit? Facessat à nobis tanta vecordia.

21 Itaque quod hîc detrahit hominibus, alibi soli Deo tribuit in precatione. Deus,
Ephes.1. c.5 inquit, & Pater gloriæ det vobis Spiritum sapiẽtiæ & reuelationis. Iam audis, omnem sapientiam & reuelationem esse Dei donum. Quid tum præterea? Illuminatos oculos mẽtis vestræ. Certè si noua reuelatione indigent, à seipsis cæcutiũt. sequitur deinde, Vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, &c. Ergo tantæ intelligẽtiæ non esse capaces hominum mentes vt vocationem suam nouerint, fatetur. Neque hîc garriat Pelagianus quispiam, huic vel stupiditati, vel ruditati Deum succurrere, dum verbi sui doctrina eò dirigit hominis intellectum, quò, sine duce, peruenire non poterat. Habebat enim Dauid Legem,
Psal.119.18 in qua quicquid sapientiæ desiderari potest, comprehensum erat; neque tamen eo contentus,

tentus,oculos ſibi retegi poſtulat,vt Legis ipſius myſteria cõſideret. Qua certè loquutione innuit, ſolem exoriri terris, vbi hominibus, Dei verbum elucet: verùm eos non multũ inde cõſequi, donec oculos vel dederit vel aperuerit ille ipſe qui ideò pater luminum vocatur,quia vbicunque Spiritu ſuo non reſplendet, omnia tenebris occupantur. Sic & Apoſtoli ab optimo quidem magiſtro ritè & abundè edocti fuerant:niſi tamen indigerẽt Spiritu veritatis qui eorum mentes hac ipſa doctrina, quam antè audierãt, erudiret,non illum expectare iuberentur. Si quod petimus à Deo, deeſſe nobis confitemur, & ipſe in eo quod promittit,noſtram arguit inopiam: nemo iam fateri dubitet, ſe tantum ad intelligenda Dei myſteria valere,quantum eius gratia fuerit illuminatus.Qui ſibi plus intelligentiæ tribuit,eo cæcior eſt,quòd cæcitatem ſuam non agnoſcit.

Iac.1.c.17

Iohan.14.d.26

22 Reſtat tertium illud membrum, de cognoſcenda vitæ probè inſtituendæ regula,quam verè operum iuſtitiæ notitiam nuncupamus:vbi videtur mens humana eſſe aliquanto quàm in ſuperioribus acutior.Siquidem teſtatur Apoſtolus,Gentes quæ Legem non habent,dum Legis opera faciunt,ſibi pro Lege eſſe,ac oſtẽdere opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus,aut excuſantibus coram iudicio Dei.Si Gentes naturaliter Legis iuſtitiã habent mentibus ſuis inſculptam, certè non dicemus eas in vitæ ratione prorſus cæcutire. Et nihil eſt vulgatius,quàm lege naturali(de qua iſtic Apoſtolus loquitur)hominem ſufficienter ad rectam vitæ normam inſtitui. Nos verò expendamus, quorſum indita hominibus hæc Legis notitia fuerit: tum protinus apparebit quoùſque illos ad rationis veritatiſque ſcopum deducat. Id quoque ex Pauli verbis liquet,ſiquis diſpoſitionẽ obſeruet. Dixerat paulo antè,eos qui in Lege peccauerunt,per Legem iudicari: qui ſine Lege peccauerũt, ſine Lege perire.Hoc quia poterat abſurdum videri, vt ſine vllo iudicio præcedẽte Gentes pereant,continuò ſubiicit,ſuam illis conſcientiam eſſe vice Legis: ideóque ad iuſtam earum damnationem ſufficere.Finis ergo legis naturalis eſt, vt reddatur homo inexcuſabilis. Nec malè hoc modo definietur, Quòd ſit conſcientiæ agnitio, inter iuſtum & iniuſtum ſufficienter diſcernentis: ad tollendum hominibus ignorãtiæ prætextum, dum ſuo ipſorum teſtimonio redarguuntur. Ea eſt hominis erga ſeipſum indulgentia, vt in malis perpetrandis libenter mentem à peccati ſenſu,quoad licet,ſemper auertat. Qua ratione videtur impulſus fuiſſe Plato,vt exiſtimaret non peccari niſi ignorantia.Id quidem ab eo conuenienter dictum foret,ſi humana hypocriſis tantum in tegendis vitiis proficeret,vt mens non ſibi malè conſcia eſſet coram Deo.Sed quum ſubterfugiens peccator impreſſum ſibi boni & mali iudiciũ,illuc identidẽ retrahatur,nec cõniuere ita permittatur quin cogatur,velit nolit,aliquando aperire oculos:falſò dicitur,ipſum ignorantia ſola peccare.

Rom.2.b.14

In Protagora.

23 Verius Themiſtius, qui intellectum in definitione vniuerſali, ſeu rei eſſentia,rariſſimè falli docet:hallucinationem eſſe,quum vltrà progreditur: nempe quum ad hypotheſin deſcendit. Homicidium eſſe malum,ſi in genere quæratur, nemo erit qui non affirmet: qui autem cõſpirat in mortem inimici,tanquã de re bona deliberat.Adulterium in genere damnabit adulter:in ſuo priuatim ſibi blandietur.Hæc eſt ignorantia,dum homo, vbi ad hypotheſin ventum eſt, eius regulæ obliuiſcitur quam in theſi nuper conſtituerat. De qua re elegãtiſſimè diſſerit Auguſtinus in expoſitione primi verſus Pſalmi 57. Quanquam ne iſtud quidem eſt perpetuũ. ſic enim interdũ flagitii turpitudo conſcientiam vrget, vt non ſibi imponens ſub falſa boni imagine, ſed ſciens & volens in malum ruat. Ex quo affectu prodeunt iſtæ voces, --video meliora,probóque: Deteriora ſequor. Quare mihi ſcitiſſimè Ariſtoteles incontinentiam & intemperantiam videtur diſtinxiſſe. Vbi incontinentia regnat, dicit per affectum perturbatum ſeu πάθος particularem notitiã mẽti eripi,ne malũ obſeruet in ſuo facinore,quod generaliter in ſimilibus cernit: vbi deferbuit perturbatio,pœnitentiam extemplò ſuccedere.Intemperãtiam autem non extingui aut frãgi peccati ſenſu, ſed cõtrà obſtinatè in ſuſcepta mali electione perſiſtere.

Paraph.in 3. de anima, cap.46

Medea apud Ouidium. Lib.Eth.7 cap.3

24 Porrò quum iudicium vniuerſale audis in boni & mali diſcrimine, ne ſanũ vbique & integrum eſſe putes. Nam ſi in hunc tantùm finem,iuſti & iniuſti delectu imbuta ſunt corda hominum ne ignorantiæ excuſationem prætexant, minimè neceſſarium eſt veritatem in ſingulis cernere: ſed ſatis ſupérque eſt, eatenus intelligere, ne tergiuerſari queant quin teſte conſcientia conuicti iam nunc ad Dei tribunal horrere incipiant. Et ſi rationem noſtram volumus ad Dei Legem exigere, quæ perfectæ eſt iuſtitiæ exemplar, comperiemus quàm multis partibus cæcutiat.Certè quæ in prima tabula præcipua ſunt,

minimè assequitur: qualia sunt, de fiducia in Deũ, de virtutis & iustitiæ laude illi tribuenda, de nominis eius inuocatione, de vero sabbathismo. Quæ vnquam anima, naturali sensu freta, subodorata est in his & similibus positum esse legitimũ Dei cultum? Nam quum volunt profani homines Deum colere, etiam si centies reuocentur ab inanibus suis nugis, semper tamen illuc relabuntur. Negant quidem placere Deo sacrificia, nisi accedat mentis synceritas. quo testantur aliquid se cõcipere de spirituali Dei cultu, quem tamen falsis commentis statim peruertunt. Nam quicquid de eo Lex præscribit, verũ esse nunquam illis persuaderi poterit. Dicámne præstare vlla perspicacia mentem, quæ nec per se sapere, nec monitionibus auscultare valet? In secundæ tabulæ præceptis aliquanto plus habet intelligentiæ: quo scilicet ad ciuilis inter homines societatis conseruationem propius accedunt. Quãquam & hîc deliquium interdum pati deprehenditur. excellẽtissimo enim cuique ingenio absurdissimum est, iniquam ac nimis imperiosam dominationem ferre, si qua modò ratione depellere queat. Nec aliud est iudiciũ humanæ rationis, quàm seruilis esse abiectúque animi patienter eam ferre: rursum honesti ingenuíque pectoris, excutere. Nec verò iniuriarũ vltio pro vitio ducitur apud Philosophos. Atqui Dominus nimia ista ingenuitate damnata, illam apud homines infamem patiẽtiam suis præscribit. Omnino autem in vniuersa Legis obseruatione perspicientiam nostram fugit concupiscentiæ animaduersio. Non enim adduci se sustinet animalis homo vt cupiditatum suarum morbos recognoscat. Antè suffocatur naturæ lumen quàm ad primum huius abyssi ingressum accedat. Nam dum Philosophi pro vitiis notãt immoderatos animi motus, illos extantes & se crassioribus signis exerentes intelligũt: quæ autem placidè titillant animum praua desideria, nihili reputant.

25 Quare, vt suprà meritò reprehensus est Plato quòd omnia peccata ignorantiæ imputarit, ita & eorum est repudianda opinio qui consultam malitiam & prauitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium enim experimur quoties labamur cum bona nostra intentione. Tot obruitur hallucinationum formis nostra ratio, tot erroribus est obnoxia, in tot impedimenta impingit, tot angustiis irretitur, vt plurimum à certa directione absit. Quàm verò nihili sit corã Domino in cunctis vitæ partibus, Paulus ostendit, dum negat nos idoneos qui cogitemus ex nobis quippiam, tãquam ex nobis. Non de voluntate loquitur aut affectu: sed hoc quoque adimit nobis, ne putemus in mentem venire nobis posse quomodo ritè quippiã agẽdum sit. Itáne deprauata est omnis industria, perspicientia, intelligentia, cura, vt rectum nihil coram Domino excogitare aut meditari queat? Nobis nimirum qui rationis acumine (quam pretiosissimam dotem reputamus) ægrè patimur spoliari, durum id nimis videtur: Spiritui autẽ sancto æquissimum, qui nouit omnes cogitationes sapientum vanas esse, & qui clarè pronuntiat, omne figmentum humani cordis tantummodo malum. Si quicquid ingenium nostrum concipit, agitat, instituit, molitur, semper malum est, quî in mentem nobis veniat instituere quod Deo placeat, cui sola sanctitas & iustitia accepta est? Ita videre est, mentis nostræ rationem, quoquo se vertat, esse vanitati miserè obnoxiam. Huius imbecillitatis sibi cõscius erat Dauid, quum petebat sibi dari intellectũ ad mandata Domini rectè discenda. Innuit enim, suum ingenium nequaquam sufficere, qui nouũ obtingere sibi cupit. Neque id semel facit: sed in vno Psalmo decies ferè repetit eandem precationẽ. Qua repetitione subindicat quanta ad petendum necessitate vrgeatur. Et quod ille sibi vni petit, Paulus communiter Ecclesiis precari solet. Nõ cessamus, inquit, orare pro vobis & postulare vt impleamini agnitione Dei in omni prudẽtia & intelligentia spirituali, vt ambuletis dignè Deo, &c. Quoties autem eam rem Dei beneficium facit, meminerimus eum simul testari, nõ esse in hominis facultate positam. Adeò autem hunc rationis defectum ad intelligenda quæ Dei sunt agnouit Augustinus, vt non minus necessariam mentibus illuminationis gratiam putet, quàm oculis solis lucem. Nec eo contentus, correctionem subiicit, quòd oculos ipsi aperimus ad cernendam lucem: mẽtis autem oculi, nisi à Domino aperiantur, clausi manent. Neque vno tantùm die illuminari mentes nostras docet Scriptura, vt deinde per se videãt: quia ad continuos progressus & incremẽta pertinet quod nuper adduxi ex Paulo. Et hoc disertè exprimit Dauid, his verbis, In toto corde meo exquisiui te, ne errare me facias à mandatis tuis. Nam quum regenitus esset, adeóque non vulgariter profeciſſet in vera pietate, fatetur tamẽ assidua directione se opus habere in singula momẽta, ne à scientia qua præditus est declinet. Itaque alibi rectũ spiritũ, quem sua culpa perdiderat, innouari

2.Cor.3.b.5

Psal.94.b.11 Gene.6.a.3. & 8.d.21

Psal.119.34

Philip.1.a.4 coloss.1.a.9

Lib.2.depec cat.merit.re miss.cap.5

Psal.119.10

Psal.51.c.12

uari petit: quia eiuſdem Dei eſt, quod initio dederat, ablatũ nobis ad tempus reſtituere.

26 Examinanda nunc voluntas, in qua præcipuè arbitrii libertas vertitur. quandoquidem magis huius eſſe electionem, quàm intellectus, antè viſum eſt. Principiò, nequid ad humanæ voluntatis rectitudinem pertinere videatur quod à Philoſophis traditũ, publico cõſenſu receptum eſt, omnia naturali inſtinctu bonum appetere: obſeruemus, liberi arbitrii vim non conſiderandã in eiuſmodi appetitu qui magis ab eſſentiæ inclinatione quàm mentis deliberatione proficiſcitur. Nam & ſcholaſtici fatentur nullã eſſe liberi arbitrii actionem niſi dum ſe ratio vertit ad oppoſita. qui intelligũt, oportere appetitus obiectum tale eſſe quod electioni ſubiaceat: & deliberationem præire, quæ electioni viam ſternat. Et ſanè ſi reſpicias quale ſit iſtud naturale boni in homine deſiderium, inuenies illi cum belluis eſſe commune. Siquidẽ & illæ bene ſibi eſſe cupiunt: & vbi ſpecies boni, quæ ſenſum moueat, apparet, eò ſequũtur. Homo verò, nec id quod verè ſibi bonum ſit, pro naturæ ſuæ immortalis excellentia, ratione deligit, vt id ſtudio perſequatur: nec rationem adhibet in conſilium, nec mentem intendit: ſed ſine ratione, ſine conſilio, naturæ inclinationem, inſtar pecudis, ſequitur. Nihil ergo hoc ad arbitrii libertatem, an homo ſenſu naturæ ad bonum appetendum feratur: ſed hoc requiritur, vt bonum recta ratione diiudicet, cognitum eligat, electum perſequatur. Ac nequi ſcrupulus inhæreat, aduertendus eſt duplex paralogiſmus. Nam & appetitus hîc non proprius volũtatis motus, ſed naturalis inclinatio: & bonum, non virtutis aut iuſtitiæ appellatur, ſed conditionis: vt ſcilicet homo bene habeat. Denique vt maximè appetat homo aſſequi quod bonum eſt, non tamen ſequitur. ſicuti nemo eſt cui non grata ſit æterna beatitudo, ad quam tamen nemo niſi Spiritus impulſu aſpirat. Quando igitur nihil ad probandam arbitrii libertatem facit naturale hominibus bene habendi deſiderium, non magis ſcilicet quàm in metallis & lapidibus, ad eſſentiæ ſuæ perfectionem inclinans affectio: in aliis conſideremus, ſit'ne penitus ita omni ex parte vitiata corruptáque volũtas, vt nihil niſi malũ generet: an particulam aliquam illæſam retineat, vnde naſcantur bona deſideria.

27 Qui primæ Dei gratiæ tribuunt vt efficaciter velimus, è conuerſo innuere videntur, ineſſe facultatem animæ vltrò ad bonum aſpirandi, ſed imbecilliorem quàm quæ in ſolidum affectum emergere, aut conatum excitare poſſit. Nec dubium quin hanc opinionem, ab Origene & veterum quibuſdam ſumptam, Scholaſtici communiter amplexi ſint: quando ſolent hominem in puris, vt loquũtur, naturalibus reputare qualem deſcribit Apoſtolus his verbis, Non quod volo bonũ, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Sed perperàm hoc modo inuertitur tota, quam illic exequitur Paulus, diſputatio. Tractat enim de lucta Chriſtiana (quam breuius attingit ad Galatas) quam fideles in cõflictu carnis & ſpiritus in ſe perpetuò ſentiunt. Porrò Spiritus non à natura eſt, ſed à regeneratione. Loqui autem Apoſtolum de regeneratis inde conſtat, quòd vbi dixerat in ſe bonum nullum habitare, ſubnectit expoſitionem, quòd intelligat de carne ſua. Ideóque negat ſe eſſe qui malum faciat, ſed peccatum in ſe inhabitãs. Quid ſibi vult iſta correctio, In me, hoc eſt in carne mea? Nempe acſi in hunc modum loqueretur, Non habitat in me bonum à me ipſo: nã in carne mea nihil boni reperire eſt. Hinc ſequitur illa ſpecies excuſationis, Nõ facio malũ ipſe, ſed quod habitat in me peccatum. quæ ſolis regeneratis competit, qui præcipua animæ parte ad bonum tendunt. Iam verò quæ ſubiicitur concluſio totum hoc liquidò declarat. Condelector, inquit, Legi ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mẽtis meæ. Quis in ſe tale diſſidium habeat, niſi qui Spiritu Dei regeneratus, reliquias carnis ſuæ circunfert? Proinde Auguſtinus, quum ſermonem illum de hominis natura aliquando haberi putaſſet, interpretationem ſuam, tanquam falſam & malè congruentem, retractauit. Et verò ſi illud recipimus, homines ſine gratia habere quamlibet puſillos, aliquos tamen ad bonum motus, quid reſpondebimus Apoſtolo, neganti vel ad cogitandum aliquid nos eſſe idoneos? Quid Domino per Moſen pronuntianti, omne figmentum humani cordis tantummodo malum eſſe? Quum ergo falſa loci vnius ſententia impegerint, non eſt quòd eorum ſentẽtiam moremur. Potius valeat hoc Chriſti, Qui facit peccatũ, ſeruũ eſſe peccati. Peccatores ſumus omnes natura: itaque ſub peccati iugo detinemur. Quòd ſi totus homo peccati impẽrio ſubiacet, ipſã certè voluntatem, quæ præcipua eſt eius ſedes, arctiſſimis vinculis cõſtringi neceſſe eſt. Nec verò aliter cõſtaret illud Pauli, Deũ eſſe qui velle in nobis operatur, ſiqua volũtas præcederet

Rom. 7. c. 15 & d. 19

Gal. 5. c. 17

Rom. 7. d. 22

Li. ad Boni. 1. cap. 10, & in retract.

2 Cor. 3. b. 5

Gen. 8. d. 21

Iohã. 8. d. 34

Phili. 2. b. 13

Spiritus gratiã. Faceſſat igitur quicquid de præparatione multi nugati ſunt: quia etſi interdum petũt fideles cor ſibi formari ad Legis Dei obſequium (ſicuti Dauid pluribus locis)notandum tamen eſt hoc quoque precandi deſiderium à Deo eſſe:quod ex eius verPſal.51.c.12 bis colligere licet.nam quum optet in ſe cor mundũ creari, certè creationis initiũ ſibi nõ
De verbis Apoſt.ſerm. 19 arrogat. Ideo apud nos potius valeat illud Auguſtini, Præueniet te De⁹ in omnibus:præueni & tu aliquãdo eius iram. Quomodo? Cõfitere iſta omnia à Deo te habere:quicquid boni habes eſſe ab ipſo:à te,quicquid eſt mali. Et paulo pòſt, Noſtrũ nihil niſi peccatum.

Ex corrupta hominis natura nihil niſi damnabile prodire. CAP. III.

SED melius homo vtraque animæ parte cognoſci non poteſt,quam ſi cũ ſuis elogiis in medium prodeat, quibus à Scriptura inſignitur. Si totus depingiIohan.3.a.6 tur his Chriſti verbis,Quod natum eſt ex carne,caro eſt(vt euincere promptum eſt)valde miſerum eſſe animal conuincitur. Affectus enim carnis,teRom.8.b.6 ſte Apoſtolo,mors eſt: quãdoquidem inimicitia eſt aduerſus Deum,eóque Legi Dei nec ſubditur,nec ſubdi poteſt. Itáne eſt peruerſa caro, vt toto ſuo affectu ſimultatem aduerſus Deum exerceat? vt cũ Legis diuinæ iuſtitia conſentire nequeat? vt nihil denique parere queat,niſi mortis materiam?Nũc fac in hominis natura nihil eſſe niſi carnem: & inde quippiam, ſi potes, boni elice. At Carnis vocabulum ad ſenſualem pertinet tantùm,
Iohan.3.a.6 non ad ſuperiorem animæ partẽ. Id verò ex verbis & Chriſti & Apoſtoli abundè refellitur.Argumentum eſt Domini,oportere hominem renaſci:quia caro eſt.Non ſecundum corpus renaſci præcipit. Animo autem nõ renaſcitur, ſi corrigatur aliqua eius portio:ſed vbi tota renouatur. Idque confirmat vtroque loco poſita antitheſis. ſic enim carni comparatur Spiritus, vt nihil relinquatur medium. Ergo quicquid nõ eſt ſpirituale in homine,ſecundum eam rationem dicitur carneum.Nihil autem habemus Spiritus,niſi per regenerationẽ. Eſt igitur caro quicquid habemus à natura. Verùm de ea re ſiqua aliàs poſEphe.4.e.23 ſet eſſe dubitatio,ea nobis à Paulo tollitur: vbi deſcripto veteri homine, quẽ dixerat corruptum eſſe concupiſcentiis erroris, iubet nos renouari ſpiritu mẽtis noſtræ. Vides eum non ponere illicitas ac prauas cupiditates in parte ſenſitiua modò, ſed in ipſa etiã mente: atque ideo eius exigere renouationẽ. Et ſanè eam humanæ naturæ imaginem paulo antè depinxerat, quæ nulla in parte nos non corruptos ac peruerſos eſſe oſtenderet. Nam quòd Gentes omnes ſcribit ambulare in vanitate mentis ſuæ, obtenebratas eſſe intelli-
Ibidẽ d.17. 18 gentia,alienatas à vita Dei,propter ignorantiã quæ in ipſis eſt, & cæcitatẽ cordis ſui: minimè eſt dubium quin competat in eos omnes quos Dominus ad rectitudinem ſuæ tum ſapientiæ,tum iuſtitiæ nõdum reformauit.Quod etiam clarius fit ex comparatione mox adiuncta: vbi fideles admonet quòd non ita didicerint Chriſtum. Siquidem ex iſtis verbis colligimus, Chriſti gratiam vnicum eſſe remedium quo ab illa cæcitate & malis inde
Ieſa.60.a.2 conſequentibus liberemur. Nam & ita de regno Chriſti vaticinatus erat Ieſaias, quum Dominum Eccleſiæ ſuæ fore in lucem ſempiternam promitteret: quum interim tenebræ obtegerent terram, & caligo populos. Quum in ſola Eccleſia exorituram Dei lucem teſtetur:extra Eccleſiam certè nonniſi tenebras & cæcitatem relinquit.Non recenſebo ſigillatim quæ in hominis vanitatem paſſim, in Pſalmis præſertim & Prophetis, ha-
Pſal.62.c.10 bentur.Magnum eſt quod ſcribit Dauid,Si cum vanitate appẽdatur, ipſa fore vaniorem. Graui telo confoditur eius ingenium,quum omnes quæ inde prodeunt cogitationes,vt ſtultæ,friuolæ,inſanæ,peruerſæ,irridentur.

Iere.17.b.9. 2 Nihilo leuior eſt cordis condemnatio, quum fraudulẽtum dicitur præ omni re & peruerſum.Sed quia breuitati ſtudeo,contentus ero vno tantùm loco:qui tamen lucidiſſimi ſpeculi inſtar futurus ſit, in quo totã naturæ noſtræ imaginẽ intueamur. Apoſtolus
Rom.3.b.10 enim,dum humani generis arrogantiam vult deiicere,his teſtimoniis agit,Quòd non eſt iuſtus quiſquam,nõ eſt intelligens,aut requirens Deũ. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt:non eſt qui faciat bonũ,ne vnus quidẽ.Sepulchrum patens eſt guttur eo-
Ieſa.59.b.7 rum,linguis ſuis doloſè agunt, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione plenum,& amaritudine:quorum veloces pedes ad effundendum ſanguinẽ:in viis quorũ contritio & infœlicitas: quibus præ oculis nõ eſt timor Dei. His fulminibus nõ in certos homines,ſed in vniuerſam filiorum Adã nationem inuehitur.Nequè in vnius aut alterius ſeculi deprauatos mores declamat: ſed accuſat perpetuã naturæ corruptionem. Siquidem propoſitum illi eſt eo loco non ſimpliciter homines obiurgare,quo reſipiſcãt: ſed docere potius ineluctabili calamitate omnes oppreſſos,è qua emergere nõ poſſint niſi mi-

ſi miſericordia Dei eruantur. Id quia probari non poterat niſi de clade & exitio naturæ conſtitiſſet: protulit hæc teſtimonia, quibus pluſquam perditam eſſe naturam noſtram conuincitur. Maneat ergo hoc, non prauæ duntaxat conſuetudinis vitio tales eſſe homines quales hîc deſcribuntur, ſed naturę quoque prauitate: quando non aliter ſtare poteſt Apoſtoli argumentatio, Nullam eſſe homini ſalutem niſi à Domini miſericordia: quia in ſe perditus eſt & deploratus. Non hîc laborabo in approbãda teſtimoniorum applicatione, necui videantur intempeſtiuè vſurpata. Perinde agam acſi à Paulo primùm hæc dicta forent, non è Prophetis deſumpta. Initiò adimit homini iuſtitiam, id eſt integritatem & puritatem: deinde intelligentiam. Intelligentiæ autem defectũ arguit apoſtaſia à Deo: quem requirere, primus eſt ſapientię gradus. illud autem neceſſe eſt iis euenire qui à Deo defecerunt. Subnectit, omnes declinaſſe, & quaſi putridos eſſe redditos: nullum eſſe qui faciat bonum: tum flagitia, quibus ſingula ſua membra cõtaminant qui in nequitiam ſemel ſoluti ſunt, adiungit. Poſtremò timore Dei vacuos teſtatur, ad cuius regulam greſſus noſtri dirigi debuerant. Si iſtæ ſunt hereditariæ humani generis dotes, fruſtra in natura noſtra aliquid boni requiritur. Equidem fateor non omnia hæc in vnoquoque homine flagitia emergere: inficiari tamen non licet quin hydra iſta in ſingulorum pectoribus lateat. Nam vt corpus, dum iam morbi cauſam & materiã incluſam in ſe fouet, etiãſi nondum ferueat dolor, non dicetur ſanum: ita nec anima, dum talibus vitiorum morbis ſcatet, ſana cenſebitur. quanquam non per omnia quadrat ſimilitudo. In corpore enim quãlibet morbido vigor vitæ ſupereſt: anima verò iſto exitiali gurgite immerſa, non ex vitiis modò laborat, ſed omni bono prorſus vacua eſt.

3 Eadẽ ferè quæ prius ſoluta eſt quæſtio, ex integro nobis ſurgit. Omnibus enim ſeculis extiterunt aliqui, qui natura duce ad virtutem tota vita intenti eſſent. Neq; moror ſi multi lapſus in eorũ moribus notari poſſint: ipſo tamẽ honeſtatis ſtudio documentũ ediderũt nõnihil fuiſſe in natura ſua puritatis. Quid pretii habeant corã Deo huiuſmodi virtutes, tametſi plenius ediſſeremus vbi agetur de operũ meritis, dicẽdũ tamẽ eſt hoc quoque loco, quatenus ad præſentis argumẽti explicationẽ neceſſe eſt. Exẽpla igitur iſta monere nos videntur nẽ hominis naturã in totũ vitioſam putemus: quòd eius inſtinctu quidam non modò eximiis facinoribus excelluerũt, ſed perpetuo tenore vitæ honeſtiſſimè ſe geſſerũt. Sed hîc ſuccurrere nobis debet, inter illã naturæ corruptionẽ eſſe nonnullum gratiæ Dei locũ, non quæ illã purget, ſed intus cohibeat. Nã ſi ſingulorũ animos laxis habenis Dominus in libidines quaſlibet exultare permitteret, nemo haud dubiè eſſet qui non reipſa fidẽ faceret veriſimè in ſe cõpetere omnia mala quibus vniuerſam naturam damnat Paulus. Quid enim? Téne eorum numero eximas quorũ pedes ad ſanguinem effundendum veloces, manus rapinis & homicidiis fœdatæ, guttura ſepulchris patentibus ſimilia, linguæ fraudulentæ, venenata labia, opera inutilia, iniqua, putrida, lethalia: quorũ animus ſine Deo, quorum intima prauitates, quorũ oculi ad inſidias, animi ad inſultandũ elati, omnes denique partes ad infinita flagitia concinnatæ? Si omnibus eiuſmodi portentis obnoxia eſt vnaquæque anima (quemadmodũ audacter pronuntiat Apoſtolus) videmus certè quid futurum ſit ſi Dominus humanam libidinem pro ſua inclinatione vagari ſinat. nulla eſt rabioſa bellua quæ tam præcipitanter feratur: nullũ eſt quamlibet rapidum ac violentum flumen, cuius adeo impetuoſa ſit exundatio. In electis ſuis morbos iſtos curat Dominus, eo quem mox exponemus modo: in aliis, iniecto fræno duntaxat coercet, tantùm ne ebulliant, quatenus expedire prouidet ad conſeruandam rerum vniuerſitatem. Hinc alii pudore, alii legũ metu retinentur ne in multa fœditatis genera prorumpant, vtcũque ſuam magna ex parte impuritatem non diſſimulent. alii, quia honeſtam viuendi rationem conducere ducãt, ad eam vtcunque aſpirant. alii ſupra vulgarem ſortem emergunt, quo ſua maieſtate alios cõtineant in officio. Ita ſua prouidentia Deus naturæ peruerſitatem refrænat, ne in actum erumpat: ſed non purgat intus. Pſal. 14. a. 13 Rom. 3. b. 13

4 Nondum tamen ſolutus eſt ſcrupulus. Aut enim Camillũ parem Catilinæ faciamus, conuenit: aut in Camillo habebimus exẽplum, naturã, ſi ſtudio excolatur, bonitate non prorſus vacare. Ego verò fateor, quæ in Camillo fuerunt ſpecioſæ dotes, & Dei fuiſſe dona, & iure cõmendabiles videri, ſi in ſe æſtimentur. ſed quomodo naturalis probitatis erunt in ipſo documẽta? Annon ad animum redeundum erit, & hæc ducenda ratiocinatio? Si homo animalis tali morum integritate præſtitit, non deeſſe vtique naturæ ad virtutis ſtudium facultatem. Quid autem ſi animus prauus fuerit & contortus, qui aliud po-

Hæc disputat Augustinus lib.4.cõtra Iulianũ.

tius quiduis quàm rectitudinem sectatus sit? Et talem fuisse non dubium est,si animalem illum hominem concedis.Quã mihi in hac parte prædicabis humanæ naturæ ad bonum potentiam,si in summa integritatis specie semper ad corruptionem ferri deprehenditur? Ergo vt hominem à virtute non commendaueris, cuius vitia sub virtutis imagine imponunt: ita humanæ voluntati recti expetendi facultatem non tribuas, quantisper ipsa in sua peruersitate defixa est. Quanquam hæc certissima est & facillima huius quæstionis solutio: non esse istas communes naturæ dotes,sed speciales Dei gratias, quas variè & ad certum modum profanis alioqui hominibus dispensat.Qua ratione,non formidamus in vulgari sermone hunc bene natum,illum prauæ naturæ dicere.Nec tamen vtrunque desinimus includere sub vniuersali humanæ prauitatis conditione:sed indicamus quid specialis gratiæ in alterum Dominus contulerit, quo alterum non sit dignatus.Saulem præficere regno volens, quasi nouum hominem formauit. atque hæc ratio est cur Plato, ad Homericam fabulam alludens, Regum filios creari dicat aliqua singulari nota insignes: quia Deus humano generi consulere volens, sæpe quos ad imperiũ destinat, heroica natura instruit. atque ex hac officina prodiit quicquid magnorum ducum celebrant historiæ.Idem & de priuatis hominibus censendum est. Sed quia vt præstantissimus quisque fuit,eum semper impulit sua ambitio(qua labe fœdantur omnes virtutes, vt coram Deo gratiam omnem amittant) pro nihilo ducendum est quicquid laude dignum apparet in hominibus profanis.Adde quòd præcipua pars rectitudinis deficit vbi nullũ est illustrandæ Dei gloriæ studium, quo vacui sunt omnes quos Spiritu suo non regenuit. Nec verò frustra dicitur apud Iesaiam, super Christum requiescere spiritum timoris Dei: quo docemur quicunque à Christo alieni sunt,eosdem carere timore Dei,qui sapientiæ initium est. Quantum ad virtutes quæ inani specie nos decipiunt, in foro quidem politico & in communi hominum fama habebunt laudem: apud cæleste verò tribunal nullius erunt pretii ad iustitiam promerendam.

1.Sam.10.b.6

Iesa.11.a.3

Psal.111.b.10

5 Qua igitur peccati seruitute vincta detinetur voluntas,ad bonum commouere se non potest,nedum applicare. eiusmodi enim motus, conuersionis ad Deum principium est, quæ Dei gratiæ tota in Scripturis tribuitur. Quemadmodum precatur à Domino Ieremias vt se conuertat,si conuersum velit. Vnde Propheta eodem capite, spiritualem populi fidelis redemptionem describens,dicit redemptum de manu fortioris. nempe significans quàm arctis compedibus alligatus est peccator, quandiu à Domino desertus, sub iugo diaboli agit.Manet nihilominus voluntas,quæ propensissima affectione ad peccandum & propendeat & festinet.siquidem non voluntate priuatus est homo, quum in hãc necessitatem se addixit, sed voluntatis sanitate. Neque verò ineptè Bernardus, qui velle nobis omnibus inesse docet:sed velle bonum,profectus:velle malum,defectus. Ideo simpliciter velle,hominis: malè velle,corruptæ naturæ: bene velle,gratiæ. Porrò quòd libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci: mirum est sicui videatur aspera loquutio, quæ nec absonũ habet quippiã, nec à sanctorum vsu aliena est. Offendit autem eos qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciũt. At siquis eos interroget,Annon Deus necessariò bonus sit:annon diabolus necessariò malus:quid respondeãt? Sic enim cõnexa est Dei bonitas cum diuinitate, vt non magis necessariũ sit ipsum esse Deum,quàm bonũ.Diabolus autẽ per lapsum sic à boni cõmunione alienatus est,vt nihil quàm malè agere possit.Quòd siquis sacrilegus obganniat,Deo parum laudis ex sua bonitate deberi,ad quam seruandam cogatur,qui non erit prompta responsio,Immensa eius bonitate fieri ne malè agere possit, non violenta impulsione? Ergo si liberam Dei voluntatẽ in bene agẽdo non impedit,quòd necesse est illũ bene agere: si Diabolus, qui nonnisi malè agere potest,voluntate tamen peccat:quis hominẽ ideo minus voluntariè peccare dicet,quòd sit peccãdi necessitati obnoxius? Hãc necessitatem quũ vbique prædicet Augustinus, dum etiam inuidiosè Cælestii cauillo vrgeretur, ne tum quidem asserere dubitauit, in hæc verba, Per libertatem factum est vt esset homo cũ peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem. Ac quoties incidit eius rei mentio, non dubitat in hunc modũ loqui de necessaria peccati seruitute. Hæc igitur distinctionis summa obseruetur,hominem,vt vitiatus est ex lapsu, volẽtem quidem peccare,non inuitum nec coactum:affectione animi propensissima,non violenta coactione: propriæ libidinis motu,non extraria coactione:qua tamen est naturæ prauitate,non posse nisi ad malum moueri & agi. Quod si verũ est,peccãdi certè necessitati subiacere non

Lib.de perf. iustit.

De nat. & grat.& alibi

obscurè

obſcurè exprimitur. Auguſtino ſubſcribens Bernardus ita ſcribit, Solus homo inter animalia liber: & tamen interueniente peccato, patitur quandam vim & ipſe: ſed à voluntate, non à natura, vt ne ſic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, etiam liberum. Et paulo pòſt, Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas (quum volũtaria ſit) excuſare valeat voluntatẽ, nec voluntas (quum ſit illecta) excludere neceſſitatẽ. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Poſtea dicit nos premi iugo, non alio tamen quàm voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis: ideo pro ſeruitute eſſe miſerabiles, pro voluntate inexcuſabiles: quia voluntas, quum libera eſſet, ſeruam ſe peccati fecit. Tandem concludit, Ita anima miro quodam & malo modo ſub hac volũtaria quadam ac malè libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera: ancilla, propter neceſſitatem: libera, propter volũtatem: &, quod magis mirũ magiſque miſerum eſt, ideo rea, quòd libera: cóque ancilla, quo rea: ac per hoc, eo ancilla, quo libera. Hinc certè agnoſcunt lectores nihil me nouum afferre, quod olim ex piorum omnium conſenſu prodidit Auguſtinus, & mille ferè annis poſtea in clauſtris monachorum retentum fuit. Lombardus autem quum neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, pernicioſo errori materiam dedit. Serm. ſuper Cantica 81

6 Ex oppoſito reputare operæpretium eſt quale ſit diuinæ gratiæ remediũ, quo naturæ vitioſitas corrigitur ac ſanatur. Nam quum Dominus in ope ferendæ, quod nobis deeſt largiatur, vbi conſtiterit quale ſit in nobis illius opus, quæ ſit è conuerſo noſtra penuria, ſtatim eluceſcet. Quum dicit Apoſtolus Philippenſibus, ſe confidere quòd qui cœpit in ipſis opus bonum, perfecturus ſit vſque in diem Ieſu Chriſti: non dubium quin per boni operis principium, ipſam cõuerſionis originem, quæ eſt in voluntate, deſignet. Bonũ itaque opus inchoat in nobis Deus, iuſtitiæ & amorẽ & deſiderium & ſtudium in cordibus noſtris excitando: vel (vt magis propriè loquamur) corda noſtra flectendo, formando, dirigendo in iuſtitiam: perficit autem, ad perſeuerantiam nos confirmando. Nequis à Domino bonũ inchoari tergiuerſetur, quòd voluntas, per ſe infirma, adiuuetur: alibi declarat Spiritus quid valeat volũtas ſibi relicta. Dabo, inquit, vobis cor nouũ: ſpiritũ nouũ ponã in medio veſtri. & auferam cor lapideũ de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciã vt in præceptis meis ambuletis. Quis voluntatis humanæ infirmitatem dicet ſubſidio roborari, quoad boni electionem efficaciter aſpiret, quum transformari renouarique totam oporteat? Siqua eſt in lapide mollities, quæ adminiculo tenerior facta flexũ quemlibet recipiat: neque ductile eſſe cor hominis negabo in recti obedientiam, modò gratia Dei quod in eo imperfectũ eſt ſupplea-
tur. Verùm ſi hac ſimilitudine oſtendere voluit nihil vnquam boni expreſſum iri à corde noſtro, niſi penitus aliud fiat: ne inter ipſum & nos partiamur quod ſibi vni vendicat. Si ergo lapis in carnẽ transformatur, quãdo nos Deus ad recti ſtudium conuertit: aboletur quicquid eſt propriæ noſtræ voluntatis: quod in eius locũ ſuccedit, totum à Deo eſt. Voluntatẽ dico aboleri, non quatenus eſt voluntas: quia in hominis conuerſione integrum manet quod primæ eſt naturæ: creari etiam nouam dico, non vt volũtas eſſe incipiat, ſed vt vertatur ex mala in bonam. Hoc in ſolidum à Deo fieri affirmo, quia ne ad cogitandum quidem idonei ſumus, eodem Apoſtolo teſte. Itaque alibi tradit non modò Deum opitulari infirmæ voluntati, vel prauam corrigere, ſed operari in nobis velle. Vnde facilè colligitur quod dixi, quicquid boni eſt in volũtate, eſſe vnius gratiæ opus. Quo ſenſu alibi dicit Deum eſſe qui omnia operãtur in omnibus. Neque enim illic de vniuerſali gubernatione differit, ſed bonorũ omnium quibus pollent fideles, laudem aſſerit vni Deo. Omnia autem dicendo, certè ab initio ad finem vſque Deum ſpiritualis vitæ authorem facit: quod idẽ aliis verbis prius docuerat, fideles ex Deo eſſe dicens in Chriſto: vbi apertè nouam creationem qua aboletur quod communis naturæ eſt, commendat. Subaudiẽda enim eſt inter Adam & Chriſtum antitheſis, quam alibi clarius explicat, vbi docet nos eſſe Dei facturã, creatos in Chriſto ad bona opera quæ præparauit vt in illis ambulemus. Hac enim ratione probare vult gratuitam eſſe noſtram ſalutem: quia initium omnis boni ſit à ſecunda creatione quam in Chriſto cõſequimur. Atqui ſiqua eſſet vel minima ex nobis facultas, aliqua etiã eſſet meriti portio. Verùm vt nos prorſus exinaniat, nihil promeritos eſſe ratiocinatur, quia in Chriſto conditi ſumus ad bona opera quæ præparauit Deus: quibus verbis iterum ſignificat omnes bonorum operum partes à primo motu, Dei eſſe proprias. Hac ratione Propheta poſtquã in Pſalmo dixit nos Dei eſſe figmẽtum,

Philip. 1. a. 6

Exe. 36. f. 26

1. Cor. 3. b. 5

Philip. 2. b. 13

1. Cor. 12. a. 6

Epheſ. 1. a. 1

Ephe. 2. b. 10

Pſal. 100. a. 3

ne qua fiat partitio, mox adiũgit, Non fecimus nos ipſi. de regeneratione eum loqui, quæ principium eſt ſpiritualis vitæ, ex contextu patet, vbi continuo pòſt ſequitur nos eſſe populum eius, & gregem paſcuorum eius. Videmus autem vt non contentus ſimpliciter ſalutis noſtræ laudem Deo dediſſe, diſertè ab omni ſocietate nos excludat: quaſi diceret ne tantillum quidem reſtare homini in quo glorietur, quia totum à Deo eſt.

7 Sed erunt fortè qui concedent voluntatem à bono ſuopte ingenio auerſam, ſola Domini virtute conuerti: ſic tamen vt præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat: quemadmodũ docet Auguſtinus, omne bonũ opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente: pediſſequa, non præuia voluntate. quod non malè à ſancto viro dictũ præpoſterè huc detorquet Petrus Lombardus. Ego autem tam in Prophetæ verbis quæ citaui, quàm in aliis locis clarè duo ſignari contendo: quòd & prauam noſtram voluntatem corrigat Dominus, vel potius aboleat, & à ſeipſo bonã ſubmittat. Quatenus à gratia præuenitur, in eo vt pediſſequam appelles tibi permitto: ſed quia reformata, opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti, pediſſequa voluntate obſequatur. Ideo non rectè à Chryſoſtomo ſcriptum eſt, Nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari. quaſi verò non ipſam quoque voluntatem operetur gratia, ſicuti ex Paulo nuper vidimus. Neque verò Auguſtini conſiliũ fuit, dum pediſſequam gratiæ vocat humanam voluntatẽ, ſecundas quaſdam à gratia partes illi aſſignare in bono opere: ſed quia hoc illi tantùm propoſitum erat refellere peſſimum Pelagii dogma, quòd primam ſalutis cauſam in hominis merito ponebat: quod ſatis erat præſenti cauſæ, contendit, gratiam omni merito eſſe priorẽ: altera interim quæſtione omiſſa, de perpetuo gratiæ effectu, quam tamẽ alibi egregiè tractat. Aliquoties enim dum dicit, Dominum præuenire nolentem vt velit: volentem ſubſequi ne fruſtra velit: ipſum boni operis in ſolidum facit authorem. Quanquam clariores de hac re ſunt eius ſententiæ quàm vt longam argumentationem deſiderent. Laborant, inquit, homines inuenire in noſtra voluntate quod noſtrũ ſit, & non ex Deo: & quomodo inueniri poſſit ignoro. Libro autẽ contra Pelagiũ & Cæleſtiũ primo, vbi dictũ illud Chriſti interpretatur, Omnis qui audierit à Patre meo, venit ad me: Arbitriũ, inquit, ſic adiuuatur vt non ſolùm quid faciendum ſit ſciat: ſed quod ſciuerit, etiam faciat. Atque ita quum Deus docet, non per Legis literam, ſed per Spiritus gratiam, ita docet vt quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendóque perficiat.

Ad Bonif. Epiſt. 106

Lib. 2. de remiſ. peccat. cap. 18

Iohã. 6. e. 45

8 Et quoniam in præcipuo cardine iam verſamur: agedum, ſummam rei paucis ac apertiſſimis tantùm Scripturæ teſtimoniis probatã tradamus lectoribus: tum deinde (ne quis nos detortæ perperàm Scripturæ inſimulet) oſtẽdamus neque huius ſancti viri (Auguſtinum dico) teſtimonio deſtitui quam ex Scriptura deſumptam aſſerimus veritatem. Nam neque expedire cenſeo, vt quæ in ſententiæ noſtræ confirmationem adduci ex Scripturis poſſunt, ordine ſingula recenſeantur: modò ex ſelectiſſimis, quæ proferentur, via ſternatur ad reliqua omnia, quæ ſparſim leguntur, intelligenda. neque rurſum intempeſtiuè factum iri ſi palàm fecero mihi cum eo viro non malè conuenire cui plurimum authoritatis meritò defert piorum conſenſus. Certè boni exordium non aliunde quàm à ſolo Deo eſſe facili & certa ratione liquet. neque enim volũtas reperietur ad bonum propenſa, niſi in electis. Atqui electionis cauſa extra homines quærenda eſt: vnde conficitur, rectam voluntatem non eſſe homini à ſeipſo, ſed ex eodem beneplacito, quo ante mundi creationem electi ſumus, fluere. Accedit altera nõ abſimilis ratio. nam quum bene volendi & agendi principium ſit ex fide, videndum eſt vnde ſit ipſa fides. Quũ verò gratuitum eſſe Dei donum clamet tota Scriptura, ſequitur ex mera gratia eſſe vbi velle bonũ incipimus, qui ad malum toto animo ſumus naturaliter propẽſi. Ergo Dominus, vbi in populi ſui conuerſione duo hæc ponit, vt cor illi lapideum auferat, det carneum, apertè teſtatur oportere aboleri quod ex nobis eſt, quo ad iuſtitiam conuertamur: quicquid autem in eius locum ſubit, à ſeipſo eſſe. Neque id vno loco pronuntiat. dicit enim apud Ieremiam, Dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuerſis diebus. Paulo pòſt, Timorem nominis mei dabo in cor eorum, vt non recedant à me. Rurſum apud Ezechielem, Dabo eis cor vnum, & Spiritum nouum dabo in viſceribus eorũ. Cor lapideum auferam de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Non poſſet euidẽtius ſibi vendicare, nobis adimere, quicquid eſt in volũtate noſtra boni & recti, quàm dum cõuerſionem noſtram, creationẽ noui Spiritus & noui cordis eſſe teſtatur. ſequitur enim ſemper,

Ier. 32. f. 39

Eze. 11. d. 19

& ex

& ex volũtate noſtra nihil prodire boni donec reformata fuerit: & poſt reformationem, quatenus bona eſt, à Deo eſſe, non à nobis.

9 Sic & precationes ſanctorum compoſitæ leguntur. Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus, dicebat Solomo, vt ſeruemus mandata ſua. Peruicaciã cordis noſtri oſtẽdit quòd in Legis diuinæ rebellionẽ naturaliter exultet, niſi flectatur. Idem & in Pſamo habetur, Inclina cor meum ad teſtimonia tua. Semper enim notanda eſt antitheſis inter peruerſum cordis motum quo fertur ad cõtumaciam, & correctionem hanc qua in obſequium cogitur. Dauid autem quum ſe directrice gratia ad tempus orbatum fuiſſe ſentiens, Deum rogat vt cor mundum in ſe creet, Spiritum rectum innouet in ſuis viſceribus, an non omnes cordis ſui partes impuritate refertas agnoſcit, & ſpiritum obliqua prauitate contortum? munditiem autem quam flagitat, Dei creaturam vocando, an non totam illi acceptam refert? Siquis excipiat, precationem ipſam ſignum eſſe pii ſanctique affectus, prompta eſt ſolutio, quanuis iam aliqua ex parte reſipuiſſet Dauid, conferre tamen priorem ſtatum cum illa triſti ruina quam expertus erat. Perſonã ergo hominis à Deo alienati ſuſcipiens, meritò ſibi dari petit quæcunque electis ſuis in regeneratione cõfert Deus. Itaque mortuo ſimilis, optat ſe iterum creari, vt ex mancipio Satanæ fiat Spiritus ſancti organum. Mira ſanè & portentoſa ſuperbiæ noſtræ libido. Nihil ſeuerius Dominus exigit quàm vt religioſiſſimè ſuum ſabbathum obſeruemus, quieſcẽdo ſcilicet ab operibus noſtris: à nobis verò nihil magis ægrè impetratur, quàm vt operibus noſtris valere iuſſis, Dei operibus iuſtum locum cedamus. Niſi obſtaret vecordia, ſatis luculentum teſtimonium reddidit gratiis ſuis Chriſtus, ne malignè ſupprimerentur. Ego ſum, inquit, vitis, vos palmites: Pater meus agricola eſt. Sicut palmes non poteſt fructum ferre à ſeipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis: quia ſine me nihil poteſtis facere. Si non aliter per nos fructificamus, quàm reuulſus à terra palmes, & humore priuatus, germinat: non eſt amplius quærendum quæ ſit naturæ noſtræ ad bonum aptitudo. Nec ambigua eſt iſta concluſio, Sine me nihil poteſtis facere. Non dicit nos eſſe infirmiores quàm qui nobis ſufficiamus: ſed nos ad nihilum redigendo, omnẽ vel exiguæ facultatulæ opinionem excludit. Si in Chriſto inſiti fructificamus inſtar vitis, quæ tum à terræ humore, tum à rore cæleſti, tum à ſolis fomento vegetationis ducit energiam: nihil in bono opere reſtare nobis video, ſi Deo illibatum ſeruamus quod ſuum eſt. Nequicquam obtenditur friuola argutia, ſuccum iam incluſum eſſe in palmite, & vim proferẽdi fructus: ideóque non omnia ſumere à terra vel à prima radice, quia aliquid ſuũ conferat. Neque enim aliud vult Chriſtus, quàm nos aridum & nihili eſſe lignum vbi ſumus ab eo ſeparati: quia ſeorſum nulla ſit in nobis bene agẽdi facultas, ſicut alibi quoque, inquit, Omnis arbor quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur. Quare Apoſtolus totam illi ſummam trãſcribit in loco iam citato, Deus eſt, inquit, qui in vobis operatur & velle & perficere. Prior pars operis boni, eſt voluntas: altera, validus in exequendo conatus: vtriuſque author eſt Deus. Ergo Domino ſurripimus ſiquid nobis arrogamus aut in voluntate, aut in effectu. Si diceretur Deus opem ferre infirmæ voluntati, nobis nonnihil relinqueretur: ſed quum dicitur efficere voluntatẽ, iam extra nos, quicquid in ea bonũ eſt locatur. Porrò quoniã carnis noſtræ pondere bona etiamnum voluntas obruitur, ne emergat: ſubiunxit, eluctandis eius pugnæ difficultatibus, conatus conſtantiam ad effectum vſque adminiſtrari. Siquidẽ nec aliter conſtare poſſet quod alibi docet, vnicum eſſe Deum qui efficit omnia in omnibus, vbi totum ſpiritualis vitæ curſum cõprehendi antè docuimus. Qua ratione Dauid poſtquam vias Dei ſibi patefieri precatus eſt, vt ambulet in eius veritate, mox adiungit, Vnias cor meum ad timendum nomen tuum. Quibus verbis ſignificat, etiam qui probè affecti ſunt, tot eſſe diſtractionibus obnoxios vt facilè euaneſcant vel effluant niſi ad conſtantiã firmentur. Qua ratione alibi, poſtquã greſſus ſuos dirigi ad ſeruãdum Dei ſermonem precatus eſt, robur quoq; ad bellandũ ſibi dari poſtulat: Ne dominetur, inquit, mihi vlla iniquitas. Hũc itaq; in modũ & inchoat & perficit Dominus bonũ opus in nobis: vt illius ſit, quòd recti amorẽ cõcipit volũtas, quòd in eius ſtudiũ inclinatur, quòd ad eius ſectãdi conatũ incitatur & mouetur: deinde quòd electio, ſtudiũ, conatus nõ fatiſcũt, ſed ad effectũ vſq; procedũt: poſtremò, quòd homo in illis cõſtãter pergit, & in finẽ vſq; perſeuerat.

Iohan.15.a.1

Mat.15.b.13

Philip.2.b.13

2.Cor.12.a.6

Pſal.86.b.11

Pſal.119.133

10 Ac voluntatem mouet, nõ qualiter multis ſeculis tractum eſt & creditũ, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: ſed illam efficaciter affi-

ciendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitũ repudiari neceſſe eſt, Quẽ trahit, volen-

tem trahit: quo insinuat Dominum porrecta tantùm manu expectare an suo auxilio iuuari nobis adlubescat. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus vt potuerit ad alterutram partem inclinare: sed quum suo exẽplo docuerit quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit & possit: quid fiet nobis si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur? Imò nos ipsi eam obscuramus & extenuamus nostra ingratitudine. Non enim docet Apostolus, offerri nobis bonæ voluntatis gratiam si acceptemus: sed ipsum velle in nobis efficere: quod non aliud est nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari: & in eo, tãquam in possessione sua, regnare. Nec verò per Ezechielem promittit se daturum electis Spiritum nouum hoc tantùm fine vt in præceptis suis ambulare possint, sed vt re ipsa ambulent. Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo venit ad me, quàm vt efficacẽ à seipsa Dei gratiam doceat: quemadmodum & Augustinus contẽdit. Qua gratia non quoslibet promiscuè dignatur Dominus, quemadmodum vulgò iactatur illud (nisi fallor) Occamicum, eam nemini denegari facienti quod in se est. Docendi quidem sunt homines, expositam esse Dei benignitatem omnibus, sine exceptione, qui eam quærunt: sed quum ii demum quærere incipiant quibus cælestis gratia aspirauit, nec hæc saltẽ portiuncula de eius laude decerpenda erat. Hæc est sanè electorum prærogatiua, vt per Spiritum Dei regenerati, ipsius ductu agantur ac gubernentur. Quare meritò Augustinus tam eos deridet qui aliquas volendi partes sibi arrogant, quàm reprehendit alios qui putant promiscuè dari omnibus quod speciale est, gratuitæ electionis testimonium: Cõmunis (inquit) omnibus est natura, non gratia: vitreum acumen appellans quod mera vanitate splendet vbi ad omnes generaliter extenditur, quod Deus quibus vult confert. Alibi autem, Quomodo venisti? credendo. Time ne dum tibi arrogas quòd inuenta sit à te via iusta, pereas de via iusta. Veni, inquis, libero arbitrio: voluntate propria veni. Quid turgescis? vis nosse quòd & hoc præstitum est tibi? Ipsum audi vocãtem, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Et citra cõtrouersiam elicitur ex Iohannis verbis, sic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt inflexibili affectu sequantur. Qui ex Deo genitus est (inquit) nõ potest peccare: quia semen Dei in ipso manet. Nam medium quem sophistæ imaginantur motum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, apertè excludi videmus vbi asseritur efficax ad perseuerandum constantia.

Ezech. 11. c. 19, & 36. f. 27

Iohã. 6. c. 45

Lib. de prædest. sanct.

De verbis Apost. Sermo. 11

Iohã. 6. c. 44

1. Iohã. 3. b. 9

11 De perseuerantia nihilo magis dubium futurũ erat quin habenda esset pro gratuito Dei dono, nisi inualuisset pessimus error, pro hominũ merito hanc dispensari, provt se vnusquisque non ingratum primæ gratiæ præbuerit. Sed enim quoniam inde natus est quòd putabant in manu nostra esse respuere vel accipere oblatam Dei gratiam, hac opinione explosa, ille quoque spõte sua corruit. Quanquam hîc bifariã erratur. nam præterquam quòd nostram erga primam gratiam gratitudinem legitimúmque vsum posterioribus remunerari docent, addunt etiam, non iam solam gratiam in nobis operari, sed esse tantùm nobis cooperatricem. De priore sic habendum est, Dominum, dum in dies locupletat, & nouis suæ gratiæ dotibus cumulat seruos suos, quia opus quod in illis cœpit, gratũ acceptúmque habet, in illis inuenire quod maioribus gratiis prosequatur. Atque huc pertinent sententiæ illæ, Habenti dabitur. Item, Euge serue bone: quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituã. Sed hîc duo sunt cauẽda, ne aut remunerari dicatur posterioribus gratiis legitimus vsus primæ gratiæ, acsi homo sua ipsius industria redderet gratiam Dei efficacem: aut sic remuneratio censeatur vt desinat haberi gratuita Dei gratia. Fateor ergo expectandam esse fidelibus hanc Dei benedictionem, quo melius vsi fuerint superioribus gratiis, vt eo maioribus posthac adaugeantur: sed illum quoque vsum à Domino esse dico, & hanc remunerationem à gratuita eius beneuolentia prouenire. ac sinistrè non minus quàm infœliciter tritam illam distinctionem vsurpant, operantis gratiæ & cooperantis. Hac quidem vsus est Augustinus, sed commoda definitone leniens, Deum cooperando perficere quod operando incipit: ac eandem esse gratiam, sed sortiri nomen pro diuerso modo effectus. Vnde sequitur, eum non partiri inter Deum & nos acsi ex proprio vtriusque motu esset mutua concurrentia: sed gratiæ multiplicationem notare. Quò pertinet quod alibi dicit, multa Dei dona præcedere bonã hominis voluntatem, inter quæ est & ipsa. Vnde sequitur, nihil reliquum facere quod ipsa sibi arroget. Quod & Paulus nominatim expressit. Nã quũ dixisset, Deũ esse qui efficit in nobis & velle & perficere, cõtinuò subdidit, vtrũque facere pro bona voluntate: hac dictione gratuitã esse

Matth. 25. b. 21. 23. & c. 29 Luc. 19. c. 17. & d. 26

Philip. 2. b. 13

esse benignitatẽ indicans. Ad id autem quod dicere solent, postquã primæ gratiæ locum dedimus, iam conatus nostros subsequenti gratiæ cooperari, respõdeo: Si intelligant nos, ex quo semel Domini virtute in iustitiæ obsequiũ edomiti sumus, vltrò pergere, & propensos esse ad sequendam gratiæ actionem, nihil reclamo. Est enim certissimum, vbi gratia Dei regnat, talem esse obsequendi promptitudinem. Vnde id tamen nisi quòd Spiritus Dei vbique sibi consentiens, quam principiò generauit obedientiæ affectionem, ad perseuerandi constantiam fouet & confirmat? At si hominẽ à seipso sumere volunt vnde gratiæ Dei collaborent, pestilentissimè hallucinantur.

12 Atque huc falsò per insciti am torquetur illud Apostoli, Plus omnibus iis laborauí: non ego, sed gratia Dei mecum. Sic enim accipiunt, quia paulò arrogantius dictum videri poterat quòd se præferret omnibus, id quidem corrigere, laudem ad Dei gratiam referendo: sed ita vt se gratiæ cooperarium vocet. Ad hanc festucam mirum est tot non malos alioqui homines impegisse. Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, vt se consortem laboris faciat: quin potius totam laboris laudem vni gratiæ trãscribit, ista correctione, Non ego, ait, sum is qui laboraui, sed gratia Dei quæ mihi aderat. Fefellit autẽ eos loquutionis ambiguitas: sed magis præpostera versio, in qua vis Græci articuli prętermissa fuit. Nam si ad verbum reddas, non dicit gratiam sibi fuisse cooperatricẽ: sed gratiam quæ sibi aderat, omnium fuisse effectricem? Atque id non obscurè, licet breuiter, docet Augustinus, quum ita loquitur, Præcedit voluntas bona hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem præcedit ipsa, in eis & ipsa est. Sequitur deinde ratio: quia scriptum sit, Misericordia eius præuenit me. Et, Misericordia eius subsequetur me: nolentem præuenit, vt velit: volentem subsequitur, ne frustra velit. Cui consentit Bernardus, Ecclesiam ita loquentem inducens, Trahe quodammodo inuitam vt facias voluntariam: trahe torpentem vt reddas currentem.

1. Corinth. 15. b.10

Psal.59.c.11
Psal.23.b.6
Serm. 2. in Cant.

13 Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ętatis nostræ Pelagiani, hoc est Sorbonici sophistæ totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminẽtur. in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est. Libro de correptione & gratia ad Valentinum fusius exequitur, quod breuiter, eius tamen verbis referam, Gratiam persistẽdi in bono, Adæ fuisse datam si vellet: nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus. Habuisse ergo illum posse si vellet: sed non velle vt posset: nobis & velle dari & posse. Primã fuisse libertatem, posse nõ peccare: nostrã multo maiorem, non posse peccare. Ac ne de futura post immortalitatem perfectione loqui putetur (sicuti perperam Lombardus eò trahit) scrupulum hunc paulo pòst eximit. Tantùm quippe, inquit, Spiritu sancto accenditur voluntas sanctorum: vt ideo possint quia sic volũt: ideo velint, quia Deus operatur vt sic velint: Nam si in tanta infirmitate, in qua tamen ad reprimendam elationem perfici virtutem decet, ipsis relinquatur volũtas sua, vt adiutorio Dei possint, si velint, nec Deus operetur in illis vt velint: inter tot tentationes infirmitate voluntas ipsa succumberet, ideóque perseuerare non possent. Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt gratia diuina indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, ideóque quantumuis infirma non deficeret. Tractat deinde copiosius quomodo corda nostra Dei afficiẽtis necessariò sequatur motum: ac dicit quidem Dominum homines suis voluntatibus trahere, sed quas ipse operatus est. Habemus nunc Augustini ore testatum quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuiusque electione aut recipiatur aut respuatur: sed ipsam esse, quæ in corde & electionem & voluntatem formet: vt quicquid deinde sequitur boni operis, fructus sit ipsius ac effectus: nec aliam habeat sibi obsequentem voluntatem nisi quam fecit. Sunt enim eius quoque verba ex alio loco, Omne bonum in nobis opus nonnisi gratiam facere.

2. Cor. 12. c. 9

Cap. 21

14 Quod autem alibi dicit, non tolli gratia voluntatẽ, sed ex mala mutari in bonã: & quum bona fuerit, adiuuari: significat tantùm, hominẽ non ita trahi vt sine motu cordis, quasi extraneo impulsu feratur: sed intus sic affici vt ex corde obsequatur. Specialiter gratuitóque electis dari, in hunc modum ad Bonifacium scribit, Scimus non omnibus hominibus dari Dei gratiam: & quibus datur, neque secundum merita operum dari, neque secundum merita voluntatis, sed gratuita gratia: quibus non datur, scimus iusto Dei iudicio nõ dari. Ac in eadem epistola fortiter eam opinionem impugnat, quæ hominum meritis subsequentem gratiam reddi putat: quia primam gratiam non respuendo, se dignos

Epist. 105

Epist. 106

præstiterint. Vult enim Pelagium fateri, nobis gratiam necessariam esse ad singulas actiones, neque operibus retribui, quò sit verè gratia. Sed breuiore summa comprehẽdi res nõ potest quàm ex octauo capite libri ad Valentinum, de correptione & gratia: vbi primùm docet, Quòd humana voluntas nõ libertate gratiam, sed gratia consequatur libertatem: Quòd per eandem gratiam impresso delectationis affectu, ad perpetuitatẽ conformetur: Quòd insuperabili fortitudine roboretur: Quòd illa gubernãte, nunquam excidat: deserente, protinus corruat. Quòd gratuita Domini misericordia, & ad bonum conuertatur: & conuersa in ipso perseueret. Quòd voluntatis humanæ directio in bonum, & post directionem constantia, ex sola Dei voluntate pendeat, nõ vllo suo merito. Ita homini tale relinquitur liberum arbitrium (si appellare ita libet) quale alibi scribit, quòd nec ad Deum
Epist. 46 conuerti, nec in Deo persistere, nisi per gratiam, possit: à gratia valeat quicquid valet.

Quomodo operetur Deus in cordibus hominum. CAP. IIII.

HOMINEM peccati iugo ita captiuum teneri, ne ad bonum aut voto aspirare, aut studio contendere suapte natura queat, sufficienter, nisi fallor, probatum est. Præterea distinctio inter coactionem & necessitatem posita fuit, vnde liqueret eum, dum necessariò peccat, nihilo tamen minus voluntariè peccare. Sed quoniam, dum in seruitutem diabolo addicitur, illius arbitrio videtur magis agi quàm suo, quale sit actionis vtriusque genus, expediendum restat: tum soluenda quæstio, an aliquid in malis operibus Deo sit tribuẽdum, in quibus nonnullam eius actionem intercedere Scriptura insinuat. Alicubi Augustinus humanam voluntatem equo comparat sessoris nutum expectanti: Deum ac Diabolum, sessoribus. Si Deus illi insidet, inquit, perinde ac moderatus & peritus sessor, compositè illam regit: tarditatem incitat, nimiam celeritatem compescit: petulantiam luxuriámque coercet, peruicaciã retundit, in rectam viam deducit. quòd si eam Diabolus occupauit, instar stolidi ac petulantis sessoris per inuia rapit, impellit in foueas, per prȩcipitia deuoluit, ad contumaciã ferociámque instigat. Qua similitudine, quando melior non occurrit, in prȩsentia contenti erimus. Imperio igitur Diaboli quòd animalis hominis volũtas dicitur subiacere vt inde agitetur, non significat ipsam reluctantem ac restitantem ad obsequia adigi (quemadmodum inuita mancipia obire iussa nostra dominii iure cogimus) sed Satanæ præstigiis fascinatam, illi se ad omnem ductum obsequentem necessariò præbere. Nam quos Spiritus sui regimine non dignatur Dominus, eos ad Satanæ actionẽ iusto iudicio ablegat. Quare Apostolus deum
2. Cor. 4. a. 4 huius seculi excæcasse mentes infidelibus exitio destinatis ait, ne cernant lumen Euange-
Ephes. 2. a. 2 lii. Et alio loco, ipsum operari in filiis contumacibus. Excæcatio impiorum, & quæcũque inde sequuntur flagitia, opera Satanæ nuncupantur: quorum tamen causa extra humanam voluntatem quȩrenda non est, ex qua radix mali surgit: in qua fundamentum regni Satanæ (hoc est, peccatum) residet.

2 Longè est alia ratio diuinæ in talibus actionis. Quæ vt certius nobis pateat, exemplo sit calamitas à Chaldæis sancto Iob illata. Chaldæi, interemptis eius pastoribus, gregẽ hostiliter deprædãtur. Iam eorum improbũ facinus palàm extat. neque in eo opere cessat Satan, à quo totum id prouenire narrat historia. Ipse autem Iob Domini opus in eo recognoscit, quem dicit sibi abstulisse quæ erepta erant per Chaldæos. Quomodo idem opus ad Deum, ad Satanam, ad hominem authorem referamus, quin vel Satanam excusemus Dei consortio, vel Deum mali authorem prædicemus? Facilè, si finem agendi primùm inspiciamus, deinde modum. Domini consilium est servi sui patientiam calamitate exercere: Satan molitur eum ad desperationem adigere: Chaldæi ex re aliena præter ius & fas lucrum quærere affectant. Tanta in consiliis diuersitas opus iam valde distinguit. In modo non minus est discriminis. Satanæ affligendum seruum suum Dominus permittit: Chaldæos, quos ad id exequendum ministros delegit, illi permittit ac tradit impellendos: Satã alioqui prauos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrãdum id flagitium instigat: illi ad iniustitiam furiosè ruunt, omniáque membra scelere obstringunt ac contaminant. Propriè ergo agere dicitur Satan in reprobis: in quibus regnum suum, hoc est nequitiæ, exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quòd Satan ipse (instrumentũ quum sit iræ eius) pro eius nutu ac imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia. Omitto hîc vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt sustinẽtur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illa speciali actione tantùm loquor quæ in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus nõ

esse

esse absurdum: sed varietas in fine & modo facit vt illic inculpata Dei iustitia reluceat, Satanæ hominisque nequitia cum suo opprobrio se prodat.

3 Veteres religiosius interdum simplicem quoque veritatis confessionem in hac parte reformidant, quòd verentur ne impietati fenestram de operibus Dei irreuerenter obloquendi aperiant. Quam sobrietatem vt exosculor, ita minimè periculosum iudico si simpliciter teneamus quod Scriptura tradit. Ne Augustinus quidem illa superstitione interdum solutus est: quemadmodum vbi dicit indurationem & excæcationē non ad operationem Dei sed ad præscientiam spectare. At istas argutias non recipiunt tot Scripturæ loquutiones, quæ plus aliquid Dei quàm pręscientiā interuenire clarè ostendunt. Et Augustinus ipse libro contra Iulianum 5, longa oratione contēdit, non permissionis tantùm aut patientiæ diuinæ esse peccata, sed etiam potentiæ, vt sic priora peccata puniantur. Similiter quod de permissione afferunt, dilutius est quàm vt subsistat. Sæpissime excæcare dicitur Deus & indurare reprobos, eorum corda vertere, inclinare, impellere, vt alibi fusius docui. Id quale sit, nequaquam explicatur, si confugitur ad præscientiam aut permissionem. Nos ergo duplici ratione respondemus id fieri. Siquidem quum sublato eius lumine, nihil quàm caligo & cæcitas supersit: quum ablato eius Spiritu, corda nostra in lapides obdurescant: quum cessante eius directione, in obliquitatem contorqueantur: ritè excæcare, indurare, inclinare dicitur quibus facultatē videndi, parendi, rectè exequendi adimit. Secunda ratio, quæ multo propius accedit ad verborum proprietatem, quòd ad exequenda sua iudicia per ministrum irę suæ Satanam, & consilia eorum destinat quò visum est, & volūtates excitat, & conatus firmat. Sic vbi recitat Moses Sehon regem transitum non dedisse populo, quia indurauerat Deus Spiritum eius, & cor obfirmauerat, finem consilii mox subiungit, Vt daret eum in manus nostras, inquit. Ergo quia perditum Deus volebat, obstinatio cordis, diuina fuit ad ruinam præparatio.

Lib. de Prædest. & gratia.

Deut. 2. f. 30

4 Secundum priorem rationem istud videtur dictum, Aufert labium à veracibus, & rationem tollit à senioribus. Aufert cor ab iis qui præsunt populo terræ, errare eos facit per inuium. Item, Quare dementasti nos Domine, indurasti cor nostrum, ne timeamus te? Quandoquidem indicant potius quales Deus homines faciat deserendo, quàm qualiter opus in ipsis suum peragat. At sunt alia testimonia quæ vltrà procedunt: qualia sunt de Pharaonis induratione, Indurabo cor Pharaonis, ne vos audiat, ac dimittat populum. Postea dicit se aggrauasse cor illius, & roborasse. An indurauit non emolliendo? Id quidē verum est: sed plus aliquid fecit, quòd obstinatione pectus eius obfirmandum Satanæ mādauit. vnde prius dixerat, Tenebo cor illius. Egreditur populus ex Ægypto: prodeunt obuiam infesti regionis incolæ. vnde excitati? Moses certè populo asserebat Dominum fuisse qui corda eorum roborasset. Propheta verò eandem historiam recitās, dicit ipsum vertisse corda eorum vt odio haberent populum suum. Iam dicere non possis destitutos Domini consilio impegisse. Nā si roborantur & vertuntur, destinatò inflectūtur ad idipsum. Adhæc, quoties in populi trāsgressiones vindicare illi placuit, quomodo opus suum in reprobis adimpleuit? vt videas efficaciam agendi penes ipsum fuisse, illos ministerium duntaxat præbuisse. Quare nunc sibilo suo euocaturum se illos minabatur: nunc instar sagenæ sibi fore ad irretiendos: nunc mallei instar, ad feriendos Israelitas. Sed præcipuè tum declarauit quàm non sit otiosus in illis, dum Sennacherib securim vocat, quæ ad secandum manu sua & destinata fuit & impacta. Nō malè alicubi Augustinus ita definit, quòd ipsi peccant, eorum esse: quòd peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei esse, tenebras provt visum est diuidentis.

Ezech. 7. g. 26
Psal. 107. d. 40
Iob 12. d. 20
Iesa. 63. d. 17
Exod. 4. e. 21, & 7. a. 3
Exod. 10. a. 1
Exod. 3. f. 19
Deut. 2. f. 30
Psal. 105. c. 25
Iesa. 5. f. 26, & 7. c. 18
Ezech. 12. d. 13, & 17. f. 20
Iere. 50. d. 23
Iesa. 10. d. 15
Aug. de prædest. sanct.

5 Porrò Satanæ ministerium intercedere ad reprobos instigādos, quoties huc atque illuc Dominus prouidētia sua eos destinta, vel ex vno loco satis constiterit. Dicitur enim sæpius in Samuele, quòd Saulem aut raptauerit aut dimiserit spiritus Domini malus, & spiritus malus à Domino. Ad Spiritum sanctū id referre nefas est. Spiritus ergo impurus, Dei spiritus vocatur, quia ad eius nutum potentiámque respondet, instrumētum magis ipsius in agendo, quàm à seipso author. Simul addendum est quod à Paulo traditur, diuinitus efficaciam erroris ac seductionis immitti, vt credant mendacio qui veritati non paruerunt. Longo tamen discrimine semper distat in eodem opere id quod agit Dominus, ab eo quod Satan & impii moliuntur. Ille mala instrumenta, quæ sub manu habet & versare quolibet potest, seruire iustitiæ suæ facit. Hi, provt mali sunt, nequitiam ingenii prauitate conceptam effectu pariunt. Reliqua quæ ad vindicandam à calumnia Dei maie-

1. Sam. 16. c. 14, & 18. c. 10 & 29. b. 9
2. Thess. 2. c. 10

ſtatem,tum præcidendam impiis tergiuerſationem pertinent,in capite De prouidentia iam expoſita ſunt. Hîc enim breuiter propoſitum modò fuit, quomodo in reprobo homine regnet Satan,quomodo in vtroque agat Dominus,indicare.

6 In actionibus autem quæ nec iuſtæ per ſe,nec vitioſę ſunt, & ad corpoream magis quàm ſpiritualem vitam ſpectant,quam libertatem obtineat homo,etſi ſuprà attigimus, nondum tamen explicatum eſt.Nonnulli in talibus liberam electionem conceſſerunt: magis,vt arbitror,quòd de re non magni momẽti diſceptare nolebant, quàm quòd aſſerere pro certo vellent illud ipſum quod concedunt.Ego,etſi eos qui nullas eſſe ſibi ad iuſtitiam vires tenẽt quod in primis ad ſalutem cognitu neceſſarium eſt tenere fateor,non tamen puto hanc quoque partem negligendam, vt nouerimus ſpecialis eſſe gratiæ Domini,quoties in mentem venit eligere quod è re noſtra eſt:quoties eò voluntas inclinat: rurſum quoties & mens & animus refugit quod alioqui erat nociturum. Atque huc ſe protendit diuinæ prouidentiæ vis, non modò vt rerum euentus ſuccedant quemadmodum expedire proſpexerit:ſed vt voluntates quoque hominum eodem tendant.Equidẽ ſi ſenſu noſtro reputamus rerum externarum adminiſtrationem, nihil dubitabimus eatenus ſub humano arbitrio ſitas eſſe:verùm ſi aures tot teſtimoniis præbemus, quæ Dominum in his quoque regere animos hominum clamant,arbitriũ ipſum ſpeciali Dei motioni ſubiicere nos cogent. Quis Ægyptiorum voluntates Iſraelitis conciliauit vt pretioſiſſima quæque vaſa illis commodatò darent? Nunquam eò animum ipſi ſuapte ſponte induxiſſent.Ergo eorum animi Domino magis ſuberant quàm à ſeipſis regebantur. Nec ſanè Iacob niſi perſuaſus eſſet Deum, provt viſum eſt, hominibus induere diuerſos affectus,dixiſſet de filio Ioſeph(quem profanũ eſſe quempiam Ægyptium putabat) Det vobis Deus inuenire miſericordiã coram hoc viro.Sicuti & tota Eccleſia in Pſalmo fatetur, quum eius miſereri voluit Deus,manſuefacta ad clementiam ab ipſo fuiſſe crudeliũ Gentium corda. Rurſum quum exarſit in iram Saul vt ſe ad bellum accingeret, cauſa exprimitur,quòd eum impulerit ſpiritus Dei.Quis animum Abſolomi auertit ab amplexãdo conſilio Achitophel,quod eſſe vice oraculi ſolebat?Quis flexit Rehabeam,vt iuuenili cõſilio perſuaderetur? Quis Gentes magnæ prius audaciæ perterruit ad Iſraelis aduentum? Id quidem diuinitus fieri cõfeſſa eſt meretrix Rahab.Quis rurſus metu & formidine deiecit Iſraelis corda,niſi qui in Lege minatus eſt ſe daturum illis cor pauidum?

Exod. 11. a. 3

Gen. 43. c. 14

Pſalm. 106. f. 46

1. Sam. 11. b. 6

2. Sa. 17. c. 14

1. Reg. 12. b. 10

Ioſue 2. b. 9

Leui. 26. f. 36

deut. 28. g. 62

7 Excipiet quiſpiam,eſſe hæc ſingularia exempla,ad quorum regulam exigi nequaquam vniuerſa debeant. Ego verò dico,ſufficienter iis probari quod contendo, Deum, quoties viam facere vult ſuæ prouidentiæ,etiam in rebus externis hominum voluntates flectere & verſare,nec ita eſſe liberam ipſorũ electionem quin eius libertati Dei arbitriũ dominetur. Velis nolis,animum tuum à motione Dei potius quàm ab electionis tuæ libertate pendere,hæc quotidiana experientia reputare coget, quòd te in rebus minimè perplexis iudicium & mens ſæpe deficit:in rebus factu non arduis,animus flacceſcit:rurſum in rebus obſcuriſſimis,expeditum ſtatim offertur cõſilium:in magnis & periculoſis, animus omni difficultate ſuperior ſuppetit. Atque ita interpretor quod ait Solomo, Vt auris audiat,vt oculus videat,Dominus facit vtrunque. Non enim mihi de creatione loqui videtur,ſed peculiari functionis gratia. Quum verò ſcribit,Dominũ cor Regis,quaſi riuos aquarũ in manu ſua tenere, & inclinare quocunque voluerit:ſub vna profectò ſpecie totum genus comprehendit.Sicuius enim voluntas omni ſubiectione ſoluta eſt,id iuris regiæ voluntati maximè competit,quæ in alias quodammodo regnum exercet.quòd ſi illa Dei manu flectitur,neque noſtra eximetur ea conditione. Hac de re inſignis extat Auguſtini ſententia,Scriptura,ſi diligenter inſpiciatur,oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates,quas ipſe facit ex malis,& à ſe factas in actus bonos & vitam dirigit æternam:verùm illas quæ cõſeruant ſeculi creaturam,ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit,quando voluerit faciat inclinari vel ad præſtanda beneficia,vel ad pœnas infligendas,occultiſſimo quidem iudicio,ſed iuſtiſſimo.

Prou. 20. b. 12

Prou. 21. a. 1

De gratia & Lib. arbi. ad Valent. cap. 20

8 Hîc meminerint lectores,ab euentu rerum non eſſe æſtimandam humani arbitrii facultatem,quod imperiti quidam præpoſterè facere ſolent.Ex eo enim pulchrè & ingenioſè ſibi videntur humanam voluntatem conuincere ſeruitutis, quòd ne ſummis quidẽ monarchis omnia ex ſententia fluant.Atqui facultas iſta,de qua loquimur,intra hominẽ conſideranda eſt,non ab extraneo ſucceſſu metienda.Siquidem in liberi arbitrii diſputatione nõ hoc quæritur,an homini quęcunque animo deliberarit,perficere & exequi per

externa

externa impedimẽta liceat:ſed an in re qualibet liberam habeat & iudicii electionem, & voluntatis affectionem,quę vtraque ſi hominibus ſuppetat,nõ minus liberi arbitrii Attilius Regulus erit,anguſtiis dolii aculeati incluſus,quàm Auguſtus Cæſar, magnam orbis terrarum partem nutu ſuo gubernans.

Obiectionum refutatio quæ pro defenſione liberi arbitrii afferri ſolent. CAP. V.

DE humani arbitrii ſeruitute ſatis dictum videri poſſet, niſi qui falſa libertatis opinione præcipitare ipſum conãtur, ſuas ex aduerſo quaſdam rationes obenderent ad ſententiam noſtram oppugnandam.Congerunt primò abſurda nonnulla,quibus eam in odium trahant, tanquam à ſenſu quoque communi abhorrentem: poſtea Scripturæ teſtimoniis cum ea congrediuntur. Vtraſque machinas ordine retundemus.Si peccatum,aiunt,neceſſitatis eſt, iam deſinit eſſe peccatum:ſi voluntarium eſt, ergo vitari poteſt. Hæc Pelagii quoque arma erant ad impetendum Auguſtinum: cuius tamen nomine illos nolumus prægrauari, donec de re ipſa ſatiſfactum à nobis fuerit.Nego igitur peccatum ideo minus debere imputari, quòd neceſſarium eſt:nego rurſum,conſequi quod inferunt,euitabile eſſe,quia voluntariũ ſit. Siquis enim diſceptare cum Deo velit,& hoc prætextu iudicium ſubterfugere,quoniam aliter non potuerit:habet paratam reſponſionem quam alibi attulimus, nõ ex creatione eſſe,ſed naturæ corruptela:quòd homines peccato mancipati nihil velle poſſunt niſi malum.Vnde enim iſta quã improbi libenter prætexerent impotentia, niſi quòd Adã vltrò ſe diaboli tyrannidi addixit?Hinc ergo vitioſitas,cuius vinculis tenemur conſtricti,quòd primus homo defecit à ſuo opifice. Huius defectionis ſi meritò rei tenentur vniuerſi homines,ne ſe neceſſitate excuſatos putent,in qua ipſa luculentiſſimã habent damnationis ſuæ cauſam.Atque hoc ſuprà clarè explicui:& in diabolo ipſo exemplum propoſui,vnde pateret non minus voluntariè peccare qui neceſſariò peccat:ſicuti rurſum in electis Angelis quũ voluntas indeclinabilis ſit à bono,non deſinit tamen volũtas eſſe:quod idẽ Bernardus quoque ſcitè docet,nos ideo miſeriores eſſe,quòd voluntaria eſt neceſſitas: quæ tamen nos ſibi addictos ita conſtringit,vt ſerui ſimus peccati,ſicuti antè retulimus.Secundum ratiocinationis membrum vitioſum eſt:quia à voluntario perperam trãſilit ad liberum:nos autẽ ſuprà euicimus,voluntariè fieri quod liberæ tamẽ electioni non ſubiaceat. Ser.81.in Cãtica.

2 Subiiciunt,niſi ex libera arbitrii electione tum virtutes tum vitia procedunt,non eſſe conſentaneum vt homini vel pœna infligatur,vel præmium rependatur. Hoc argumentum,etſi Ariſtotelicum eſt,fateor tamen à Chryſoſtomo & Hieronymo alicubi vſurpatum.Pelagianis tamen fuiſſe familiare nec ipſe Hieronymus diſſimulat,ac ipſorũ etiam verba refert:Quòd ſi gratia Dei in nobis agit,illa ergo,non nos qui non laboramus,coronabitur. De pœnis reſpondeo illas iure nobis irrogari, à quibus peccati culpa emanat. Quid enim refert,liberóne iudicio an ſeruili, modò voluntaria cupiditate peccetur:præſertim quum inde peccator arguatur homo,quia eſt ſub ſeruitute peccati?Quantũ ad iuſtitiæ præmia,magna verò abſurditas, ſi fateamur illa ex Dei benignitate potius quã propriis meritis dependere.Quoties hoc apud Auguſtinũ recurrit,Nõ merita noſtra Deum coronare,ſed ſua dona:præmia autem vocari,non quæ meritis noſtris debeantur,ſed quę gratiis iam collatis retribuantur?Acutè ſanè hoc animaduertũt, nullũ iam ſupereſſe locũ meritis ſi non ex liberi arbitrii fonte prodeũt:ſed quòd iſtud tãtopere diſſentaneũ ducũt, longè aberrant.Neque enim dubitat Auguſtinus paſſim pro neceſſario docere, quod ita nefas confiteri putãt:quemadmodũ ubi dicit, Merita quorumlibet hominum quæ ſunt? Quando ille non cũ mercede debita,ſed cũ gratuita gratia venit, omnes peccatores ſolus à peccatis liber ac liberator inuenit. Item, Si reddetur tibi quod debetur,puniendus es. Quid ergo fit:non tibi reddidit Deus debitam pœnam,ſed donat indebitã gratiam. Si vis eſſe alienus à gratia,iacta merita tua.Item,Nihil es per te:peccata ſunt tua:merita autem, Dei.Supplicium tibi debetur:& quum præmium venerit,ſua dona coronabit, nõ merita tua.Eodem ſenſu alibi nõ gratiam ex merito,ſed meritum ex gratia eſſe docet. Ac paulo pòſt cõcludit Deũ ſuis donis merita omnia præcedere,vt inde eliciat ſua merita, & prorſus gratis dare,quia nihil inuenit vnde ſaluet.Sed quid longiorem catalogum texere neceſſe eſt,quum ſubinde tales ſententiæ in eius ſcriptis recurrãt? Atqui melius etiamnum hoc errore liberabit eos Apoſtolus,ſi audiant quo ex principio ſanctorum gloriam deducat.Quos elegit,eos vocauit:quos vocauit,eos iuſtificauit:quos iuſtificauit, eos glorificauit.Cur ergo,teſte Apoſtolo,coronantur fideles?Quia Domini miſericordia, non ſua in- In Epiſt. ad Cteſiphõtẽ, & Dial.1. In Pſalm.31 In Pſalm.70 Epiſt.52 De verbis Apoſt. Ser. 15 Rom.8. f.29 2.Tim.4.b.8

duſtria & electi ſunt & vocati & iuſtificati. Faceſſat ergo inanis hic timor, nulla fore amplius merita ſi liberum non ſtabit arbitrium. Stultiſſimum enim eſt ab eo abſterreri ac refugere quò nos Scriptura vocat. Si omnia accepiſti, ait, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Vides ob idipſum libero arbitrio adimere eum omnia, ne quem meritis locum relinquat. Sed tamen, vt inexhauſta & multiplex eſt Dei beneficentia ac liberalitas, quas gratias in nos confert, quia noſtras facit, perinde ac noſtras virtutes remuneratur.

1.Cor.4.b.7

3 Addũt quod ex Chryſoſtomo ſumptum videri poteſt, Quòd ſi hæc non ſit voluntatis noſtræ facultas, bonũ aut malum eligere, aut omnes eiuſdem naturæ participes malos eſſe oporteret, aut omnes bonos. Nec longè abeſt ab eo quicunque eſt ſcriptor ille operis De vocatione Gentium, qui ſub Ambroſii nomine circũfertur, dum ratiocinatur, neminem vnquam à fide fuiſſe receſſurum niſi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueret, in quo mirũ eſt tantos viros ſibi excidiſſe. Quomodo enim Chryſoſtomo in mentem non venit electionem Dei eſſe quæ inter homines ſic diſcernat? Nos quidem concedere minimè formidamus, quod Paulus magna contentione aſſerit, omnes ſimul prauos eſſe & malitiæ deditos: ſed cum illo ſubiicimus, Dei miſericordia fieri ne omnes in prauitate permaneant. Ergo quum pari morbo laboremus naturaliter omnes, ſoli illi conualeſcunt quibus medicam manum admouere Domino placuit. Alii, quos iuſto iudicio prætermittit, in ſua putredine tabeſcunt, donec abſumantur. Nec aliunde eſt quòd alii ad finem perſeuerant, alii in cœpto curſu prolabuntur. Siquidem & ipſa perſeuerãtia donum Dei eſt, quod non omnibus promiſcuè largitur, ſed quibus viſum eſt impertit. Si cauſa differentiæ requiritur, cur alii conſtanter perſeuerent, alii inſtabilitate deficiant, non alia nobis conſtat, niſi quòd illos ſua virtute roboratos ſuſtinet Dominus, ne pereãt: his, quò ſint inconſtantiæ documenta, non eandem virtutem adminiſtrat.

Homil.22 in Geneſin.

Lib.4.cap.4

4 Inſtant præterea, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſuperuacuum eſſe admonitionum vſum, ridiculas eſſe obiurgationes, niſi ſit penes peccatorem parêre. Similia olim quum obiectarẽtur Auguſtino, libellum De correptione & gratia ſcribere coactus fuit. Vbi etſi copioſè illa diluit, ad hanc tamen ſummam aduerſarios reuocat, O homo, in præceptione cognoſce quid debeas agere: in correctione cognoſce tuo te vitio non habere: in oratione cognoſce vnde accipias quod vis habere. Eiuſdem ferè argumenti eſt liber De Spiritu & litera, vbi Deum Legis ſuæ præcepta non humanis viribus metiri docet, verùm vbi iuſſit quod rectum eſt, gratis dare implendi facultatem ſuis electis. Nec verò hæc res longæ diſceptationis eſt. Primùm non ſoli ſumus in hac cauſa, ſed Chriſtus & omnes Apoſtoli. Viderint iſti quomodo ſuperiores euadent in certamine, quod cum talibus antagoniſtis ſuſcipiunt. Chriſtus, qui teſtatur nos ſine ſe nihil poſſe, an ideo minus reprehendit & caſtigat eos qui extra ſeipſum malè agebant? an ideo minus exhortatur vt quiſque bonis operibus incumbat? Paulus quàm ſeuerè in Corinthios inuehitur ob charitatis neglectum? Iiſdem tamen demum charitatem à Domino dari flagitat. Teſtatur in Epiſtola ad Romanos, non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: non deſinit tamen poſtea & admonere & hortari & corripere. Cur non ergo Dominum interpellãt, ne ita ludat operam, ab hominibus ea exigendo quæ ſolus ipſe dare poteſt: ea caſtigando quæ gratiæ eius defectu admittuntur? Paulum cur non admonent vt parcat iis quorum in manu non eſt velle aut currere, niſi præeunte Dei miſericordia, quę nunc ipſos deſtituit? Quaſi verò nõ optima doctrinæ ſuæ ratio Domino conſtet, quæ in promptu ſe offert religioſius quærentibus. Doctrina certè & exhortatio & obiurgatio quantum per ſe efficiant ad animum immutandum, indicat Paulus dum ſcribit, neque qui plãtat eſſe aliquid, neque qui rigat: ſed Dominum, qui incrementum dat, ſolum efficaciter agere. Sic Moſen, ſeuerè videmus Legis præcepta ſancire, & Prophetas acriter inſtare, & minari tranſgreſſoribus: quum tamen fateantur tunc ſapere demum homines, vbi cor illis datur ad intelligendum: proprium Dei opus eſſe, corda circuncidere, & pro lapideis dare carnea: Legem ſuam inſcribere viſceribus: denique animas innouando, facere vt efficax ſit doctrina.

Iohan.15.a.5

.9.d.16

1.Cor.3.b.7

5 Quorſum ergo exhortationes? nempe ſi ab impiis obſtinato corde ſpernuntur, in teſtimonium illis futuræ ſunt, vbi ad Domini tribunal ventum fuerit: quinetiam iam nũc illorum conſcientiam verberant ac feriunt: quia, vtcunque irrideat proteruiſſimus quiſque, improbare tamen non poteſt. Sed quid faciat miſer homuncio, inquies, quando cordis mollities, quæ ad obedientiam neceſſaria erat, illi denegatur? Imò quid tergiuerſatur, quum duritiem nulli niſi ſibiipſi imputare queat? Itaque impii libẽter eas eludere parati, ſi liceat,

ſi liceat, velint nolint, earum virtute proſternuntur. Præcipua autem vtilitas erga fideles conſiderãda eſt: in quibus vt omnia per Spiritum ſuum agit Dominus, ita verbi ſui inſtrumentum non prætermittit: & illud ipſum non ſine efficacia vſurpat. Stet ergo quod verũ eſt, totam piorum virtutem in Dei gratia ſitam eſſe, ſecundum illud Prophetæ dictum, Dabo illis cor nouum vt in illis ambulent. Atqui excipies, Cur iam admonẽtur officii ſui, ac non potius ſinuntur Spiritus directioni? cur hortationibus ſolicitantur, quando feſtinare magis nequeunt quàm fert Spiritus incitatio? cur caſtigantur ſiquãdo à via deflexerunt, quãdo neceſſaria carnis infirmitate lapſi ſunt? O homo, quis es qui legem imponas Deo? Si ad recipiendam hanc ipſam gratiam, qua fit vt hortationi pareatur, per hortationem vult nos præparari, quid habes quod in ea œconomia mordeas vel ſugilles? Si nihil exhortationes reprehenſionéſque apud pios aliud proficerent niſi vt peccati redarguerent, eſſent eo ipſo reputandæ non prorſus inutiles. Nunc, quum agente intus Spiritu, ad inflammandum boni deſideriũ, ad diſcutiendum torporem, ad eximendã iniquitatis voluptatem & venenatam dulcedinem, contrà autem, ad odiũ tædiúmque generandũ plurimum valeant: quis audeat ſuperfluas cauillari? Siquis clariorem deſiderat reſpõſionem, ſic habeat, Bifariam Deus in electis ſuis operatur: intus, per Spiritum: extrà, per verbum. Spiritu, mentes illuminando, corda in iuſtitiæ amorem cultúmque formãdo, nouam eos creaturam facit. Verbo, ed eandem renouationem expetendã, quærendam, aſſequendã excitat. Vtroque manus ſuæ efficaciam pro diſpenſationis ſuæ modo exerit. Verbũ idem dum reprobis deſtinat, etſi non in eorum correctionem, in aliũ tamen vſum valere facit: quo & in præſens conſcientiæ teſtimonio vrgeantur, & in iudicii diem magis reddantur inexcuſabiles. Sic Chriſtus, quanuis pronuntiet neminem ad ſe venire niſi quem Pater traxerit, & electos venire poſtquam à Patre audierint, & didicerint: non tamen ipſe doctoris munus negligit, ſed voce ſua ſedulò inuitat quos intus à Spiritu ſancto doceri neceſſe eſt vt aliquid proficiant. Apud reprobos admonet Paulus non otioſam eſſe doctrinam, quia illis odor eſt mortis in mortem, ſuauis tamen odor Deo.

Eze. 11. d. 19, 20

Ioh. 6. c. 44, & 45

1. Cor. 2. d. 16

6 In congerendis Scripturæ teſtimoniis valde ſunt laborioſi: ídque ſedulò faciũt, vt quoniam pondere nequeunt, numero ſaltem nos adobruant. Sed quemadmodũ in præliis, vbi ad manus ventum eſt, imbellis multitudo, quantumlibet pompæ & oſtentationis habeat, paucis ictibus protinus funditur ac fugatur: ita nobis facillimum erit illos cum ſua turba diſiicere. Quia enim in pauciſſimos ſcopos coeũt loci omnes quibus aduerſum nos abutuntur, vbi in ſuas claſſes diſtributi fuerint, compluribus vna reſponſione ſatiſſiet: ſingulis diſſoluendis incumbere neceſſe non erit. Præcipuum robur locãt in præceptis: quæ putãt facultatibus noſtris ſic attemperata eſſe, vt quicquid ab illis exigi probatum ſit, his præſtari poſſe neceſſariò conſequatur. Ergo ſingula percurrunt, & ex illis virium noſtrarum modum metiuntur. Aut enim (inquiunt) illudit nobis Deus quum ſanctitatem, pietatem, obedientiam, caſtitatem, dilectionem, manſuetudinem imperat: quum immunditiam, idololatriam, impudicitiam, iram, rapinam, ſuperbiã, & ſimilia interdicit: aut ea tantùm requirit quæ ſunt in noſtra poteſtate. Porrò omnia ferè quæ accumulant præcepta, in tres ſpecies diſtinguere licet. Alia primam ad Deum conuerſionem exigunt: alia ſimpliciter de Legis obſeruatione loquuntur: alia perſeuerare in recepta Dei gratia iubent. De omnibus in genere differamus, tum deſcendemus ad formas ipſas. Hominum facultates ad diuinæ Legis præcepta extendere, vulgare id quidem iamdiu eſſe cœpit, & nonnullam ſpeciem habet: ſed à rudiſſima Legis ignorantia prodiit. Nam qui pro ingẽti piaculo ducunt ſi dicatur Legis obſeruationem eſſe impoſſibilem, validiſſimo ſcilicet argumẽto inſiſtunt, fruſtra aliàs datam eſſe Legem. Perinde enim loquuntur acſi nuſquam Paulus de Lege loquutus eſſet. Quid enim, quæſo, iſta ſibi volunt, Legem propter trãſgreſſiones poſitam eſſe, Per Legem eſſe cognitionem peccati, Legem peccatum efficere, Subingreſſam eſſe vt abundaret delictum. an ad noſtras vires limitandam fuiſſe, ne fruſtra daretur? Quin potius longè ſupra nos poſitam, quò impotentiam noſtram conuinceret. Certè ex eiuſdem definitione finis Legis ac complementum eſt charitas. Atqui dum ea Theſſalonicenſium animos repleri optat, ſatis fatetur ſine profectu in auribus noſtris ſonare Legem, niſi totam eius ſummam cordibus noſtris Deus inſpiret.

Rom. 3. c. 20
Ibidẽ 7. b. 7
Galat. 3. c. 19
Rom. 5. d. 20

1. Tim. 1. a. 5
1. Theſ. 3. d. 12

7 Equidem ſi Scriptura nihil aliud doceret quàm Legem eſſe vitæ regulam, ad quã ſtudia noſtra componere debeamus, ego quoque citra moram pedibus in eorum ſententiam deſcenderem. ſed quum multiplicem Legis vſum diligenter ac perſpicuè nobis ex-

plicet,ex illa potius interpretatione, quid Lex in homine valeat considerare conuenit. Quantum præsentis causæ refert,simulac quid agendum sit nobis præscripsit,obediendi virtutem à Dei bonitate esse docet:ideóque ad preces inuitat quibus eam nobis dari postulemus.Si solum extaret imperium,nulla promissio,tentādæ essent vires an ad respondendum imperio sufficerent:sed quum simul promissiones connectantur quæ in diuinæ gratiæ auxilio non modò subsidium,sed totam virtutem nobis esse sitam clamant,illæ satis supérque testantur nos prorsus ineptos,nedum impares obseruandæ Legi esse. Quare ne amplius ista virium nostrarum cum Legis præceptis proportio vrgeatur,acsi Dominus quam in Lege daturus erat iustitiæ regulam, ad modulum nostræ imbecillitatis exegisset.Magis ex promissionibus reputandum quàm simus ipsi à nobis imparati,qui omni in parte tantopere eius gratia indigemus.Sed cui (aiunt) verisimile fiet,Dominum truncis ac lapidibus Legem destinasse?Neque id quispiam persuadere molitur. Non enim aut impii saxa sunt aut stipites,dum aduersari Deo suas libidines per Legem edocti, suo ipsorum testimonio rei fiunt:aut pii,dum suæ impotentiæ admoniti, ad gratiam confugiunt.

In Ench. ad Laurent. de gratia & lib. arbit.cap.16 Homi.29. in Iohan. Quò pertinēt istæ solennes Augustini sententiæ,Iubet Deus quæ nō possumus,vt nouerimus quid ab ipso petere debeamus.Magna est præceptorū vtilitas,si libero arbitrio tantum detur,vt gratia Dei amplius honoretur.Fides impetrat quod Lex imperat: imò ideo Lex imperat,vt impetret fides quod imperatum erat per Legem:imò fidem ipsam exigit à nobis Deus,& non inuenit quod exigat, nisi dederit quod inueniat. Item, Det Deus quod iubet,& iubeat quod velit.

Epist.24

8 Id,recensendis tribus præceptorum formis quas superius attigimus,clarius cernetur.Iubet sæpius Dominus tum in Lege,tum in Prophetis,vt ad se conuertamur. At succinit ex aduerso Propheta,Conuerte me Domine,& conuertar:postquam enim conuertisti me,egi pœnitentiam,&c.Iubet vt præputia cordis nostri circuncidamus.At per Mosen denuntiat,istam circūcisionem manu sua fieri.Cordis nouitatem passim requirit:sed alibi à se dari testatur.Quod autem promittit Deus,vt Augustinus ait, non facimus ipsi per arbitrium vel naturam:sed facit ipse per gratiam. Atque hæc obseruatio est quam idē ipse inter regulas Ticonii quinto loco enumerat, vt bene distinguamus inter Legem & promissiones,vel inter mandata & gratiam.Eant nunc qui ex præceptis colligunt ecquid homo valeat ad obedientiam,vt Dei gratiam perimant, per quam præcepta ipsa adimplentur.Secundi generis præcepta simplicia sunt, quibus Deum colere,eius volūtati seruire & adhærere,eius placita obseruare,eius doctrinā sequi iubemur. Sed innumeri sunt loci qui testificentur illius esse donum,quicquid iustitiæ,sanctitatis,pietatis,puritatis haberi potest.Ex tertio genere erat illa quæ à Luca refertur Pauli & Barnabæ exhortatio ad fideles,vt in gratia Dei permanerent.Sed vnde illa constantiæ virtus petēda sit, alio loco idem Paulus tradit.Quod superest(inquit)fratres,sitis fortes per Dominū. Alibi vetat ne cōtristemus Spiritum Dei,quo obsignati sumus in diem redemptionis nostræ. Sed quod illic exigit,quia præstari ab hominibus nō poterat,Thessalonicensibus à Domino imprecatur,nempe vt dignos habeat eos vocatione sua sancta,& impleat bonum omne propositum bonitatis suæ,opúsque fidei in illis.Eodem modo in secunda ad Corinthios epistola,de eleemosynis tractans,bonam & piam eorum voluntatem sępius commendat:paulo pòst tamen gratias agit Deo,qui posuit in corde Titi vt exhortationem susciperet. Si ne oris quidem officium ad alios hortandos præstare Titus potuit nisi quatenus suggessit Deus,quomodo alii ad agendū voluntarii fuissent, nisi Deo ipso corda eorum dirigente?

Act.13.f.

Ephe.6.b.10

Ibidē 4.g.30

2.The.1.d.11

2.Cor.8.b.11 c.16

9 Cauillantur hæc omnia testimonia astutiores: quia nihil impediat quominus ipsi conferamus nostras vires,& infirmis conatibus Deus suppetias ferat.Afferunt etiā locos ex Prophetis,vbi cōuersionis nostræ effectus inter Deum & nos videtur dimidiari.Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. Quales nobis suppetias Dominus ferat, suprà demonstratū est,neque hîc opus est repetere.Vnum hoc dūtaxat mihi concedi volo,frustra implendæ Legis facultatem in nobis requiri,quia eius obedientiam nobis Dominus imperet:quando constat omnibus Dei præceptis adimplendis & necessariā esse gratiam Legislatoris,& nobis promissam.quia inde patet, saltē plus à nobis exigi quàm simus soluendo.Nec verò vllis cauillis dilui potest illud Ieremiæ,irritū fuisse pactū Dei percussum cum veteri populo, quia literale tantùm erat: non aliter autem sanciri quàm vbi accedit Spiritus,qui ad obediendum corda format.Neque eorum errori astipulatur sentētia illa, Conuertimini ad me,& conuertar ad vos.Siquidem illic Dei conuersio notatur,non qua

Zach.1.a.3

Iere.31.f.32

cor nostrum

cor noſtrum ad reſipiſcentiam renouat, ſed qua ſe beneuolum ac propitium, rerum proſperitate teſtatur: quemadmodum rebus aduerſis offenſionem interdum indicat. Quoniam igitur multis miſeriarũ & calamitatũ formis vexatus populus, auerſum à ſe Deum querebatur: reſpondet non defuturam illis ſuam benignitatem ſi ad vitæ rectitudinem, & ad ſeipſum, qui eſt iuſtitiæ exemplar, redeant. Perperam ergo detorquetur locus, dum eò trahitur vt opus cõuerſionis videatur inter Deum & homines partiri. Hæc eo breuius perſtrinximus, quòd huic argumento proprius in Legis tractatione locus erit.

10 Secundus argumentorũ ordo ſuperiori finitimus eſt. Allegant promiſſiones quibus Dominus cum voluntate noſtra paciſcitur: quales ſunt, Quærite bonitatẽ & non malitiam, & viuetis. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quòd ſi nolueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini loquutum eſt. Item, Si abſtuleris abominationes tuas à facie mea, non expellêris: ſi audieris vocem Iehouæ Dei tui, & facias & cuſtodias omnia mandata eius, faciet te Dominus excelſiorem cunctis Gentibus terræ. Et reliquæ ſimiles. Importunè & per ludibrium, quę Dominus in promiſſionibus offert beneficia, voluntati noſtræ delegari putãt. niſi noſtrum ſit illa vel ſtabilire, vel irrita facere. Et ſanè rem iſtam facundis querimoniis amplificare promptum eſt: nos crudeliter à Domino illudi, quum benignitatẽ ſuam à voluntate noſtra pendere denuntiãt, ſi voluntas ipſa noſtri iuris non eſt. Egregiam verò fore hanc liberalitatẽ Dei, ſi beneficia ſua ita nobis exponat, ne fruendi vlla ſit facultas. miram promiſſionum certitudinem, quæ vt nunquam impleantur, à re impoſſibili dependeant. De promiſſionibus eiuſmodi quæ conditionem habent appoſitam, alibi dicemus: vt palàm futurum ſit, in earum impoſſibili complemento nihil eſſe abſurdi. Quantum ad hunc locum attinet, nego Deum inhumaniter illudere nobis, dum nos ad beneficia ſua demerenda inuitat, quos nouit eſſe prorſus impotentes. Siquidem quum fidelibus iuxtà & impiis offerantur promiſſiones, ſuũ apud vtroſque vſum habent. Quemadmodum præceptis impiorum conſcientias pungit Deus, ne ſuauiter nimium in peccatis delicientur, nulla iudiciorum ſuorum memoria. ita in promiſſionibus quodammodo eos atteſtatur quàm indigni ſint ſua benignitate. Quis enim æquiſſimũ & conuenientiſſimum eſſe neget, Dominum iis benefacere à quibus colitur: maieſtatis autem ſuæ contemptores pro ſua ſeueritate vlciſci? Ritè ergo & ordine agit Deus, dum impiis peccati compedibus deuinctis, hanc legem in promiſſionibus dicit, tum demum ſua beneficia percepturos ſi à prauitate diſceſſerint: vel ob hoc ſolùm, vt intelligant ſe ab iis meritò excludi quæ veris Dei cultoribus debentur. Rurſum, quia modis omnibus ad implorãdam ſuam gratiam fideles extimulare ſtudet, nequaquam erit abſonum, ſi quod illum multo cum fructu agere præceptis erga eos oſtẽdimus, id quoque promiſſionibus tentet. De voluntate Dei præceptis edocti, miſeriæ noſtræ admonemur, qui ſic ab illa toto pectore diſſidemus: ſimul inſtigamur ad inuocandum eius Spiritum, per quem in rectam viam dirigamur. ſed quia præceptis ignauia noſtra non ſatis acuitur, ſubduntur promiſsiones, quæ dulcedine quadam ad eorum amorem nos alliciant. Quo autem maiore tenemur iuſtitię deſiderio, eo ſimus ad quærendam Dei gratiam feruentiores. En quomodo illis obteſtationibus, Si volueritis, Si audieritis, neque volendi audiendíve liberam facultatem nobis Dominus tribuat, neque tamen ob impotentiam nos ludibrio habeat.

Amos 5.d.14
Iere.4.a.1
Deut.28.a.1
Leuit.26.a.3

11 Habet & tertia claſsis multam cum illis affinitatem. Locos enim producunt quibus ingrato populo Deus exprobrat, per eum duntaxat ſtetiſſe quominus ab indulgẽtia ſua omne genus bonorum receperit. Cuius generis ſunt iſti, Amalec & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis: eo quòd nolueritis acquieſcere Domino. Quia vocaui vos, & non reſpondiſtis, faciam huic domui ſicut feci Silo. Item, Hæc gens non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: ideo proiecta eſt à Domino. Item, Quia induraſtis cor veſtrum, & noluiſtis obedire Domino, hæc omnia mala euenerũt vobis. Tales exprobrationes, inquiunt, quomodo aduerſus eos congruerent quibus extemplò reſpondere liceat, Nobis verò proſperitas cordi erat, aduerſa timebamus: quòd autem illius adipiſcendæ, horum vitandorum cauſa, Domino nõ paruimus, nec vocem eius auſcultauimus, eo factũ eſt quia peccati dominationi obnoxiis liberũ non fuit. Fruſtra igitur mala nobis exprobrantur, quæ effugere nõ fuit noſtræ poteſtatis. Sed omiſſo neceſsitatis obtentu, in quo infirmum eſt ac futile patrocinium, rogo poſsíntne culpam deprecari. Nam ſi culpæ alicuius tenentur conuicti: non abs re Dominus exprobrat, eorum peruerſitate factum eſſe quominus ſuæ clementiæ fructum ſentirent. Reſpondeant ergo, poſsíntne

Nũ. 14. g. 43
Iere.7.c.13
Ibidẽ.7.f. 28
Ibidẽ 32.e.32

inficiari cauſam contumaciæ,prauam ſuam voluntatem fuiſſe.Si mali fontem intra ſe reperiunt,quid veſtigandis extraneis cauſis inhiant,ne ſibiipſi fuiſſe exitii authores videantur? Quòd ſi verum eſt ſuo non alieno vitio & diuinis beneficiis priuari peccatores, & vltionibus caſtigari,magna ratio eſt cur iſtas exprobrationes ex ore Dei audiant:vt ſi obſtinatè in vitiis pergant,diſcant in calamitatibus ſuam potius nequitiam accuſare & deteſtari, quàm Deum iniquæ ſæuitiæ inſimulare:ſi docilitatem non exuerunt,peccatorum tædio capti(quorum meritò miſeros ſe ac perditos vident)in viam redeant,ac idipſum ſeria confeſſione agnoſcant quod Dominus obiurgãdo commemorat.In quem vſum illas, quæ citantur,Prophetarum obiurgationes apud pios profeciſſe,ex ſolenni Danielis oratione conſtat, quæ habetur capite 9. Prioris autem vſus exemplum intuemur in Iudæis, quibus ſuarum miſeriarum cauſam enarrare Ieremias iubetur : quum tamen nõ aliter caIere.7.f.27 ſurũ eſſet quàm Dominus prædixerat.Loquêris ad eos omnia verba hæc,& non audient te:vocabis eos,& non reſpondebunt tibi.Quorſum igitur canebatur ſurdis? vt nolẽtes ac inuiti intelligerent verum eſſe quod audiebant:nefarium eſſe ſacrilegium ſi malorũ ſuorum culpam,quæ in ipſis reſidebat,Deo tranſcriberent. Paucis his ſolutionibus expedire te facillimè poſſis ab immenſa teſtimoniorum congerie,quam ad erigendum liberi arbitrii ſimulachrũ hoſtes gratiæ Dei ſtruere ſolent tam ex præceptis quàm ex obteſtationiPſal.78.a.8 bus aduerſus Legis tranſgreſſores. Probroſè de Iudæis in Pſalmo refertur, Generatio praPſal.95.b.8 ua quæ non direxit cor ſuum.alio etiam Pſalmo hortatur Propheta ſuæ ætatis homines, ne obdurent corda ſua:nempe quia omnis contumacię culpa in hominum prauitate hæret.ſed ſtultè inde colligitur,cor in vtrãque partem eſſe flexibile,cuius præparatio à DeoPſal.119.112 eſt.Dicit Propheta,Inclinaui cor meum ad obſeruanda præcepta tua:nempe quia libenter & hilari animi propẽſione Deo ſe addixerat: neque tamen ſe inclinationis authorem eſſe iactat,quam in eodem Pſalmo fatetur Dei eſſe donum. Itaque tenenda Pauli admoPhilip.2.b. 12 nitio,dum fideles iubet operari ſalutem ſuam cum timore & tremore , quia Deus eſt qui operatur & velle & perficere.Agendi quidẽ partes illis aſſignat,ne indulgeant carnis torpori:ſed metum & ſolicitudinem præcipiens, ſic eos humiliat,vt neminerint hoc ipſum quod agere iubentur,proprium eſſe Dei opus.quo diſertè exprimit,paſſiuè(vt ita loquar) agere fideles,quatenus è cælo ſuggeritur facultas,vt nihil ſibi prorſus arrogẽt.Proinde dũ2.Pet.1.b.5 nos hortatur Petrus vt ſubminiſtremus in fide virtutem, nõ concedit nobis ſecũdas partes quaſi ſeparatim quicquam agamus,ſed tãtùm carnis pigritiem expergefacit, qua ple1.Theſ.5.c. 19 runque ſuffocatur ipſa fides.Eodem ſpectat illud Pauli,Spiritum ne extinguatis,quia ſubinde obrepit fidelibus ignauia:niſi corrigatur. Siquis tamẽ inde inferat, in eorum eſſe arbitrio fouere oblatam lucem,facilè refutabitur eius inſcitia,quia hæc ipſa ſedulitas quam2.Cor.7.a.1 requirit Paulus,nonniſi à Deo eſt.Nam & ſæpe iubemur ab omni inquinamẽto nos purgare,quum Spiritus ſibi vni conſecrandi munus vendicet.Denique per conceſſionem ad1.Iohan.5.d. 18 nos tranſferri quod in Deum cõpetit,ex verbis Iohannis palàm eſt, Quiſquis ex Deo eſt, ſeruat ſeipſum. Vocem hanc arripiunt liberi arbitrii præcones,quaſi partim Dei virtute, partim noſtra ſeruemur.quaſi verò hãc ipſam cuſtodiam, cuius Apoſtolus meminit,nonIohã.17.c.15 habeamus è cælo.Vnde & Patrẽ rogat Chriſtus vt nos à malo ſeruet.& ſcimus pios,dum aduerſus Satanam militant,non aliis quàm Dei armis victoriam conſequi.Itaque Petrus1.Pet.1.d.22 vbi animas purificare iuſſit in obedientia veritatis,mox correctionis vice addit,per Spiritum. Denique quàm nihili ſint omnes humanæ vires in certamine ſpirituali, breuiter1.Iohã.3.b.9 oſtendit Iohannes,quum tradit non poſſe peccare qui ex Deo geniti ſunt,quia ſemẽ DeiIbidẽ 5.a.4 in illis manet.ac rationẽ alibi reddit,quòd fides noſtra ſit victoria quæ vincit mundum.

12 Citatur tamen de Lege Moſis teſtimonium, quod ſolutioni noſtræ valde aduerſari videtur. Nam ille populum, poſt Legem promulgatam,hunc in modum cõteſtatur,Deut.30.c.11 Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie, non eſt occultum, neque procul poſitum,neque in cælo ſitum,ſed iuxta te eſt in ore tuo & in corde tuo,vt facias illud.Hæc certè ſi de nudis præceptis dicta intelligantur,fateor ad cauſam præſentem habere non parum momenti. Nam etſi eludere leuis operæ fuerit,quòd hîc non de obſeruationis ſed cognitionis facilitate & procliuitate agatur, nonnullum tamen ſcrupulum ſic quoque forſan reRom.10.b.8 linquerent.Verùm omnem nobis dubitationem eximit Apoſtolus,non ambiguus interpres,qui de Euangelii doctrina Moſen hîc loquutũ eſſe affirmat.Quòd ſiquis refractarius contendat,violenter à Paulo detorta fuiſſe vt ad Euangeliũ trahi poſſent:quanquam impietate non carebit eius audacia,eſt tamẽ quo præter Apoſtoli authoritatẽ redarguatur.

Nam

Nam si de solis præceptis loquebatur Moses, vanissima confidentia populum inflabat. Quid enim aliud quàm se præcipitassent, si Legis obseruationem aggressi forent suis viribus tanquam sibi non difficilem? Vbi ergo Legis obseruandæ ista tã obuia facilitas, quando nullus nisi per exitiale præcipitium patet accessus? Proinde nihil certius est quàm Mosen his verbis misericordiæ fœdus comprehẽdisse, quod vnâ cũ Legis exactione promulgauerat. Nam & paucis antè versibus docuerat, circuncidi manu Dei oportere corda nostra, vt ipsum diligamus. Ergo hanc, de qua mox loquitur, facilitatem non in hominis virtute, sed in ope ac præsidio Spiritus sancti posuit, qui opus suum potenter in nostra infirmitate peragit. Quanquam nec de præceptis simpliciter intelligendus est locus, sed magis de promissionibus Euangelicis, quæ adeò comparandæ iustitiæ facultatem in nobis non stabiliunt vt eam prorsus euertant. Id reputans Paulus, non sub dura illa ardua & impossibili conditione salutem in Euangelio proponi, qua nobiscum Lex agit (nempe vt ipsam ii demum assequantur qui mandata omnia impleuerint) sed facili, expedita, & expositi accessus hoc testimonio confirmat. Nihil ergo hoc testimonium ad vendicandam humano arbitrio libertatem. Deut. 30. b. 6

13 Obiectari solent & alii quidã loci quibus ostenditur Deum interdũ, reducto gratiæ suæ subsidio, explorare homines, & expectare quorsum conuertãt sua studia: qualiter est apud Oseam, Vadam ad locum meum, donec ponant in corde suo, & quærant faciem meam. Ridiculum (aiunt) erat, si consideraret Dominus an Israel faciem suam quæsiturus esset, nisi flexibiles fuissent animi, qui vtrouis suopte ingenio inclinare possent. Quasi verò istud non sit in Prophetis vsitatissimum Deo, speciem aspernantis ac proiicientis populum præ se ferre, donec vitam in melius emendarit. Sed quid tandem ex talibus minis aduersarii elicient? Si volunt, populum à Deo derelictum conuersionem à seipso posse meditari, tota Scriptura reclamante id facient: si necessariam Dei gratiam ad conuersionem fatentur, quid nobiscum litigant? At necessariam ita concedunt vt suam homini velint seruatam facultatem. Vnde id probant? certè non ex loco illo, neque similibus. aliud est enim secedere ab homine, & respicere quid sibi permissus relictúsque agat: aliud, vires eius aliquãtulas pro modo imbecillitatis adiuuare. Quid ergo, dicet quispiam, insinuant istæ formulæ? Respondeo, perinde valere acsi ita loqueretur Deus, Quandoquidem monendo, hortando, increpando nihil apud contumacem hunc populum proficitur, subducam me paulisper, & eum afflictari tacitus sinam. Videbo an aliquando eum post longas calamitates capiat mei recordatio, vt quærat faciem meam. Abscedere autem Dominum procul, signat prophetiam submouere. Speculari ecquid facturi sint homines, significat tacitum & quasi se dissimulãtem afflictionibus variis eos ad tẽpus exercere. Vtrunque facit quo nos magis humiliet. citius enim cõtunderemur rerum aduersarum flagellis quàm corrigeremur, nisi Spiritu suo nos ad eam docilitatem componeret. Porrò vbi Dominus infracta nostra peruicacia offensus & tanquam fatigatus, nos paulisper omittit (submoto scilicet verbo suo, in quo præsentiam quandã sui exhibere solet) & experimentum capit quid se absente facturi simus: inde falsò colligitur, aliquas esse liberi arbitrii vires quas contempletur & exploret: quando non in alium id finem facit quàm vt ad recognoscendam nostram ἀσθένειαν nos adigat. Osee 5. d. 15

14 Pugnant etiã ex perpetua loquendi ratione quæ tum in Scripturis, tum in hominum sermonibus obseruatur. siquidem bona opera nuncupãtur nostra, & quod sanctum placitúmque Domino est, non minus facere quàm peccata perpetrare dicimur. Quòd si peccata iure nobis imputãtur, veluti à nobis profecta: certè & in iustitiis aliquid nobis assignandum eadẽ ratione erit. Neque enim consentaneum esset rationi vt ea diceremur facere quibus agẽdis proprio motu inhabiles, instar lapidum à Deo moueremur. Vt ergo Dei gratiæ primas demus, nostrã tamen operam vel secundarias tenere partes illæ loquutiones indicant. Si vnũ illud vrgeretur, bona opera nostra nuncupari, ego vicissim obiicerem, panem nuncupari nostrum quẽ nobis dari à Deo poscimus. Quid ex possessionis titulo percipient, quàm Dei benignitate ac gratuito munere nostrum fieri quod minimè aliàs nobis debetur? Ergo aut eandem in oratione Dominica rideant absurditatem: aut ne pro ridiculo habeant quòd nostra vocantur bona opera in quibus nihil habemus proprium nisi ex Dei largitate. Atqui istud aliquãto est validius, quòd nos ipsos Deũ colere, seruare iustitiã, obedire Legi, bonis operibus studere Scriptura sæpe affirmat. Hæc quum sint propria mẽtis & voluntatis officia, quomodo cõueniret ad Spiritũ hęc referri, & simul

nobis tribui,nisi quædam esset studii nostri cum diuina virtute communicatio?His tricis nullo labore nos exoluemus,si ritè modum reputemus quo in sanctis agit Spiritus Domini. Extranea est illa similitudo qua nos inuidiosè grauant. quis enim ita desipit vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet?Neque verò quicquam simile consequitur ex nostra doctrina. In naturales hominis facultates referimus, approbare, respuere:velle,nolle:eniti,resistere:nempe approbare vanitatem,respuere solidum bonum:velle malum,nolle bonum:eniti ad nequitiam,resistere iustitiæ. Quid hîc agit Dominus? Si eiusmodi prauitate vti vult tanquam iræ suæ instrumẽto,dirigit ac destinat quò libuerit, vt per vitiosam manum bonum suum opus exequatur. Scelestum igitur hominem, qui Dei potentiæ sic seruit,dum libidini tãtùm suæ obsequi studet,an cum saxo conferemus, quod alieno impetu vibratum, nec motu, nec sensu, nec voluntate propria fertur? Videmus quantum sit discriminis.Quid verò in bonis,de quibus præcipua est quæstio?Vbi regnum in illis suum erigit:voluntatem,ne vagis libidinibus sursum deorsum raptetur,pro naturæ inclinatione,per Spiritum suum cohibet:quo in sanctitatem ac iustitiam propendeat,ad iustitiæ suæ regulam flectit,componit, format,dirigit:ne titubet aut cõcidat, Spiritus sui virtute stabilit ac confirmat. Qua ratione Augustinus, Dices mihi, inquit, ergo agimur,non agimus. Imò agis,& ageris:& tũc bene agis,si à bono agaris. Spiritus Dei qui te agit,agentibus adiutor est,nomen adiutoris præscribit,quòd & tu aliquid agas. Priore membro admonet actionem hominis non tolli Spiritus sancti motu,quia à natura est voluntas, quæ regitur vt ad bonum aspiret. Quod autem mox adiungit, ex nomine auxilii posse colligi nos etiam aliquid agere, non cõuenit ita accipere, quasi seorsum aliquid nobis tribuat:sed ne foueat in nobis ignauiam, sic Dei actionem cum nostra cõciliat vt velle sit à natura,bene autem velle à gratia.Ideo paulo antè dixerat, Nisi Deus nos adiuuet, non modò vincere,sed neque pugnare poterimus.

15 Hinc apparet, gratiam Dei (vt hoc nomen sumitur vbi de regeneratione est sermo) esse Spiritus regulam ad dirigendam ac moderandam hominis voluntatem. Moderari non potest quin corrigat, quin reformet, quin renouet (vnde dicimus principium regenerationis esse,vt quod nostrum est aboleatur)simul quin moueat,agat,impellat,ferat,teneat. Vnde verè dicimus illius in solidum esse omnes quæ inde emanant actiones. Interim non negamus verissimum esse quod Augustinus docet, non destrui gratia voluntatem, sed magis reparari:quia vtrunque optimè cõstat:vt instaurari dicatur hominis voluntas,dum correcta vitiositate & peruersitate ad veram iustitiæ regulam dirigitur:& simul noua in homine voluntas dicatur creari,quia sic vitiata corruptaque est,vt nouum penitus ingenium induere necesse habeat. Nihil iam obstat quominus ritè agere dicamur quod agit Spiritus Dei in nobis, etiamsi nihil à seipsa conferat nostra voluntas quod ab eius gratia separetur. Ideóque memoria tenendum quod alibi ex Augustino citauimus,frustra quosdam satagere vt in hominis voluntate quicquam boni proprium reperiant. quicquid enim mixturæ ex liberi arbitrii virtute afferre student homines ad Dei gratiam, nihil aliud quàm eius corruptio est: perinde ac siquis lutosa & amara aqua vinum dilueret. Etsi autem quicquid in voluntate boni est,ex mero Spiritus instinctu prouenit, quia tamen nobis naturaliter ingenitum est velle, nõ abs re ea agere dicimur quorum laudẽ sibi iure Deus vendicat. primùm, quia nostrum est eius benignitate quicquid operatur in nobis, modò non à nobis esse intelligamus: deinde quia nostra est mens,nostra voluntas,nostrum studium,quæ ab eo in bonum diriguntur.

19 Quæ præterea hinc inde testimonia corradunt, mediocribus etiam ingeniis non multum facessent negotii, quæ superiores modò solutiones probè imbiberint. Citant ex
Gen.4.a.7 Genesi sententiam illam, Sub te erit appetitus eius,& tu dominaberis illi:quã de peccato interpretantur, acsi Cain promitteret Dominus,non fore in animo eius vim superiorem peccati, si in eo perdomãdo laborare vellet. Nos autem magis congruere dicimus ordini orationis, vt de Abele accipiatur hoc dictum. illic enim iniquitatem inuidiæ, quam in fratrem Cain conceperat,arguere propositum est Deo. id facit duplici ratione:quòd frustra meditabatur scelus quo fratrem præcelleret apud Deum, apud quem nullus est honor nisi iustitiæ: deinde quòd nimium ingratus esset iam accepto Dei beneficio, qui ne subiectum quidem suo imperio fratrem ferre posset. Verùm ne hanc interpretationem ideo videamur amplexari quòd altera nobis contraria sit, demus sanè de peccato loquutũ fuisse Deum.Si ita est,aut promittit hoc Dominus quod denuntiat,aut iubet.Si iubet, nullam

nullam inde probationem facultatis humanæ ſequi iam demonſtrauimus: ſi promittit, vbi promiſſionis complementum, quando peccato, cui dominari ipſum oportebat, Cain ſuccubuit? Promiſſioni incluſam dicent tacitam conditionem, acſi diceretur victoriam reportaturũ fuiſſe ſi certaret: ſed quis recipiat iſtas ambages? Nam ſi ad peccatum refertur iſta dominatio, nemo ambigat imperatiuã eſſe orationem, in qua non definitur quid poſſimus, ſed quid vel ſupra poteſtatem debeamus. Quanquam & res ipſa & ratio Grammaticæ poſtulant, comparationem fieri Cain & Abelis: quia primogenitus frater minori poſthabitus non fuiſſet niſi proprio ſcelere deterior.

17 Vtuntur & teſtimonio Apoſtoli, quia dicit nõ eſſe volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei. ex quo eliciunt, aliquid eſſe in voluntate & conatu, quod per ſe licet imbecillum, miſericordia Dei adiutum, proſpero ſucceſſu non careat. Atqui ſi ſobriè penſitarent quæ illic cauſa tractetur à Paulo, iſta ſententia non adeò inconſideratè abuterentur. Scio eos poſſe Origenẽ & Hieronymum citare ſuæ expoſitionis ſuffragatores: poſſem & illis viciſſim Auguſtinum opponere: ſed quid illi opinati ſint noſtra nihil refert, ſi cõſtat quid voluerit Paulus. Illic docet, iis demum paratam eſſe ſalutem quos ſua miſericordia Dominus dignetur: ruinam & interitum manere quoſcunque non elegerit. Reproborum ſortem ſub Pharaonis exemplo demonſtrauerat: gratuitę quoque electionis certitudinem Moſis teſtimonio confirmarat, Miſerebor cuius miſerebor. Concludit, nõ eſſe volentis aut currentis, ſed miſerentis Dei. Quòd ſi in hunc modũ intelligatur, non ſufficere voluntatem aut conatum quia tantæ moli ſint impares: parum conuenienter à Paulo dictum foret. Proinde apage iſtas argutiolas, Non eſt volentis neque currentis: ergo eſt aliqua voluntas, eſt aliquis curſus. Simplicior enim eſt mens Pauli, Non eſt voluntas, nõ eſt curſus quæ nobis viam ad ſalutem cõparant: ſola eſt hîc Domini miſericordia. Non enim aliter hîc loquitur quàm ad Titum, vbi ſcribit apparuiſſe Dei bonitatẽ & humanitatem, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed pro immenſa eius miſericordia. Ne illi quidem ipſi qui argutantur Paulum innuiſſe aliquam eſſe voluntatem & aliquem curſum, quia negauerit eſſe volentis aut currentis, mihi ad eandem formam ratiocinati concederent, aliqua nos bona opera feciſſe, quia negat Paulus ex operibus quę fecerimus, Dei bonitatẽ nos aſſequutos. Quòd ſi vitium in hac argumentatione perſpiciunt, aperiant oculos, & ſuam non carere ſimili fallacia cernent. Firma eſt etiam ratio illa qua nititur Auguſtinus, Si ideo dictum foret non eſſe volentis neque currentis quia non ſufficiat voluntas nec curſus: poſſe in contrariam partem retorqueri, non eſſe Dei miſericordię, quia neque ſola illa ageret. Quum hoc ſecundum ſit abſurdum, meritò concludit Auguſtinus, ideo eſſe hoc dictum quia nulla ſit hominis volũtas bona niſi præparetur à Domino: non quin velle debeamus & currere: ſed quia vtrũque Deus efficit in nobis. Non minus inſcitè torquetur à quibuſdam illud Pauli, Dei cooperarii ſumus, quod ad ſolos miniſtros reſtringi minimè dubium eſt: cooperarios autem vocari non qui ex ſe quicquam afferant, ſed quoniam eorũ opera vtitur Deus poſtquã idoneos reddidit inſtruxitque neceſſariis dotibus.

18 Eccleſiaſticũ producũt, quem dubiæ authoritatis ſcriptorem eſſe non ignoratur. At enim vt à nobis nõ repudietur (quod facere tamen iure noſtro nobis licet) quid ille teſtatur pro libero arbitrio? Dicit, hominem ſtatim atque creatus fuit, relictum eſſe in manu cõſilii ſui: data illi eſſe præcepta, quæ ſi ſeruaret, ab illis viciſſim ſeruaretur: ante hominem poſitam eſſe vitam & mortem, bonum & malum: quodcũque voluerit, ei datum iri. Eſto acceperit homo à ſua creatione facultatem adipiſcẽdæ vitæ aut mortis: quid ſi ex aduerſo reſpondeamus perdidiſſe? Certè animus non eſt contradicere Solomoni qui aſſerit hominem rectũ ab initio creatum eſſe, ipſum ſibi aſciuiſſe multas adinuentiones: verùm quia homo degenerando, & ſui & bonorum omnium naufragium fecit, quicquid primę creationi tribuitur, nõ protinus ſequitur in vitiatam ac degenerem naturam competere. Ergo non illis modò, ſed ipſi quoque Eccleſiaſtico (quicunque tandẽ ſit) reſpondeo. Si hominem vis inſtituere vt apud ſeipſum acquirendæ ſalutis facultatem quærat, tanti nõ eſt nobis tua authoritas vt vel minimi præiudicii aduerſus indubitatum Dei verbum vicem obtineat: ſin malignitatem carnis duntaxat coercere ſtudes, quę ſua mala in Deum transferendo, vanam defenſionem captare ſolet: ideóque reſpondes rectitudinem homini inditam fuiſſe quo ipſum exitii ſibi cauſam eſſe appareat, libenter aſſentio: modò mihi rurſum tecum hoc conueniat, iis ornamentis quibus eum Dominus initiò induerat, nunc ſua culpa eſſe ſpoliatum: atque ita pariter fateamur medico nunc opus eſſe, non patrono.

Rom. 9. d. 16

Origen. lib. 7 in epiſto. ad Romanos. Hieronym. dial. 1. in Pelag.

Tit. 3. a. 4

Epiſt. 107. ad Vitalem.

1. Cor. 3. b. 9

Eccli. 15. c. 14

Eccles. 7. d. 30

Luc.10.c.30 19 Nihil tamen frequentius in ore habent quàm parabolã Christi de viatore, quem semiuiuum latrones in via proiecerunt. Sub viatoris huius typo, calamitatem repręsentari generis humani, scio vulgatissimum esse omnibus pene scriptoribus. Inde argumẽtum sumunt nostri aduersarii, non ita peccati ac diaboli latrocinio mutilatum esse hominem quin superstites retineat bonorum priorum reliquias: quandoquidem dicitur relictus esse semiuiuus. Vbi enim est illud vitæ dimidium nisi rectæ & rationis & voluntatis portio aliqua maneret? Primùm, si nolim locũ dare ipsorum allegoriæ, quid obsecro facturi sunt? nam præter germanum orationis Domini sensum, à patribus excogitatum fuisse nihil dubium est. Allegoriæ vltrà procedere non debent quàm præeuntem habent Scripturæ regulam: tantum abest vt fundandis vllis dogmatis per se sufficiant. Neque desunt rationes quibus possim, si lubeat, totum hoc commentum conuellere: neque enim dimidiam homini vitam relinquit Dei verbũ, sed penitus interiisse docet quantũ ad beatæ vitæ rationem. Non semiuiuos dicit sanatos Paulus, dum loquitur de nostra redẽptione: sed quum mortui essemus, suscitatos. non semiuiuos inclamat ad recipiendam Christi illuminationem, sed dormiẽtes & sepultos: nec secus Dominus ipse, dum horam venisse ait qua mortui ad vocem suam resurgant. Qua fronte leuem allusionem tot claris sententiis opponerent? Valeat tamen allegoria hæc pro certo testimonio: quid tamen à nobis extorquebũt? Semiuiuus est homo: habet igitur aliquid saluum: nempe habet mẽtem intelligentiæ capacem, etiamsi ad cælestem spiritualémque sapientiam non penetret: habet nonnullum honestatis iudicium: habet aliquem diuinitatis sensum, vtcunque veram Dei rationem non assequatur. Sed quŏ ista recidunt? certè non efficiunt vt nobis illud Augustini, communibus etiam scholarum suffragiis approbatum, adimatur, Adempta esse homini post lapsum gratuita bona vnde salus dependet: naturalia verò corrupta pollutáque esse. Stet ergo nobis indubia ista veritas, quæ nullis machinamentis quatefieri potest, Mentem hominis sic alienatam prorsus à Dei iustitia, vt nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitiosum concipiat, concupiscat, moliatur: cor peccati veneno ita penitus delibutum, vt nihil quàm corruptum fœtorem efflare queat. Quòd si quippiam interdum boni in speciem ostentant, mentem tamen semper hypocrisi & fallaci obliquitate inuolutam, animum interiori peruersitate illigatum manere.

Ephes. 2. a.5
Ibidem 5. c. 14
Iohan.5.c.25

Homini perdito quærendam in Christo redemptionem esse. CAP. VI.

QVVM in Adæ persona perierit totum humanum genus, nobis adeò nihil prodesset illa quam memorauimus originis præstantia & nobilitas, vt magis cedat in maiorem ignominiam, donec in Filii sui vnigeniti persona Redemptor appareat Deus, qui homines peccato fœdatos & corruptos pro suo opere non agnoscit. Ergo postquam excidimus à vita in mortẽ, inutilis esset tota illa Dei creatoris, de qua disseruimus, cognitio, nisi succederet etiam fides, Deum in Christo Patrem nobis proponens. Erat quidem hic genuinus ordo vt mundi fabrica nobis schola esset ad pietatem discendam: vnde ad æternam vitam & perfectam fœlicitatem fieret transitus. sed post defectionem quocunque vertamus oculos, sursum & deorsum occurrit Dei maledictio, quæ dum innoxias creaturas culpa nostra occupat & inuoluit, desperatione animas nostras obruat necesse est. Etsi enim multis adhuc modis paternum erga nos fauorẽ extare vult Deus, ex mundi tamen cõspectu patrem colligere non licet, vbi nos intus vrget conscientia, ostendítque iustam in peccato abdicationis causam esse, ne pro filiis nos censeat Deus vel reputet. Accedit & socordia & ingratitudo: quia nec mẽtes nostræ, vt sunt excæcatæ, quid verum sit cernunt: &, vt praui sunt omnes sensus nostri, Deum malignè sua gloria fraudamus. Itaque veniendum ad illud Pauli, Quoniam in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Sapientiam Dei appellat magnificum hoc theatrum cæli & terræ, innumeris miraculis refertum, ex cuius intuitu sapienter Deum cognoscere decebat: sed quia tam malè illic profecimus, reuocat nos ad fidem Christi, quæ ob stultitiæ speciem incredulis fastidio est. Quanquam ergo humano ingenio non respondet prædicatio crucis, humiliter tamen eã amplecti oportet, si ad Deum opificẽ nostrum & fictorem, à quo sumus alienati, redire cupimus, vt nobis iterum pater esse incipiat. Certè post lapsum primi hominis nulla ad salutem valuit Dei cognitio absque Mediatore: quia non de sua tantùm ætate loquitur Christus, sed omnia secula comprehẽdit, quum dicit hanc esse vi-

1. Cor.1.c.21

esse vitam æternam, cognoscere Patrem verum vnum Deum, & quem ille misit Iesum Christum. Quo fœdior est eorũ socordia, qui cælum profanis & incredulis quibuslibet patefaciũt, absque eius gratia quem Scriptura passim docet vnicam esse ianuã qua in salutẽ ingredimur. Quòd siquis ad Euãgelii promulgationem illud Christi dictum restringere velit, in promptu refutatio est, quia omnibus & seculis & Gentibus communis fuit ratio illa, non posse absque reconciliatione placere Deo, qui alienati sunt ab eo, & maledicti pronuntiantur ac filii iræ. Huc adde quod respondit Christus mulieri Samaritanæ: Vos adoratis quod nescitis, nos autem adoramus quod scimus: quia salus ex Iudęis est. Quibus verbis & quilibet Gentium religiones falsitatis damnat, & rationem assignat, quia soli electo populo fuerit promissus Redemptor sub Lege. vnde sequitur, nullũ vnquam Deo cultum placuisse nisi qui in Christum respiceret. Vnde etiam affirmat Paulus, Gentes omnes absque Deo fuisse, & spe vitæ orbatas. Iam quum doceat Iohãnes, vitam ab initio fuisse in Christo, & ab ea excidisse totum mundum, ad fontem illum redire necesse est. atque ideo Christus, quatenus est propitiator, se vitam esse asserit. Et sanè non ad alios quàm Dei filios pertinet cælorum hereditas. Filiorum autem loco & ordine censeri minimè consentaneum est qui non insiti sunt in corpus vnigeniti Filii. Et clarè testatur Iohannes, qui credunt in eius nomen, filios Dei fieri. Sed quia de fide in Christum ex professo differere mihi nondum propositum est, in transcursu attigisse satis fuerit.

Iohãn. 17. a. 3
Iohã. 4. c. 22
Ephes. 2. c. 12
Iohan. 1. a. 4
Iohãn. 1. b. 12

2 Ac proinde veteri populo nunquam se Deus ostendit propitium, nec spem gratiæ vnquam fecit absque Mediatore. Omitto sacrificia Legis, quibus palàm & apertè edocti fuerunt fideles, non alibi quàm in expiatione quæ à solo Christo peracta est, quærendam salutem esse. Hoc tãtùm dico, beatum & fœlicem Ecclesiæ statum semper in Christi persona fuisse fundatum. Nam etsi Deus totam Abrahæ sobolem in fœdere suo complexus est, prudenter tamen ratiocinatur Paulus, Christum propriè esse semen illud in quo benedicendæ erant omnes Gentes: quando scimus non omnes qui secũdum carnem ex eo geniti sunt, reputatos fuisse in semine. Nam vt de Ismaele & aliis taceam, quî factum est vt ex duobus filiis Isaac, nẽpe Esau & Iacob fratribus geminis, quum adhuc in vtero matris coniũcti essent, vno electo alter repudiaretur? Imò quî factum est vt primogenito reiecto, minor natu solus gradum tenuerit? Vnde etiam cõtigit vt maior pars abdicaretur? Patet igitur in vno præcipuè capite censeri Abrahæ semen: nec salutem promissam cõstare donec ad Christum ventum fuerit, cuius officium est quæ dissipata erãt colligere. Prima itaque electi populi adoptio à gratia Mediatoris pendebat. Quod etsi non adeò claris verbis exprimitur apud Mosen, vulgò tamen piis omnibus fuisse notum satis apparet. Nam antequam Rex in populo creatus esset, iam Hanna Samuelis mater de piorũ fœlicitate differens, in suo cantico sic loquitur, Dabit robur Regi suo Deus, & exaltabit cornu Messiæ sui. Quibus verbis intelligit Deũ Ecclesiæ suæ benedicturũ. Cui etiã respondet oraculum quod paulo pòst subiicitur, Ambulabit sacerdos quem constituam coram Christo meo. Nec verò dubium est quin cælestis Pater in Dauide eiúsque posteris conspici voluerit viuam Christi imaginem. Ideo pios ad Dei timorẽ hortari volens, iubet osculari Filium: cui scilicet hæc Euangelii sententia respondet, Qui non honorat Filiũ, non honorat Patrem. Itaque licet decẽ tribuũ defectione collapsum fuerit regnum, fœdus tamen quod pepigerat Deus in Dauide & eius successoribus, stare oportuit, sicut & per Prophetas loquutus est, Non scindã prorsus regnũ propter Dauid seruum meũ & propter Ierusalẽ quam elegi: sed filio tuo restabit tribus vna. vbi secundò & tertio idem repetitur. Disertè etiam adscribitur, Affligã semen Dauidis: sed non cunctis diebus. Aliquo postea tẽporis interuallo dictum est, Propter Dauid seruum suum dedit lucernã Deus in Ierusalẽ, vt suscitaret ei filium, & saluã tueretur Ierusalem. Iam quum res ad interitum vergerẽt, rursus dictũ fuit, Noluit Deus dispergere Iehudah propter Dauid seruum suũ, quia loquutus erat vt daret ei lucernã & filiis eius in perpetuũ. Huc redit summa, præteritis omnibus aliis, Dauidem vnum fuisse electum, in quo beneplacitum Dei resideret: sicuti dicitur alibi, Repulit tabernaculũ Silo, & tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim nõ elegit: sed elegit tribum Iehudah, montem Sion quem dilexit: Elegit seruum suum Dauid, vt pasceret Iacob populum suum, hereditatem suam Israel. Denique sic Ecclesiam suam seruare voluit Deus, vt eius incolumitas & salus à capite illo pẽderet. Ideóque exclamat Dauid, Iehouah fortitudo populi sui, robur salutum Christi sui. Et mox precationem addit, Serua populum tuum, & benedic hereditati tuæ: significans Ecclesiæ statum indiuiduo nexu cum

Galat. 3. c. 16
1. Sam. 2. b. 10
Psal. 2. c. 12
Iohan. 5. d. 23
1. Reg. 11. b. 12. f. 34
Ibidem g. 39
1. Reg. 15. a. 4
1. Reg. 11. f. 34
Psal. 78. f. 60 g. 67
Psal. 28. c. 8

Psal.20.b.10 Christi imperio coniunctum esse. Eodem sensu alibi, Serua Iehouah, Rex exaudiat nos quo die inuocabimus. Quibus verbis apertè docet, fideles non alia fiducia confugisse ad Psalm.118.d. 25.26 Dei opem, nisi quia delitescebant sub Regis præsidio, quod ex alio Psalmo colligitur, Serua Iehonah, benedictus qui venit in nomine Iehouæ: vbi satis constat reuocari ad Christum fideles, vt se Dei manu saluos fore sperent. Eodem respicit alia precatio, vbi tota Ec- Psal.80. d.18 clesia Dei misericordiam implorat, Sit manus tua super virum dexteræ tuæ, super filiũ hominis quem conseruasti (vel aptasti) tibi. Nam etsi populi totius dissipationẽ deplorat author Psalmi, tamen instaurationem flagitat in solo capite. Vbi autem populo in exiliũ abducto, vastata terra, & rebus in speciem perditis, Ecclesiæ cladem luget Ieremias, præcipuè regni interitu spem fidelibus præcisam esse queritur. Christus, inquit, spiritus oris nostri Thren.4.d. 20 captus est in peccatis nostirs, cui diximus, In vmbra tua viuemus inter Gentes. Hinc iam satis liquet, quia nõ potest Deus propitius humano generi esse absque Mediatore, sanctis Patribus sub Lege Christum semper fuisse obiectum, ad quem fidem suam dirigerent.

3 Porrò vbi rebus afflictis solatiũ promittitur, maximè vbi describitur Ecclesiæ libe- Haba.3.c.13 ratio, fiduciæ & spei vexillũ in Christo ipso præfigitur, Egressus est Deus in salutẽ populi sui cũ Messiah suo, inquit Habacuc. Et quoties de instauratione Ecclesiæ mentio fit apud Prophetas, populũ reuocãt ad promissionẽ Dauidi factã de regni perpetuitate. Nec mirũ, quia nulla fuisset alioqui fœderis stabilitas. Quò pertinet insigne illud responsum Iesaiæ. Quũ enim videret ab incredulo rege Achaz repudiari quod de soluẽda obsidione Hiero- Iesa.7.c.14 solymæ & præsenti salute testatus fuerat, quasi ex abrupto trãsit ad Messiã, Ecce virgo cõcipiet ac pariet filiũ, obliquè significans quanuis Rex & populus sua prauitate reiicerent oblatam sibi promissionẽ, acsi data opera incũberent ad labefactandum Dei fidem, nõ fore tamen irritũ fœdus quin suo tempore veniret Redẽptor. Denique Prophetis omnibus curæ fuit, vt Deum placabilem ostenderẽt, semper in medium proferre illud Dauidis re- Iesa.55.a.3 gnum vnde pendebat & redemptio & ęterna salus. Sic Iesaias, Statuam vobiscum fœdus, misericordias Dauidis fideles. ecce testem dedi eum populis. Nempe quia in rebus perditis non aliter sperare poterant fideles, nisi teste illo interposito, Deum sibi fore exorabilẽ. Iere.23.a.6 Eodem modo Ieremias vt desperatos erigat, Ecce (inquit) dies veniunt quibus suscitabo Dauidi germen iustum, & tunc seruabitur Iuda, & Israel tutò habitabit. Ezechiel autem, Ezec.34.f.23 Suscitabo super oues meas pastorem vnum, nempe Dauidem seruũ meum. Ego Iehoua illis in Deum ero, & seruus meus Dauid in pastorem: & percutiam cum iis fœdus pacis. Ezech.37.g. 25.26 Item alibi, postquã de incredibili renouatione disseruit, Seruus (inquit) meus Dauid erit Rex eorum, & erit pastor vnus super omnes, & fœdus pacis æternũ percutiam cum ipsis. Pauca ex multis delibo, quia tantùm lectores volo admonitos, spem omniũ piorum non alibi vnquam fuisse repositam quàm in Christo. Succinunt etiam alii omnes Prophetæ, Oseæ 1.d.11 sicuti apud Oseam dicitur, Congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter, & ponent sibi Oseæ 3.b.5 caput vnum. quod postea clarius explicat, Reuertentur filii Israel, & inquirent Iehouam Mich.2.d.13 Deum suum & Dauidem Regem suum. Michæas etiam, de populi reditu verba faciens, Amos 9.c.11 disertè exprimit, Trãsibit Rex ante ipsos, & Iehoua in capite eorum. Sic Amos populi renouationem promittere volens, Suscitabo (inquit) in die illa tabernaculum Dauid quod collapsum est, & sepiam interruptiones, & subuersiones erigam. nempe quia vnicũ illud erat salutis vexillũ, iterum in sublime emergere regiam gloriam in familia Dauidis, quod in Christo impletũ est. Itaque Zacharias, sicuti eius seculum Christi manifestationi pro- Zach.9.b.9 pius erat, apertius exclamat, Lætare filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus venit Psal.28.c.8 tibi iustus & seruatus. Quod loco Psalmi antè citato respondet, Iehoua robur salutum Christi sui, serua Iehoua. vbi salus à capite ad totum corpus extenditur.

4 His vaticiniis ita imbui voluit Deus Iudæos, vt liberationis petendæ causa, rectâ oculos ad Christum conuerterent. Nec verò quanuis turpiter degenerassent, potuit tamen aboleri memoria generalis illius principii, Deum per manum Christi, sicuti Dauidi pollicitus fuerat, fore Ecclesię liberatorem: atque demum hoc modo firmum fore gratui- Mat.21.a.9 tum fœdus quo Deus electos suos adoptauerat. Hinc factum est vt in ore puerorum personaret canticum illud quum Christus Hierosolymam paulò ante mortem ingressus est, Hosianna filio Dauid. Vulgo enim notum ac celebre fuisse apparet atque ex communi vsu petitum quod canebant vnicum sibi restare misericordiæ Dei pignus in aduentu redemptoris. Hac ratione Christus ipse discipulos, vt distinctè & perfectè credãt Deo, iubet Iohã.14.a.1 in se credere, Creditis in Deum, & in me credite, inquit. Etsi enim propriè loquendo, à

Christo

Christo fides ad Patrem cõscendit, significat tamen eam, etiãsi Deo innititur, paulatim euanescere nisi intercedat ipse medius qui eã in solida firmitate retineat: alioqui altior quoque est Dei maiestas quàm vt ad eam penetrẽt mortales qui tanquam vermiculi super terram reptant. Quare illud vulgare dictum sic admitto, Deum esse fidei obiectum, vt tamen correctione opus habeat: quia non frustra vocatur Christus inuisibilis Dei imago: sed hoc elogio monemur, nisi occurrat nobis Deus in Christo, non posse in salutem nobis innotescere. Etsi autẽ apud Iudæos falsis commentis obtenebrauerãt Scribæ quod de Redemptore Prophetæ tradiderant, sumpsit tamen pro cõfesso Christus, quasi publico consensu receptum, non aliud rebus perditis esse remedium, nec modum alium liberandæ Ecclesiæ, quàm Mediatore exhibito. Non fuit quidem vulgo cognitum vt decebat, quod docet Paulus, Christum esse finem Legis: quàm tamen verum sit ac certum, ex Lege ipsa & Prophetis liquidò patet. De fide nondum differo, quia alibi opportunior erit locus: hoc modò fixũ lectoribus maneat, Primus ad pietatem gradus sit agnoscere Deum esse nobis patrem, vt nos tueatur, gubernet ac foueat, donec colligat in æternam hereditatem regni sui: hinc palàm fieri quod nuper diximus, saluificã Dei cognitionem absque Christo non constare. ideóque ab exordio mundi ipsum fuisse propositum omnibus electis in quem respicerent, & in quo acquiescerent eorum fiducia. Hoc sensu scribit Irenæus Patrem, qui immensus est, in Filio esse finitum, quia se ad modulum nostrum accommodauit, ne mentes nostras immensitate suæ gloriæ absorbeat. Quod fanatici non reputantes, vtilem sententiam ad impium phantasma detorquent, acsi portio tantùm diuinitatis à tota perfectione defluens in Christo esset: quum nihil aliud velit quàm Deum in Christo solo comprehendi. Omnino verum semper fuit illud Iohannis, Qui non habet Filiũ, neque Patrem habet. Nã etsi olim gloriati sunt multi summum numen, cælique & terræ opificem se colere: quia tamẽ nullus illis erat Mediator, fieri non potuit vt Dei misericordiam verè gustarent, atque ita persuasi essent sibi patrem esse. Quia ergo caput non tenebant, hoc est Christum, euanida fuit apud eos Dei cognitio: vnde etiam factum est vt in crassas fœdásque superstitiones demum prolapsi, ignorantiam suam proderẽt. sicuti hodie Turcæ, quanuis plenis buccis prædicẽt cæli & terræ creatorem suum esse Deum, substituunt tamen in locum veri Dei idolum, dum à Christo abhorrent.

Coloss.1.b.15

Rom.10.a.4

1.Iohan.2.d.32

Legem fuisse datam, non quæ populum veterem in se retineret, sed quæ foueret spem salutis in Christo vsque ad eius aduentum. CAP. VII.

EX continua illa, quam retulimus, serie colligere licet Legem non ideo post mortem Abrahæ quadringentis circiter annis fuisse superadditam, vt electum populum à Christo abduceret: imò vt suspẽsos teneret animos vsque ad eius aduentum, accenderet etiam eius desideriũ, & in expectatione confirmaret ne longiore mora deficerent. Legis nomine nõ solùm decem præcepta, quæ piè iustéque viuendi regulam præscribũt, intelligo, sed formam religionis per manum Mosis à Deo traditã. Neque enim datus est Moses legislator qui benedictionem generi Abrahæ promissam aboleret: imò videmus vt passim reuocet in memoriã Iudæis gratuitum illud fœdus cum patribus eorum percussum, cuius heredes erant: acsi ad illud renouandum missus foret. Id clarissimè ex ceremoniis patefactum fuit. Quid enim magis inane aut friuolum quàm homines, vt se Deo reconcilient, fœtidum nidorem ex adipe pecudum offerre? vt sordes suas eluant, ad aquæ vel sanguinis asperſionem cõfugere? Denique totus legalis cultus (si per se reputetur, nec contineat vmbras & figuras quibus respondeat veritas) res erit prorsus lusoria. Quare non abs re & in concione Stephani, & in epistola ad Hebræos tam diligenter expẽditur locus ille vbi Deus Mosen iubet quæcunque ad tabernaculum pertinent formare secundum exemplar quod ostensum illi fuerat in monte. Nisi enim spirituale aliquid fuisset propositum quò tenderẽt, non secus in illis operam lusissent Iudæi atque Gentes in suis nugis. Profani homines, qui nunquam seriò in pietatis studium incubuerunt, non absque fastidio audire sustinẽt tam multiplices ritus: neque solùm mirantur cur Deus veterem populum fatigauerit tanta ceremoniarum congerie, sed despiciunt illas ac rident tanquam pueriles lusus. Nempe quia ad finẽ non attendunt, à quo si legales figuræ separentur, vanitatis damnari necesse est. Atqui ostendit typus ille, Deum non ideo mandasse sacrificia vt cultores suos occuparet in terrenis exercitiis, sed potius vt altius erigeret eorum mentes. Quod etiam ex eius natura liquidò constare potest: quia, vt spiritualis est, non alio quàm spirituali cultu oblectatur. Testan-

Act.7.f.44
Heb.8.b.5
Exo.25.d.40

tur hoc tot Prophetarum ſententiæ, quibus Iudæos ſocordiæ arguunt, quòd putẽt vllius eſſe apud Deum momẽti quæuis ſacrificia. An quia Legi quicquam derogare conſilium ſit? Minimè: ſed (vt erant veri illius interpretes) hoc modo ad ſcopum oculos dirigi voluerũt, à quo vulgus errabat. Iam ex gratia Iudæis oblata certò colligitur legem Chriſto non
Exod.19.a.6 fuiſſe vacuam. hunc enim adoptionis finẽ illis propoſuit Moſes, vt eſſent Deo in regnum ſacerdotale: quod aſſequi non poterant niſi maior & præſtãtior quàm ex ſanguine pecudum reconciliatio intercederet. Quid enim minus conſentaneum, quàm Adæ filios, qui hereditaria labe naſcuntur omnes peccati mancipia, in regiam dignitatem attolli, & hoc modo fieri gloriæ Dei conſortes, niſi aliunde illis proueniret tam præclarum bonum? Ius quoque ſacerdotii quomodo apud eos vigere potuit qui vitiorum ſordibus abominabiles Deo erant, niſi conſecrati eſſent in ſancto capite? Quare eleganter Petrus illud Moſis dictum conuertit, plenitudinẽ gratiæ, cuius guſtum ſub Lege perceperant Iudæi, in Chri-
1.Pet.2.b.9 ſto exhibitam eſſe docẽs. Vos eſtis genus electum, inquit, regale ſacerdotium. Huc enim tendit vocum inuerſio, plus adeptos eſſe quibus apparuit Chriſtus per Euangeliũ, quàm illorum patres: quia omnes præditi ſint ſacerdotali honore & regio, vt Mediatore ſuo freti, liberè in Dei conſpectum prodire audeant.

2 Atque hîc obiter notandum eſt, regnum quod tandẽ erectum fuit in familia Dauidis, eſſe Legis partem, & contineri ſub Moſis miniſterio. vnde ſequitur, tam in toto genere Leuitico quàm in poſteris Dauidis Chriſtum oculis veteris populi quaſi in duplici ſpeculo fuiſſe obiectum. Quia, vt nuper dixi, nõ aliter coram Deo eſſe poterant vel reges vel ſacerdotes, qui & ſerui erant peccati ac mortis, & ſua corruptione polluti. Hinc veriſ-
Gal.3.d.24 ſimum eſſe patet illud Pauli, Iudæos quaſi ſub pædagogi cuſtodia fuiſſe retentos, donec veniret ſemen in cuius gratiam data erat promiſſio. Nam quia nondum familiariter innotuerat Chriſtus, ſimiles fuerunt pueris, quorum imbecillitas nondum plenam rerum cæleſtium ſciẽtiam ferre poterat. Quomodo autem ceremoniis ad Chriſtum fuerint manuducti, antè dictum eſt, & ex pluribus Prophetarũ teſtimoniis melius intelligere licet. Nam etſi nouis quotidie ſacrificiis ad Deum placandum accedere ipſos oportuit, vnico
Ieſa.53 Dan.9 Pſal.110.b.4 tamen ſacrificio ſcelera omnia expiatum iri promittit Ieſaias. cui concinit Daniel. Sacerdotes ex tribu Leui deſignati ſanctuarium ingrediebantur: at de vnico ſacerdote ſemel dictum fuit, iureiurando diuinitus electum eſſe qui ſacerdos eſſet in perpetuum ſecũdum ordinẽ Melchi-ſedech. Erat tũc viſibilis olei vnctio, aliã fore Daniel ex viſione pronũtiat. Ac ne pluribus inſiſtã, ſatis prolixè & dilucidè author epiſtolæ ad Hebræos à quarto cap. ad vndecimum vſque demõſtrat nihili & inanes eſſe ceremonias donec ad Chriſtum vẽtum fuerit. Quod verò ad decẽ præcepta ſpectat, tenenda ſimiliter eſt Pauli admonitio,
Rom.10.a.4 Chriſtum eſſe finẽ Legis in ſalutem omni credenti: & altera, Chriſtum eſſe ſpiritum qui
2.Cor.3.b.6 literam per ſe mortiferam viuificat. Nam priore quidẽ ſignificat fruſtra doceri iuſtitiam præceptis, donec eam Chriſtus & gratuita imputatione & ſpiritu regenerationis cõferat. Quare meritò Chriſtũ vocat complementum Legis, vel finem: quia nihil prodeſſet quid exigat Deus à nobis ſcire, niſi ſub iugo & onere intolerabili laborãtibus & oppreſſis Chri-
Gal.3.c.19 ſtus ſuccurreret. Alibi Legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe docet: nempe vt homines damnationis ſuæ conuictos humiliaret. Porrò quia hæc ad Chriſtũ quærendũ vera & vnica eſt præparatio, quæcunque diuerſis verbis tradit, probè inter ſe conſentiunt. Sed quia diſceptatio illi fuit cum peruerſis doctoribus, qui Legis operibus iuſtitiam nos mereri fingebant, vt eorum errorem refutaret, coactus eſt interdum nudam Legem præciſè accipere: quæ tamen gratuitæ adoptionis fœdere alioqui veſtita eſt.

3 Quomodo autẽ à lege morali edocti magis inexcuſabiles reddamur, vt nos ad veniam expetendã reatus ſollicitet, breuiter cognoſcere operæpretiũ eſt. Si verũ eſt perfectionẽ iuſtitiæ in Lege nos edoceri: iſtud etiam cõſequitur, abſolutam eius obſeruationẽ perfectã eſſe coram Deo iuſtitiam: qua ſcilicet homo iuſtus apud cæleſte tribunal cenſeaDeu.30.d.19 tur ac reputetur. Quare Moſes, Lege promulgata, non dubitat cõteſtari cælum & terram quòd propoſuiſſet Iſraeli vitã & mortem, bonũ & malũ. Nec refragari licet quin iuſtam Legis obedientiã maneat æternæ ſalutis remuneratio, quemadmodum à Domino promiſſa eſt. Rurſum tamen operæpretium eſt recognoſcere ecquid eam obedientiam præſtemus, cuius meritò concipienda ſit illius remunerationis fiducia. Quãtulum enim eſt, videre in Legis obſeruantia poſitum vitæ æternæ præmium, niſi præterea conſtet an ea via peruenire ad vitam æternam nobis liceat? Hac verò in parte, Legis imbecillitas ſe profert.

fert.nam quia in nullo noſtrûm illa Legis obſeruantia deprehenditur,à vitæ promiſſionibus excluſi, in ſolam maledictionẽ recidimus. Dico nõ quid fiat modò, ſed quid neceſſarium ſit.quum enim longè ſupra humanã facultatẽ ſit Legis doctrina,poteſt quidẽ homo eminus ſpectare appoſitas promiſſiones, nõ tamẽ fructum ex iis aliquem colligere. Hoc ergo vnum reſtat vt ab earum bono ſuam miſeriam melius æſtimet,dum cogitat præciſa ſpe ſalutis,mortem ſibi certò imminere.Ex aduerſo inſtãt horrificæ ſanctiones, quæ non paucos noſtrûm,ſed omnes ad vnum irretitos conſtringunt.inſtant,inquam,ac inexorabili aſperitate nos perſequuntur,vt præſentiſſimam in Lege mortem cernamus.

4 Itaque ſi Legem duntaxat intuemur, nihil aliud poſſumus quàm animũ deſpondere,confundi, ac deſperare,quũ ex ea damnemur omnes, ac maledicamur: à beatitudine quam ſuis cultoribus proponit, procul arceamur. Ergóne, inquies,ita nos ludificatur Dominus?Quantulum enim à ludibrio abeſt,ſpem fœlicitatis oſtentare,ad eam inuitare & hortari, illã teſtari nobis expoſitã, quum interim præcluſus ſit & inacceſſus ingreſſus? Reſpondeo,Etiamſi promiſſiones Legis,quatenus cõditionales ſunt,à perfecta Legis obedientia dependeant, quam nullibi reperire eſt:nõ tamen fruſtra datas eſſe. Vbi enim didicimus irritas nobis fore & inefficaces niſi gratuita ſua bonitate, citra intuitũ operum, nos Deus amplexetur,atque adeò illam bonitatem,nobis per Euangelium exhibitam,fide ſimus amplexati: ne ipſis quidem deeſt ſua efficacia, etiam cum annexa conditione. Sic enim tum omnia nobis gratuitò confert vt hoc quoque ad cumulum ſuæ beneficentiæ adiungat quòd ſemiplenam noſtram obedientiam nõ reſpuens, & quod deeſt complemento,remittens, perinde atque à nobis impleta cõditione, legalium promiſſionum fructum percipere nos facit. Sed hanc quæſtionem, quia in tractanda fidei iuſtificatione plenius diſputanda erit,non vltrà in præſens proſequemur.

5 Quòd autem impoſſibilem Legis obſeruationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum ſimul & confirmandũ.ſolet enim vulgo abſurdiſſima ſententia videri:vt Hieronymus non dubitarit anathema illi denuntiare. Quid viſum ſit Hieronymo,nihil moror: nos quid verum ſit inquiramus. Non texam hîc longas ambages de variis poſſibilitatis generibus.Impoſſibile appello quod nec fuit vnquam,& ne in poſterum ſit,Dei ordinatione ac decreto impeditur.Si ab vltima memoria repetamus,neminem ſanctorum extitiſſe dico qui corpore mortis circundatus, ad eum dilectionis ſcopum pertigerit vt ex toto corde,ex tota mente,ex tota anima,ex tota potentia Deum amaret: neminẽ rurſum qui non concupiſcentia laborarit. Quis reclamet? Video quidẽ quales nobis ſanctos imaginetur ſtulta ſuperſtitio,quorũ ſcilicet puritati vix cæleſtes Angeli reſpondeant: ſed repugnante tum Scriptura,tum experientiæ ratione.Dico item,neminem poſthac futurum,qui ad veræ perfectionis metam peruenturus ſit niſi corporis mole ſolutus. In hanc rem primùm ſuppetunt aperta Scripturæ teſtimonia, Non eſt homo iuſtus ſuper terram qui non peccet,dicebat Solomo. Dauid autẽ, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Iob plurimis locis idem affirmat. Clariſſimè omnium Paulus, quòd caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnẽ. Nec alia ratione probat omnes qui ſub Lege ſunt,maledictioni ſubiectos,niſi quia ſcriptũ ſit, maledictos omnes qui nõ permanſerint in omnibus eius mandatis: innuẽs ſcilicet,imò pro confeſſo aſſumẽs, neminẽ permanere poſſe.Quicquid autem Scripturis prædictũ eſt,id pro perpetuo,adeóque pro neceſſario haberi docet. Eiuſmodi argutia vexabant Auguſtinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo ſi plus iubeat quàm per eius gratiam præſtare queãt fideles. Ille, vt effugeret calumniam,fatebatur poſſe quidẽ Dominum,ſi vellet, hominem mortalem in Angelicam puritatem euehere: ſed neque feciſſe vnquam,nec facturum, quòd aliter in Scripturis aſſeruiſſet.Id neque ego inficior:ſed addo tamen, importunè de potentia Dei diſputari contra eius veritatem.ideo cauillis non eſſe obnoxiam ſententiam,ſiquis dicat fieri non poſſe quod non futurum Scripturæ pronuntiant. Verùm ſi de verbo diſputatur, Dominus rogantibus diſcipulis quis poſſit ſaluus eſſe,reſpondet,apud homines id quidem impoſſibile,apud Deum verò omnia poſſibilia. Validiſſima etiam ratione id contendit Auguſtinus,nũquam in hac carne reddere nos quem debemus legitimum Deo amorem. Amor, inquit,notitiam ita ſequitur,vt Deũ amare nemo perfectè poſſit qui non cognitam prius ad plenum habuerit eius bonitatẽ.Nos dum in mundo peregrinamur,cernimus per ſpeculum & in ænigmate: ſequitur ergo imperfectum eſſe noſtrum amorem. Sit ergo extra controuerſiam,impoſſibile eſſe in hac carne Legis implementum,ſi naturæ noſtræ impo-

1.Reg.8.c.46
Pſal.143.a.2
Galat.5.17
Galat.3.b.10
Deut. 27. d. 26
Mat.19.d.25
De ſpiritu & litera, in fine,& ſæpe aliàs.
Rom.8.a.3

tentiam intuemur, quemadmodum & ex Paulo alibi adhuc ostendetur.

6 Sed quo tota res melius patefiat, officium vsúmque Legis quam moralem vocant, succincto ordine recolligamus. Porrò tribus istis partibus, quãtum intelligo, continetur: Prima est, vt dum iustitiam Dei ostẽdit, id est, quæ sola Deo accepta est, suæ vnumquenque iniustitiæ admoneat, certiorẽ faciat, conuincat denique ac condẽnet. Sic enim opus est, cæcum & ebrium amore sui hominẽ, ad notitiam simul & cõfessionẽ suæ tum imbecillitatis tum impuritatis adigi: quando nisi vanitas eius euidẽter redarguatur, insana virium suarum cõfidentia inflatus est, nec adduci vnquam potest vt de earũ tenuitate sentiat, quantisper eas arbitrii sui modo metitur. At qui simulac eas comparare ad Legis difficultatem cœpit, habet illic quod ferociam minuat. Vtcũque enim ingentem de iis opinionem præsumpserit, mox tamen eas sub tanto põdere anhelare sentit: deinde titubare ac labascere, tandem concidere etiam ac deficere. Sic Legis magisterio eruditus, exuit illam, qua prius cæcutiebat arrogantiam. Similiter altero, quo ipsum laborare dictum est, superbiæ morbo sanandus est. Quandiu iudicio suo stare permittitur, hypocrisin comminiscitur pro iustitia: qua cõtentus, factitiis nescio quibus iustitiis aduersus Dei gratiam erigitur. Postquam verò ad Legis trutinam examinare vitam suam cogitur, omissa commentitiæ illius iustitiæ præsumptione, immenso spatio se abesse à sanctitate cernit: rursus infinitis vitiis se abundare, quibus purus antea videbatur. Tã profundis enim ac sinuosis recessibus absconduntur concupiscentiæ mala, vt hominis aspectum facilè fallãt. Nec sine causa dicit Apostolus, se concupiscentiam ignorasse nisi Lex diceret, Non cõcupisces: quia nisi per illam retegatur ex latebris suis, occultius miserum hominẽ perdit quàm id exitiale eius telum sentiatur.

Rom.7.b.7

7 Ita Lex instar est speculi cuiusdam, in quo nostram impotentiam, tum ex hac iniquitatem, postremò ex vtraque maledictionem cõtemplamur: quemadmodum oris nostri maculas speculum nobis repræsentat. Quem enim ad sequendam iustitiam destituit facultas, hic in luto peccatorum hæreat defixus necesse est. Peccatum continuò maledictio sequitur. Ideo quo maioris transgressionis deprehensos conuictósque Lex tenet, eo grauioris simul iudicii reos agit. Huc pertinet Apostoli dictũ, quòd per Legem est cognitio peccati. Primũ enim eius officium illic tantùm notat, cuius experimentum est in peccatoribus nondum regeneratis. Huic cõiuncta sunt ista, Legẽ esse subingressam vt abundaret peccatũ, ac proinde esse administrationem mortis, quæ iram operetur, & occidat. Eo enim magis haud dubiè crescit iniquitas, quo liquidiore peccati intelligẽtia conscientia feritur: quòd ad præuaricationẽ tunc aduersus Legislatorem contumacia accedit. Restat igitur vt iram Dei in peccatoris exitiũ armet: quia nihil per se potest quàm accusare, damnare, & perdere. Et quemadmodũ scribit Augustinus, si desit Spiritus gratiæ, in hoc tantùm adest vt reos faciat & occidat. Id autem quũ dicitur, nec ignominia afficitur Lex, nec eius quidem excellentiæ quicquam derogatur. Sanè si voluntas nostra tota in eius obediẽtiam formata compositáque foret, planè iam ad salutẽ sufficeret sola ipsius cognitio: at quũ natura nostra carnalis & corrupta cum spirituali Dei Lege hostiliter pugnet, nec eius disciplina quicquam emendetur, superest vt Lex quæ in salutẽ (si auditores idoneos nacta fuisset) data erat, in peccati & mortis occasionẽ cedat. Quandoquidem enim omnes eius trãsgressores esse cõuincimur, quo iustitiã Dei clarius referat, eo nostram ex aduerso iniquitatẽ magis detegit: quo vitæ salutísque præmium iustitiæ repositũ certius cõfirmat, eo certiorẽ iniquorum interitũ reddit. Tantũ ergo abest quin Legi cõtumeliosa sint ista elogia, vt ad illustriorẽ diuinæ beneficentiæ cõmendationem plurimũ valeãt. Nã inde profectò patet, nostra nequitia & prauitate nos impediri quominus vitæ beatitudine per Legẽ in propatulo posita fruamur. Vnde suauior redditur, quæ sine Legis subsidio nobis succurrit Dei gratia: & amabilior, quæ illam nobis confert, misericordia, qua discimus, identidem benefaciendo, & noua dona cumulando nunquam ipsum fatigari.

Rom.3.c.20
Rom.5.d.20
2.Cor.3.b.7
Rom.4.c.15
De corrept. & gratia.
Vide Ambr. cap.1. de Iac. & vita beata, cap.6.

8 Quòd autem omniũ nostrũm iniquitas & damnatio, Legis testimonio consignatur, non ideo fit (si tamen ritè in ea proficimus) vt concidamus desperatione, ac desponsis animis in præcipitium corruamus. In hunc certè modum illinc exanimantur reprobi: sed ob animi obstinationem. Apud filios Dei alium esse eruditionis finem cõuenit. Nos quidẽ iudicio Legis damnatos esse testatur Apostolus, quo omne os obstruatur, & obnoxius reddatur omnis mundus Deo. Idem tamen alibi docet, Deũm omnes sub incredulitate conclusisse, non vt perdat, aut omnes perire sinat, sed vt omnium misereatur. Nempe vt

Rom.3.c.19
Rom.11.d.32

omissa

omissa suæ virtutis stolida opinione, sola Dei manu stare se & consistere intelligãt, vt nudi & vacui ad eius misericordiam confugiant, in hanc se toti reclinent, in hanc penitus se abdant, hanc vnam pro iustitia & meritis arripiant, quæ omnibus in Christo exposita est quicunque eam vera fide & expetũt & expectant. Deus enim in Legis præceptis nonnisi perfectæ iustitiæ, qua nos omnes destituti sumus, remunerator: contrà autem seuerus scelerum iudex apparet. In Christo autẽ facies eius gratiæ ac lenitatis plena, erga miseros etiam ac indignos peccatores relucet.

9 De profectu ad implorandam auxilii gratiã sæpe Augustinus: vt quum scribit Hilario, Iubet Lex vt facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub Lege fatigati, adiutoriũ gratiæ poscere nouerimus. Item Asellio, Vtilitas Legis est vt hominem de sua infirmitate conuincat, & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat. Item ad Innocentium Romanum, Iubet Lex: gratia vires agendi subministrat. Item Valentino, Iubet Deus quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Item, Data est Lex vt vos reos faceret: rei facti, timeretis: timentes, indulgentiam petereti: de viribus vestris nõ præsumeretis. Item, Ad hoc data est Lex, vt de magno paruulum faceret: vt te ad iustitiam vires de tuo non habere mõstraret, ac sic inops, indignus, ac egenus ad gratiam confugeres. Postea sermonem ad Deum dirigit. Ita fac Domine, ita fac misericors Domine: impera quod non possit impleri: imò impera quod nonnisi per gratiam tuam possit impleri: vt quum homines id implere per suas vires nequiuerint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur. Sint omnes paruuli, & reus fiat omnis mundus coram Deo. Sed ego ineptus sum qui tot testimonia congero, quum proprium opus scripserit sanctus ille vir, cui titulum fecit De spiritu & litera. Secundum profectum nõ tam significanter describit, vel quòd dependere ex illo priore nouerat, vel quòd non ita probè tenebat, vel quòd verba non habebat quibus rectum alioqui sensum ita distinctè & perspicuè explicaret. Neque tamen in reprobis quoque ipsis primum hoc Legis officium cessat. Quanquam enim cum filiis Dei non hucvsque pergunt vt post carnis deiectionem interiore homine renouentur ac refloresc ãt, sed primo terrore attoniti in desperatione iacent: pertinet tamen ad manifestandam diuini iudicii æquitatem, eiusmodi fluctibus eorum conscientias exagitari. Siquidem libenter semper cupiunt aduersus Dei iudicium tergiuersari: nunc illo nondum patefacto, Legis tamen & conscientiæ testimonio sic consternati, in seipsis produnt quid meriti sint.

Epist. 89
Epist. 200
Epist. 95
Lib. de corrept. & grat.
In Psal. 70
In Psal. 118
Cõcione 27

10 Secundum Legis officium est vt qui nulla iusti rectíque cura, nisi coacti, tanguntur, dum audiunt diras in ea sanctiones, coerceantur saltem pœnarum formidine. Coercẽtur autem, non quòd interior eorum animus permoueatur aut afficiatur: sed quia, tanquam iniecto fræno, manus ab exteriori opere continent, & suam prauitatem intus cohibent, quam alioqui petulanter effusuri erant. Ex eo nec meliores quidem sunt, nec apud Deum iustiores. Nam tametsi vel terrore vel pudore impediti exercere nõ audent quod animo conceperunt, nec suæ libidinis furias palàm efflare, cor tamen nõ habent compositum ad timorem & obedientiam Dei: imò quo magis sese retinent, eo fortius intus accenduntur, feruent, bulliunt, parati quiduis facere, & quouis prorumpere nisi hic terror Legis obstaret. Nec id solùm, sed Legem quoque ipsam pessimè oderũt, & Deum Legislatorem execrantur, vt eum, si possent, maximè velint tollere, quem nec rectà iubentem, nec suæ maiestatis contemptores vlciscẽtem ferre possunt. Aliis quidem obscurius, aliis clarius, omnibus tamen nondum regeneratis hic sensus inest, vt non volũtaria submissione, sed inuiti ac restitantes, tantùm timoris violentia ad Legis studium trahantur. Sed tamen hæc coacta expressãque iustitia, necessaria est publicæ hominum communitati, cuius hîc trãquillitati consulitur, dũ cauetur ne omnia permisceãtur tumultu: quod fieret si omnia omnibus licerent. Quinetiã filiis Dei non est inutile hac pædagogia exerceri, quantisper ante vocationem, Spiritu sanctificationis destituti, insipiẽtia carnis lasciuiunt. Dum enim diuinæ vltionis terrore vel ab externa petulantia retrahuntur, vtcunque nondum animo domiti parum in præsentia promoueant, aliqua tamen ex parte ferendo iustitiæ iugo assuefiunt: ne quum vocati fuerint, sint ad disciplinam ceu ad rem incognitam, rudes prorsus ac nouitii. Hoc officium videtur Apostolus propriè attigisse, quum tradit Legem non esse iusto positam, sed iniustis & immorigeris, impiis & peccatoribus, sceleratis & profanis, parricidis, homicidis, fornicariis, pæderastis, plagiariis, mendacibus ac periuris: & siquid aliud sanæ doctrinæ aduersatur. Indicat enim esse exultanti- 1. Tim. 1. b 9

bus,& ſine modo alioquin vagaturis carnis libidinibus,retinaculum.

Galat.3.d.24 11 Ad vtrunque verò accõmodari poteſt quod alibi dicit, Legem fuiſſe Iudæis pædagogum ad Chriſtum. ſiquidem duo ſunt hominum genera quos ad Chriſtum ſua pædagogia manuducit. Alii(de quibus primo loco diximus)quia propriæ aut virtutis,aut iuſtitiæ fiducia nimis pleni ſunt, recipiẽdæ Chriſti gratiæ nõ ſunt idonei, niſi prius ſint exinaniti. Ergo eos miſeriæ ſuæ agnitione Lex ad humilitatem ſubigit,quo ita præparentur ad expetendum quod ſibi antea deeſſe non putabant. Alii opus habent fræno quo retineãtur, ne ita laxent fræna carnis ſuæ laſciuiæ vt ab omni iuſtitiæ ſtudio prorſus excidãt. Vbi enim nondum regit Spiritus Dei,illic ſic ebulliunt interdum libidines,vt periculum ſit ne animam ſibi obnoxiam in obliuionem contemptúmque Dei demergant: & fieret niſi Dominus hoc remedio obuiam iret. Itaque quos ad regni ſui hereditatẽ deſtinauit, ſi non ſtatim regenerat,ad tempus ſuæ viſitationis conſeruat per Legis opera ſub timore, non illo quidem caſto & puro qualis in eius filiis eſſe debet, vtili tamen ad hoc vt ad veram pietatem pro ſuo captu erudiantur. Huius rei tot habemus documenta, vt minimè opus ſit exemplo. Quicunque enim aliquandiu in ignoratione Dei verſati ſunt,hoc ſibi accidiſſe fatebuntur vt Legis fræno retinerentur in qualicunque Dei metu & obſeruantia,donec Spiritu regenerati,ex animo ipſum amare inciperent.

12 Tertius vſus,qui & præcipuus eſt,& in proprium Legis finem propius ſpectat,erga fideles locum habet,quorũ in cordibus iam viget ac regnat Dei Spiritus. Nam tametſi digito Dei Legem ſcriptam & inſculptam habent in cordibus, hoc eſt, ſic affecti ſunt & animati per Spiritus directionem vt obtemperare Deo cupiant: bifariam tamẽ adhuc in Lege proficiunt. Eſt enim illis optimum organum quo melius in dies ac certius diſcant qualis ſit Domini voluntas,ad quam aſpirant: atque in eius intelligentia confirmentur. Vt ſiquis ſeruus iam ita ſit toto animi ſtudio comparatus vt domino ſuo ſe approbet, neceſſe tamen habet mores domini explorare accuratius & obſeruare, ad quos ſe componat & accommodet. Nec ſe quiſpiam noſtrûm ab hac neceſſitate eximat. nemo enim eò ſapientiæ adhuc penetrauit vt non poſſit ex quotidiana Legis eruditione nouos facere progreſſus in puriorem diuinæ voluntatis notitiam. Deinde quia non ſola doctrina, ſed exhortatione quoque indigemus, hanc quoque vtilitatem ex Lege capiet ſeruus Dei, vt frequenti eius meditatione excitetur ad obſequium, in eo roboretur, à delinquẽdi lubrico retrahatur. In hũc enim modum ſanctos ſibi inſtare oportet, qui ſecundùm Spiritum quantalibet alacritate ad Dei iuſtitiam contendant, carnis tamen ignauia ſemper onerantur quominus legitima promptitudine pergant. Huic carni Lex flagrũ eſt, quo inſtar inertis tardíque aſini,ad opus vrgeatur. imò ſpirituali homini,quia nondum carnis mole expeditus eſt, aſſiduus aculeus erit qui deſidere illum non permittat. Nimirum in hunc

Pſal.19.c.8 vſum reſpiciebat Dauid,quum inſignibus illis encomiis Legem celebraret,Lex Domini immaculata,conuertens animas:iuſtitiæ Domini rectæ,lætificantes corda:præceptũ Do-

Pſal.119.105 mini lucidum,illuminans oculos,&c. Item,Lucerna pedibus meis verbum tuũ,& lumen ſemitis meis. ac innumera quæ toto illo Pſalmo proſequitur. Neque verò repugnant iſta Paulinis ſententiis quibus oſtenditur, non quem regeneratis vſum Lex præſtet, ſed quid homini per ſe conferre queat. Hîc autem canit Propheta quanta cum vtilitate Legis ſuæ lectione eruditat Dominus eos quibus intus obſequendi prõptitudinem aſpirat: nec ſola præcepta arripit,ſed rebus annexam gratiæ promiſſionẽ,quæ ſola facit vt quod amarum eſt dulceſcat. Quid enim Lege minus amabile, ſi flagitãdo tantùm & minando metu ſolicitet animas,& terrore angat? Præſertim verò oſtendit Dauid, ſe in Lege Mediatorem apprehendiſſe,ſine quo nulla eſt oblectatio vel ſuauitas.

13 Quod diſcernere dum imperiti quidam neſciunt, totum Moſen animoſè explodunt,duáſque Legis tabulas valere iubẽt: quia ſcilicet Chriſtianis alienum eſſe arbitrantur adhærere doctrinæ quæ mortis adminiſtrationem continet. Faceſſat longè ex animis noſtris profana iſtæc opinio. pulchrè enim docuit Moſes, Legẽ,quæ apud peccatores nihil quàm mortem generare poteſt,in ſanctis meliorem præſtantioremque habere debere

Deut.32.g. 46 vſum. Sic enim moriturus populo edixit, Ponite corda veſtra in omnia verba quæ ego teſtificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis veſtris, doceatíſque cuſtodire, facere & implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt in volumine Legis huius,quia non incaſſum præcepta ſunt vobis,ſed vt ſinguli in eis viuerent. Quòd ſi abſolutum in ea iuſtitiæ exemplar eminere nemo inficietur, aut nullam eſſe nobis rectè iuſtéque viuendi regulã oportet,aut ab ea ne-

fas eſt

fas est discedere. Siquidem non plures, sed vna est perpetua & inflexibilis viuendi regula. Quamobrem quòd iusti hominis vitam in Legis meditatione continuam facit Dauid, id ne ad seculum vnum referamus, quia singulis ad finem mundi ætatibus conuenientissimũ est: nec absterreamur ideo, aut refugiamus ab eius institutione quòd exactiorẽ multo sanctitatẽ præscribat quàm præstaturi sumus dum circũferemus carcerẽ corporis nostri. Non enim iam rigidi exactoris vicem erga nos fungitur, cui non satisfiat nisi soluto pẽso: sed in hac ad quam nos adhortatur perfectione, metã demonstrat ad quam nobis tota vita contendere non minus vtile est quàm officio nostro cõsentaneum. In qua contentione si non deficimus, bene est. Stadium nanque est tota hæc vita, cuius decurso spatio, dabit Dominus vt metam illam, ad quam nunc eminus nituntur nostra studia, teneamus. Psal.1.a.2

14 Nunc ergo quoniam vim exhortationis erga fideles habet Lex, non quæ eorum conscientias maledictione liget, sed quæ pigritiam, subinde instando excutiat, & imperfectionem vellicet: multi dum volunt significare hanc ab illius maledictione liberationem, dicunt abrogatam esse Legem fidelibus (de morali adhuc loquor) nõ quòd amplius illis non iubeat quod rectũ est, sed duntaxat ne sit illis quod antea erat, hoc est, ne eorum conscientias perterrendo & confundendo, damnet ac perdat. Et sanè talem Legis abrogationem non obscurè docet Paulus. A Domino quoque fuisse prædicatam ex eo apparet quòd opinionem illam de Lege à se dissipãda non refutasset nisi inualuisset inter Iudæos. Quũ autem nõ potuerit temerè, sine vllo prætextu, emergere: credibile est, ab eius doctrinæ falsa interpretatione fuisse natã: qualiter cũcti ferè errores occasionẽ à veritate sumere consueuerũt. Nos verò, ne ad eundẽ impingamus lapidẽ, accuratè distinguamus quid in Lege sit abrogatũ, quid firmum adhuc maneat. Quũ testatur Dominus se nõ venisse ad Legem abolendam, sed adimplendã: nec præteriturũ, donec cælum ac terra trãseant, apicem ex Lege quin omnia fiant: nihil de obseruantia Legis per suum aduentũ detractum iri satis confirmat. Et meritò: quando in hunc finẽ potius venit vt eius transgressionibus mederetur. Manet igitur per Christũ inuiolabilis Legis doctrina, quæ nos docẽdo, admonendo, obiurgando, corrigendo, ad omne opus bonum formet ac comparet. Mat.5.b.17

15 Quæ verò de maledictione dicuntur à Paulo, non ad institutionem ipsam pertinere, sed solùm constringendæ conscientiæ vigorem, cõstat. Non enim solùm docet Lex, sed imperiosè exigit quod mandat. Si non exhibeatur, imò siqua in parte ab officio cesse-tur, maledictionis fulmen stringit. Hac ratione dicit Apostolus, omnes qui sunt ex operibus Legis, esse execrationi obnoxios, quia scriptum sit, Execrabilis omnis qui non complet omnia. Eos autem sub operibus Legis dicit qui in remissione peccatorum iustitiam non statuunt, per quam à Legis rigore soluimur. Solui ergo nos à Legis vinculis oportere docet, nisi volumus sub illis miserè perire. Sed quibus vinculis? illius austeræ & infestæ exactionis quæ ex summo iure nihil remittit, nec transgressionem vllam impunitam sinit. Ab hac, inquam, maledictione vt nos redimeret Christus, factus est pro nobis maledictio. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Capite quidem sequenti tradit, Christum Legi fuisse subiectum vt eos qui sub Lege erant redimeret: sed eodem sensu. subdit enim continuò, Quo ius filiorum, adoptione reciperemus. Quid istuc est? ne perpetua seruitute premeremur, quæ conscientias nostras anxietate mortis compressas teneret. Interim manet illud semper inconcussum, ex Legis authoritate nihil decessisse quin eadem semper veneratione obedientiáque ipsam susci pi à nobis conueniat. Galat.3.b.10 Deu.27.d.26 Galat.3.b.13 & 4.a.4 Deu.21.d.23

16 Alia ceremoniarum ratio, quæ non effectu, sed vsu solo fuerunt abrogatæ. Quòd autem illis finem aduentu suo Christus imposuit, adeò nihil earum sanctitati derogat vt eam magis commendet ac illustret. Nam sicuti veteri populo inane præbuissent spectaculum nisi mortis & resurrectionis Christi virtus illic monstrata esset: ita nisi cessassent, discernere hodie non liceret quorsum fuissent institutæ. Ideo Paulus, vt earum obseruationem non superuacuam modò, sed noxiam quoque esse probet, vmbras fuisse docet, quarum nobis extat in Christo corpus. Videmus ergo vt in earum abolitione melius refulgeat veritas, quàm si adhuc procul & quasi obtento velo Christũ qui palàm apparuit figurarẽt. Ideo & Christi morte velum templi in duas partes sciissum cecidit: quia iam viua & expressa cælestium bonorũ imago in lucem prodierat, quæ obscuris tantùm lineamẽtis inchoata fuerat, sicuti loquitur author epistolæ ad Hebræos. Huc pertinet dictum Christi, Legem & Prophetas fuisse vsque ad Iohannem: ex eo regnum Dei cœpisse euangelizari. non quòd prædicatione quæ spem salutis & vitæ æternæ cõtinet, priuati fuerint Coloss.2.c.17 Mat.27.f.51 Cap.10.a.1 Luc.16.d.16

sancti Patres: sed quia procul & sub vmbraculis intuiti sunt duntaxat quod hodie in plena luce conspicimus. Cur autem Ecclesiam Dei ab illis rudimentis altius transcendere
Iohan.1.c.17 oportuerit, explicat Iohannes Baptista, Quòd Lex per Mosen data sit, gratia autem & veritas per Iesũ facta. Quia etsi verè expiatio in veteribus sacrificiis promissa fuit, & arca fœderis certum fuit paterni Dei fauoris pignus: hoc totum vmbratile fuisset, nisi in Christi gratia fundatum, vbi reperitur solida æternáque stabilitas. Hoc quidem fixum maneat, quãuis seruari desierint ritus legales, ipso tamen fine melius cognosci quãta fuerit eorum vtilitas ante Christi aduentũ, qui vsum tollendo, vim & effectum sua morte obsignauit.

Colos.2.c.13 17 Paulo plus difficultatis habet quæ notatur à Paulo ratio, Et vos quũ essetis mortui per delicta & præputium carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum in decretis, quod erat nobis cõtrarium: & ipsum tulit è medio, affigẽs cruci, &c. Videtur enim Legis abolitionem aliquantum vltrà dilatare, vt nihil iam nobis sit cum illius decretis. Errant enim qui simpliciter de Lege morali accipiunt, cuius tamen inexorabilem magis seueritatẽ, quàm doctrinam abolitam interpretantur. Alii acutius pensiculantes Pauli verba, perspiciũt in Legem ceremonialem propriè competere: & ostendunt, id nõ semel apud Paulum sonare vocabu-
Ephes.2.c.14 lum Decreti: nam ad Ephesios quoque ita loquitur, Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, Legem mandatorũ in decretis sitam euacuãs, vt duos conderet in seipso, in vnum nouum hominem. De ceremoniis illic agi, minimè ambiguum: quia interstitium vocat, quo Iudæi à Gentibus diffidebant. Quare priores illos ab his iure reprehẽdi fateor: sed ab his quoque nondum bene explicari mẽs Apostoli mihi videtur. Nam illos duos locos simul per omnia comparari, nullo modo placet. Ephesios quum de sua in societatem Israelis cooptione certiores facere vellet, impedimentum quo arcebantur olim, sublatum docet: illud erat in ceremoniis. Ritus enim ablutionum & sacrificiorum quibus Iudæi Domino consecrabantur, eos à Gẽtibus segregabant. At in epistola ad Colossenses sublimius mysterium attingi quis non videat? Certamen est quidem illic de Mosaicis obseruationibus, ad quas pseudoapostoli Christianum populum adigere studebãt: sed quẽadmodum in Epistola ad Galatas cõtrouersiam illam altius ducit, & quodammodo ad fontẽ suum reuocat: ita & hoc loco. Nam si in ritibus nihil aliud consideras quàm defungendi necessitatem, quorsum attinebat vocari chirographũ contrarium nobis? præterea in eo totam propè redemptionis nostræ summam ponere, vt induceretur? Quare res ipsa clamat, hîc aliquid interius reputandum esse. Ego autem confido me germanam intelligẽtiam assequutum, si tamen mihi verum esse conceditur quod alicubi verissimè ab Augustino scri-
Heb.7.9.10 ptum est, imò quod ex claris Apostoli verbis hausit, in ceremoniis Iudaicis cõfessionem magis delictorum extitisse quàm expiationem. Quid enim sacrificiis aliud agebãt quàm se mortis conscios fatebantur, qui in suum locum catharmata substituebant? Quid purificationibus, nisi quòd se immundos testabantur? Ita renouabatur subinde ab illis & piaculi & impuritatis suæ chirographum: solutio in illa testificatione non erat. Qua ratione
Heb.9.d.15 scribit Apostolus, morte demum Christi intercedente, redẽptionem præuaricationum esse peractã, quæ manebant sub veteri Testamẽto. Meritò ergo chirographa vocat Apostolus, suis cultoribus aduersa: quando per illa suam damnationem ac immunditiem palàm consignabant. Nec obest, quòd illi quoque eiusdem nobiscum gratiæ participes fuerunt. Id enim sunt assequuti in Christo, non in ceremoniis quas illic à Christo discernit Apostolus: quoniam Christi gloriam, tum vsurpatæ, obscurabãt. Habemus ceremonias, si per se considerẽtur, eleganter & appositè vocari chirographa, hominũ saluti contraria: quia velut solennia instrumenta erant, quæ ipsorum obligationem testarẽtur. Illis quum vellent rursum Christianam Ecclesiam astringere pseudoapostoli, non sine causa Paulus altius repetita earum significatione, Colossenses admonuit, quò relaberentur, si subiugari se in eum modũ ab ipsis passi essent. Simul enim illis excutiebatur Christi beneficium: quatenus, peracta semel æterna expiatione, quotidianas illas obseruationes aboleuit: quę ad peccata consignanda tantùm validæ, ad eadem delenda nihil poterant.

Legis moralis explicatio. CAP. VIII.

HIC decem Legis præcepta, cum breui eorũ explicatione, inferere non alienum fore arbitror: quia & inde melius patebit quod attigi, quẽ semel Deus præscripsit cultum adhuc vigere: deinde accedet secundi capitis confirmatio, non solùm didicisse ex ea Iudæos quænam esset vera pietatis ratio, sed horrore

horrore iudicii,quũ ſe obſeruationi viderent impares, fuiſſe ſubactos vt vel inuiti ad Mediatorem traherentur.Porrò inter explicandã eorum ſummã quæ in vera Dei notitia requiruntur,docuimus non poſſe ipſum pro ſua magnitudine à nobis concipi quin ſtatim occurrat eius maieſtas quæ nos ad eius cultũ adſtringat. In cognitione noſtri hoc præcipuũ poſuimus,vt propriæ virtutis opinione vacui,& propriæ iuſtitiæ fiducia exuti:cõtrà, egeſtatis conſcientia fracti & cõtuſi,ſolidã humilitatem diſcamus,ac noſtri deiectionem. Vtrũque in Lege ſua Dominus exequitur, vbi primùm vindicata ſibi legitima imperandi poteſtate, ad numinis ſui reuerentiam nos vocat,atque in quo ſita ea ſit & conſtituta præſcribit: deinde,promulgata iuſtitiæ ſuæ regula(cuius rectitudini ingeniũ noſtrum, vt prauum eſt & contortum,perpetuò aduerſatur: & infra cuius perfectionem facultas noſtra, vt imbecilla eſt & ad bonũ eneruata,procul iacet) tũ impotentiæ nos, tum iniuſtitiæ arguit.Porrò hæc ipſa quæ ex duabus tabulis diſcenda ſunt, quodãmodo nobis dictat lex illa interior, quam omniũ cordibus inſcriptã & quaſi impreſſam ſuperius dictũ eſt. Non enim ſinit nos perpetuum ſomnum ſine ſenſu dormire noſtra conſcientia,quin intus teſtis ſit ac monitrix eorum quæ Deo debemus, quin boni & mali diſcrimẽ nobis obiiciat, atque ita nos accuſet dum ab officio diſcedimus. Verùm, qua errorũ caligine obuolutus eſt homo, per legem illam naturalem vix tenuiter deguſtat quis Deo acceptus ſit cultus: certè à recta eius ratione longiſſimo interuallo diſtat. Ad hoc arrogantia & ambitione ſic turgidus, ſuíque amore excæcatus eſt, vt ſe proſpicere nondum queat, & velut in ſe deſcendere,quo ſubmittere ſe ac deiicere diſcat,ſuámque miſeriam fateri.Proinde(quod tũ hebetudini tum contumaciæ noſtræ neceſſarium erat) Dominus Legem ſcriptam nobis poſuit: quæ & certius teſtificaretur quod in lege naturali nimis obſcurum erat, & mentem memoriámque noſtram,excuſſo torpore,viuidius feriret.

2 Nunc promptum eſt intelligere quid ex Lege diſcendum ſit,nempe Deum, ſicut Creator eſt noſter,ita iure locũ patris & domini erga nos obtinere: hac ratione gloriam, reuerentiam,amorem, timorem illi à nobis deberi. Quinetiam nos non eſſe noſtri iuris, vt quocunque animi ſibido incitarit,ſequamur,ſed ab eius nutu ſuſpenſos, in eo ſolo debere conſiſtere,quod ei placuerit. Deinde iuſtitiam ac rectitudinem illi cordi eſſe,iniquitatem verò abominationi: ideóque, niſi velimus impia ingratitudine à conditore noſtro deficere,iuſtitiam tota vita nobis eſſe neceſſariò colendam.Nam ſi tum illi demum exhibemus quam decet reuerentiam dum voluntatem eius noſtræ præferimus: ſequitur non alium eſſe legitimum eius cultum, quàm iuſtitiæ,ſanctitatis, puritatis obſeruationẽ. Nec prætendere excuſationem licet, quòd facultas deſit, &,velut exhauſti debitores, ſoluendo non ſimus. Non enim conuenit vt Dei gloriam metiamur ex noſtra facultate.qualeſcunque enim ſimus, manet ille ſui ſimilis ſemper, amicus iuſtitiæ, iniquitati infenſus. Quicquid à nobis exigat, (quia non poteſt niſi rectum exigere) ex naturæ obligatione obſequendi neceſſitas nos manet: quòd autem non poſſumus, id vitii noſtri eſt. A propria enim cupiditate,in qua peccatum regnat,ſi vincti tenemur,ne ſoluti ſimus in noſtri Patris obſequium, non eſt cur neceſſitatem pro defenſione cauſemur, cuius malum & intra nos eſt & nobis imputandum.

3 Vbi hucvſque per Legis doctrinã profecerimus,tũ ad nos,eadem docente,deſcendere oportet,vnde tandem duo referamus: Primùm, iuſtitiam Legis cũ vita noſtra comparando,longè abeſſe quin Dei voluntati reſpondeamus:ideóque indignos eſſe qui locũ noſtrum retineamus inter eius creaturas,nedum inter filios cẽſeamur. Deinde vires noſtras reputando, adimplendæ Legi non impares modò eas eſſe, ſed prorſus nullas. Hinc neceſſariò ſequitur tum propriæ virtutis diffidẽtia,tum animi anxietas & trepidatio.Neque enim iniquitatis pondus ſuſtinere poteſt conſcientia, quin mox Dei iudicium obuerſetur.Sentiri verò Dei iudicium non poteſt quin mortis horrorem incutiat. Similiter impotentiæ documentis coactá, facere nequit quin protinus in virium ſuarum deſperationem cõcidat. Vtraque affectio humilitatem ac deiectionem generat.ita fit demum vt homo æternæ mortis (quam iniuſtitiæ ſuæ meritò ſibi imminere videt) ſenſu perterrefactus,ad vnam Dei miſericordiam,tanquam ad vnicum ſalutis portum,ſeſe conuertat: vt ſuæ nõ eſſe facultatis ſentiens exoluere quod legi debet,in ſeipſo deſperabũdus,ad opem aliunde poſcendam & expectandam reſpiret.

4 Sedenim non contentus Dominus iuſtitiæ ſuæ reuerentiam cõciliaſſe: quò etiam eius amore,ſimul &,iniquitatis odio,corda noſtraimbueret,promiſſiones ac minas ſubiũ-

xit. Quia enim magis caligat mentis noſtræ oculus quàm vt ſola boni pulchritudine afficiatur, clementiſſimus Pater pro ſua indulgẽtia nos ad ipſum amandum & expetendum illectare præmiorum dulcedine voluit. Denuntiat ergo, repoſita virtutibus apud ſe præmia: nec operam fruſtra ſumpturũ qui præceptis ſuis fuerit obſequutus. Edicit ex aduerſo, nõ tantùm eſſe execrabilem ſibi iniuſtitiam, ſed nec impunè euaſuram: quòd ipſe contemptæ ſuæ maieſtatis vltor ſit futurus. Ac quò modis omnibus cohortetur, tã vitæ præſentis benedictiones, quàm æternam beatitudinẽ pollicetur eorum obedientiæ qui mandata ſua ſeruauerint: tranſgreſſoribus non minus præſentes calamitates, quàm æternæ mortis ſupplicium minatur. Illa enim promiſſio, Qui fecerit hæc, viuet in illis: item comminatio illi reſpondẽs, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: ad futuram proculdubiò & nunquam finiendam vel immortalitatem vel mortem ſpectant. Quanquam vbicunque cõmemoratur beneuolẽtia aut ira Dei, ſub illa æternitas vitæ, ſub hac æternum exitium continetur. Præſentiũ autem benedictionum ac maledictionũ longus in Lege catalogus recẽſetur. Atque in ſanctionibus quidem ſumma Dei puritas, quæ iniquitatem ferre non poteſt: in promiſſionibus verò, præter ſummum erga iuſtitiam amorem (quem præmio fraudare non ſuſtinet) mira quoque eius benignitas approbatur. Nam quum eius maieſtati cũ noſtris omnibus ſimus obærati, iure optimo quicquid requirit à nobis, tanquam debitum repoſcit. debiti autẽ ſolutio remuneratione digna non eſt. Iure igitur ſuo decedit quum præmium proponit noſtris obſequiis, quæ non vltrò ceu indebita exhibentur. Quid autem ipſæ nobis per ſe afferant partim dictum eſt, partim clarius iterum ſuo loco apparebit. ſatis in præſentia eſt ſi tenemus ac reputamus eſſe in Legis promiſſionibus nõ vulgarem iuſtitiæ commendationem: quò certius conſtet, quantopere Deo placeat eius obſeruatio: ſanctiones in maiorem iniuſtitiæ execrationem eſſe poſitas, ne vitiorũ blanditiis delibutus peccator, iudicium Legiſlatoris ſibi paratum obliuiſcatur.

Leuit. 18. a. 5 Ezech. 18. a. 4 & c. 20.

Leuit. 26. a. 4 Deut. 28. a. 1

5 Porrò quòd Dominus, perfectæ iuſtitiæ regulam traditurus, omnes eius partes ad voluntatem ſuam reuocauit, in eo indicatur nihil eſſe illi acceptius obedientia. Quod eò diligentius obſeruandum eſt quò procliuior eſt humanæ mentis laſciuia ad varios identidem excogitãdos cultus quibus illum demereatur. Omnibus enim ſeculis hæc irreligioſa religionis affectatio (quia humano ingenio naturaliter inſita eſt) ſe prodidit, ac etiãnum prodit: quòd homines comparãdæ iuſtitię rationem præter Dei verbum ſemper comminiſci geſtiunt. Vnde in bonis quæ cõmuniter cenſentur operibus anguſtiorem locum tenent Legis præcepta, innumera illa humanorum turba totum ferè ſpatium occupante. At verò quid aliud Moſes quàm eiuſmodi libidinem cohibere ſtuduit, quum poſt Legis promulgationem ſic populũ cõpellaret? Obſerua & audi omnia quæ præcipio tibi, vt bene ſit tibi & filiis tuis poſt te in ſempiternum, quum feceris quod bonum eſt & placitum coram Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito: nõ addas, nec minuas. Atque antea, quum teſtatus eſſet, hanc eſſe eius ſapiẽtiam & intelligentiã coram reliquis nationibus, quòd iudicia, iuſtitias & ceremonias accepiſſet à Domino, ſubiecerat, Cuſtodi igitur teipſum & animam tuam ſollicitè, ne obliuiſcaris verborum quæ viderũt oculi tui, & ne aliquãdo excidãt è corde tuo. Quia ſcilicet prouidebat Deus, nõ quieturos Iſraelitas quin recepta Lege nouas præterea iuſtitias parturirent, niſi ſeuerè retinerẽtur: hîc iuſtitiæ perfectionem eſſe comprehenſam pronuntiat: quod validiſſimũ retinaculum eſſe debebat. nec tamen ab illa tantopere vetita audacia deſtiterunt. Quid nos? eodẽ certè dicto conſtringimur. non enim dubium quin perpetuò valeat illud quo abſolutam iuſtitiæ doctrinam Legi ſuæ Dominus vendicauit: illa tamen non contenti, bonis operibus aliis ſuper alia confingendis & cudendis prodigioſè laboramus. Huic ſanãdo vitio remedium optimum erit ſi cõſtanter inſederit hæc cogitatio, Legem nobis eſſe diuinitus traditam, quæ nos perfectam iuſtitiam edoceret: illic nõ aliam iuſtitiam doceri niſi quæ ad præſcriptum diuinæ voluntatis exigatur: fruſtra igitur nouas operum formas ad demerendum Deum tẽtari, cuius legitimus cultus ſola cõſtat obedientia. Quin potius quod extra Dei Legem euagetur bonorum operum ſtudium, eſſe diuinæ veræque iuſtitiæ non tolerãdam profanationem. Veriſſimè quoque Auguſtinus, qui nunc matrem cuſtodémque virtutum omnium, nunc originem appellat, obedientiam quæ Deo præſtatur.

Deut. 12. d. 28

Deut. 4. b. 9

Lib. 4. de ci. Dei cap. 12. de bono cõiugali. Contra aduerſarios Legis & Prophetarum.

6 Verùm vbi Lex Domini explicata nobis fuerit, tũ aptius demum & maiore cum fructu quod de ipſius officio vſúq; antè diſſerui cõfirmabitur. Antè verò quàm ad exequtienda ſingula capita ingredimur, quæ ad vniuerſalem eius notitiã faciunt, modò præci-

pere

pere operæpretiũ eſt. Initiò conſtitutum ſit, non ad externam honeſtatem modò, ſed ad interiorem ſpiritualémque iuſtitiam, hominis vitam in Lege informari. Quod quum inficiari nemo queat, pauciſſimi tamen ritè animaduertũt. Id fit quia in Legiſlatorem non reſpiciunt: à cuius ingenio natura quoque Legis æſtimanda eſt. Siquis rex edicto ſcortari, occidere, furari prohibeat: ſanctione, fateor, non tenebitur. ſiquis ſcortandi, occidendi, furandi cupiditatem animo cõceperit tantùm, nihil eorum perpetrarit. Nempe, quia mortalis Legiſlatoris prouidentia nonniſi ad externam ciuilitatem protenditur, non violantur eius interdicta niſi patratis flagitiis. Deus autem (cuius oculum nihil fugit, & qui externam ſpeciem non tam moratur quàm cordis puritatem) ſub ſcortationis, homicidii, furti interdicto, libidinem, iram, odium, alieni appetentiam, dolum, & quicquid tale eſt, vetat. Nam quũ ſit ſpiritualis Legiſlator, animæ non minus quàm corpori loquitur. Homicidium autem animæ, ira eſt ac odium: furtum, mala cupiditas & auaritia: ſcortatio, libido. Leges etiam humanæ (dicet quiſpiam) conſilia & voluntates ſpectant, non fortuitos euentus. Fateor: ſed quæ extrà emerſerunt. Quo animo vnumquodque facinus editum fuerit, expendunt: ſed arcanas cogitationes non ſcrutantur. Proinde illis ſatisfactum fuerit vbi quis manum duntaxat continuerit à trãſgreſſione: contrà autem, quia animis noſtris lata eſt Lex cæleſtis, eorum coercitio ad iuſtam eius obſeruationem in primis neceſſaria eſt. At vulgus hominum, etiam dum Legis contemptum fortiter diſſimulat, oculos, pedes, manus, & omnes corporis partes in aliquam Legis obſeruationem componit: cor ob omni obedientia alieniſſimum interim retinet, ac ſe defunctum putat ſi probè homines celauerit quod gerit in conſpectu Dei. Audiunt, non occides, non mœchaberis, non furaberis: gladium ad cædem non exerunt: corpora ſua meretricibus non commiſcent: manus alienis bonis non iniiciunt. Hæc omnia bene hactenus: ſed cædes totis animis ſpirant, feruent in libidinem, omnium bona oculis retortis aſpiciunt, & cupiditate deuorãt. Iam verò deeſt quod præcipuũ erat Legis. Vnde quæſo tã craſſus ſtupor, niſi quòd omiſſo Legiſlatore, iuſtitiam ſuo magis ingenio accommodant? His fortiter reclamat Paulus, affirmans Legem eſſe ſpiritualem: quo ſignificat, non modò animæ, mẽtis, voluntatis obſequium exigere, ſed requirere Angelicam puritatẽ, quæ omnibus carnis ſordibus abſterſa, nihil quàm ſpiritum ſapiat. Rom. 7. c. 14

7 Hunc quum eſſe Legis ſenſum dicimus, non nouam ex nobis interpretationem ingerimus, ſed Chriſtum ſequimur optimũ Legis interpretẽ. Quũ enim Phariſæi peruerſa opinione populum imbuiſſent, Legem perficere qui externo opere nihil aduerſus Legem perpetraſſet: hũc periculoſiſſimũ errorem arguit: & impudicum mulieris aſpectum, ſcortationẽ eſſe pronuntiat: homicidas teſtatur quicunque fratrem oderint. facit enim reos iudicio, qui vel iram animo conceperint: reos cõſilio, qui murmurando aut fremendo aliquam offenſi animi ſignificationem dederint: reos gehennæ ignis, qui conuiciis & maledicentiã in apertam iram proſilierint. Hæc qui non viderunt, finxerunt Chriſtum alterum Moſen, Legis Euangelicæ latorẽ, quæ defectum Moſaicæ illius ſuppleuerit. Vnde illud vulgatum axioma de perfectione Legis Euangelicæ, quæ Legem veterem longo interuallo ſuperet. quod multis modis eſt pernicioſiſſimũ. Nam ex ipſo Moſe, vbi poſtea præceptorum ſummam colligemus, patebit quàm indignam contumeliam diuinæ Legi inurat. Patrum certè ſanctimoniam non procul ab hypocriſi abfuiſſe inſinuat, nóſque ab vna illa & perpetua iuſtitiæ regula deducit. Facillima autem eſt erroris confutatio: quòd putarunt Chriſtum Legi adiicere, vbi ſuæ tãtùm integritati reſtituit, dum Phariſæorum mendaciis obſcuratam & fermento inquinatam aſſerit & repurgat. Mat. 5. c. 21. & d. 24, & g. 43

8 Hæc nobis ſecunda ſit obſeruatio, plus ineſſe ſemper in præceptis ac interdictis quàm verbis exprimatur. quod tamen ſic temperandum eſt, ne ſit nobis inſtar Leſbiæ regulæ, qua freti, Scripturam licentioſè contorquentes, quodlibet è quolibet faciamus. Faciunt enim quidã hac immoderata excurrendi libertate, vt apud alios vileſcat Legis authoritas, aliis ſpes intelligẽtiæ cõcidat. Igitur ſi fieri poteſt, ineunda eſt via aliqua quæ nos ad Dei voluntatẽ recto ac ſolido greſſu deducat. Quærendum, inquam, quatenus excedere verborum fines debeat interpretatio: vt appareat, non attextam eſſe Legi diuinæ ex humanis gloſſis appendicẽ, ſed purum germanúmque Legiſlatoris ſenſum fideliter redditũ. Sanè adeò in omnibus ferè præceptis manifeſtæ ſunt ſynecdochæ, vt deridiculo iure ſit futurus qui Legis ſenſum ad verborũ anguſtias reſtringere velit. Vltra verba itaque progredi ſobriam Legis interpretationem palàm eſt: ſed quouſque, obſcurum manet, niſi

modus aliquis finiatur. Hunc ergo modum optimũ fore cenſeo,ſi ad præcepti rationem dirigatur:nempe vt in vnoquoque præcepto expendatur cur datum nobis fuerit. Exempli gratia,Omne præceptum aut imperatiuum eſt,aut prohibitorium. Vtriuſque generis veritas ſtatim occurrit ſi rationem, ceu finem, intuemur. vt præcepti quinti finis eſt,honorem eſſe iis reddendum quibus eum attribuit Deus. Hæc igitur præcepti ſumma, rectum eſſe,Deóque placere vt eos honoremus quibus aliquid excellẽtiæ largitus eſt: contemptum & contumaciam aduerſus eos, abominationi eſſe. Primi præcepti ratio eſt, vt Deus ſolus colatur. Summa igitur præcepti erit,veram pietatem,hoc eſt numinis ſui cultum Deo cordi eſſe: impietatem abominari. Sic in ſingulis præceptis inſpiciendum qua de re agatur:deinde quærẽdus finis,donec reperiamus quid propriè illic teſtetur ſibi placere Legiſlator,vel diſplicere. Demum ab eo ipſo ad cõtrarium ducenda ratiocinatio, in hunc modum,Si placet hoc Deo, contrarium diſplicet: ſi hoc diſplicet, contrarium placet.ſi hoc præcipit,contrarium vetat:ſi hoc vetat,contrarium præcipit.

9 Quod nunc ſubobſcurè attingitur, inter exponenda præcepta clariſſimum ipſa exercitatione fiet. Quare ſufficit attigiſſe, niſi quòd poſtremum membrũ(quod vel alioqui non intelligeretur,vel intellectũ,forſan abſonum initio videri poſſet)ſua probatione breuiter confirmandum erit. Probatione illud non eget, dum bonũ iubetur,vetari quod cum eo pugnat malũ.nemo eſt enim qui non concedat. Imperari quoque contraria officia,dum mala vetãtur,non ægerrimè recipiet cõmune iudicium. Virtutes quidem commẽdari,dum aduerſa vitia damnãtur,vulgare eſt.Sed nos plus aliquid poſtulamus quàm vulgò ſignificent iſtæ formulæ. Contrariam enim vitio virtutem, ferè interpretantur vitii ipſius abſtinentiam:nos eam vltrà procedere dicimus,ad officia ſcilicet factáque contraria.Itaque in hoc præcepto, Non occides, ſenſus hominum cõmunis nihil aliud conſiderabit quàm ab omni maleficio ac malefaciendi libidine abſtinẽdum eſſe.Ego præterea contineri dico, vt proximi vitam quibus poſſimus ſubſidiis adiuuemus. Ac ne ſine ratione loquar,ita confirmo,Deus vetat iniuria fratrẽ lædi aut violari,quia vitam eius charam nobis eſſe vult ac pretioſam:ſimul ergo poſtulat quæ ad illius conſeruationem conferri poſſunt officia charitatis. Atque ita videre eſt vt ſemper nobis finis præcepti referet quicquid illic facere aut iubemur aut vetamur.

10 Cur autem Deus ita velut dimidiis præceptis, per ſynecdochas ſignificarit magis quid vellet quàm expreſſerit, quum aliæ quoque rationes reddi ſoleant, hæc mihi in primis placet. quia peccatorum fœditatẽ(niſi vbi palpabilis eſt) diluere, & ſpecioſis prætextibus inducere ſemper caro molitur, quod erat in vnoquoque tranſgreſſionis genere deterrimum & ſceleſtiſſimum,exemplaris loco propoſuit,cuius ad auditum ſenſus quoque exhorreſceret, quo maiorẽ peccati cuiuſlibet deteſtationem animis noſtris imprimeret. Hoc nobis imponit ſæpius in æſtimandis vitiis:quòd ſi tectiora ſunt,eleuamus.Has præſtigias Dominus diſcutit quum nos aſſuefacit vniuerſam vitiorum multitudinem ad hæc capita referre quæ optimè quantum ſit in vnoquoque genere abominationis repræſentant. Exempli gratia, Ira & odium non vſqueadeo execranda putantur mala quum ſuis nominibus appellantur: at quum interdicuntur nobis ſub homicidii nomine, melius intelligimus quanta ſint in abominatione apud Deum,cuius voce in tam horrendi flagitii ordinem reiiciuntur: atque ipſi,iudicio eius permoti, delictorũ,quæ prius leuia videbantur,grauitatem aſſueſcimus melius reputare.

11 Tertio loco conſiderandum quid ſibi velit diuinæ Legis in duas tabulas partitio: quarum non abs re nec temerè ſolennem mentionem aliquoties factam eſſe omnes ſani iudicabũt. Et in promptu cauſa eſt quæ ambiguos nos de hac re manere nõ ſinit. In duas enim partes,quibus tota cõtinetur iuſtitia,Legem ſuam ſic diuiſit Deus,vt priorẽ religionis officiis, quæ peculiariter ad numinis ſui cultũ pertinent, alterã officiis charitatis quæ in homines reſpiciunt,aſſignauerit.Primũ ſanè iuſtitiæ fundamentũ,eſt Dei cultus: quo euerſo, reliqua omnia iuſtitiæ membra, velut diuulſi collapſique ædificii partes,lacera & diſſipata ſunt.Qualis enim iuſtitiæ eſſe dices quòd homines non vexas furtis ac rapinis,ſi per ſceleratum ſacrilegium interim Dei maieſtatem ſua gloria ſpolias? quòd fornicatione corpus tuum non conſpurcas, ſi blaſphemiis tuis profanas nomen Dei ſacroſanctum?quòd hominem non trucidas,ſi memoriam Dei interimere & extinguere contendis?Fruſtra igitur ſine religione venditatur iuſtitia: ac nihilo maiore ſpecie quàm ſi truncũ abſciſſo capite corpus ad decorem obtendatur.Neque modò eſt præcipua ipſius pars, ſed anima

sed anima quoque,qua tota ipsa spirat & vegetatur.neque enim citra Dei timorem inter se homines æquitatem ac dilectionem seruant. Principium ergo & fundamentum iustitiæ vocamus Dei cultum:quòd eo sublato,quicquid inter se æquitatis,continentiæ,temperantiæ homines exercent, inane est ac friuolum coram Deo. Dicimus fontem & spiritum : quia ex eo discunt homines temperanter ac sine maleficio inter se viuere,si Deum venerantur,tanquam recti & iniqui iudicem. Proinde priore tabula ad pietatem & propria religionis officia,quibus maiestas sua colenda est,nos instituit:altera præscribit quomodo propter nominis sui timorem nos in hominum societate gerere debeamus. Qua ratione Dominus noster(vt Euangelistæ referunt)Legem totam summatim in duo capita collegit,vt Deũ ex toto corde,ex tota anima, ex totis viribus diligamus: vt proximum amemus sicut nosmetipsos. Vides vt è duabus partibus quibus totam Legem concludit, alteram in Deum dirigat,alteram hominibus destinet. Mat.22.d.37 luc.10.c.27

12 Verùm,quanquã vniuersa Lex duobus capitibus contenta est: Deus tamen noster,quo omnem excusationis prætextũ tolleret, voluit fusius & explicatius decem præceptis enarrare tum quęcunque ad honorem,timorem,amorem sui spectãt, tum quæ ad charitatem pertinent, quam propter seipsum nobis erga homines mandat. Nec in diuisionem præceptorum noscendam malè studium intenditur: modò eius generis rem esse memineris in qua liberum cuique iudiciũ esse debeat, ob quam non sit contentioscè cum dissentiente pugnandum. Nobis quidem hic locus necessariò attingendus est, ne quam posituri sumus diuisionem, ceu nouam & nuper excogitatã lectores aut rideant aut mirentur.Legem esse decem verbis distinctam,quia Dei ipsius authoritate sæpius comprobatur,extra controuersiã est.Quare non de numero,sed secandi ratione ambigitur. Qui sic partiuntur vt tria præcepta dent primæ tabulæ, reliqua septem in secundam reiiciãt, præceptum de imaginibus numero expungunt,vel certè sub primo occultant:quũ mandati loco haud dubiè à Domino distinctè positũ sit.decimum verò,de non concupiscendis proximi rebus,ineptè in duo concerpunt. Accedit quòd talem partiendi rationẽ puriore seculo incognitam fuisse, mox intelligetur. Alii quatuor capita nobiscum in prima tabula numerant:sed primi vice,promissionem statuunt,sine præcepto.Ego autem, quia nisi euidenti ratione conuincar,decem verba apud Mosen pro decem præceptis accipio, & totidem pulcherrimo ordine disposita videre mihi videor : permissa illis sua opinione, sequar quod magis mihi probatur,nempe vt quod illi præceptũ primum faciunt, locum præfationis in totam Legem teneat, sequantur deinde præcepta primæ quatuor, secundæ tabulæ sex, eo quo recensebuntur ordine. Hanc diuisionem Origenes sine cõtrouersia,perinde atque passim suo seculo receptam,tradidit.Suffragatur & Augustinus ad Bonifacium,qui in enumeratione hũc ordinem seruat, Vt vni Deo religionis obsequio seruiatur,vt idolum non colatur, vt nomen Domini non in vanum accipiatur, quum antè seorsum de vmbratili Sabbathi præcepto loquutus foret. Alibi quidem prima illa diuisio illi arridet, sed ob nimium leuem causam, quòd in numero ternario (si tribus præceptis conficiatur prima tabula)magis eluceat mysterium Trinitatis.Quanquam nec illic dissimulat in cæteris nostram sibi magis placere. Nobiscum præter illos est author operis imperfecti in Matthæum. Iosephus,nõ dubium quin ex cõmuni ætatis suæ consensu, quina præcepta singulis tabulis assignat.Quod cum rationi aduersatur in eo quòd religionis & charitatis distinctionem confundit: tum refutatur Domini authoritate, qui apud Matthæum in catalogo secundæ tabulæ,mandatum de parentibus honorãdis reponit.Nunc Deum ipsum audiamus loquentem suis verbis. Origenes in Exod.lib.3. Lib.2.quæst. Vet.test. Mat.19. c.19

PRAECEPTVM PRIMVM.

Ego sum IEHOVAH,Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti,de domo seruitutis:Non habebis deos alienos coram facie mea. 20 Exodi

13 Partémne mandati primi facias priorem sententiam,an separatim legas,mihi in medio est, modò ne vice procemii cuiusdam esse in totam Legem mihi neges. Primùm in legibus ferendis curandum est ne contemptu mox abrogentur. Prouidet ergo in primis Deus ne Legis quam laturus est, maiestas aliquando in cõtemptum veniat:ad quam sanciendam triplici argumento vtitur. Potestatem ac ius imperii sibi vendicat, quo electum populũ constringat parendi necessitate. Promissionẽ gratiæ proponit, cuius suauitate eundem alliciat ad sanctitatis studium. Beneficium cõmemorat, quo Iudæos redari.iii.

guat ingratitudinis,nisi benignitati suæ respondeant.Sub nomine Iehouah imperium & legitima dominatio designatur.quòd si ab ipso sunt omnia,& in ipso consistunt,æquum
Rom.11. d. 36 est vt in ipsum referantur:quemadmodum ait Paulus.Abundè itaque hoc solo verbo sub diuinæ maiestatis iugum redigimur, quia portentosum fuerit ab eius ditione velle nos submouere extra quem esse non possumus.

14 Postquam se eum esse ostendit qui ius habeat præcipiendi,cui obedientia debeatur: ne sola necessitate videatur trahere, dulcedine quoque illectat,Deũ se Ecclesiæ pro-
Iere.31.f.33 nuntiando.Subest enim loquutioni relatio mutua, quæ in promissione cõtinetur, Ero illis in Deum,ipsi erunt mihi in populum. Vnde Abrahæ,Isaac & Iacob immortalitem ex eo Christus cõfirmat quòd Dominus se eorum Deum testatus sit. Quare perinde est ac si
Mat.22.d.32 ita loqueretur, Ego vos mihi delegi in populum, cui nõ modò in præsenti vita benefacerem,sed vitæ quoque futuræ beatitudinẽ largirer.Quorsum autem istud spectet,variis locis in Lege annotatur. nam quũ hac misericordia nos dignatur Dominus vt populo suo
Deut.7.a.6, & 14.a.2,& 26.d.18 in consortio accenseat, eligit nos, inquit Moses, vt simus sibi in populum peculiarem,in populum sanctum,ac custodiamus præcepta sua. Vnde illa cohortatio, Sãcti estote, quia
Leuit.19.a.2 sanctus sum. Porrò ex his duobus illa quæ est apud Prophetam obtestatio ducitur, Filius
Mal.1.b.6 honorat patrem,& seruus dominum.Si ego Dominus,vbi timor?si ego Pater,vbi amor?

15 Sequitur cõmemoratio beneficii, quæ eò validior esse debet ad nos commouendos,quò magis detestabile,etiã inter homines,ingratitudinis flagitium.Recentis quidem beneficii tum Israelem admonebat, sed quod ob mirificam magnitudinem in æternum memorabile, ad posteritatem quoque valeret. Adhæc conuenientissimum est præsentĩ causæ. innuit enim Dominus, eos è misera seruitute ideò liberatos vt se libertatis authorem obedientia & obsequẽdi promptitudine colant.Solet etiã(quo nos in vero sui vnius cultu retineat) certis epithetis sese insignire, quibus sacrũ suum numen ab omnibus idolis ac diis cõmentitiis discernit. Nam(vt antea dixi)quæ nostra est ad vanitatem propensio cum temeritate coniuncta, simulac nominatur Deus, mens nostra sibi cauere nequit quin ad inane aliquod commentum delabatur. Huic igitur malo remedium dum afferre vult Deus, ipse suam diuinitatem certis titulis ornat, atque ita nos quibusdam veluti cancellis circunscribit, ne huc aut illuc euagemur, & temerè nobis fingamus nouum aliExod.3.b.6 Amos.1.a.2 Hab.2. d.28 Psal.80. a.2, & 99.a.1 Iesa.37. c.16 quem Deum,si derelicto Deo viuo,idolũ erigamus. Hac ratione Prophetæ,quoties eum propriè designare volunt, illum vestiunt & quasi includunt iis notis sub quibus se populo Israelitico manifestauerat. Neque enim, quum Deus Abrahæ, vel Deus Israelis vocatur,quũ in templo Hierosolymitano collocatur inter Cherubim,istæ & similes loquendi formulæ ipsum vni loco alligant, aut populo: sed in hoc duntaxat sunt positæ vt cogitationes piorum in illo Deo sistant,qui suo fœdere,quod cum Israele pepigit,sese ita repræsentauit vt ab eiusmodi idea deflectere nullo modo liceat. Fixum tamẽ illud maneat, redemptionis fieri mẽtionem,quo alacrius Iudæi se Deo addicant qui sibi iure eos vendicat. Nos autem (ne ad nos pertinere nihil id putemus) reputare conuenit, Ægyptiacam Israelis seruitutem typum esse spiritualis captiuitatis in qua omnes vincti detinemur,donec brachii sui virtute liberatos in regnũ libertatis nos cælestis vindex traducit. Quemadmodum ergo,quum dissipatos olim Israelitas ad cultum nominis sui recolligere vellet, eos ab intolerabili,qua premebantur,Pharaonis dominatione eripuit:ita quibus hodie se in Deum esse profitetur,eos omnes iam ab exitiali Diaboli potestate asserit, quæ illa corporali adumbrata fuit. Quamobrem nemo est cuius animus inflammari non debeat ad auscultandam Legem,quam à summo Rege profectam audit: à quo vt suam originẽ ducunt omnia,ita æquum est vt finem suum vicissim in ipsum destinent ac dirigãt. Nemo, inquam, est qui non rapi debeat ad amplexandum Legislatorem, ad cuius obseruanda mãdata peculiariter se delectũ esse docetur:à cuius benignitate, cum bonorum omnium affluentiam, tum immortalis vitæ gloriam expectat: cuius mirabili virtute ac misericordia è faucibus mortis se liberatum nouit.

16 Fundata & stabilita Legis suæ authoritate,præceptũ primũ edit,Ne habeamus deos alienos coram facie sua. Finis præcepti est quòd Dominus in populo suo solus vult eminere,& iure suo potiri in solidum.Id vt fiat, impietatẽ ac superstitionem quamlibet, qua diuinitatis suæ gloria vel minuitur vel obscuratur, à nobis abesse iubet.atque eadẽ ratione,vero pietatis studio coli se à nobis atque adorari præcipit. Et verborum simplicitas id ferè sonat.siquidem habere Deum non possumus quin simul complectamur quæ sunt ei

propria,

propria. Quòd ergo vetat habere alienos deos, eo significat ne quod sibi propriũ est, aliò transferamus. Etsi autem quæ Deo debemus innumera sunt, ad quatuor tamen capita non ineptè referentur. Adorationẽ, cui accedit tanquam appẽdix, spirituale conscientiæ obsequiũ: Fiduciam, Inuocationem, Gratiarum actionem. Adorationem voco venerationem ac cultum quem illi reddit quilibet nostrũ, vbi se eius magnitudini submisit. Quare non immeritò eius partem facio, quòd nostras conscientias eius Legi subiicimus. Fiducia est, ex virtutum eius recognitione, acquiescendi in eo securitas: quum in eo sapientiam, iustitiam, potentiam, veritatem, bonitatẽ omnem reponentes, sola eius cõmunicatione nos beatos existimamus. Inuocatio, sit mentis nostræ, quoties vrget vlla necessitas, in eius fidem atque opem receptus, tanquã ad vnicum præsidium. Gratiarũ actio, est gratitudo, qua laus bonorũ omnium illi tribuitur. Horũ vt nihil patitur Dominus aliò deriuari, ita omnia sibi in solidum exhiberi mandat. Neque enim satis fuerit ab alieno abstinere Deo, nisi in hoc ipso te contineas. quod nefarii quidam cõtemptores solent, quibus summum compẽdium est religiones omnes ludibrio habere. Atqui præcedat oportet vera religio, qua in Deum viuentem animi referantur: cuius cognitione imbuti, ad suspiciendam, timendam, colendam ipsius maiestatem, ad amplexandam bonorum eius communicationem, ad opem vbique requirendam, ad recognoscendam laudísque cõfessione celebrandam operum magnificẽtiam, in omnibus vitæ actionibus, tanquam ad vnicum scopum, aspirent. tum caueatur praua superstitio, qua animi à vero Deo deflexi, huc atque illuc, ceu in varios diducuntur deos. Proinde si vno Deo simus contenti, memoria repetamus quod antè dictum est, procul abigendos esse fictitios omnes deos, nec lacerandũ esse cultum quem vnus ille sibi vẽdicat. Quia ne tantillum quidem ex eius gloria delibare fas est, quin apud ipsum quæcunque ei propria sunt resideãt. Particula quæ sequitur, Coram facie mea, indignitatem auget: quòd Deus ad zelotypiam prouocatur quoties figmenta nostra substituimus in eius locum: quemadmodum si impudica mulier, producto palàm ante oculos mariti adultero, eius animũ magis vreret. Quũ ergo præsenti sua virtute & gratia testatum faceret Deus se populum quem elegerat respicere, quo magis à scelere defectionis deterreat, non posse nouos deos ascisci admonet, quin testis sit ac spectator sacrilegii. Huic enim audaciæ plurimum impietatis accrescit, quòd in suis trãsfugiis Dei oculos ludificari se posse iudicat. Ex aduerso reclamat Dominus, quicquid struimus, quicquid molimur, quicquid fabricamus, in conspectum suum venire. Pura sit ergo conscientia vel ab occultissimis apostasiæ cogitationibus, si religionẽ nostram approbare Domino libet. Siquidem integram & incorruptam diuinitatis suæ gloriam non externa modò confessione requirit, sed in oculis suis, qui abditissimas cordium latebras intuentur.

PRAECEPTVM SECVNDVM.

17 Non facies tibi sculptile, neque similitudinem vllam eorum quæ in cælo sunt sursum, vel in terra deorsum, vel in aquis quæ sub terra sunt. Non adorabis, neque coles.

Quemadmodum proximo mandato Deum se vnum esse pronũtiauit, præter quem nulli alii dii cogitãdi aut habendi sint: ita qualis sit, & quo cultus genere honorãdus, apertius etiamnum edicit: ne quid sibi carnale affingere audeamus. Finis ergo præcepti est, quòd superstitiosis ritibus legitimum sui cultũ non vult profanari. Quare in summa, nos à carnalibus obseruatiunculis, quas stolida mens nostra, vbi Deum pro sua crassitie concepit, comminisci solet, in totũ reuocat & abstrahit: ac proinde ad legitimum sui cultũ, hoc est spiritualem & à se institutũ, format. Quod autẽ est in hac transgressione crassissimum vitium notat: idololatriã externã. Ac duæ quidem sunt mandati partes. prior licentiã nostram coercet, ne Deũ, qui incõprehensibilis est, sub sensus nostros subiicere, aut vlla specie repræsentare audeamus. Secunda vetat ne imagines vllas adoremus, religionis causa. Porrò formas omnes breuiter enumerat, quibus solebat à profanis & superstitiosis gentibus figurari. Per ea quæ in cælo sunt, solẽ, lunam, aliásque stellas & fortasse aues intelligit: quemadmodũ Deuteronomii quarto exprimens suam mentẽ, tam aues quàm astra nominat. Quod non annotassem, nisi quosdam viderẽ ad Angelos imperitè referre. Itaque reliqua membra, quia per se nota sunt, prætermitto. ac iam lib. 1. satis apertè docuimus, quascũque excogitat homo visibiles Dei formas, pugnare ex diametro cum eius natura. ideóque, simulac in medium prodeunt idola, corrumpi veram religionem & adulterari.

Deut. 4. c. 19

18 Quæ additur ſanctio non parũ ad excutiendam ſocordiam valere debet. Minatur Se Iehouam eſſe, Deum noſtrum, " Deum, æmulatorem, qui viſitet iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, in iis qui oderunt nomen ſuum: faciat autem miſericordiam in millia iis qui diligunt ſe, ac præcepta ſua ſeruant.

" vel, fortẽ. nã hoc Dei nomẽ à fortitudine ductum eſt.

Hoc verò perinde eſt acſi diceret ſe ſolum eſſe in quo hærere debeamus. Eò vt nos inducat, potentiam ſuam prædicat, quæ ſe impunè contemni vel eleuari non patiatur. Ponitur hîc quidem nomen EL, quod Deum ſignificat: ſed quia à fortitudine ducitur, quo ſenſum melius exprimerem, hoc quoque reddere non dubitaui, vel contextui inſerere. Deinde æmulatorem ſe vocat, qui cõſortem ferre nequeat. Tertiò, vindicem ſe futurum aſſerit ſuæ maieſtatis ac gloriæ, ſi qui eam ad creaturas aut ſculptilia transferant: neque id breui aut ſimplici vindicta, ſed quæ in filios, nepotes & pronepotes ſe protendat, qui ſcilicet paternæ impietatis imitatores erunt. Quemadmodum perpetuam quoque in longam poſteritatem iis miſericordiam ac benignitatem ſuam exhibet qui ſe diligunt, ac Legem ſuam cuſtodiunt. Perſonam mariti erga nos induere, vſitatiſſimum eſt Deo. ſiquidem cõiunctio qua nos ſibi deuincit dum in Eccleſiæ ſinũ recipit, ſacri cuiuſdam cõiugii inſtar habet, quod mutua fide ſtare oportet. Ipſe vt omnibus fidelis ac veracis mariti officiis defungitur, ita viciſſim à nobis ſtipulatur amorẽ ac caſtitatem cõiugalem: hoc eſt, ne animas noſtras ſatanæ, libidini, fœdiſque carnis cupiditatibus ſtuprandas proſtituamus. Vnde quum Iudæorum apoſtaſiam corripit, eos proiecta pudicitia adulteriis inquinatos conqueritur. Ergo vt maritus, quò ſanctior eſt ac caſtior, eò grauius accenditur ſi vxoris animum ad riualem inclinare videt: ita Dominus, qui nos ſibi in veritate deſponſauit, ardentiſſimam zelotypiam ſuam eſſe teſtatur, quoties, neglecta ſancti ſui coniugii puritate, ſceleſtis libidinibus conſpurcamur, tum verò præſertim dum numinis ſui cultum, quem maximè illibatũ eſſe decuerat, aliò deriuamus, vel inficimus aliqua ſuperſtitione. Quandoquidem hoc modo non tantùm violamus datam in coniugio fidem, ſed ipſum nuptialem thorum inductis adulteris, polluimus.

19 In comminatione videndum eſt quid ſibi velit, quum ſe viſitaturum edicit iniquitatem patrum in filios, ad tertiam & quartam generationẽ. Nam præterquam quod à diuinæ iuſtitiæ æquitate alienum eſt pœnam alieni delicti ab inſonte expetere, Deus ipſe quoque hoc ſe non cõmiſſurum affirmat, vt filius portet iniquitatẽ patris. Atqui ſententia tamen hæc non ſemel repetitur, de pœnis auitorum ſcelerum in futuras generationes prorogandis. ſic enim ſæpius alloquitur eum Moſes, Iehouah, Iehouah, qui reddis iniquitatẽ patrum filiis in tertiam & quartã generationem. Ieremias ſimiliter, Qui facis miſericordiam in millibus, qui reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorũ poſt eos. Nonnulli, dum in ſoluendo hoc nodo ægrè deſudant, de pœnis duntaxat temporariis putãt intelligendum: quas ſi filii ſuſtinent pro parentum dilictis, non eſt abſurdum: quandò ſæpe in ſalutem infliguntur. Quod verum quidem eſt. nam Ezechiæ denuntiabat Ieſaias, filios eius regno ſpoliandos, & in exilium deportandos, ob peccatum ab eo perpetratum. Domus Pharaonis & Abimelech ob læſum Abrahamũ afflictantur, &c. ſed quum id ad quæſtionis huius ſolutionem affertur, effugiũ eſt magis quàm vera interpretatio. Grauiorem enim vltionem edicit hîc & ſimilibus locis quàm vt intra vitæ præſentis terminos limitetur. Sic igitur accipiendum eſt quòd iuſta Domini maledictio non modò in caput impii, ſed in totam quoque familiam incumbat. Vbi incubuit, quid expectari poteſt, niſi vt pater, Spiritu Dei deſtitutus, flagitioſiſſimè viuat? filius ob patris nequitiam ſimiliter à Domino derelictus, eãdem exitii ſequatur viam? Nepos demum & pronepos, hominum deteſtabilium execrabile ſemen, præcipites poſt eos ruant?

Eze.18.c.20

Num.14.c.18

Iere.22.c.18

Ieſa.39.d.7

Gen.12.d.17, & 20.a.3

20 Primùm inſpiciamus an talis vindicta diuinã iuſtitiam dedeceat. Si vniuerſa hominum natura eſt damnabilis: quos Dominus gratiæ ſuæ cõmunicatione non dignatur, iis paratum ſcimus eſſe interitum. nihilominus propria iniquitate, non iniquo Dei odio intereunt. nec vlla relinquitur expoſtulatio, cur non aliorum exemplo Dei gratia in ſalutem adiuuentur. Quum ergo hæc impiis & flagitioſis irrogatur ob ſcelera punitio, vt Dei gratia in multas generationes domus eorum priuentur: quis ob iuſtiſſimam hanc vindictam Deo criminationem intendat? At Dominus contrà pronuntiat, pœnam peccati paterni in filium non tranſituram. Obſerua quid illic agatur. Iſraelitæ, quum diu & aſſiduè

Eze.18.c.20

multis

multis calamitatibus vexarentur, prouerbium iactare cœperant, patres suos comedisse vuam acerbam, vnde dentes filiorum obstupescerent: quo significabant, admissa fuisse à parentibus peccata, quorum pœnas ipsi, iusti alioqui & immerentes, pēderent: implacabili magis Dei iracundia quàm moderata seueritate. Iis denuntiat Propheta, non ita esse: quia ob propria flagitia plectātur: neque Dei iustitiæ conuenire vt filius iustus ob scelesti patris nequitiam supplicium luat. quod neque in præsenti sanctione habetur. Nam si visitatio, de qua nunc sermo est, adimpletur quum ab impiorum familia gratiam, lumen suæ veritatis, reliqua salutis adiumenta aufert Dominus: eo ipso quòd excæcati & derelicti ab ipso filii parentum vestigiis insistunt, maledictiones ob paterna scelera sustinent. Quòd verò & temporariis miseriis subiiciuntur, & æterno demum exitio, ita iusto Dei iudicio, non ob aliena peccata, sed ob iniquitatem propriam puniuntur.

21 Altera ex parte offertur promissio de propaganda in mille generationes Dei misericordia: quæ etiam frequenter in scripturis occurrit, & in solenni Ecclesiæ fœdere inferitur, Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Quod respiciens Solomon, scribit filios iustorum post mortem eorum beatos fore: non tantùm sanctæ educationis ratione (quæ & ipsa certè momentum non minimum habet) sed ob istam in fœdere promissam benedictionem, quòd Dei gratia in familiis piorum æterna resideat. Eximia hinc fidelibus consolatio, ingens impiis terror. nam si post mortem quoque memoria tum iustitiæ tum iniquitatis tātum apud Deum valet, vt maledictio huius & illius benedictio in posteritatem redundet, multò magis in ipsis authorum capitibus residebit. Cęterùm nihil obstat quòd impiorum soboles interdū ad bonam frugem se recipit, fidelium soboles degenerat: quia nō perpetuam hîc regulam figere voluit Legislator, quæ suæ electioni derogaret. Nam ad consolationem iusti ac terrorem peccatoris sufficit non esse vanam ipsam aut inefficacem sanctionem, tametsi non semper locum habeat. Quemadmodum enim quæ paucis sceleratis infliguntur temporales pœnæ, testimonia sunt diuinæ aduersus peccata iræ, & futuri olim in omnes peccatores iudicii, tametsi multi impunè vsque ad vitæ finem euadant: ita quum exemplum vnum edit Dominus istius benedictionis, vt filium in patris gratiam misericordia & benignitate sua prosequatur, documentum præbet constantis & perpetuæ in suos cultores gratiæ: quum patris iniquitatem semel in filio persequitur, docet quale reprobos omnes iudicium ob scelera propria maneat. quam certitudinem potissimùm hîc spectauit. Obiter etiam misericordiæ suæ amplitudinem nobis commendat, quam in mille generationes extendit, quum quatuor duntaxat generationes assignarit vindictæ.

Gene. 17. a. 7
Prou. 20. a. 7

22 PRAECEPTVM TERTIVM.

Non vsurpabis nomen Iehouæ Dei tui in vanum.

Finis præcepti est, Quòd nominis sui maiestatem vult nobis esse sacrosanctam. Summa igitur erit, ne ipsam contemptim & irreuerenter habendo profanemus. Cui interdicto cohæret ex ordine præceptum, vt eam religiosa veneratione prosequi nobis studio & curæ sit. Itaque sic animis & linguis cōparatos esse nos decet, vt nihil de ipso Deo eiúsque mysteriis aut cogitemus aut loquamur nisi reuerenter & multa cum sobrietate: vt in æstimādis eius operibus nihil nisi erga ipsum honorificum sapiamus. Hæc, inquam, tria obseruare non oscitanter conuenit, Vt quicquid mens de ipso cōcipit, quicquid lingua profatur, ipsius excellentiam respiciat, & sacræ nominis eius sublimitati respondeat: denique ad extollendam eius magnificentiam aptum sit. Sancto eius verbo & adorādis mysteriis ne temerè præpostereque abutamur vel ad ambitionem, vel ad auaritiam, vel ad ludicra nostra: sed provt impressam gerunt nominis eius dignitatem, suum inter nos honorem ac pretium semper habeant. Postremò, eius operibus ne obloquamur aut detrectemus, quemadmodum illi contumelioſè solent obstrepere miseri homines: sed quicquid ab ipso memoramus factum, cum sapiētiæ, iustitiæ, bonitatis elogiis prædicemus. Id est nomen Dei sanctificare. vbi secus fit, vano prauóque abusu polluitur: quia rapitur extra legitimum vsum, cui soli consecratum erat: atque vt nihil aliud, sua tamen dignitate exutum, contemptibile paulatim redditur. Quòd si in hac temeraria vsurpandi importunè diuini nominis facilitate tantum est mali: multò plus in eo, si in nefarios vsus conferatur, vt qui ipsum necromantiæ superstitionibus, diris deuotionibus, illicitis exorcismis, aliisque impiis incantationibus seruire faciunt. Iuramentum autem in mandato potissimùm assumitur, in quo peruersus diuini nominis abusus maximè est detestabilis: quo in-

de melius absterreamur ab omni in vniuersum eius profanatione. Hîc autem de cultu Dei præcipi & reuerentia nominis eius, non autem de æquitate quæ inter homines colenda est, inde patet quòd deinde in secunda tabula periurium & falsum testimonium damnabit, quo læditur humana societas. superuacua autem esset repetitio si hoc præceptum tractaret de officio charitatis. Iam ipsa quoque distinctio hoc postulat, quia non frustra Deus, vt dictum est, duas Legi suæ tabulas attribuit. Vnde colligitur hoc ius suum sibi vendicare, ac tueri nominis sui sanctitatem, non autem docere quid homines hominibus debeant.

23 Primo loco habendum est quid sit iuramentum. Est autem Dei attestatio ad veritatem sermonis nostri confirmandam. Quæ enim manifesta in Deum probra continẽt execrationes, indignæ sunt quæ inter iuramenta censeantur. Eiusmodi attestationem, vbi ritè peragitur, speciem esse cultus diuini ostenditur multis locis Scripturæ. vt quum Iesaias de Assyriis & Ægyptiis in fœderis societatem cum Israele vocandis vaticinatur, Iesa.19.c.18 Loquentur, inquit, lingua Chanaan, & in nomine Domini iurabunt. hoc est, Iurãdo per nomẽ Domini, confessionẽ religionis edẽt. Item quũ de propagãdo eius regno loquitur, Iesa.65.c.16 Quicũque benedicet sibi, in Deo fideliũ benedicet: & qui iurabit in terra, iurabit in Deo Iere.12.d.16 vero. Ieremias, Si eruditi, inquit, docuerint iurare populũ in nomine meo, sicut docuerũt iurare per Baal, ædificabũtur in medio domus meæ. Et meritò nomen Domini in testimoniũ inuocando, nostrã in ipsum religionem dicimur testari. Sic enim ipsum, æternam esse & immutabilem veritatem confitemur: quem appellamus non modò tanquam præ aliis idoneum veritatis testem, sed etiam ceu eius assertorem vnicum, qui abscõdita in lucem proferre queat: deinde vt cordium cognitorem. Vbi enim desunt hominum testimonia, ad Deum testem refugimus: ac præsertim vbi asserendum est quod in conscientia latet. Qua ratione amarè succensebat iis Dominus qui per alienos deos deierant: atque id iurisiurandi genus, argumẽtum manifestæ defectionis interpretatur. Filii tui dereliquerunt me, & iurant in iis qui non sunt dii. Et sceleris huius grauitatem, pœnarum comminatione declarat, Disperdam eos qui iurant per nomen Domini, & iurant per Melchon. Iere.5.b.7 Sopho.1.b.5

24 Iam vbi intelligimus, sacramentis nostris Dominum inesse velle nominis sui cultum, eo maior adhibenda diligentia, ne pro cultu vel contumeliam vel contemptum & vilitatem contineant. Contumelia est non leuis si per ipsum peieratur: vnde & profanatio appellatur in Lege. Quid enim restat Domino, vbi sua veritate fuerit spoliatus? iam Deus esse desinet. Sed enim spoliatur certè, dum falsi suffragator & approbator cõstituitur. Quare Iosuah, dum Achan ad confessionem veri adigere vult, Fili mi, ait, da gloriam Domino Israel: innuens scilicet, Dominum grauissimè inhonorari si per eum peieratur. Neque mirum: non enim stat per nos quin mendacium sacro eius nomini quodammodo inuratur. Quam loquutionem vsitatam inter Iudæos fuisse, quoties ad sacramentum dicendum quispiam vocaretur, constat ex simili obtestatione qua vtuntur in Euangelio Iohannis Pharisæi. Ad hanc cautionem nos instituũt formulæ quæ in Scripturis vsurpantur, Viuit Dominus: Hæc faciat mihi Dominus & hæc addat: Testis sit Deus in animam meam: quæ insinuant Deum aduocare nos non posse orationis nostræ testem quin periurii vltorem nobis imprecemur si fallimus. Leuit.19.c.12 Iosue 7.c.19 Iohã.9.c.24 1.Reg.14.19.f.39 1.Sam.3.b.9 2.Cor.1.d.23

25 Vile & vulgare redditur Dei nomen, quum veris quidem, sed superuacuis iuramentis adhibetur: siquidem accipitur hîc quoque in vanum. Quare nõ satis fuerit à periurio abstinere, ni simul meminerimus, iusiurandum non libidinis aut voluptatis, sed necessitatis causa permissum & institutum: ideóque extra licitum illius vsum egredi qui rebus non necessariis accommodat. Porrò non alia prętendi necessitas potest quàm vbi vel religioni vel charitati est seruiendũ. Qua in re nimis licentiosè hodie delinquitur, eóque intolerabilius quòd assuetudine ipsa pro delicto imputari desiit: quod certè apud Dei tribunal nõ paruo æstimatur. Passim enim promiscuè temeratur Dei nomen in nugacibus colloquiis: nec malè fieri putatur, quia in tantæ improbitatis possessionem longa & impunita audacia ventum est. Manet tamen ratum Domini mandatum: manet firma sanctio: & effectum olim suum obtinebit, qua peculiaris quędam vindicta in eos edicitur qui frustra nomẽ ipsius vsurparint. Peccatur & alia in parte, quòd in Dei locum sanctos eius seruos in iuramẽtis substituimus, manifesta impietate: quia sic diuinitatis gloriam ad eos traducimus. Neque enim abs re est, quòd speciali mandato præcepit Dominus iurare per nomen suũ: speciali interdicto prohibuit ne per alienos deos iurantes audiamur. Et Apo- Exod.23.c.13 Deut.6.c.13 & 10.d.20.

stolus

ſtolus idem liquidè teſtatur, quum ſcribit homines in iuramentis ſuperiorem ſeipſis appellare: Deum, quia ſua gloria maiorem non habebat, per ſeipſum iuraſſe. Heb.6.d.13

26 Hac iuriſiurandi moderatione Anabaptiſtę non cõtenti, omnia ſine exceptione execrãtur: quoniam Chriſti generale ſit interdictum, Ego dico vobis, ne iuretis omnino: ſit autẽ ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod vltrà eſt, à malo eſt. Sed hoc modo inconſideratè in Chriſtum impingunt: dum illum faciunt Patri aduerſarium, & qui ad decreta eius abroganda in terram deſcenderit. Siquidem Deus æternus in Lege non modò iuramentum, ceu rem legitimam, permittit: (quod ipſum abundè foret) ſed in neceſſitate imperat. Chriſtus autem ſe aſſerit vnum eſſe cũ Patre, ſe non aliud afferre quàm quod Pater mandauerit, doctrinam ſuam non eſſe à ſeipſo, &c. Quid ergo? Deúmne ſibi contrarium facient, qui quod ſemel in moribus præcipiendo approbarit, poſtea prohibeat ac damnet? Sed quia in verbis Chriſti nonnihil eſt difficultatis, ea pauliſper expendamus. Hîc autem nunquam verum aſſequemur niſi oculos intendamus in Chriſti ſcopum, & ad id quod illic agit animum aduertamus. Illi non eſt inſtitutum, Legem aut laxare, aut reſtringere, ſed ad veram ac germanam intelligentiam reducere, quæ falſis Scribarũ & Phariſæorum commentis valde deprauata fuerat. Id ſi tenemus, non putabimus Chriſtum damnaſſe in totum iuramenta: ſed ea tantùm quæ Legis regulam tranſgrediuntur. Ex ipſis cõſtat, populum nihil tunc cauere ſolitum præter periuria, quum nõ iis ſolis, ſed inanibus quoque ac ſuperuacuis iuramẽtis Lex interdicat. Dominus ergo, certiſſimus Legis interpres, non modò peierare, ſed etiam iurare, malum eſſe admonet. Quomodo iurare? nẽpe in vanum. Quæ autem in Lege commendantur iuramenta, ſalua & libera relinquit. Videntur ſibi validius pugnare quum mordicus arripiunt particulam Omnino: quæ tamen non ad iurandi verbum refertur, ſed ſubiectas ſacramentorum formulas. Nam & iſta erat erroris portio, quòd dum per cælum & terram deierabant, Dei nomen ſe non putabant attingere. Ergo poſt præcipuum præuaricationis caput, omnia etiam ſubterfugia Dominus illis præcidit: ne ſe opinentur euaſiſſe ſi ſuppreſſo Dei nomine cælum & terram appellarint. Nam hîc quoque obiter notandum, quanuis non exprimatur nomen Dei, homines tamen obliquis formis per ipſum iurare: quemadmodum ſi per lumen vitale, per panem quo veſcuntur, per baptiſmum ſuum, aut alia diuinæ erga ſe liberalitatis pignora quælibet iurẽt. Neque verò Chriſtus eo loco per cælum & terram & Hieroſolymam iurare vetans, ſuperſtitionem corrigit, vt falſò quidam putant: ſed eorum potius ſophiſticam argutiam refellit qui pro nihilo ducebant indirecta iuramenta futiliter iactare, quaſi ſacro Dei nomini parcerent, quod tamen inſculptum eſt ſingulis eius beneficiis. Alia eſt ratio vbi vel mortalis quiſpiã, vel mortuus, vel Angelus in locum Dei ſubſtituitur: ſicuti apud profanas gentes excogitauit adulatio putidam illam formam, per vitam aut genium Regis: quia tunc falſa apotheoſis vnius Dei gloriam obſcurat & minuit. Verùm vbi nihil aliud eſt propoſitum quàm ex ſacro Dei nomine petere dictorum cõfirmationem, quanuis id obliquè fiat, in friuolis omnibus iuramentis læditur eius maieſtas. Licentiam hanc vano prætextu ſpoliat Chriſtus, omnino iurare prohibens. Eodem & Iacobus tendit, illa Chriſti verba quæ citaui vſurpans: quia ſemper in mũdo graſſata eſt illa temeritas, quæ tamen profanatio eſt nominis Dei. Nam ſi ad ſubſtantiam referas particulam Omnino, acſi nulla exceptione illicitum eſſet quoduis iuſiurãdum, quorſum explicatio quæ mox additur: Neque per cælum, neque per terram, &c. Quibus ſatis patet, cauillis occurri vnde leuari ſuum vitium Iudæi putabant. Exod.22.b.11 Iohã.10.f.30 Ibidem d.18 Iohan.7.c.16 Iacob.5.c.12

27 Itaque ſanis iudiciis ambiguum iam eſſe nequit, Dominum illic iuramẽta modò ea improbaſſe quę per Legem vetita eſſent. Nam & ipſe, qui perfectionis, quàm docebat, exemplar in vita exhibuit, non abhorruit à iuramentis quoties res requirebat: & diſcipuli, quos magiſtro ſuo per omnia paruiſſe nõ dubitamus, idem exẽplum ſequuti ſunt. Quis audeat dicere iuraturum fuiſſe Paulum, ſi iuſiurãdum prorſus interdictum fuiſſet? Atqui vbi res ita tulit, ſine vllo ſcrupulo iurat, etiam addita interdum imprecatione. Nondum tamen finita eſt quæſtio: quando nonnulli ſola ab hoc interdicto publica iuramenta eximi arbitrãtur: qualia ſunt quæ deferente exigẽtéque magiſtratu præſtamus: qualia etiam in ſanciendis fœderibus vſurpare principes ſolent: vel populus, quum in nomen principis iurat: vel miles, quum ſacramento militiæ adigitur: & quæ ſunt huiuſmodi. In hunc quoque ordinem (& iure) referunt quæ extant apud Paulum, ad aſſerendam Euangelii dignitatem: quando Apoſtoli in ſua functione priuati homines non ſunt, ſed publici Dei

ministri. Et sanè non inficior illa esse tutissima, quòd solidioribus Scripturæ testimoniis defenduntur. Iubetur magistratus in re dubia adigere testem ad iuramẽtum, ille vicissim
Heb.6.d.16 iuramento respondere. & Apostolus ait humanas controuersias hoc remedio expediri. In hoc præcepto habet vterque solidam officii sui approbationem. Quinetiam apud veteres ethnicos obseruare licet, publicum & solenne iusiurandum in magna religione habitum fuisse: vulgaria, quæ promiscuè faciebant, aut pro nihilo, aut non ita magno fuisse reputata, perinde ac Dei numen in his non intercedere putarẽt. Verùm priuata iuramenta, quæ sobriè, sanctè, reuerenter necessariis rebus adhibentur, damnare nimis periculosum fuerit: quæ ipsa & ratione & exemplis fulciuntur. Nam si priuatis in re graui & seria Deum inter se iudicẽ appellare licet, multò magis testem. Insimulabit te frater tuus perfidiæ: purgare te studebis, ex charitatis officio: ille nulla ratione satisfieri sibi patietur. Si in discrimen fama tua ob illius obstinatam malignitatem veniat, sine offensa ad Dei iudicium prouocabis, vt tuam innocentiam tempore manifestet. Minùs est testem aduocare, si verba expẽduntur. Non video igitur cur hîc illicitam asseramus attestationem. Neque
Gen.21.c.24, 26.g.32 Gen.31.g.53. Ruth 3.c.13 1. Reg. 18.b. 30 desunt plurima exempla. Si Abraham & Isaac sacramentum cum Abimelech publico nomine prætexitur: at certè Iacob & Laban priuati erant, qui mutuo iuramento fœdus inter se sanciunt. Priuatus erat Booz, qui promissum coniugium Ruth eodem modo confirmauit. Priuatus erat Abdias, vir iustus & timens Dei, qui iuramento asseuerat quod Eliæ vult persuadere. Nullam itaque meliorem regulam habeo, nisi vt iuramenta sic moderemur ne temeraria sint, ne promiscua, ne libidinosa, ne friuola: sed iustæ necessitati seruiant, vbi scilicet vel Domini gloria vindicanda, vel promouenda fratris ædificatio. quò Legis mandatum spectat.

PRAECEPTVM QVARTVM.

Recordare vt diem sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die sabbathum Iehouæ Dei tui est. Non facies vllum opus in eo, &c.

28 Finis præcepti est vt propriis affectibus & operibus emortui, regnum Dei meditemur, atque ad eã meditationẽ institutis ab ipso rationibus exerceamur. Verùm, quoniã habet peculiarem & diuisam à reliquis considerationem, paulò diuersam interpretationis seriem requirit. Vmbratile veteres nuncupare solent, quòd externam diei obseruationem contineat quæ in Christi aduentu cum reliquis figuris abolita fuerit, quod verè quidem ab illis dicitur: sed dimidia tantùm ex parte rem attingunt. Quare altius repetenda est expositio: & dispiciendæ tres causæ, quibus constare hoc mandatum obseruasse mihi videor. Voluit enim cælestis Legislator sub diei septimi quiete populo Israel spiritualem requiem figurare, qua à propriis operibus feriari debent fideles, vt Deum in se operari sinant. Deinde statum diem esse voluit, quo ad Legem audiẽdam & ceremonias peragendas conuenirent, vel saltem quem operum suorũ meditationi peculiariter darent: vt hac recordatione ad pietatem exercerentur. Tertiò, seruis, & iis qui sub aliorum degerent imperio, quietis diem indulgẽdum censuit, quo aliquam haberent à labore remissionem.

29 Illam tamen spiritualis quietis adumbrationem primarium in sabbatho locum
Num.13 d.22 tenuisse, multifariàm docemur. Nullius ferè siquidem præcepti obediẽtiam seuerius Dominus exegit. Quum subuersam omnem religionẽ vult apud Prophetas significare, pol-
Ezech.20.b. 12, & 22.b.8, & 23.f.38. luta, violata, non custodita, non sanctificata sua sabbatha conqueritur: quasi, omisso hoc obsequio, nihil amplius restaret in quo posset honorari. Eius obseruantiã eximiis encomiis
Ierem. 17.c. 21.22, & d.27 Ies.56.a.2. Nehem.9.c. 14 prosequitur. vnde & fideles, inter alia oracula, sabbathi reuelationẽ mirificè æstimabant. Sic enim loquuntur Leuitæ apud Nehemiah, in solenni congregatione, Ostendisti patribus nostris sabbathum tuum sanctum, mandata & ceremonias & Legem dedisti eis per manum Mosis. Vides vt singulari dignatione habeatur inter præcepta omnia Legis. Quæ omnia pertinẽt ad commendandam mysterii dignitatem, quod à Mose & Ezechiele pul-
Exod. 31.c.13 & 35.a.2. cherrimè exprimitur. Sic habes in Exodo, Videte vt sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos, in generationibus vestris: vt scitis quòd ego sum Dominus qui sanctifico vos. Custodite sabbathum. sanctum est enim vobis. Custodiant filii Israel sabbathum, & celebrent illud in generationibus suis. pactum est sempiternum in-
Ezech.20.b. 12. ter me & filios Israel, signúmque perpetuum. Fusius etiamnum Ezechiel: cuius tamen summa huc redit, esse in signum quo Israel cognosceret, Deum esse ipsũ sanctificatorem.

Si

Si ſanctificatio noſtra propriæ voluntatis mortificatione conſtat, iam ſe profert aptiſſima ſigni externi cum re ipſa interiori analogia. Quieſcendum omnino eſt, vt Deus in nobis operetur: cedendum voluntate noſtra, reſignandum cor, abdicandæ cunctæ carnis cupiditates. Denique feriandum eſt ab omnibus proprii ingenii muniis, vt Deum habentes in nobis operantem, in ipſo acquieſcamus, quemadmodum Apoſtolus quoque docet. Heb.3. c. 13. & 4.c.9

30 Perpetuam iſtam ceſſationem Iudæis repræſentabat vnius diei ex ſeptenis obſeruatio: quę vt maiori religione coleretur, eam exemplo ſuo Dominus commendauit. Non enim ad excitandum hominis ſtudium mediocriter valet vt ſe ad Creatoris imitationem tendere nouerit. Siquis arcanam aliquam in ſeptenario numero ſignificationem requirat, quando hic in Scriptura perfectionis eſt numerus, non ſine cauſa delectus eſt ad notandam perpetuitatem. Cui & illud ſuffragatur, quòd Moſes in die quo narrat requieuiſſe Dominum ab operibus ſuis, finem deſcribendæ dierum ac noctium ſucceſſionis facit. Poteſt & altera probabilis afferri numeri notatio: quòd ſcilicet deſignarit Dominus nunquam abſolutum fore ſabbathum donec vētum ad vltimum diem fuerit. Noſtram enim in illo beatam quietem hîc inchoamus, in ea nouos quotidie progreſſus facimus: ſed quia aſſidua eſt adhuc cum carne militia, non prius conſummabitur quàm implebitur illud Ieſaiæ de continuanda neomenia cum neomenia, ſabbatho cum ſabbatho, nempe quum erit Deus omnia in omnibus. Videri ergo poſſit Dominus per diem ſeptimū populo ſuo delineaſſe futuram ſui ſabbathi in vltimo die perfectionem: quo continenti ſabbathi meditatione ad hanc perfectionem tota vita aſpiraret. Ieſa.66.g.23 1.Cor.15.d.28

31 Siquis hanc numeri obſeruationem ceu nimis argutam faſtidiat, nihil impedio quominus ſimplicius accipiat: Dominum certum diem ordinaſſe, quo ad meditandam ſpiritualis quietis aſſiduitatem populus ſub Legis pædagogia exerceretur. Septimum aſſignaſſe, vel quia ſufficere prouidebat, vel vt propoſita exempli ſui ſimilitudine, melius populum extimularet: vel certè admoneret nō aliò ſpectare ſabbathum niſi vt ſuo Creatori conformis redderetur. Parum enim intereſt: modò myſteriū, quod præcipuè delineatur, maneat, de perpetua noſtrorum operum quiete. Ad quod contemplandum idem reuocabant Iudæos Prophetæ: ne carnali ceſſatione defunctos ſe putarent. Præter allegatos iam locos ſic habes apud Ieſaiam, Si auerteris à ſabbatho pedem tuum vt non facias voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbathum delicatum & ſanctum Domini glorioſi: & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, &c. Cæterùm non dubium quin Domini Chriſti aduentu, quod ceremoniale hîc erat, abolitum fuerit. Ipſe enim veritas eſt, cuius præſentia figurę omnes euaneſcunt: corpus cuius aſpectu, vmbræ relinquū tur. Ipſe, inquam, verum ſabbathi complementum. Per baptiſmum illi cōſepulti, in conſortiū mortis eius inſiti ſumus, vt reſurrectionis participes, in nouitate vitę ambulemus. Ideò ſabbathum vmbram fuiſſe rei futuræ alibi ſcribit Apoſtolus: corpus extare in Chriſto, hoc eſt, ſolidam veritatis ſubſtantiam, quam illo loco bene explicauit. Ea non vno die contenta eſt, ſed toto vitæ noſtrę curſu, donec penitus nobiſmetipſis mortui, Dei vita impleamur. A Chriſtianis ergo abeſſe debet ſuperſtitioſa dierum obſeruatio. Ieſa.58. d. 13 Rom. 6. a. 4 Coloſ.2.c.16. & 17.

32 Enimuerò quoniam duæ poſteriores cauſæ veteribus vmbris annumerari non debēt, ſed ſeculis omnibus peræquè conueniunt: abrogato ſabbatho, inter nos tamen etiānum locum iſtud habet, vt ſtatis diebus ad audiendum verbum, ad myſtici panis fractionem, ad publicas orationes conueniamus: deinde vt ſeruis & operariis ſua detur à labore remiſſio. Vtranque in ſabbathi præceptione curæ fuiſſe Domino, proculdubiò eſt. Prior abundè teſtimonii, vel in ſolo Iudæorum vſu, habet. Secundam ſignauit Moſes in Deuteronomio, his verbis, Vt requieſcat ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut & tu: memento quòd & ipſe ſeruieris in Ægypto. Item in Exodo, Vt requieſcat bos & aſinus tuus: & reſpiret filius ancillæ tuæ. Vtrunque quis neget nobis perinde ac Iudæis conuenire? Conuentus Eccleſiaſtici nobis Dei verbo præcipiuntur: & eorum neceſſitas, ipſa vitæ experientia, nota ſatis eſt. Ni ſi ſtati ſint, & ſuos habeāt conſtitutos dies, quomodo haberi poſſunt? Omnia decenter & ordine gerenda inter nos ſunt ex Apoſtoli ſententia. Tantum verò abeſt quin decorum & ordo, niſi iſta politia & moderatione conſeruari poſſit, vt præſentiſſima impendeat Eccleſiæ perturbatio & ruina ſi diſſoluatur. Quòd ſi eadem nobis neceſſitas incumbit, cuius in ſubſidium Iudæis Dominus ſabbathum conſtituerat: nemo cauſetur nihil aliud ad nos pertinere. Voluit enim prouidentiſſimus & indulgentiſſimus Pater no- Deut.5.b.14 Exod.23.c.12 1.Cor.14.g.40

ſter,noſtræ,non minus quàm Iudæorũ neceſſitati proſpicere. Cur non quotidie,inquies, potius conuenimus,vt ita tollatur dierum diſcretio? vtinam illud quidem daretur:& ſanè digna erat ſpiritualis ſapientia,cui quotidie decideretur particula aliqua temporis. Sed ſi à multorum infirmitate obtineri non poteſt vt quotidiani conuentus agantur:& charitatis ratio plus ab illis exigere non permittit: cur non pareamus rationi quam nobis videmus Dei voluntate impoſitam?

33 Paulò hîc cogor eſſe longior,quòd hodie ob diẽ Dominicum tumultuantur nonnulli inquieti ſpiritus: Plebem Chriſtianam quiritantur in Iudaiſmo foueri, quia retinet aliquam dierum obſeruationem. Ego autem reſpondeo, citra Iudaiſmum dies iſtos à nobis obſeruari:quia lõgo interuallo differimus in hac parte à Iudæis. Non enim vt ceremoniam arctiſſima religione celebramus, qua putemus myſterium ſpirituale figurari:ſed ſuColoſſ.2.c.16 ſcipimus vt remedium retinẽdo in Eccleſia ordini neceſſarium. Atqui Paulus docet,non eſſe in eius obſeruatione iudicandos Chriſtianos: quia ſit vmbra rei futuræ. Ideo timet Gal.4.b.10.11 ne inter Galatas fruſtra laborarit, quòd adhuc dies obſeruarent. Et ad Romanos aſſerit Rom.14.a.5 ſuperſtitioſum eſſe ſiquis iudicat inter diem & diem. At quis præter iſtos duntaxat furioſos,non videat de qua obſeruatione intelligat Apoſtolus? Non enim in finem iſtum politicum & Eccleſiaſticum ordinem reſpiciebant: ſed quum, tanquam rerum ſpiritualium vmbras retinerent, tantundem obſcurabant Chriſti gloriam & Euangelii lucem. A manuariis operibus non ideo feriabãtur quòd eſſent à ſacris ſtudiis & meditationibus auocamenta:ſed religione quadam,quòd feriando,myſteria olim commendata recolere ſe ſomniabant. In hãc, inquam, prępoſteram dierum diſcretionem inuehitur Apoſtolus: non in legitimum delectum,qui ſocietatis Chriſtianæ paci ſeruiat. Siquidem in Eccleſiis 1.Cor.16.a.2 ab eo inſtitutis ſabbathũ in hunc vſum retinebatur. Illũ enim diem pręſcribit Corinthiis, quo ſymbola ad ſubleuãdos Hieroſolymitanos fratres colligantur. Si timetur ſuperſtitio: plus erat periculi in Iudaicis feriis, quã in Dominicis(quos nũc habẽt Chriſtiani)diebus. Nã quod ad euertendã ſuperſtitionẽ expediebat, ſublatus eſt Iudæis religioſus dies:quod decoro,ordini,paci,in Eccleſia retinendis neceſſariũ erat,alter in eũ vſum deſtinatus eſt.

34 Quanquam non ſine delectu Dominicum quem vocamus diem veteres in locum ſabbathi ſubrogarunt. Nam quum verę illius quietis,quam vetus ſabbathum adumbrabat, in reſurrectione Domini finis ſit ac complementum, ipſo die, qui vmbris finem attulit,admonentur Chriſtiani ne vmbratili ceremoniæ inhæreant. Neque ſic tamen ſeptenarium numerum moror,vt eius ſeruituti Eccleſiam aſtringam. neque enim Eccleſias damnauero, quæ alios conuentibus ſuis ſolennes dies habeant, modò à ſuperſtitione abſint. Quod erit ſi ad ſolam obſeruationem diſciplinę & ordinis bene compoſiti referantur. Summa ſit:vt ſub figura Iudæis tradebatur veritas,ita nobis ſine vmbris commendatur:primùm, vt perpetuum tota vita ſabbathiſmum meditemur à noſtris operibus, quò Dominus in nobis per ſuum Spiritũ operetur: deinde vt pia operũ Dei recognitione priuatim ſe quiſque,quoties vacat,diligenter exerceat: tum etiã,vt omnes ſimul legitimum Eccleſiæ ordinem, ad verbum audiendum, ad ſacramentorum adminiſtrationem, ad publicas orationes conſtitutum, obſeruemus. tertiò ne nobis ſubditos inhumaniter premamus. Ita euaneſcunt nugæ pſeudoprophetarum qui Iudaica opinione populum ſuperioribus ſeculis imbuerunt,nihil aliud afferentes niſi abrogatum eſſe quod ceremoniale erat in hoc mandato(id vocãt ſua lingua diei ſeptimæ taxationem)remanere autem quod morale eſt,nempe vnius diei obſeruationẽ in hebdomade. Atqui id nihil aliud eſt quàm in Iudæorum contumeliam diem mutare,diei ſanctitatem animo eandem retinere:ſiquidem manet nobis etiamnum par myſterii in diebus ſignificatio quæ apud Iudęos locum habebat. Et ſanè videmus quid tali doctrina profecerint. qui enim eorum conſtitutionibus hærent, craſſa carnalique ſabbathiſmi ſuperſtitione Iudæos ter ſuperant: vt Ieſ.1.c.13,& 58.d.13 nihilominus hodie ipſis conueniant obiurgationes quæ apud Ieſaiam leguntur, quàm iis quos ſua ætate Propheta increpabat. Cæterùm generalis doctrina præcipuè tenenda eſt:ne religio inter nos vel concidat vel langueſcat,diligenter colendos eſſe ſacros cœtus, & externis ſubſidiis quæ ad fouendum Dei cultum valeant operam dandam eſſe.

De hac libertate vide Socratẽ hiſt. tri.lib.9.cap. 38

PRAECEPTVM QVINTVM.

Honora patrem tuum & matrem vt ſis longæuus ſuper terram quam Iehoua Deus tuus daturus eſt tibi.

35 Finis eſt,Quoniam Domino Deo ſuæ diſpoſitionis conſeruatiq cordi eſt,ordina-

tos ab ipso eminentiæ gradus oportere nobis esse inuiolabiles. Summa igitur erit vt quos nobis præfecit Dominus, eos suspiciamus, eósque & honore & obedientia & gratitudine prosequamur. Vnde sequitur interdictum, nequid eorum dignitati, vel contemptu, vel contumacia, vel ingratitudine derogemus. Sic enim latè patet vocabulũ honoris in Scriptura. vt quum dicit Apostolus, Presbyteros qui bene præsunt, duplici honore dignos esse, non modò reuerentiam iis deberi intelligit, sed quam ministerium eorum remunerationem meretur. Quoniam autem hoc de subiectione præceptum cum humani ingenii prauitate valde pugnat (quod, vt est celsitudinis appetentia turgidum, ægrè se subiici sustinet) quæ naturâ maximè amabilis est ac minimè inuidiosa superioritas, in exẽplar proposita est: quia facilius animos nostros emollire & inflectere ad submissionis consuetudinem poterat. Ad omnem ergo legitimam subiectionem ab ea quæ facillima est toleratu, nos paulatim assuefacit Dominus: quãdo est omnium eadem ratio. Siquidem quibus attribuit eminentiam, quatenus ad eam tuendam necesse est, suum cum illis nomen communicat. In vnũ ipsum ita conueniunt Patris, Dei ac Domini tituli, vt quoties vnum aliquem ex iis audimus, maiestatis illius sensu animum nostrum feriri oporteat. Quos ergo istorum facit participes, eos quadam fulgoris sui scintilla illustrat, vt sint pro suo quisque loco spectabiles. Ita qui nobis est pater, in eo diuinum aliquid reputare par est: quia diuinum titulum non sine causa gerit. Qui princeps est, qui dominus, habet nonnullam honoris cum Deo communionem. 1. Tim. 5. c. 17

36 Quapropter ambiguum esse non debet quin hîc vniuersalem regulam Dominus statuat: nempe provt quenque nouimus esse nobis eius ordinatione prẽfectum, vt ipsum reuerentia, obediẽtia, gratitudine, & quibus possumus officiis prosequamur. Nec interest dignúne an indigni sint quibus honor iste deferatur. nam qualescũque sint tandem, non tamen sine Dei prouidentia hunc locum assequuti sunt, cuius ratione ipse Legislator eos honorari voluit. Nominatim tamen de parentum reuerentia præcepit, qui nos in hãc vitam sustulerunt: ad quam natura ipsa quodammodo instituere nos debet. Monstra enim sunt, non homines, qui patriam potestatem contumelia vel peruicacia infringunt. Ideo cunctos parentibus immorigeros trucidari iubet Dominus, vt beneficio lucis indignos, qui non recognoscunt quorum opera in eam peruenerint. Atque ex variis quidẽ Legis appendicibus apparet verũ esse quod annotauimus, tres esse honoris de quo hîc loquitur partes, reuerentiam, obedientiam, gratitudinem. Primam Dominus sancit dum interfici præcipit qui maledixerit patri aut matri. quandoquidẽ illic contemptum ac cõtumeliam vindicat. Secundam, dum aduersus immorigeros & rebelles pœnam mortis edicit. Ad tertiã pertinet quod dicit Christus Matth. 15, ex præcepto Dei esse vt benefaciamus parentibus. Et quoties mandati mẽtionem facit Paulus, obedientiam in eo requiri interpretatur. Exod. 21. c. 17. Leuit. 20. b. 9 Prou. 20. c. 20. Deut. 21. d. 18 Mat. 15. a. 4 Ephes. 6. a. 1 Colos. 3. d. 20

37 Subnectitur promissio, commendationis vice, quæ magis admoneat quàm grata Deo sit quæ hîc nobis imperatur submissio. Istum enim aculeum excitando torpori nostro admouet Paulus, quum dicit mandatum hoc esse primum cum promissione. Siquidem quæ in prima tabula præcessit, non specialis & propria vnius mãdati fuit, sed ad Legem vniuersam extendebatur. Porrò sic accipienda hæc est, Peculiariter Israelitis loquebatur Dominus de terra quam illis promiserat in hereditatem. Si ergo diuinæ benignitatis arrhabo erat terræ possessio, non miremur si Dominus testari voluerit suam gratiam, vitæ longitudinẽ largiendo: per quam fiebat vt diuturnus caperetur sui beneficii fructus. Sensus ergo est, Honora patrem & matrem, quò per longum vitæ spatium frui tibi diu liceat ea terræ possessione quæ tibi futura est in gratiæ meæ testimonium. Cæterùm, quia tota terra fidelibus benedicta est, præsentem vitam inter Dei benedictiones meritò reponimus. Quare ad nos similiter spectat istæc promissio, quatenus scilicet diuinæ beneuolentiæ documẽtum nobis est præsentis vitæ duratio. Non enim ea aut nobis promittitur, aut promissa fuit Iudæis, quasi beatitudinem in se contineret: sed quia symbolum piis esse solet diuinæ indulgentiæ. Quare si cõtingat ante maturam ætatem obsequentem parentibus filium è vita abripi (quod non rarò cernitur) nihilo minus in suæ promissionis complemento constanter Dominus perseuerat, quàm si eum centum terræ iugeribus muneretur cui vnum modò pollicitus erat. Totum in hoc situm est vt expendamus longam vitam eatenus promissi quatenus Dei benedictio est: benedictionẽ verò esse quatenus diuinæ gratiæ est documentum: quam ipse per mortem infinito vberius & solidius seruis suis testificatur & re ipsa demonstrat.

38 Adhæc, dum præsentis vitæ benedictionem Dominus pollicetur filiis qui parentes qua decet obseruatione coluerint: simul innuit, omnibus immorigeris ac inobsequentibus certissimam imminere maledictionem, cui ne desit executio, eos per Legem suam mortis iudicio obnoxios pronuntiat, ac supplicium de ipsis sumi mandat. Si iudicium effugiunt, ipse vltionem expetit quouis modo. Videmus enim quantus numerus ex hoc hominum genere vel in præliis vel in rixis cadat: alii insolitis modis affliguntur. omnes propè comminationem hanc non esse vanam argumento sunt. Quòd siqui euadunt ad vltimam senectutem: quia in hac vita, Dei benedictione priuati, nihil aliud quàm miserè languent, & maioribus in posterum pœnis reseruantur, multum abest quin benedictionis piis filiis promissæ fiant participes. Sed istud etiam obiter annotãdum, quòd illis obedire nonnisi in Domino iubemur: neque id obscurum est ex iacto prius fundamẽto. præsident enim eo loco in quem euexit eos Dominus, communicata cum ipsis honoris sui portione. Quæ ergo submissio illis exhibetur, ad suspiciendum summum illum Patrem gradus esse debet. Quare si in Legis transgressionem nos instigant, meritò tum non parentes nobis habendi sunt, sed extranei, qui nos à veri Patris obediẽtia subducere conantur. Sic de principibus, dominis, & vniuerso superiorum genere habendum. Indignum enim & absonum est vt ad deprimendam Dei celsitudinem eorum eminentia polleat, quæ vt ab illa pendet, ita in illam deducere nos debet.

Ephe. 6. 2. 1

PRAECEPTVM SEXTVM.

Non occides.

39 Finis præcepti est: Quoniam hominum genus vnitate quadam Dominus deuinxit, incolumitatem omnium vnicuique debere esse commendatam. In summa ergo, violentia omnis & iniuria, ac omnino quæuis noxa, qua proximi corpus lędatur, nobis interdicitur. Ac proinde iubemur, siquid in opera nostra ad tuendã proximorum vitam subsidii est, fideliter impendere, quæ ad eorum tranquillitatem faciunt, procurare: depellẽdis noxis excubare: siquo in discrimine sunt, præbere manum auxiliarem. Si Deum Legislatorem sic loqui recordaris, simul cogita velle per hanc regulam animę tuæ moderari. Ridiculum enim foret vt is qui cordis cogitationes speculatur, iisque præcipuè immoratur, ad veram iustitiam nihil quàm corpus erudiret. Ergo & homicidium cordis hac Lege prohibetur, & præcipitur interior affectus conseruandæ fratris vitæ. Manus quidem homicidium parit, sed animus cõcipit, dum ira & odio inficitur. Vide an irasci aduersus fratrem possis quin noxæ libidine ardeas. Si non irasci, ergo nec odisse: quando odium nihil aliud est quàm ira inueterata. Dissimules licet, & vanis ambagibus extricare te coneris: vbi vel ira vel odium est, illic est maleficus affectus. Si tergiuersari pergis, iam ore Spiritus pronuntiatum est, homicidam esse qui fratrem in corde suo oderit: ore Domini Christi pronuntiatum est reum esse iudicio qui fratri suo irascitur: reum esse concilio qui dixerit racha: reum esse gehennæ ignis qui dixerit fatue.

1. Iohã. 3. c. 15
Matth. 5. c. 22

40 Duplicem autem æquitatem Scriptura notat, qua nititur hoc præceptum: quia & imago Dei est homo, & caro nostra. Quare, nisi imaginem Dei violare libeat, sacrosanctum habere illum: nisi omnem exuere humanitatem, vt carnem propriam fouere debemus. Quæ à redemptione & Christi gratia ducenda est exhortatio, alibi tractabitur. Duo illa naturaliter in homine considerari Dominus voluit, quæ nos ad conseruationem eius inducerent: vt & suam imaginem in ipso impressam reuereamur, & carnem nostram amplexemur. Non ergo euasit homicidii crimen qui à sanguinis effusione sibi temperarit. Si quid opere perpetras, si conatu machinaris, si voto & consilio concipis quod alterius saluti sit aduersum, homicidii reus teneris. Nisi rursum illam pro facultate & opportunitate tueri studes, ea quoque immanitate Legem præuaricaris. Quòd si tãtopere de corporis incolumitate laboratur: hinc colligamus, quantum studii & operæ saluti animæ debeatur quæ in immensum coram Domino præcellit.

PRAECEPTVM SEPTIMVM.

Non mœchaberis.

41 Finis eius, Quia pudicitiam & puritatem Deus amat, facessere à nobis omnẽ immunditiem oportere. Summa igitur erit, vt nequa spurcitia, aut libidinosa intemperie carnis inquinemur. Cui respondet affirmatiuũ præceptum, vt castè & cõtinenter omnes vitæ nostræ partes moderemur. Scortationem autem nominatim vetat, ad quam tendit

omnis

omnis libido: vt illius fœditate (quæ craſſior eſt & palpabilior, quatenus ſcilicet corpori etiam maculam inurit) in libidinis cuiuſuis abominationem nos adducat. Quoniam hac lege conditus eſt homo vt ſolitariam vitam non agat, ſed adiuncto ſibi ſubſidio vtatur: deinde ex peccati maledictione in hanc neceſſitatem magis addictus eſt: quantum ſatis erat, Dominus opitulatus eſt nobis in hac parte dum coniugiũ inſtituit, cuius ſocietatem ſua authoritate initam, ſua quoque benedictione ſanctificauit. Vnde conſtat & aliam quamlibet, extra coniugium, ſocietatem, coram ipſo maledictam eſſe: & illam ipſam coniugalem in neceſſitatis remedium eſſe ordinatam, ne in effrænem libidinem proruamus. Ne ergo nobis blandiamur, dum audimus non poſſe virum cum muliere, ſine Dei maledictione, extra coniugium copulari.

42 Iam quum per naturæ conditionem & accenſa poſt lapſum libidine, mulieris conſortio bis obnoxii ſimus, niſi quos ſingulari gratia Deus inde exemit: videant ſinguli quid ſibi datum ſit. Virginitas, fateor, virtus eſt non contemnenda: ſed quoniam aliis negata eſt, aliis nonniſi ad tempus conceſſa, qui ab incontinentia vexantur, & ſuperiores in certamine eſſe nequeunt, ad matrimonii ſubſidium ſe conferant, vt ita in ſuæ vocationis gradu caſtitatem colant. Nam qui non capiunt hoc verbum, ſi non propoſito conceſſóque remedio intemperantiæ ſuæ ſuccurrant, cum Deo pugnant, ac reſiſtunt eius ordinationi. Neque mihi quiſpiam obſtrepat (quod multi hodie faciunt) Dei ſe auxilio adiutum, omnia poſſe. Dei enim auxilium nonniſi iis adeſt qui in viis ſuis ambulant: hoc eſt, in ſua vocatione, à qua ſe omnes ſubducũt, qui prẽteritis Dei ſubſidiis neceſſitates ſuas ſuperare eluctarique inani temeritate contendunt. Continentiam ſingulare eſſe Dei donum, atque ex eorum genere quæ non promiſcuè, nec in vniuerſum corpori Eccleſiæ, ſed paucis membris conferantur, Dominus affirmat. Primùm enim certum hominum genus facit, quod ſe caſtrauerit propter regnum cælorum, hoc eſt, vt ſolutius ac liberius vacare regni cæleſtis negotiis liceat. At ne talem caſtrationem eſſe in hominis ſitam poteſtate quis putet, paulo antè oſtenderat non omnes eſſe capaces, ſed quibus peculiariter è cælo datum ſit. vnde concludit, Qui poteſt capere capiat. Aſſerit etiamnum apertius Paulus, dum ſcribit vnumquenque habere proprium donum à Deo: vnum ſic, alterum autem ſic.

Pſal. 91. a. 2 & d. 14

Mat. 19. b. 12

43 Quando aperta denuntiatione admonemur, non eſſe cuiuſlibet ſeruare caſtitatem in cælibatu, etiamſi ſtudio & conatu ad id maximè aſpiret: peculiarem eſſe gratiam quam Dominus nonniſi certis hominibus confert, quo ipſos habeat ad opus ſuum expeditiores: nónne Deo & naturæ ab eo inſtitutę repugnamus, ſi nõ vitæ noſtræ genus ad facultatis noſtræ modum accommodamus? Hîc ſcortationem Dominus prohibet: puritatem ergo & pudicitiam à nobis requirit. Eius ſeruandæ vna eſt ratio, vt ſuo quiſque modulo ſe metiatur. Nemo temerè matrimonium contemnat, veluti rem ſibi aut inutilem aut ſuperuacuam: nemõ cælibatum aliter expetat quàm ſi vxore carere poſſit. Neque in eo etiam carnis tranquillitati vel cõmoditati conſulat, ſed tantùm vt vinculo hoc ſolutus ad omnia pietatis officia promptior ſit ac paratior. Et quoniam multis hoc beneficium nonniſi ad tempus confertur, tandiu quiſque à coniugio abſtineat quandiu erit ad ſeruandum cælibatum idoneus. Si ad domandam libidinem vires deficiant, intelligat iam ſibi coniugii neceſſitatem à Domino impoſitam. Hoc demonſtrat Apoſtolus quum præcipit vt ad fugiendam ſcortationẽ vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque mulier virum. Item, Vt qui non poteſt ſe continere, matrimonium in Domino contrahat. Primùm ſignificat maiorem hominum partem incontinentiæ vitio eſſe obnoxiam: deinde ex iis qui obnoxii ſunt neminem excipit quem nõ iubeat ad vnicum illud remedium confugere quo impudicitiæ obuiam itur. Ergo qui ſunt incontinentes, ſi hac ratione mederi negligunt ſuæ infirmitati, eõ ipſo peccant quòd huic Apoſtoli mandato non obtemperãt. Neque ſibi blandiatur qui mulierem non attingit, acſi impudicitiæ argui non poſſet: quum interim animus libidine intus ardeat. pudicitiam enim definit Paulus, coniunctam cum caſtitate corporis, animi puritatem. Cælebs mulier, inquit, cogitat quæ Domini ſunt: quomodo ſancta ſit corpore & ſpiritu. Itaque dum ſuperius illud præceptum ratione confirmat, non tantùm dicit melius eſſe vxorem ducere quàm ſcorti ſocietate ſe polluere, ſed dicit melius eſſe nubere quàm vri.

1. Cor. 7. b. 2

1. Cor. 7. a. 5 & b. 2

1. Cor. 7. f. 34

44 Porrò, ſi coniuges recognoſcunt ſuam ſocietatem eſſe à Domino benedictam, eo admonẽtur nõ eſſe intemperata & diſſoluta libidine conſpurcãdam. Non enim ſi incon-

tinentiæ turpitudinem velat matrimonii honestas,ideo eius irritamentum protinus esse debet.Quare non omnia sibi licere coniuges existiment:sed suam quisque vxorem sobriè habeat,& vicissim vxor virum: sic agentes nequid omnino indignum honestate ac temperantia matrimonii admittant. Sic enim ad modum & modestiam reuocari decet coniugium in Domino contractum,non in extremam quanque lasciuiam exundare. Hanc petulantiam Ambrosius graui quidem, sed non indigna sententia notauit,quum vxoris adulterum vocauit qui in vsu coniugali nullam verecundiæ vel honestatis curam habet. Postremò reputemus quis hic Legislator scortationem damnet.nempe is qui quum nos totos possidere debeat, iure suo,animæ, spiritus, & corporis integritatem requirit. Ergo dum scortari prohibet,simul vetat & lasciuo corporis ornatu,& obscœnis gesticulationibus, & impuris sermonibus alienæ pudicitiæ insidiari. Non enim ratione caret Archelai sententia ad adulescentem molliter & delicatè vltra modum vestitum, non referre qua parte cinædus esset: siquidem Deum respicimus,qui omnem contaminationem abominatur,quacunque in parte vel animę vel corporis nostri appareat.Ac ne dubium sit,memineris hîc pudicitiam à Deo cõmendari.Si pudicitiam requirit à nobis Dominus,quicquid illi aduersum est damnat. Proinde si ad obedientiam adspiras,nec animus praua cupidine intus ardeat,nec oculi in corruptos affectus lasciuiant, nec corpus ad lenocinium excolatur,nec lingua spurcis sermonibus mẽtem ad similes cogitationes illiciat,nec gula sua intemperie inflammet.Sunt enim omnia eiusmodi vitia veluti maculæ quædam quibus castitatis puritas conspurcatur.

Amb.lib. de philosoph. quem citat Augustinus libro contra Iulianum.2.

PRAECEPTVM OCTAVVM.

Non furtum facies.

45 Finis, Quoniam abominationi est Deo iniustitia, vt reddatur vnicuique quod suum est. Summa igitur erit, nos vetari rebus alienis inhiare, ac proinde iuberi suis vnicuique conseruandis bonis fidelem operam impendere. Sic enim cogitandum est,vnicuique euenisse quod possidet, non fortuita sorte, sed ex distributione summi rerum omnium Domini:non posse igitur præuerti malis artibus facultates cuiuspiam quin fraus diuinæ dispensationi fiat. Plurima autem sunt furtorum genera. Vnum est in violentia: quum vi quacunque & prædatoria licentia aliena diripiuntur. Alterum in malitiosa impostura:vbi fraudulenter intercipiuntur. Aliud in tectiori calliditate:vbi per speciem iuris excutiuntur. Aliud in blanditiis:vbi sub donationis prætextu emunguntur. Sed ne in generibus recẽsendis nimium insistamus,artes omnes, quibus proximorum possessiones & pecuniæ ad nos deriuãtur,vbi à synceritate dilectionis,ad fallẽdi aut quouis modo nocendi cupiditatem obliquant, pro furtis nouerimus esse habéndas. In forensi certamine obtineant licet,à Deo tamen non secus æstimantur. Nempe videt longas captiones,quibus simpliciorem homo vafer animum incipit irretire, donec in suas tãdem nassas attrahat:videt duras inhumanásque leges,quibus potentior tenuem vrget ac præcipitat:videt illecebras quibus tanquam hamis imprudentem astutior inescat.quæ omnia latent humanum iudicium, nec in cognitionem veniunt. Neque hæc iniuria in pecunia modò, aut in mercibus,aut agris locũ habet: sed in iure cuiusque.suo enim bono proximos fraudamus,si denegamus officia quibus erga eos obstringimur.Si procurator aut villicus otiosus vorat domini substantiam, nec ad rei familiaris curam intentus est: si commissas sibi facultates vel iniuria dissipat,vel luxuriosè profundit:si seruus herũ ludibrio habet,si eius arcana diuulgat,si vllo modo tum vitam,tum bona eius prodit: si dominus rursum familiam immaniter vexat:furti apud Deum tenetur. Alienum enim & retinet & præuertit qui non exequitur quod ex suæ vocationis munere aliis debet.

46 Ritè ergo sic parebimus mandato,si nostra sorte contenti,nullum nisi honestum & legitimum lucrum facere studeamus:si non appetamus cum iniuria ditescere, nec fortunis diruere proximũ moliamur,quò res nobis accrescat:si non crudeles opes, & ex aliorum sanguine expressas cumulare contendamus:si non intemperanter vndecunque per fas & nefas corradamus,quò vel expleatur nostra auaritia,vel prodigẽtię satisfiat.Verùm econuerso sit nobis perpetuus hic scopus,omnes quoad licet consilio atque ope fideliter in retinendis suis iuuare. quòd si cum perfidis ac fallacibus negotium fuerit, ex nostro potius aliquid cedere parati simus, quàm vt contendamus cum illis. Neque id modò:sed quos rerum difficultate viderimus premi, eorum necessitatibus communicemus, ac nostra

noſtra copia ſubleuemus eorũ inopiã. Poſtremò reſpiciat vnuſquiſque quatenus ex officio aliis ſit obligatus,ac quod debet,bona fide perſoluat.Hac ratione populus omnes ſibi prę fectos in honore habeat,eorum dominationem æquo animo ferat,legibus & iuſſis pareat,nihil detrectet quod propitio Deo ferre poſſit.Rurſum illi plebis ſuę curã ſuſtineant, publicam pacem conſeruẽt, bonis ſint præſidio, malos coerceãt : ſic omnia adminiſtrent quaſi ſupremo iudici Deo functionis ſuæ rationem reddituri.Eccleſiarum miniſtri fideliter verbi miniſterio incumbant,nec ſalutis doctrinam adulterẽt : ſed puram & ſynceram populo Dei tradant. Nec doctrina ſolùm,ſed vitæ exemplo inſtituant: præſint denique, vt boni paſtores ouibus. Populus viciſſim eos pro nuntiis & Apoſtolis Dei ſuſcipiat, eum iis honorem reddat quo ſummus Magiſter eos dignatus eſt:quę eorũ vitæ neceſſaria ſunt prębeat.Parentes liberos,vt ſibi à Deo commiſſos,alendos,regendos,docẽdos ſuſcipiant: nec fæuitia eorum animos exaſperent, & à ſe auertant : ſed lenitate ac indulgentia quæ ſuam perſonam deceat, eos foueant & amplectantur. Quo modo & ſuam illis obſeruantiam à liberis deberi antè dictum eſt.Iuniores ſenilem ætatem reuereãtur, vt eam ętatem honorabilem eſſe Dominus voluit. Senes quoque iuuentutis imbecillitatem ſuam prudentia,&(quo magis quàm illi pollent) rerum vſu moderentur, non aſperis clamoſiſque inſectationibus eos inceſſentes,ſed temperantes comitate ac facilitate ſeueritatem. Serui ſe ad obſequium ſedulos & morigeros dominis præſtent:neque id ad oculum, ſed ex animo,tanquam Deo ipſi ſeruientes. Heri quoque non moroſos ſe & intractabiles erga ſeruos gerant,non aſperitate nimia diuexent,non contumelioſè accipiant:ſed potius agnoſcant ſibi fratres eſſe, ſuóſque ſub cæleſti Domino conſeruos,quos mutuò amare & humaniter tractare debeant.Ad hunc,inquam,modum quiſque reputet quid in ſuo ordine ac loco proximis debeat,& quod debet ſoluat.Ad hæc, referenda ſemper mens ad Legiſlatorem:vt animis,perinde ac manibus,regulam hanc nouerimus conſtitui:quò aliorum commodis atque vtilitatibus & tuendis & promouendis ſtudeant.

PRAECEPTVM NONVM.

Non eris aduerſus proximum tuum teſtis mendax.

47 Finis eius:Quoniam mendacium Deus (qui veritas eſt)execratur,veritatem ſine fuco eſſe inter nos colendam.Summa igitur erit,ne vel calumniis falſiſque criminationibus violemus alicuius nomen,vel mendacio in ſuis fortunis grauemus:denique ne maledicentiæ & procacitatis libidine quempiam lædamus.Cui interdicto cohęret imperium, vt vnicuique fidelem operam,quoad licet,in aſſerenda veritate commodemus, ad tuendam & nominis & rerum ſuarum integritatẽ. Senſum mandati ſui videtur exponere voluiſſe Dominus Exodi 23,his verbis,Non ſuſcipies vocem mendacii:nec iunges manum tuam,vt pro impio dicas falſum teſtimonium.Item,Mendacium fugies. Alio etiam loco, non ea modò parte à mendacio nos reuocat, ne ſimus criminatores ac ſuſurrones in populo : ſed nequis decipiat fratrem ſuum. vtrunque enim diſtinctis mandatis cauet. Sanè dubium non eſt quin,vt præcedentibus mandatis cohibuit fæuitiam,impudicitiam,auaritiam,ita hîc falſitatem coerceat:cuius duo ſunt mẽbra,quę prius notauimus.Aut enim malignitate & obtrectandi prauitate delinquimus in famam proximorum:aut mentiendo, interdum etiam obloquendo, detrahimus eorum commodis. Nihil autem intereſt, ſolenne & iudiciarium teſtimonium hîc nominari putes,an vulgare,quod in priuatis ſermonibus fertur.Semper enim eò recurrendum eſt,ex ſingulis vitiorũ generibus ſpeciem vnam paradigmatis loco proponi,ad quam cęteræ referantur:eam autem potiſſimũ deligi,in qua vitii turpitudo maximè emineat. Quanquam generalius extendere conuenit ad calumnias & ſiniſtras obtrectationes, quibus iniquè grauantur proximi:quia forenſis teſtimonii falſitas nunquã periurio caret.Periuriis autẽ,quatenus Dei nomen profanant ac violant, in mãdato tertio ſatis eſt obuiatũ.Proinde legitima præcepti obſeruatio eſt,vt lingua in aſſerenda veritate,proximorũ tum bonæ famæ,tum vtilitatibus ſeruiat. Æquitas pluſquã manifeſta eſt.Nam ſi quibuſlibet theſauris pretioſius eſt nomen bonũ,nihilominore noxa,nominis integritate quàm fortunis ſpoliatur homo.In diripienda autẽ eius ſubſtantia,non minus interdum falſo teſtimonio,quàm manuum rapacitate proficitur.

Exod.23. a.1

Leuit.19.c. 16

48 Et tamen mirum eſt quàm ſupina ſecuritate paſſim in hac re peccetur, vt rariſſimi reperiantur qui non hoc morbo notabiliter laborẽt : adeò venenata quadam dulcedine oblectamur in alienis malis tum inquirendis,tum detegendis.Nec putemus idoneam

esse excusationem si sæpenumero non mentimur. Nam qui prohibet mendacio fratris nomen deturpari, vult etiam illibatum conseruari, quantum per veritatẽ licet. Siquidem vtcunque illi aduersus mendaciũ tantùm caueat: eo ipso tamen innuit, sibi esse commendatum. Atqui id nobis sufficere debet ad famam proximo saluam custodiendã, Deo eam curæ esse. Quare damnatur proculdubio in vniuersum maledicentia. Porrò maledicentiam intelligimus, non obiurgationem, quæ fit castigandi studio: non accusationem aut iudiciariam denuntiationem, qua remedium malo quæritur: non publicam reprehensionem, quæ ad incutiendum cæteris peccatoribus terrorem tendit: non manifestationem apud eos quorum salutis interest prœmonitos fuisse, ne ignorantia periclitentur: sed odiosam criminationem quæ ex malignitate & obtrectandi petulãtia nascitur. Quin huc quoque extenditur mandatum istud, ne scurrilem vrbanitatem affectemus, & amaris lædoriis intinctam, quibus aliorum vitia, sub imagine lusus, mordaciter perstringantur, qualiter solent nonnulli qui facetiarum laudem, cum aliorũ rubore ac etiam gemitu captant: quando ex eiusmodi procacitate non leuiter interdum fratres fugillantur. Nunc si ad Legislatorem conuertamus oculos, quem cõuenit non minus auribus atque animo, quàm linguæ, pro suo iure dominari: succurret certè & audiendarum obtrectationum auiditatem, & importunam ad sinistra iudicia propẽsionem, nihilominus interdici. Ridiculum enim est siquis putet Deum odisse maledicentiæ in lingua morbum: malignitatis in animo, non improbare. Quare si verus est timor atque amor Dei in nobis, demus operam quoad licet & expedit, & quantum fert charitas, ne maledictis & amaris salibus vel linguam vel aures præbeamus: ne obliquis suspicionibus temerè mentem permittamus: sed æqui erga omniũ dicta & facta interpretes, tum iudicio, tum auribus, tum lingua saluum illis suum honorem candidè seruemus.

PRAECEPTVM DECIMVM.

Non concupisces domum proximi tui, &c.

49 Finis est, Quoniam totam animã dilectionis affectu possideri vult Deus, omnem aduersam charitati cupiditatem ex animis excutiendam. Summa igitur erit, nequa cogitatio nobis irrepat, quæ noxia & in alterius detrimentum vergente concupiscentia, animos nostros commoueat. Cui respondet ex aduerso præceptum, vt quicquid cõcipimus, deliberamus, volumus, meditamur, id cum proximorum bono & commoditate sit coniunctum. Sed hîc magna & perplexa, vt videtur, difficultas nobis occurrit. Si enim verè superius à nobis dictum est, sub scortationis & furti vocabulis, scortandi libidinem, & nocendi, fallendique consilium cohiberi: superuacuum fuisse videri queat, vt nobis postea seorsum alienorum bonorum cõcupiscentia interdiceretur. Sed nobis facilè nodũ istum expediet distinctio inter consilium & concupiscentiam. Consiliũ enim, qualiter de eo in superioribus præceptis loquuti sumus, est deliberata voluntatis consensio, vbi animũ libido subiugauit. Cupiditas citra talem & deliberationem & assensionem esse potest, quum animus vanis peruersisque obiectis pungitur modò, & titillatur. Quemadmodũ ergo voluntatibus, studiis, operibus, charitatis regulam præesse hactenus Dominus iussit: ita ad eandem nunc dirigi animi conceptiones iubet, ne sint vllæ prauæ & contortæ, quæ animum aliorsum extimulẽt. Quemadmodum animũ inflecti atque induci in iram, odium, scortationem, rapinam, mendacium, vetuit, ita nunc prohibet instigari.

50 Neque verò sine causa tantam rectitudinem exigit. Nam quis æquum esse neget, omnes animæ potentias charitate occupari? Siqua autem à charitatis scopo aberret, quis morbosam esse inficietur? Iam verò vnde fit vt animum tuum subeant cupiditates fratri tuo damnosæ, nisi quòd neglecto illo, tibi vni studes? Si enim charitate totus esset imbutus animus, nulla eius particula talibus imaginationibus pateret. Vacuum ergo eatenus charitate esse oportet, quatenus concupiscentiam recipit. Obiiciet quispiam non tamen consentaneũ esse vt phantasiæ, quę temerè volutantur in mente, & tandem euanescunt, pro concupiscentiis, quarum sedes in corde est, damnentur. Respondeo, hîc quæstionem esse de eius generis phantasiis quæ dum mentibus obuersantur, simul animum cupiditate mordent ac ferunt. quandoquidem nunquam in mentem venit optare aliquid quin cor excitatum saliat. Mirabilem ergo dilectionis ardorem Deus mandat, quem ne minimis quidem concupiscentiæ tricis vult impediri. Animum mirificè compositum requirit, quem ne leuibus quidem aculeis commoueri contra dilectionis legem patitur.

patitur. Ad hanc intelligentiam mihi primùm viam aperuit Augustinus: ne graui suffragio destitui eam putes. Etsi autem qualibet praua cupiditate interdicere consilium Domini fuit, ea tamen obiecta in exemplum proposuit quæ falsa delectationis imagine nos vt plurimum capiunt: nequid cupiditati prorsus relinqueret, vbi ab iis rebus retrahit in quas potissimùm insanit & exultat. En secunda Legis tabula, in qua satis admonemur quid hominibus debeamus propter Deum, à cuius consideratione pendet tota charitatis ratio. Quare frustra inculcaueris quæcunque in hac tabula docentur officia, nisi doctrina tua Dei timore & reuerentia, tanquam fundamento, subnitatur. Qui duo præcepta quærunt in concupiscentiæ prohibitione, peruersa sectione quod vnum erat lacerare, prudens lector me tacẽte iudicabit. Nec obstat quod secundò repetitur verbum, Non concupisces: quia vbi domum posuit, partes eius enumerat, ab vxore incipiens. vnde clarè patet, vno contextu, quod rectè Hæbrei faciunt, legendũ esse, ac Deum in summa præcipere, vt quod possidet quisque, maneat saluum & intactum non modò ab iniuria aut libidine fraudandi, sed à minima etiam cupiditate quæ animos solicitet.

51 Quorsum verò spectet Lex vniuersa, non erit nunc difficile iudicium, nempe in iustitiæ complemẽtum: vt hominis vitam ad diuinæ puritatis exemplar formet. Ita enim suum ingenium Deus illic delineauit, vt siquis factis quicquid illic præcipitur repræsentet, imaginem Dei quodãmodo sit in vita expressurus. Quamobrem Moses, quum summam illius reducere Israelitis in memoriam vellet, Et nunc Israel (aiebat) quid petit abs te Dominus Deus tuus, nisi vt timeas Dominum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias ei in toto corde, & in tota anima, custodiásque mandata eius? Nec cessabat eadem occinere illis quoties indicandus erat Legis scopus. Huc ita respicit Legis doctrina, vt hominem vitæ sanctitate cum Deo suo cõiungat, & (quemadmodum alibi Moses loquitur) cohærere faciat. Porrò eius sanctitatis perfectio in duobus iam recitatis capitibus sita est, Vt diligamus Dominum Deum ex toto corde, tota anima, totis viribus, & Proximum, sicut nosipsos. Ac primum quidem est vt Dei dilectione anima nostra omni ex parte impleatur. Ex ea protinus vltrò fluet proximi dilectio. Quod ostendit Apostolus, dum scribit finem præcepti esse charitatem ex conscientia pura, & fide non simulata. Vides, tanquam in capite collocari conscientiam, & fidem nõ simulatam: hoc est, vno verbo, veram pietatem: inde charitatem deduci. Fallitur ergo siquis autumat rudimenta quædam & primordia iustitiæ duntaxat in Lege tradi, quibus homines ad tyrocinium inchoentur, non etiam dirigantur ad rectam bonorum operum metam. quando vltra illam Mosis & hanc Pauli sententiam, ad supremã perfectionem nihil desiderare queas. Quò enim quẽso, procedere volet, qui ista institutione contentus non erit, qua homo ad timorem Dei, ad spiritualem cultum, ad mandatorum obedientiam, ad sequendam viæ Domini rectitudinem, denique ad puritatem conscientiæ, synceram fidem & dilectionem eruditur? Vnde cõfirmatur illa Legis interpretatio, quæ omnia pietatis & dilectionis officia in eius præceptis vestigat & reperit. Qui enim arida ieiunáque tantùm elementa sectantur, acsi dimidia ex parte volũtatem Dei edoceret, finem illius, teste Apostolo, nequaquã tenent.

52 Enimuero quia in commemoranda Legis summa interdum Christus & Apostoli priorem tabulam prætermittunt, ea in re plurimi hallucinantur, dum eorum verba ad vtranque tabulam trahere volunt. Vocat Christus apud Matthæum præcipua Legis, misericordiam, iudicium & fidem. Sub fidei vocabulo mihi non est ambiguũ quin veritatem erga homines designet. Atqui, vt sentẽtia in totam Legem protendatur, quidam pro religione erga Deum accipiunt: frustra certe. nam Christus de his operibus differit quibus homo se iustum approbare debet. Hanc rationem si obseruemus, desinemus etiam mirari cur alibi roganti adulescenti quæ sint mandata quorum obseruatione ad vitam ingredimur, hæc sola respondeat: Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Honora patrem & matrem: Dilige proximum tuum sicut teipsum. Sidis affectus non apparebat, ceremoniis hypocritæ assiduè incumbebant: at opera charitatis talia sunt vt solidam iustitiam per ea testemur. Hoc verò ita passim occurrit in Prophetis, vt lectori mediocriter exercitato familiare esse debeat. Nam ferè quoties hortantur ad pœnitentiam, omissa priore tabula, fidem, iudicium, misericordiam & æquitatẽ vrgent. Neque hoc modo præterеunt Dei timorem, sed eius seriam probationem à signis exigunt. Hoc quidem notum est, vbi de Legis obseruatione disserunt, plærũque insistere

Deut. 10. c. 12

Deut. 6. a. 5. & 11. b. 13

1. Tim. 1. a. 5

Mat. 23. c. 24

Mat. 19. d. 18

in ſecunda tabula: quia illic maximè perſpicitur iuſtitiæ & integritatis ſtudium. Neque opus eſt recenſere locos: quia per ſe quiſque facilè animaduertet quod dico.

53 Ergóne, inquies, pluris eſt ad iuſtitiæ ſummam, cũ hominibus innocẽter viuere, quàm pietate Deum honorare? Minimè. ſed quia non temerè quis charitatem per omnia cuſtodit, niſi Deum ſeriò timeat, inde quoque pietatis approbatio ſumitur. Huc accedit, quòd Dominus quum probè nouerit nihil beneficentiæ à nobis peruenire ad ſeipſum poſſe (quod & per Prophetam teſtatur) nõ ſibi officia noſtra depoſcit, ſed erga proximum bonis operibus nos exercet. Itaque non ſine cauſa Apoſtolus totam ſanctorum perfectionem in charitate reponit. Nec ipſam alibi abſurdè vocat Legis complementum: addens, Legem perfeciſſe qui diligit proximum. Item, Totam Legem vno verbo comprehendi, Dilige proximum ſicut teipſum. Non enim aliud docet quàm Chriſtus ipſe, dũ ait, Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. hoc eſt enim Lex & Prophetę. Certum eſt, in Lege & Prophetis primũ locum tenere fidem & quicquid ad legitimum Dei cultum pertinet, inferiore loco ſubſidere dilectionem: ſed intelligit Dominus, in Lege nobis tantùm præſcribi iuris & æquitatis inter homines obſeruantiam, qua ad teſtandum pium eius timorem, ſiquis in nobis eſt, exerceamur.

Pſal.16.a.2.
Ephe.3.d.19.
Rom.13.b.8.
Galat.5.c.14
Mat.7.b.12.

54 Hîc ergo hæreamus, tum optimè ad Dei voluntatẽ Legíſque præſcriptum compoſitam fore vitam noſtram, quum fratribus omni ex parte fructuoſiſſima fuerit. In tota verò Lege ſyllaba vna nõ legitur, quæ regulam homini de iis ſtatuat quæ carnis ſuæ commodo facturus aut omiſſurus ſit. Et ſanè, quando ita nati ſunt homines vt in amorem ſui plus iuſto toti proni ferantur, &, quantumuis à veritate excidant, eum ſemper retineant: nulla fuit opus Lege quæ amorem illum ſponte ſua immodicum, magis inflãmaret. Quo planè perſpicuum eſt, non noſtri ipſorum amorem, ſed Dei & proximi, obſeruationem mandatorum eſſe: optiméque ac ſanctiſſimè eum viuere qui quàm minimũ fieri poteſt, ſibi viuit ac ſtudet: neminẽ verò eo peius nec iniquius viuere, qui ſibi dũtaxat viuit ac ſtudet, ſuáque dũtaxat cogitat ac quærit. Quinetiã quò magis exprimeret Dominus quãta propenſione nos in proximorũ dilectionem agi oporteret, ad noſtri amorẽ (quia nullum habebat vehementiorem aut validiorem affectum) tanquam ad regulam exegit. Ac diligenter quidem pẽſitanda eſt vis loquutionis. nõ enim (quod ſtolidè ſomniarunt ſophiſtæ quidam) priores partes τῇ φιλαυτίᾳ cõcedit, & ſecundas charitati aſſignat: ſed potius quem naturaliter amoris affectum trahimus ad nos ipſos, eum ad alios tranſfert. Vnde Apoſtolus aſſerit, charitatem non quærere quæ ſua ſunt. Nec pili æſtimanda eſt eorum ratio, Regulatum ſemper eſſe inferius ſua regula. Siquidem non regulam ſtatuit in amore noſtri Dominus, cui charitas erga alios ſubeſſet: ſed vbi naturali prauitate ſolebat amoris affectus in nobis reſidere, oſtendit aliò iam oportere diffundi: vt non minori alacritate, ardore, ſollicitudine parati ſimus ad benefaciendum proximo quàm nobiſipſis.

Vide Auguſtinum de Doctr. Chriſtiana lib. 1. cap. 23. & ſequentibus.

1.Cor.13.b.5.

55 Iam ſub proximi vocabulo quum Chriſtus in parabola Samaritani demonſtrarit alieniſſimum quenque contineri, non eſt quòd dilectionis præceptum ad noſtras neceſſitudines limitemus. Non nego, vt quiſque eſt nobis coniunctiſſimus, ita officiis noſtris eſſe familiariùs adiuuandum. Ita enim fert humanitatis ratio, vt eò plura homines inter ſe officia communicent, quò arctioribus inter ſe aut cognationis, aut familiaritatis, aut viciniæ vinculis connectuntur. Atque id nulla Dei offenſione, cuius prouidentia huc quodammodo adigimur. Sed dico, vniuerſum hominum genus, nulla exceptione, vno charitatis affectu eſſe amplexandum: nullum hîc eſſe diſcrimen barbari aut Græci, digni vel indigni, amici vel inimici: quoniam in Deo, non in ſeipſis conſiderandi ſunt: à quo intuitu dum deflectimus, non mirum eſt ſi multis erroribus implicamur. Quare ſi veram diligendi lineam tenere libet, non in hominem primùm conuertendi ſunt oculi, cuius aſpectus odium ſæpius quàm amorem exprimeret: ſed in Deum, qui amorem, quem ſibi deferimus, ad vniuerſos homines diffundi iubet. vt ſit hoc perpetuum fundamentum, Qualiſcunque ſit homo, diligendum tamen eſſe, quia diligitur Deus.

Luc.10.g.36.

56 Quapropter peſtilentiſſimæ vel ignorantiæ vel malitiæ fuit, quòd Scholaſtici ex præceptis de non appetenda vindicta, de diligẽdis inimicis, quæ & omnibus olim Iudæis tradita fuerunt, & tum omnibus in commune Chriſtianis tradebatur, conſilia fecerunt, quibus parêre vel non parêre liberum eſſet. Eorum autem neceſſariam obedientiam ad monachos relegarũt: qui vel hoc vno ſimplicibus Chriſtianis eſſent iuſtiores, quòd vltrò ſe ſeruandis conſiliis obſtringerent. Et rationem aſſignant cur ea non recipiant pro legi-

bus:

bus:quòd oneroſa nimium & grauia videantur, Chriſtianis præſertim, qui ſunt ſub Lege gratiæ. Itáne Legem Dei æternam de diligendo proximo refigere audent? An tale in aliqua Legis pagina diſcrimen extat:ac non magis paſſim illic occurrunt mandata quæ inimicorum dilectionem à nobis ſeueriſſimè exigant? Quale enim eſt iſtud,quòd eſuriẽtem iubemur inimicum paſcere? eius boues & aſinos errantes in viam dirigere, aut oneri ſuccumbentes ſubleuare? Beneuíſne in eius gratiam benefaciemus, nulla in ipſum beneuolentia? Quid? annon ęternũ eſt verbum Domini, Mihi vindictam, & ego rependam? Quod alibi quoque explicatius habetur, Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Aut hæc obliterent ex Lege, aut Dominum Legiſlatorem fuiſſe agnoſcant, non conſiliarium fuiſſe mentiantur.

Prou.25.c.21
Exod.23.a.4
Deu.32.e.35
Leuit.19.d.18

57 Et quid hęc, quęſo, ſibi volunt, quę auſi ſunt inſulſo gloſſemate illudere? Diligite inimicos veſtros: benefacite iis qui oderunt vos: orate pro perſequentibus vos: benedicite iis qui vos execrantur: vt ſitis filii Patris veſtri qui eſt in cęlis. Quis non hîc cum Chryſoſtomo ratiocinetur, ex tam neceſſaria cauſa probè conſtare non eſſe exhortationes, ſed pręceptiones? Quid nobis amplius reſtat, vbi expungimur è numero filiorum Dei? At ſecundùm eos filii Patris cęleſtis erunt ſoli monachi, ſoli Deum Patrem audebunt inuocare. Quid interim Eccleſia? Eodem iure relegabitur ad Gentiles & publicanos. Dicit enim Chriſtus, Si amicis veſtris eſtis beneuoli, quam inde gratiam expectatis? annon Gentes & publicani idem faciunt? Bene verò nobiſcum agetur ſi Chriſtianorum titulus nobis relinquatur, cælestis regni adimatur hereditas. Nec minus firmum eſt Auguſtini argumentum, Quum ſcortari, inquit ille, Dominus vetat, non inimici minus quàm amici vxorem attingere prohibet: quum furtũ interdicit, nihil omnino furari permittit, ſiue ab amico, ſiue ab inimico. Hæc autem duo, Non furari, &, Non ſcortari, ad dilectionis regulam reuocat Paulus: imò docet ſub hoc mandato contineri, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ergo aut falſum Legis interpretẽ fuiſſe Paulum oportet, aut neceſſariò hinc conficitur, diligendos quoque eſſe inimicos ex præcepto, quemadmodũ amicos. Verè itaque ſe filios Satanæ eſſe produnt qui cõmune iugum filiorum Dei excutiunt adeò licentioſè. Dubites autem maiorine ſtupiditate an impudẽtia iſtud dogma euulgarint. Nemo enim veterum eſt qui non tanquam de re certa pronuntiet hæc eſſe mera præcepta. Ne Gregorii quidem ætate dubitatum de eo fuiſſe, ex ſecura eius aſſeueratione liquet. nam citra controuerſiam pro pręceptis habet. Et quàm ſtolidè raciocinantur? Onus, inquiunt, eſſet nimis graue Chriſtianis. Quaſi verò grauius quicquam excogitari poſſit quàm diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Præiſta Lege nihil non facile haberi debeat, ſiue diligendus inimicus, ſiue omnis vindictæ cupiditas ex animis deponenda. Omnia certe noſtræ imbecillitati ardua ſunt & difficilia, vel ad minimum vſque Legis apicem. Dominus eſt in quo virtutem facimus. det ille quod iubet, & iubeat quod velit. Sub Lege gratiæ eſſe Chriſtianos, non eſt effrænatè ſine lege vagari, ſed Chriſto inſitos eſſe, cuius gratia à Legis maledictione liberi ſint, & cuius ſpiritu Legem habeant in cordibus inſcriptam. Hanc gratiam, Legem impropriè vocauit Paulus, alludens ad Legem Dei, cui per contentionẽ eam opponebat: iſti in nomine Legis de nihilo philoſophantur.

Mat.5.g.44
Lib.de compunctione cordis.
Mat.5.g.46
Lib.de doctrina Chri.
Rom.13.c.9

58 Eiuſdem eſt rationis quòd peccatum veniale nũcuparunt, cum occultam impietatem, quæ primæ tabulæ aduerſatur, tum directam vltimi mandati pręuaricationem. Sic enim definiunt, eſſe cupiditatem ſine deliberato aſſenſu, quæ non diu cordi inſideat. Ego autem ne ſubire quidem poſſe dico, niſi ob defectum eorum quæ in Lege requiruntur. Vetamur alienos habere deos. Quum mens diffidentiæ machinis perculſa, aliò circũſpectat, quũ ſubita cupidine aliò tranſferendæ ſuæ beatitudinis inceſſitur: vnde iſti quamlibet euanidi motus, niſi quia eſt aliquid in anima vacuum ad recipiendas eiuſmodi tentationes? Ac ne longius argumẽtum protrahatur, præceptum eſt de diligendo Deo ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima. niſi ergo omnes animæ potẽtiæ in Dei amorem intenduntur, iam diſceſſum eſt à Legis obediẽtia. quia Deo non bene ſtabilitum in conſcientia noſtra thronum arguũt qui illic inſurgunt aduerſus regnum eius hoſtes, eiúſque edicta interpellant. Mandatum verò vltimum propriè huc pertinere demonſtratum eſt. Pupugit nos animi aliquod deſiderium? iam concupiſcentię rei tenemur, ac ſimul conſtituimur Legis tranſgreſſores: quia Dominus non tantùm deliberare & machinari quod ſit in iacturam alterius vetat, ſed concupiſcentia etiam ſtimulari & æſtuare. Legis verò tranſgreſſioni maledictio Dei ſemper incumbit. Non eſt igitur quòd vel leuiſſimas

Libro 2. de Baptiſ. cõtra Donatiſt. cap. 6

cupiditates iudicio mortis eximamus. In æſtimandis peccatis, inquit Auguſtinus, nõ afferamus ſtateras doloſas, vbi appendamus quod volumus,& quomodo volumus, pro arbitrio noſtro, dicentes,hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus ſtateram diuinam de Scripturis ſanctis, tanquam de theſauris Dominicis: & in illa quid ſit grauius appendamus: imò nõ appẽdamus,ſed à Domino appenſa recognoſcamus. Quid autem Scriptura? certè dum Paulus ſtipendium peccati mortem vocat, ſibi putidam hanc diſtinctionem incognitam fuiſſe oſtendit. Quum plus iuſto procliues ad hypocriſim ſimus, fomẽtum hoc addi minimè oportuit quod torpidas conſcientias mulceret.

Mat.5.c.19

59 Vtinam reputarent quid ſibi velit illud Chriſti dictum,Qui tranſgreſſus fuerit vnum ex mandatis iſtis minimis,& docuerit ſic homines, nullus habebitur in regno cælorum. An ex eo numero non ſunt, dum Legis tranſgreſſionem ita extenuare audent acſi digna morte non eſſet? Atqui oportuerat conſiderare, non ſimpliciter quid præcipiatur, ſed quiſnam ſit ille qui præcipit, quia in qualicunque mãdatæ ab eo Legis tranſgreſſiuncula eius authoritati derogatur. An illis parum eſt Dei maieſtatẽ vlla in re violari? Deinde ſi ſuam in Lege voluntatem expoſuit Deus, quicquid Legi contrarium eſt, illi diſplicet. An iram Dei ſic exarmatam fingent vt non mortis vindicta protinus conſequatur? Neque ipſe obſcurè pronuntiauit (ſi vocem eius exaudire in animum potius inducerent, quàm claram veritatem inſipidis ſuis argutationibus obturbare) Anima(inquit)quæ peccauerit,ipſa morietur. Item quod nuper citaui, Stipendium peccati, mors. Iſti autẽ quod peccatum eſſe fatentur, quia negare nequeunt, mortale tamen non eſſe contendunt. Sed enim quia plus ſatis hactenus inſaniæ indulſerunt, diſcant ſaltem aliquando reſipiſcere. Quòd ſi delirare perſeuerãt, illis valere iuſſis,habeant filii Dei,omne peccatũ mortale eſſe:quia eſt aduerſus Dei voluntatẽ rebellio,quæ eius iram neceſſariò prouocat:quia eſt Legis præuaricatio,in quam edictũ eſt ſine exceptione Dei iudicium:Sanctorũ delicta venialia eſſe, non ex ſuapte natura, ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur.

Ezec.18.c.20 Rom.6.d.23

Chriſtum, quanuis ſub Lege Iudæis cognitus fuerit, tamen Euangelio demum exhibitum fuiſſe. CAP. IX.

VIA non fruſtra Deus iam olim per expiationes & ſacrificia voluit ſe Patrem teſtari,nec fruſtra populum electum ſibi conſecrauit: iam tunc haud dubiè in eadem imagine cognitus eſt in qua nunc pleno fulgore nobis apparet. Ideò Malachias, poſtquam Iudæos ad Legem Moſis iuſſit attendere, & in eius ſtudio perſeuerare (quia poſt eius mortem futura erat aliqua muneris Prophetici interruptio)mox denuntiat exoriturum eſſe ſolem iuſtitiæ. Quibus verbis admonet, Legem in hoc valere vt pios in expectatione venturi Chriſti contineat: eius tamen aduentu longè plus lucis ſperandũ eſſe. Hac ratione Petrus Prophetas dicit fuiſſe ſciſcitatos & ſedulò inquiſiiſſe de ſalute quæ nunc per Euãgelium patefacta eſt:& fuiſſe illis reuelatũ quòd non ſibi vel ſuo ſeculo, ſed nobis miniſtrarent ea quæ per Euangelium annuntiantur. Non quòd inutilis fuerit veteri populo eorum doctrina,vel ipſis etiam nihil profuerit:ſed quia theſauro potiti non ſunt, quem nobis tranſmiſit Deus per eorum manum. Nam hodie nobis ante oculos familiariter proponitur gratia de qua teſtificati ſunt: & quũ eam modicè delibauerint,vberior nobis offertur eius fruitio. Ideò Chriſtus, qui ſe teſtimonium à Moſe habere aſſerit,gratiæ tamen menſuram qua Iudæos ſuperamus extollit. Nam diſcipulos alloquens, Beati (inquit) oculi qui vident quæ videtis: & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis. Multi enim Reges & Prophetæ hoc optarunt,nec adepti ſunt. Hæc non parua eſt reuelationis Euangelicæ commendatio,quòd ſanctis Patribus, qui rara pietate excelluerunt,nos Deus prætulit. Cui ſententiæ minimè repugnat alter locus, vbi dicitur Abraham vidiſſe diem Chriſti, & gaudio exultaſſe. Quia etſi obſcurior fuit intuitus rei procul remotæ: nihil tamen ad bene ſperandi certitudinem defuit: vnde lætitia illa quæ ſanctum Patriarcham ad mortem vſque comitata eſt. Neque vox illa Iohannis Baptiſtæ, Deum nemo vidit:vnquã,vnigenitus qui eſt in ſinu Patris,enarrauit nobis,pios qui antè mortui fuerant, excludit à ſocietate intelligentiæ & lucis quæ refulget in Chriſti perſona:ſed illorum ſortem cum noſtra comparans, myſteria quæ ſub vmbris obſcurè tantùm ſpeculati ſunt, docet nobis manifeſta eſſe: quemadmodum probè explicat author epiſtolæ ad Hebræos,multifariàm & multis modis loquutum fuiſſe olim per Prophetas, nũc verò per dilectum Filium. Quanuis ergo vnigenitus ille, qui nobis hodie eſt ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ Dei Patris, olim Iudæis innotuerit, ſicuti alibi citaui-

Mala.4.a.2

1.Pet.1.b.12

Iohã.5.g.46 Mat.13.b.16, luc.10.d.23

Iohã.8.g.56

Iohan.1.c.18

Heb.1.a.1

mus

mus ex Paulo, fuisse antiquæ liberationis ducem, verum tamen est quod alibi tradit idem Paulus, Deum qui iussit è tenebris lumen splendescere, nunc illuxisse cordibus nostris, ad illustrãdam notitiam gloriæ Dei in facie Iesu Christi. quia vbi apparuit in hac sua imagine, quodammodo se fecit visibilem, prævt obscura & vmbratilis antè fuerat eius species. Quo turpior & magis detestabilis est eorum ingratitudo ac prauitas, qui hîc in meridie cæcutiunt. Et ideò mentes eorũ à Satana obtenebratas esse dicit Paulus, ne cernant gloriam Christi, nullo velo interposito, in Euangelio refulgentem. 2.Cor.4.b.6

2 Porrò Euangelium accipio pro clara mysterii Christi manifestatione. Fateor certè, quatenus Euangelium vocatur à Paulo doctrina fidei, eius partes cẽseri quæcunque passim in Lege occurrunt promissiones de gratuita peccatorũ remissione, quibus sibi Deus recõciliat homines. Fidem enim terroribus illic opponit, quibus angitur & vexatur conscientia, si ex operibus petenda sit salus. Vnde sequitur, vocem Euangelii largè sumendo, sub ea comprehendi quæ olim testimonia Deus misericordiæ suæ paterníque fauoris Patribus dedit. verùm per excellentiam aptari dico ad promulgationem exhibitæ in Christo gratiæ. ídque nõ modò communi vsu receptum est, sed à Christi & Apostolorum authoritate pendet. Vnde proprium hoc illi tribuitur, ipsum prædicasse Euangelium regni. Et Marcus præfatur hoc modo, Initium Euangelii Iesu Christi. Nec verò opus est locos colligere quibus probetur res satis supérque nota. Suo igitur aduentu Christus vitam & immortalitatem illustrauit per Euangelium. Quibus verbis non intelligit Paulus demersos fuisse Patres in tenebris mortis, donec carnem indueret Filius Dei: sed hanc prærogatiuam honoris Euangelio vendicans, nouum & insolitum legationis genus fuisse docet, qua Deus quæ pollicitus fuerat præstitit: vt in Filii persona extaret promissionũ veritas. Nam etsi semper experti sunt fideles verum esse illud Pauli, In Christo omnes promissiones esse, etiam & amen: quia eorũ cordibus fuerunt obsignatæ: quia tamen omnes nostræ salutis numeros in cărne sua impleuit, viua ipsa rerum exhibitio iure nouum & singulare præconiũ obtinuit. Ex quo illud Christi, Posthac videbitis cælos apertos, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis. Etsi enim alludere videtur ad scalam in visione ostensam Patriarchæ Iacob, præstantiam tamen aduentus sui commendat hac nota, quòd ianuam cælorum nobis aperuerit vt familiaris pateat ingressus. Mat.4,& 9 Marc.1.a.1 2.Tim.1.c.1 10 2.Cor.1.d.20 Iohan.1.f.51

3 Cauendum tamen est à diabolica imaginatione Serueti, qui dum magnitudinem gratiæ Christi extollere vult, vel saltẽ se velle fingit, promissiones in totum abolet, quasi finem simul cum Lege acceperint. Obtendit, fide Euangelii nobis afferri promissionum omnium complementum. Quasi verò nulla sit inter nos & Christum distinctio. Admonui quidem nuper, Christum nihil reliquum fecisse ex tota salutis nostræ summa: sed ex eo perperam infertur, beneficiis ab ipso partis nos iam potiri: acsi falsum illud Pauli esset, salutem nostram in spe esse absconditam. Fateor quidem nos, in Christum credendo, simul transire à morte in vitam. sed tenendum interea est illud Iohannis, quanuis sciamus nos esse filios Dei, nondum tamen apparuisse, donec similes ei erimus: dum scilicet eum videbimus qualis est. Quãuis ergo præsentem spiritualium bonorum plenitudinem nobis in Euãgelio Christus offerat, fruitio tamen sub custodia spei semper latet, donec corruptibili carne exuti, trãsfiguremur in eius qui nos præcedit gloriam. Interea in promissiones recumbere nos iubet Spiritus sanctus, cuius authoritas compescere apud nos debet latratus omnes impuri illius canis. Nam teste Paulo, pietas tam futuræ quàm præsentis vitæ promissionem habet: qua ratione iactat se Apostolum Christi secundum promissionem vitæ quæ in ipso est. Et alibi nos easdem habere promissiones admonet, quibus olim donati fuerunt sancti. Denique hanc fœlicitatis summam statuit, quòd obsignati simus Spiritu promisionis sancto. Nec verò aliter Christo fruimur, nisi quatenus eum amplectimur promisionibus suis vestitum. Quo fit vt habitet ipse quidẽ in cordibus nostris, & tamen ab ipso peregrinemur: quia per fidem ambulamus, & non per aspectũ. Nec malè inter se conueniũt hæc duo, nos possidere in Christo quicquid ad cælestis vitæ perfectionem spectat, & tamen fidem esse visionem bonorum quæ non videntur. Tantùm in natura promisionum vel qualitate notandum est discrimen: quia Euangelium digito monstrat quod Lex sub typis adumbrauit. 1.Tim.4.b.8 2. Tim.1.a.1 2.Cor.7.a.1

4 Hinc etiam conuincitur eorum error, qui Legem nunquam aliter Euãgelio conferunt, quàm operum merita gratuitæ imputationi iustitiæ. Est quidem hæc antithesis minimè repudiãda: quia sæpe Paulus sub Legis nomine regulam iustè viuendi intelligit,

qua Deus à nobis exigit quod ſuum eſt, nullam vitæ ſpem faciens niſi omni ex parte obſequimur,ac viciſſim maledictione addita ſi vel minimùm deflectimus: nempe vbi diſputat gratis nos placere Deo & per veniam iuſtos cẽſeri,quia nuſquam inuenitur Legis obſeruatio,cui merces promiſſa eſt. Aptè igitur Paulus iuſtitiam Legis & Euangelii facit inter ſe contrarias. Sed non ita ſucceſſit Euãgelium toti Legi, vt diuerſam rationem ſalutis afferret: quin potius vt ſanciret ratúmque eſſe probaret quicquid illa promiſerat, & corpus vmbris adiungeret. Neque enim Chriſtus,vbi dicit Legem & Prophetas fuiſſe vſque ad Iohannẽ,Patres maledictioni addicit,quam effugere nõ poſſent ſerui Legis: ſed rudimentis tantùm imbutos fuiſſe ſignificat, vt longè ſubſiſterent infra Euangelicæ doctrinæ
Rom.1.b.16 altitudinẽ.Proinde Paulus, Euangeliũ appellans Dei potẽtiam in ſalutem omni credenti,mox addit habere teſtimoniũ à Lege & Prophetis.In fine verò eiuſdem epiſtolæ quanquàm præconium Ieſu Chriſti reuelationem eſſe tradit myſterii temporibus æternis taciti,ſententiam hanc addita explicatione mitigat,manifeſtatum eſſe docens per Scripturas Propheticas. Vndè colligimus, vbi de tota Lege agitur, Euangelium reſpectu dilucidæ manifeſtationis tantummodò ab ea differre: cæterùm propter inæſtimabilem gratiæ affluentiam,quæ nobis fuit in Chriſto expoſita,non abs re eius aduentu dicitur erectum fuiſſe in terris cæleſte Dei regnum.

5 Iam inter Legem & Euangelium interpoſitus fuit Iohãnes,qui medium obtinuit munus,& vtrique affine. Etſi enim Chriſtum vocans agnum Dei & victimam expiandis peccatis, ſummam Euangelii protulit: quia tamen incomparabilem illam virtutem &
Mat.11.b.11 gloriam quæ demum enituit in reſurrectione,nõ explicuit: Chriſtus Apoſtolis parem eſſe negat. Hoc enim ſignificant eius verba, quanuis inter filios mulierum excellat Iohannes,qui tamen minimus eſt in regno cælorum,maiorẽ illo eſſe.Quia non hominum perſonas illic commendat:ſed poſtquam Iohannem prætulit omnibus Prophetis, Euangelii prædicationem in ſummum gradum attollit, quam alibi vidimus notari per regnum cæ-
Iohan.1.c.23 lorum. Quòd autem ſe vocem tantùm eſſe Iohannes ipſe reſpõdet, quaſi Prophetis eſſet inferior, nõ facit hoc ſimulatæ humilitatis cauſa, ſed docere vult ſibi non mandatam eſſe
Mala.4.a.5 propriam legationẽ,ſed officio apparitoris ſe defungi: ſicuti à Malachia prædictum erat, Ecce mitto Eliam Prophetam antequã veniat dies Iehouæ magnus & terribilis. Nec verò aliud toto miniſterii ſui curſu egit quàm vt Chriſto pararet diſcipulos. Sicuti etiã hoc
Iohan.5.f.35 ſibi diuinitus iniunctũ eſſe ex Ieſaia probat. Hoc ſenſu dictus eſt à Chriſto lucerna ardẽs & lucens,quia nondum illuxerat plenus dies.Nec tamen hoc obſtat quominus numeretur inter Euangelii præcones,ſicuti eodẽ vſus eſt Baptiſmo,qui poſtea traditus fuit Apoſtolis.Sed quod exorſus eſt,nonniſi Chriſto in cæleſtem gloriã recepto liberiore progreſſu per Apoſtolos completum eſt.

De ſimilitudine Veteris & Noui teſtamenti. CAP. X.

EX ſuperioribus liquere iam poteſt, quoſcunque ab initio mundi homines Deus in populi ſui ſortem cooptauit, eadem lege atque doctrinæ eiuſdem quæ inter nos viget vinculo fuiſſe ei fœderatos.ſed quia non parum intereſt caput hoc ſtabiliri, vice appendicis annectam, quum Patres eiuſdem nobiſcum hereditatis fuerint conſortes, & eiuſdem Mediatoris gratia cõmunem ſalutem ſperauerint,quatenus in ſocietate hac diuerſa fuerit eorum cõditio. Quanquam autem quæ ex Lege ac Prophetis ad eius probationem collegimus teſtimonia, palàm faciunt nõ aliam vnquam fuiſſe in Dei populo religionis pietatiſque regulam: quia tamen apud ſcriptores multa ſæpe de diſcrimine Veteris ac Noui teſtamenti diſputantur, quæ ſcrupulum parum acuto lectori iniicere poſſint,huic rei melius atque exactius diſcutiendæ peculiarem locum iure deſtinabimus. Quinetiam quod vtiliſſimum alioqui futurum erat,neceſſarium nobis fecerunt prodigioſus nebulo Seruetus & furioſi nõnulli ex Anabaptiſtarũ ſecta, qui non aliter de Iſraelitico populo ſentiunt quàm de aliquo porcorum grege, vtpote quem nugantur à Domino in hac terra ſaginatũ, citra ſpem vllam cæleſtis immortalitatis.Hunc ergo peſtiferum errorem vt arceamus à piis animis, ſimul etiam vt difficultates omnes eximamus,quæ,audita diuerſitatis mentione inter Vetus ac Nouum teſtamentum,ſuboriri protinus ſolent, obiter inſpiciamus quid ſimile, quídve diuerſum habeãt, quod olim cum Iſraelitis fœdus ante Chriſti aduentũ Dominus pepigit, & quod nunc eo manifeſtato,percuſſit nobiſcum.

2 Ac vno quidem verbo expediri vtrunque poteſt.Patrũ omnium fœdus adeò ſub-

ſtantia

ſtantia & re ipſa nihil à noſtro differt, vt vnum prorſus atque idem ſit: adminiſtratio tamen variat. Sed quia ex tanta breuitate nemo certam intelligentiam aſſequeretur, longiorem explicationem, ſiquid prodeſſe volumus, perſequi neceſſe eſt. Cæterùm in ſimilitudine vel potius vnitate oſtendenda, ſingulas particulas, quæ iam expeditæ ſunt, ex integro retractare ſuperuacuum fuerit: miſcere verò quæ adhuc alibi dicenda erunt, intempeſtiuum. In tribus autem maximè capitibus hîc inſiſtendum eſt, Primùm vt teneamus, non carnalem opulentiam ac fœlicitatem, metam fuiſſe Iudæis propoſitam ad quam demum aſpirarent, ſed in ſpem immortalitatis fuiſſe cooptatos: atque huius adoptionis fidem illis fuiſſe tum oraculis, tum Lege, tum Prophetiis certò factam. Deinde, fœdus quo conciliati Domino fuerunt, nullis eorum meritis, ſed ſola Dei vocantis miſericordia fuiſſe ſuffultum. Tertium, & habuiſſe ipſos & cognouiſſe mediatorem Chriſtum, per quem & Deo coniungerentur, & promiſſionum eius compotes forent. Ex quibus ſecundum, quia nondum fortè ſatis innotuit, ſuo loco fuſè demonſtrabitur. Plurimis enim ac luculentis Prophetarum teſtimoniis confirmabimus, à mera fuiſſe bonitate ac indulgentia quicquid vnquã Dominus populo ſuo benefecit ac promiſit. Tertiũ quoque ſuas habuit ſparſim non obſcuras demonſtrationes. Ac ne primum quidem intactum reliquimus.

3 In hoc ergo explicando (quia ad cauſam præſentem maximè pertinet, & de ipſo plus controuerſiæ nobis faciunt) intentiorem ponemus operam. ſic tamen vt ſiquid aliorum explicationi adhuc deeſt, obiter ſufficiatur, vel opportuno deinde loco addatur. Sanè de omnibus dubitationem eximit Apoſtolus, quum ait Deum Patrem Euangelium, quod de Filio ſuo ſecundùm tempus deſtinatum promulgauit, longè antè per Prophetas in Scripturis ſanctis promiſiſſe. Item, fidei iuſtitiam quæ per Euangelium ipſum docetur, teſtimonium habere à Lege & Prophetis. Euangelium ſiquidem hominum corda non in præſentis vitæ lætitia detinet, ſed ad ſpem immortalitatis euehit: non terrenis deliciis affigit, ſed ſpem in cælo repoſitam annuntians, illuc quodãmodo tranſportat. Sic enim alibi definit, Poſteaquam Euangelio credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis. Item, Audiuimus fidem veſtram in Chriſto Ieſu & charitatem erga ſanctos: propter ſpem vobis repoſitam in cælis, de qua audiſtis per ſermonem veracem Euangelii. Item, Vocauit nos per Euangeliũ, in participationem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnde & verbũ ſalutis & potentia Dei ad ſaluandos fideles, & regnum cælorum nũcupatur. Quòd ſi ſpiritualis eſt Euãgelii doctrina, & ad vitæ incorruptibilis poſſeſſionem aditum aperit, ne putemus eos quibus promiſſum ac denuntiatũ fuit, præterita neglectáque animæ cura, in captandis corporis voluptatibus inſtar pecudum obſtupuiſſe. Nec cauilletur hîc quiſpiam, promiſſiones quæ in Lege & Prophetis de Euangelio ſunt conſignatæ, nouo populo eſſe deſtinatas. Nam paulo pòſt quàm illud poſuit de Euãgelio in Lege promiſſo, ſubiicit, quæcunque Lex continet, ad eos ſine dubio propriè dirigi qui ſub Lege ſunt. In alio quidem argumento fateor. ſed non adeò erat obliuioſus, vt quum diceret ad Iudæos verè pertinere quæcunque Lex docet, non cogitaret quid paucis antè verſibus affirmaſſet de Euãgelio in Lege promiſſo. Clariſſimè ergo demonſtrat Apoſtolus ad futuram vitam præcipuè ſpectaſſe teſtamentum Vetus, quum ſub eo dicit Euangelii promiſsiones contineri.

Rom.1.a.2

Rom.3.c.21

Ephes.1.c.13

Coloſ.1.a.4

2.The.2.d.14

Rom.3.c.19

4 Eadem ratione ſequitur & gratuita Dei miſericordia conſtitiſſe, & Chriſti interceſsione fuiſſe confirmatum. Nam & Euãgelica prædicatio nihil aliud quàm paterna Dei indulgentia iuſtificari præter ſuum meritum peccatores pronuntiat: & tota eius ſumma in Chriſto terminatur. Quis igitur expertes Chriſti Iudæos facere auſit, quibuſcum audimus fuiſſe percuſſum Euãgelii fœdus, cuius vnicum fundamentũ Chriſtus eſt? Quis alienos reddere à gratuitæ ſalutis beneficio, quibus adminiſtratam fuiſſe audimus iuſtitiæ fidei doctrinam? Ac ne diu de re liquida diſceptemus, habemus inſignem Domini ſententiam: Abraham exultauit vt videret diem meũ: vidit, & gauiſus eſt. Et quod de Abraham teſtatur illic Chriſtus, oſtẽdit Apoſtolus in fideli populo fuiſſe vniuerſale, quũ dicit Chriſtũ manere heri, hodie, & in ſecula. Neque enim de Chriſti æterna diuinitate ſimpliciter illic loquitur: ſed de eius virtute, quæ perpetuò fidelibus fuit patefacta. Quare & beata Virgo & Zacharias in ſuis canticis reuelatam in Chriſto ſalutem exhibitionem eſſe dicũt promiſsionum, quas Abraham & Patriarchis olim fecerat Dominus. Si Chriſtum ſuum exhibendo, iuriſiurandi ſui veteris fidem ſoluit Dominus, dici non poteſt quin eius finis in Chriſto & vita æterna ſemper fuerit.

Iohã.8.g.56

Heb.13.b.8

Luc.1.e.54, & g.72

5 Quin Apoſtolus non fœderis tantùm gratia pares nobis facit Iſraelitas, ſed etiam ſacramentorum ſignificatione. Nam pœnarum exemplis quibus caſtigatos olim fuiſſe illos Scriptura recitat, deterrere Corinthios volens, ne in ſimilia flagitia incurrerẽt, à præfatione iſta orditur, Non eſſe cur vllam prærogatiuam nobis vendicemus, quæ nos à Dei vindicta eripiat quam illi ſubierunt. quando nõ iiſdem modò beneficiis proſequutus ſit illos Dominus, ſed iiſdem quoque ſymbolis illuſtrem inter eos gratiam ſuam reddiderit, acſi diceret, Si cõfiditis vos extra periculum eſſe, quia & Baptiſmus quo inſigniti eſtis, & Cœna quam quotidie ſuſcipitis, eximias habent promiſſiones: interim contẽpta Dei bonitate, licentioſè laſciuitis: ſcitote nec Iudæos talibus ſymbolis caruiſſe, aduerſus quos tamen iudicia ſua Dominus ſeueriſſimè exercuit. Baptizati ſunt in tranſitu maris & nube, qua protegebantur ab ardore ſolis. Tranſitum illum Baptiſmum carnalem fuiſſe aiunt, qui ſpirituali noſtro ſecũdùm quandã proportionem reſpondeat. Verùm ſi id recipitur, non procederet Apoſtoli argumentum, qui hîc vult ademptum Chriſtianis ne Baptiſmi prærogatiua Iudæos præcellere ſe putent. Nec obnoxium eſt huic cauillo quod protinus ſequitur, Illos eandem nobiſcum ſpiritualem eſcam manducaſſe, ac eundem bibiſſe ſpiritualem potum, quem Chriſtum interpretatur.

1.Cor.10.a.1, & c.11

6 Obiiciunt quidem ad frangendam hanc Pauli ſententiam, quod ait Chriſtus, Patres veſtri mãducauerunt mãna in deſerto, & mortui ſunt: Qui manducat carnẽ meam, non morietur in æternum, quæ duo inter ſe nullo negotio conciliantur. Dominus, quia ſermonem habebat ad auditores qui tãtùm ventris alimento quærebant ſaturari, verum animæ cibum non curabant, ad eorum captum orationem aliquantum attemperat, præſertim verò comparationem mannæ & corporis ſui pro eorum ſenſu ſtatuit. Poſtulabant vt acquirendæ ſibi authoritatis gratia ſuam virtutem miraculo aliquo approbaret quale ediderat Moſes in deſerto quum manna è cælo impetrauerat. In manna autem nihil apprehendebant niſi carnalis inediæ, qua populus tunc afflictabatur, remedium: ad myſteriũ illud ſublimius, quod Paulus reſpicit, non penetrabant. Chriſtus ergo, vt demonſtret quanto præſtantius à ſe beneficium expectare debeant quàm quod à Moſe collatum patribus ſuis prædicarent, hanc cõparationem format, Si magnum fuit opinione veſtra, & memorabile miraculum, quòd Dominus per Moſen populo ſuo, ne in deſerto fame periret, cæleſtem cibum ſubminiſtrauit, quo ſuſtẽtaretur ad modicum tempus: hinc colligite quanto excellentior ſit cibus qui immortalitatem largitur. Videmus cur quod in manna præcipuum erat, prætermiſerit Dominus, infimam tãtùm eius vtilitatem notarit. Nempe quoniam Iudæi, velut exprobrandi ſtudio, Moſen illi obiecerant, qui populi neceſſitati mannæ remedio opitulatus eſſet: reſpõdet, ſe longè ſuperioris gratiæ eſſe adminiſtrum, præ qua vileſcere meritò debeat carnalis populi educatio, quam ſolam tanti æſtimabant. Paulus quia nouerat Dominum, quum manna è cælo deplueret, non in vẽtris duntaxat paſtum effudiſſe, ſed ſpiritualis quoque myſterii loco diſpenſaſſe ad figurandam quæ in Chriſto habetur ſpiritualem viuificationem, partem iſtam, quæ conſideratione digniſſima erat, non negligit. Quare certò claréque conficitur, non eaſdem modò quibus nos dignatur nunc Dominus, vitæ æternæ ac cæleſtis promiſſiones cõmunicatas fuiſſe Iudæis, ſed etiam ſacramẽtis verè ſpiritualibus obſignatas. Qua de re copioſè Auguſtinus aduerſus Fauſtum Manichæum diſputat.

Iohan.6.c.31

7 Quòd ſi teſtimonia ex Lege & Prophetis ſibi recitari malint lectores, ex quibus perſpiciant ſpirituale fœdus fuiſſe Patribus etiam commune ſicuti ex Chriſto & Apoſtolis audimus: huic quoque voto obſequar, eóque libentius quòd ita certius conuincentur aduerſarii, nequid poſtea tergiuerſari queant. Atque ab ea quidem demonſtratione incipiam, quam tametſi Anabaptiſtarum ſupercilio futilem & penè ridiculam fore ſcio, apud dociles tamen & ſanos plurimùm valebit: ac pro confeſſo ſumo, eam verbo Dei ineſſe vitæ efficaciam, vt quoſcũque Deus participatione eius dignatur, eorum animas viuificet. Valuit enim ſemper illud Petri, ſemen eſſe incorruptibile quod in æternum manet, ſicuti etiam ex verbis Ieſaiæ colligit. Iam quum hoc ſacro vinculo Deus olim ſibi deuinxerit Iudæos, non dubium eſt quin eos ſegregauerit in ſpem æternæ vitæ. Nam quum verbum fuiſſe amplexos dico, quod illos Deo propius adiũgeret, communicandi rationem intelligo, non illam generalem quæ per cælum & terram omnéſque mundi creaturas diffunditur (quæ licet vniuerſa viuificet pro ſuæ vnũquodque naturæ modo, non tamen à corruptionis neceſſitate eruit) ſed iſtam ſpecialem qua piorum animæ & illuminãtur in Dei notitiam,

1.Pet.1.d.23
Ieſa.40.b.6

notitiam,& illi quodammodo copulantur.Huiuſmodi verbi illuminatione quum adhæſerint Deo Adam,Abel,Noe,Abraham,& reliqui patres,dico minimè dubium eſſe quin illis in regnũ Dei immortale fuerit ingreſſus. Erat enim ſolida Dei participatio, quæ extra vitæ æternæ bonum eſſe non poteſt.

8 Si tamen illud nõnihil implicitum videtur: age,ad ipſam fœderis formulam tranſeamus: quæ nõ placidis modò ingeniis ſatisfaciet,ſed eorum inſcitiam abundè coarguet qui contradicere nituntur. Sic enim ſemper pepigit cum ſeruis ſuis Dominus, Ero vobis in Deum,& vos eritis mihi in populum:quibus verbis & vitam,& ſalutẽ,& omnem ſummam beatitudinis cõprehendi Prophetæ quoque exponere ſoliti ſunt.Non enim Dauid ſine cauſa ſæpius pronuntiat, beatum populum cuius Dominus eſt Deus:beatam gẽtem quam in hereditatem ſibi elegit: nec terrenæ quidẽ fœlicitatis gratia,ſed quoniã à morte eripit,perpetuò cõſeruat, æternáque miſericordia proſequitur quos in populum aſſumpſit.Quemadmodũ eſt apud alios Prophetas,Tu Deus noſter,non moriemur.Dominus, Rex noſter,Legiſlator noſter:ipſe ſaluabit nos. Beatus es Iſrael,quia in Domino Deo ſaluaris.Sed ne in re ſuperuacua multũ laboremus, paſſim in Prophetis recurrit hæc admonitio, nihil ad bonorum omnium affluentiam, adeóque ſalutis certitudinem deeſſe,modò nobis Dominus ſit in Deum:& meritò.Si enim facies eius,ſimul atque illuxit,præſentiſſimum eſt ſalutis pignus,cuinã ſe homini in Deum manifeſtet, cui non ſalutis quoque theſauros aperiat:Hac enim cõditione Deus noſter eſt vt in medio noſtri habitet: quemadmodum per Moſen teſtabatur.Obtineri autem talis eius præſentia non poteſt, vt non ſimul vita poſſideatur. Atque vt nihil vltrà exprimeretur,ſatis claram habebant vitæ ſpiritualis promiſſionem in his verbis, Sum Deus veſter. Non enim ſolis vtique corporibus Deum ſe fore denuntiabat, ſed animis præcipuè. animæ autem, niſi per iuſtitiam Deo coniunctæ, ab ipſo alienæ in morte manent. Adſit rurſum illa coniunctio: perpetuam ſalutem ſecum ducet.

Leuit.26.b.12

Pſal.144.d.15 Pſal.33.c.12

Haba. 1.c.12 Ieſa.33.d.22 Deu.33.d.29

Leuit.26.b.11

Exod.6.a.7

9 Accedit eò, quòd non modò ſe illis Deum eſſe teſtabatur, ſed ſe quoque ſemper fore promittebat: quòſpes eorum præſentibus bonis non contenta,in æternitatem protenderetur. Id porrò valuiſſe apud eos temporis futuri notationem oſtendunt multæ voces,vbi ſe non in præſentibus tantùm malis,ſed in poſterum conſolantur fideles:quòd ſibi Deus nunquam defuturus eſſet. Iam verò (quæ pars erat ſecunda promiſſionis)ipſos de Dei benedictione extra terrenæ vitæ limites erga ſe proroganda,clarius etiam nũ confirmabat, Ero Deus ſeminis veſtri poſt vos. Nam ſi ſuam erga mortuos beneuolentiã declaraturus erat,benefaciendo poſteris: erga ipſos multò minus defuturus erat eius fauor. Neque enim inſtar hominum eſt Deus, qui ſuum ideò amorem ad amicorum filios trãſferunt, quia morte interrumpitur eorum facultas, quo minus iis quibus bene volebant impendant ſua officia.at Deus,cuius beneficẽtia morte non impeditur,ſuæ profectò miſericordiæ fructum mortuis non tollit, quam eorum cauſa trãſfundit in mille generationes.Præclaro igitur documento magnitudinem atque affluentiam ſuæ bonitatis, quam poſt mortem ſenſuri eſſent, volebat illis Dominus commendare, quum talem deſcribebat quæ in totam familiam exuberaret.Huius verò promiſſionis veritatem tum obſignauit Dominus, & quaſi complementũ protulit, quum Deum ſe Abraham, Iſaac & Iacob lõgè poſt eorum mortem appellaret.Quid enim? annon ridicula erat appellatio,ſi perierant? Perinde enim fuiſſet acſi ita foret loquutus, Ego ſum Deus eorum qui non ſunt. Proinde vno iſto argumento Sadducęos à Chriſto conſtrictos fuiſſe Euangeliſtæ referũt, vt ne inficiari quidem poſſent reſurrectionem mortuorum à Moſe eſſe teſtatam. nempe qui ex ipſo Moſe didicerant, omnes ſanctos eſſe in manu illius. Vnde inferre promptum erat,ne morte quidem extingui quos in tutelam, cuſtodiam, protectionémque ſuam recepiſſet qui mortis & vitæ eſt arbiter.

Gene.17.a.7

Exod.20.a.6

Exod.3.b.6

Mat.22.c.23 Luc.20.c.32 Deut.33.a.3

10 Iam (qui præcipuus eſt cardo in hac controuerſia)diſpiciamus annõ ipſi quoque fideles ſic inſtituti fuerint à Dominò, vt meliorem alibi vitam ſibi eſſe ſentirẽt, ac neglecta terrena,illam meditarentur.Primùm,quæ diuinitus iniuncta illis fuit viuendi conditio,aſſiduum erat exercitium,quo admonerentur ſe omniũ eſſe miſerrimos ſi in hac modò vita fœlices eſſent. Adam, vel ſola recordatione perditæ fœlicitatis infœliciſſimus,anxiis laboribus egeſtatem ſuam ægrè ſuſtentat. ac ne in ſolis manuũ laboribus Dei maledictione prematur,vnde ſolatium illi reſtabat,extremum luctum percipit. Ex duobus filiis alter illi nefando fratris parricidio eripitur: eum habet ſuperſtitem cuius aſpectum meri-

Gen.3.c.17

Gen.4.b.8 Gen.6.d.22 Gen.9.d.24

tò deteſtetur ac horreat. Abel in ipſo ætatis flore crudeliter trucidatus, exemplũ eſt humanæ calamitatis. Noe bonam ætatis partẽ(dũ totus orbis ſecurè deliciatur)cum magna fatigatione in arca extruenda deterit. Quòd mortem effugit, id fit maioribus eius moleſtiis quàm ſi centum mortes obeũdæ eſſent. Nam præterquam quòd arca illi eſt quaſi ſepulchrum decem menſium, inſuauius nihil eſſe poteſt quàm in animalium ſtercoribus penè immerſum tandiu detineri. Poſtquam tantas difficultates eluctatus eſt, in nouam mœroris materiam incidit:ludibrio ſe haberi à proprio filio videt:& ei quem magno Dei beneficio ſaluum ex diluuio receperat,ſuo ipſius ore maledicere cogitur.

Gen.12.a.4. 11 Abraham quidem vnus inſtar decem myriadũ nobis eſſe debet, ſi ſpectatur eius fides,quæ nobis in optimam credendi regulam proponitur: in cuius etiam genere, vt Filii Dei ſimus,cenſeri nos oportet.Quid verò abſurdius quàm patrem omniũ fidelium eſſe Abraham,& ne poſtremũ quidem angulũ inter illos tenere? Atqui ex numero,imò ex gradu apprimè honorifico deiici non poteſt, quin aboleatur tota Eccleſia. Iam quod ad vitæ experimenta attinet: vbi primùm vocatur Dei imperio, à patria, parentibus,amicis auellitur:in quibus præcipuam vitæ dulcedinem eſſe putant:acſi illum deſtinato conſilio omnibus vitæ oblectamentis ſpoliare Dominus vellet.Simul ac terrã ingreſſus eſt in qua iubetur habitare,fame inde exigitur.Eò ad opem quærendam refugit, vbi,quò ſe incolumem ſeruet,neceſſe habet vxorem proſtituere. quod incertum an multis mortibus fuerit acerbius. Vbi in terram habitaculi ſui reuerſus eſt,inde rurſum fame expellitur.Qualis eſt fœlicitas, eam terram incolere vbi toties eſuriendum, imò verò inedia pereundum, niſi aufugias? Simul eodem neceſſitatis redigitur apud Abimelech, vt caput redimere iactura vxoris opus habeat.Dum huc atque illuc multos annos incertus vagatur, aſſiduis ſeruorum rixis cõpellitur nepotem, quem filii loco habebat,à ſe dimittere. Quæ diſceſſio ſine dubio non aliter ab eo accepta fuit, quàm ſi membri vnius ſectionẽ paſſus foret. Paulo pòſt captiuum ab hoſtibus abripi audit. Quocunque pergat, vicinos reperit immanis barbariæ, qui ne ex effoſſis quidem magno labore puteis aquam bibere ſinant. Neque enim vſum redimeret à rege Gerar,niſi antè fuiſſet prohibitus. Iã vbi ad effœtam ſenectutem ventum eſt,quod habet ea ætas inſuauiſſimum & acerbiſſimũ, orbitate mulctatũ ſe videt,donec præter ſpem Iſmaelẽ gignit:cuius tamen natiuitatẽ magno redimit, dũ Saræ probris fatigatur,perinde acſi ancillæ contumaciã fouendo,domeſticæ perturbationis ipſe cauſa eſſet. Naſcitur demũ Iſaac, ſed ea mercede vt exturbetur primogenitus Iſmael,ac pro derelicto penè hoſtiliter proiiciatur. Vbi ſolus relictus eſt Iſaac, in quo acquieſcat defeſſa boni viri ſenectus,paulo pòſt mactare ipſum iubetur. Quid calamitoſius excogitet humana mens quàm patrem fieri filii carnificem? Si morbo abſumptus foret, quis non putaſſet miſerrimũ eſſe ſenem,cui in ludibriũ datus eſſet filius, ob quẽ orbitatis dolor ei geminaretur?Si ab extraneo aliquo interfectus, indignitate multũ eſſet aucta calamitas. Iſtud verò omnia calamitatis exẽpla ſuperat, patris manu trucidari. Sic denique toto vitæ curriculo iactatus ac vexatus fuit,vt ſiquis velut in tabula exemplar calamitoſæ vitæ depingere velit,nihil reperiat magis appoſitũ. Neque obiiciat quiſpiã eum nõ fuiſſe prorſus infœlicem,quòd à tot tantiſque tempeſtatibus proſperè tandem emerſerit.Non enim beatam vitã ducere illum dicemus,qui per infinitas difficultates ad longũ ſpatium laborioſè eluctetur:ſed qui,ſine malorum ſenſu,præſentibus bonis placidè fruatur.

12 Iſaac, qui minoribus malis afflictatur, vix tamen minimũ ſuauitatis guſtũ percipit.Eas ipſe quoque vexationes experitur quæ beatum eſſe hominẽ in terra non ſinãt.Illum fames fugat è terra Chanaan:vxor è ſinu illi eripitur:vicini illũ ſubinde exagitant,ac modis omnibus premunt, vt de aqua etiã cogatur decertare: domi ſuæ à nuribus multũ moleſtiarum ſuſtinet: filiorũ diſſidio angitur:nec medetur tanto malo poteſt, niſi per exilium eius cui benedixerat.At verò Iacob nihil quàm extremæ infœlicitatis inſigne eſt exemplar. Pueritiam domi inquietiſsimè tranſigit inter fratris primogeniti minas ac terrores,quibus demum cedere cogitur. Profugo à parẽtibus ac natali ſolo præterquam quòd acerbum eſt exulare,apud Laban auunculũ nihilo mitius ac humanius accipitur. Parum eſt duriſsimã atque auſteriſsimam ſeptem annis ſeruire ſeruitutẽ, niſi dolo malo in vxore eludatur. Alterius vxoris gratia in nouam ſeruitutem ingrediendum eſt, vbi totum diem ſolis æſtu torreatur,noctu peruigil vrgeatur gelu ac frigore,quemadmodũ ipſe conqueritur. Tantam vitæ aſperitatem dum annos viginti ſuſtinet,quotidie nouis ſoceri iniuriis affligitur.Nec domi ſuæ quietus eſt,quam videt vxorum odiis,iurgiis,æmulationibus diſtra-

Gen.26.g.35 Gen.28.a.1 Gen.28.a.5 Gen.29.c.20 Gen.31.c.23

bus distractam ac penè dissipatam. Vbi in patriam iubetur se recipere, abitum captare illi necesse est ignominiosæ fugæ similem: nec tamen soceri iniquitatem ita potest effugere quin eius probris ac cõtumeliis in medio itinere vexetur. Excipit mox eum multo sæuior difficultas. Nam dum ad fratrem accedit, tot mortes habet in conspectu, quot ab homine crudeli & inimico parari queant. Diris ergo terroribus supramodum discruciatur ac discerpitur quandiu aduẽtum eius expectat: vbi in conspectum eius prodit, tanquam semimortuus ad pedes procumbit, donec placatiorem sentit quàm sperare ausus fuerat. Ad hæc Rachele, vnicè dilecta coniuge, primo terræ ingressu priuatur. Postea quem ab ea filium sustulerat, eóque præ aliis amabat, à fera laceratum audit: cuius ex morte quantum mœrorem ceperit, declarat ipse, quòd pòst diuturnitas lachrymas solatiis omnibus viam obstinatè claudit, nihil sibi reliquũ faciens nisi vt descendat ad filiũ lugens in sepulchrũ. Interim raptus & defloratio filiæ, in iis vindicandis filiorum audacia, quæ illum non fœtere modò fecerat apud omnes regionis incolas, sed præsentissimũ internecionis periculum illi creauerat, quantæ anxietatis, luctus, tædii causæ erant? Sequitur horrendum illud flagitium Ruben primogeniti, quo nihil grauius accidere poterat. Nam quum inter summa infortunia reponatur vxoris pollutio, quid dicendum sit vbi à proprio filio perpetratũ est id scelus? Aliquanto pòst altero incestu contaminatur familia, vt constantissimum alioqui & infractum calamitatibus animum tot dedecora labefactare debeant. Sub extremum vitæ, dum suæ ac suorum inediæ succurrere quærit, noui infortunii nuntio percellitur, qui intelligit filium alterum in vinculis detineri, quẽ vt recipiat, Beniamin vnicum suum desideriũ, permittere aliis cogitur. Quis putet in tanta malorũ congerie momentum illi datum quo saltẽ securè respiraret? Itaque ipse optimus de se testis asseuerat Pharaoni, dies suos breues ac malos fuisse super terram. Qui per continuas miserias vitam se transegisse pronuntiat, negat profectò eam prosperitatem se sensisse quæ illi à Domino promissa fuerat. Ergo aut malignus ingratúsque Dei gratiæ æstimator erat Iacob, aut verè se miserum fuisse super terram profitebatur. Si vera fuit affirmatio, sequitur nõ habuisse ipsum spem in rebus terrenis defixam.

Gen.32.c.11 Gen.35.c.16 Gen.37.g.32 Gen.34.a.2 Gen.35.d.22 Gen.38.d.18 Gen.42.d.32 Gen.47.b.9

13 Si sancti isti Patres (quod vtique indubitatum est) beatam vitã expectarunt è manu Dei, aliã quàm terrestris vitæ beatitudinẽ & cogitarũt & viderũt. Quod etiã pulcherrimè ostendit Apostolus, Fide (inquit) demoratus est Abrahã in terra promissionis, tanquam aliena, in casulis habitando, cũ Isaac & Iacob consortibus eiusdẽ hereditatis. Expectabant enim bene fundatã ciuitatẽ, cuius opifex ac conditor Deus. In fide defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus: sed procul eas inspicientes, ac credentes, confitentésque quòd hospites & inquilini forent super terrã. Quo significãt se patriam inquirere. & si desiderio eius quam reliquerãt tacti fuissent, erat facultas reuertendi: sed meliorem appetebant, nempe cælestem. Vnde Deus non erubescit vocari eorũ Deus: quando parauit illis ciuitatẽ. Stipitibus enim obtusiores fuissent, tam pertinaciter promissiones consectando, quarum nulla spes in terris apparebat, nisi cõplementum earum alibi expectassent. Id verò in primis non sine ratione vrget, quòd peregrinationẽ, hanc vitam nuncuparunt: qualiter & Moses refert. Si enim peregrini & inquilini sunt in terra Chanaan, vbi promissio Domini qua illius constituti erãt heredes? Manifestè ergo indicat longius spectare quod de possessione illis Dominus promiserat. Quare pedem in terra Chanaan non acquisierunt nisi in sepulchrum, quo testabãtur se sperare fructũ promissionis nonnisi post mortẽ percepturos. Atque hæc causa est cur tãti æstimauerit Iacob illic sepeliri, vt iureiurãdo adegerit filium Ioseph ad eam pollicitationem: cur Ioseph post aliquot secula transferri ossa sua, iampridem in cinerem collapsa voluerit.

Heb.11.b.9 Gen.47.b.9 Genes.47.g.29.30 Gen.50.g.25

14 Denique apertè constat, in omnibus vitæ studiis propositã futuræ vitæ beatitudinem habuisse. Quorsum enim primogenituram tantopere affectasset, tantóque periculo ambiissset Iacob, quæ exiliũ & tantumnon abdicationem illi cõflatura erat, boni verò nihil prorsus allatura: nisi ad altiorem benedictionẽ respexisset? Atque eũ sibi sensum fuisse declarauit ea voce quã inter vltimos spiritus edidit, Salutare tuum expectabo Domine. Quam salutẽ expectasset, quũ intelligeret se animã expirare: nisi in morte initium nouæ vitæ cerneret? Et quid de sanctis ac filiis Dei disceptamus, quum eiusmodi intelligentiæ gustu ne is quidẽ caruerit qui veritatẽ oppugnare alioqui nitebatur? Quid enim sibi volebat Balaam, quum diceret, Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea similia eorũ: nisi quòd sentiebat id quod postea Dauid prodidit, Pretiosam esse

Gen.49.c.18 Num.23.b.10 Psal.116.a.15

Psal.34.d.22 mortem sanctorum in conspectu Domini: mortem verò impiorum pessimam? Si vltima linea & meta in morte forent, nullum in ea notari posset discrimen iusti & impii. sorte, quæ post mortem vtrosque diuersa manet, inter se distinguuntur.

15 Nõdum vltra Mosen progressi sumus: quem isti nihil aliud officii habuisse dicunt quàm vt carnalem populum agri vbertate rerúmque omnium copia ad colẽdum Deum induceret: & tamen (nisi quis sponte semet offerentem lucem refugiat) perspicua iam extat spiritualis fœderis declaratio. Quòd si ad Prophetas descendamus, illic plenissimo fulgore & vita æterna & regnum Christi se profert. Ac primùm Dauid, qui vt tempore aliis fuit superior, ita pro ordine diuinæ dispensationis cælestia mysteria obscurius quàm illi adumbrauit, quanta tamen perspicuitate ac certitudine ad eum scopum omnia sua dirigit? Terrestrem habitationem qualiter æstimarit testatur hæc sententia, Aduena hîc sum & peregrinus, quemadmodum omnes Patres mei. Vanitas omnis homo viuẽs: velut vmbra quisque obambulat. Et nunc quæ expectatio mea, Domine? spes mea ad te ipsa. Sanè qui nihil esse in terra solidum aut stabile confessus, spei tamen in Deum firmitatem retinet, alibi repositam sibi fœlicitatem contemplatur. Ad eam contemplationem fideles reuocare solet, quoties vult eos verè consolari. Nam alibi, postquam de breuitate fluxáque & euanida imagine humanæ vitæ loquutus est, subiicit, Misericordia autẽ Domini vsque in æternum, super timentes eum. Cui simile est quod habetur etiam Psalmo cẽtesimosecundo, Initiò Domine tu fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: velut vestis veterascent, & sicut indumentum mutabis eos. Tu autem idem ipse perstas, & anni tui non deficient. Filii seruorum tuorum habitabunt, & posteri eorum coram te stabilientur. Si ob cæli ac terræ interitum non desinunt pii stabiliri coram Domino: sequitur eorum salutem cum Dei æternitate esse coniunctam. Atqui omnino non potest stare spes ista, nisi in promissionem recumbat quæ apud Iesaiam exponitur, Cæli (inquit Dominus) sicut fumus liquescent: terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: salus autem mea in æternum erit, & iustitia mea nõ deficiet. Vbi iustitiæ ac saluti tribuitur perpetuitas, non quatenus penes Deũ residẽt, sed quatenus ab hominibus sentiuntur.

Psal.101.c.17
Psal.102.d. 26.27.28.29
Iesa.51.b.6

16 Neque verò aliter accipere liceat quę de fideliũ prospero successu passim canit, nisi vt in cælestis gloriæ manifestationẽ cõferantur. Qualia sunt, Custodit Dominus animas sanctorum suorũ: de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Item, Iustitia pii manet in seculũ seculi, cornu eius exaltabitur in gloria: desyderium peccatorum peribit. Item, Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo. Item, in memoria æterna erit iustus. Item, Redimet Dominus animas seruorum suorum. Siquidem seruos suos Dominus impiorum libidini non vexãdos modò, sed lacerandos perẽndósque sæpè permittit. in tenebris & squallore lãguere patitur bonos, dum impii penè inter stellas refulgent: nec illos ita vultus sui serenitate exhilarat vt diuturna lætitia fruantur. Quamobrem ne ipse quidem dissimulat, si in præsentem rerum statum oculos defigant fideles, grauissima tentatione perculsum iri, acsi nulla esset innocẽtiæ apud Deũ gratia nec merces. Adeò impietas vt plurimũ prosperatur ac floret, dum piorũ natio ignominia, paupertate, contẽptu, omníque crucis genere premitur. Parum, inquit, abfuit quin lapsus pes meus, quin effusi fuerint gressus mei, dum vrit me fortuna stultorum, dum improborũ prosperitatẽ video. Tandem post narrationem concludit, Instituebam cogitationem si possem hæc cognoscere: sed tormẽtum est spiritui meo, donec ingrediar in sanctuarium Domini, & intelligam nouissimum eorum.

Psalm.112.b. 7.9
Psal.140.c. 14
Psal.112.b.6
Psal.34.d.23
Psal.73.c.17

17 Ergo vel ista Dauidis confessione discamus, non ignorasse sanctos Patres sub veteri Testamẽto quàm rarò vel nunquam in hoc mũdo repræsentet Deus quæ seruis suis pollicetur, atque ideo animos ad Dei sacrarium sustulisse, in quo reconditum habebant quod in præsentis vitæ vmbra non apparet. Hoc erat vltimũ Dei iudicium, quod quum oculis minimè cernerent, fide cõtenti erant intelligere. Qua fiducia freti, quicquid eueniret in mundo, venturum tamen aliquando tẽpus non dubitabant quo Dei promissiones implerentur. Qualiter istæ voces testantur, Ego in iustitia contẽplabor faciem tuã, satiabor specie tua. Item, Ego sicut oliua viridis in domo Domini. Item, Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani frondescet. Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt. Adhuc fructificabunt: in senecta pingues ac virides erũt. Quũ paulo antè dixisset, Quàm profundæ sunt cogitationes tuæ Iehoua, dum florent impii, germinant quasi herba, vt

Psal.17.d.15
Psal.52.b.10
Psal.92.d.13

ba, vt pereant in perpetuum. Vbi ſpecies iſta & decor fideliũ, niſi vbi mundi huius facies regni Dei manifeſtatione inuerſa fuerit? In illam æternitatem quum oculos conuerterẽt, contempta præſentium calamitatum momentanea aſperitate, ſecurè in has voces erumpebant, Non dabis in æternum vt moriatur iuſtus. Tu verò præcipitabis ſceleſtos in puteum interitus. Vbi in hoc mundo puteus æterni exitii qui ſceleratos abſorbeat, in quorum fœlicitate hoc quoque alibi numeratur quòd diem extremum in pũcto ſine multo languore claudunt? Vbi tanta ſanctorum ſtabilitas, quos ipſe Dauid non modò concuti, ſed opprimi & conteri prorſus vbique conqueritur? Nempe ob oculos ſibi ſtatuebat, non quid ferat inſtabilis & pluſquam æſtuaria mundi viciſſitudo: ſed quid facturus ſit Dominus quum ad æternam cæli ac terrę conſtitutionẽ olim ſedebit. Quemadmodũ alio loco eleganter deſcribit, Nituntur ſtulti opulẽtia ſua, ob diuitias multas ſuperbiunt: & tamen nemo, quantalibet excellentia polleat, redimere fratrem ſuum à morte poſſit, nemo pretium redemptionis Deo ſoluere. Quum autem videant & ſapientes mori, peruerſos pariter & ſtultos interire, & alienis relinquere diuitias ſuas, cogitant domos ſibi permanſuras in ſempiternum, habitationes in ſecula: & nomina ſua in terra celebrant. At homo in honore non permanebit: ſimilis erit pecudibus quæ intereunt. Hæc meditatio eorum, ſumma ſtultitia eſt: quam tamẽ poſteri cupidè æmulantur. Inſtar gregis apud inferos collocabuntur, mors præſidebit illis. Exorta luce recti dominabũtur illis: forma ipſorum peribit: infernus, ipſorum domicilium. Primùm illa ſtultorum irriſio, quòd in lubricis & volubilibus mundi bonis acquieſcant, oſtendit longè aliam ſapientibus quærẽdam eſſe fœlicitatem. Sed illic reſurrectionis myſterium euidentius referat, vbi illis perditis & extinctis piorum regnum erigit. Quem enim, quæſo, dicemus eſſe illum lucis exortum, niſi nouæ vitæ reuelationem, quæ finem præſentis ſequitur?

Pſal. 55. d. 23. 24

Iob 21. b. 13

Pſal. 48. b. 7

18 Inde illa naſcebatur cogitatio, quam in miſeriarum ſolatium ac tolerantiæ remedium fideles vſurpabãt, Momentum in indignatione Domini, vita in eius miſericordia. Quomodo afflictiones momento terminabant qui per totã ferè vitam affligebantur? vbi tantam videbant diuinæ benignitatis durationem, cuius vix minimũ guſtum delibabãt? Si in terra hæſiſſent, nihil tale reperire poterant: ſed quia cælum intuebantur, agnoſcebãt punctum eſſe temporis quo exercentur per crucem ſancti à Domino: miſerationes ſeculi eſſe, quibus colligũtur. rurſum impiorum, qui per ſomnium beati ad diem vnum eſſent, æternum ac nunquam finiendum exitium præuidebant. Vnde illæ voces, Memoria iuſti in benedictione erit: nomen autem impiorum putreſcet. Pretioſa mors ſanctorũ in conſpectu Domini: mors peccatorum peſſima. Item apud Samuelẽ, Dominus pedes ſanctorum ſeruabit, & impii in tenebris conticeſcent, quæ ſignificãt, illos probè cognouiſſe, vtcunque variè circunferrentur ſancti, vltimũ tamen eorum exitum, vitam ac ſalutem: impiorum fœlicitatem amœnam eſſe viam qua in mortis voraginẽ paulatim labuntur. Ideo iſtorum mortem vocabant exitium incircunciſorum, vt quibus reſurrectionis ſpes præciſa eſſet. Quare nullam hac excogitare potuit Dauid grauiorem imprecationem, Deleantur de libro vitæ, & cum iuſtis non ſcribantur.

Prou. 10. b. 7

Pſal. 116. d. 15 & 34. d. 22

1. Sam. 2. b. 9

Eze. 28. c. 10. & 31. d. 18. & alibi.

Pſal. 69. d. 29

19 Præ aliis verò inſignis illa ſententia Iob, Scio quia redẽptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum: & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Qui volunt venditare ſuum acumen, cauillantur non eſſe hæc intelligenda de vltima reſurrectione, ſed de primo quoque die quo ſibi mitiorem fore Deum Iob expectabat: quod vt illis ex parte demus, extorquebimus tamen, velint nolint, ad eam ſpei amplitudinem non potuiſſe peruenire Iob ſi cogitatione in terra reſediſſet. Neceſſe ergo eſt fateamur, oculos in futuram immortalitatem ſuſtuliſſe, qui ſibi vel in ſepulchro iacenti redemptorem affore conſpexerit. Siquidem de præſenti tantùm vita cogitantibus mors extrema eſt deſperatio, quę nec ipſa ſpem eius abſcindere poterat. Etiam ſi me occiderit, dicebat, in ipſo nihilominus ſperabo. Nec mihi obſtrepat hîc nugator quiſpiam paucorum fuiſſe iſtas voces, vnde minimè probetur talem fuiſſe inter Iudæos doctrinam. Reſponſum enim à me ſtatim accipiet, paucos iſtos non procellentia tantùm ingenia admitterentur: ſed, vt erant conſtituti à Spiritu ſancto plebis doctores, quæ cõmuniter ediſcenda eſſent Dei myſteria, & popularis religionis principia eſſe deberẽt, palàm promulgaſſe. Quum ergo audiamus publica Spiritus ſancti oracula, quibus de ſpirituali vita tam clarè ac dilucidè in Iudæorũ Eccleſia diſſeruit, intolerabilis

Iob 19. d. 25

Iob 13. c. 15

pertinaciæ fuerit eos ad carnale tantummodo fœdus ablegare, vbi ſolius terræ ac terreſtris opulentiæ fiat mentio.

20 Si ad poſteriores Prophetas deſcendam, illic verò liceat, quaſi in campo noſtro, liberè ſpatiari. Nam ſi in Dauide, Iob, Samuele fuit non difficilis victoria: illic multo eſt facilior. Hanc enim œconomiam & hunc ordinem in diſpenſando miſericordiæ ſuæ fœdere tenuit Dominus, vt quo propius temporis progreſſu ad plenam exhibitionem accedebatur, ita maioribus in dies reuelationis incrementis illuſtraret. Proinde initiò, quum prima ſalutis promiſſio Adæ data fuit, quaſi tenues ſcintillæ emicarũt: poſtea facta acceſſione, maior lucis amplitudo cœpit exeri, quæ magis ac magis deinde emerſit, latiúſque fulgorem ſuum protulit: donec tandem nubibus omnibus diſcuſſis, ſol iuſtitię Chriſtus vniuerſum terrarum orbem ad plenum illuminauit. Non eſt ergo metuendum ne ſi ad cauſam noſtram comprobandam Prophetarum petamus ſuffragia, illa nos deficiãt: ſed quia ingẽtem materiæ ſyluam fore video, in qua diutius multo immorari neceſſe ſit quàm ferat inſtituti ratio (eſſet enim opus longi voluminis) ſimúlque vel parum perſpicaci lectori viam me ſtrauiſſe ex ſuperioribus arbitror, qua inoffenſo curſu pergere queat, à prolixitate non adeò in præſens neceſſaria abſtinebo: præmonitis tamen lectoribus, vt viam ſibi ea claui expedire meminerint, quam prius in manum illis dedimus: Nempe quoties fidelis populi beatitudinem Prophetæ commemorant (cuius vix minima veſtigia in præſenti vita cernuntur) ad hanc diſtinctionem confugiant: Dei bonitatem quò melius Prophetæ commendarent, temporariis beneficiis, velut lineamentis quibuſdam, populo adumbraſſe: ſed talem eius pinxiſſe effigiem quæ mentes extra terram, elementa mundi huius, & periturum ſeculum raperet, atque ad cogitandam futuræ ac ſpiritualis vitæ fœlicitatem neceſſariò excitaret.

21 Exemplo vno cõtenti erimus. Quum Iſraelitæ Babylonem deportati, ſuam diſſipationẽ morti ſimillimã eſſe cernerent: dimoueri ab ea opinione vix poterant quin fabuloſum putarẽt eſſe quod de ſua reſtitutione vaticinabatur Ezechiel: quòd perinde id æſtimabant acſi denuntiaſſet ſuſcitatũ in vitam iri putrida cadauera. Dominus vt oſtenderet nec ea ipſa difficultate ſe impediri quominus beneficio ſuo locũ faceret, Prophetę cãpum aridis oſſibus plenum per viſionem oſtendit: quibus, ſola verbi ſui virtute, ſpiritum vigorémque vno momento reddidit. Seruiebat quidem ad præſentem incredulitatem corrigendam viſio: ſed interim Iudæos commonefaciebat quãtum vltra populi reductionem virtus Domini protenderetur, quæ arida & diſperſa oſſa ſolo nutu, adeò facilè vegetaret.

Ezc.37.a.4

Ieſa.26.d.19

Quare ſententiam illam cum altera Ieſaiæ ritè cõparabis: Viuent mortui, cadauer meum, reſurgent. Expergiſcimini & exultate qui habitatis in puluere, quia ros viridis campi, ros tuus: & terram gigantum detrahes in ruinam. Vade populę mi, intra in tabernacula tua: claude oſtia tua ſuper te, abſcondere pauxillũ, donec pertranſeat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinem ſuum, nec operiet diutius interfectos ſuos.

22 Quanquam ſiquis ad eiuſmodi canonem omnia redigere tentet, abſurdè fecerit: ſunt enim aliquot loci qui nullo integumento, futuram, quæ in regno Dei fideles manet, immortalitatem demonſtrant. quales nõnullos recitauimus, & quales ſunt cum alii plerique, tum præcipuè duo iſti. alter apud Ieſaiam, Sicut cæli noui & terra noua, quæ facio ſtare coram me: ſic ſtabit ſemen veſtrũ. Et erit menſis ex menſe, ſabbathum ex ſabbatho: veniet omnis caro vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me, quòd vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. alter verò Danielis, In tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi ſui: & veniet tẽpus angustiæ non quale fuit ex quo gẽtes eſſe cœperunt. Et tunc ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et ex iis qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium ſempiternum.

Ieſa.66.g.22

Dan.12.a.1

23 Iam in duobus reliquis probandis, Patres ſcilicet Chriſtum in fœderis ſui pignus habuiſſe, atque in ipſo omnem benedictionis fiduciam repoſuiſſe: quia minus cõtrouerſiæ & plus claritatis habent, non laborabo. Conſtituamus ergo ſecurè quod nec vllis diaboli machinis reuelli queat: vetus Teſtamentũ ſeu fœdus, quod cũ Iſraelitico populo percuſſit Dominus, non rebus terrenis fuiſſe limitatum, ſed ſpiritualis æternæque vitæ promiſſionem continuiſſe: cuius expectationem omnium animis impreſſam oportuit qui in

fœdus

fœdus verè consentiebant. Hanc verò insanam ac pernicioſam opinionẽ procul ſummoueamus, aut Dominum nihil aliud propoſuiſſe Iudæis, aut illos nihil quæſiuiſſe præter ventris ſaturitatem, carnis delicias, florentes opes, externam potentiã, liberorum fœcunditatem, & quicquid animalis homo in pretio habet. Non enim aliud cælorum regnum hodie promittit ſuis Chriſtus Dominus, quàm vbi recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob. ac Iudæos ſeculi ſui Petrus heredes eſſe Euangelicæ gratię aſſerebat, quòd filii eſſent Prophetarum, comprehenſi in fœdere quod Dominus olim cum ſua gente pepigiſſet. Ac ne id ſolis verbis teſtatum eſſet, Dominus facto quoque approbauit. Eo enim quo reſurrexit momento multos ſanctorum reſurrectionis ſuæ conſortio dignatus eſt, ac viſendos in ciuitate præbuit: certo arrhabone ſic dato, quicquid fecit ac paſſus eſt in æternæ ſalutis acquiſitionem, ad veteris Teſtamenti fideles non ſecus quàm ad nos pertinere. Nempe & eodem fidei Spiritu, quo in vitam regeneramur, teſte Petro, prædiți fuerunt. Quum Spiritum illum, qui eſt veluti quædam immortalitatis in nobis ſcintilla (vnde & arrhabo hereditatis noſtræ alibi vocatur) in illis ſimiliter audimus habitaſſe, quomodo illis vitæ hereditatem adimere audeamus? Quo magis mirum eſt eo ſtuporis olim recidiſſe Sadducæos, vt tum reſurrectionem, tum animarum ſubſtantiam negarent: quorum vtrunque tam illuſtribus Scripturæ teſtimoniis conſignatum habebant. Nec minus prodigioſa hodie foret totius nationis ſtoliditas in expectando terreſtri Chriſti regno, niſi hanc repudiati Euangelii pœnam daturos Scripturæ multò antè prædixiſſent. ſic enim iuſto Dei iudicio conueniebat mentes cæcitate percutere, quæ oblatum cæli lumen reſpuendo, tenebras vltrò ſibi accerſiuiſſent. Moſen ergo legunt, & aſſiduè reuoluunt: ſed oppoſito velamine impediuntur ne cernant lucem in eius vultu refulgentem. atque ita manebit illis obtectus ac inuolutus, donec ad Chriſtum conuertatur, à quo illum nunc quantum poſſunt, abducere ac diſtrahere ſtudent.

Mat. 8. b. 11

Act. 3. d. 25

Mat. 27. f. 52

Act. 15. b. 8

2. Cor. 3. d. 14

De differentia vnius Teſtamenti ab altero. CAP. XI.

QVID ergo? (inquies) nullúmne diſcrimen veteris & noui Teſtamenti relinquetur? & quid fiet tot Scripturæ locis, vbi tanquam res diuerſiſſimæ inter ſe conferuntur? Ego verò libenter recipio quæ in Scriptura commemorantur differentias: ſed ita vt nihil conſtitutæ iam vnitati derogent: quemadmodum videre erit vbi eas ordine tractauerimus. Sunt autem illæ (quantum animaduertere mihi licuit, & meminiſſe poſſum) numero quatuor præcipuæ. Quibus ſi quintam adiungere libeat, minimè reclamo. Eas omnes ſic eſſe dico, & oſtenſurum me profiteor, vt ad modum adminiſtrationis potius quàm ad ſubſtantiam pertineant. Hac ratione nihil impedient quominus eædem maneant veteris ac noui Teſtamenti promiſſiones, atque idem ipſarum promiſſionum fundamentum, Chriſtus. Porrò prima eſt, Quòd tametſi olim quoque Dominus populi ſui mentes in cæleſtem hereditatem volebat collimare, arrectóſque eſſe animos: quo tamen in ſpe illius melius alerentur, contemplandam ſub beneficiis terrenis ac quodammodo deguſtandam exhibebat: nunc clarius liquidiúſque reuelata per Euangelium futuræ vitæ gratia, rectà ad eius meditationem, omiſſo inferiori, quem apud Iſraelitas adhibebat, exercitationis modo, mẽtes noſtras dirigit. Hoc conſilium Dei qui non animaduertunt, non putant veterem populum altius conſcendiſſe quàm ad illa quæ corpori promittebantur bona. Audiunt toties terram Chanaan nominari, velut inſigne adeóque vnicum Legis diuinæ cultoribus præmium. Audiunt nihil ſeuerius Dominum eiuſdem Legis tranſgreſſoribus interminari quàm ab eius terræ poſſeſſione expellendos, ac diſpergendos in alienas regiones. Vident in hanc ferè ſummam recidere quæcunque vel benedictiones vel maledictiones à Moſe denuntiãtur. Ex iis minimè dubitanter conſtituunt Iudæos non ſua cauſa, ſed aliena fuiſſe à cæteris populis ſegregatos: nẽpe vt imaginem haberet Chriſtiana Eccleſia, in cuius externa ſpecie ſpiritualium rerum documenta cerneret. Sed quum aliquoties Scriptura demonſtret, huc terrena quibus eos proſequebatur beneficia Deum ipſum deſtinaſſe, vt ad ſpem cæleſtium ita ipſos manu duceret: eiuſmodi diſpenſationem non conſiderare, nimiæ imperitiæ, ne dicam hebetudinis, fuit. Cum hoc hominum genere ſtatus controuerſiæ nobis eſt, quòd illi poſſeſſionem terræ Chanaan Iſraelitis pro ſumma atque vltima beatitudine habitã, nobis poſt reuelatum Chriſtum cæleſtem hereditatem figurare docẽt. Nos contrà contendimus, in terrena qua fruebantur poſſeſſione, velut in ſpeculo, futuram, quam ſibi in cælis præparatam crederent, hereditatem eſſe intuitos.

2 Id melius elucebit ex ſimilitudine quam poſuit Paulus ad Galatas. Comparat Iu-
Galat.4.a.1 dæorum gentem heredi paruulo, qui ad ſe regendum nõdum idoneus, tutoris aut pædagogi, cuius cuſtodiæ commiſſus eſt, ductum ſequitur. Quòd autem eam ad ceremonias ſimilitudinem potiſſimùm refert, nihil obſtat quominus huc quoque aptiſſimè applicetur. Eadem ergo illis hereditas quæ nobis deſtinata fuit: ſed cuius adeundæ & tractandæ nondum per ætatem capaces forẽt. Eadem inter illos Eccleſia: ſed cuius ætas adhuc puerilis erat. Sub hac ergo pædagogia illos cõtinuit Dominus, vt ſpirituales promiſſiones non ita nudas & apertas illis daret, ſed terrenis quodammodo adumbratas. Abraham ergo, Iſaac & Iacob, eorúmque poſteritatem quum in ſpem immortalitatis cooptaret, terram Chanaan in hereditatem illis promiſit: non in qua ſpes ſuas terminarent, ſed cuius aſpectu in ſpem veræ illius, quæ nondum apparebat, hereditatis ſe exercerẽt ac confirmarẽt. Ac ne hallucinari poſſent, dabatur ſuperior promiſſio quæ terram illam non ſupremum eſſe Dei beneficium teſtaretur. Sic Abraham in accepta terræ promiſſione torpere non
Gen.15.a.1 ſinitur: ſed maiori promiſſione erigitur illius mens in Dominũ. Audit enim, Abrahã, ego protector tuus, & merces tua magna valde. Hîc videmus Abrahamo proponi finem ſuæ mercedis in Domino, ne illam quærat fluxam ac lubricam in elementis huius mũdi: ſed immarceſcibilem eſſe reputet. Subiungit deinde terræ promiſſionem, non alia conditione quàm vt ſit diuinæ beneuolẽtiæ ſymbolum, ac cæleſtis hereditatis typus, quem ſanctis fuiſſe ſenſum, earũ voces declarant. Sic Dauid à benedictionibus tẽporariis ad ſummã il-
Pſal.73.d.26 & 84.a.3 lam atque vltimã aſſurgit. Lãguet (inquit) tui deſiderio cor meũ & caro mea. Deus portio
Pſal.16.a.5 mea in ſempiternũ. Item, Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui cõſeruas
Pſal.142.b.6 hereditatẽ meã mihi. Itẽ, Clamaui ad te Domine, dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuorum. Qui ſic loqui audent, ſe profectò mũdum & quicquid eſt bonorum præſentium ſpe ſua tranſcendere profitentur. Hanc tamẽ futuri ſeculi beatitudinem Prophetæ ſæpius ſub typo quem à Domino acceperant, deſcribunt: qualiter intelligendæ ſunt iſtæ
Iob 18.d.17 ſententiæ, Quòd pii hereditate poſſidebunt terram: ſcelerati autem ex ea diſperdentur.
Apud Ieſaiã multis locis Quòd Ieruſalem omne genus diuitiis abundabit, & Sion rerum omnium copia diffluet. Quæ omnia videmus non in terram peregrinationis noſtræ, aut in terreſtrem Ieruſalem propriè competere, ſed in veram patriam fidelium ac cæleſtẽ illam ciuitatem, in qua Do-
Pſal.133.3 minus benedictionem & vitam mandauit in perpetuum.

3 Hæc ratio eſt cur maioris quàm nunc deceat, æſtimaſſe mortalem vitam eiúſque benedictiones ſancti legantur ſub Veteri teſtamẽto. Tametſi enim probè nouerant non eſſe in ea tanquam in curſus ſui meta conſiſtendum: quia tamen recognoſcebant, quæ illic ad eos pro teneritudinis ipſorum modulo exercendos, gratiæ ſuæ lineamenta Dominus impreſſerat, maiori eius ſuauitate afficiebantur quàm ſi ipſam per ſe conſideraſſent. Quemadmodum autem Dominus, beneuolentiam ſuam erga fideles præſentibus bonis teſtando, ſpiritualem fœlicitatem eiuſmodi typis ac ſymbolis tunc adumbrabat, ita econuerſo dabat in pœnis corporeis, in reprobos iudicii ſui documenta. Itaque vt Dei beneficia in rebus terrenis magis conſpicua erant, ita pœnæ. Hanc inter pœnas & præmia analogiam ac conuenientiam (vt ſic loquar) dum imperiti non expendunt, mirantur tantam in Deo varietatem, vt qui ad quælibet hominis delicta ſæuis horrendíſque ſuppliciis vindicanda olim ſubitus, nunc velut poſito priſtinæ iracũdiæ affectu, & mitius & rarius multo puniat: & parum abeſt quin ob id diuerſos Veteris & Noui teſtamẽti deos imaginentur, quod etiã Manichæis accidit. Verùm talibus ſcrupulis facilè expediemur ſi animum referemus ad iſtam quam notaui Dei diſpẽſationem, quòd tum futuræ ac æternæ fœlicitatis gratiam terreſtribus beneficiis, tum ſpiritualis mortis grauitatẽ corporeis pœnis ſignificare & figurare pro eo tempore voluit quo Teſtamentum ſuum quodãmodo adhuc inuolutum Iſraelitico populo tradebat.

4 Alterum Veteris & Noui teſtamenti diſcrimen ſtatuitur in figuris, quòd illud abſente veritate, imaginem tantùm & pro corpore vmbram oſtentabat: hoc præſentem veritatẽ & corpus ſolidũ exhibet. Atque huius ferè fit mentio vbicunque Veteri teſtamento Nouum opponitur: fuſior tamẽ eſt eius tractatio in epiſtola ad Hebræos quàm alibi vſquã. Illic diſputat Apoſtolus aduerſus eos qui Legis Moſaicæ obſeruationes aboleri poſſe non putabãt niſi vt ſecum traherẽt religionis totius ruinã. Quo hũc errorẽ refutet, aſſumit quod de Chriſti ſacerdotio prædictum apud Prophetam fuerat. nã quum æternũ illi
Pſal.110.b.4 deferatur ſacerdotium, certum eſt aboleri ſacerdotiũ illud vbi alii aliis ſucceſſores quotidie

die ſubſtituebantur. Prævalere autem noui iſtius ſacerdotis inſtitutionem probat, quòd iuramento ſtabilitur. Subiungit poſtea, in ea ſacerdotii tranſlatione verti etiam Teſtamenti mutationem. Atque id neceſſarium fuiſſe ratione confirmat, quoniam ea erat Legis imbecillitas quæ nihil adducere ad perfectionem poſſet. Tum deinde proſequitur quæ illa fuerit imbecillitas, nempe quòd externas carnis iuſtitias habuerit quę cultores ſuos non poſſent ſecundum conſcientiam perfectos reddere, quòd pecudum victimis, nec peccata delere, nec veram ſanctitatem conciliare poterat. Concludit ergo, vmbram fuiſſe in ipſa futurorum bonorum, non viuam rerum effigiem: ideóque non aliud habuiſſe officii niſi vt introductio eſſet in ſpem meliorem quæ in Euangelio exhibetur. Hîc videndum eſt qua parte fœdus Legale cum fœdere Euãgelico, Chriſti miniſterium cum Moſaico conferatur. Nam ſi ad promiſſionum ſubſtantiam pertineret comparatio, magnum extaret inter duo Teſtamenta diſſidiũ: ſed quum ſtatus quæſtionis aliò nos ducat, eò tendẽdum eſt vt verum reperiamus. Fœdus ergo quod æternum & nunquam interiturũ ſemel ſanciuit, in medio ſtatuamus. Illius complemẽtum, vnde tandem habet vt ſtatum ratúmque ſit, Chriſtus eſt. Talis cõfirmatio dum expectatur, ceremonias Dominus per Moſen præſcribit, quæ ſunt velut ſolẽnia confirmationis ſymbola. Id in cõtentionem veniebat, cederéne oporteret Chriſto quæ in Lege ordinatæ erant ceremoniæ. Hæ verò tametſi fœderis duntaxat accidentia erãt, vel certè acceſſiones ac annexa, & (vt vulgus loquitur) acceſſoria: quia tamen inſtrumenta erant illius adminiſtrandi, fœderis nomen habent. qualiter & aliis Sacramentis dari ſolet. Proinde, in ſumma, Vetus teſtamentum hoc loco appellatur ſolennis confirmandi fœderis ratio, ceremoniis & ſacrificiis cõprehenſa. In ea quoniam nihil ſolidum ſubeſt, niſi vlterius trãſeatur, oportuiſſe antiquari & abrogari contendit Apoſtolus, vt Chriſto potioris Teſtamenti ſponſori ac mediatori locus daretur, per quem æterna ſanctificatio electis ſemel acquiſita eſt: & tranſgreſſiones obliteratæ, quæ ſub Lege manebant. Quòd ſi malis, ita accipe: vetus fuiſſe Domini Teſtamentum, quod vmbratili & inefficaci ceremoniarum obſeruatione inuolutum tradebatur. ideóque temporarium fuiſſe, quia veluti in ſuſpenſo erat, donec firmã & ſubſtantiali confirmatione ſubniteretur. Tum verò demũ nouum æternúmque factum fuiſſe, poſtquam Chriſti ſanguine conſecratum ſtabilitúmque fuit. Vnde calicem, quem diſcipulis in Cœna porrigit Chriſtus, Noui Teſtamenti calicem vocat in ſuo ſanguine: vt ſignificet, tum verè Dei Teſtamento ſuam conſtare veritatẽ, per quam nouum fit & æternum dum ſanguine ſuo obſignatur.

Hebr. 7. b. 11 c. 19, & 9. c. 1 & 10. a. 1

Mat. 26. c. 28

5 Hinc liquet quo ſenſu dixerit Apoſtolus, Legis pædagogia deductos fuiſſe Iudæos ad Chriſtum antequam ipſe in carne exhiberetur. Illos quoque filios & heredes Dei fuiſſe fatetur: ſed qui propter pueritiam ſub pędagogi cuſtodia habendi eſſent. Conueniebat enim, ſole iuſtitiæ nondum exorto, nec tantum eſſe reuelationis fulgorem, nec tantam intelligẽdi perſpicaciam. Sic ergo verbi fui lucem illis Dominus diſpenſauit, vt eam eminus adhuc & obſcurè cernerent. Ideò hanc intelligentiæ tenuitatem pueritiæ vocabulo Paulus notat, quam elementis huius mundi & externis obſeruatiunculis, tanquam regulis puerilis diſciplinæ, voluit Dominus exerceri, donec effulgeret Chriſtus: per quem ſi- delis populi cognitionem adoleſcere oportebat. Hanc diſtinctionem ſignauit Chriſtus ipſe, quum diceret, Legem & Prophetas fuiſſe vſque ad Iohannem: ex eo euangelizari regnum Dei. Quid Lex & Prophetæ ſui temporis hominibus prodiderunt? nempe guſtum præbebant eius ſapientiæ quæ olim ad liquidum manifeſtanda erat, & procul emicantem præmonſtrabant. Vbi autem digito poteſt oſtendi Chriſtus, reſeratum eſt regnum Dei. In ipſo enim expoſiti ſunt theſauri omnes ſapientiæ & intelligentiæ, quibus propè ad ipſa cæli adyta penetratur.

Gal. 3. d. 24, & 4. a. 1

Mat. 11. b. 13

Coloſ. 2. b. 3

6 Nec obſtat quòd nemo ferè in Chriſtiana Eccleſia repetiri queat qui fidei præſtantia ſit cum Abraham componendus: quòd ea vi Spiritus excelluerint Prophetæ, qua hodiéque orbem vniuerſum illuminant. Non enim quid in paucos gratiæ contulerit Dominus, hîc quæritur: ſed quam in populo docendo ordinariam diſpenſationem ſequutus ſit: qualis apud illos ipſos Prophetas, qui peculiari ſupra alios cognitione prædíti fuerunt, habetur. Nam & obſcura, ceu de rebus longinquis, & typis incluſa eſt eorũ prædicatio. Ad hæc, vtcũque mirifica in illis notitia emineret, quũ tamen ad cõmunem populi pædagogiam ſubmittere ſe neceſſe habuerint, in puerorum grege ipſi quoque cenſentur. Poſtremò nunquam tanta vllis tunc contigit perſpicientia, quæ non ſeculi obſcuritatem aliqua

Mat.13.b.17 Luc.10.c.24 ex parte resiperet. Vnde illud Christi, Multi Reges & Prophetæ desiderarunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, nec audierunt. Itaque vestri oculi beati, quia vident: & aures, quia audiũt. Et sanè hac prærogatiua Christi præsentiam pollere æquum fuit, vt ab ea dilucidior emergeret cælestium mysteriorum reuelatio. Quò

1.Pet.1.b.12 etiam pertinet quod antè citauimus ex priore Petri epistola, fuisse illis patefactum, nostro maximè seculo vtilem esse eorum operam.

7 Venio ad tertium discrimen, quod ex Ieremia sumitur, cuius sunt verba, Ecce dies

Iere.31.f.31 venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos è terra Ægypti, pactum quod irritum fecerũt, quanuis dominarer eis: sed hoc erit pactum quod feriã cum domo Israel, Ponam Legẽ meam in visceribus eorũ, cordibus eorum inscribã eam, & propitiabor iniquitati eorum. Et non docebit vnusquisque proximum suum, vir fratrẽ suum. Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad ma-

2.Cor.3.b.6 ximum. Ex quibus occasionem accepit Apostolus comparationis huius inter Legem & Euangelium statuendæ, vt illam vocaret literalem, hoc, spiritualem doctrinam: illã diceret fuisse deformatam in tabulis lapideis, hoc fuisse cordibus inscriptum: illam esse prædicationem mortis, hoc vitæ: illam damnationis, hoc iustitiæ: illam euacuari, hoc permanere. Quum Apostolo propositum fuerit mentem Prophetæ enarrare, verba vnius expendere satis fuerit, vt assequamur vtriusque sensum. Quãquam est aliquid inter eos dissimile. Odiosius enim loquitur de Lege Apostolus quàm Propheta. neque id simplici Legis respectu: sed quòd erant nebulones quidam Legis κακόζηλοι, qui peruerso ceremoniarũ studio, Euangelii claritatem obscurabant: de Legis natura secundum eorum errorẽ ac stultam affectionem disputat. Ergo id peculiare in Paulo obseruare operæpretium erit. Vterque verò quia Vetus ac Nouum testamentum per contentionem inter se cõponit, nihil in Lege considerat nisi quod proprium eius est. Exẽpli gratia: Lex, misericordiæ promissiones passim continet: sed quia sunt aliunde ascitæ, non veniunt in Legis rationẽ quum de pura eius natura sermo habetur. Hoc illi tantùm tribuunt vt præcipiat quæ recta sunt, scelera prohibeat, præmiũ edicat cultoribus iustitiæ, pœnam trãsgressoribus minetur: cordis interim prauitatem, quæ cũctis hominibus naturalis inest, non immutet aut emẽdet.

8 Nunc membratim Apostoli collationem explicemus. Vetus testamentum literale est: quia sine Spiritus efficacia promulgatum: Nouũ, spirituale: quod Dominus hominum cordibus spiritualiter insculpsit. Ideo secunda antithesis est veluti primæ declaratio. Vetus mortiferum est: quia nihil potest quàm maledictione inuoluere vniuersum hominum genus: Nouum est vitæ organũ: quia à maledictione liberatos in gratiam cum Deo restituit. illud damnationis ministeriũ est: quia reos peragit iniustitiæ omnes filios Adam. hoc, iustitiæ: quia Dei misericordiam reuelat, per quam iustificamur. Postrema antithesis ad Legis ceremonias referenda. Quia illud rerum absentium imaginem habebat, interire ac euanescere tempore oportuit. Euangelium, quia ipsum corpus exhibet, firmam perpetuámque retinet stabilitatem. Vocat quidem Ieremias & leges morales, infirmum ac fragile fœdus: sed alia ratione, quòd scilicet ingrati populi subita defectione mox abruptum fuerit. sed quia eiusmodi violatio est à culpa populi, in Testamentum propriè non conferetur. Ceremoniæ verò, quoniam sua ipsarum infirmitate Christi aduentu fuerunt dissolutæ, causam infirmitatis intra se habebant. Porrò differentia illa Literæ & Spiritus non sic accipienda est acsi nullo cum fructu Legem suam Iudæis Dominus tulisset, nullo eorum ad se conuerso: sed per comparationem posita est, ad commendandam gratiæ affluentiam, qua Euangelii prædicationem idem Legislator, quasi nouam personam induens, honorauit. Nam si eorum multitudinem recensemus quos ex populis omnibus per Euangelii prædicationem Spiritu suo regeneratos in Ecclesiæ suæ communionem collegit, paucissimos ac penè nullos dicemus qui olim in Israele cordis affectu atque ex animo fœdus Domini amplexi sint: qui tamen multi fuerunt, si suopte numero sine comparatione censeantur.

9 Ex tertio discrimine quartũ emergit. Vetus enim testamentũ Scriptura vocat seruitutis, quòd timorẽ in animis generet: nouum autẽ, libertatis, quòd in fiduciã ac securi-

Rom.8.c.13 tatẽ eosdẽ erigat. Sic Paulus ad Romanos octauo, Non accepistis, inquit, spiritũ seruitutis iterum ad timorem: sed Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater. Huc per-

Heb.12.c.18 tinet quod habetur ad Hebræos, non accessisse nũc fideles ad corporeum montem, & incensum

censum ignem,ac turbinem,& caliginem,& procellam,vbi nihil audiatur, aut videatur, nisi quod terrore mentes percellat:adeò vt ipse quoque Moses expauescat, vbi vox terribilis insonat,quam audire omnes deprecentur:sed accessisse ad montẽ Sion,& ciuitatem Dei viuentis,Ierusalem cælestem, &c. Quod autem in sententia quam ex epist. ad Rom. adduximus,breuiter tangit Paulus, fusius explanat ad Galatas, quum ad allegoriã trahit duos Abrahæ filios,in hunc modum, Quòd Agar serua typus sit mõtis Sinai,vbi Legem accepit populus Israel:Sara libera,figura sit cælestis Ierusalẽ,à qua fluit Euangeliũ.Quòd quemadmodum semen Agar seruum nascitur,quod ad hereditatẽ nunquam perueniat, Saræ liberum,cui hereditas debeatur:ita per Legem addicamur in seruitutem,per solum Euangelium in libertatem regeneremur. Huc autem summa redit, Vetus testamentum pauorem ac trepidationem incussisse conscientiis: noui beneficio fieri vt in lætitiam soluantur.Illud iugo seruitutis conscientias astrictas tenuisse,huius liberalitate in libertatem manumitti. Quòd si ex populo Israelitico sancti Patres obiiciũtur, quos quum eodem fidei Spiritu nobiscum præditos fuisse constet, sequitur eiusdẽ & libertatis & lætitiæ fuisse participes:respondemus,neutrum à Lege fuisse: sed quum se per Legem & seruili conditione premi,& conscientiæ inquietudine fatigari sentirent, ad Euangelii subsidiũ confugisse:ideóque peculiarem noui Testamenti fructũ fuisse, quòd præter cõmunem Veteris testamenti legem illis malis exẽpti fuerũt. Deinde negabimus ita libertatis & securitatis spiritu fuisse donatos,vt nõ experti sint aliqua ex parte & timorẽ à Lege & seruitutẽ. Vtcunque enim illa quam per Euãgelii gratiã assequuti erant,prærogatiua fruerẽtur,erant tamen iisdẽ obseruationũ vinculis & oneribus cum vulgo obnoxii.Quũ ergo ad eas ceremonias solicitè obseruandas adigerẽtur, quæ pædagogiæ seruituti similis symbola erant, & chirographa quibus se peccati reos faterentur, ab obligatione non soluerent: iure præ nobis sub seruitutis ac timoris Testamento fuisse dicuntur,dum respicitur communis illa dispensatio,qua tunc cum Israelitico populo Dominus agebat. Galat.4.c.24

10 Tres quas posteriores retulimus comparationes sunt Legis & Euangelii.quare in illis Lex, Veteris testamenti,Euãgelium, noui nomine signatur. Prima latius extenditur: cõprehendit enim sub se & quæ ante Legem editæ sunt promissiones.Quòd autem ipsas sub veteris Testamenti nomine censendas Augustinus negauit, optimè in eo sensit. nec aliud voluit quàm quod docemus:siquidem ad illas Ieremiæ & Pauli sententias respiciebat,vbi Vetus testamentum à verbo gratiæ & misericordiæ discernitur.Istud quoque sciptissimè eodem loco subiungit, pertinere ab initio mundi ad Nouum testamentum filios promissionis, regeneratos à Deo, qui fide per dilectionẽ operante obedierunt mandatis, Idque in spe non carnaliũ,terrenorum,temporaliũ,sed spiritualiũ,cælestium, æternorum bonorum,præcipuè credentes in Mediatorem: per quem non dubitarunt & Spiritum sibi administrari,vt benefacerent,& ignosci,quoties peccarent.Id enim ipsum est quod asserere in animo fuit, Eiusdem nobiscũ benedictionis in æternam salutem consortes fuisse omnes sanctos, quos ab exordio mũdi peculiariter à Deo selectos Scriptura cõmemorat. Inter nostram ergo & illius partitionem hoc interest, quòd nostra(secundũ illam Christi sententiam,Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem, ex eo regnũ Dei euangelizatur) inter Euangelii claritatem, & obscuriorem quæ præcesserat verbi dispensationẽ distinguit. altera simpliciter Legis debilitatem fecernit ab Euangelii firmitudine. Atque hîc quoque de sanctis Patribus annotandum est,ita sub veteri Testamento vixisse,vt non illic restiterint,sed aspirarint semper ad nouũ,adeóque certam eius cõmunionem amplexi sint.Qui enim præsentibus vmbris contenti,mentem ad Christum non extenderũt, eos cæcitatis ac maledictionis dãnat Apostolus. Vt enim reliqua taceamus, quænã maior cæcitas fingi possit,quàm à pecude mactata peccati expiationem sperare? quàm in externa aquæ irrigatione,animæ purgationem quærere? quàm frigidis Deũ ceremoniis,perinde atque illis valde oblectetur,velle placare? Ad istas enim omnes absurditates delabuntur qui sine Christi respectu in Legis obseruationibus hærent. Mat.11.b.13

11 Quintũ,quod adiungere licet,discrimen, in eo iacet, quòd ad Christi vsque aduentum gentem vnã segregauerat Dominus,in qua fœdus gratiæ suæ contineret.Quando distribuebat Altissimus gentes,quãdo diuidebat filios Adam, inquit Moses, in possessionẽ illi cessit populus suus:Iacob funiculus hereditatis eius. Alibi sic populũ alloquitur, En Domini Dei tui est cælũ & terra,& omnia quæ in ea sunt. Patribus tamen tuis tantũmodo adhæsit,amauit eos vt eligeret semẽ eorum post eos: nẽpe vos ipsos,è cunctis gen- Deut.32.b.8 Ibid.10.c.14

tibus.Populum ergo illum veluti ſolus ad ſe ex hominibus pertineret,nominis ſui cognitione dignatus eſt ſolum:fœdus ſuum quaſi in eius ſinu depoſuit:præſentiam ſui numinis illi manifeſtauit:omnibus prærogatiuis eum honorauit.Sed(vt reliqua omittamus beneficia)quod vnum hîc agitur,illum verbi ſui communione ſibi deuinxit,vt eius appellaretur & haberetur Deus.Interea gentes alias, quaſi nihil ſecum haberent rei aut commercii,in vanitate ambulare ſinebat: nec vt earum exitio mederetur, quod vnicũ erat remedium afferebat,verbi ſcilicet ſui prædicationem.Itaque Iſrael tunc filius Domino delicatus:alii extranei.ille cognitus,& in fidem tutelámque ſuſceptus:alii tenebris ſuis relicti.ille à Deo ſanctificatus: alii profani. ille Dei præſentia honoratus: alii omni propinquitate excluſi. At vbi venit plenitudo temporis,inſtaurãdis omnibus deſtinata,exhibitúſque eſt ille Dei & hominum conciliator: diruta maceria quæ tandiu miſericordiam Dei intra Iſraelis fines concluſam tenuerat, annũtiata pax eſt iis qui procul erant, non ſecus atque iis qui propè coniuncti,vt Deo ſimul reconciliati,in vnum populum coaleſcerent. Quare nulla iã Græci aut Iudæi,circunciſionis vel præputii ratio,ſed omnia in omnibus Chriſtus,cui datæ ſunt gentes in hereditatem,& termini terræ in peculium:vt ſine diſcrimine dominetur à mari vſque ad mare,& à fluminibus vſque ad vltimos orbis fines.

Act.14.c.16

Galat. 4.a.4
Epheſ.2.c.14

Galat.6.d.15
Pſal.2.c.8
Pſal.72.b.8, & alibi.

12 Gentium igitur vocatio,inſignis eſt teſſera, qua ſupra Vetus teſtamentum Noui excellentia illuſtratur.Plurimis quidem & clariſſimis Prophetarum oraculis teſtata antè fuerat:ſed ita vt in regnum Meſſiæ eius complementum reiiceretur. Ac ne Chriſtus quidem ſtatim à primo ſuæ prædicationis exordio ad eam progreſſus fecit: ſed eò vſque diſtulit donec abſolutis omnibus redẽptionis noſtræ numeris , ac finito humiliationis ſuæ tempore,acciperet à Patre nomen quod eſt ſupra omne nomen, coram quo omne genu flecteretur. Vnde mulieri Chananææ, hac opportunitate nondum expleta, negat ſe miſſum niſi ad oues perditas domus Iſrael : nec Apoſtolos in prima miſſione patitur eoſdem limites ſuperare.In viam Gentium,inquit,ne abieritis,& in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini:ſed ite potius ad oues perditas domus Iſrael. Vtcunque autem tot teſtimoniis prodita foret,vbi tamen Apoſtolis auſpicanda fuit,ſic noua & inſolens illis viſa eſt vt tanquam prodigium aliquod exhorrerent. Trepidè ſanè nec ſine recuſatione tãdem aggreſſi ſunt.Nec mirum:videbatur enim rationi minimè conſentaneum,vt Dominus,qui tot ſeculis Iſraelem à reliquis gentibus ſelegerat,quaſi repentè mutato conſilio delectum illum tolleret. Vaticiniis quidem id prædictum erat: ſed non poterant vaticiniis adeò attenti eſſe, vt rei nouitate, quæ ſe oculis ingerebat, nihil mouerentur. Neque ſatis ad eos permouendos valebant quæ iam olim futuræ Gentium vocationis ſpecimina Deus ediderat. Siquidem præterquam quòd pauciſſimos vocauerat,illos ipſos inſerebat quodammodo in familiam Abrahæ,vt populo ſuo accederẽt:iſta verò publica vocatione non modò Iudæis æquabantur Gentes , ſed velut in demortuorum locum ſubire eas apparebat. Adde quòd nunquam æquati fuerant Iudæis extranei,quoſcunque Deus antè in corpus Eccleſiæ aſciuerat. Itaque non abs re Paulus myſterium hoc tantopere prædicat abſconditum à ſeculis & generationibus,& quod etiam Angelis mirabile eſſe dicit.

Mat.15.c. 24

Mat.10.a.5

Philip.2. b.9

Col.1. d.26

13 His quatuor aut quinque membris totã Veteris & Noui teſtamẽti differentiam, quantum ad ſimplicem docendi rationem ſufficit,puto bene ac fideliter explicatam. Verùm quia nõnulli hanc in gubernãda Eccleſia varietatem , diuerſum in docẽdo modum, tantam rituum ac ceremoniarum conuerſionem pro magna abſurditate iactant: iis quoque reſpondendum eſt,antequam ad alia trãſeamus. Fieri autem id breuiter poteſt,quia non tam firmæ ſunt obiectiones vt accurata refutatione opus habeant. Non eſt,inquiũt, conſentaneum,vt Deus,qui perpetuò ſibi conſtat,tantam mutationẽ paſſus ſit,vt quod ſemel iuſſerat & commendauerat,poſtea improbaret. Reſpondeo, non propterea mutabilem iudicari Deum debere quòd diuerſis ſeculis diuerſas formas accõmodauerit,prout cuique expedire nouerat.Si alia hyeme officia,alia æſtate familiæ ſuæ agricola præſcribit, non propterea illum inconſtantiæ arguemus , aut deuiare putabimus à recta agriculturæ regula,quæ cum perpetuo naturæ ordine coniuncta eſt. Similiter ſiquis paterfamiliâs aliter ſuos liberos in pueritia,aliter in adoleſcẽtia, aliter in iuuentute erudiat,regat, tractet: non propterea dicemus ipſum leuem eſſe , aut à ſua ſententia diſcedere. Quid ergo inconſtantiæ notam Deo inurimus, quòd temporum diuerſitatem aptis & congruentibus notis diſtinxerit?Poſterior ſimilitudo penitus ſatisfacere nobis debet.Iudæos pueris ſimiles facit Paulus , Chriſtianos adoleſcentibus. Quid in hoc Dei regimine eſt inordinati, quòd

quòd illos in rudimentis detinuit quæ pro ætatis modulo ipsis congruebant: nos firmiore & quasi viriliore disciplina instituit? Ergo in eo elucet Dei constantia quòd eandẽ omnibus seculis doctrinam tradidit: quem ab initio præcepit nominis sui cultum, in eo requirendo perseuerat. Quòd externã formam & modũ mutauit, in eo non se ostendit mutationi obnoxium: sed hominum captui, qui varius ac mutabilis est, eatenus se attẽperauit.

14 Atqui vnde (inquiunt) ista diuersitas nisi quia talem esse Deus voluit? nónne tam bene ab initio quàm post Christi aduentum perspicuis verbis citra vllas figuras reuelare potuit vitam æternam, paucis & claris sacramẽtis suos erudire, Spiritum sanctum largiri, gratiam suam per orbem vniuersum diffundere? Hoc verò perinde est acsi cum Deo litigarent quòd mundum tã serò creauerit, quum posset ab initio: quòd alternas vices inter hyemem & æstatem, inter diem & noctem esse voluerit. Nos verò (quod sentire omnes pii debent) quicquid à Deo factum est, sapienter & iustè factum ne dubitemus: etiamsi causam sæpe nesciamus cur ita fieri oportuerit. Hoc enim esset nimium nobis arrogare, non concedere Deo vt consilii sui rationes habeat quæ nos lateant. At mirum est (inquiunt) quòd nunc pecudum victimas, & totum illum sacerdotii Leuitici apparatum respuat & abominetur, quibus olim oblectabatur. Quasi verò Deũ externa ista & caduca oblectent, aut vllo modo afficiant. Iam dictum est, nihil horum feciisse sua causa, sed omnia pro hominum salute dispensasse. Si medicus iuuenem optima ratione à morbo curet, in eodem postea iam sene alio curationis genere vtatur: num ideò dicemus ipsum medendi rationem repudiare quæ antea placuerat? Imò quum in illa constanter perstet, rationem ætatis habet. Sic Christum aliis signis & absentem figurari, & venturum prænuntiari oportuit: aliis nunc exhibitum repræsentari decet. Quòd ad vocationem Dei latius per omnes populos in aduentu Christi sparsam quàm antè fuerat, & gratias Spiritus largius effusas, quis, obsecro, æquum esse neget vt in manu & arbitrio Dei sit libera gratiarum suarum dispensatio, vt quas velit nationes illuminet? quibus velit locis verbi sui prædicationem excitet? qualem & quantum velit doctrinę suæ profectum & successum largiatur? nominis sui notitiam, quibus velit seculis, auferat è mundo, propter ipsius ingratitudinem: quando itelumnias, quibus impii homines hac parte simplicium animos exagitant, vt vel Dei iustitiam vel Scripturæ fidem in dubium vocent.

Christum, vt Mediatoris officium præstaret, oportuisse fieri hominem. CAP. XII.

IAM magnopere nostra interfuit, verum esse & Deum & hominem qui Mediator noster futurus esset. De necessitate si quæritur, nõ simplex quidem (vt vulgò loquuntur) vel absoluta fuit: sed manauit ex cælesti decreto, vnde pendebat hominum salus. Cæterùm quod nobis optimum erat statuit clementissimus Pater. Quum enim iniquitates nostræ quasi interiecta inter nos & ipsum nube nos à regno cælorum prorsus alienassent, nemo, nisi qui ad eum pertingeret, pacis restituendæ interpres esse poterat. Quis autẽ pertigisset? quispiámne ex filiis Adam? Atqui omnes cum parente suo ad conspectum Dei horrebant. Angelorum aliquis? Sed enim illi quoque opus habebant capite, per cuius nexum solidè & indissolubiliter Deo suo cohærerent. Quid igitur? deplorata certè res erat nisi maiestas ipsa Dei ad nos descẽderet: quãdo ascendere nostrum non erat. Ita Filium Dei fieri nobis Immanuel oportuit, id est nobiscum Deum: & hac quidem lege, vt mutua cõiunctione eius diuinitas & hominum natura inter se coalescerẽt. alioqui nec satis propinqua vicinitas, nec affinitas satis firma, vnde nobis spes fieret Deum nobiscum habitare. Tantũ erat inter nostras sordes & summam Dei munditiem dissidium. Quanuis ab omni labe integer stetisset homo, humilior tamen erat eius conditio quàm vt sine Mediatore ad Deum penetraret. Quid ergo existiali ruina in mortem & inferos demersus, fœdatus tot maculis, corruptione sua fœtidus, denique obrutus omni maledictione? Non ergo abs re Paulus Christum proponere Mediatorem volens, disertè commemorat esse hominem, Vnus, inquit, Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. Tim. 2. b. 5
Poterat Deum dicere: poterat saltem & nomen hominis sicut Dei omittere: sed quia Spiritus per os eius loquens, infirmitatem nostram nouerat, vt tempestiuè occurreret, aptissimo remedio vsus est, Filium Dei tanquam vnum ex nobis familiariter in medio statuens. Nequis igitur se torqueat vbinã ille quærendus Mediator, aut qua via ad ipsum perueniendum, hominem nominans, propinquum, imò cõtiguum nobis esse admonet, quandoquidem caro nostra est. Idem certè designat quod alibi plu-

Heb.4. d.15. ribus verbis explicatur,non esse nobis Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris,quando sit more nostro,sola peccati exceptione,per omnia tentatus.

2 Id etiam clarius fiet si reputemus quàm non vulgare fuerit quod Mediatori præstandum erat,nempe sic in Dei gratiam nos restituere,vt faceret ex filiis hominum illius filios:ex heredibus gehennę,regni cęlestis heredes. Quis hoc poterat,nisi Filius Dei fieret idem filius hominis, & sic nostrum acciperet vt transferret ad nos suum? & quod suum erat natura, nostrum faceret gratia? Hac ergo arrha freti nos esse filios Dei confidimus, quia naturalis Dei Filius sibi corpus de corpore nostro, carnẽ ex carne nostra, ossa ex ossibus aptauit, vt idem nobiscum esset.quod nobis proprium erat, suscipere grauatus non est,vt vicissim ad nos pertineret quod proprium ipse habebat:atque ita in commune ipse nobiscum & filius Dei esset & filius hominis. Hinc sancta illa fraternitas, quam ore suo
Iohan. 20.d. 17 commendat, vbi dicit, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Hac ratione certa nobis est regni cælestis hereditas, quia vnicus Dei Fi-
Rom.8. c.17 lius,cuius in solidum propria erat, nos sibi fratres adoptauit: quòd si fratres, ergo & hereditatis consortes. Adhæc apprimè vtile fuit hac etiam de causa verum esse Deum & hominem qui redemptor noster futurus esset. Eius erat mortem absorbere: quis hoc poterat nisi vita?Eius erat peccatum vincere:quis hoc poterat nisi ipsa iustitia? Eius erat mundi & aeris potestates profligare: quis hoc poterat nisi virtus & mundo & aere superior? Porrò penes quem vita est, aut iustitia, aut cæli imperium & potestas, nisi penes solum Deum? Sese ergo clementissimus Deus in persona vnigeniti Redemptorem nostrum fecit,dum nos redemptos voluit.

3 Alterum hoc nostræ cum Deo recõciliationis caput erat,vt homo, qui sua se inobedientia perdiderat,remedii loco obedientiam opponeret,iudicio Dei satisfaceret, pœnas peccati persolueret. Prodiit ergo verus homo Dominus noster,Adæ personã induit, nomen assumpsit,vt eius vices subiret Patri obediendo,vt carnem nostram in satisfactionis pretium iusto Dei iudicio sisteret: ac in eadem carne pœnam quam meriti eramus persoluceret. Quum denique mortẽ nec solus Deus sentire,nec solus homo superare posset,humanam naturam cum diuina sociauit, vt alterius imbecillitatem morti subiiceret, ad expianda peccata:alterius virtute luctam cum morte suscipiẽs,nobis victoriam acquireret. Qui ergo Christum sua aut diuinitate,aut humanitate spoliãt,eius quidem vel imminuunt maiestatem & gloriam,vel bonitatem obscurant. Sed nõ minus altera ex parte hominibus sunt iniurii,quorũ fidem ita labefactant & euertunt:quæ nisi hoc fundamento nixa stare non potest. Adde quòd sperandus fuit redemptor ille Abrahæ Dauidisque filius,quem in Lege & Prophetis Deus promiserat. vnde alterum fructum colligunt piæ mentes,quòd ipsa originis specie ad Dauidem & Abraham perductæ, certius agnoscunt hunc esse Christum qui tot oraculis celebratus fuit. Sed illud quod nuper exposui,præcipuè tenendum est,communem naturam pignus esse nostrę cum Filio Dei societatis:carne nostra vestitum debellasse mortem cum peccato,vt nostra esset victoria & triumphus noster:carnem quam à nobis accepit,obtulisse in sacrificium, vt facta expiatione reatum nostrum deleret,& placaret iustam Patris iram.

4 His vero par est considerandis qui sedulò attẽtus erit, vagas speculationes facilè negliget quæ leues spiritus & nouitatis cupidos ad se rapiunt: cuius generis est, Christum, etiamsi ad redimendum humanum genus non fuisset opus remedio, futurũ tamen fuisse hominem. Fateor equidẽ,in primo creationis ordine & integro naturæ statu præfectum
Coloss.1. b.15 Angelis & hominibus fuisse caput.qua ratione dicitur à Paulo primogenitus omnis creaturæ.sed quum tota Scriptura clamet vestitum fuisse carne vt fieret redemptor,aliã causam vel alium finem imaginari nimiæ temeritatis est.Quorsum ab initio promissus fuerit Christus satis notum est:vt scilicet instauraret collapsum mũdum, & perditis hominibus succurreret. Itaque sub Lege proposita fuit eius imago in sacrificiis, vt sperarent fideles Deum sibi propitium fore,postquam expiatis peccatis reconciliatus foret. Certè quum seculis omnibus,etiam Lege nondum promulgata,nunquã sine sanguine promissus fuerit Mediator, colligimus, æterno Dei consilio purgandis hominum sordibus fuisse destinatum:quia piaculi signum est sanguinem fundi. Sic de eo concionati sunt Prophetæ,vt reconciliatorem Dei & hominum fore promitterent. Sufficiet pro omnibus vnum illud
Iesa.53. b.45 in primis celebre Iesaiæ testimonium,vbi prędicit percutiendum esse Dei manu propter scelera populi,vt castigatio pacis esset super eum: & Sacerdotem fore, qui se in victimam offerret;

offerret:ex plagis eius fore aliis sanitatem : & quia omnes errarũt & instar ouium fuerunt dispersi,placuisse Deo illum affligere,vt omnium iniquitates ferret.Vbi ad opem miseris peccatoribus ferendam Christum diuinitus propriè addici audimus, quisquis has metas transilit,stultæ curiositati nimis indulget.Iam vbi prodiit ipse,hanc aduentus sui causam esse asseruit,vt placato Deo nos à morte in vitam colligeret.Idem testati sunt de eo Apostoli.Sic Iohãnes, antequam doceat Sermonem factum esse carnem, defectionem hominis narrat. Sed ipse antè omnes audiendus est de officio suo differens, Sic Deus dilexit mundum, inquit, vt Filium suum vnigenitum daret : vt quisquis credit in eum non pereat,sed habeat vitam æternam. Item, Venit hora vt mortui audiant vocem Filii Dei, & qui audierint viuant. Ego sum resurrectio & vita.qui credit in me, quanuis sit mortuus, viuet.Item,Filius hominis venit ad seruandum quod perierat.Item,sanis nõ opus est medico.Nullus esset finis si omnia referre vellem. Vno quidem consensu ad hunc fontẽ nos reuocant Apostoli:& certè nisi ad reconciliandam Deum veniisset, concideret honor sacerdotii,quando ad deprecandum medius statuitur inter Deum & homines Sacerdos. non esset iustitia nostra,quia pro nobis victima factus est,vt nobis peccata Deus non imputet.Denique omnibus elogiis,quibus eum ornat Scriptura,spoliabitur. Cõcidet etiam illud Pauli, Quod impossibile erat Legi, Deum misisse Filium suũ vt in similitudine carnis peccati pro nobis satisfaceret. Nec stabit quod alibi docet, in hoc speculo apparuisse Dei bonitatem,& immẽsum amorem erga homines,dum Christus datus est redemptor. Denique non alium finem vbique assignat Scriptura cur carnem nostram suscipere voluerit Dei Filius & hoc etiam mandatũ à Patre acceperit,nisi vt victima fieret ad Patrem nobis placandum. Ita scriptum est, atque ita oportuit Christum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam. Propterea diligit me pater, quia animam meam pono pro ouibus : hoc mandatum dedit mihi, Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis. Alibi,Pater serua me ex hac hora:sed propterea veni in hanc horam.Pater glorifica Filium. Vbi clarè finem assumptæ carnis assignat,vt victima & piaculum fiat abolendis peccatis.Eadem ratione pronuntiat Zacharias, secundùm promissionem datam patribus venisse:vt illuminet qui in vmbra mortis sedebant.Hæc omnia meminerimus de Filio Dei prædicari,in quo alibi Paulus omnes scientiæ & sapientiæ thesauros absconditos esse testatur,& præter quem nihil se scire gloriatur.

Iohan.1.c.9
Ibid.10.b.14
Ibidẽ 3. b.16
Ibidẽ 5. d.25
Ibidẽ.11.c.25
Mat.18. b.11
Ibidẽ 9.b.12
Heb.5.a 1
2.Cor.5.d.19
Rom.8.a.3
Tit.2.c.11
Luc 24. d.26
Iohã.10.d.17
Ibidẽ.3. b.14
Ibidẽ 12.d. 27.28
Luc.1.g.79
Colos.2.a.3
1.Cor.2.a.2

5 Siquis excipiat,horum nihil obstare quominus idem Christus,qui damnatos redemit,testari etiam potuerit suum erga saluos & incolumes amorem,eorum carnẽ induendo:breuis responsio est,quum pronuntiet Spiritus, æterno Dei decreto coniuncta simul hæc duo fuisse,vt fieret nobis redemptor Christus, & eiusdem naturæ particeps, fas non esse longius inquirere.Nam quem titillat plus aliquid sciendi cupiditas, immutabili Dei ordinatione non contentus, ostẽdit etiam ne hoc quidem Christo,qui nobis in pretium redemptionis datus est,se contentum esse. Nec verò Paulus solùm recitat quorsum missus fuerit, sed ad sublime prædestinationis mysterium conscendens, omnem humani ingenii lasciuiam & pruritum opportunè compescit.Elegit nos in Christo Pater ante mundi creationem vt adoptaret in filios secundùm propositum voluntatis suæ & acceptos habuit in Filio dilecto,in quo habemus redemptionem per sanguinẽ eius.Hic certè non præsupponitur Adæ lapsus quasi tempore superior : sed quid ante secula statuerit Deus ostenditur, quum mederi vellet humani generis miseriæ. Si rursum obiiciat aduersarius, consilium hoc Dei pependisse ex hominis ruina quam præuidebat : mihi satis superque sto plus inquirere permittunt vel scire appetunt,quàm Deus arcano suo decreto prædestinauit.Ac meritò Paulus,vbi de proprio Christi officio ita differuit,precatur Ephesis spiritum intelligentiæ,vt comprehendant quæ sit longitudo,sublimitas,latitudo & profunditas : nempe charitas Christi quæ omnem scientiam supereminet:acsi data opera cãcellos mentibus nostris circundaret , ne à gratia reconciliationis tantillum declinẽt quoties fit Christi mentio.Quare quum fidelis hic sermo sit,teste Paulo,Christum venisse vt peccatores saluos faceret:in eo libenter acquiesco.Et quum alibi doceat idem Apostolus gratiam quæ nunc per Euangelium manifestata est, datam nobis fuisse in Christo ante tempora secularia:ad finem vsque constanter in ea manendum statuo.Huic modestię iniquè obstrepit Osiander,qui hanc quæstionem à paucis antè leuiter motam , rursus hoc tẽpore infœliciter agitauit.Confidentiæ eos insimulat qui Filium Dei negant appariturum in

Ephe.1.2.4.5
Ephes.3.c.16 17.18
1. Tim.1.c.15
2.Tim.1.c.9

carne fuiſſe,ſi non cecidiſſet Adam: quia nullo Scripturæ teſtimonio commentum hoc repudietur. Quaſi verò peruerſæ curioſitati frænum non iniiciat Paulus, vbi de redemptione per Chriſtum parta loquutus, mox iubet ſtultas quæſtiones fugere. Tit.3.c.9 Eouſque erupit quorundam veſania, dum præpoſterè acuti videri appetunt, vt quærerẽt an naturam aſini aſſumere potuerit Dei filius. Hoc portentum, quod pĩ omnes tanquam deteſtabile meritò exhorrent, hoc prętextu excuſet Oſiander quòd nuſquam diſertè in ſcriptura refellitur. 1.Cor.2.a.2 Quaſi verò dum nihil pretioſum aut dignum cognitu Paulus ducit præter Chriſtum crucifixum, Epheſ.1.d.22 aſinum ſalutis authorem admittat. Ergo qui alibi Chriſtum prædicat æterno Patris conſilio in caput fuiſſe ordinatum vt omnia colligeret, nihilo magis alium agnoſcet cui nullæ redimendi partes iniunctæ ſint.

6 Quod autem iactat principium prorſus friuolum eſt. Hominem vult creatum eſſe ad imaginem Dei, quia formatus fuerit ad exẽplar futuri Chriſti, vt illum referret quem iam Pater carne veſtire decreuerat. Vnde colligit, ſi nunquam excidiſſet Adam à prima ſua & integra origine, Chriſtum tamen futurum fuiſſe hominem. Quàm iſtud & nugatorium ſit & contortum, per ſe intelligunt omnes ſano iudicio prædiți. interea primùm ſe vidiſſe putat quid eſſet imago Dei, quòd ſcilicet non ſolùm in dotibus eximiis, quibus ornatus fuerat, relucebat Dei gloria, ſed eſſentialiter in eo habitabat Deus. Ego verò vt concedam imaginem Dei Adam geſtaſſe quatenus Deo cõiunctus erat (quæ vera eſt ac ſumma dignitatis perfectio) Dei tamen ſimilitudinem non alibi quærendam eſſe contendo quàm in illis præſtantiæ notis quibus Adam Deus inſigniuerat præ aliis animantibus. Ac Chriſtum quidem iam tunc fuiſſe imaginem Dei vno cõſenſu fatentur omnes: & proinde quicquid excellentiæ inſculptum ipſi Adæ fuit, inde manaſſe quòd per vnigenitum Gen.1.d.27 filium ad opificis ſui gloriam accederet. Ad imaginẽ ergo Dei conditus eſt homo, in quo ſuam gloriam creator ipſe conſpici quaſi in ſpeculo voluit. In hunc gradum honoris euectus fuit vnigeniti filii beneficio, ſed addo filium ipſum tam Angelis quàm hominibus commune fuiſſe caput: ita vt quæ in hominem collata fuerat dignitas, ad Angelos quo- Pſal.82.a.6 que pertineret. Neque enim dum audimus vocari filios Dei, conſentaneum eſſet negare inditum illis fuiſſe aliquid quo patrem referrent. Quòd ſi tam in Angelis quàm in hominibus repræſentari ſuam gloriam & in vtraque natura conſpicuam eſſe voluit, inſcitè nugatur Oſiander, Angelos fuiſſe tunc poſthabitos hominibus, quia nõ geſtarent Chriſti figuram. Neque enim præſenti Dei intuitu aſſiduè fruerentur, niſi ei eſſent ſimiles. nec Coloſ.3.b.10 aliter docet Paulus renouari homines ad imaginem Dei, quàm ſi Angelis ſocientur, vt ſimul inter ſe cohæreant ſub vno capite. Denique, ſi Chriſto creditur, hæc vltima erit noſtra fœlicitas, vbi in cęlos erimus recepti, conformes eſſe Angelis. Quòd ſi inferre Oſiandro licet, primarium imaginis Dei exemplar fuiſſe in Chriſto homine, eodem iure contendet quiſpiam Chriſtum oportuiſſe fieri Angelicæ naturæ cõſortem, quia ad illos quoque pertineat imago Dei.

7 Non eſt igitur cur metuat Oſiander Deum poſſe mendacem deprehendi niſi in eius mẽte prius fuiſſet de Filio incarnando decretum fixum & immutabile. Quia etiamſi non collapſa fuiſſet Adæ integritas, ſimilis fuiſſet Deo cũ Angelis: neque tamẽ propterea neceſſe fuiſſet Filium Dei fieri vel hominem vel Angelum. Fruſtra etiam abſurdum illud metuit, niſi immutabili Dei conſilio ante creatum hominem Chriſtus fuiſſet naſciturus, non vt redemptor, ſed vt primus homo, ne à ſua prerogatiua excideret: quando iam nonniſi per accidens natus eſſet, vt ſcilicet inſtauret perditum genus humanum: vt inde inferat, creatum igitur fuiſſe ad imaginem Adæ. Cur enim horrebit quod tam apertè docet Heb.4.d.15 Scriptura, ſimilem nobis fuiſſe factum per omnia, excepto peccato? vnde & Lucas filium Luc.3.g.38 Adæ in genealogia cenſere non dubitat. Scire etiam velim cur à Paulo Chriſtus vocetur 1.Cor.15.f. ſecundus Adam, niſi quia deſtinata ei fuit humana conditio, vt ex ruina erigeret Adę po- 47 ſteros. Nam ſi creationem ordine illa præceſſit, dicendus fuit primus Adam. Securè affirmat Oſiander, quia iam Chriſtus homo præcognitus erat in mente Dei, homines ad hoc exemplar fuiſſe formatos. Paulus autem ſecundum Adam nominans, inter primam hominis originem & reſtitutionem quam per Chriſtum conſequimur, mediam ſtatuit defectionem, ex qua naturæ in priſtinum ordinem reformandæ neceſſitas. vnde ſequitur, eandem Filio Dei naſcendi fuiſſe cauſam, vt homo fieret. Interea malè & inſulsè ratiocinatur Oſiander, Adam, quandiu integer ſtetiſſet, futurum imaginem fuiſſe ſuiipſius, non Chriſti. Reſpondeo ex oppoſito, quia etſi nunquam induiſſet carnem Dei Filius, fulgebat nihilominus

nihilominus & in corpore & in anima eius imago Dei: in cuius radiis semper apparuit, Christum esse verè caput, & primatum tenere in omnibus. Atque ita soluitur futilis argutia, quam ventilat Osiander, carituros fuisse Angelos hoc capite nisi Deo propositum fuisset Filium suum carne vestire, etiam citra Adæ culpam. Nimis enim inconsideratè arripit quod nemo sanus concedet, Christo non competere primatum in Angelos, vt fruantur eo principe, nisi quatenus est homo. Atqui facilè elicitur ex Pauli verbis, quatenus æternus est Dei sermo, primogenitum esse omnis creaturæ, non quòd creatus sit, vel numerari inter creaturas debeat: sed quia integer mundi status, qualis ab initio fuit summa pulchritudine insignis, non aliud principium habuit: deinde quatenus homo factus est, primogenitum esse ex mortuis. Vtrunque enim vno & breui contextu considerandũ proponit Apostolus, per Filium creata fuisse omnia, vt Angelis dominetur: & hominem esse factum vt redemptor esse inciperet. Eiusdem insciticæ est quòd homines dicit carituros fuisse Christo rege, nisi homo fuisset. Quasi verò non potuerit constare regnum Dei, si æternus Dei Filius, licet non indutus humana carne, Angelis & hominibus in societatem cælestis gloriæ suæ & vitæ collectis, primatum ipse tenuisset. Sed in hoc falso principio semper hallucinatur, vel sibi præstigias facit, Ecclesiam fuisse ἀκέφαλον futuram, nisi apparuisset in carne Christus. Quasi verò sicuti eo capite fruebantur Angeli, non etiam diuina sua virtute præesse hominibus potuerit, & arcana virtute Spiritus sui vegetare ipsos & fouere, instar corporis sui, donec in cælum collecti eadem cum Angelis vita fruerentur. Quas hactenus refutaui nænias, pro firmissimis oraculis ducit Osiander, nempe vt suarum speculationum dulcedine inebriatus, ridiculos pæanas de nihilo efflare solet. Vnum verò postea dicit longè firmius se afferre, prophetiam Adæ scilicet, qui vxore sua conspecta dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Vnde autem prophetiam esse euincit? nempe quia eũdem sermonem Christus apud Matthæum Deo tribuit. Quasi verò quicquid per homines loquutus est Deus, vaticinium aliquod contineat. Vaticinia in singulis Legis præceptis quærat Osiander, quæ à Deo authore profecta esse cõstat. Adde quòd rudis & terrenus fuisset Christus in literali sensu subsistens. Quia non de mystica vnione qua Ecclesiam dignatus est differit, sed tantùm de fide coniugali: ob hãc causam Deum pronuntiasse docet, virum & vxorem fore carnem vnam, ne insolubile illud vinculum quisquam diuortio violare tentet. Hæc simplicitas si Osiãdro sordet, Christum reprehendat, quia discipulos ad mysterium non traduxerit, Patris dictum subtilius interpretando. Nec verò eius delirio suffragatur Paulus, qui vbi dixit nos esse carnem de carne Christi, mox adiungit, magnum hoc esse mysterium. Neque enim quo sensu hoc protulerit Adam referre voluit, sed sub figura & similitudine coniugii sacram cõiunctionem proponere, quæ nos vnum cum Christo facit. & hoc verba sonant: quia se de Christo & Ecclesia hoc dicere admonens, correctionis loco à lege coniugii discernit spiritualem Christi & Ecclesiæ coniunctionem. Quare facilè euanescit hæc futilitas. Nec verò mihi necesse arbitror similes quisquilias discutere: quia ex breuissima hac refutatione deprehendetur omnium vanitas. Hæc quidem sobrietas filiis Dei solidè pascendis abundè sufficiet, quum vênit plenitudo temporum, missum fuisse Filium Dei factum ex muliere, factum sub Lege, vt eos qui sub Lege erant redimeret.

Colos. 1. b. 15

Colos. 1. c. 18

Ibidem c. 16

Galat. 4. a. 4

Christum veram humanæ carnis substantiam induisse. CAP. XIII.

DE Christi diuinitate, quæ alibi claris & firmis testimoniis probata est, nunc iterum differere superuacuum, nisi fallor, esset. Videndum igitur restat quomodo carne nostra indutus Mediatoris partes impleuerit. Ac humanæ quidem naturæ veritas olim tam à Manichæis quàm à Marcionitis impugnata est: quorum hi quidem spectrum pro Christi corpore sibi fingebãt, illi autem cælesti carne præditũ somniabãt. Sed vtrisque Scripturæ testimonia & multa & valida resistũt. Non enim vel in cælesti semine, vel in hominis larua benedictio promittitur, sed in semine Abrahæ & Iacob. neque homini aereo promittitur thronus æternus, sed Dauidis filio, & fructui ventris eius. vnde & in carne exhibitus, filius vocatur Dauidis & Abrahæ: nõ ideo tantùm quòd ex Virginis vtero natus sit, in aere autem creatus: sed quia (Paulo interprete) secundum carnem factus sit ex Dauidis semine: sicut alibi docet idem Apostolus eum descendisse ex Iudæis. Quamobrẽ Dominus ipse non contentus hominis nomine, filium quoque hominis subinde se appellat, clarius exprimere volens se hominem esse ex hominis semine verè progenitum. Quum Spiritus sanctus toties per tot organa, tantáque dili-

Gen. 17. a. 2
12. d. 18, 26.
a. 4
Psal. 45. b. 7
Matth. 1. a. 1
Rom. 1. a. 3
Ibidem 9. a. 5

gentia & ſimplicitate rem per ſe non abſtruſam enarrauerit, quis cogitaſſet tanta vllos mortales impudẽtia fore qui offucias adhuc ſpargere auderent? Et tamen alia etiamnum
Galat.4.a.4 teſtimonia ad manum ſe offerunt, ſi congerere plura libeat. quale eſt illud Pauli, Deum miſiſſe Filium ſuum factum ex muliere: & innumera, quibus fami, ſiti, frigori, aliiſque naturæ noſtræ infirmitatibus obnoxium fuiſſe conſtat. At ex multis deligẽda ſunt ea potiſ-
Hebr.2.d.16 ſimè quæ animis in vera fiducia ædificandis conducere queant: vt quum dicitur Angelis nequaquam tantum honoris detuliſſe, vt eorum naturam aſſumeret: ſed noſtram aſſum pſiſſe, vt in carne & ſanguine per mortem deſtrueret eum qui potiebatur mortis impe-
Ibidẽ.1.c.11, & d.17 rio. Item, eius communicationis beneficio nos fratres eius cẽſeri: Item, debuiſſe fratribus
Ibidẽ 4. d.15 ſimilem fieri, vt miſericors eſſet ac fidelis interceſſor: nos Pontificem nõ habere qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: & ſimilia. Eódem pertinet quod paulo antè attigi-
Rom.8.a.3 mus, oportuiſſe in carne noſtra expiari peccata mundi. quod à Paulo clarè aſſeritur. Ac
Ephe.4.d.16 certè ideo ad nos pertinet quicquid Chriſto contulit Pater, quia caput eſt ex quo totum corpus per iuncturas connexum ſimul coaleſcit. Imò non aliter conueniet quod dicitur,
Iohan.1.b.16 Spiritum ei datum eſſe abſque menſura, vt de plenitudine eius hauriamus omnes: quando nihil abſurdius quàm Deum in ſua eſſentia aduẽtitio dono locupletari. Hac etiam ra-
Iohã.17.c.19 tione dicit alibi Chriſtus ipſe, Ego propter eos ſanctifico meipſum.

2 Quos verò in erroris ſui confirmationem locos proferunt, nimis ineptè contorquent: nec quicquam friuolis argutiis proficiunt, vbi diluere conantur quæ iam ex parte noſtra adduxi. Marcion phantaſma pro corpore Chriſtum induiſſe imaginatur: quia di-
Philip.2.a.7 catur alicubi in ſimilitudinem hominis factus, & figura compertus vt homo. Sed ita minimè expendit quid illic agat Paulus. nõ enim quale ſibi corpus ſumpſerit Chriſtus vult docere: ſed quum iure diuinitatẽ ſuam exerere poſſet, nihil præ ſe tuliſſe niſi quod erat abiecti contemptíque hominis. Nam, vt eius exemplo nos hortetur ad ſubmiſſionem, oſtendit, quum Deus eſſet, potuiſſe mũdo gloriam ſuam conſpicuam ſtatim proponere: ceſſiſſe tamen iure ſuo, & ſponte ſeipſum exinaniſſe: quia ſcilicet imaginem ſerui induit, & ea humilitate contentus, carnis velamine ſuam diuinitatẽ abſcõndi paſſus eſt. Hîc certè non docet quid fuerit Chriſtus, ſed qualiter ſe geſſerit. Quinetiam ex toto contextu facilè colligitur, in vera hominis natura exinanitum fuiſſe Chriſtum. Quid enim hoc ſibi vult, figura repertum fuiſſe tanquam hominem, niſi quia ad tempus non reſplenduit diuina gloria, ſed tantùm in vili & abiecta conditione apparuit humana ſpecies? Nec verò aliter conſtaret illud Petri, mortuum fuiſſe carne, viuificatum ſpiritu, niſi infirmus fuiſſet Fi-
1.Pet.3.d.18 2.Cor.13.b.4 lius Dei in hominis natura. Quod Paulus clarius explicat, paſſum fuiſſe aſſerens pro carnis infirmitate. Atque huc pertinet exaltatio, quia diſertè nouam gloriam adeptus fuiſſe
1.Cor.15.f. 47 dicitur Chriſtus, poſtquam ſeipſum exinaniuit. quod aptè nõ quadraret niſi in hominem carne & anima præditum. Manichæus aereum fabricatur corpus, quia vocetur Chriſtus ſecundus Adam de cælo cæleſtis. At neque illic eſſentiã corporis cæleſtem inducit Apoſtolus, ſed vim ſpiritualem, quæ à Chriſto diffuſa nos viuificat. Porrò eam, vt vidimus, Petrus & Paulus ab eius carne ſeparant. Quin potius ex eo loco egregiè ſtabilitur quæ inter orthodoxos de Chriſti carne viget doctrina. Niſi enim vnam haberet nobiſcum corporis naturam Chriſtus, inanis eſſet ratiocinatio quam tanta vehementia Paulus proſequitur,
1.Cor.c.16 Si Chriſtus reſurrexit, nos quoque reſurrecturos: ſi non reſurgimus, neque Chriſtum reſurrexiſſe. Quibuſcũque cauillis elabi conentur ſiue Manichæi veteres, ſiue recentes eorum diſcipuli, non ſe expediunt. Putidum eſt effugium, quòd nugantur Chriſtum dici Filium hominis quatenus hominibus promiſſus eſt. ſiquidem palàm eſt, Hebraico more vocari filium hominis verum hominem. Chriſtus verò haud dubiè phraſin linguę ſuæ retinuit. Quid etiam per filios Adam intelligi conueniat, extra cõtrouerſiam eſſe debet. Ac (ne longius abeamus) locus Pſalmi octaui, quem ad Chriſtum Apoſtoli accommodant, abundè ſufficiet, Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quòd viſitas eũ? Hac figura exprimitur vera Chriſti humanitas: quia etſi nõ fuerit ex patre mortali immediatè genitus, origo tamẽ eius ex Adam fluxit. Nec verò aliter ſtaret quod iam citauimus,
Heb.2.d.14 Chriſtum participem factum carnis & ſanguinis, vt pueros ſibi aggregaret ad obſequium Dei. quibus verbis apertè Chriſtus eiuſdem nobiſcum naturæ ſocius & cõſors ſtatuitur. Quo etiam ſenſu dicit ex vno eſſe authorem ſanctitatis, & eos qui ſanctificantur. Nam id
Ibidẽ.2.c.11 referri ad naturæ ſocietatem ex cõtextu euincitur: quia mox ſubiicit, Ideo non erubeſcit

eos

eos vocare fratres. Si enim prius dixisset fideles ex Deo esse, in tanta dignitate quænam esset erubescentiæ ratio? Sed quia pro immensa gratia ad sordidos & ignobiles se aggregat Christus, ideo dicitur non erubescere. Frustra autem obiectant, impios hoc modo fore Christi fratres: quia scimus filios Dei non ex carne & sanguine, sed ex Spiritu nasci per fidem. Proinde fraternam coniunctionem non facit sola caro. Tametsi autem Apostolus hunc honorem assignat solis fidelibus, quòd ex vno sint cum Christo, non tamen sequitur quominus ex eodem fonte nascantur increduli secundum carnem. quemadmodum vbi dicimus Christum factum esse hominem vt nos faceret Dei filios, non extenditur hæc loquutio ad quoslibet: quia fides media interponitur, quæ nos in Christi corpus spiritualiter inserit. De primogeniti etiam nomine rixam inscitè mouēt. Causantur Christum debuisse ex Adam nasci statim ab initio, vt primogenitus esset inter fratres. Primogenitura enim non ad ætatem, sed ad gradum honoris & virtutis eminentiam refertur. Nihilo etiam plus coloris habet quòd garriunt Christum hominem assumpsisse, non Angelos, quia in gratiam receperit humanum genus. Nam vt amplificet honorem quo nos Christus dignatus est, Angelos nobis comparat, qui posthabiti fuerunt hac in parte. Ac, si probè expenditur Mosis testimonium, vbi semen mulieris dicit contriturum caput serpentis, litem prorsus decîdet. Neque enim de vno duntaxat Christo illic sermo habetur, sed de toto humano genere. Quoniā acquirēda nobis erat à Christo victoria, generaliter pronuntiat Deus posteros mulieris superiores fore Diabolo. Vnde sequitur, Christum ex humano genere esse progenitum: quia consilium Dei est, Euam quam alloquitur, bona spe erigere, ne mœrori succumbat. Rom.8.f.29 Heb.2.d.16 Gen.3.c.15

3 Testimonia vbi Christus semen Abrahæ & fructus ventris Dauidis vocatur, non minus stultè quàm improbè allegoriis inuoluunt. Nam si allegoricè positum esset nomen seminis, Paulus certè hoc non tacuisset, vbi clarè & sine figura affirmat non esse plures Abrahæ filios redemptores, sed vnum Christum. Eiusdem est farinæ, quòd obtendunt non aliter vocari Dauidis filium nisi quia promissus fuerat, & suo demum tempore fuit exhibitus. Postquam enim Filium Dei nominauit Paulus, continuò pòst subiicies, Secūdum carnem, naturam certè designat. Sic & nono cap. Deum benedictum prædicans, seorsum ponit, Secundum carnē ex Iudæis descēdere. Iam nisi verè genitus esset ex semine Dauidis, quid valebit ista loquutio, fructum esse ventris eius? Quid promissio ista? Ex lumbis tuis descendet qui manebit in solio tuo. Porrò in Christi genealogia, qualis refertur à Matthæo, sophisticè ludunt. etsi enim non recenset Mariæ parentes, sed Iosephi: quia tamen de re tunc vulgò comperta verba facit, satis habet ostendere Iosephum ex Dauidis semine ortum esse, quum satis constaret Mariam ex eadem esse familia. Magis etiam vrget Lucas, salutem à Christo allatam toti generi humano communem esse docens: quia Christus author salutis ex Adam communi omnium patre sit progenitus. Fanus ex Virgine progenitus est: sed nimis superbè noui Marcionitæ fucandi erroris sui causa, nempe vt Christum de nihilo corpus sumpsisse euincant, mulieres contendunt esse ἀσπόρους: atque ita euertunt naturæ elementa. Quoniam autem theologica non est hæc disputatio, & rationum quas adducunt ea est futilitas quæ nullo negotio refelli queat, quæ philosophiæ sunt & artis medicæ non attingam: ac diluere satis erit quæ ex Scriptura obiiciunt, nempe Aaron & Ioiadah duxisse vxores ex tribu Iehudah, atque ita confusam tunc fuisse tribuum discretionem, si inesset mulieri generatiuum semen. Atqui satis notum est, quantum ad politicum ordinem spectat, censeri progeniem ex virili semine: neque tamen præstantiam sexus obstare quominus in generando coeat semen mulieris. Hæc quoque solutio ad omnes genealogias extenditur. Sæpe vbi catalogum hominum recenset Scriptura, solos viros nominat: an ideo dicendum est mulieres nihil esse? Imò pueris ipsis notum est eas sub viris comprehendi. Hac ratione dicuntur fœminæ párere suis maritis, quia familiæ nomen penes masculos semper residet. Iam sicuti virilis sexus præstantiæ hoc conceditur vt ex patrum conditione nobiles censeantur filii vel ignobiles: ita etiam in seruitute, partus ventrem sequitur, secundum Iurisconsultos. Vnde colligere licebit ex materno semine fœtum procreari. & communi gentium vsu pridem receptum fuit matres vocari genitrices: cui & Lex Dei consentit, quæ perperam alioqui coniugium auunculi cum nepte sua vetaret: quia nulla esset consanguinitas. Viro etiam fas esset sororem vterinam in coniugium accipere, modò ex altero patre esset genita. Galat.3.c.16 Rom.1.a.3 Pſal.132. c.11 Leuit.18

Sicuti autẽ fateor vim paſſiuã adſcribi mulieribus, ita reſpondeo de illis promiſcuè idem
Gala.4. a.4 prædicari quod de viris. Neque enim Chriſtus ipſe dicitur factus per mulierẽ, ſed ex mu-
liere. Ac quidam ex eorũ caterua, excuſſo pudore, nimis proteruè quærunt an dicere ve-
limus ex ſemine menſtruali Virginis procreatum eſſe Chriſtum. quia viciſſim excipiam,
annon coaluerit in matris ſanguine, quod fateri cogentur. Aptè ergo ex Matthæi verbis
conficitur, quia ex Maria genitus eſt Chriſtus, procreatũ eſſe ex eius ſemine, ſicuti quum
Matth.1. a.5 dicitur Booz genitus ex Rahab, ſimilis notatur generatio. Nec verò Matthæus hîc Virgi-
nem quaſi canalem deſcribit, per quem fluxerit Chriſtus: ſed hunc mirificum generandi
morẽ à vulgari diſcernit, quòd per eam ex ſemine Dauidis genitus fuerit Chriſtus. Eadẽ
enim ratione qua Iſaac ex Abraham, Solomo ex Dauide, Ioſeph ex Iacob, ſimiliter Chri-
ſtus ex matre genitus eſſe dicitur. Sermonis enim ſeriem ita Euangeliſta contexit: & pro-
bare volens Chriſtum originem ducere à Dauide, hoc vno contentus eſt, ex Maria eſſe
genitum. Vnde ſequitur, pro confeſſo ſumpſiſſe, Mariam fuiſſe conſanguineam Ioſeph.

4 Abſurda quibus nos grauare volunt, puerilibus calumniis ſunt referta. Turpe &
probroſum Chriſto eſſe ducunt ſi ex hominibus originem traxerit: quia non potuerit à
communi lege eximi, quæ totam Adæ ſobolem abſque exceptione ſub peccato includit.
Atqui hunc nodum facilè ſoluit antitheſis quæ apud Paulum legitur, Sicuti per vnum
Rom.5. b.12 hominem peccatum, & per peccatum mors: ita per iuſtitiam vnius hominis abundauit
1.Cor.15.f. 47 gratia. Cui & altera reſpondet, Prior Adam è terra terrenus & animalis, ſecundus è cælo
Rom.8.a.3 cæleſtis. Itaque alibi idẽ Apoſtolus Chriſtum in ſimilitudine carnis peccati miſſum fuiſſe
docens, vt Legi ſatisfaceret, eum diſertè à cõmuni ſorte ſeparat, vt ſit abſque vitio & cor-
ruptela verus homo. Pueriliter autem nugãtur, ſi ab omni macula immunis eſt Chriſtus,
ac per arcanam Spiritus operationem genitus fuit ex ſemine Marię: non eſſe igitur impu-
rum ſemen mulieris, ſed viri duntaxat. Neque enim immunem ab omni labe facimus
Chriſtum, quia tantùm ex matre ſit genitus abſque viri concubitu, ſed quia ſanctificatus
eſt à Spiritu, vt pura eſſet generatio & integra, qualis futura erat ante Adæ lapſum. Ac
omnino fixum hoc nobis manet, quoties de Chriſti puritate nos admonet Scriptura, no-
tari veram hominis naturam: quia ſuperuacuum eſſet dicere purum eſſe Deum. Sanctifi-
catio etiam de qua loquitur Iohannis 17, in natura diuina locum non haberet. Nec verò
duplex fingitur Adæ ſemen, quanuis nulla ad Chriſtum contagio peruenerit: quia homi-
nis generatio per ſe immunda aut vitioſa non eſt, ſed accidentalis ex lapſu. Proinde nihil
mirum ſi Chriſtus, per quem reſtituenda erat integritas, à vulgari corruptione exemptus
fuerit. Quod etiam pro abſurdo nobis obtrudunt, ſi Sermo Dei carnem induit, fuiſſe igi-
tur anguſto terreni corporis ergaſtulo incluſum, mera eſt procacitas. quia etſi in vnam
perſonam coaluit immenſa Verbi eſſentia cum natura hominis, nullam tamen incluſio-
nem fingimus. Mirabiliter enim è cælo deſcendit Filius Dei, vt cælum tamen non relin-
queret: mirabiliter in vtero Virginis geſtari, in terris verſari, & in cruce pendere voluit, vt
ſemper mundum impleret, ſicut ab initio.

Quomodo duæ naturæ Mediatoris efficiant perſonam. CAP. XIIII.

Iohã.1.b.14 PORRO quod dicitur Verbum carnem eſſe factum, non ſic intelligendum eſt quaſi vel in carnem verſum, vel carni confuſè permixtum fuerit: ſed quia è Virginis vtero templũ ſibi delegit in quo habitaret, & qui Filius erat Dei, filius hominis factus eſt: non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. Si-quidem ita coniunctam vnitámque humanitati diuinitatẽ aſſerimus, vt ſua vtrique naturæ ſolida proprietas maneat, & tamẽ ex duabus illis vnus Chriſtus cõſtituatur. Siquidem in rebus humanis tanto myſterio ſimile poteſt reperiri, hominis ſimilitudo appoſitiſſima videtur, quem ex duabus ſubſtantiis conſtare dicimus: quarum neutra tamen ſic alteri permixta eſt, vt non retineat naturæ ſuæ proprietatem. Neque enim aut anima corpus, aut corpus anima eſt. Quare & de anima ſeorſum dicitur quod in corpus nullo modo cadere poteſt: & de corpore rurſus, quod nulla ratione animæ conueniat: de toto homine, quod nec de anima ſeorſum, nec de corpore, niſi ineptè, accipi poſſit. Poſtremò animi propria tranſferuntur ad corpus, & propria corporis ad animam. qui tamen iis conſtat, vnus homo eſt, non plures. Huiuſmodi verò loquendi formulæ & vnam eſſe in homine perſonam ex duobus connexis cõpoſitam ſignificãt, & duas ſubeſſe diuerſas naturas quæ hanc conſtituãt. Ita & de Chriſto Scripturæ loquuntur. attribuunt illi interdum quæ ad humanitatẽ ſingulariter referri oporteat: interdum quæ diuinitati

peculiariter

peculiariter competant: nonnunquam quæ vtranque naturam complectantur, neutri seorsum satis conueniant. Atque istam quidem duplicis naturæ coniunctionem, quæ in Christo subest, tanta religione exprimunt, vt eas quandoque inter se communicent. qui tropus veteribus ἰδιωμάτων κοινωνία dictus est.

2 Hæc parum firma essent nisi plurimæ & passim obuię Scripturæ phrases probarẽt nihil eorum fuisse humanitus excogitatum. Quod de se ipse dicebat Christus, Antequam Abraham fieret, ego sum, longè ab humanitate alienum erat. Nec me latet quo cauillo deprauent locum hunc erronei spiritus, nempe superiorem fuisse omnibus seculis, quia iam tunc prægnitus fuit Redemptor tam in Patris consilio, quàm in mẽtibus piorum. Sed quũ apertè diem manifestationis ab æterna essentia distinguat, & ex professo ab antiquitate imperium sibi conciliet, quo excellat supra Abraham, sibi haud dubiè vendicat quod diuinitatis est proprium. Quòd primogenitum Paulus asserit vniuersæ creaturæ, qui ante omnia extiterit, & per quem omnia consistant: quòd etiam se prædicat gloriosum fuisse apud Patrem ante mundum conditum, séque vnà cum Patre operari, nihilo magis homini competit. Hæc igitur & similia peculiariter diuinitati attribui certum est. Quòd autem seruus Patris vocatur, quòd creuisse narratur ętate & sapientia apud Deum & homines, quòd gloriam suam non quærere, nescire diem vltimum, à seipso non loqui, non facere voluntatem suam, visus & palpatus fuisse dicitur, solius humanitatis id totum est. Siquidem quatenus Deus est, nec augeri vlla re potest, & omnia propter se operatur, nec quicquam eum latet: agit omnia pro suæ volũtatis arbitrio, & est inuisibilis ac impalpabilis. Neque tamen hæc humanæ tantùm suæ naturæ seorsum adscribit, sed in seipsum recipit quasi Mediatoris personæ conueniant. Communicatio autem idiomatum siue proprietatum est quod dicit Paulus Deum suo sanguine acquisiuisse sibi Ecclesiam, & Dominum gloriæ crucifixum. Item quod dicit Iohannes, palpatum fuisse Sermonem vitæ. Deus certè nec sanguinem habet, nec patitur, nec manibus tangi potest. sed quoniam is qui verus erat Deus & homo Christus sanguinem suum pro nobis crucifixus fudit, quę in humana eius natura peracta sunt, ad diuinitatem impropriè, licet non sine ratione, transferuntur. Simile est exemplum, vbi Iohannes docet Deum posuisse animam suam pro nobis. Ergo & illic humanitatis proprietas cum altera natura communicatur. Rursum quum diceret Christus adhuc in terris agens, neminem in cælum ascendisse nisi Filium hominis qui in cælo erat, certè tunc secundum hominem & in carne quam induerat non erat in cælo, sed quia ipse idem erat Deus & homo, propter duplicis naturæ vnionem alteri dabat quod erat alterius.

Iohã.8.g.58
Colos.1.b.15
Iohan.17.a.5
Iohan.5.c.17
Iesa.42.a.1, & aliis locis.
Luc.2.g.52
Iohan.8.f.50
Marc.13.d. 32
Ioh.14.b.10, & .6.d.38
Luc.24.f.39
Act.20.f.28
1. Cor.2.b.6
1. Iohã.1.a.1
1.Ioh.3.c.16
Iohan.3.b.13

3 Sed omnium clarissimè veram Christi substantiam enarrant loci qui vtranque simul naturam comprehẽdunt, quales in Euangelio Iohannis extant quamplurimi. siquidem nec deitatis singulare, nec humanitatis fuit, sed vtriusque simul quod illic legitur, potestatem accepisse à Patre remittendi peccata, suscitandi quos velit; iustitiam, sanctitatem, salutem largiendi: præfectũ esse iudicem viuis & mortuis, vt honoretur quemadmodum & Pater. Denique quòd lux mundi, pastor bonus, vnicum ostium, vitis vera nuncupatur. Huiusmodi enim prærogatiuis Dei Filius, quũ in carne manifestatus est, præditus fuit: quas etsi ipse vnà cum Patre ante mundum conditum obtinebat, non tamen eodem modo vel respectu: & quæ homini qui nihil quàm homo esset, dari non poterant. In eundem quoque sensum accipere conuenit quod apud Paulum habetur, Christum peracto iudicio redditurum esse regnum Deo & Patri. Regnum sanè Filii Dei quod initium nullũ habuit, neque finẽ habiturũ est: sed quo modo sub carnis humilitate delituit, & seipsum exinaniuit accepta serui forma, depositáque maiestatis specie, Patri se obedientem præstitit, ac eiusmodi subiectione defunctus, tandem gloria & honore coronatus est, atque euectus in summum imperium, vt omnẽ ipso flectatur omne genu: ita tunc & nomen ipsum & coronam gloriæ, & quicquid à Patre accepit Patri subiiciet, vt sit Deus omnia in omnibus. Quorsum enim data ei potestas est, ac imperiũ, nisi vt per eius manũ Pater nos gubernet? Quo etiã sensu dicitur ad Patris dexterã sedere. Hoc verò temporale est, donec præsenti diuinitatis aspectu fruamur. Atque hîc excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ quæ in Euangelio Iohannis legitur, genuinum obscurant sensum, séque implicant multis laqueis. Sit igitur nobis hęc rectæ intelligentiæ clauis, neque de natura diuina, neque de humana simpliciter dici quę ad Mediatoris officium spectant. Regnabit ergo Christus donec prodierit mundi iudex,

Iohã.1.d.29
Ibidẽ 5. d.21 22.23.
Ibidẽ.9.a.5
Ibidẽ.10.b. 9.11
Ibidẽ. 15. 2.
1.Cor.15.c. 24
Philip.2.b.8
Heb.2.a.6
Philip. 2. b. 10
1.Cor.15.d.28

quatenus pro infirmitatis noſtræ modulo Patri nos coniungit. Vbi autem conſortes cęleſtis gloriæ Deũ videbimus qualis eſt, tũc perfunctus Mediatoris officio, deſinet Patris legatus eſſe, & ea gloria contentus erit qua potiebatur ante mundum conditum. Nec alio reſpectu peculiariter in Chriſti perſonam cõpetit Domini nomẽ, niſi quatenus medium
1.Cor.8.b.6 gradum ſtatuit inter Deum & nos. Quò pertinet illud Pauli, Vnus Deus ex quo omnia, & vnus Dominus per quem omnia: nempe cui temporale imperium à Patre mandatum eſt, donec facie ad faciem conſpicua ſit diuina eius maieſtas. cui adeò nihil decedet, imperium Patri reddendo, vt longè clarior emineat. Nam & tunc deſinet caput Chriſti eſſe Deus, quia Chriſti ipſius deitas ex ſe ipſa fulgebit, quum adhuc velo quodam ſit obtecta.

4 Atque hæc obſeruatio ad ſoluendos quamplurimos nodos non paruo vſui futura eſt, ſi eam ſcitè accommodent lectores. Mirum enim quãtum rudes, imò quoſdam etiam non prorſus indoctos torqueant eiuſmodi formulæ, quas vident Chriſto attribui, neque diuinitati eius, neque humanitati ſatis aptas. quia non conſiderant eius perſonæ in qua Deus & homo manifeſtatus eſt, & Mediatoris officio congruere. Ac omnino videre eſt, quàm pulchrè inter ſe hæreant ſingula, ſi modò ſobrium habeant interpretem, qui tanta myſteria qua decet religione examinet. Verùm nihil eſt quod furioſi & phrenetici ſpiritus non perturbent. Arripiunt attributa humanitatis, ad tollendam diuinitatem: diuinitatis rurſum, ad tollendam humanitatem. quæ verò de vtraque natura ſic cõiunctè dicta
Aug. in Enchir. ad Lau. c2p.36 ſunt vt neutri conueniant, ad tollendam vtranque. Id verò quid aliud eſt, quàm contendere Chriſtum non eſſe hominem, quia Deus eſt: non eſſe Deum, quia homo eſt: nec hominem nec Deum eſſe, quia & homo ſimul & Deus eſt? Chriſtũ ergo, vt Deus eſt & homo, vnitis, licet non confuſis, naturis conſtans, Dominum noſtrũ verúmque Dei Filium eſſe conſtituimus, etiam ſecundum humanitatem: etſi non ratione humanitatis. Procul enim abigendus eſt à nobis Neſtorii error, qui dum naturas diſtrahere potius quàm diſtinguere volebat, duplicem Chriſtum ita cõminiſcebatur. quando Scripturam videmus
Luc.1.c.32 clara voce reclamare, vbi & Filii Dei nomen inditur ei qui de virgine naſcitur, & virgo
Ibidem d.43 ipſa, mater Domini noſtri appellatur. Cauendum & ab Eutychiana inſania, ne dum volumus perſonæ vnitatem demonſtrare, vtranque naturam deſtruamus. Tot enim iam citauimus teſtimonia, vbi ab humanitate diſtinguitur diuinitas, & tot alia paſſim extant, vt vel contentioſiſſimis poſſint os obſtruere. Et paulo pòſt nonnulla ſubiiciam quæ figmentũ illud melius diſcutiant. Nobis in præſentia ſatis erit locus vnus. neque enim tem-
Iohan.2.c.19 plum Chriſtus vocaſſet corpus ſuum, niſi diſtinctè in eo habitaret diuinitas. Quare vt meritò in Epheſina ſynodo damnatus fuerat Neſtorius, ita & poſtea in Conſtantinopolitana ac Chalcedonenſi Eutyches: quando non magis confundere duas in Chriſto naturas licet quàm diſtrahere.

5 Verùm noſtro quoque ſeculo emerſit nõ minus exitiale monſtrũ Michael Seruetus, qui figmentum ex Dei eſſentia, ſpiritu, carne & tribus elementis increatis conflatum pro Filio Dei ſuppoſuit. Ac primò quidem negat Chriſtum alia ratione Dei Filium eſſe niſi quatenus in vtero Virginis genitus eſt ex Spiritu ſancto. Huc autem tendit vafrities, vt euerſa duplicis naturæ diſtinctione, Chriſtus aliquid ſit ex Deo & homine permixtum, neque tamen Deus & homo cenſeatur. Toto enim progreſſu huc incumbit, antequam patefactus fuerit Chriſtus in carne, vmbratiles tantùm fuiſſe in Deo figuras: quarum tunc demum extitit veritas aut effectus quum verè incepit eſſe Filius Dei Sermo ille qui ad hunc honorem deſtinatus fuerat. Et nos quidem fatemur Mediatorem, qui ex Virgine natus eſt, propriè eſſe Dei Filium. Nec verò ſpeculum eſſet inęſtimabilis Dei gratiæ homo Chriſtus niſi in eum collata eſſet hæc dignitas vt ſit ac vocetur vnigenitus Dei Filius. Fixa tamen interim manet Eccleſiæ definitio, cenſeri Dei Filium, quia Sermo ante ſecula ex Patre genitus, vnione hypoſtatica naturam humanam ſuſceperit. Porrò vnio hypoſtatica veteribus dicta eſt, quæ perſonam vnam cõſtituit ex naturis duabus. quæ loquutio ad refellendum Neſtorii delirium inuenta fuit: quia Filium Dei fingebat ita habitaſſe in carne, vt non idem ille eſſet homo. Duplicem nos facere Dei Filium calumniatur Seruetus, quum dicimus æternum Sermonem, antequam carne veſtitus eſſet, iam fuiſſe Dei Filium: acſi aliud diceremus quàm manifeſtatũ fuiſſe in carne. Neque enim ſi Deus fuit antequam homo fieret, ideo nouus eſſe Deus incepit. Nihilo abſurdius eſt, in carne apparuiſſe Dei Filium, qui tamen ab æterna genitura ſemper hoc habuit vt Filius eſſet. Quod ſubindicant Angeli verba ad Mariam, Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur

Filius

Filius Dei,acſi diceret Filii nomen,quod obſcurius fuerat ſub Lege,celebre fore & paſſim notum.Cui reſpondet illud Pauli,quia nunc per Chriſtum ſumus filii Dei,liberè & cum fiducia clamare Abba,Pater. Annon olim quoque ſancti Patres habiti fuerunt inter Dei filios? Imò hoc iure freti Deum inuocarũt Patrem. Sed quia ex quo in mundum productus eſt vnigenitus Dei Filius, clarius innotuit cæleſtis paternitas, hoc quaſi priuilegium aſſignat Paulus Chriſti regnõ.Hoc tamen conſtanter tenendum eſt,nunquam vel Angelis vel hominibus Deum fuiſſe patrẽ niſi vnigeniti Filii reſpectu:præſertim homines,quos propria iniquitas Deo exoſos reddit,gratuita adoptione eſſe filios:quia ille eſt naturâ.Nec eſt quòd obſtrepat Seruetus,pẽdere hoc à filiatione quam Deus apud ſe decreuerat:quia hîc non agitur de figuris,qualiter expiatio in ſanguine pecudum oſtẽſa fuit:ſed quum re ipſa filii Dei eſſe non potuerint niſi in capite fundata eſſet eorum adoptio, detrahere capiti quod membris commune fuit,ratione caret. Vltra progredior:quum Angelos vocet Scriptura Dei filios, quorum tanta dignitas à futura redemptione non pendebat: Chriſtum tamen ordine præire neceſſe eſt qui Patrem illis cõciliet. Breuiter iterum repetam, & idem addam de genere humano. Quum à prima origine conditi hac lege fuerint tam Angeli quàm homines vt Deus communis vtriſque eſſet Pater, ſi verum eſt illud Pauli, ſemper Chriſtum fuiſſe caput,& primogenitum omnis creaturæ, vt primatum in omnibus teneret:ritè mihi colligere videor,filium quoque Dei fuiſſe ante mundi creationem.

Rom.8.c.15

Pſal.82.a.6

Coloſ.1.b.15

6 Quòd ſi principium habuit eius filiatio(vt ita loquar)ex quo in carne patefactus eſt, ſequetur Filiũ humanæ quoque naturæ reſpectu fuiſſe. Volunt Seruetus & ſimiles phrenetici Chriſtum,qui in carne apparuit, eſſe Dei Filium:quia extra carnẽ non potuit cenſeri hoc nomine. Reſpondeant nunc mihi an ſecundum vtranque naturam & vtriuſque reſpectu ſit Filius.Sic quidem garriunt:ſed lõgè aliter docet Paulus. Fatemur quidẽ Chriſtum in carne humana Filium dici,non vt fideles,adoptione dũtaxat & gratia,ſed verum & naturalem,ideóque vnicũ : vt hac nota diſcernatur ab omnibus aliis. Nos enim qui in nouam vitam ſumus regeniti,Deus filiorum nomine dignatur : nomen veri & vnigeniti vni Chriſto defert. Quomodo autem vnicus in tanto fratrum numero, niſi quòd natura poſſidet quod nos dono accepimus? Atque hunc honorem extẽdimus ad totam Mediatoris perſonam,vt verè & propriè ſit Filius Dei,qui & natus eſt ex Virgine,& ſe victimam Patri in cruce obtulit:ſed deitatis tamen reſpectu, ſicuti Paulus docet, dum ſe ait ſegregatum in Euãgelium Dei, quod antè promiſerat de Filio ſuo, qui genitus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem,declaratus Filius Dei in virtute.Cur ſecundum carnem diſtinctè nominãs filiũ Dauidis, ſeorſum diceret declaratũ eſſe Dei Filiũ, niſi vellet innuere aliunde hoc pendere quàm à carne ipſa? Nam quo ſenſu alibi dicit paſſum fuiſſe ex infirmitate carnis,reſurrexiſſe ex virtute Spiritus,ita nunc diſcrimen ſtatuit vtriuſque naturæ.Certè concedãt neceſſe eſt, ſicuti à matre accepit cuius cauſa filius Dauidis vocatur, ita à Patre habere cuius cauſa ſit Filius Dei,ídque ab humana natura aliud eſſe ac diuerſum.Duplici nomine eũ inſignit Scriptura,paſſim vocans nũc Dei, nũc hominis Filium.De ſecũdo lis moueri nõ poteſt quin ex cõmuni linguæ Hebraicę vſu hominis dicatur filius,quia eſt ex progenie Adę.Ex oppoſito contẽdo deitatis ęternæque eſſentiæ ratione vocari Dei filiũ: quia nõ minus conſentaneũ eſt ad diuinã naturam referri quòd vocatur Dei filius,quàm ad humanã,quòd vocatur filius hominis. Denique eo quẽ citaui loco, nõ aliter intelligit Paulus eũ qui ſecũdum carnẽ genitus eſt ex ſemine Dauidis, declaratũ eſſe in virtute Filium Dei,quàm alibi docet,Chriſtũ qui ex Iudæis deſcendit ſecundũ carnem,eſſe Deum benedictũ in ſecula.Quòd ſi vtroque loco geminæ naturæ diſtinctio notatur,quo iure negabunt Filiũ Dei eſſe naturæ diuinæ reſpectu,qui ſecundũ carnem filius etiã eſt hominis?

1.Cor.13.b.4

Rom.1.a.1. 2.3

Rom.9.a.5

7 Tumultuoſè quidem illi erroris ſui patrociniũ vrgent,quòd dicitur Deus proprio Filio non peperciſſe,quòd illum ipſum,qui è Virgine naſceretur, Filium Altiſſimi vocari Angelus præcepit. Verùm (ne tã futili obiectione ſuperbiant) expendant pauliſper nobiſcum quàm validè ratiocinentur. Si enim ritè concluditur,à conceptione cœpiſſe Dei filium,quia qui conceptus eſt,filius vocatur : ſequetur,eſſe cœpiſſe Verbũ à ſua manifeſtatione in carne,quia Iohannes tradit ſe de Verbo vitæ annuntiare, quod manus ſuæ contrectauerunt.Similiter quod apud Prophetam legitur,Tu Bethlehem terra Iuda,paruula es in millibus Iuda:ex te mihi naſcetur dux qui regat populum meum Iſrael : & egreſſus eius ab initio,à diebus æternitatis:quomodo cogentur interpretari, ſi talẽ argumentandi modum ſequi volent? Nos enim minimè Neſtorio ſuffragari teſtatus ſum, qui duplicem

Rom.8.f.32

Luc.1.d.32

1.Iohã.1.a.1

Mich.5.a.2

Christum commentus est,quando ex doctrina nostra iure fraternę coniunctioins nos secum Dei filios Christus fecit:quia in carne quam à nobis sumpsit, ipse vnigenitus est Dei filius. Ac prudenter admonet Augustinus, miræ & singularis Dei gratiæ illustre esse speculum,quòd honorem adeptus est, quatenus est homo,quem mereri non poterat. Hac igitur præstantia etiam secundùm carnem ab vtero ornatus fuit Christus, vt Filius Dei esset. Neque tamen in personæ vnitate fingenda est permixtio quæ deitati quod proprium est tollat. Nec verò magis absurdum est,æternum Dei Sermonem,& Christum,vnitis in vnam personam duabus naturis, vocari diuersis modis Dei Filium, quàm secundum varios respectus nunc Filium Dei,nunc filium hominis dici. Nihilo etiam magis nos grauat alia Serueti calumnia,antequam apparuit in carne Christus,nusquam vocari Dei Filium nisi sub figura:quia etsi obscurior fuit tunc eius descriptio,quum tamen iam clarè probatum sit, non aliter æternum fuisse Deum, nisi quia Sermo fuit ab æterno Patre genitus, neque aliter nomen hoc competere in Mediatoris personā quam suscepit,nisi quia Deus est in carne manifestatus: neque Deum Patrem ita fuisse vocatum ab initio, nisi mutua
Ephes.3. c.15 iam tunc fuisset ad filium relatio,per quem omnis cognatio vel paternitas cēsetur in cælo & in terra:hinc colligere promptum est, sub Lege quoque & Prophetis fuisse Dei Filium, antequam celebre esset hoc nomen in Ecclesia. Quòd si de sola voce certetur, Solomo de immensa Dei altitudine differens,tam filium eius, quàm ipsum incomprehensi-
Prou.30. a.4 bilem affirmat:Dic nomen eius,si potes, inquit, aut filii eius. Nec me latet apud contentiosos non fore satis ponderis in hoc testimonio: neque etiā eo valde nitor,nisi quòd malignè eos cauillari ostendit qui Filium Dei negant esse Christum, nisi quatenus homo factus est. Adde quòd vno ore & consensu vetustissimi quique scriptores hoc idē tam apertè testati sunt,vt non minus ridicula quàm detestabilis sit eorū impudentia qui Irenęum & Tertullianum obiicere nobis audent, quorum vterque inuisibilem fatetur fuisse Dei Filium,qui postea visibilis apparuit.

8 Etsi autem horrenda portenta cumulauit Seruetus, quibus fortè alii non subscriberent: quicunque tamen Filium Dei non agnoscunt nisi in carne, si propius instes, ab illis id concedi animaduertes, nō alia ratione nisi quia conceptus est in vtero Virginis ex Spiritu sancto: qualiter olim nugati sunt Manichæi,hominem ex traduce Dei animā ha-
Gen.2.a.7 bere: quia legebant Deum inspirasse Adæ vitæ spiraculum. Nam ita mordicus arripiunt Filii nomen,vt nullum inter naturas discrimen relinquant: sed confusè blaterent Christum hominem esse Dei Filium,quia secundum humanam naturam ex Deo genitus est.
Eccl.24.b.14 Sic æterna Sapientiæ genitura,quam prædicat Solomo, aboletur, & nulla habetur deitatis ratio in Mediatore:vel in hominis locum spectrum supponitur. Crassiores Serueti prę-
stigias,quibus se & quosdam fascinauit(vt hoc exemplo admoniti pii lectores se in sobrietate & modestia contineant)refellere vtile quidem esset:tamen superuacuum fore duco, quia id peculiari libro à me factum est. Huc summa redit, Filiū Dei ab initio fuisse ideam, & iam tunc præordinatum fuisse hominem qui esset essentialis Dei imago. Nec aliū Dei Sermonem agnoscit nisi in externo splēdore. Hanc fuisse genituram interpretatur, quòd Filii generandi ab initio genita fuit in Deo voluntas,quæ etiam actu se extendit in ipsam creaturam. Spiritum interea miscet cum ipso Sermone,quia Deus inuisibile verbū & Spiritum dispertiuerit in carnem & animam. Denique figuratio Christi locum genituræ apud eum obtinet:sed qui tunc per speciem vmbratilis fuit Filius,eum tandem esse genitum dicit per Sermonem,cui seminis partes attribuit. Vnde sequetur,porcos & canes nō minus esse Dei filios, quia ex originali semine verbi Dei creati sunt. Etsi autem ex tribus increatis elemētis Christum cōflat, vt sit genitus ex essentia Dei:sic tamen primogenitū esse fingit inter creaturas, vt eadem sit essentialis diuinitas lapidibus secūdum suum gradum. Ne verò Christum videatur sua deitate exuere, asserit carnem eius Deo esse ὁμοούσιον & Sermonem fuisse hominem factum, carnis in Deum conuersione. Ita dum Christū apprehendere non potest Filium Dei,nisi eius caro ex Dei essentia prodierit,& in deitatem fuerit conuersa, æternam Sermonis hypostasin redigit in nihilum, & filium Dauidis, qui promissus fuit redemptor,nobis eripit. Sæpius quidem hoc repetit,genitum fuisse Filium à Deo, scientia & prædestinatione: tandem verò hominem factum ex materia illa quæ initiò apud Deum fulgebat in tribus elementis,quæ deinde apparuit in prima luce mundi, in nube & columna ignis. Porrò quàm turpiter secum ipse sibinde pugnet nimis prolixum esset referre. Ex hoc compendio colligent sani lectores, versutis ambagibus impuri

impuri canis ſpem ſalutis prorſus fuiſſe extinctam. Nam ſi caro eſſet ipſa diuinitàs, deſineret eſſe eius templum. Iam nec redemptor nobis eſſe poteſt niſi qui ex Abrahæ Dauidíſque ſemine progenitus, verè ſecundum carnem homo factus ſit. Ac perperam in verbis Iohannis inſiſtit, Sermonẽ fuiſſe factum carnem: quia ſicut Neſtorii errori occurrunt, ita impium hoc commentum, cuius author fuit Eutyches, minimè adiuuãt, quum Euangeliſtæ non aliud fuerit propoſitum quàm perſonæ vnitatem aſſerere in duabus naturis.

Vt ſciamus quorſum miſſus fuerit Chriſtus à Patre, & quid nobis attulerit, tria potiſſimùm ſpectanda in eo eſſe, munus propheticum, regnum & ſacerdotium. CAP. XV.

RECTE Auguſtinus, quanuis hæretici Chriſti nomen prædicent, commune tamen illis cum piis fundamentum eſſe negat, ſed manere Eccleſiæ proprium. quia ſi diligenter conſiderentur quę ad Chriſtum pertinent, nomine tenus inuenitur Chriſtus apud eos: re ipſa non eſt. Sic hodie Papiſtæ, quãuis in ore ipſorum reſonet Filius Dei, mundi redemptor: quia tamen inani nominis obtentu contenti, ſua virtute & dignitate eum nudant, verè in eos competit illud Pauli, caput non tenere. Ergo vt in Chriſto reperiat fides ſolidam ſalutis materiam, atque ita in ipſo acquieſcat, ſtatuendum hoc principium eſt, tribus partibus conſtare quod ei iniunctum à Patre munus fuit. Nam & Propheta datus eſt, & Rex & Sacerdos. quãquam nomina hæc tenere parum prodeſſet, niſi accederet finis & vſus cognitio. Nam & in Papatu quoque pronuntiantur, ſed frigidè nec magno cum fructu, vbi neſcitur quid in ſe vnumquodque elogium contineat. Diximus antè, quanuis Deus Prophetas continuâ ſerie aliis aliis ſubmittens populum nunquam deſtituerit vtili doctrina, & quæ ad ſalutem ſufficeret: piorum tamen mentes hac perſuaſione ſemper fuiſſe imbutas, aduentu Meſſiæ demum plenam intelligentię lucem ſperandam eſſe. adeóque eius rei opinio peruenerat vſque ad Samaritanos, quibus tamen nunquam innotuerat vera religio. quod patet ex voce illa mulieris, Meſſias quũ venerit, docebit nos omnia. Neque verò hoc Iudæi temerè præſumpſerant animis: ſed, vt erant certis oraculis edocti, ita credebant. Illuſtris inter alias eſt Ieſaiæ ſentẽtia, Ecce poſui eum teſtem populis, ducem & magiſtrum populis dedi eum: nempe quo mõdo iam alibi vocauerat angelum vel interpretem magni conſilii. Hac ratione Apoſtolus perfectionem doctrinę Euangelicæ commendans, vbi dixit, variè olim & ſub figuris multiplicibus Deum loquutum eſſe Patribus per Prophetas, adiungit, nouiſſimè nobis loquutum eſſe per dilectum Filium. Quia autem commune Prophetis officiũ fuit tenere ſuſpenſam Eccleſiã, & ſimul fulcire vſque ad Mediatoris aduentũ, ideò cõqueſtos in diſſipatione fideles legimus, priuari ſe ordinario illo bono, Signa noſtra nõ videmus: nõ eſt inter nos Propheta: nõ eſt cognoſcens amplius. At verò quũ iam nõ longè abeſſet Chriſtus, præfixũ fuit Danieli tempus ad obſignãdam viſionẽ & prophetam, non ſolũ vt vaticinio de quo illic agitur, certa cõſtaret authoritas: ſed vt fideles æquo animo carerẽt ad tẽpus Prophetis, quia inſtaret omnium reuelationũ plenitudo & clauſula.

Ench. ad Laurent. cap. 5

Coloſſ. 2. d. 19

Iohã. 4. d. 25

Ieſa. 53. b. 4

Ieſa. 9. b. 6

Heb. 1. a. 1

Pſal. 74. b. 3

Dan. 9. f. 24

2 Porrò notandum eſt ad hæc tria munera Chriſti pertinere elogium. ſcimus enim ſub Lege ſacro oleo tam Prophetas quàm ſacerdotes ac reges fuiſſe vnctos. Vnde & celebre Meſſiæ nomen promiſſo Mediatori fuit impoſitum. Etſi autem fateor peculiari regni intuitu & ratione dictum fuiſſe Meſſiam (vt etiam alibi oſtendi) prophetica tamen & ſacerdotalis vnctio gradũ ſuum obtinent, neque ſunt à nobis negligendæ. Prioris expreſſa fit mentio apud Ieſaiam, his verbis, Spiritus Domini Iehouæ ſuper me. ideo vnxit me Iehoua vt prædicarem manſuetis, medelam afferrem contritis corde, promulgarem captiuis liberationem, publicarem annum beneplaciti, &c. Videmus vnctum Spiritu fuiſſe vt præco & teſtis eſſet gratiæ Patris: neque id cõmuni more: quia à reliquis doctoribus, quorum ſimile erat officium, diſcernitur. Atque hîc rurſus notandum eſt, non ſibi modò vnctionem accepiſſe, vt fungeretur docendi partibus: ſed toti ſuo corpori, vt in continua Euangelii prædicatione virtus Spiritus reſpondeat. Interea manet illud fixum, hac quam attulit perfectione doctrinæ finem impoſitum fuiſſe omnibus prophetiis: vt authoritati eius derogent qui Euãgelio non contenti extraneũ aliquid aſſuunt. Nam extra omnium ordinem ſingulari priuilegio eum euexit vox illa quę detonuit è cælo, Hic eſt Filius meus dilectus: ipſum audite. Ab ipſo deinde capite ad mẽbra diffuſa eſt hæc vnctio: ſicut à Ioele prædictũ fuerat, Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ viſiones videbunt, &c. Quod autem dicit Paulus, datum eſſe nobis in ſapientiam: & alibi, in eo abſconditos eſſe theſauros omnes ſcientiæ & intelligentiæ, paulò diuerſum ſenſum habet: nempe extra ipſum

Iſa. 51. a. 3

Mat. 3. d. 17

Ioel. 2. g. 28

1. Cor. 1. d. 30

Coloſſ. 2. a. 3

nihil esse vtile cognitu,& quicunque fide percipiunt qualis sit, totam bonorũ cælestium
1.Cor.2.2 immensitatem complexos esse. Qua ratione alibi scribit, Nihil scire pretiosum duxi præter Iesum Christum,& hunc crucifixum. Quod verissimum est,quia vltra Euangelii simplicitatem progredi fas non est. Atque huc tendit prophetica dignitas in Christo,vt sciamus in summa doctrinæ quam tradidit,inclusos esse omnes perfectæ sapientiæ numeros.

3 Venio ad regnum,de quo frustra verba fierent nisi prius admoniti essent lectores spiritualem esse eius naturam: quia inde ad quid valeat & quid nobis conferat, totáque
Dani.2.g.44 eius vis & æternitas colligitur. Æternitas porrò, quam apud Danielem Angelus Christi
Luc.1.d.33 personæ tribuit, meritò Angelus item apud Lucam saluti populi accommodat. Sed hæc quoque duplex, aut duobus modis statuenda est: altera enim ad totum Ecclesiæ corpus pertinet,altera propria est cuiusque membri. Ad priorem referẽdum est quod in Psalmo
Psal.89.e.36. dicitur,Semel iuraui per sanctitatem meã Dauidi,non mẽtiar: semen eius in æternũ ma-
37.38 nebit:soliũ eius sicut sol in cõspectu meo: sicut luna stabilietur in æternum,& testis in cęlo fidelis. Neque enim dubium est quin illic promittat Deus se per manum Filii sui æternum fore Ecclesiæ præsidem ac defensorem. Neque enim alibi quàm in Christo reperietur vaticinii huius veritas. quandoquidem statim post mortem Solomonis concidit maiori ex parte regni dignitas,& cum ignominia familiæ Dauidicæ ad priuatum hominem translata est:postea sensim diminuta fuit,vsquedum prorsus tristi & pudẽdo interitu de-
Iesa.53.c.8 ficeret. Eundem habet sensum illa Iesaiæ exclamatio,Generationem eius quis enarrabit? Nam Christum ita à morte superstitem fore pronuntiat vt eũ coniungat cum suis membris. Ergo quoties audimus armari Christum æterna potestate, meminerimus hoc præsidio fulciri Ecclesiæ perpetuitatem:vt inter turbulentas agitationes, quibus assiduè vexatur,inter graues & formidabiles motus qui innumeras clades minantur,salua tamen ma-
Psal.2.d.34 neat. Sic vbi Dauid hostium audaciam ridet qui iugum Dei & Christi eius abrũpere conantur,dicítque reges & populos frustra tumultuari,quia ad frangendos eorum impetus satis fortis est qui in cælis habitat: de perpetua Ecclesiæ conseruatione pios certiores reddens, ad bene sperandum animat quoties illam opprimi contigerit. Sic alibi quum dicit
Psal.110.a.1 in persona Dei, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:admonet, vtcunque ad oppugnandam Ecclesiam multi & validi hostes conspirent, non tamen suppetere illis vires quibus aduersus decretum illud immutabile Dei præualeant,quo Filium suum constituit æternum Regem. Vnde sequitur fieri nõ posse vt Diabolus cum toto mundi apparatu Ecclesiam vnquam deleat, quæ in æterno Christi solio fundata est. Iam quod ad specialem cuiusque vsum spectat, eadem illa æternitas in spem beatæ immortalitatis erigere nos debet. Quicquid enim terrenum est atque ex mundo, temporale,imò etiam caducum esse cernimus. ergo Christus vt spem in cęlos nostram at-
Ioh̃.18.f.36 tollat,regnum suum pronuntiat non esse ex mundo. Denique vbi quisque nostrũm spirituale Christi regnũ esse audit,hac voce excitatus penetret ad spem melioris vitæ:& quod nunc protegitur Christi manu,plenum huius gratiæ fructum in futuro seculo expectet.

4 Quòd diximus vim & vtilitatem regni Christi non posse aliter à nobis percipi quàm dum spirituale esse cognoscimus, vel hinc satis liquet, quòd dum toto vitæ cursu militandum sub cruce nobis est, aspera & misera est nostra conditio. Quid igitur nobis prodesset,collectos esse sub regis cælestis imperium,nisi extra terrenæ vitæ statum constaret eius fructus? Ideóque sciendum est quicquid nobis fœlicitatis in Christo promittitur, non subsistere in externis commodis, vt lætam & tranquillam vitam agamus, floreamus opibus,securi simus ab omni noxa,& deliciis affluamus quas expetere solet caro:sed cælestis vitæ esse proprium. Sicut autem in mundo prosper & optabilis populi status partim bonorum omnium copia & domestica pace, partim validis præsidiis continetur, quibus tutus sit contra externam violentiam:ita & Christus suos omnibus ad æternam animarũ salutem necessariis locupletat, & virtute munit qua stent inexpugnabiles contra quoslibet hostium spiritualium impetus. Vnde colligimus ipsum nobis magis regnare quàm sibi,ídque intus & extra: vt scilicet donis Spiritus, quibus naturaliter vacui sumus, quatenus expedire nouit Deus, referti,ex iis primitiis sentiamus verè nos Deo coniunctos esse ad perfectam beatitudinem. Deinde vt eiusdem Spiritus virtute freti, non dubitemus contra Diabolum, mundum, & quoduis noxæ genus nos semper fore victores. Huc
Luc.17.e.21 tendit responsum Christi ad Pharisæos,quia regnum Dei intra nos est, cum obseruatione non venturum. Probabile enim est, quia profitebatur se regem illum esse sub quo

sperandа

ſperanda erat ſumma Dei benedictio, per ludibrium rogaſſe vt proferret ſua inſignia. Ipſe verò,ne ſtultè pompis immorentur(qui alioqui plus æquo propenſi ſunt in terram) eos in ſuas conſcientias ingredi iubet, quia regnũ Dei eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto.His breuiter docemur quid nobis conferat Chriſti regnum.nam quia non terrenum eſt vel carnale,quod corruptioni ſubiaceat,ſed ſpirituale,ad ęternam nos vſque vitam attollit:vt patienter hanc vitam ſub ærumnis,inedia,frigore, cõtemptu,probris, aliiſque moleſtiis tranſigamus : hoc vno contenti quòd nunquam deſtituet nos Rex noſter quin neceſſitatibus noſtris ſubueniat, donec militia noſtra perfuncti vocemur ad triumphum.quia talis eſt regnandi ratio vt communicet nobiſcum quicquid accepit à Patre. Iam quia nos potentia ſua armat & inſtruit,decore & magnificentia ornat, opibus locupletat:hinc nobis ſuppetit vberrima gloriandi materia,atque etiam fiducia ſuggeritur,vt intrepidè certemus cum Diabolo, peccato & morte. Denique vt iuſtitia eius veſtiti, omnia mundi opprobria fortiter ſuperemus:& ſicut ipſe ſuis donis liberaliter nos replet, ita nos viciſſim fructus in eius gloriam proferamus. Rom.14.c.17

5 Ideo regia eius vnctio non ex oleo vel aromaticis vnguentis confecta nobis proponitur,ſed Chriſtus Dei vocatur,quia ſuper eum requieuit Spiritus ſapientiæ,intelligẽtiæ, conſilii,fortitudinis & timoris Dei.Hoc oleum eſt lætitiæ,quo Pſalmus prædicat eum fuiſſe vnctum præ conſortibus ſuis: quia niſi in ipſo talis eſſet præſtantia, inopes eſſemus omnes ac famelici.Neque enim priuatim(vt dictum eſt)ipſe ſibi ditatus eſt:ſed vt ieiunos & aridos ſua abundantia perfunderet.Nam ſicuti dicitur Pater nõ dedisse Filio Spiritum ad mẽſuram:ita exprimitur ratio, vt de plenitudine eius acciperemus omnes & gratiam pro gratia.Ex quo fonte manat largitio cuius meminit Paulus,qua variè diſtribuitur gratia fidelibus, ſecundum menſuram donationis Chriſti. His ſatis ſupérque confirmatur quod dixi, Chriſti regnum in Spiritu,non terrenis deliciis vel pompis eſſe ſitum:ac proinde,vt ſimus eius participes,mundo renuntiandum eſſe. Huius ſacræ vnctionis viſibile ſymbolum in Chriſti baptiſmo oſtenſum fuit,dum ſuper eum requieuit Spiritus in ſpecie columbæ. Spiritum verò eiúſque dona vnctionis voce deſignari,neque nouũ eſt, neque abſurdum videri debet:quia non aliunde vegetamur:maximè verò quod ad cæleſtem vitam ſpectat,nulla eſt in nobis vigoris gutta,niſi quam nobis Spiritus ſanctus inſtillat, qui ſedẽ in Chriſto delegit,vt inde largè ad nos ſcaturirent cæleſtes diuitiæ quarum adeò ſumus egeni. Quod autem & regis ſui fortitudine inuicti ſtant fideles & ſpirituales eius diuitiæ in eos exuberant:non immeritò dicuntur Chriſtiani.Cæterùm huic,de qua loquuti ſumus,æternitati nihil derogat Pauli ſententia.Tunc regnum tradet Deo & Patri. Itẽ, Subiicietur Filius ipſe, vt ſit Deus omnia in omnibus.quia nihil aliud vult, quàm in illa perfecta gloria non talẽ fore regni adminiſtrationem qualis nunc eſt. Dedit enim Pater omnẽ poteſtatem Filio vt per eius manum nos gubernet, foueat,ſuſtentet,ſub eius tutela nos protegat,nobíſque auxilietur.Ita quantiſper à Deo peregrinamur, Chriſtus intercedit medius,qui nos paulatim ad ſolidam cum Deo coniunctionem perducat. Et certè quòd ſedet ad Patris dexteram,tantundẽ valet acſi vocetur Patris legatus, penes quẽ tota ſit imperij poteſtas:quia Deus mediatè (vt ita loquar) vult in eius perſona Eccleſiã regere ac tueri.Sicuti etiã interpretatur Paulus primo ad Epheſios,locatum fuiſſe ad dexteram Patris, vt ſit Eccleſiæ caput,quæ eſt corpus eius.Nec aliò tendit quod alibi docet,datum illi fuiſſe nomen quod eſt ſuper omne nomen : vt in nomine Ieſu omne genu flectatur,& omnis lingua confiteatur quòd ſit in gloriam Dei Patris. Nam iis etiam verbis in Chriſti regno ordinem commendat præſenti noſtræ infirmitati neceſſarium. Ita rectè colligit Paulus,Deum per ſe tunc fore vnicum Eccleſiæ caput,quia impletæ erunt Chriſti partes in Eccleſiæ defenſione.Eadem ratione paſſim ſcriptura Dominum vocat, quia hac lege eum nobis præfecit Pater vt ſuam dominationẽ per eum exerceat. Licet enim multa dominia celebrentur in mundo,vnus nobis Deus Pater,ex quo omnia,& nos in ipſo : & vnus Dominus Chriſtus,per quem omnia,& nos per ipſum, inquit Paulus. Vnde ritè colligitur , eundem eſſe ipſum Deum,qui per os Ieſaiæ aſſeruit ſe regem eſſe ac legiſlatorem Eccleſiæ. Nam etſi vbique beneficium & donum Patris vocat quicquid habet poteſtatis:non aliud tamen ſignificat quàm ſe diuinitus regnare:quia ideo Mediatoris induit perſonam vt è ſinu Patris & incomprehenſibili gloria deſcendens,ad nos appropinquaret. Quò iuſtius eſt nos omnes vno conſenſu ad parendum accingi, ſummáque alacritate obſequia noſtra dirigere ad eius nutum.Nam ſicuti regis & paſtoris officia Iohã.3.d.34 Iohan.1.b.16 Epheſ.4.b.7 Iohan.1.e.32 luc.3.e.22 1.Cor.15.c.24 Ibidem.d.2 Philip.2.b.9 1.Cor.8.b.9 Ieſa.33.d.22

Psal.2.c.9 coniungit erga pios qui se morigeros vltrò subiiciunt: ita ex opposito audimus sceptrum ferreum gestare, quo frangat ac conterat præfractos omnes, quasi vasa figuli. Audimus
Psal.110.b.6 etiam iudicem fore Gentium, vt terram operiat cadaueribus, & altitudinem sibi aduersam prosternat. Cuius rei quædam hodie cernuntur exempla: plenum verò documentum extabit vltimo iudicio. quod etiam propriè censeri potest extremus regni eius actus.

6 Iam de sacerdotio breuiter sic habendum, finem & vsum eius esse vt sit mediator purus omni macula, qui sanctitate sua Deum nobis conciliet. Sed quia aditum occupat iusta maledictio, & Deus pro iudicis officio nobis infensus est: vt nobis fauorem comparet sacerdos ad placandam iram ipsius Dei, piaculum interuenire necesse est. Quare vt hoc munus impleret Christus, cum sacrificio in medium prodire oportuit. nã & sub Lege sacerdotii fas non erat sanctuarium ingredi absque sanguine: vt scirent fideles, quanuis sacerdos interpositus esset deprecator, non posse tamen Deum propitiari, nisi expiatis peccatis. Qua de re prolixè Apostolus disputat in epistola ad Hebræos à septimo capite ferè ad finem vsque decimi. Summa tamen huc redit, nonnisi in Christum competere sacerdotii honorem, quia sacrificio mortis suæ reatum nostrum deleuit, & satisfecit pro peccatis. Quanti verò momenti res sit, ex solenni illo Dei iureiurando, quod absque pœ-
Psal.110.b.4 nitentia prolatum est, monemur, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sancire enim haud dubiè voluit caput illud, in quo præcipuum salutis nostræ cardinem verti sciebat. Neque enim, vt dictum est, nobis aut precibus nostris ad Deum patet accessus: nisi purgatis inquinamentis nos sacerdos sanctificet, gratiámque nobis obtineat, à qua nos scelerum nostrorum & vitiorum arcet immundities. Ita videmus à morte Christi incipiendum esse, vt ad nos perueniat sacerdotii eius efficacia & vtilitas. Hinc sequitur æternum esse deprecatorem, cuius patrocinio fauorem consequimur. Vnde rursus oritur non modò precandi fiducia, sed etiam tranquillitas piis cõscientiis: dum in paternam Dei indulgẽtiam tutò recumbunt, certóque persuasæ sunt ei placere quicquid per Mediatorem cõsecratum est. Quum verò sub Lege victimas ex pecudibus offerri sibi Deus iusserit, diuersa & noua in Christo fuit ratio, vt idem esset hostia qui sacerdos. quia nec alia pro peccatis idonea satisfactio reperiri poterat nec quisquam tanto honore dignus qui Deo vnigenitum Filium offerret. Iam sacerdotis personam sustinet Christus, non modò vt æterna reconciliationis lege patrem nobis fauentem ac propitium reddat,
Apoc.1.b.6 sed etiam vt nos ascisçat in societatem tanti honoris. Nam qui in nobis polluti sumus, in ipso tamen sacerdotes, offerimus nos & nostra omnia Deo, cæléstéque sanctuarium liberè ingredimur, vt grata sint ac boni odoris in conspectu Dei quæ à nobis proueniunt sa-
Iohã.17.c.19 crificia precum & laudis. Atque hucusque se extendit illud Christi dictum, Propter eos sanctifico meipsum: quia sanctitate eius perfusi quatenus nos secũ Patri dicauit (qui alioqui fœtemus coram eo) tanquam puri & mundi, imò etiam sacri, placemus. Huc pertinet
Dan.9.f.24 vnctio sanctuarii, cuius mentio fit apud Danielem. Notãda enim est antithesis inter hãc vnctionem & illam vmbratilem quæ tũc in vsu fuerat: acsi diceret Angelus, discussis vmbris in Christi persona clarum fore sacerdotium. Quo magis detestabile est eorum commentum qui non contenti Christi sacerdotio, seipsos ad eum mactandum ingerere ausi sunt. quod tenetur quotidie in Papatu, vbi missa censetur immolatio Christi.

Quomodo redemptoris partes impleuerit Christus, vt nobis salutem acquireret: vbi de morte & resurrectione eius agitur, & in cælum ascensu. CAP. XVI.

QVÆ hactenus de Christo diximus, ad vnum hunc scopum referenda sunt vt in nobis damnati, mortui & perditi, iustitiam in ipso, liberationem, vitam & salutem quæramus: quemadmodum docemur insigni illa Petri sententia,
Act.4.b.12 non esse aliud nomen sub cęlo datum hominibus in quo oporteat saluos fieri. Neque verò temerè, vel fortuito casu, vel hominum arbitrio impositum
Mat.1.d.21 Luc.1.c.31 illi fuit nomẽ Iesu, sed è cælis ab Angelo supremi decreti præcone allatum, ratione etiam addita: quia ad seruandum à peccatis populum missus esset. In quibus verbis notandum est quod alibi attigimus, redemptoris munus ei fuisse iniunctum vt nobis esset saluator. Interea tamen mutila esset redemptio, nisi per continuos progressus ad vltimam vsque salutis metam nos perduceret. Itaque simulac vel minimùm ab eo deflectimus, sensim euanescit salus, quæ solida in eo residet: vt se vltrò priuent omni gratia quicunque in eo non acquiescunt. Et memoratu digna est illa Bernardi admonitio, non modò lucem sed
Bern.in Cãt. Serm.15 cibum quoque esse nomen Iesu: oleum etiam esse, sine quo aridus est omnis animæ cibus:

salem

salem esse, sine cuius conditura insipidum est quicquid proponitur: denique esse mel in ore, in aure melos, in corde iubilum, & simul medicinã: & quicquid disputatur insulsum esse, nisi vbi sonat hoc nomen. Sed hîc diligenter expendere cõuenit quomodo nobis ab ipso parta sit salus: vt non modò ipsum eius authorẽ persuasi simus, sed quæ ad stabilẽ fidei nostræ fulturam sufficiunt amplexi, repudiemus quæcũque possent huc vel illuc nos abstrahere. Quum enim nemo possit in seipsum descendere ac seriò reputare qualis sit, quin Deũ sibi iratum infestúmque sentiens, necesse habeat eius placandi modum ac rationẽ anxiè expetere, quod satisfactionem exigit, non vulgaris requiritur certitudo: quia peccatoribus, donec à reatu soluti fuerint, semper incumbit ira Dei & maledictio, qui, vt est iustus iudex, non sinit impunè legem suam violari, quin ad vindictam armatus sit.

2 Verùm, antequam longius progredimur, in transcursu videndum est quomodo conueniat, Deum, qui nos misericordia sua præuenit, fuisse inimicũ, donec per Christum nobis recõciliatus est. Nam quomodo in Filio vnigenito singulare amoris sui pignus nobis dedisset, nisi iam antè fuisset gratuito fauore cõplexus? Quoniã ergo hîc emergit aliqua repugnantiæ species, hunc nodum expediam. In hunc ferè modum Spiritus in Scripturis loquitur, Deum fuisse hominibus inimicum, donec in gratiam, Christi morte sunt restituti: fuisse maledictos, donec illius sacrificio expiata est eorum iniquitas: fuisse à Deo separatos, donec per ipsius corpus fuerunt in cõiunctionem recepti. Huius generis loquutiones ad sensum nostrum sunt accõmodatæ, vt melius intelligamus quàm misera sit & calamitosa exrra Christum nostra cõditio. Nisi enim claris verbis diceretur, iram ac vindictam Dei mortémque æternam nobis incubuisse, minus agnosceremus quàm miseri essemus sine Dei misericordia, & beneficium liberationis, minoris æstimaremus. Exempli gratia: audiat aliquis, Si te quo tempore adhuc peccator eras, odisset Deus, & te abiecisset, vt eras meritus, horribile exitium te manebat: sed quia sponte ac gratuita sua indulgentia te in gratia retinuit, nec alienari à se passus est, eo periculo sic te liberauit: afficietur quidem & sentiet aliqua ex parte quantum debeat misericordiæ Dei. Verùm audiat rursum quod Scriptura docet, se alienatum fuisse à Deo per peccatum, heredem iræ, mortis æternæ maledictioni obnoxium, excluſum ab omni spe salutis, extraneum ab omni benedictione Dei, Satanæ mancipium, sub peccati iugo captiuum, horribili denique exitio destinatum & iam implicitum: hîc Christum deprecatorem interceſſisse, pœnam in se recepisse ac luisse quæ ex iusto Dei iudicio peccatoribus omnibus imminebat: mala, quę Deo exosos illos reddebant, sanguine suo expiasse: hoc piaculo satisfactum ac ritè litatum Deo Patri esse: hoc intercessore iram eius fuisse placatam: hoc fundamento pacem Dei cum hominibus esse subnixam: hoc vinculo beneuolentiam illius erga ipsos contineri: his nónne eo magis permouebitur quo melius ad viuum repræsentatur quanta è calamitate ereptus fuerit? In summa, quoniam non potest animus noster vitam in Dei misericordia vel satis cupidè apprehendere vel qua decet gratitudine excipere, nisi formidine iræ Dei & æternæ mortis horrore antè perculsus & consternatus: sic instituimur sacra doctrina, vt sine Christo Deum nobis quodammodo infestum cernamus, & eius manum in exitium nostrum armatam, beneuolentiam eius paternámque charitatem nonnisi in Christo amplexemur.

3 Atque hoc tametsi pro captus nostri infirmitate dicitur, non tamen falsó. Deus enim, qui summa iustitia est, iniquitatem, quam in omnibus nobis conspicit, amare non potest. Habemus ergo omnes in nobis quod Dei odio dignum sit. Proinde secũdum corruptæ nostræ naturæ, & deinde accedentis prauæ vitæ respectum, in offensione Dei reuerà sumus omnes in eius conspectu rei, & ad gehennæ damnationem nati. Verùm quia Dominus quod suum est in nobis perdere non vult, adhuc aliquid inuenit quod pro sua benignitate amet. Vtcunque enim peccatores vitio nostro simus, manemus tamen eius creaturæ: vtcunque mortem nobis asciuerimus, ipse tamen nos ad vitam condiderat. Sic mera & gratuita nostri dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiẽdos. Atqui si perpetuum & irreconciliabile dissidium est inter iustitiam & iniquitatem: quandiu peccatores manemus, suscipere nos totos non potest. Itaque vt sublata omnis simultatis materia, nos sibi prorsus reconciliet, proposita in morte Christi expiatione, quicquid in nobis mali est abolet, vt iusti in eius conspectu & sancti appareamus, qui antea immundi eramus ac impuri. Proinde sua dilectione præuenit ac anteuertit Deus Pater nostrã in Christo reconciliationem. Imò quia prius diligit, postea nos sibi recõciliat. Sed quia in nobis, donec sua

Rom.5.b.10 Gal.3.b.10. 13. Col.1.c.21. 22

1.Iohan.4.d. 19

morte ſuccurrit Chriſtus, manet iniquitas quæ Dei indignationẽ meretur, & eſt corã eo maledicta ac damnata: non antè plenã habemus firmámque cũ Deo coniunctionẽ quàm vbi Chriſtus nos coniungit. Adeóque ſi Deũ nobis pacatum ac propitium volumus pol-liceri, in Chriſtũ ſolum oculos mentéſque defigere conuenit: vt reuera per ipſum ſolum conſequimur ne imputentur nobis peccata, quorum imputatio iram Dei ſecum trahit.

Epheſ.1.a.4 4 Atque hac ratione dicit Paulus, eam dilectionẽ, qua nos ante mundi creationem complexus eſt Deus, in Chriſto cõſtitiſſe ac fuiſſe fundatam. Hæc perſpicua ſunt & Scri-
Iohã. 3.b.16 pturæ cõſentanea, locóſque illos optimè inter ſe conciliant, vbi dicitur, Deum ſuam erga nos dilectionem in eo declaraſſe quòd vnigenitum Filium in mortem dederit: & tamen
Rom.5.b.10 fuiſſe inimicum, antequam morte Chriſti in gratiam reductus eſſet. Verùm quo firmiora ſint apud eos qui veteris Eccleſiæ teſtimonium requirunt, citabo locum Auguſtini vbi
Tract. in Euãg. Ioh. 110 idipſum docetur. Incomprehenſibilis (inquit) ac immutabilis eſt Dei dilectio. Non enim ex quo ei reconciliati ſumus per ſanguinem Filii eius, cœpit nos diligere, ſed ante mundi conſtitutionem dilexit nos, vt cum eius Vnigenito etiã nos filii eius eſſemus, antequam omnino aliquid eſſemus. Quòd ergo reconciliati ſumus per mortem Chriſti, non ſic ac-cipiatur quaſi ideo nos reconciliauerit ei Filius, vt iam amare inciperet quos oderat: ſed iam nos diligenti reconciliati ſumus, cum quo propter peccatũ inimicitias habebamus.
Rom.5.b.8 Quod vtrum verum dicam, atteſtetur Apoſtolus. Commẽdat (inquit) dilectionem ſuam erga nos, quoniam quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Ha-bebat itaque ille erga nos charitatẽ, etiam quũ inimicitias aduerſus eum exercentes ope-raremur iniquitatẽ. Proinde miro & diuino modo & quando nos oderat, diligebat. Ode-rat enim nos, quales ipſe non fecerat: & quia iniquitas noſtra opus eius non omni ex par-te cõſumpſerat, nouerat ſimul in vnoquoque noſtrũm & odiſſe quod feceramus, & ama-re quod fecerat. Hæc ſunt Auguſtini verba.

5 Iam vbi quæritur quomodo abolitis peccatis diſſidium Chriſtus inter nos & Deũ ſuſtulerit, & iuſtitiam acquiſierit quæ eum nobis fauentem ac benevolum redderet: ge-neraliter reſpõderi poteſt, toto obediẽtiæ ſuæ curſu hoc nobis præſtitiſſe. Quod Pauli te-
Rom.5.d.19 ſtimonio probatur, Quemadmodum vnius tranſgreſſione peccatores multi ſunt conſti-tuti: ſic vnius obedientia iuſti conſtituimur. Et ſanè alibi cauſam veniæ quæ nos eximit à
Galat.4. a.4 maledictione Legis, extendit ad totam Chriſti vitam, Vbi venit plenitudo temporis, mi-ſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, ſubiectum Legi, vt eos qui ſub Lege erant redi-
Mat.3.d.15 meret. Ita in ipſo quoque Baptiſmo aſſeruit impleri iuſtitiæ partem quòd obedienter Pa-tris mãdatum perageret. Denique ex quo induit perſonam ſerui, cœpit ad nos redimen-dos pretium liberationis ſoluere. Scriptura tamen, quo certius definiat modum ſalutis,
Mat.20.d.28 hoc morti Chriſti quaſi peculiare ac proprium adſcribit. Pronuntiat ipſe animam ſe dare
Rom.4.d.25 in redemptionẽ pro multis. Paulus docet mortuum eſſe propter peccata noſtra. Clama-
Iohã.1.d.29 bat Iohannes Baptiſta, ipſum veniſſe ad tollendum peccata mundi, quia agnus Dei eſſet.
Rom.3.c.15 Alibi Paulus nos iuſtificari gratis tradit per redemptionem quæ eſt in Chriſto: quia pro-
Ro.5.b.9.10 poſitus eſt reconciliator in ſuo ſanguine. Itẽ, nos iuſtificatos eſſe in ſanguine ipſius & re-
2.Cor.5.d.21 conciliatos per mortem. Rurſum, Qui peccatum nõ nouerat, pro nobis factus eſt pecca-tum, vt eſſemus iuſtitia Dei in illo. Non omnia perſequar, quia immẽſus eſſet catalogus, & multa deinde ſuo ordine citãda erunt. Quamobrem in ſymbolo fidei quod Apoſtoli-cum vocant, optimo ordine ſtatim à natalibus Chriſti fit tranſitus ad mortem & reſurre-ctionem, vbi perfectæ ſalutis ſumma conſiſtit. Neque tamen excluditur reliqua pars obe-dientiæ qua defunctus eſt in vita: ſicuti Paulus ab initio ad finem vſque totam compre-
Philip.2. a.7 hendit, quòd ſeipſum exinanierit, forma ſerui accepta, & Patri fuerit obediens vſque ad mortem: nempe mortem crucis. Et ſanè in ipſa quoque primum gradum occupat volun-taria ſubiectio: quia ad iuſtitiam nihil profuiſſet ſacrificium niſi ſpontè oblatum. Itaque
Iohã.10.c.15 vbi teſtatus eſt Dominus ſe animam pro ouibus ponere, diſertè addit, Nemo tollit eam à
Ieſa.53.b.7 meipſo. Quo ſenſu Ieſaias dicit obmutuiſſe inſtar agni coram tonſore. Et hiſtoria Euãge-
Iohan.18.a.4 lica refert obuiã prodiiſſe militibus: & coram Pilato, omiſſa defenſione, ſtetiſſe ad ſubeun-
Mat.27.b.11 dum iudicium. Non id quidem abſque certamine: quia & infirmitates noſtras ſuſceperat: & hoc modo probari oportuit quod Patri ſuo præſtabat obſequium. Et hoc non vulgare fuit amoris erga nos incõparabilis ſpecimen, luctari cum horribili formidine, & inter di-ros illos cruciatus abiicere ſui curam, vt nobis conſuleret. Illud quidem tenendũ eſt, non potuiſſe ritè Deo aliter litari quàm dum proprio ſe affectu abdicans Chriſtus illius ſe ar-

bitrio

bitrio ſubiecit,totúmque addixit.Quam ad rem appoſitè teſtimonium illud Pſalmi citat Apoſtolus,In libro Legis ſcriptum eſt de me vt faciam voluntatem tuam Deus. Volo,& Lex tua in medio cordis mei.Tunc dixi,Ecce venio.Cæterùm quia nõniſi in ſacrificio & ablutione,quibus expiantur peccata,quietẽ reperiunt trepidæ conſcientiæ: illuc meritò dirigimur,& in morte Chriſti ſtatuitur nobis vitæ materia.Porrò quia nos maledictio ex reatu manebat ad cæleſte Dei tribunal, primo loco refertur dãnatio corã præſide Iudææ Pontio Pilato:vt ſciamus,pœnam,cui eramus obſtricti, fuiſſe iuſto inflictã. Horribile Dei iudicium effugere non poteramus:vt inde nos eriperet Chriſtus,coram homine mortali, imò etiam ſceleſto & profano damnari ſuſtinuit. Neque enim ſolùm ad aſtruendam hiſtoriæ fidem exprimitur nomen præfecti,ſed vt diſcamus quod docet Ieſaias, caſtigationem pacis noſtræ fuiſſe ſuper eum,eiúſque liuore nos fuiſſe ſanatos.Neque enim tollẽdæ damnationis noſtræ cauſa ſatis erat quamlibet obire mortem: ſed,quo redẽptioni noſtræ ſatisfaceret,genus mortis deligendũ fuit,in quo & damnationem ad ſe traducens, & piaculum in ſe recipiens, vtroque nos liberaret. Si à latronibus iugulatus fuiſſet, vel tumultuariè cæſus per ſeditionem vulgi,in eiuſmodi morte nulla ſatisfactionis ſpecies extitiſſet. Verùm vbi reus ad tribunal ſiſtitur, teſtimoniis arguitur & premitur, ipſius iudicis ore morti addicitur:his documẽtis intelligimus ipſum perſonam ſontis & malefici ſuſtinere. Atque hîc duo notanda ſunt quæ & Prophetarum vaticiniis prædicta erant, & eximiam fidei conſolationem & confirmationem afferunt. Quum enim Chriſtum audimus à iudicis ſolio ad mortem dimiſſum, inter latrones eſſe ſuſpenſum: habemus complemẽtum eius prophetiæ quæ ab Euangeliſta citatur,Inter iniquos reputatus eſt.Cur iſtud?nempe vt peccatoris, non iuſti aut inſontis vices obiret: quia non innocentiæ, ſed peccati cauſa mortem oppetebat.Contrà,vbi audimus eodem quo damnatus fuit ore abſolutum(nam eius innocentiæ non ſemel teſtimonium palàm reddere coactus eſt Pilatus) in mentem veniat quod eſt apud alterum Prophetam, Quæ non rapuerat exoluiſſe. Atque ita & peccatoris ſceleratíque perſonam in Chriſto repræſentatam intuebimur, & relucẽte ingo eſt ſub Pontio Pilato,ſolenni præſidis ſententia in ſceleſtorum numerũ ita relatus: neque ſic tamen quin iuſtus ab ipſo ſimul pronuntietur,dum affirmat nullam ſe in eo inuenire cauſam.Hæc noſtra abſolutio eſt quòd in caput filii Dei tranſlatus eſt reatus,qui nos tenebat pœnę obnoxios.Nam hæc compenſatio in primis tenenda eſt,ne trepidemus atque anxii ſimus tota vita: acſi nobis inſtaret iuſta Dei vltio, quã in ſe trãſtulit Dei Filius.

Hebr.10.a.5 Pſal.40.b.9

Ieſa.53.b.5

Ieſa.53.d.11 Marc.15.c.18

Pſal.69.a.5

Iohã.18.g.38

6 Iam & ipſa mortis ſpecies inſigni myſterio non caret.Maledicta crux erat,non humana tãtùm opinione,ſed diuinæ Legis decreto.In eam ergo dum tollitur Chriſtus,maledictioni ſe obnoxium facit. Atque ita factum oportuit, vt omni execratione, quæ propter iniquitates noſtras nos manebat,vel potius nobis incumbebat,eximeremur,dum in eum traducitur. Quod etiam in Lege adumbratum fuit. Siquidem אשמות (quo vocabulo peccatum ipſum propriè deſignatur) vocabãtur oblatæ pro peccatis victimæ & expiatrices.Qua nominis trãſlatione innuere Spiritus voluit,inſtar καθαρμάτων ipſas eſſe: quæ debitam ſceleribus execrationem ſuſciperent ac ſuſtinerẽt. Quod autem in Moſaicis ſacrificiis figuratè repræſentatum fuit, id in Chriſto figurarum archetypo exhibetur. Quare, vt iuſta expiatione defungeretur,animam ſuam נפש impendit,hoc eſt ſatisfactoriam peccati hoſtiam(vt inquit Propheta) in quam reiecta quodammodo macula & pœna, nobis deſinat imputari. Apertius idipſum teſtatur Apoſtolus, quum docet,eum qui peccatum non nouerat, peccatum pro nobis à Patre factũ,quo iuſtitia Dei efficeremur in illo.Nam Filius Dei,omni vitio puriſſimus, iniquitatum tamen noſtrarũ probrum ac ignominiam induit, ac ſua viciſſim puritate nos operuit. Eódẽ videtur reſpexiſſe, quum tradit de peccato, damnatũ fuiſſe peccatum in eius carne. Siquidẽ peccati vim aboleuit Pater, quum in Chriſti carnem tranſlata fuit eius maledictio.Indicatur itaque hac voce,Chriſtum Patri fuiſſe in morte pro victima ſatisfactoria immolatum, vt peracta per eius ſacrificium ratione, iram Dei iã horrere deſinamus. Nunc liquidũ eſt quid ſibi velit illud Prophetæ, poſitas fuiſſe in eo noſtras omnium iniquitates:nẽpe quòd ſordes earũ abſterſurus,iiſdem per trãſlatitiam imputationẽ obtectus fuit.Eius rei ſymbolũ fuit crux, cui affixus eſt,teſte Apoſtolo.Chriſtus, inquit, redemit nos ab execratione Legis,dũ pro nobis factus eſt execratio.Scriptũ eſt enim, Execrabilis omnis qui pẽdet in ligno. vt in gentes benedictio Abrahæ in Chriſto perueniret.Eódẽ reſpexit Petrus,vbi docet peccata noſtra portaſſe in li-

Iſa.53.b.5 & d.11 2.Cor.5.d.21

Rom.8.a.3

Ieſa.53.b.6

Galat.3.b.13 Deut.27.d. 26

1.Pet.2.d.24

gno: quia ex ipso maledictionis symbolo clarius intelligimus, onus quo eramus oppressi, fuisse illi impositum. Neque tamen eam subiisse maledictionẽ intelligẽdus est qua obrutus ipse fuerit: quin subeũdo potius, vim eius vniuersam depressit, infregit, dissipauit. Proinde fides in Christi damnatione absolutionem, benedictionem in maledictione apprehendit. Quare non abs re Paulus triumphum, quem sibi in cruce peperit Christus, magnificè prædicat, acsi crux, quæ plena erat dedecoris, conuenta esset in currum triumphalem. Dicit enim affixum fuisse cruci chirographũ quod erat contrarium nobis, & expolia tos principatus, ac palàm traductos. Nec mirum, quia per Spiritum æternum (teste altero Apostolo) seipsum obtulit Christus. vnde illa naturæ rerum cõuersio. Sed hæc vt firmam radicem agant in cordibus nostris, & penitus insideant, semper nobis in mentem veniãt sacrificium & ablutio. Neque enim certò cõfidere possemus Christum esse ἀπολύτρωσιν καὶ ἀντίλυτρον καὶ ἱλαστήριον, nisi victima fuisset. Ideóque toties fit sanguinis mentio, vbi modum redemptionis ostendit Scriptura. Quanquam non modò ad litationem valuit effusus Christi sanguis, sed lauacri etiam vice fuit, ad sordes nostras purgandas.

Colo.2.d.19

Heb.9.d.17

7 Sequitur in symbolo, mortuũ fuisse & sepultum. vbi rursum videre est quomodo in vicem nostrã vbique se supposuerit ad soluendum nostræ redẽptionis pretium. Mors iugo suo nos obligatos tenebat, in illius se potestatem loco nostro tradidit, quò nos inde eximeret. Hoc intelligit Apostolus, quum scribit eum mortẽ gustasse pro omnibus. Moriendo enim effecit ne moriamur, vel (quod idem est) morte sua vitam nobis redemit. Hoc autem à nobis diuersum habuit, quòd morti se velut deglutiẽdum permisit, non vt eius gurgitibus absorberetur, sed magis vt eam absorberet, à qua mox eramus absorbẽdi: quòd subigendum ei se permisit, non vt eius potestate opprimeretur, sed magis vt eam prosterneret, quæ nobis imminebat ac iam depressis insultabat. Denique vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti. Hunc primum fructum mors eius nobis protulit. Alterũ verò, quòd participatione sui membra nostra terrena mortificat, ne suas in posterum actiones exerceãt: veterémque nostrum hominẽ enecat, ne posthac vigeat ac fructificet. Quò etiam sepultura eius pertinet: nẽpe cuius consortes, peccato & ipsi sepeliamur. Non enim dum nos in similitudinẽ mortis Christi insitos esse Apostolus docet, & cum eo sepultos in peccati mortem, per eius crucem nobis crucifixũ esse mundum, & nos mundo: nos illi cõmortuos esse, ad exprimendũ mortis eius exemplum duntaxat nos adhortatur: sed hanc illi inesse efficaciam declarat quæ in Christianis omnibus apparere debeat, nisi velint mortẽ ipsam inutilem reddere & infructuosam. Proinde duplex in morte sepulturáque Christi beneficium nobis fruendum proponitur, liberatio à morte cui mancipati eramus, & carnis nostræ mortificatio.

Ibidem, d.15

Galat.2.d.19 & 9.d.14

Colos.3.a.3

8 Nec verò descensum ad inferos omittere conuenit, in quo ad redẽptionis effectũ non parum est momenti. Quanquam enim ex veterum scriptis, particulam quæ legitur in symbolo apparet non adeo fuisse olim in Ecclesiis vsitatam: in tractanda tamen doctrinæ summa locũ ei dari necesse est: vtpote quæ rei maximæ vtile ac minimè spernendum mysterium continet. Sunt quidem & ex veteribus nonnulli qui eam non prætermittant. Vnde coniicere licet, post aliquantum temporis insertam, non protinus, sed sensim Ecclesiis insueuisse. Id certè extra controuersiam est, ex cõmuni piorũ omnium sensu fuisse desumptam: quando nemo est Patrum qui non in suis scriptis descensum Christi ad inferos commemoret, tametsi interpretatione diuersa. Verùm aut à quibus, aut quo primùm tempore inserta fuerit, parum ad rem attinet. Potius hoc in Symbolo animaduertendum vt plena & numeris omnibus absoluta fidei summa nobis cõstet, in quam nihil ingeratur nisi ex purissimo Dei verbo petitum. Siquos porrò impedit morositas ne in symbolũ admittant, mox tamen planum fiet tanti interesse ad redemptionis nostræ summam vt ea prætérita multum ex mortis Christi fructu depereat. Sunt etiam rursum qui opinentur, non aliquid nouum hîc dici, sed aliis verbis repeti quod prius de sepultura dictũ fuerat: quãdoquidem inferni vocabulum sæpius in Scripturis pro sepulchro ponatur. Quod de verbi significatione obtendunt, verum esse concedo, nõ rarò pro sepulchro accipi infernum: sed eorum opinioni rationes duæ repugnant, quibus ego facilè adducor vt ab illis dissentiam. Quantæ enim oscitantiæ fuisset, rem minimè difficilẽ verbis expeditis & claris demõstratã, obscuriore deinde verborum complexu indicare magis quàm declarare? Nam quoties loquutiones duæ rẽ eandem exprimẽtes simul connectuntur, posteriorem esse

esse prioris exegesin conuenit. At verò qualis erit ista exegesis siquis ita loquatur, Quòd Christus sepultus esse dicitur, significat ad inferos descendisse? Deinde non est verisimile, irrepere potuisse superfluã eiusmodi battologiam in cõpendium hoc, vbi summatim, quàm fieri potest paucissimis verbis præcipua fidei capita notantur. Nec dubito quin mihi facilè assentiantur quicunque rem ipsam paulò diligentius expenderint.

9 Alii secus interpretãtur, quòd Christus descẽderit ad animas Patrum qui sub Lege mortui erant, vt nuntium peractæ redemptionis perferret, ac erueret eas ex carcere, vbi inclusæ tenebãtur: & huc perperam trahũt testimonia ex Psalmo, quòd portas æreas & vectes ferreos fregerit. Item ex Zacharia, quòd redemerit vinctos è puteo in quo non erat aqua. Verùm quum Psalmus, eorum liberationes prædicet qui in longinquis regionibus capti in vincula coniiciuntur: Zacharias autem profundo & arido puteo vel abysso comparet cladem Babylonicam in qua demersus erat populus: & simul doceat, totius Ecclesiæ salutem esse exitum à profundis inferis: nescio quî factũ sit vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen limbi. sed hæc fabula tametsi magnos authores habet, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamẽ quàm fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas puerile est: Christi autem animam illuc descendere vt eas manumitteret, quid opus fuit? Libenter equidem fateor, Christũ ipsis illuxisse virtute sui Spiritus: vt gratiam, quã spe gustauerant duntaxat, mundo fuisse tũc exhibitã agnoscerẽt. Et probabili ratione huc aptari potest Petri locus, vbi dicit Christũ venisse, ac prædicasse spiritibus qui in specula erant. (carcerem vertunt communiter) nam & contextus eò nos ducit, fideles qui ante id tẽpus defuncti fuerãt, consortes fuisse eiusdẽ nobiscũ gratiæ: quia vim mortis inde amplificat quòd ad mortuos vsque penetrauerit, dum piæ animæ eius visitationis, quam sollicitè expectauerãt præsenti aspectu sunt potitæ: cõtrà, reprobis clarius patuit se excludi ab omni salute. Quòd autẽ Petrus nõ tam distinctè loquitur, nõ ita accipiendũ est quasi nullo discrimine pios simul & impios permisceat: sed tantùm docere vult communem vtrisque fuisse mortis Christi sensum.

Psal.107.b.16 Zach.9.c.11 1.Pet.3.d.18

10 Verùm de Christi descensu ad inferos sepositа ratione symboli, certior expositio quærenda est: & nobis ex Dei verbo cõstat non modò sancta & pia, sed plena quoque eximiæ consolationis. Nihil actum erat si corporea tãtùm morte defunctus fuisset Christus: sed operæ simul pretium erat vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret: quo & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret iusto iudicio. Vnde etiã eum oportuit cũ inferorũ copiis æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus, luctari. Correctionẽ pacis nostræ illi impositam fuisse ex Propheta nuper retulimus, fuisse propter scelera nostra à Patre percussum, attritum propter nostras infirmitates. Quibus significat, in locum sceleratorũ sponsorem, vadem, adeóque instar rei submissum, qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: vno hoc duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirũ est, quum eam mortem pertulerit quæ sceleratis ab irato Deo infligitur. Ac nimis friuola, adeóque ridicula est eorum exceptio, qui dicunt hoc modo peruerti ordinem: quia absurdum est sepulturæ subiici quod præcessit. vbi enim quæ in hominum conspectu passus est Christus exposita fuerunt, opportunè subiicitur inuisibile illud & incomprehensibile iudicium quod coram Deo sustinuit: vt sciamus non modò corpus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum: sed aliud maius & excellentius pretium fuisse quòd diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.

Iesa.53.b.5 Act.2.d.24

11 Hoc sensu dicit Petrus Christũ resurrexisse solutis mortis doloribus, à quibus impossibile erat ipsum teneri, vel superari. Nõ simpliciter nominat mortem: sed Filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei: quæ origo mortis est. Quantulum enim fuisset, securè & quasi per lusum prodire ad subeundam mortem? Hoc verò immensæ misericordiæ verum fuit specimen, mortem quam tantoperè horrebat, non refugere. Nec dubiũ est quin idem docere velit Apostolus in Epist. ad Hebræos, vbi scribit, Christum à suo metu fuisse exauditum (reuerentiam alii vertũt vel pietatem, sed quàm parum aptè, res ipsa euincit, & ipsa etiam loquendi forma.) Christus ergo cum lachrymis & clamore valido orãs, à metu suo exauditur: non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator: quia illic personam nostram gerebat. Et certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quàm sentire te à Deo derelictum & alienatum: & quum inuocaueris non exaudiri: perinde acsi in tuam perniciem ipse conspirasset. Eò Christum

Act.2.d.24 Heb.5.c.7

Psal.22.a.2 mat.27.●.46 videmus fuisse deiectum vt coactus fuerit, vrgẽte angustia, exclamare, Deus meus, Deus meus, vtquid me dereliquisti? Quod enim nonnulli volunt, ex aliorum potius opinione quàm ex suo sensu sic loquutum fuisse, nequaquam probabile est: quum ex intimi animi angore deductam fuisse vocem cõstet. Neque tamen innuimus Deum fuisse vnquam illi vel aduersarium vel iratum. Quomodo enim dilecto Filio, in quo animus eius acquieuit, irasceretur? aut quomodo Christus Patrẽ aliis sua intercessione placaret, quem infensum haberet ipse sibi? Sed hoc nos dicimus, diuinæ seueritatis grauitatem eum sustinuisse: quoniam manu Dei percussus & afflictus, omnia irati & puniẽtis Dei signa expertus est. Proinde Hilarius eo descensu hoc nos esse consequutos ratiocinatur, vt mors perẽpta sit. Nec aliis locis à nostra sentẽtia abludit: vt quũ ait, Crux, mors, inferi, nostra vita sunt. Item alibi, Filius Dei in infernis est: sed homo refertur ad cælum. Et quid priuati hominis testimonium cito, quum idem Apostolus asserat, hunc victoriæ fructum commemorans, quòd liberati fuerint qui metu mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti? Vincere ergo metum oportuit qui naturaliter cunctos mortales assiduè angit ac vrget: quod fieri non potuit nisi pugnando. Porrò fuisse non vulgarem aut leui de causa conceptum mœrorem, mox clarius patebit. Ita cũ diaboli potestate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conserendo, factum est vt & referret de illis victoriam, & triumphum ageret, ne iam in morte ea formidemus quæ Princeps noster deglutiuit.

Vide Cy. l. alter. de re. fide ad Regin.

Lib. 4. de Trin. Lib. 2 Lib. 3.

12 Hîc nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis quàm inscitia impulsi, clamitant me atrocem facere Christo iniuriam: quia minimè consentaneũ fuerit eum de animæ salute timere. Deinde calumniam durius exagitant, me desperationem adscribere Filio Dei, quæ fidei contraria sit. Primùm de metu pauoréque Christi, quem tã apertè prædicãt Euangelistæ, controuersia ab his improbè mouetur. Nam antequam instaret tempus mortis, turbatus est spiritu, & affectus mœrore: in ipso vero congressu cœpit expauescere vehementius. Simulationem si fuisse dicãt, nimis putidum est effugium. Confidenter ergo (vt verè docet Ambrosius) profiteri Christi tristitiam cõuenit, nisi nos crucis pudeat. Et sanè nisi pœnæ fuisset particeps anima, corporibus tãtùm fuisset redẽptor. Luctari autem oportuit vt erigeret qui prostrati iacebant: adeóque nihil inde cœlesti eius gloriæ decedit, vt hac in parte refulgeat bonitas nunquam satis laudata, quòd infirmitates nostras in se susc ipere grauatus non est. Vnde etiam solatium illud anxietatum & dolorum, quod nobis proponit Apostolus, Mediatorem hunc expertum esse nostras infirmitates, vt ad succurrendum miseris propensior sit. Obtendunt, quod vitiosum per se est indignè Christo tribui. Quasi verò supra Spiritum Dei sapiant, qui hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato. Non est igitur cur nos terreat infirmitas Christi, cui vt se subiiceret, nõ violentia aut necessitate coactus, sed mero amore nostri, misericordiáque inductus est. Quicquid autem spõte passus est pro nobis, nihil ex eius minuit virtute. In vno autem falluntur isti obtrectatores, quòd infirmitatẽ in Christo omni vitio labéque puram & vacuam non agnoscunt: quia se intra obedientiæ fines continuit. Nam quia moderatio in naturæ nostræ deprauatione cõspici non potest, vbi omnes affectus turbido impetu modum excedunt, hac vlna perperam metiuntur Filium Dei. At quum integer esset, in cunctis eius affectibus viguit moderatio, quæ excessum cohiberet. Vnde nobis in dolore, metu & formidine similis esse potuit, vt tamen hac nota differret. Conuicti ad aliud tandem cauillum trãsiliunt, quanuis mortem timuerit Christus, maledictionẽ & iram Dei, à qua se tutũ esse nouerat, non timuisse. Sed expendant pii lectores quàm honorificum hoc sit Christo, molliorẽ ac magis meticulosum fuisse quàm plerosque gregarios homines. Contumaciter ad mortẽ properant latrones aliique malefici: eã multi alto animo despiciunt: alii placidè eam obeunt. Eius horrore Filium Dei fuisse perculsum & propè attonitu, cuius fuisset constantiæ vel magnitudinis? Quod enim prodigiosum cẽseri vulgò posset, de eo refertur, præ vehemẽtia cruciatus guttas sanguinis ex eius facie fluxisse. Neque verò spectaculum hoc præbuit aliorum oculis, quũ in arcano recessu gemitus suos ad Patrẽ dirigeret. Et dubitationem eximit, quòd Angelos, qui insolita consolatione eum erigerent, è cælo descendere necesse fuit. Quàm pudenda, vt dixi, fuisset hæc mollities, eovsque torqueri ob cõmunis mortis formidinem, vt sanguineo sudore difflueret, neque posset recreari nisi Angelorum conspectu? Quid? illa precatio ter repetita, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, annon ex incredibili amaritudine animi profecta, ostẽdit asperius & magis arduũ fuisse Christo

Hebr. 4. d. 15

Matth. 26. d. 39

certamen

certamen quàm cum morte cõmuni? Vnde apparet nugatores istos, cum quibus disputo, audacter garrire de rebus incognitis: quia nunquam seriò reputarunt quid sit aut valeat nos redemptos esse à Dei iudicio. Atqui hæc nostra sapientia est, probè sentire quanti constiterit Dei Filio nostra salus. Si nunc roget quispiam an tunc descenderit Christus ad inferos quum mortem deprecatus est: respõdeo hoc fuisse exordium, vnde colligi potest quàm diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit, quũ se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa. Quanquã autem sese ad momentum occultauit diuina vis spiritus, vt locum infirmitati carnis cederet: sciendum tamen est talem fuisse tentationẽ ex doloris & metus sensu quæ cum fide non pugnaret. Et hoc modo impletũ est quod habetur in concione Petri, non potuisse eũ teneri à doloribus mortis: quia se quasi derelictum Act.2.d.24
à Deo sentiens, ne tantillum quidẽ deflexit à bonitatis eius fiducia. Quod docet celebris illa inuocatio, in qua præ doloris vehemẽtia clamauit, Deus meº, Deus meus, vtquid de- Mat.27.f.47
reliquisti me? Nã etsi supra modum angitur, non tamẽ desinit vocare Deum suum, à quo se derelictum exclamat. Porrò hinc refellitur tam Apollinaris error, quàm eorũ qui Monothelitæ dicti sunt. Ille Christo fingebat spiritum æternum fuisse animæ vice, vt tantùm esset dimidius homo. Quasi verò expiare peccata nostra potuerit nisi Patri obediẽdo. Vbi autem affectus aut voluntas obedientiæ nisi in anima? quam ideo turbatam fuisse scimus vt nostræ, trepidatione discussa, pacem & quietem obtineãt. Adhæc contra Monothelitas, videmus vt nunc secundũ hominẽ noluerit quod volebat secundum diuinã naturã. Omitto quòd metum, de quo loquuti sumus, contrario affectu subigat. neque enim obscura est illa repugnantiæ species, Pater libera me ex hac hora: sed propterea veni in horã Iohã.12.d.27
hanc. Pater clarifica nomẽ tuum. In qua tamen perplexitate nulla fuit intemperies, qualis in nobis cernitur dum maximè nitimur ad nos domandos.

13 Sequitur à mortuis resurrectio, sine qua mutilum esset quod hactenus diximus. Quãdo enim in cruce, morte, & sepultura Christi nonnisi infirmitas apparet, transilienda sunt illa omnia fidei, vt pleno robore instruatur. Proinde tametsi in eius morte habemus solidum salutis complementũ, quia per eam & Deo reconciliati sumus, & iusto eius iudicio satisfactũ, & maledictio sublata, & persoluta est pœna: dicimur tamen nõ per mortem, sed per resurrectionem regenerati in spem viuã. quia vt ille resurgendo victor mor- 1.Pet.1.a.3
tis emersit, ita fidei nostræ victoria in ipsa demum consistit resurrectione. Quale hoc sit, melius Pauli verbis exprimitur. mortuum enim dicit propter peccata nostra, suscitatum Rom.4.d.25
propter nostram iustificationem. acsi diceret, morte eius sublatum peccatũ, resurrectione instauratam restitutámque iustitiam. Quomodo enim moriẽdo liberare nos à morte poterat, si morti ipse succubuisset? quomodo comparasset nobis victoriam, si in certamine defecisset? Quare sic salutis nostræ materiam inter Christi mortem & resurrectionẽ partimur, quòd per illam peccatum abolitum, & mors extincta: per hanc, iustitia reparata, & erecta vita: sic tamen vt huius beneficio vim efficaciámque suã illa nobis proferat. Itaque Paulus in ipsa resurrectione declaratum fuisse Filium Dei asserit: quia tunc demũ exeruit Rom.1.a.4
cæleſtem potentiam, quæ & clarum diuinitatis eius speculum est, & stabilis fidei nostræ fultura. sicuti etiam alibi docet passum fuisse pro infirmitate carnis, resurrexisse autẽ ex 2.Cor.13.b.4
virtute spiritus. Eodem sensu alibi de perfectione differens, Vt cognoscam illum (inquit) Philip.3.c.10
& potentiam resurrectionis illius. Cõtinuo tamen pòst societatem cum morte annectit. Cui aptissimè congruit illud Petri, Deũ suscitasse eum à mortuis, & dedisse illi gloriã: vt 1.Pet.1.d.21
fides & spes nostra esset in Deo. nõ quòd fides morte suffulta vacillet, sed quia virtus Dei quæ sub fide nos custodit, in ipsa maximè resurrectione sese aperit. Proĩde meminerimus, quoties solius mortis fit mentio, simul comprehendi quod propriũ est resurrectionis: partem quoque synecdochen esse in voce resurrectionis, quoties seorsum à morte ponitur: vt secum trahat quod peculiaritèr morti conuenit. Sed quia resurgẽdo palmam adeptus est, vt fieret resurrectio & vita: meritò contendit Paulus abolitam esse fidem, & inane fal- 1.Cor.15.c.17
láxque Euangeliũ, nisi Christi resurrectio cordibus nostris sit infixa. Ideo alibi, postquam in Christi morte aduersus damnationis terrores gloriatus est, amplificandi causa addit, Imò idem qui mortuus est resurrexit, & nunc coram Deo pro nobis apparet mediator. Rom.8.f.34
Deinde, quemadmodum antea exposuimus ex communicatione crucis pendêre carnis nostræ mortificationem: sic & alterũ ex eius resurrectione fructũ nos obtinere illi respondentem intelligẽdum est. Ideò enim, inquit Apostolus, similitudini mortis eius insiti sumus, vt participes resurrectionis, in vitæ nouitate ambulemus. Itaque alibi, vt argumen- Rom.6.a.4 Coloſ.3.a.5

tum ex eo quòd Christo sumus commortui, deducit, mortificãda esse membra nostra su-
Coloſ.3.a.1 per terrã: ita etiam, quia cum Christo surreximus, ex eo infert, quæ sursum sunt nobis esse quærenda, non quæ super terram. Quibus verbis non inuitamur duntaxat, exemplo suscitati Christi, ad sectãdam victæ nouitatẽ: sed eius fieri virtute docemur vt regeneremur in iustitiam. Tertium quoque ex ea fructum consequimur, quòd veluti accepta arrha, securi reddimur de nostra ipsorum resurrectione, cuius illam esse certissimam hypostasin cõstat, qua de re prolixius disputat 1. Corinth. 15. Obiter autem annotandũ est, quòd dicitur ex mortuis resurrexisse: qua voce & mortis & resurrectionis veritas exprimitur, acsi diceretur, & eandem qua cæteri homines naturaliter defunguntur, mortem obiisse, & in eadem quam mortalem susceperat carne, immortalitatem recepisse.

14 Resurrectioni non abs re annectitur in cælum ascensus. Etsi enim gloriam virtutémque suam Christus resurgendo plenius illustrare cœpit, deposita iam scilicet abiecta & ignobili conditione mortalis vitæ & crucis ignominia: sua tamen demum in cælum a-
Ephe.4.b.10 scensione regnum suum verè auspicatus est. Quod Apostolus ostendit quum docet illum ascendisse vt impleret omnia, vbi in specie repugnantiæ admonet pulchrum esse consensum: quia sic à nobis discessit, vt præsentia esset vtilior, quæ in humili carnis domicilio
Iohã.7.f.37 se continebat quantisper in terris versatus est. Itaque Iohãnes, vbi præclaram illam inuitationẽ retulit, Siquis sitit, veniat ad me, &c. subiicit nõdum fuisse tunc fidelibus datum Spiritum: quia nõdum glorificatus erat Iesus. Quod etiam testatus est discipulis ipse Do-
Iohã.16.a.7 minus, Expedit vobis vt abeam: nisi enim abiero, Spiritus sanctus non veniet. Corporalis verò absentiæ solatium proponit, quòd non deseret pupillos, sed iterum ad eos veniet, inuisibili quidem modo, sed magis optabili: quia tunc certiore experiẽtia edocti sunt, imperium quo potitur, & quam exercet potentiam non modò ad beatè viuendum, sed fœliciter quoque moriẽdum fidelibus sufficere. Et sanè videmus quanto maiorem Spiritus sui abundãtiam tum effuderit, quanto magnificẽtius regnum suũ promouerit, quanto maiorem potentiã tum in adiuuandis suis, tum in hostibus deiiciendis, extulerit. In cælum ergo sublatus, corporis sui præsentiã è conspectu nostro sustulit: nõ vt adesse fidelibus desineret qui adhuc in terris peregrinarẽtur, sed vt præsentiore virtute & cælum & terram regeret. Quin potius quod pollicitus est, se futurum nobiscum vsque ad consummationẽ
Tract. in Euang. Iohan.109 seculi, id sua hac ascensione præstitit: qua vt corpus supra omnes cælos eleuatum est, ita virtus & efficacia vltra omnes cæli ac terræ fines diffusa propagatáque est. Hoc Augusti-
Mat.28.d.20 ni verbis malo quàm meis explicare. Iturus (inquit) per mortẽ erat Christus ad dexteram Patris, vnde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos: præsentia itidem corporali, secundum sanam doctrinã fideique regulam. Nam præsentia spirituali cum eis erat venturus post ascensionem suam. Et alibi fusius ac clarius, Secũdum ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est, Ecce vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad cõsummationẽ seculi. Secundum carnem verò quam Verbum assumpsit, secundũ id quòd de Virgine natus est, secundum id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno cõfixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro cõditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuer-
Act.1.a.3, & b.9 satus est secundum corporis præsentiã quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus viuendo, non sequendo, ascendit in cælum, & non est hîc: ibi enim sedet ad dexteram Patris, & hîc est: non enim recessit præsentia maiestatis. Ergo secundũ præsentiam maiestatis, semper habemus Christum: secũdum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.

Marc.16.d. 19 Heb.1.a.3 15 Quare mox subiicitur, consedisse ad Patris dexteram: similitudine scilicet à principibus sumpta, qui suos habẽt assessores, quibus regendi imperãdíque vices demãdant. Ita Christus, in quo exaltari, & per cuius manum regnare vult Pater, in eius dexteram receptus dicitur, acsi diceretur cæli ac terræ dominio inauguratus, commissæ sibi administrationis possessionem solenniter adiisse: nec semel adiisse tantùm, sed in ea perstare, do-
Ephe.1.d.20 Philip.2.b.9 1.Co.15.d.27 Ephe.4.c.15 Act.2.e.30, & 3.d.21 Hebr.1.a.4 nec ad iudiciũ descendat. Sic enim Apostolus interpretatur quũ ita loquitur, Constituit illũ Pater ad dexterã suã supra omnem principatũ, & potestatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ, & omne nomẽ quod nominatur nõ solùm in hoc seculo, sed in futuro. &, Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput Ecclesię supra omnia, &c. Vides quorsum pertineat illa sessio, nempe vt eius maiestatem tum cælestes tum terrenæ creaturæ suspiciãt,

manu

manu eius regantur, nutum intueãtur, virtuti subiectæ sint. Neque aliud volunt Apostoli quum illam toties commemorant, quàm vt eius arbitrio permissa esse vniuersa doceãt. Quare non rectè illi qui beatitudinẽ simpliciter designari putãt. Porrò nihil refert quòd in Actis Stephanus eum stantẽ se videre testatur, quia non de corporis constitutione, sed imperii maiestate hîc agitur: vt Sedere nihil aliud sit quàm cælesti tribunali præsidere. Act.7.g.56

16 Hinc multiplicem fructum colligit fides. Siquidem intelligit, Dominum suo in cælum ascensu aditum regni cælestis, qui per Adam præclusus fuerat, aperuisse. Quando enim in carne nostra quasi nostro nomine eò ingressus est, inde sequitur quod ait Apostolus, nos quodãmodo in cælestibus iam in ipso cõsidere, vtpote qui cælum non spe nuda expectemus, sed in capite nostro possideamus. Deinde agnoscit illum nõ sine magno nostro bono apud Patrem residere. Sanctuariũ enim non manufactum ingressus, coram facie Patris assiduus pro nobis aduocatus & intercessor apparet: eius oculos in suam iustitiam ita conuertit vt à peccatis nostris auertat: eius animum ita nobis recõciliat, vt viam & accessum nobis sternat ad eius thronum sua intercessione, ipsum gratia & clemẽtia replens, qui alioqui miseris peccatoribus plenus horroris futurus erat. Tertiò potentiã eius apprehendit, in qua situm est nostrum robur, virtus, opes, & aduersus inferos gloriatio. Nam ascendens in cælum, captiuam duxit captiuitatem & spoliatis hostibus, locupletauit populum suum, ac quotidie spiritualibus diuitiis cumulat. In excelsis ergo sedet, vt transfusa inde ad nos sua virtute, in vitã spiritualẽ nos viuificet, vt Spiritu suo sanctificet, vt variis gratiarum dotibus Ecclesiam suam exornet, vt protectione sua tutam aduersus omnes noxas cõseruet, vt ferocientes crucis suæ ac nostræ salutis hostes manus suæ fortitudine coerceat, denique vt omnem teneat potestatẽ in cælo & in terra: donec inimicos omnes suos, qui etiam nostri sunt, prostrauerit, ac Ecclesiæ suæ edificationem cõsummarit. Atque hic verus est regni eius status, hæc potestas quam in eum cõtulit Pater, donec vltimum actum ad viuorum & mortuorum iudicium aduẽiens compleat. Aug. de fide & symb. ca. 8 Epheſ.2.b.5 Heb.7.d.25, & 9.c.11 Rom.8.f.34 Ephe.4.b.6 Psal.110.a.1

17 Non obscura quidem præsentissimæ virtutis documẽta præbet suis Christus: sed quia sub carnis humilitate quodãmodo in terris delitescit eius regnum, optimo iure vocatur fides ad cogitandam visibilem illam præsentiã quam supremo die manifestabit. Visibili enim forma è cælo descendet qualis ascendere visus est: ac omnibus apparebit cum ineffabili regni sui maiestate, cum immortalitatis fulgore, cum immẽsa diuinitatis potentia, cum Angelorum satellitio. Inde igitur illum iubemur redẽptorem expectare ad diem illum quo agnos segregabit ab hœdis, electos à reprobis: nec erit quisquam aut viuorum aut mortuorum qui iudiciũ eius effugiat. Ab extremis enim orbis angulis exaudietur tubæ clangor, quo ad ipsius tribunal accersentur omnes, tũ quos dies ille superstites deprehendet, tum quos iam antea è viuorũ consortio mors sustulerit. Sunt qui secus Viuorum & Mortuorum vocabula hîc accipiant: & sanè videmus quosdam veterum in particulæ istius expositione hæsitasse: sed ille sensus, vt planus est & dilucidus, ita symbolo lõgè conuenientior est, quod populariter scriptum esse constat. Neque repugnat quod Apostolus asserit, omnibus hominibus cõstitutum semel mori. Nã etsi non morientur naturali modo & ordine qui ad iudicium vltimũ in vita mortali supererũt, mutatio tamen illa quam patientur, quia instar mortis erit, non impropriè mors appellatur. Non omnes quidem dormituros certum est, sed immutabuntur omnes. Quid istud est? Interibit & absorbebitur vno momento mortalis eorum vita, & in nouam penitus naturam transformabitur. Interitum istum carnis nemo negauerit mortem esse: manet tamẽ interim verum, quòd viui & mortui ad iudicium citabuntur: quia mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde qui reliqui erunt & superstites, obuiam Domino cũ illis rapientur in aera. Et certè verisimile est hanc partem ex concione Petri quam refert Lucas desumptam fuisse, & solenni Pauli ad Timotheum obtestatione. Act.1.b.11 Mat.24.c.30 Mat.25.c.31 1.Theſſ.4.d. 16 Heb.9.g.27 1.Cor.15.g.5 Ibidem g.51 1.Theſſ.4.d. 16 Act.10.g.42 2.Tim.4.a.1

18 Hinc egregia exoritur consolatio, quòd penes eum iudiciũ audimus esse qui nos sibi in iudicando honoris consortes iam destinauit: tantum abest vt in condemnationem nostram tribunal sit conscensurus. Quomodo enim perderet populum suum clementissimus princeps? quomodo membra sua caput dissiparet? quomodo suos cliẽtes patronus condemnaret? Nam si audet exclamare Apostolus, Christo intercedente nullum prodire posse qui condemnet, multo verius est, Christum ipsum intercessorem non condemnaturum eos quos in fidẽ cliẽtelámque suam recepit. Non modica certè securitas quòd non ad aliud tribunal sistemur quàm redemptoris nostri, à quo salus sit expectanda: præ- Rom.5.f.33 Vide Ambr. lib.1.de Iac. cap.6

terea, quòd ille qui per Euangelium nunc æternam beatitudinem promittit, tũc ratam
Iohã.5.d.22 promiſſionem iudicando facturus eſt. Ergo in hũc finem Pater Filium honorauit, omne iudicium illi deferendo, vt ita conſcientiis ſuorũ, terrore iudicii trepidis, conſuluerit. Hactenus ſymboli Apoſtolici ordinem ſequutus ſum: quia dum paucis verbis capita redemptionis perſtringit, vice tabulæ nobis eſſe poteſt, in qua diſtinctè & ſigillatim perſpicimus quæ in Chriſto attentione digna ſunt. Apoſtolicum autem nuncupo, de authore interim minimè ſolicitus. Apoſtolis certè magno veterum ſcriptorum conſenſu adſcribitur: ſiue quòd ab illis in commune conſcriptum ac editum exiſtimabant, ſiue quòd compendium iſtud ex doctrina per eorum manus tradita, bona fide collectũ tali elogio confirmandum cenſuerunt. Neque verò mihi dubium eſt quin à prima ſtatim Eccleſiæ origine adeóque ab ipſo Apoſtolorum ſeculo, inſtar publicæ & omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerit, vndecunque tandem initio fuerit profectum. Nec ab vno aliquo priuatim fuiſſe conſcriptum veriſimile eſt quum ab vltima vſque memoria ſacroſanctæ inter pios omnes authoritatis fuiſſe conſtet. Quod vnicè curandum eſt id extra controuerſiam poſitum habemus, totam in eo fidei noſtræ hiſtoriam ſuccinctè diſtinctóque ordine recenſeri, nihil autem contineri quod ſolidis Scripturæ teſtimoniis non ſit confignatum. Quo intellecto, de authore vel anxiè laborare, vel cũ aliquo digladiari, nihil attinet: niſi cui fortè non ſufficiat certam habere Spiritus ſancti veritatem, vt non ſimul intelligat aut cuius ore enuntiata, aut cuius manu deſcripta fuerit.

19 Quãdo autẽ totam ſalutis noſtræ ſummam ac ſingulas etiam partes videmus in Chriſto comprehenſas, cauendum ne vel minimam portiunculam aliò deriuemus. Si ſa-
Act.4.b.12 lus quæritur, ipſo nomine Ieſu docemur penes eum eſſe: ſi Spiritus alia quælibet dona, in
1.Cor.1.d.30 eius vnctione reperientur: ſi fortitudo, in eius dominio: ſi puritas, in eius conceptione: ſi
Heb.2.d.17 indulgentia, in eius natiuitate ſe profert, qua factus eſt nobis per omnia ſimilis, vt cõdo-
Galat.3.b.13 leſcere diſceret: ſi redemptio, in eius paſſione: ſi abſolutio, in eius damnatione: ſi maledictionis remiſſio, in eius cruce: ſi ſatisfactio, in eius ſacrificio: ſi purgatio, in eius ſanguine: ſi reconciliatio, in deſcenſu ad inferos: ſi mortificatio carnis, in eius ſepulchro: ſi vitæ nouitas, in eius reſurrectione: ſi immortalitas, in eãdem: ſi hereditas regni cæleſtis, in cæli ingreſſu: ſi præſidium, ſi ſecuritas, ſi bonorum omnium copia & facultas, in eius regno: ſi ſecura iudicii expectatio, in poteſtate iudicandi illi tradita. Denique in ipſo theſauri omne genus bonorum quum ſint, inde ad ſatietatem hauriantur, non aliũde. Nam qui vno ipſo non contenti ferũtur huc atque illuc in ſpes varias, etiamſi in illum præcipuè reſpiciunt, eo tamen ipſo rectam viam non tenent quòd aliquam ſuæ cogitationis partem aliò deflectunt. Quanquam irrepere diffidentia iſta non poteſt vbi ſemel abundantia bonorũ eius probè cognita fuerit.

Rectè & propriè dici Chriſtum nobis promeritum eſſe gratiam Dei & ſalutem. CAP. XVII.

HÆC etiã quæſtio vice auctarii expedienda eſt. Sunt enim homines quidam perperam arguti, qui etſi fatentur ſalutem nos per Chriſtum conſequi, nomen tamen meriti audire non ſuſtinent, quo putant obſcurari Dei gratiam: atque ita Chriſtum volunt inſtrumentum eſſe duntaxat vel miniſtrum, non au-
Act.3.c.11 thorem vitæ vel ducem & principem, ſicuti à Petro vocatur. Equidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet iudicio Dei, nõ fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas quæ poſſit Deum promereri: imò, vt veriſſimè Auguſtinus ſcribit, Clariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe eſt ſaluator
Lib.primo de præd. Sã. cap.15 homo Chriſtus Ieſus, qui vt hoc eſſet, nullis operum vel fidei præcedẽtibus meritis natura humana quæ in illo eſt comparauit. Reſpondeatur quæſo, ille homo vt à Verbo Patri coæterno in vnitatẽ perſonæ aſſumptus, Filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruerit? Appareat igitur in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram per cuncta eius mẽbra ſe diffundit. Ea gratia quiſque ab initio fidei ſuæ fit Chriſtia-
De bono perſeuer. cap. vltimo. nus, qua homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. Itẽ alibi, Nullũ illuſtrius eſt prædeſtinationis exẽplum quàm ipſe Mediator. Qui enim hũc fecit ex ſemine Dauid hominẽ iuſtum qui nunquã eſſet iniuſtus, ſine vllo merito præcedẽtis volũtatis eius, ipſe ex iniuſtis facit iuſtos qui membra ſunt illius capitis. & quæ ſequuntur. Quum ergo de Chriſti merito agitur, non ſtatuitur in eo principium: ſed conſcendimus ad Dei ordinationem, quæ prima cauſa eſt: quia mero beneplacito Mediatorẽ ſtatuit qui nobis ſalutẽ acquireret. Atque ita inſcitè opponitur Chriſti meritũ miſericordiæ Dei. Regula enim vulgaris eſt, quæ

ſubalterna

ſubalterna ſunt, non pugnare. ideóque nihil obſtat quominus gratuita ſit hominũ iuſtificatio ex mera Dei miſericordia,& ſimul interueniat Chriſti meritum,quod Dei miſericordiæ ſubiicitur.Noſtris autem operibus aptè opponitur tam gratuitus Dei fauor quàm Chriſti obedientia:ſuo ordine vtrũque. Nam Chriſtus nonniſi ex Dei beneplacito quicquam mereri potuit: ſed quia ad hoc deſtinatus erat vt iram Dei ſacrificio ſuo placaret, ſuáque obedientia deleret tranſgreſſiones noſtras. In ſumma quando ex ſola Dei gratia (quæ hunc nobis conſtituit ſalutis modum) dependet meritum Chriſti, non minus aptè quàm illa humanis omnibus iuſtitiis opponitur.

2 Hæc diſtinctio colligitur ex plurimis Scripturæ locis.Ita Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret,vt quiſquis credit in eum non pereat. Videmus vt priorem locum teneat Dei dilectio, tanquam ſumma cauſa vel origo: ſequatur fides in Chriſtum,tanquam cauſa ſecunda & propior.Siquis excipiat, Chriſtum nonniſi formalẽ eſſe cauſam, magis extenuat eius virtutem quàm ferant verba. Nam ſi fide quæ in ipſum recumbit iuſtitiam conſequimur,ſalutis noſtræ materia in eo quærenda, quod pluribus locis clarè probatur. Non quòd priores dilexerimus eũ, ſed ipſe nos prior dilexit, ac Filium ſuum miſit ἱλασμὸν pro peccatis noſtris. Clarè his verbis demõſtratur, Deum,nequid ſuo erga nos amori obſtaret,reconciliandi modum ſtatuiſſe in Chriſto. Ac magnum pondus habet nomẽ placationis: quia Deus ineffabili quodam modo,quo tempore nos amabat, ſimul tamen erat infenſus nobis, donec recõciliatus eſt in Chriſto. Quò pertinẽt omnes iſtæ ſententiæ, Ipſe expiatio eſt pro peccatis noſtris. Item, Placuit Deo reconciliare per ipſum omnia erga ſe, pacificans per ſanguinem crucis eius per ipſum, &c. Item, Erat Deus in Chriſto,mundum ſibi reconcilians,non imputans hominibus peccata.Itẽ,Gratos nos habuit in dilecto Filio.Item, Vt ambos in vnum hominem reconciliaret Deo per crucem.Ratio huius myſterii ex primo ad Epheſios capite petenda eſt, vbi poſtquam docuit Paulus nos in Chriſto fuiſſe electos,ſimul addit, nos in eodem gratiam eſſe adeptos. Quomodo cœpit Deus fauore ſuo complecti quos ante conditum mundum dilexerat, niſi quia amorem ſuum exeruit vbi reconciliatus eſt Chriſti ſanguine? Nam quia Deus fons eſt omnis iuſtitiæ,neceſſe eſt vt homo,quandiu peccator eſt,illum habeat hoſtem & iudicem. Quare principiũ amoris eſt iuſtitia, qualis à Paulo deſcribitur, Eum qui peccatum nõ fecerat,pro nobis peccatum fecit,vt eſſemus iuſtitia Dei in ipſo.Significat enim, gratuitam iuſtitiã adeptos Chriſti ſacrificio,vt Deo placeamus,qui natura ſumus filii iræ, & per peccatũ alienati. Cæterùm hæc diſtinctio etiã notatur, quoties Dei charitati adiũgitur Chriſti gratia,vnde ſequitur,eũ de ſuo quod acquiſiuit,nobis largiri: quia nõ aliter quadraret ſeorſum à Patre ei adſcribi hãc laudẽ,quòd gratia eius ſit, & ab ipſo proueniat.

Iohã.3.b.16

1.Iohã.4.b.10

1.Iohã.2.a.â Coloſ.1.20 2.Cor.5.d.19

Ephe.2.d.16

Epheſ.1.b.6

2.Cor.5.d.21

3 Quòd autem verè Chriſtus ſua obedientia nobis gratiam apud Patrẽ acquiſierit ac promeritus ſit,ex pluribus ſcripturæ locis certò & ſolidè colligitur. Nam hoc pro confeſſo ſumo, ſi pro peccatis noſtris Chriſtus ſatisfecit, ſi pœnã nobis debitam perſoluit, ſi obediẽtia ſua Deum placauit,denique ſi iuſtus pro iniuſtis paſſus eſt: iuſtitia eius partam nobis ſalutem:quod tantundem valet ac promereri. Atqui teſte Paulo,recõciliati ſumus, & reconciliationem accepimus per eius mortem. Atqui reconciliatio locum non habet niſi vbi offenſio præceſſit.Senſus ergo eſt,Deum cui propter peccatũ eramus exoſi,morte Filii ſui placatum fuiſſe,vt nobis ſit propitius. Ac diligenter notãda eſt quæ paulo pòſt ſequitur antitheſis.Sicut per tranſgreſſionem vnius peccatores conſtituti ſunt multi: ſic & per obedientiam iuſti conſtituũtur. Senſus enim eſt,Sicut Adæ peccato alienati à Deo ſumus & deſtinati ad interitum, ita Chriſti obedientia, nos in fauorem recipi tanquã iuſtos.Nec futurum verbi tempus præſentem iuſtitiam excludit:ſicuti ex cõtextu apparet. Nam & prius dixerat χάρισμα ex multis delictis eſſe in iuſtificationem.

Rom.5.b.11

Rom.5.d.19

4 Cæterùm quum dicimus Chriſti merito partam nobis eſſe gratiam,hoc intelligimus,ſanguine eius nos fuiſſe mundatos,& eius mortem expiationem fuiſſe pro peccatis. Sanguis eius emundat nos à peccato. Hic ſanguis eſt qui effunditur in remiſſionẽ peccatorum.Si hic effectus eſt fuſi ſanguinis vt non imputẽtur nobis peccata, ſequitur eo pretio ſatisfactũ eſſe iudicio Dei. Quò pertinet illud Baptiſtæ,Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Nam omnibus Legis ſacrificiis Chriſtũ opponit, vt impletũ in eo ſolo doceat quod figuræ illæ monſtrarunt.Scimus autẽ quid paſſim dicat Moſes,Expiabitur iniquitas, peccatũ delebitur ac remittetur. Denique in veteribus figuris optimè docemur quæ ſit mortis Chriſti vis & efficacia.Et hãc rẽ Apoſtolus, dextrè ſumpto hoc principio,

1.Iohan.1.c.7

Luc.22.b.20

Iohã.1.d.29

Heb.9.f.22 in Epistola ad Hebræos explicat,quòd remissio absque sanguinis effusione nõ fiat. Vnde colligit,Christum in abolitionem peccati per suum sacrificiũ semel apparuisse. Itẽ,Oblatum esse vt multorum tolleret peccata.Dixerat autem prius,non per sanguinẽ hircorum aut vitulorum, sed per sanguinem proprium semel intrasse in sancta, æterna redemptione inuenta. Iam dum in hunc modum ratiocinatur, Si sanguis vitulæ sanctificat secundum carnis puritatem,multo magis sanguine Christi purificari conscientias ab operibus mortuis: facilè patet, nimis extenuari Christi gratiam nisi eius sacrificio vim expiandi, placandi,& satisfaciẽdi concedimus: quemadmodum paulo pòst addit, Mediator hic est Noui testamenti, vt morte interueniente in redemptionem præcedentium delictorum quæ manebant sub Lege,promissionem æternæ hereditatis accipiãt qui vocati sunt.Præsertim verò expendere conuenit analogiam quæ à Paulo describitur, quòd pro nobis factus sit maledictio,&c.Superuacuum enim,adeóque absurdum fuit,onerari Christũ maledictione,nisi vt quod alii debebant persoluens,iustitiam illis acquireret.Clarũ est etiam Iesaiæ testimoniũ, Quòd castigatio pacis nostræ Christo imposita fuit, & liuore eius nobis obtigit sanitas. Nisi enim satisfeciisset pro peccatis nostris Christus,non diceretur placasse Deum pœna cui eramus obnoxii, in se recepta, cui respõdet quod ibidem sequitur, Propter scelus populi mei percussi eum.Accedat etiam Petri interpretatio,quæ nihil ambiguum relinquet,quòd peccata nostra portauerit super lignum. Onus enim damnationis,quo leuati sumus,dicit in Christum esse reiectum.

Ibidem,c.12

Ibidem,b.13

Ibidem,d.15

Galat.3.b.13

Iesa.53.b.5

1.Pet.2.d.24

5 Nec obscurè pronuntiant Apostoli pretium soluisse quo nos à reatu mortis redimeret. Iustificati gratia ipsius per redemptionem quæ est in Christo, quem posuit Deus ἱλαστήριον per fidem quæ est in sanguine eius.Gratiam Dei in hoc commẽdat Paulus,quia redemptionis pretium dedit in Christi morte: deinde iubet nos cõfugere ad eius sanguinem,vt iustitiam adepti coram Dei iudicio securi stemus.Idem valet istud Petri, Redempti non auro & argento, sed pretioso sanguine agni immaculati. Neque enim cõgrueret antithesis nisi pro peccatis satisfactum esset hoc pretio,qua ratione Paulus dicit nos pretiosè emptos esse.Non staret etiã alterum eius dictum, Vnus mediator qui se dedit ἀντίλυτρον, nisi reiecta in eũ esset pœna quam meriti eramus. Ideo idem Apostolus redẽptionem in sanguine Christi definit remissionem peccatorũ,acsi diceret, iustificari nos vel absolui coram Deo,quia sanguis ille in satisfactionem respondet.Cui & alter locus consonat,deletum fuisse in cruce chirographum quod erat contrarium nobis. Solutio enim vel compensatio notatur quæ nos à reatu absoluit. Magnum & his verbis Pauli subest pondus, Si iustificamur ex operibus Legis,ergo gratis Christus mortuus est.Nam hinc colligimus,à Christo petendum esse quod lex conferret siquis eam impleat: vel(quod idem est)nos cõsequi per Christi gratiam quod Deus operibus nostris in Lege promisit, Qui fecerit hæc, viuet in ipsis. Quod non minus clarè in concione Antiochiæ habita confirmat, credẽdo in Christum iustificari nos asserens ab omnibus à quibus nõ potuimus in lege Mosis iustificari.Nam si obseruatio Legis iustitia est, quis neget Christũ, dum hoc onere in se suscepto nos Deo perinde conciliat acsi essemus Legis obseruatores,fauorem nobis promeritum?Eódem spectat quod postea ad Galatas tradit, Deus filium suum misit Legi subiectum, vt eos qui sub Lege erant redimeret. Quorsum enim subiectio ista, nisi quòd iustitiam nobis peperit, suscipiens præstandum cui nos soluendo non eramus? Hinc illa iustitiæ imputatio sine operibus,de qua Paulus disserit:quia scilicet accepta nobis fertur quæ in solo Christo reperta fuit iustitia. Nec certè alia de causa vocatur caro Christi cibus noster,nisi quia in eo reperimus vitæ substantiã.Ea porrò vis non aliunde prouenit nisi quia in iustitiæ nostræ pretium crucifixus fuit Dei Filius. Sicut dicit Paulus quòd seipsum tradiderit sacrificium in odorem bonæ fragrãtiæ. Et alibi, Mortuus est propter peccata nostra:resurrexit propter iustificationem nostram. Inde colligitur, nõ modò per Christum salutem nobis datam esse, sed Patrem nobis eius gratia nunc esse propitium. Nam solidè in eo impleri non dubium est,quod per Iesaiam sub figura pronuntiat Deus,Propter me faciam, & propter Dauidem seruum meũ. Cuius rei optimus testis est Apostolus quum dicit,Remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Nam etsi non exprimitur Christi nomen, Iohannes tamen suo more sub pronomine αὐτὸς eum designat. Quo etiam sensu pronuntiat Dominus. Sicuti ego viuo propter Patrem,ita & vos viuetis propter me. Cui respondet quod dicit Paulus, Vobis datum est propter Christum, ὑπὲρ Χριστοῦ, non solùm vt in eum credatis,sed etiam vt pro eo patiamini.

Rom.3.c.24

2.Pet.1.d.18

1.Cor.6.d.20

Colos.1.b.14

Colos.2.c.14

Galat.2.d.21

Leuit.18.a.5

Act.13.f.38

Galat.4.a.4

Rom.4.

Iohan.6.f.55

Ephes.5.a.2

Rom.4.d.25

Iesa.37.g.35

1.Ioh.2.b.12

Iohan.6.f.57

Phili.1.d.29

6 Quærere

6 Quærere verò an ſibi ipſe meruerit (quod faciunt Lombardus & ſcholaſtici) non minus ſtulta eſt curioſitas quàm temeraria definitio vbi hoc idem aſſerunt, Quid enim opus fuit deſcendere vnicum Dei Filium vt ſibi acquireret quicquam noui? Et conſilium ſuum exponens Deus omnem dubitationem eximit. Non enim Filii vtilitati conſuluiſſe dicitur Pater in eius meritis, ſed eum tradidiſſe in mortẽ, neque ei peperciſſe: quia mundum diligeret. Et notãdæ ſunt loquutiones propheticæ, Puer natus eſt nobis. Item, Exulta filia Sion: ecce rex tuus venit tibi. Frigeret etiam alioqui confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quòd Chriſtus pro inimicis mortem ſubierit. Inde enim colligimus rationem ſui non habuiſſe: idque clarè affirmat, dicens, Pro illis ſanctifico meipſum. Se enim ſibi nihil acquirere teſtatur qui fructum ſanctitatis ſuæ in alios tranſfert. Et certè hoc maximè dignum obſeruatu quòd Chriſtus, vt ſe totũ addiceret in ſalutem noſtram, quodammodo ſui oblitus eſt. Præpoſterè verò huc trahunt Pauli teſtimonium, Propterea exaltauit illum Pater, & dedit illi nomen, &c. Quibus enim meritis aſſequi potuit homo, vt iudex eſſet mundi, caput Angelorum, atque vt potiretur ſummo Dei imperio, atque in eo reſideret maieſtas illa cuius milleſimam partem cũctæ hominum & Angelorum virtutes attingere nequeunt? Sed facilis & plena ſolutio eſt, Paulum illic non differere de cauſa exaltationis Chriſti: ſed conſequentiam duntaxat oſtendere vt nobis eſſet exemplo. nec omnino aliud voluit quàm quod alibi dicitur, oportuiſſe Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriam Patris.

Lib. 3. Sent. diſt. 18

Rom. 8. f. 32

Ieſa. 9. b. 6
Zach. 9. b. 9

Rom. 5. b. 10
Iohã. 17. c. 19

Philip. 2. b. 9

Luc. 24. d. 26

INSTITVTIONIS CHRIſtianæ religionis Lib. III.

DE MODO PERCIPIENDAE Chriſti gratiæ, & qui inde fructus nobis proueniant, & qui effectus conſequantur.

Quæ de Chriſto dicta ſunt, nobis prodeſſe, arcana operatione Spiritus. CAP. I.

NVNC videndum quomodo ad nos perueniant quæ Pater Filio vnigenito contulit bona, non in priuatum vſum, ſed vt inopes egenóſque locupletaret. Ac primò habendum eſt, quandiu extra nos eſt Chriſtus, & ab eo ſumus ſeparati, quicquid in ſalutem humani generis paſſus eſt ac fecit, nobis eſſe inutile nulliúſque momenti. Ergo vt nobiſcum quæ à Patre accepit communicet, noſtrum fieri & in nobis habitare oportet. Ideo & caput noſtrum vocatur, & primogenitus inter multos fratres: nos etiam viciſſim dicimur in ipſum inſeri, & eum induere: quia nihil ad nos (vt dixi) quæcunque poſſidet, donec cum ipſo in vnum coaleſcimus. Etſi autem verũ eſt, hoc fide nos conſequi: quãdo tamẽ videmus nõ omnes promiſcuè amplecti Chriſti cõmunicationem quæ per Euangelium offertur, altius conſcẽdere ipſa ratio nos docet, ac de arcana Spiritus efficacia inquirere, qua fit vt Chriſto boníſque eius omnibus fruamur. Differui antè de æterna Spiritus deitate & eſſentia: nũc ſpeciali hoc capite contenti ſimus, Chriſtũ ita in aqua & ſanguine veniſſe, vt de eo teſtificetur Spiritus, ne ſalus per hũc parta nobis effluat. Quemadmodũ enim tres citãtur in cælo teſtes, Pater, Sermo & Spiritus: ita etiã tres in terra, aqua, ſanguis & Spiritus. Neque fruſtra repetitur Spiritus teſtimoniũ, quod ſentimus cordibus noſtris ſigilli vice inſculptum eſſe. Vnde fit vt ablutionem & ſacrificium Chriſti obſignet. Qua ratione etiã dicit Petrus fideles electos eſſe in ſanctificatione Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Chriſti. Quibus verbis admonet, ne irrita ſit ſacri illius ſanguinis effuſio, arcana Spiritus irrigatione animas noſtras eo purgari. Qua ratione etiã Paulus, de purgatione & iuſtificatione verba faciẽs,

Ephe. 4. d. 15
Rom. 8. f. 29
Rom. 11. b. 17
Galat. 3. d. 17

1. Ioh. 5. b. 7. 8

1. Pet. 1. a. 2

dicit nos fieri vtriuſque compotes in nomine Ieſu Chriſti & Spiritu Dei noſtri. Huc ſumma redit, Spiritum ſanctum vinculũ eſſe quo nos ſibi efficaciter deuincit Chriſtus. Quò etiam pertinent quæ proximo libro de eius vnctione docuimus.

2 Verùm, quo res apprime digna cognitu certius liqueat, tenendum eſt Chriſtũ peculiari modo Spiritu ſancto veniſſe inſtructum: nempe vt à mundo nos ſegregaret, ac in ſpem colligeret æternæ hereditatis. Hinc Spiritus ſanctificationis dicitur: quia non virtute tantùm generali, quæ conſpicitur tam in humano genere quàm in reliquis animantibus, nos vegetat & fouet, ſed radix ac ſemen eſt cæleſtis vitæ in nobis. Itaque hoc maximè elogio Chriſti regnum commendant Prophetæ, quòd vberior Spiritus affluẽtia tunc floreret. Inſignis prę aliis eſt Ioelis locus, Effundam in illa die de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Etſi enim videtur dona Spiritus reſtringere Propheta ad munus prophetandi, ſub figura tamen ſignificat, Deum illuſtratione Spiritus ſui facturum ſibi diſcipulos qui prius expertes & vacui fuerant cæleſtis doctrinæ. Porrò quia Deus Pater propter Filium ſuum Spiritu ſancto nos donat, & tamen apud eum totam plenitudinem depoſuit, vt ſuæ liberalitatis miniſter eſſet ac diſpenſator: nunc Patris, nunc Filii Spiritus vocatur. Vos (inquit Paulus) nõ eſtis in carne, ſed in Spiritu: ſi quidem Spiritus Dei habitat in vobis. quòd ſiquis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Inde verò ſpem facit plenæ renouationis, quòd is qui ſuſcitauit Chriſtũ à mortuis, viuificabit mortalia corpora noſtra propter Spiritum eius habitantem in nobis. Nihil enim abſurdi eſt, Patri adſcribi donorum ſuorum laudem quorum eſt author: & tamẽ Chriſto, apud quem depoſita ſunt Spiritus dona quæ ſuis largitur, eaſdem adſcribi partes. Ideo cunctos ſitientes ad ſe inuitat vt bibant. Et Paulus docet ſingulis diſtribui Spiritũ pro menſura donationis Chriſti. Ac ſciendum eſt, Spiritum Chriſti dici, non modò quatenus æternus ſermo Dei eſt eodem Spiritu cum Patre coniunctus: ſed ſecundum Mediatoris quoque perſonam: quia niſi hac virtute præditus, fruſtra ad nos veniſſet. Quo ſenſu vocatur ſecundus Adam è cælo datus in Spiritum viuificantem. vbi Paulus ſingularem quam ſuis vitam inſpirat Filius Dei, vt ſecum vnum ſint, comparat cum vita animali quæ reprobis etiam communis eſt. Similiter vbi optat Chriſti gratiam & Dei charitatem fidelibus, ſimul annectit cõmunicationem Spiritus, ſine qua nec paternum Dei fauorem, nec Chriſti beneficentiam quiſquam guſtabit. Sicut etiam alibi dicit, Charitas Dei effuſa eſt in corda noſtra per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Iacl.2.g.28

Rom.8.b.9

Ibidem, c.11

Iohan.7.f.37

Epheſ.4.b.7

1.Cor.15.f.45

2.Cor.13.c.1

Rom.5.a.5

3 Atque hîc notare expediet quibus elogiis Spiritũ inſigniat Scriptura, vbi de exordio totáque inſtauratione ſalutis noſtræ agitur. Primò vocatur Spiritus adoptionis: quia nobis teſtis eſt gratuitæ Dei beneuolentiæ qua nos Deus Pater in dilecto vnigenito complexus eſt, vt nobis eſſet in Patrem, nóſque ad precandi fiduciam animat, imò verba dictat, vt intrepidè clamemus Abba Pater. Eadem ratione dicitur arrhabo & ſigillum noſtræ hereditatis: quia in mundo peregrinantes, & mortuis ſimiles è cælo ita viuificat vt certi ſimus ſub fideli Dei cuſtodia ſalutem noſtram in tuto eſſe. vnde & vita eſſe dicitur propter iuſtitiam. Quoniam verò arcana ſua irrigatione ad germina iuſtitiæ proferenda nos fœcundat, vocatur ſæpius aqua, vt apud Ieſaiam, Omnes ſitientes venite ad aquas. Item, Effundam Spiritum meum ſuper ſitientẽ, & flumina ſuper aridam. Quibus reſpondet Chriſti ſententia quam nuper adduxi, Siquis ſitit, veniat ad me. Quanquã interdum à purgandi mundandíque energia ſic nũcupatur, vt apud Ezechielẽ, vbi Dominus aquas mundas promittit quibus populum ſuum à ſordibus abluet. Quoniam verò gratiæ ſuæ liquore perfuſos in vitæ vigorem reſtituit ac fouet, inde nomen obtinet olei & vnctionis. Rurſum quia concupiſcentiæ noſtræ vitia aſſiduè excoquendo & exurẽdo, corda noſtra incẽdit amore Dei & ſtudio pietatis, ab hoc quoque effectu meritò ignis appellatur. Denique nobis deſcribitur quaſi fons, vnde ad nos manant cæleſtes omnes diuitiæ: vel Dei manus, qua ſuã potentiã exercet: quia virtutis ſuæ afflatu diuinã nobis vitam ſic inſpirat vt non iam agamur ipſi à nobis, ſed eius actione ac motu regamur: vt ſiqua ſunt in nobis bona, fructus ſint gratiæ ipſius: noſtræ verò ſine ipſo dotes, mentis ſint tenebræ cordíſque peruerſitas. Hoc quidẽ iam clarè expoſitum eſt, donec intentę ſint in Spiritũ mentes noſtrę, Chriſtũ iacere quodãmodo otioſum: quia frigidè eũ extra nos, adeóque procul à nobis ſpeculamur. Scimus autem non aliis prodeſſe niſi quorum eſt caput & primogenitus inter fratres, qui denique eum induerunt. Facit ſola hęc cõiunctio, ne inutiliter, quoad nos, cum Saluatoris nomine venerit. Quò ſpectat ſacrum illud coniugium quo efficimur caro

Rom.8.c.15

Galat.4.a.6

2.Cor.1.d.21

Rom.8.b.10

Ieſa.55.a.1

Ieſa.44.a.3

Iohan.7.f.37

Ezech.36.c.25

1.Iohan.2.c.20.27

Luc.3.d.16

Iohã.4.b.14

Act.11.c.21

Epheſ.4.d.15

Rom.8.f.29

Galat.3.d.27

caro de carne eius,& ossa ex ossibus, adeóque vnum cum ipso: solo autem Spiritu vnit se nobiscum.Eiusdem Spiritus gratia & virtute efficimur illius membra, vt nos sub se contineat,vicissimque ilum possideamus. Ephe.5.g.30

4 Verùm quia fides præcipuum est eius opus, ad eam magna ex parte referuntur quæ ad vim eius & operationem exprimendam passim occurrunt: quia nonnisi per eam nos in Euangelii lumen adducit, sicuti docet Iohannes, datam esse prærogatiuam credentibus in Christum vt sint filii Dei, qui nõ ex carne & sanguine, sed ex Deo nati sunt. Iohã.1.b.12 vbi Deum opponens carni & sanguini, supernaturale esse donum asserit,quòd fide recipiant Christum qui alioqui suæ incredulitati dediti manerent. Cui simile est illud Christi responsum,Caro & sanguis non reuelauit tibi,sed Pater meus qui in cælis est.quæ nũc breuiter attingo: quia iam alibi copiosè tractaui. Simile etiam est illud Pauli,Obsignatos fuisse Ephesios Spiritu promissionis sancto. Ostendit enim internum esse doctorem, cuius opera in mentes nostras penetrat salutis promissio,quæ alioqui aerẽ duntaxat vel aures nostras feriret. Similiter vbi Thessalonicẽses dicit electos à Deo in sanctificatione Spiritus & fide veritatis: quo contextu breuiter admonet fidem ipsam non aliunde prodire quàm à Spiritu. Quod apertius explicat Iohannes, Nos scimus quòd manet in nobis è Spiritu quem nobis dedit. Itẽ, Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in nobis, quòd dedit nobis ex Spiritu suo. Itaque discipulis suis, vt capaces essent cælestis sapiẽtiæ, promisit Christus Spiritum veritatis, quem mundus non potest capere. Et hoc illi proprium munus attribuit,suggerere quæ ipse ore docuerat.quia frustra cæcis lux se offerret nisi Spiritus ille intelligentiæ aperiret mẽtis oculos: vt rite clauem vocare queas qua cælestis regni thesauri nobis referantur, eiúsque illuminationem mentis nostræ aciem ad videndum. Ideo Paulus tantopere commendat ministerium Spiritus: quia sine profectu clamarent doctores nisi Christus ipse interior magister suo Spiritu ad se traheret qui dati sunt à Patre.Ergo sicut in Christi persona reperiri diximus perfectam salutem: ita, vt fiamus eius participes,baptizat nos in Spiritu sancto & igni,illuminans nos in Euangelii sui fidem, atque ita regenerans vt simus nouæ creaturæ: & prophanis sordibus purgatos in sancta Deo templa consecrat. 1.Tim.6.d.16 Iohan.8.b.12 Iohã.14.a.6 Luc.10.d.22 1.Cor.2.a.2 Act.26.d.17 18 Iohan.6.a.4 Luc.3.d.16

De fide: vbi & definitio eius ponitur, & explicantur quæ habet propria. CAP. II.

VERVM hæc omnia cognitu facilia erunt vbi posita fuerit clarior fidei definitio:vt vim eius & naturam teneant lectores.Repetere autem memoria conuenit quæ antè tradita fuerunt, quũ Deus nobis per Legem prescribat quid agendum sit,siqua in parte lapsi fuerimus, terribile illud quod edicit mortis æternæ iudicium nobis incumbere. Rursum, quia non modò arduum sed prorsus supra vires extráque omnem nostram facultatem est Legem implere vt exigit: si nos duntaxat ipsos intuemur, & quæ meritis nostris digna sit conditio reputamus, nihil bonæ spei esse reliquũ, sed à Deo abiectos sub æterno interitu iacere. Hoc tertio explicaret Christus redemptor,per cuius manum cælestis Pater,pro sua immẽsa bonitate & clementia nostri misertus, succurrere nobis voluit: siquidem & solida fide misericordiam hanc amplectimur,& in ipsa constanti spe acquiescimus.Hoc verò nunc expendere conuenit,qualis esse hæc fides debeat,per quam regni cælestis possessionem adeunt quicunque adoptati sunt à Deo in filios: quando tantæ rei efficiendæ nõ quamlibet opinionem aut etiam persuasionem parem esse constat. Atque eo maiore cura & studio dispicienda est nobis & disquirenda germana fidei proprietas,quo pernicioſior hodie est in hac parte multorum hallucinatio.Siquidem bona pars orbis, audito eius nomine, nihil altius cõcipit quàm vulgarem quendam Euangelicæ historiæ assensum.imò quum in scholis de fide disputant,Deum eius obiectum simpliciter vocando, euanida speculatione(vt alibi diximus) miseras animas rapiunt transuersum magis quàm ad scopum dirigant. Nam quum Deus lucem inaccessam habitet,Christum mediũ occurrere necesse est. Vnde & se lumẽ mundi vocat: & alibi,viam,veritatem & vitam:quia ad Patrem(qui fons est vitæ) nisi per ipsum nemo venit: quia solus Patrem cognoscit, deinde fideles quibus eum voluerit patefacere. Secundum hanc rationem Paulus nihil se cognitu eximium ducere asserit præter Christum: & Actorum vigesimo se prædicasse refert fidem in Christum.& alibi Christum ita loquentem inducit,Mittam te inter gentes, vt accipiant remissionẽ peccatorum & sortem inter sanctos,per fidem quæ est in me.Et Paulus in eius persona nobis

visibilem esse Dei gloriam testatur, vel(quod idem valet) illuminationẽ cognitionis gloriæ Dei in eius facie lucere. Verum quidem est in vnum Deum fidem respicere: sed illud quoque addendum est,vt agnoscat quem ille misit Iesum Christum.Quia Deus ipse procul absconditus lateret nisi nos irradiaret fulgor Christi. In hunc finẽ quicquid habebat
2.Cor.4.b.6 Pater, apud vnigenitũ deposuit,vt in eo se patefaceret: vt ipsa bonorum cõmunicatione exprimeret veram gloriæ suæ imaginem. Siquidem vt dictum est Spiritu nos trahi oportere vt ad Christum quærendum incitemur: ita vicissim monendi sumus inuisibilem Patrem non alibi quàm in hac imagine quærẽdum esse.Qua de re elegãter Augustinus,qui
Libr.11. de Ciu.Dei, cap.2 de fidei scopo differens, sciendum esse tradit quò sit eundum & quà: tum continuo pòst colligit, munitissimam aduersus omnes errores viam esse eundem Deum & hominem. Deum enim esse quò tendimus,hominem quà imus: vtrunque autem nõnisi in Christo inueniri. Nec verò Paulus,dum fidem erga Deũ prædicat,in animo habet euertere quod toties inculcat de fide, quæ totam suam stabilitatem habet in Christo. Petrus verò aptissimè vtrunque connectit,dicens per ipsum nos in Deum credere.
1.Pet.1.d.21

2 Ergo hoc malum,vt alia innumera, scholasticis acceptum referr par est,qui velut obducto velo Christum texerunt, in cuius intuitum nisi rectà intenti simus, per multos labyrinthos semper vagari continget. Præterquam verò quod caliginosa sua definitione totam vim fidei deterunt ac ferè exinaniunt,commẽtum fabricarũt implicitæ fidei, quo nomine crassissimam ignorantiam ornantes,miseræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt.Imò(vt verius & apertius dicã quod res est) cõmentum hoc veram fidem nõ modò sepelit,sed penitus destruit. Hoccine credere est,nihil intelligere,modò sensum tuũ obedienter Ecclesiæ submittas?Non in ignoratione,sed in cognitione sita est fides: atque illa quidem non Dei modò,sed diuinæ voluntatis.Nec enim ex eo salutem consequimur,vel quòd parati sumus pro vero amplecti quicquid Ecclesia præscripserit,vel quòd inquirendi cognoscendíque prouinciam ad ipsam relegamus: sed quando Deum agnoscimus nobis esse propitium Patrem,reconciliatione per Christum facta: Christũ verò in iustitiam, sanctificationem,& itam nobis esse datum.Hac(inquam)cognitione, non sensus nostri submissione, ingressum in regnũ cælorum obtinemus. Nam quum dicit Apostolus, cor-
Rom.10.b.10 de credi ad iustitiam, ore confessionem fieri ad salutem, nõ satis esse indicat siquis implicitè credat quod non intelligat,nec etiam inquirat:sed explicitam requirit diuinæ bonitatis agnitionem,in qua consistit nostra iustitia.

3 Equidem non inficior(qua sumus ignorantia circunsepti)quin plurima nobis implicita nũc sint, & etiam sint futura, donec deposita carnis mole propius ad Dei præsentiam accesserimus: in quibus ipsis nihil magis expediat quàm iudicium suspendere, animum autem offirmare ad tenendam cum Ecclesia vnitatem. Verùm hoc prætextu ignoIohã.17.a.3 rantiam humilitate tẽperatam fidei nomine insignire, absurdissimum est. Fides enim in Dei & Christi cognitione non in Ecclesiæ reuerentia iacet. Et videmus qualem labyrinthum ista sua implicatione sint fabricati,vt quiduis,nullo cum delectu,dum sub Ecclesiæ obtruditur titulo, ab imperitis instar oraculi arripiatur, interdum etiam prodigiosissimi errores. Quæ inconsiderata facilitas,quum certissimum sit in ruinam præcipitium,ab iis tamen excusatur:quia definitè nihil credat,sed apposita conditione,si talis Ecclesiæ sit fides.Ita in errore veritatem, in cæcitate lucem,in ignorantia rectam scientiam teneri fingunt. Quibus refutandis ne longius immoremur, tantùm admonemus lectorem vt ipsa cum nostris cõferat. ipsa enim veritatis perspicuitas satis expeditam per se refutationem suggeret. Neque enim apud eos hoc quæritur an implicita sit fides multis ignorantiæ reliquiis,sed definiũt, rite credere qui in sua inscitia stupent,adeóque sibi indulgẽt, modò Ecclesiæ authoritati & iudicio de rebus incognitis assentiãtur. Quasi verò Scriptura passim non doceat cum fide coniunctam esse intelligentiam.

4 Nos verò fidem, quandiu in mundo peregrinamur, implicitam esse concedimus, non solùm quia nos multa adhuc latent:sed quia multis errorum nebulis circundati,non omnia assequimur.Nam perfectissimi cuiusque summa sapiẽtia est proficere,placidáque
Philip.3.c.15 docilitate longius eniti. Itaq; fideles hortatur Paulus,vt siqua de re alii ab aliis dissentiãt, expectent reuelationem. Et sanè experientia docet, donec carne simus exuti,minus nos assequi quàm optandum esset.ac quotidie legendo in multos obscuros locos incidimus, qui nos ignorãtiæ coarguũt. Atq; hoc fræno in modestia nos Deus retinet, fidei mensuram singulis assignans, vt optimus etiam quisque doctor ad discendũ paratus sit. Ac insignia

gnia huius fidei implicitæ exempla in Christi discipulis notare licet, antequam plenam illuminationem adepti essent. Videmus quàm difficulter rudimẽta ipsa gustent, vt hæsitent in minimis quibusque, vt à magistri ore pendentes, nõ tamen multùm promoueant. quinetiam, dum ad monumentum accurrunt mulierum admonitu, resurrectio magistri illis instar somnii est. Quũ illis fidei testimoniũ antè reddiderit Christus, ea prorsus fuisse vacuos dicere fas nõ est: imò, nisi persuasi fuissent Christum resurrecturum esse, concidisset in illis omne studiũ. Nec verò superstitio traxit mulieres, vt cadauer hominis extincti aromatibus condirent de cuius vita nulla spes foret: sed quanuis fidem haberent eius verbis, quem sciebant veracem esse: ruditas tamen, quæ adhuc occupabat eorum mẽtes, fidem caligine obuoluit, vt essent ferè attoniti. Vnde etiam dicuntur tunc demum credidisse, vbi re ipsa ab ipsis comperta fuit sermonum Christi veritas: non quòd credere inceperint, sed quia occultæ fidei semen, quod in eorum cordibus velut emortuum erat, tunc recepto vigore emersit. Vera ergo in illis fuit, sed implicita fides: quia reuerenter Christum pro vnico doctore amplexi erant. Deinde ab ipso edocti, statuebant sibi esse authorem salutis. denique credebant è cælo venisse, vt per gratiam Patris discipulos illuc colligeret. Nec verò familiarior huius rei probatio quærenda est quàm quòd in cunctis semper mixta est fidei incredulitas.

5 Vocare etiã fidẽ implicitã licet quę tamen propriè nihil aliud est quàm fidei præparatio. Plerosque credidisse Euangelistæ referũt qui tantùm miraculis in admirationem rapti, non vltrà progressi sunt quàm Christum esse Messiam qui promissus fuerat: quanuis ne tenui quidem Euangelii doctrina imbuti essent. Talis obseruantia, quæ eos subegit vt Christo libenter se subiicerent, ornatur fidei titulo: cuius tamen nonnisi initium fuit. Sic aulicus ille qui de filii sanatione promissioni Christi credidit, domũ reuersus, teste Euangelista, denuò credidit. nempe quia primò instar oracli habuit quod audierat ex ore Christi: deinde eius authoritati se addixit, ad recipiendam doctrinam. Quanquam sciendum est, ita fuisse docilem & paratum ad discendum, vt tamen verbum credendi priore loco particularem fidem denotet, secundo loco eum numeret inter discipulos qui nomen Christo dederant. Non absimile exemplum in Samaritanis proponit Iohannes, qui mulieris sermoni crediderunt vt feruidè ad Christum accurrerent, qui tamen eo audito sic loquũtur, Iam non credimus ob sermonem tuum, sed eum audiuimus, & scimus quòd seruator sit mundi. Ex his patet, eos etiã qui primis elementis nõdum sunt imbuti, modò ad obediendum ferantur, vocari fideles, non quidem propriè, sed quatenus Deus pro sua indulgẽtia pium illum affectum tanto honore dignatur. Sed hæc docilitas cum proficiendi desiderio longè distat à crassa ignorantia, in qua torpent qui fide implicita (qualis fingitur à Papistis) contenti sunt. Nam si Paulus seuerè eos damnat qui semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis perueniunt, quanto grauiorem ignominiam merentur qui data opera affectant nihil scire?

Iohan. 4. g. 53

Iohan. 4. f. 42

2. Tim. 3. b. 7

6 Hæc igitur vera est Christi cognitio, si eum qualis offertur à Patre suscipimus, nempe Euangelio suo vestitum: quia sicuti in scopum fidei nostræ ipse destinatus est, ita nonnisi præeunte Euangelio rectâ ad eum tendemus. Et certè illic nobis aperiuntur thesauri gratiæ: quibus clausis, parum nobis Christus prodesset. Sic Paulus fidem doctrinæ individuam comitem addit his verbis, Non ita didicistis Christum: si quidem edocti estis quę sit veritas in Christo. Neque sic tamen ad Euangelium restringo fidem quin fatear à Mose & Prophetis traditum fuisse quod ad eam ædificãdam sufficeret: sed quia plenior Christi manifestatio in Euangelio exhibita est, meritò vocatur à Paulo doctrina fidei. Qua ratione alibi dicit, fidei aduentu Legem abolitam fuisse: hac voce comprehendens nouum & insolitum docendi genus, quo Patris misericordiam magis illustrauit, & de salute nostra certius testatus est Christus ex quo apparuit magister. Quanquam facilior erit & aptior methodus, si gradatim à genere ad speciem descendimus. Principio admonendi sumus, perpetuam esse fidei relationem cum Verbo, nec magis ab eo posse diuelli, quàm radios à sole, vnde oriuntur. Ideò apud Iesaiam clamat Deus, Audite me, & viuet anima vestra. Et hunc eundem fidei fontem demonstrat Iohãnes his verbis, Hæc scripta sunt vt credatis. Prophęta quoque hortari volens populum ad fidem, Hodie (inquit) si vocem eius audieritis. & audire passim accipitur pro credere. Denique non frustra Deus apud Iesaiam hac nota discernit filios Ecclesiæ ab extraneis, quòd omnes erudiet, vt sint ab ipso edocti. quia si promiscuum esset beneficium, cur ad paucos dirigeret sermonem?

Ephe. 4. e. 20

Rom. 10. a. 4

Iesa. 55. a. 3

Iohã. 20. g. 31

Psal. 95. c. 8

Iesa. 53. c. 13

Cui reſpondet quòd paſſim Euangeliſtæ fideles & diſcipulos ponunt tanquam ſynonyma, ac præſertim Lucas in Actis Apoſtolorum ſæpius. quinetiam hoc epitheton ad mulierem vſque extẽdit, Act. 9. Quare ſi ab hoc ſcopo in quẽ collimare debet, vel minimùm deflectit fides, naturam ſuam non retinet, ſed incerta eſt credulitas, & vagus mẽtis error. Idem verbum baſis eſt, qua fulcitur & ſuſtinetur: vnde ſi declinat, corruit. Tolle igitur verbum, & nulla iam reſtabit fides. Non hîc diſputamus an ad feminandum Dei ſermonem, vnde fides concipiatur, neceſſarium ſit hominis miniſterium, quod alibi tractabimus: ſed verbum ipſum, vtcunque ad nos deferatur, inſtar ſpeculi eſſe dicimus, in quo Deum intueatur fides. Siue igitur hominis operam in hoc Deus adhibeat, ſiue ſola ſua virtute operetur, ſemper tamen iis quos ad ſe trahere vult, per verbum ſuum ſe repræſentat. Vnde & fidem definit Paulus obedientiã quæ præſtatur Euangelio, Rom. 1. a. 5. & alibi obſequium fidei laudat in Philippenſibus. Neque enim vnum id in fidei intelligẽtia agitur, vt Deum eſſe nouerimus, ſed etiam, imò hoc præcipuè, vt qua ſit erga nos voluntate, intelligamus. Neque enim ſcire quis in ſe ſit, tantùm noſtra refert, ſed qualis eſſe nobis velit. Iam ergo habemus fidẽ eſſe diuinę erga nos volũtatis notitiam ex eius verbo perceptam. Huius autem fundamentũ eſt, præſumpta de veritate Dei perſuaſio. De cuius certitudine, quandiu ſecũ animus tuus diſceptabit, dubiæ & infirmæ, vel potius nullius authoritatis erit verbũ. Neque etiam ſufficit Deum credere veracẽ, qui nec fallere nec mentiri poſſit, niſi conſtituas proculdubio, quicquid ab ipſo prodit, ſacroſanctam eſſe & inuiolabilem veritatem.

Act. 6. a. 1. 2. b. 7, & 9. a. 1. b. 10. d. 19. 25. e. 26. g. 38 & 11. d. 26. 29 & 13. g. 52, & 14. 15. 10. 18. 19. 29. 21.

Philip. 2. c. 17

7 Sed quoniam nec ad vocem Dei quamlibet cor hominis in fidem erigitur, inquirendum adhuc eſt, quid propriè fides in verbo reſpiciat. Vox Dei erat ad Adam, Morte morieris: Vox Dei ad Cain, Sanguis fratris tui clamat ad me de terra: ſed quæ nihil per ſe, niſi fidem quatefacere queant: tantum abeſt vt ſtabiliendæ ſint idoneæ. Non negamus interim quin fidei officium ſit veritati Dei ſubſcribere, quoties & quidquid & quocũque modo loquitur: ſed quærimus modò quid in verbo Domini reperiat fides, quo nitatur & recumbat. Vbi ſolam indignationem & vindictam conſcientia noſtra conſpicit, quomodo non trepidabit & exhorreſcet? Deum autem quem exhorreſcit, quomodo non refugeret? atqui Deum quærere fides debet, non refugere. Conſtat ergo nondum plenam haberi à nobis fidei definitionem: quando voluntatem Dei qualemcunque noſſe, pro fide cenſendum non eſt. Quid ſi in locum voluntatis, cuius ſæpe triſtis eſt nuntius & formidabile prẹconium beneuolentiam ſeu miſericordiã ſubiiciamus? Ita certè ad fidei ingenium propius acceſſerimus. tum enim ad Deum quærendum allicimur poſtquã didicimus ſalutem nobis apud eum eſſe repoſitam: quod ipſum nobis confirmatur vbi ſibi curæ ſtudióque eam eſſe declarat. Proinde gratiæ promiſſione opus eſt, qua nobis teſtificetur ſe propitium eſſe Patrem: quando nec aliter ad eum appropinquare poſſumus, & in eam ſolam reclinare cor hominis poteſt. Hac ratione in Pſalmis paſſim iungũtur hæc duo ſicuti inter ſe cohærent, miſericordia & veritas: quia nec quicquam nos iuuaret ſcire Deum eſſe veracem, niſi clemẽter nos ad ſe alliceret: nec eius miſericordiam amplecti noſtrum eſſet niſi eam ſua voce offerret. Veritatem tuam & ſalutem prædicaui: non celaui bonitatem tuam & veritatem tuam. Bonitas tua & veritas cuſtodiant me. Alibi, Miſericordia tua ad cælos, veritas tua vſque ad nubes. Item, Omnes viæ Iehouæ clementia & veritas cuſtodientibus fœdus eius. Item, Multiplicata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternũ. Item, Canam nomini tuo ſuper miſericordia & veritate tua. Omitto quod in eandem ſententiam apud Prophetas legitur, Deum clementem eſſe & fidelem in promiſſis. Temere enim ſtatuemus Deum nobis propitium, niſi de ſe teſtetur ipſe, nóſque ſua inuitatione præueniat, ne dubia vel obſcura ſit volũtas. Iam autem viſum eſt vnicum amoris pignus eſſe Chriſtum: ſine quo ſurſum & deorſum apparẽt odii & iræ ſigna. Iam quum non multum habitura ſit momenti diuinæ bonitatis notitia, niſi in ea nos acquieſcere faciat, excludenda eſt dubitatione mixta intelligentia, quæ non ſolidè ſibi conſtet, ſed ipſa ſecum diſceptet. At verò plurimum abeſt quin mens hominis, vt cæca eſt & obtenebrata, ad percipiendã vſque Dei voluntatẽ penetret ac cõſcendat, atque etiã cor, vt perpetua hæſitatione fluctuatur, ſecurum in ea perſuaſione reſideat. Itaque aliunde & mentẽ illuminari, & cor obfirmari cõuenit, quò Dei verbũ plenam apud nos fidem obtineat. Nunc iuſta fidei definitio nobis conſtabit ſi dicamus eſſe diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam certámque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata, per Spiritum ſanctum & reuelatur mentibus noſtris & cordibus obſignatur.

Gen. 2. c. 17

Ibid. 4. b. 10

Pſal. 40. c. 11

Pſal. 36. b. 6

Pſal. 25. b. 10

Pſal. 117

Pſal. 138. a. 2

8 Verùm

8 Verùm antequam vltrà progrediar, quædam proœmia neceſſaria erunt ad nodos explicandos, qui obſtaculum alioqui afferre poſſent lectoribus. Ac primò refutanda eſt quæ in ſcholis volitat nugatoria fidei formatæ & informis diſtinctio. Imaginantur enim eos credere quicquid cognitu neceſſariũ eſt ad ſalutem, qui nullo timore Dei, nullo pietatis ſenſu tanguntur. Quaſi verò Spiritus ſanctus corda noſtra in fidem illuminãdo, non ſit nobis adoptionis noſtræ teſtis. Superciliosè tamen, tota Scriptura reclamante, perſuaſionem illam timore Dei vacuam, fidei nomine dignantur. Cum eorum definitione longius conflictari opus non eſt, quàm fidei naturam ſimpliciter enarrãdo, qualis verbo Dei traditur. Vnde liquidò patebit quàm imperitè & inſulsè de ipſa ſtrideant magis quàm loquantur. Partem iam attigi, reliqua ſuo loco deinde ſubiiciam. Nunc dico, nihil eorum commento poſſe fingi abſurdius. Fidem aſſenſum eſſe volunt, qua recipiet quilibet Dei contemptor quod ex Scriptura profertur. Atqui primò videndum erat, ſibine quiſque proprio marte fidem accerſat: an Spiritus ſanctus per eã teſtis ſit adoptionis. Itaque pueriliter ineptiunt, quærendo an eadem ſit fides quam ſuperueniens qualitas format: an verò diuerſa & noua. Vnde certò apparet ita garriendo de ſingulari Spiritus dono nunquam cogitaſſe: quia initium credendi iam in ſe reconciliationem cõtinet qua homo ad Deum accedit. Quòd ſi expenderent illud Pauli, Corde creditur ad iuſtitiam: fingere deſinerent frigidam illam qualitatem. Si vna hæc nobis ſuppeteret ratio, valere deberet ad litem finiendam: aſſenſionem ſcilicet ipſam, ſicuti ex parte attigi, & fuſius iterũ repetam, cordis eſſe magis quàm cerebri, & affectus magis quàm intelligentiæ. Qua ratione obedientia vocatur fidei, cui nullum aliud obſequium præfert Dominus. & meritò, quando illi ſua veritate nihil eſt pretioſius: quam à credentibus, quaſi ſubſcriptione facta, obſignari Iohannes Baptiſta eſt teſtis. Quoniam res minimè dubia eſt, vno verbo ſtatuimus, eos ineptè loqui quum fidem formari dicũt, acceſſione piæ affectionis ad aſſenſum facta: quum aſſenſus quoque pia affectione conſtet: qualis ſaltem in Scripturis demonſtratur. Sed alterum multo clarius argumẽtum ſe etiamnum offert. Quum enim fides Chriſtum amplectatur, vt nobis offertur à Patre: ille verò non in iuſtitiam modò, peccatorum remiſſionem & pacem offeratur, ſed in ſanctificationẽ quoque & fontem aquæ viuæ: eum haud dubiè rite cognoſcere nunquam poterit quin ſanctificationem Spiritus ſimul apprehendat. Aut ſiquis apertius id dictum cupiat, Fides in Chriſti notitia ſita eſt. Chriſtus niſi cum Spiritu ſui ſanctificatione cognoſci nequit. Conſequitur, fidem à pio affectu nullo modo eſſe diſtrahendam.

Rom.10.b.10

Rom.1.a.5

Iohan.3.d.33

9 Quòd ſolent obtrudere quod ait Paulus, Siquis ſcilicet omnem fidem habeat, vt montes tranſferat, charitatem verò non habeat, eum nihil eſſe, quò fidem charitate ſpoliatam deforment: non animaduertunt quid eo loco ſit Apoſtolo fides. Quum enim proximo capite diſſeruiſſet de variis donis Spiritus, in quibus repoſuerat genera linguarum, virtutes, prophetiam, & hortatus eſſet Corinthios ad ſectãda ex iis meliora, hoc eſt, vnde plus fructus & emolumenti rediret ad totum Eccleſiæ corpus: ſubiicit, excellentiorem adhuc ſe viam demonſtraturum. Eiuſmodi dona omnia, vtcunque per ſe excellentia ſint, nihili tamen æſtimanda eſſe niſi charitati ſeruiant. Eſſe enim in Eccleſiæ ædificationem data: in eam niſi conferantur, perdere ſuam gratiam. Ad id probãdum diſtributione vtitur, repetens eadem illa quæ ſuperius recenſuerat dona, ſed aliis nominibus. Pro eodem autem vſurpat virtutes, & fidem, nempe pro edendorum miraculorum facultate. Quum ergo hæc ſiue virtus ſiue fides particulare ſit donum Dei, quo impius quiſpiam & pollere queat & abuti, vt dono linguarum, vt prophetia, vt aliis chariſmatibus: non mirum ſi à charitate ſeparetur. Totus autem iſtorum error in eo eſt, quòd quum vocabulum fidei ſit πολύσημον ſignificati diuerſitate non obſeruata, perinde pugnant acſi eadem vbique foret acceptio. Locus Iacobi, quem in eiuſdem erroris patrocinium accerſunt, alibi diſcutietur. Quanquam verò plures eſſe fidei formas, docendi cauſa concedimus, dum volumus oſtendere qualis ſit in impiis Dei notitia: vnicam tamen piorum fidem, vt Scriptura docet, agnoſcimus & prædicamus. Credunt certè plurimi Deum eſſe, Euangelicam hiſtoriam ac reliquas Scripturæ partes veras eſſe arbitrantur: (quale ferè iudicium eſſe ſolet de iis quæ vel olim geſta narrantur, vel ipſi præſentes ſpectauimus) ſunt etiam qui vltrà procedunt: nam & Dei ſermonem pro certiſſimo habent oraculo, nec eius præcepta prorſus negligunt, & minis & promiſſionibus vtcunque commouentur. Talibus quidem fidei teſtimonium tribuitur, ſed per κατάχρησιν: quoniam Dei verbum non impu-

1.Cor.13.a.2

1.Cor.12.b.10

Ibidem,d.31

gnant manifesta impietate, vel reiicunt, vel contemnunt: sed quandam potius obedientiæ speciem præ se ferunt.

10 Verùm hæc fidei seu vmbra, seu imago, vt nullius est momenti, ita indigna est fidei appellatione: à cuius solida veritate quàm procul absit, tametsi mox fusius videbitur, nihil tamen impedit nunc obiter indicari. Credidisse dicitur Simon Magus, qui tamen suam incredulitatẽ paulo pòst prodit. Quòd fides illi tribuitur, nõ intelligimus cum quibusdam, simulasse verbis quam in corde nullam haberet: sed potius arbitramur, Euãgelii maiestate victum, qualemcunque fidem adhibuisse, atque ita Christum, vitæ & salutis authorem agnouisse, vt libẽter illi nomen daret. Eodem modo credere ad tempus dicuntur in Euangelio Lucæ, in quibus verbi semen, antequã fructificet, præfocatur: aut etiam nullis dum actis radicibus arescit mox & deperit. Tales nõ dubitamus quodam verbi gustu affectos ipsum auidè arripere, & diuinam eius virtutem persentiscere: vt fallaci fidei simulatione non hominum oculis modò imponant, sed suis ipsorum animis. Ipsissimam enim pietatem esse sibi persuadent illam quam Dei verbo deferunt reuerentiã, quia nullam esse impietatem reputant, nisi manifestũ & confessum eius vel probrum vel cõtemptum. Qualiscunque autem illa est assensio, ad cor ipsum vsque minimè penetrat, vt illic defixa resideat. & quanquã radices egisse interdum videtur, viuę tamen illæ nõ sunt. Tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanũ, tam fraudulẽta hypocrisi obtectũ est, vt seipsum sæpe fallat. At verò qui talibus fidei simulachris gloriãtur, intelligant Diabolis nihilo se in hac parte prȩcellere. Priores certè illi sunt multo inferiores, qui stupidi audiunt & intelligunt, quorũ notitia Diaboli contremiscunt: alii in hoc pares sunt, quòd qualiscunque sensus, quò tangũtur, in terrorẽ tandẽ exit & consternationem.

Act.8.b.13, & c.18

Luc.8.a.7, & b.13

Iac.2.d.19

11 Scio quibusdam durum videri vbi fides reprobis tribuitur: quum Paulus eam fructum electionis esse asserat, qui tamen nodus facilè soluitur: quia etsi in fidem nõ illuminantur, nec Euãgelii efficaciam verè sentiunt nisi qui præordinati sunt ad salutem: experientia tamen ostendit reprobos interdum simili ferè sensu atque electos affici, vt ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant. Quare nihil absurdi est quòd cælestiũ donorum gustus ab Apostolo, & temporalis fides à Christo illis adscribitur: non quòd vim spiritualis gratiæ solidè percipiant ac certũ fidei lumen: sed quia Dominus, vt magis conuictos & inexcusabiles reddat, se insinuat in eorum mẽtes, quatenus sine adoptionis Spiritu gustari potest eius bonitas. Siquis obiiciat, nihil igitur amplius restare fidelibus vnde certò adoptionem suam æstiment: respondeo, quanuis magna sit similitudo & affinitas inter Dei electos, & qui fide caduca ad tempus donantur, vigere tamen in solis electis fiduciam illam quam celebrat Paulus, vt pleno ore clament, Abba, Pater. Ergo, vt solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum: ita solidè in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, vt stabilis ac rata sit. Sed hoc minimè obstat quin illa inferior Spiritus operatio cursum suũ habeat etiam in reprobis. Interea docentur fideles, solicitè & humiliter seipsos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis securitas. Adde quòd reprobi nunquam sensum gratiæ nisi confusum percipiunt, vt vmbram potius apprehendant quàm solidum corpus: quia peccatorum remissionem Spiritus propriè in solis electis obsignat, vt eam speciali fide in vsum suum applicent. Meritò tamen dicũtur reprobi Deum credere sibi propitium: quia donum reconciliationis, licet confusè nec satis distinctè, suscipiunt: nõ quòd eiusdem vel fidei, vel regenerationis participes sint cum filiis Dei: sed quia commune cum illis fidei principium habere videntur, sub integumento hypocriseos. Nec verò nego quin hucusque eorum mentes irradiet Deus, vt eius gratiam agnoscant: sed sensum illum à peculiari testimonio quod reddit suis electis, ita distinguit, vt ad solidũ effectum & fruitionem non perueniant. Non enim ideo se propitium illis demonstrat, quia verè ex morte ereptos in custodiam suam recipiat, sed tantùm illis manifestat præsentem misericordiam. Viua autem fidei radice solos electos dignatur, vt in finem vsque perseuerent. Ita diluitur obiectio illa, si verè gratiam suam demõstrat Deus, hoc perpetuò fixum esse: quia nihil obstat quominus præsenti gratiæ suæ sensu, qui postea euanescit, Deus aliquos illustret.

1. Thess.1.a. 4.5

12 Quanquam etiam fides diuinę erga nos beneuolentię notitia est, & certa de eius veritate persuasio: non mirum tamen est diuini amoris sensum in temporariis euanescere, qui licet fidei sit affinis, ab ea tamen multum differt. Voluntas Dei immutabilis est, fateor, & semper eius veritas sibi constat. atqui nego hucusque progredi reprobos, vt in arcanam

Galat.4.a.6

canam illam reuelationem penetrent,quam ſolis electis Scriptura vendicat. Nego igitur eos vel Dei voluntatem, vt eſt immutabilis, capere,vel eius veritatem conſtanter amplecti:quia in ſenſu euanido ſubſidunt.ſicuti arbor non ſatis altè plantata, vt viuas radices agat,temporis ſucceſſu areſcit:licet per aliquot annos nõ flores tantùm & folia emittat,ſed etiam fructus.Denique ſicut primi hominis defectione deleri potuit ex eius mente & anima imago Dei,ita minum non eſt ſi quibuſdã gratiæ ſuæ radiis reprobis illuceat, quos poſtea extingui patitur.Nec verò quicquam impedit quominus leuiter alios tingat Euangelij ſui notitia,alios penitus imbuat. Hoc interim tenendum eſt, quantumuis exigua ſit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha eſt ac ſigillũ ſuæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri poſſe eius ſculpturam:reprobos verò tali luce aſpergi quæ poſtea diſpereat. Neque tamẽ fallacem eſſe Spiritum:quia ſemẽ quod iacit in eorum cordibus,non viuificat, vt ſemper maneat incorruptibile, ſicuti in electis. Vltrà procedo, nam quum ex Scripturæ doctrina, & quotidiano vſu conſtet reprobos interdum affici diuinæ gratiæ ſenſu,quoddam mutui amoris deſiderium in illorum cordibus excitari neceſſe eſt.Sic in Saule ad tempus viguit pius affectus, vt Deum amaret, à quo paternè ſe tractari ſciens,aliqua bonitatis eius dulcedine capiebatur.At quemadmodum radicitus non hæret in reprobis de paterno Dei amore perſuaſio:ita non ſolidè eum redamant vt filii,ſed mercenario quodam affectu ducuntur. Nam ſoli Chriſto hac lege datus eſt Spiritus ille amoris,vt eum membris ſuis inſtillet.nec certè longius quàm ad electos patet illud Pauli, Diffuſa eſt charitas Dei in corda noſtra per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis,nempe charitas quæ illam, quam ſupra attigi, inuocationis fiduciam generat.Sicuti ex oppoſito videmus,Deum mirabiliter iraſci filiis ſuis quos amare non deſinit: non quòd apud ſe eos oderit,ſed quia terrere eos vult iræ ſuæ ſenſu,vt ſuperbiam carnis humiliet,torporem excutiat,& ad pœnitentiam ſolicitet. Itaque eodem tempore & iratum ſibi,vel peccatis ſuis, & propitium concipiunt: quia non fictè iram eius deprecantur,ad quem tamen cum tranquilla fiducia confugiunt. His quidem conſtat,quoſdã non ſimulare fidem, qui tamen vera fide carent: ſed dum ſubito zeli impetu feruntur, ſeipſos falſa opinione decipiũt. Nec dubium eſt quin ipſos occupet ſocordia,ne cor ſuum probè,vt par erat,examinent. Tales fuiſſe probabile eſt quibus (teſte Iohanne) Chriſtus ſeipſum non credebat,quum tamen in ipſum crederent: quia nouerat omnes, & ſciebat quid eſſet in homine.Quòd niſi à communi fide multi exciderent(communem appello, quia magna eſt ſimilitudo & affinitas fidei temporalis cum viua & perpetua) non dixiſſet Chriſtus diſcipulis,Si vos manſeritis in ſermone meo,verè diſcipuli mei eſtis:& cognoſcetis veritatem:& veritas vos liberos reddet.Eos enim compellat qui amplexi erant eius doctrinam,& hortatur ad profectum fidei, ne torpore ſuo lumen quod datum eſt, extinguant.Ideo Paulus fidem electis peculiariter vendicat,ſignificãs multos euaneſcere,quia viuam radicem non traxerunt.Sicuti etiam loquitur Chriſtus apud Matthæum, Omnis arbor quam non plantauit Pater meus,eradicabitur.In aliis craſſius eſt mendacium,quos Deo & hominibus illudere non pudet.In hoc genus hominum, qui fallaci prætextu impiè fidem profanant,inuehitur Iacobus.Nec Paulus requireret à filiis Dei fidem non fictam,niſi quia multi ſibi audacter arrogant quod non habent, & inani fuco vel alios vel interdum ſeipſos fallunt.Itaque bonam conſcientiam arcæ comparat, in qua cuſtoditur fides:quia multi ab illa excidendo circa hanc naufragium fecerunt.

Rom.5.a.5
Iohã.2.d.24
Iohan.8.d.31
Tit.1.a.1
Mat.15.b.13
Iacob.2
1.Tim.1.a.5
Ibidem,d.19

13 Tenenda etiam eſt ambigua verbi ſignificatio.ſæpe enim fides tantundem valet ac ſana pietatis doctrina,ſicut eo quem nuper citauimus loco,& eadem epiſtola vbi Paulus diaconos tenere vult myſterium fidei in pura conſcientia : Item, vbi denuntiat quorundam defectionem à fide. Ex oppoſito autem dicit enutritum fuiſſe Timotheum verbis fidei.Item,vbi dicit, profanas inanitates & oppoſitiones falſò nominatæ ſcientiæ, in cauſa eſſe vt multi à fide diſcedant: quos alibi reprobos vocat circa fidem. Sicuti rurſum vbi Tito præcipit,Admone eos vt ſani ſint in fide:ſanitatis voce nihil aliud intelligit quã doctrinæ puritatem, quæ hominum leuitate facilè corrumpitur & degenerat. Nempe quia in Chriſto,quem poſſidet fides,abſconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapiẽtiæ: meritò extenditur ad totam cæleſtis doctrinæ ſummam,à qua non poteſt ſeparari. Contrà ad particulare aliquod obiectum aliquando reſtringitur.ſicuti quum dicit Matthæus Chriſtum fidem eorum vidiſſe qui per tegulas paralyticum demiſerant: & ipſe clamat ſe non inueniſſe tantam fidem in Iſrael quantam Centurio attulerat. Atqui probabile eſt

1. Tim.3. b.9
2. Tim.4.a.1
Ibidem, b.6
2.Tim.2.c. 16
Ibidẽ, 3.b.8
Tit.1.d.13, & 2.a.2
Coloſſ.2.a.3
Matth.9.a.1
Mat.8.b.10

intentum prorsus fuisse ad filii sanationem,cuius cura occupauerat totum eius animum. sed quia solo Christi nutu & responso contentus corporalem præsentiã non flagitat, huius circunstantiæ causa tantopere extollitur eius fides. Et nuper docuimus Paulum accipere fidem pro dono miraculorũ.quo pollent qui nec Spiritu Dei sunt regeniti, nec eum seriò colunt. Alibi etiam fidem ponit pro doctrina qua in fide instituimur. Nam quum
1.Cor.13.c.10 scribit fidem abolendam,non dubium est id referri ad Ecclesiæ ministerium, quod infirmitati nostræ hodie vtile est. In his quidem loquendi formis constat analogia. Cæterùm vbi impropriè transfertur nomen fidei ad falsam professionem vel mendacem titulum, nihilo asperior videri debet καταχρησις, quã vbi timor Dei ponitur pro vitioso & peruerso cultu.sicuti quum sæpius dicitur in sacra historia,Gentes exteras quæ in Samariam & vicina loca traductæ fuerant,timuisse deos fictitios & Deum Israel.quod tantundem valet, ac cælum terrę miscere.Sed nunc quærimus quid sit fides quæ filios Dei ab incredulis distinguit,qua Deum inuocamus patrem,qua transimus à morte in vitam,& qua Christus (æterna salus & vita) in nobis habitat. Eius autem vim & naturam breuiter & dilucidè explicuisse videor.

14 Nunc singulas partes definitionis eius de integro persequamur:quibus diligenter excussis,nihil(vt opinor)dubium restabit.Cognitionem dum vocamus,non intelligimus comprehensionem, qualis esse solet earum rerum quæ sub humanum sensum cadunt. Adeò enim superior est,vt mentem hominis seipsam excedere & superare oporteat, quò ad illam pertingat. Neque etiam vbi pertigit, quod sentit assequitur:sed dum persuasum habet quod non capit,plus ipsa persuasionis certitudine intelligit quàm si humanum ali-
Ephes.3.d.18 quid sua capacitate perciperet. Quare elegãter Paulus,qui id vocat comprehendere quæ sit longitudo,latitudo,profunditas & sublimitas, & cognoscere supereminentem cognitioni dilectionem Christi. Voluit enim significare, modis omnibus infinitum esse quod mens nostra fide complectitur, & genus hoc cognitionis esse omni intelligẽtia longè su-
Colos.1.d.26 blimius. Quia tamen arcanum voluntatis suæ,quod à seculis & generationibus abscõditum erat, Dominus sanctis patefecit, optima ratione fides inde in Scripturis agnitio vo-
Ibidẽ,2.a.2 catur: ab Iohanne verò scientia:quum fideles testatur scire se esse filios Dei. Et sanè certò
1.Iohã.3. a.2 sciunt:sed diuinæ veritatis persuasione confirmati magis quàm rationali demonstratione
2.Cor.5.b.6 edocti.Id indicant & Pauli verba,nos in hoc corpore habitantes, à Domino peregrinari: quia per fidem ambulamus, non per aspectum:quibus ostendit, ea quæ per fidem intelligimus,à nobis tamen abesse,& aspectum nostrum latere. Vnde statuimus, fidei notitiam certitudine magis quàm apprehensione contineri.

15 Addimus, certam ac firmam, quo solidior persuasionis constantia exprimatur. Nam vt dubia & versatili opinione non est contenta fides, ita nec obscura perplexáque conceptione:sed plenam & fixam,qualis de rebus compertis & probatis esse solet,certitudinem requirit. Tam altè enim & radicitus hæret in cordibus nostris incredulitas, & ita ad eam sumus propensi,vt quod ore fatentur omnes, Deum esse fidelem, non absque arduo certamine quisquam sibi persuadeat. Præsertim vbi ad rem ventum est,omnium vacillatio detegit vitium quod latebat.Nec verò frustra tam insignibus elogiis verbo Dei auctoritatem asserit Spiritus sanctus:sed morbo quem dixi mederi vult,vt Deus in suis promissis plenam obtineat apud nos fidem.Eloquia Iehouæ,eloquia pura (inquit Dauid) ar-
Psal.18.c.31 gentum fusum in eximio catino terræ,purgatum septies. Item, Sermo Iehouæ excoctus,
Pro.30.a.5 clypeus est omnibus confidẽtibus in ipso.Solomo autem idem confirmans & ferè iisdem verbis,Omnis sermo Dei excoctus.Sed quia in hoc ferè argumento Psalmus centesimus decimus nonus cõsumitur,plura recitare superuacuum esset. Certè quoties ita suum sermonem commendat nobis Deus,obliquè incredulitatem nobis exprobrat:quia non aliò tendit nisi vt peruersas dubitationes è cordibus nostris eradicet.Sunt etiam permulti qui Dei misericordiam sic concipiunt,vt quamminimùm cõsolationis inde recipiant.Simul enim misera anxietate constringuntur, dum dubitant an misericors sibi sit futurus: quia illam ipsam,de qua persuasissimi sibi videntur, clemẽtiam nimium exiguis finibus terminant.Etenim ita secum reputant,magnam quidem eam esse & copiosam,effusam in multos, obuiam omnibus & paratam: sed incertum esse an ad se quoque peruentura sit, vel potius an sint ad eam peruenturi. Hæc cogitatio, quum in medio cursu resistat, dimidia tantùm est.Itaque non tam secura spiritum tranquillitate cõfirmat,quàm irrequieta hæsitatione sollicitat.Longè est alius sensus πληροφορίας,quæ fidei semper in Scripturis tribuitur:nempe

tur:nempe qui Dei bonitatem perſpicuè nobis propoſitam extra dubiũ ponat. Id autem fieri nequit quin eius ſuauitatẽ verè ſentiamus, & experiamur in nobis ipſis. Quare Apoſtolus ex fide deducit fiduciam,& ex hac rurſum audaciam. Sic enim loquitur, per Chriſtum nos habere audaciam,& aditum in fiducia,quę eſt per fidem illius.Quibus ſanè verbis oſtendit, non eſſe rectam fidem, niſi quum tranquillis animis audemus nos in conſpectum Dei iſtere. Quæ audacia nonniſi ex diuinæ beneuolentiæ ſalutiſque certa fiducia naſcitur.Quod adeò verum eſt vt ſæpiuſculè pro fiducia nomen fidei vſurpetur. Epheſ.3.c.12

16 Hîc præcipuus fidei cardo vertitur, ne quas Dominus offert miſericordiæ promiſſiones,extra nos tãtùm veras eſſe arbitremur, in nobis minimè:ſed vt potius eas intus complectendo noſtras faciamus.Hinc demũ naſcitur fiducia illa quam alibi pacem idem vocat:niſi quis pacem deriuare inde malit. Eſt autem ſecuritas quæ conſcientiam coram Dei iudicio ſedat & ſerenat:ſine qua,tumultuoſa trepidatione ipſam vexari & penè dilaniari neceſſe eſt, niſi fortè Dei & ſui oblita, ad momentum obdormiſcat. Et verè ad momẽtum.neque enim diu fruitur miſera illa obliuione, quin memoria diuini iudicii ſubinde recurrẽte,acerrimè lancinetur.In ſumma,verè fidelis nõ eſt niſi qui ſolida perſuaſione Deũ ſibi propitiũ beneuolũque patrẽ eſſe perſuaſus, de eius benignitate omnia ſibi pollicetur:niſi qui diuinæ erga ſe beneuolentiæ promiſſionibus freſus,indubitatam ſalutis expectationem præſumit:vt Apoſtolus his verbis demonſtrat, Si fiduciam & gloriationem ſpei ad finem vſque firmam tenuerimus. Sic enim nõ bene ſperare in Domino exiſtimat niſi qui confidenter ſe regni cæleſtis heredem glorietur. Fidelis(inquam)non eſt niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus,Diabolo & morti confidenter inſultet,quomodo ex præclaro illo Pauli epiphonemate docemur. Confiſus ſum(inquit)quòd neque mors, neque vita,neque Angeli,neque principatus,neque poteſtates,neque præſentia,neque futura poterũt nos à charitate Dei diuellere, qua nos cõplectitur in Chriſto Ieſu. Sic idem Apoſtolus non aliter exiſtimat bene illuminari oculos mentis noſtræ, niſi cernamus quæ ſit ſpes æternæ hereditatis,ad quam vocati ſumus.Et vbique ſic docet,vt innuat non bene aliter Dei bonitatem à nobis comprehendi niſi magnæ ſecuritatis fructum inde colligamus. Rom.5.a.1 Hebr.3.c.14 Rom.8.g.38 Ephe.1.d.18

17 Atqui(dicet quiſpiam)longè aliud experiuntur fideles,qui in recognoſcenda erga ſe Dei gratia non modò inquietudine tentantur (quod ſæpe illis cõtingit) ſed grauiſſimis etiam terroribus interdum quatefiunt.tanta eſt ad deturbandas eorum mentes tentationum vehementia:id quod non ſatis videtur cum illa fidei certitudine cohęrere.Pro inde nodus hic ſoluendus eſt ſi ſuperiorem illã doctrinam ſtare volumus.Nos certè,dum fidem docemus eſſe debere certam ac ſecuram,non certitudinem aliquam imaginamur quæ nulla tangatur dubitatione,nec ſecuritatem quæ nulla ſolicitudine impetatur:quin potius dicimus perpetuum eſſe fidelibus certamen cum ſua ipſorum diffidentia.tantum abeſt vt eorum conſcientias in placida aliqua quiete collocemus,quę nullis omnino turbis interpelletur.Rurſum tamen,qualemcunque in modum afflictentur, decidere ac deſciſcere negamus à certa illa,quam de miſericordia Dei conceperunt,fiducia.Nullum illuſtrius vel magis memorabile exẽplum fidei proponit Scriptura quàm in Dauide, præſertim ſi continuum vitæ curſum ſpectes. Ille tamen quàm non ſemper pacato animo fuerit, innumeris querimoniis declarat,ex quibus paucas eligere ſufficiet.Du animæ ſuæ turbulentos motus exprobrat, quid aliud quàm ſuæ incredulitati ſuccenſet? Quid trepidas(inquit)anima mea,& quid tumultuaris intra me?ſpera in Deum.Et certè conſternatio illa apertum diffidentiæ ſignum fuit, acſi deſtitui ſe à Deo putaret.Amplior etiam alibi confeſſio legitur,Dixi in mea præcipitatione,Proiectus ſum à cõſpectu oculorum tuorum. Alibi etiam anxia & miſera perplexitate ſecum diſceptat, imò de ipſa Dei natura litem mouet.An oblitus eſt miſereri Deus?an in ſecula repellet?Durius quod ſequitur, Atqui dixi, Occidere meum eſt : mutationes dextræ excelſi. Nam quaſi deſperatus ſeipſum exitio adiudicat:nec tantùm agitari ſe dubitatione fatetur,ſed (quaſi in certamine ſuccubuerit)nihil ſibi facit reſiduum:quia Deus ipſum deſeruerit,& manum,quę olim auxiliaris erat, conuerterit ad ipſum perdendum. Quare non abs re animam ſuam hortatur vt ad quietem ſuã redeat:quia expertus fuerat inter fluctus turbulentos ſe iactari.Et tamen, quod mirabile eſt, inter iſtas concuſſiones piorum corda fides ſuſtentat : veréque palmæ vicem obtinet,vt cõtra quælibet onera nitatur,ſurſúmque ſe attollat:ſicuti Dauid,quum o brutus videri poſſet,ſe tamen increpando,ad Deum ſurgere non deſtitit.Qui verò cum propria infirmitate certans,ad fidem in ſuis anxietatibus contendit,iam magna ex parte Pſal.42.b.6, & 43.a.5 Pſal. 31. d.23 Pſal.77.b.10 Pſal.116. a.7

Pſal.27.d.14 victor eſt. Quod ex hac ſententia & ſimilibus colligere licet, Expecta Iehouam: fortis eſto, roborabit ille cor tuum. Expecta Iehouam. Seipſum timiditatis coarguit, & idem bis repetens, ſe multis agitationibus ſubinde obnoxium fatetur eſſe. Interim non tantùm ſibi diſplicet in his vitiis: ſed enixè ad correctionem aſpirat. Certè ſi propius iuſto examine conferre eum libeat cum Achaz, reperietur magnum diſcrimen. Mittitur Ieſaias qui remedium afferat impii Regis & hypocritæ anxietati. his verbis eum alloquitur, Sis in cuIeſa.7.a.4 ſtodia, & quieſce: ne formides, &c. Quid ille? Sicuti prius dictũ fuerat cor eius fuiſſe commotum, ſicuti quatiuntur arbores ſyluæ à vento, licet audita promiſſione expaueſcere non deſtitit. Eſt igitur hæc propria infidelitatis merces & pœna, ſic contremiſcere vt in tentatione ſe à Deo auertat qui ſibi ianuam fide non aperit: contrà autem fideles, quos incuruat & ferè opprimit tentationum moles, conſtanter, quanuis non ſine moleſtia & difficultate emergunt. Et quia ſibi propriæ imbecillitatis ſunt conſcii, cum Propheta precantur, Ne auferas ab ore meo verbum veritatis vſque valde. Quibus verbis docemur, in-Pſal.119.43 terdum ipſos obmuteſcere, acſi proſtrata eſſet eorum fides: non tamen deficere aut terga vertere, ſed certamen ſuum perſequi, & ſuam ſegnitiem precãdo acuere, ne ſaltem ex indulgentia ſtuporem contrahant.

18 Id quo intelligatur, neceſſe eſt redire ad illam carnis & ſpiritus diuiſionem, cuius alibi meminimus, quæ in hac parte lucidiſſimè ſe profert. Sentit ergo in ſe diuiſionem pium pectus, quod partim ob diuinæ bonitatis agnitionem ſuauitate perfunditur, partim ob ſuæ calamitatis ſenſum amaritudine angitur, partim in Euangelii promiſſionem recumbit, partim ſuæ iniquitatis teſtimonio trepidat, partim vitæ apprehenſione exultat, partim mortem exhorreſcit. Quę variatio ex fidei imperfectione contingit: quando nunquam tam bene in præſentis vitæ curſu nobiſcum agitur vt omni diffidentiæ morbo curati, fide toti repleamur & occupemur. Hinc conflictus illi: vbi quæ in reliquis carnis hæret diffidentia, ad oppugnandam quæ intus concepta eſt fidem inſurgit. Verùm ſi in fideli mente certitudo permixta eſt dubitatione, annon eò ſemper recidimus vt fides non certa & liquida, ſed obſcura modò & perplexa diuinæ erga nos voluntatis notitia conſtet? Minimè veró. Neque enim, ſi variis cogitationibus diſtrahimur, ideo protinus à fide diuellimur. nec ſi ſurſum deorſum diffidentiæ agitatione vexamur, ideo in eius abyſſum demergimur: neque ſi concutimur, ideo de gradu deturbamur. Siquidem iſtius certaminis ſemper hic finis eſt, quòd fides eas difficultates, quibus ita circunſeſſa videtur periclitari, tandem eluctatur.

19 Summa hęc ſit. Vbi primùm vel minima fidei gutta mẽtibus noſtris inſtillata eſt, iam faciem Dei placidam & ſerenam nobiſque propitiam contemplari incipimus, procul id quidem & eminus: ſed ita certo intuitu, vt ſciamus nos minimè hallucinari. Quantum deinde proficimus (vt nos aſſiduè proficere decet) quaſi progreſſu facto, in propiorẽ eius conſpectum eóque certiorem venimus, & ipſa etiam continuatione familiarior nobis redditur. Ita mentem Dei cognitione illuminatam, initio multa ignorantia videmus inuolutam teneri, quæ paulatim abſtergitur. Non tamen quædam ignorando, aut obſcurius id quod cernit cernendo, impeditur quin diuinę erga ſe voluntatis perſpicua notitia fruatur, quod in fide primas ac potiſſimas partes tenet. Quemadmodum enim ſiquis carcere incluſus, ex anguſtiore feneſtra obliquè tantùm & quaſi dimidiatim emicantes habeat ſolis radios, libero quidem priuatur ſolis aſpectu, ſplendorem tamen non ambiguum oculis haurit, eiúſque vſum recipit: ſic terrei corporis compedibus vincti, vtcunque multa obſcuritate vndique obumbremur, luce tamen Dei vel puſillum ad exerendam eius miſericordiam irradiante, quantum ſatis eſt ad ſolidam ſecuritatem illuminamur.

1.Cor.13.c.9 20 Vtrunque diuerſis locis Apoſtolus eleganter docet. Quum enim ex parte nos cognoſcere, & ex parte prophetare, videréque in ænigmate per ſpeculum tradit, quàm tenuis in præſenti vita illius verè diuinæ ſapiẽtiæ portiũcula nobis detur, indicat. Etſi enim non ſimpliciter indicant verba illa imperfectam eſſe fidem quantiſper gemimus ſub carnis onere, ſed quòd neceſſe eſt nobis aſſiduè diſcendo exercen, ex imperfectione noſtra contingere: innuit tamen modulo noſtro & anguſtiis quod immenſum eſt nõ poſſe comprehẽdi. Atque hoc Paulus de tota Eccleſia prædicat: cuique autem noſtrum ſua ruditas obſtaculum & remora eſt, ne tam propè accedat quàm optãdum eſſet. At quàm certo & minimè fallaci ſui guſtu nos afficiat vel exigua fidei guttula, idem alibi oſtendit, quum af-2.Cor.3.d.18 firmat nos per Euãgelium, reuelata facie, nullóque obiecto velamine gloriam Dei tanta efficacia

efficacia contemplari, vt in eandem imaginem transformemur. In talibus ignorantiæ involucris plurimum simul dubitationis & trepidationis implicari necesse est: quum præsertim cor nostrum suo quodam naturali instinctu ad incredulitatem propendeat. Huc accedunt tentationes, quæ & infinitæ numero & genere variæ magno identidem impetu insiliunt. Ipsa præcipuè conscientia incumbente peccatorum mole oppressa, nunc secum querulatur ac gemit, nunc se arguit, nunc tacitè fremit, nunc apertè tumultuatur. Siue ergo res aduersæ iram Dei præ se ferunt, siue eius argumentum & materiã conscientia in se reperit, inde tela & machinas ad profligandam fidem incredulitas arripit: quę tamen ad hunc scopum perpetuò destinantur vt Deum nobis aduersum & infensum esse putantes, nec opis ab ipso quicquam speremus, & timeamus ceu ab hoste capitali.

21 Ad hos impetus sustinendos fides se verbo Domini armat & munit. Atque vbi insultat huiusmodi tentatio, Deũ esse inimicum, quia sit infestus: contrà excipit, esse quoque, dum affligit, misericordẽ: quia castigatio à dilectione potius quàm ira proueniat. Vbi hac cogitatione feritur, Deum esse iniquitatum vindicem, opponit veniã delictis omnibus paratam, quoties ad Domini clementiam peccator se confert. Ita pia mẽs, vtcunque miris modis exagitetur ac diuexetur, supra omnes tamen difficultates tandem emergit, nec sibi diuinæ misericordiæ fiduciam excuti vnquam patitur. Quin potius quæcunque disceptationes eam exercent & fatigant, in istius fiduciæ certitudinem exeunt. Huius rei argumentó est, quòd sancti, dum vltione Dei maximè vrgeri sibi videntur, apud ipsum tamen querimonias suas deponunt, & dum se minimè exauditum iri apparet, eum nihilominus inuocãt. Quorsum enim attineret apud eum deplorare à quo solatium nullũ sperarent? eum verò inuocare nunquam inducerent in animũ, nisi aliquid sibi opis ab eo paratum crederent. Sic discipuli, in quibus fidei pusillitatẽ Christus reprehendit, se quidem Mat.8.c.25
perire querebantur, eius tamen auxilium implorabant. Nec verò dum eos ob pusillam fidem castigat, reiicit à suorum ordine, vel annumerat incredulis, sed ad vitium excutiendum incitat. Ergo, quod iam superius dictũ est, rursum asserimus, fidei radicem nunquam è pio pectore auelli quin ima in parte defixa hęreat, vtcunque decussa huc aut illuc inclinare videatur: eius lumen ita nunquam extingui aut præfocari, quin saltem velut sub fauilla delitescat. atque hoc documento patefieri, verbum, quod semen est incorruptibile, fructum sui similem producere, cuius germen nunquam aresçit ac perit in totum. Siquidem quum hæc sit sanctis extrema desperationis materia, manum Dei in suum exitium, secundum præsentium rerum æstimationem, sentire: eousque tamẽ progressuram spem suam Iob affirmat, vt si ab eo occidatur, non sit propterea desiturus in eum sperare. Ita est Iob 13.c.15
sané. nõ intus in cordibus piorum regnat incredulitas, sed foris oppugnat: nec lethaliter vulnerat suis telis, sed infestat, aut certè sic lędit vt vulnus sit sanabile. Fides enim, vt Paulus docet, nobis pro scuto est: ea telis opposita, eorũ vim sic excipit vt prorsus depellat, vel Epheſ.6.c.16
saltem frangat, ne ad vitalia penetret. Quum ergo cõcutitur fides, perinde est acsi violento ictu iaculi miles alioqui firmus pedẽ mouere cogatur, & paulùm cedere: quũ autẽ sauciatur fides ipsa, perinde est acsi clypeus fractionem aliquam ex impressione recipiat, sic tamen vt non perforetur. Semper enim eò pia mẽs emerget, vt cum Dauide dicat, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Ambulare Pſal.23.a.4
certè in caligine mortis est terrificum: nec fieri potest quin fideles, quantumvis firmitudinis habeãt, id perhorrescant. Sed quoniam illa cogitatio superat, quòd Deum habeant præsentem, & suæ saluti consulentem, simul vincitur timor securitate. Quantaslibet autem machinas (vt Augustinus ait) aduersum nos erigat Diabolus, quãdo nõ tenet locum cordis, vbi fides habitat, eiectus est foras. Ita si ex euẽtu iudicium fiat, nõ tantùm ab omni pugna salui euadũt fideles, sed paulo pòst recepto vigore rursus in arenam descẽdere sint parati: sed impletur quod dicit Iohãnes in sua canonica, Hęc est victoria quæ vincit mun- 1.Ioh.5.a.4
dum, fides vestra. Neque enim tantùm in prælio vno, vel paucis, vel contra aliquem insultum affirmat fore victricem, sed superiorem toto mundo quanuis millies impetatur.

22 Altera est timoris ac trepidationis species, ex qua tamen adeo nihil decedit fidei securitati, vt solidius inde stabiliatur. Nempe dum fideles vel exempla diuinæ vltionis aduersus impios edita documentorum vice sibi esse cogitantes, ne iisdem flagitiis iram Dei in se prouocare sibi contingat, solicitè cauent: vel quum miseriam suam secum recognoscentes, à Domino toti pendêre discunt, sine quo se quolibet vento fluxos magis & euanidos esse vident. Nam Apostolus, dum propositis flagellis, quibus in Israeliticum 1.Cor.10.c.11

populum olim Dominus vindicarat,terrorẽ Corinthiis incutit ne ſimilibus malis ſeipſos
Ibidem,c. 12 obſtringãt,eo fiduciam ipſorum nihil labefactat: ſed torporem carnis modò excutit, quo fides obrui magis quàm confirmari ſolet. Nec dum à Iudæorum caſu argumẽtum exhor-
Rom.11.c.20 tandi ſumit,vt qui ſtat videat ne cadat,nos vacillare iubet, acſi noſtræ ſtabilitatis parum certi eſſemus: ſed arrogantiam duntaxat & temerariam propriæ virtutis præfidentiam adimit, ne depulſis Iudæis Gentes in eorum locum receptæ, ferocius inſultent. Quanquam non fideles tantùm illic alloquitur,ſed oratione ſua hypocritas etiam comprehendit,qui externa duntaxat ſpecie gloriabantur.Neque enim ſingulos homines admonet, ſed comparatione inter Iudæos & Gentes poſita,poſtquam illos oſtenderat iuſtas incredulitatis & ingratitudinis ſuę in eo pœnas dare quòd reiecti eſſent,has etiam hortatur ne ſuperbiendo ac ſeſe efferendo gratiã adoptionis nuper ad ſe tranſlatam amittant.Quemadmodum autem in illa Iudæorum reiectione ſupererant aliqui ex ipſis qui ab adoptionis fœdere minimè exciderant:ita poterant aliqui ex Gentibus emergere qui ſine vera fide,tantùm ſtulta carnis confidentia inflarentur,atque ita abuterẽtur in ſuam perniciem Dei benignitate.Verùm etiam ſi electis ac fidelibus hoc dictũ accipias, nihil ex eo ſequetur incommodi. Aliud enim eſt temeritatem, quæ ex carnis reliquiis interdum ſanctis obrepit, reprimere ne inani confidentia laſciuiat, aliud conſcientiam timore percellere, ne plena ſecuritate in Dei miſericordia acquieſcat.

Phili.2.b.12 23 Deinde vbi docet vt cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram, non aliud exigit niſi vt in Domini virtutem, cum multa noſtri deiectione, ſuſpicere aſſueſcamus. Enimuero nihil tam nos ad fiduciam certitudinémque animi in Dominũ reiiciendam,expergefacit quàm noſtri diffidentia,& concepta ex conſcientia noſtrę calamitatis anxietas. In quem ſenſum accipiendum eſt quod eſt apud Prophetam, In multitudine
Pſal.5.b.8 bonitatis tuæ ingrediar templum tuum:adorabo in timore. Vbi decẽter fidei audaciam, quæ Dei miſericordiæ innititur,cum religioſo timore coniungit, quo nos affici neceſſe eſt quoties in conſpectum diuinæ maieſtatis prodeuntes,ex eius ſplendore,quanta ſit no
Prou.28.b. 14 ſtra abſcœnitas,intelligimus. Verè etiam Solomo,dum beatum hominẽ pronuntiat qui terret aſſiduè cor ſuum: quoniam induratione in malũ corruitur. At terrorem intelligit qui nos cautiores reddat,non autem quo afflicti concidamus: dum ſcilicet animus in ſe confuſus,in Deo ſe recolligit:in illo erigitur,apud ſeipſum deiectus:diffiſus ſibi, illius fiducia reſpirat.Proinde nihil obſtat quin ſimul & terreantur fideles, & ſecuriſſima conſolatione potiantur:provt nunc in ſuam vanitatem oculos conuertunt,nunc in Dei veritatẽ animi cogitationem referunt.Quomodo (dicet quiſpiam) in eodem animo ſedem habebũt pauor & fides?Nempe ſicuti ex oppoſito torpor & anxietas. Nam quum impii indolentiam ſibi accerſant,nequis timor Dei eos ſolicitet, vrget tamẽ eos Dei iudicium ne aſſequantur quod appetunt.Ita nihil impedit quominus ſuos exerceat Deus ad humilitatem,vt fortiter militando, ſub fræno modeſtiæ ſe cohibeant. Atque hoc fuiſſe Apoſtoli conſiliũ liquet ex contextu,vbi metus & tremoris cauſam aſſignat Dei beneplacitũ, quo
Oſeæ 3.b.5 dat ſuis & bene velle & ſtrenuè proſequi.In hunc ſenſum accipere cõuenit illud Prophetæ,Pauebunt filii Iſrael ad Deum & ad bonitatem eius:quia non ſolùm pietas reuerentiã Dei gignit,ſed ipſa dulcedo & ſuauitas gratiæ hominem in ſeipſo deiectum timore ſimul & admiratione imbuit vt à Deo pendeat,ſéque humiliter ſubiiciat eius potentiæ.

24 Neque tamen ſic locum facimus peſtilentiſſimæ philoſophię,quam nonnulli ſemipapiſtæ cudere hodie in angulis incipiunt.Quia enim craſſam illã dubitationẽ,quæ in ſcholis tradita fuit,tueri nequeunt, confugiunt ad aliud commẽtum, vt fiduciam incredulitate nixam faciant.Quoties in Chriſtum reſpicimus,fatentur illic nos inuenire plenam bene ſperandi materiam:ſed quia ſemper indigni ſumus illis omnibus bonis quæ in Chriſto nobis offeruntur,volunt indignitatis noſtræ intuitu nos fluctuari & hæſitare. In ſumma,conſcientiam ſic ſtatuunt inter ſpem & metum,vt per interualla & vices huc atque illuc alternet:ſpem verò & metum ſic inter ſe conferunt, vt illa exoriente, hic opprimatur:hoc reſurgente,illa rurſum concidat. Ita Satan, vbi iam videt apertas machinas illas quibus fidei certitudinem deſtruere antea ſolitus erat,nunc nihil valere, obliquis cuniculis eam labefacere conatur. Qualis autem erit illa fiducia quæ ſubinde deſperationi cedet?Si Chriſtũ(inquiunt)cõſideras,certa ſalus:ſi ad teipſum reuerteris,certa damnatio. Ergo alternis diffidentiam & bonam ſpem in animo tuo regnare neceſſe eſt. Quaſi verò Chriſtum,veluti procul ſtantem,& non potius in nobis habitantem debeamus cogitare.

Ideo

Ideo enim ab ipso salutem expectamus,nõ quia eminus nobis appareat:sed quia nos corpori suo insitos, non modò suorum omnium bonorum participes faciat, sed sui quoque ipsius.Proinde hoc ipsorum argumentum sic retorqueo,Si teipsum consideras, certa damnatio:sed quoniam Christus tibi cum omnibus suis bonis sic cõmunicatus est,vt omnia eius tua fiant, vt fias eius membrum, adeóque vnum cum ipso: iustitia eius tua peccata obruit, salus eius tuam damnationem abolet, ipse sua dignitate intercedit ne in conspectum Dei veniat tua indignitas. Sic est sanè: Christũ à nobis separare,aut nos ab ipso minimè conuenit: sed vtraque manu fortiter retinere oportet eam qua se nobis agglutinauit societatem. Ita nos Apostolus instituit.Corpus quidem(inquit)mortuum est propter peccatum:sed Spiritus Christi qui in vobis habitat,vita est propter iustitiam. Secundum istorum nugamentum dicere debuerat,Christus quidem vitam apud se habet:sed vos,vt estis peccatores,manetis morti & dãnationi obnoxii.Atqui longè aliter loquitur. Docet enim, eam quam à nobis meremur damnationem, Christi salute absorptam esse: atque ad id confirmandum,ea quam attuli ratione vtitur: quia Christus non extra nos est, sed in nobis habitat: nec solùm indiuiduo societatis nexu nobis adhæret, sed mirabili quadam communione in vnum corpus nobiscum coalescit in dies magis ac magis, donec vnum penitus nobiscum fiat.Neque tamen inficior,quod nuper dixi,quasdam interdum interruptiones fidei contingere, provt eius imbecillitas inter violentos impetus huc vel illuc flectitur.Ita in densa caligine tentationum suffocatur eius lumen. Quicquid tamen accidat,à quærendi Dei studio non desistit. Ro.8.b.10.

25 Nec aliter differit Bernardus,quum hoc argumentum ex professo tractat,Homilia in dedicatione templi quinta.Dei(inquam)beneficio nonnunquã de anima cogitans, videor mihi in ea veluti duo quædam contraria inuenire.si ipsam, provt in se est & ex se, intueor:de ea nihil verius dicere possum quàm ad nihilum esse redactã. Quid modò necesse est singulas eius miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris,pruriens concupiscentiis,obnoxia passionibus,impleta illusionibus, prona semper ad malum,in vitium omne procliuis, postremò ignominiæ & confusionis plena? Nimirum si ipsæ quoque iustitiæ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inueniuntur,iniustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est,tenebræ sunt,ipsæ tenebræ quantæ erunt? Quid igitur? sine dubio vanitati similis factus est homo:in nihilum redactus est homo:nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositũ est cor diuinum? Respiremus fratres.Etsi nihil sumus in cordibus nostris,fortè in corde Dei potest aliquid latere de nobis. O Pater misericordiarum,ô Pater miserorũ, quomodo apponis erga nos cor tuum:Cor enim tuum vbi est thesaurus tuus.Quomodo autẽ thesaurus tuus sumus,si nihil sumus?Omnes gentes quasi non sint,sic sunt ante te:in nihilum reputabuntur. Nimirum ante te:non intra te:sic in iudicio veritatis tuæ,sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt,tanquam sint.& non sunt ergo,quia quæ non sunt, vocas:& sunt,quia vocas.Licet enim non sint,quantum ad se:apud te tamen sunt, iuxta illud Pauli,Non ex operibus iustitiæ, sed ex vocante. Deinde mirificam est hanc connexionem dicit vtriusque considerationis.Certè quæ inter se connexa sunt,se inuicem non destruunt.Quod etiam in conclusione apertius declarat his verbis:Iam si vtraque consideratione diligẽter inspexerimus nos quid sumus:imò in vna quàm nihil,in altera quàm magnificati:puto temperata videtur gloriatio nostra:sed forsan magis aucta est, solidata quidem,vt non in nobis sed in Domino gloriemur. Nimirum si cogitamus, si decreuerit saluare nos,statim liberabimur:iam in hoc respirare licet.Sed in altiorem speculam ascendentes, quæramus ciuitatem Dei, quæramus templum, quæramus domum, quæramus sponsam. Non oblitus sum : sed cum metu & reuerentia dico, Nos inquam sumus : sed in corde Dei.Nos sumus:sed illius dignatione,non nostra dignitate. Iesa.64. c.6. Matt.6.c.23. Rom.9.c.18

26 Porrò timor Domini,cuius testimonium passim defertur sanctis omnibus,& qui aliàs initium sapientiæ,aliàs sapientia ipsa nuncupatur, tametsi vnus est, gemino tamen ex sensu emanat.Habet enim in se Deus Patris reuerentiam,& Domini.Itaque qui illum rite volet colere, & obedientem illi filium se præstare & obsequentem seruum studebit. Obedientiam quæ sibi vt Patri redditur,Dominus per Prophetam honorem vocat:obsequium quod vt Domino exhibetur, timorem. Filius (inquit) honorat patrem, & seruus dominum. Si ego Pater,vbi honor? Si Dominus,vbi timor? Vtcunque autem distinguat, Psal.11.b.10. Prouer.1.a.7 Pro.15.d.23. Iob 8.c.28. Malac.1.b.7

vides vt confundat vtrunque simul. Timor ergo Domini, sit nobis reuerentia honore illo & timore mixta. Nec mirum si vtrunque affectum idem animus recipiat. nam qui secum reputat qualis sit nobis Pater Deus, satis habet causæ, etiamsi nulli sint inferi, cur eius offensionem qualibet morte grauius perhorrescat. Sed etiã (quæ est ad peccandi licentiam carnis nostræ lasciuia) quo eam modis omnibus cohibeamus, arripienda simul est hæc cogitatio: Domino, sub cuius potestate degimus, esse abominationi omnem iniquitatẽ: cuius vltionem non euadent qui flagitiosè viuendo eius iram aduersum se prouocarint.

27 Quod autem Iohannes dicit, timorem non esse in charitate, sed perfectã charitatem expellere foras timorem, quoniam timor pœnam habet, nihil istis repugnat. De terrore enim incredulitatis loquitur, à quo longè differt iste fidelium timor. Neque enim Deum timent impii, quòd in eius offensionem incurrere vereantur, si quidem impunè id possent: sed quia vindictæ potentia esse armatum sciũt, ad auditum iræ eius, horrore cõcutiuntur. Ac iram quoque sic timent, quia sibi imminere arbitrãtur, quia singulis momentis expectant dum in caput suum corruat. Fideles autem (vt dictum est) & offensam plusquàm pœnam timent, nec timore pœnæ perturbantur, acsi ceruicibus suis impenderet: sed cautiores reddũtur, ne ipsam accersant. Sic Apostolus, dum fideles alloquitur, Nolite falli, inquit: propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiæ. Non minatur in ipsos descensuram: sed admonet, vt impiis ob ea quæ recensuerat flagitia iram Domini præparatã cogitent: ne & ipsi eam experiri velint. Quanquam rarò contingit vt solis & simplicibus minis expergefiãt reprobi: quin potius iam sua duritie tardi & hebetes, quoties verbis fulminat Deus è cælo, ad contumaciam se obdurant: sed manu eius percussi, timere, velint nolint, coguntur. Timorem hunc vulgò seruilem vocant, & ingenuo voluntarióque opponunt, qui filios decet. Alii mediam speciem subtiliter interserũt: quia seruilis ille & coactus affectus animos interdum subigit vt ad timorem Dei sponte accedant.

1 Ioh. 4. d. 18

Ephe. 5. b. 6
Colos. 3. a. 6

28 Iam in diuina beneuolentia, quam respicere dicitur fides, intelligimus salutis ac vitæ æternæ possessionem obtineri. Nam si, Deo propitio, nihil boni deesse potest: abũdè nobis sufficit, ad salutis certitudinem, vbi suæ dilectionis ipse nos certiores facit. Ostẽdat faciem suam, inquit Propheta, & salui erimus. Vnde hãc salutis nostræ summam statuunt Scripturæ, quòd abolitis inimicitiis omnibus in gratiã nos recepit. Quo scilicet innuunt, Deo nobis reconciliato, nihil manere periculi quin omnia nobis bene succedant. Quare fides, dilectione Dei apprehẽsa, promissiones habet vitæ præsentis & futuræ, solidámque bonorum omnium securitatem: sed qualis è verbo percipi potest. Neque enim vitę huius aut longitudinem, aut honorem, aut opes sibi certò fides promittit: (quando nihil horum nobis esse constitutum voluit Dominus) sed hac certitudine contenta est, vtcunque nos multa deficiant quæ ad vitæ huius subsidium pertinent, Deum tamen nunquam defuturum. Præcipua autem eius securitas in futuræ vitæ expectatione residet, quæ extra dubium per Dei verbum posita est. Quæcunque tamen in terra miseriæ & calamitates eos maneant quos sua dilectione complexus est Deus, impedire nequeunt quin eius beneuolentia, plena sit fœlicitas. Proinde, quum summam beatitudinis vellemus exprimere, Dei gratiam posuimus: è qua scaturigine vniuersæ bonorum species nobis profluunt. Atque id passim obseruare in Scripturis licet, nos ad Domini charitatem reuocari quoties non de æterna modò salute, sed quolibet bono nostro agitur. Qua ratione Dauid canit, diuinam bonitatem, dum in pio corde sentitur, vita ipsa esse suauiorem & optabiliorem. Denique, si nobis affluant omnia pro voto, de amore autem Dei vel odio incerti simus, maledicta erit ac proinde misera nostra fœlicitas. Quòd si affulgeat paterna Dei facies, ipsæ quoque miseriæ beatæ erunt, quia vertentur in salutis adiumẽta. Sicuti Paulus res omnes aduersas accumulans, gloriatur tamen, per illas nos ab amore Dei non disiungi: & in suis precationibus semper incipit à Dei gratia, vnde manat omnis prosperitas. Similiter Dauid cunctis terroribus, qui nos conturbant, opponit solum Dei fauorem. Si ambulauero in medio vmbræ mortis (inquit) non timebo mala: quoniam tu mecum es. Et sentimus semper animos nostros vacillare, nisi Dei gratia contenti, pacem suam in ea quærunt, & penitus infixum habent quod dicitur in Psalmo, Beatus populus cuius Iehoua est Deus, & gens quam elegit in hereditatem sibi.

Psal. 80. a. 4
Ephe. 2. c. 14
Psal. 63. a. 4
Rom. 8. g. 35
Psal. 23. a. 4
Psal. 33. c. 12

29 Fidei fundamẽtum facimus gratuitam promissionem, quòd in ipsa propriè fides consistat. Tametsi enim Deum per omnia veracem esse statuat, siue iubeat, siue prohibeat: siue promittat, siue minetur: iussa etiã eius obedienter excipiat, interdicta obseruet, ad minas

ad minas animaduertat:propriè tamen à promissione incipit,in ipsa constat,in ipsam desinit. Vitam enim in Deo quærit, quæ non in mandatis, aut pœnarum edictis, sed misericordiæ promissione reperitur, eáque nonnisi gratuita: quoniam conditionalis, qua ad opera nostra remittimur, non aliter vitam promittit, quàm si perspiciamus esse in nobis sitam. Ergo,nisi fidem tremere ac vacillare volumus, illam salutis promissione fulciamus oportet:quæ à Domino vltrò ac liberaliter,potiúsque miseriæ nostræ quàm dignitatis respectu offeratur. Quare Apostolus hoc Euangelio testimonium defert, quòd sit verbum fidei:Legis tum præceptis,tum promissionibus adimit: quando nihil est quod fidem stabilire queat, nisi liberalis illa legatio qua sibi Deus mundum reconciliat. Inde & apud eundem crebra fidei & Euangelii correlatio,dum Euãgelii ministerium sibi commissum docet in fidei obedientiam:illud esse virtutem Dei,in salutem omni credenti:in illo reuelari Dei iustitiam ex fide in fidem. Nec mirum.siquidem,quum Euangelium sit reconciliationis ministerium,nullum aliud satis firmum diuinæ erga nos beneuolentiæ testimonium extat,cuius agnitionem fides requirit.Quum ergo fidem gratuitę promissioni innixi oportere dicimus, non negamus quin Dei verbum omni ex parte amplectantur & suscipiãt fideles:sed misericordię promissionẽ fidei in propriũ scopũ destinamus. Quemadmodum iudicem & vltorem scelerum Deum debent quidem agnoscere fideles, & tamen in eius clementiam propriè intuentur: quando talis considerandus illis describitur qui beneuolus sit & misericors,procul ira,multus bonitate,suauis vniuersis,super omnia opera sua misericordiam suam effundens.

Rom.1.a.5; & b.16.17

2.Cor.5. d.18

Psal.86. a. 5; & 103.b.8,& 145.b.8

30 Nec verò Pighii aut similium canum latratus moror, dum hanc restrictionem exagitant,quasi fidem lacerando,frustum vnum arripiat. Fateor,vt iam dixi, generale fidei obiectum(vt loquũtur)esse Dei veritatem:siue minetur,siue spem faciat gratiæ.Quare Apostolus fidei hoc adscribit,quòd Noe mundi interitum, quum nondum videbatur, timuerit.Si timor imminentis pœnæ,fidei fuit opus,non debent minę ab eius definitione excludi.Hoc quidẽ verum est.sed nos immeritò grauant calumniatores,acsi negaremus, fidem habere respectum ad omnes verbi Dei partes.Tantùm enim indicare hæc duo volumus,nunquam scilicet ipsam cõsistere,donec ad gratuitam promissionem peruenerit: deinde non aliter nos per ipsam conciliari Deo, nisi quia nos Christo copulat. Vtrunque notatu dignum.Fidem quærimus quæ Dei filios à reprobis discernat, & fideles ab incredulis. Siquis Deũ & iustè pręcipere quicquid præcipit & verè minari credat,an propterea fidelis vocabitur?Nihil minus. Firmus ergo fidei status non erit, nisi in Dei misericordia sistatur. Iam quorsum de fide disputamus? nónne vt teneamus viam salutis? Quomodo autem fides saluifica nisi quatenus nos in Christi corpus inserit? Nihil ergo absurdi si in definitione præcipuum eius effectum ita vrgemus, & loco differentiæ subiicimus generi notam illam quæ fideles ab incredulis separat.Denique nihil habent in hac doctrina maleuoli quod carpant quin Paulum nobiscum inuoluant in eandem reprehensionem, qui Euangelium propriè appellat fidei sermonem.

Heb.11.b.7

Rom.10.b.8

31 Hinc verò rursum colligimus quod antè expositum fuit, non minus verbo opus habere fidem quàm fructũ viua radice arboris:quia non alii,teste Dauide, sperare in Deo possunt,nisi qui nouerunt nomen eius. Hæc autem cognitio ex cuiusque imaginatione non est:sed quatenus Deus ipse suæ bonitatis testis est.Quod idem Propheta alibi confirmat,Salus tua secundum eloquium tuum:Item,Speraui in verbo tuo,saluum me fac. Vbi notanda est fidei ad verbum relatio, deinde salutis consequentia. Neque tamen interea potentiam Dei excludimus, cuius intuitu nisi se fides sustentet, nunquam Deo tribuet suum honorem. Videtur Paulus frigidum quiddam aut vulgare referre de Abrahã: quòd credíderit,Deum, qui benedictum semen ei promiserat, potentem esse. Item alibi de seipso, Scio cui crediderim, & certus sum quòd potẽs sit depositum meum seruare in diem illum. Verùm si quisque secum expendat quot identidem dubitationes de virtute Dei obrepant,satis agnoscet qui eã magnifaciunt vt digna est,non paruos feciſſe progressus in fide. Fatebimur omnes Deũ posse quicquid vult:sed dum nos motu cõsternat & horrore attonitos reddit minima quæque tẽtatio,hinc palã est nos derogare potẽtiæ Dei cui præferimus quę cõtra eius promissiones minatur Satan. Hæc ratio est cur Iesaias,dum salutis certitudinem vult imprimere cordibus populi, tam magnificè de immensa Dei virtute disserat. Videtur sæpe, vbi sermonem exorsus est de spe veniæ & reconciliationis, aliò digredi, & vagari per longas & superuacuas ambages, commemorans quàm mirabiliter

Rom.4. d.21

2.Tim.1.c.12

Deus cæli & terræ machinam cum toto naturæ ordine gubernet. nihil tamen eſt quod non circunſtantiæ præſenti ſeruiat: quia niſi virtus Dei, qua poteſt omnia, oculis noſtris occurrat, verbum aures malignè admittent, vel non æſtimabunt iuſto pretio. Adde quòd effectualis potentia hîc notatur: quia pietas, vt alibi viſum fuit, Dei potentiam ſemper ad vſum & opus accommodat: præſertim opera Dei ſibi proponit quibus ſe patrem eſſe teſtatus eſt. Hinc illa tam crebra in Scripturis redemptionis memoria, ex qua diſcere poterant Iſraelitæ, Deum, qui ſemel author fuerat ſalutis, æternum ſore eius cuſtodem. Suo etiam exemplo nos admonet Dauid, quæ priuatim ſingulis beneficia contulit Deus, ad confirmationem fidei eius in poſterum valere: imò vbi deſeruiſſe nos videtur, ſenſus noſtros longius extendere conuenit, vt vetuſta eius beneficia nos erigant, ſicuti alio Pſalmo
Pſal.143.b.5 dicitur, Memor fui dierum antiquorum: meditatus ſum in cũctis operibus tuis, &c. Item,
Pſal.77.c.11 Recordabor operum Domini, & mirabiliũ eius ab initio. Sed quia ſine verbo euanidum eſt quicquid concepimus de potentia Dei & operibus: nõ temere aſſerimus nullam eſſe fidem donec gratiæ ſuæ teſtimonio præluceat Deus. Poſſet hîc tamen moueri quæſtio, quid de Sara & Rebecca ſentiendum ſit, quarum vtraque fidei zelo (vt videtur) impulſa,
Gen.16.a.5 extra verbi fines egreſſa eſt. Sara, quum arderet deſiderio promiſſæ ſobolis, ancillam ſuam marito ſuppoſuit. Quin multis modis peccauerit negãdum non eſt: ſed hoc vitium nunc attingo, quòd zelo ſuo abrepta ſe intra verbi Dei metas non cõtinuit. Certum tamen eſt, deſiderium illud à fide profectum eſſe. Rebecca oraculo certior facta de electione filii ſui
Geneſ.27 Iacob, eius benedictionem malo artificio procurat: maritum ſuum gratiæ Dei teſtem ac miniſtrum decipit: filium ſuum cogit mentiri: variis fraudibus & impoſturis corrũpit Dei veritatem. Denique ludibrio exponens illius promiſſionem, quãtum in ſe eſt eam abolet. Neque tamen hoc opus, quamlibet vitioſum & reprehẽſione dignum, fide vacuum fuit: quia ſuperare multa offendicula neceſſe fuit vt tantopere appeteret quod ſine ſpe terrenæ vtilitatis ingentibus moleſtiis & periculis refertum erat. Sicuti ſanctum Patriarcham Iſaac non omnino fide priuabimus, eo quòd admonitus eodẽ oraculo de honore ad minorem filium tranſlato, non deſinit tamen propenſus eſſe in primogenitum ſuum Eſau. Docent certè hæc exempla, errores ſæpe fidei eſſe permixtos: ſic tamẽ vt primatum ſemper teneat illa, vbi vera eſt. Sicuti enim Rebeccæ particularis error non irritum benedictionis effectum reddidit, ſic neque fidem, quæ generaliter dominata eſt in eius animo, principiúmque & cauſa fuit illius actionis. In eo nihilominus prodidit Rebecca quàm lubricus ſit humanæ mentis flexus ſimul ac vel tãtillum ſibi permittit. Etſi autem defectus & imbecillitas fidem obſcurat, non tamen extinguit: interim nos admonet quàm ſolicitè pendere oporteat ex ore Dei: & ſimul confirmat quod docuimus, fidem niſi verbo ſuffultam effluere: ſicuti & Saræ & Iſaac & Rebeccæ euanuiſſent animi in obliquis ſuis deflexionibus, niſi arcano Dei fræno in verbi obedientia retenti eſſent.

32 Rurſum non ſine cauſa in Chriſto promiſſiones omnes concludimus: quando &
1.Cor.2.2 eius agnitione totum Euangelium Apoſtolus cõcludit, & alibi docet, quotquot ſunt Dei
2.Cor.1.d.20 promiſſiones, in ipſo eſſe etiam & Amen. Cuius rei in promptu eſt ratio. Siquid enim pollicetur Deus, ſe beneuolentiam ſuam teſtatur: vt nulla ſit eius promiſſio quæ non ſit dilectionis teſtimonium. Nec refert quòd ingentibus atque aſſiduis diuinæ largitatis beneficiis dum impii cumulantur, eò grauiori iudicio ſeſe induunt. Quum enim ea ſibi è Domini manu prouenire nec cogitent, nec agnoſcant, aut ſiquando agnoſcant, eius tamen bonitatem nequaquam apud ſe reputent: non poſſunt inde magis de eius miſericordia edoceri quàm brutæ pecudes, quæ pro cõditionis ſuæ modo, eundẽ liberalitatis fructum recipiunt, neque tamen proſpiciunt. Nihilo magis obſtat quòd deſtinatas plerunque ſibi promiſſiones reſpuẽdo, vltionem hac occaſione maiorem ſibi accerſunt. Quanquã enim tum ſe demum profert promiſſionum efficacia vbi fidem apud nos inuenerũt: vis tamen ac proprietas earum noſtra infidelitate aut ingratitudine nunquam extinguitur. Ergo quum Dominus, ſuis promiſſionibus, non ad percipiendos modò ſuæ benignitatis fructus, ſed etiam cogitandos hominem inuitet, ſuam illi dilectionem ſimul declarat. Vnde huc redeũdum eſt, promiſſionem quamlibet, eſſe diuinæ erga nos dilectionis teſtificationem. Atqui extra controuerſiam eſt, neminem à Deo extra Chriſtum diligi. ille eſt Filius
Mat.3.d.17, & 17.a.5 dilectus in quo reſidet & acquieſcit amor Patris, & ad nos deinde ab eo ſe diffundit: ſicut
Epheſ.1.b.6 docet Paulus, nos gratiam adeptos eſſe in dilecto. Ipſo igitur intercedente, ad nos deriue-
Epheſ.2.c.14 tur ac perueniat oportet. Proinde Apoſtolus alibi pacem noſtram ipſum vocat, alibi ceu
Rom.8.a.3 vinculum

vinculum proponit,quo paterna pietate Deus nobiſcum deuinciatur.Conſequitur,in illum coniiciendos eſſe oculos, quoties vlla promiſſio nobis offertur: nec abſurdè à Paulo doceri, in ipſo confirmari & adimpleri quæcunque ſunt Dei promiſſiones. Repugnant exempla quædam:neque enim vel Naaman Syrum, quum de modo rite colendi Dei ſciſcitaretur ex Propheta, de Mediatore edoctum fuiſſe credibile eſt: laudatur tamen eius pietas.Cornelius homo gentilis & Romanus vix tenere potuit quod nõ omnibus Iudæis cognitum erat,& quidem obſcurè:eleemoſynæ tamen eius & preces gratæ fuerunt Deo: & ſacrificia Naamã,Prophetæ reſponſo probata,quod neuter potuit cõſequi niſi fide. Similis eunuchi ratio ad quem delatus eſt Philippus,qui niſi fide aliqua præditus non ſumpſiſſet longi ac difficilis itineris laborem & ſumptus adorandi cauſa. Videmus tamen vt interrogatus à Philippo ſuam de Mediatore inſcitiam prodat.Et quidem fateor aliqua ex parte implicitam fuiſſe eorum fidem, nõ modò quoad Chriſti perſonam, ſed quoad virtutem & munus à Patre iniunctum.Interea certum eſt,principiis fuiſſe imbutos quæ guſtum aliquem Chriſti,licet tenuem,darent. Neque hoc nouum videri debet:quia neque eunuchus ex lõginqua regione ad Deum incognitum properaſſet Ieroſolymam: & Cornelius,Iudaicam religionẽ ſemel amplexus,tantũ temporis non tranſegit quin rudimentis veræ doctrinæ aſſueſceret.Quod ad Naamã ſpectat,nimis abſurdũ fuiſſet,quũ de rebus minutis ei pręciperet Eliſæus,tacuiſſe de pręcipuo capite.Quãuis ergo obſcura inter ipſos eſſet Chriſti cognitio, nullã tamẽ fuiſſe conſentaneũ non eſt:quia legis ſacrificiis ſe exercebant,quæ à fine ipſo,hoc eſt Chriſto,diſcerni oportuit ab adulterinis Gentiũ ſacrificiis.

Rom.15.b.8
Act.10.e.31
2.Reg.5.e.17 18.19
Act.8.e.27
Ibidem, f.31

33 Atque hæc quidem nuda externáque verbi Dei demonſtratio abundè ad fidem faciendam ſufficere debebat, niſi cæcitas peruicaciáque noſtra impediret. Verùm (quæ mentis noſtræ ad vanitatem eſt propenſio) Dei veritati nunquam adhærere poteſt: quæ hebetudo eſt, ad eius lucem ſemper cæcutit. Proinde, ſine Spiritus ſancti illuminatione, verbo nihil agitur. Vnde etiam liquet fidem humana intelligẽtia multo ſuperiorem eſſe. Nec ſatis fuerit mentem eſſe Dei Spiritu illuminatam,niſi & eius virtute cor obfirmetur ac fulciatur. In quo tota terra ſcholaſtici aberrant,qui in fidei conſideratione nudum ac ſimplicem ex notitia aſſenſum arripiunt, præterita cordis fiducia & ſecuritate. Ergò ſingulare Dei donum vtroque modo eſt fides, & quòd mẽs hominis ad deguſtandã Dei veritatẽ purgatur,& quòd animus in ea ſtabilitur.Neque enim fidei tantũ inchoator eſt Spiritus,ſed per gradus eã auget,donec ea nos in regnũ cæleſte perducat. Egregium, inquit Paulus, depoſitũ ſeruato, per Spiritũ ſanctũ qui habitat in nobis. Quomodo autẽ Spiritũ ex auditu fidei donari tradat Paulus, nullo negotio expedire licet.Si vnum dũtaxat eſſet Spiritus donũ,abſurdè Spiritũ effectũ fidei dixiſſet, qui author eſt & cauſa: ſed quũ dona prędicet quibus ornat Deus Eccleſiam ſuam,& per fidei incremẽta ad perfectionẽ deducit,non mirũ eſt ſi ea fidei aſcribat,quæ ad ea recipienda nos cõparat.Habetur id quidem paradoxotaton,quum dicitur,neminẽ,niſi cui donatũ ſit, poſſe in Chriſtum credere:ſed ideo partim quòd non animaduertunt vel quàm recondita ſit ac ſublimis cæleſtis ſapientia, vel quãta ſit in percipiẽdis Dei myſteriis humana hebetudo:partim quòd ad firmam illam ſtabilémque cordis conſtantiam, hoc eſt, præcipuam fidei partem, non reſpiciunt.

2.Tim.1.d.14
Galat.5.a.5

34 Atqui ſi humanæ voluntatis (vt Paulus concionatur) nemo eſt teſtis niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt, diuinæ voluntatis quî certus eſſet homo? Et ſi Dei veritas apud nos in iis quoque rebus vacillat quas oculo præſenti intuemur, quî firma ſtabiliſque foret, vbi Dominus ea pollicetur quæ nec oculus videt, nec ingenium capit? Adeo autem hîc conſternatur & deficit humana perſpicacia, vt primus in Domini ſchola proficiendi gradus ſit, ab ea deficere. Nam ea, ceu obiecto velamine, impedimur quominus aſſequamur Dei myſteria, quæ non reuelantur niſi paruulis. Neque enim caro & ſanguis reuelat,nec animalis homo percipit ea quę ſunt Spiritus.quin potius ſtultitia eſt illi Dei doctrina: quia ſpiritualiter diiudicanda eſt.Neceſſariæ ergo ſunt Spiritus ſancti ſuppetię,vel potius vis eius ſola hîc viget. Nemo eſt hominum qui ſenſum Dei nouerit, aut conſiliarius eius fuerit: ſed Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: per quem fit vt mentem Chriſti teneamus. Nemo poteſt venire ad me (inquit) niſi Pater,qui miſit me, traxerit eum.Omnis ergo qui audiuit à Patre, & didicit,venit. Non quòd Patrem viderit quiſquam,niſi is qui eſt à Deo miſſus. Quemadmodum ergo niſi Spiritu Dei tracti, accedere ad Chriſtum nequaquam poſſumus: ita vbi trahimur, mente & animo euehimur ſupra noſtram ipſorum intelligentiam. Nam ab eo illuſtrata anima nouam quaſi aciem ſumit,

Mat.11. d.25 luc.10.d.21 Mat.16.c.17
1.Cor.2. d.14
Rom.11.d.34 1.Cor.2. c.10
Iohã.6. e.44

qua cæleſtia myſteria contempletur, quorum ſplendore antè in ſeipſa perſtringebatur. Atque ita quidem Spiritus ſancti lumine irradiatus hominis intellectus, tũ verè demum ea quæ ad regnum Dei pertinent guſtare incipit: antea prorſus ad ea delibanda fatuus
Luc.24.d.27 & inſipidus. Quamobrem Chriſtus regni ſui myſteria duobus diſcipulis præclarè ediſſe-
& g.45 rens, nihil tamen proficit, donec ſenſum illis aperit vt intelligant Scripturas. Sic edoctis
Iohã.16.b.13 diuino eius ore Apoſtolis Spiritus tamen veritatis mittendus eſt, qui ipſorum mentibus eandem inſtillet doctrinam quam auribus vſurpauerant. Verbum quidem Dei inſtar ſolis eſt omnibus affulgentis quibus prædicatur: ſed nullo cum fructu inter cæcos. Nos autem natura cæci ſumus omnes hac in parte: proinde in mentem penetrare nequit, niſi interiore illo magiſtro Spiritu per ſuam illuminationem aditum faciente.

35 Alibi, quum de naturæ corruptione tractandum fuit, plenius oſtendimus quàm non ſint idonei homines ad credendum. Itaque non fatigabo lectores eadem repetendo.
2.Cor.4.c.13 Sufficiat Spiritum fidei vocari à Paulo fidem ipſam, qua donamur à Spiritu, non autem
2.Theſſ.1.d. quam naturaliter habeamus. Ideo precatur vt in Theſſalonicẽſibus impleat Deus omne
11 beneplacitum ſuum & opus fidei in virtute. Vbi fidem vocans opus Dei, & loco epitheti inſigniens, appoſitiuè vocans beneplacitum, negat eſſe ex proprio hominis motu: neque
1.Cor.2.a.4 eo contentus, adiungit, ſpecimen eſſe virtutis diuinæ: ad Corinthios, vbi fidem non pendere ex ſapientia hominum dicit, ſed fundatã eſſe in potentia Spiritus. Loquitur quidem de externis miraculis: ſed quia ad eorum aſpectum cæcutiunt reprobi, cõprehendit etiam interius illud ſigillum, cuius alibi meminit. Ac quò magis in tam præclaro dono ſuã liberalitatem illuſtret Deus, non omnes eo promiſcuè dignatur: ſed ſingulari priuilegio impertit quibus vult. Cuius rei antè citauimus teſtimonia. quorum fidus interpres Auguſ-
Aug.de ver. Apoſt.lib.2. tinus exclamat, vt Seruator doceret ipſum quoque credere doni eſſe, non meriti, Nemo
Ioh.6.e.44. (inquit) venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum, & cui datũ fuerit à Patre meo. Mirum eſt quòd duo audiunt: vnus contemnit, alter aſcendit. Qui contemnit, imputet ſibi: qui aſcendit, non arroget ſibi. Alio loco, Quare vni datum eſt, non alteri? Non me piget dicere, Hoc eſt profundum crucis. De profundo neſcio quo iudiciorum Dei, quæ perſcrutari non poſſumus, procedit omne quod poſſumus. Quod poſſum, video: vnde poſſum, non video: niſi quia hactenus video, à Deo eſſe. Quare autem illum, & non illum? multum eſt ad me: abyſſus eſt: profundum crucis. Admiratione exclamare poſſum: non diſputatione monſtrare. Huc redit ſumma, Chriſtum, vbi nos in fidem illuminat Spiritus ſui virtute, ſimul inſerere in corpus ſuum, vt fiamus bonorum omnium participes.

36 Reſtat deinde vt quod mens hauſit, in cor ipſum tranſfundatur. neque enim ſi in ſummo cerebro volutatur Dei verbum, fide perceptum eſt: ſed vbi in imo corde radices egit, vt ad ſuſtinẽdas repellendáſque omnes tentationum machinas inuictum ſit propugnaculum. Quòd ſi veram mentis intelligentiam, eius illuminationem eſſe verum eſt: in tali cordis confirmatione multo euidentius eius virtus apparet: quo ſcilicet & maior eſt cordis diffidentia quàm mentis cæcitas, & animum ſecuritate inſtrui quàm mentem cognitione imbui difficilius eſt. Proinde Spiritus ſigilli vice fungitur, ad eas ipſas promiſſiones in cordibus noſtris obſignandas, quarũ certitudinem prius mentibus impreſſit: atque
Epheſ.1.c.13 ad confirmandas & conſtituendas arrhæ locum tenet. Poſtquam credidiſtis (inquit Apoſtolus) obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hereditatis noſtræ. Vides vt Spiritu, velut ſigillo, corda fideliũ inſculpi doceat? Vt hac ratione appellet promiſ-
2.Cor.1.d.22 ſionis Spiritum, quia ratum apud nos Euangeliũ facit? Similiter ad Corinthios, Qui vnxit
Ibidẽ,5.a.5 nos Deus (ait) qui & ſignauit nos, & dedit arrham Spiritus in cordibus noſtris. Et alibi, quum de fiducia audaciáque ſperandi loquitur, eius fundamentũ facit Spiritus arrham.

37 Neque verò oblitus ſum quod antè dixi, & cuius memoriam aſſiduè renouat experientia, fidem ſcilicet variis dubitationibus impelli, vt rarò ſedatæ ſint piorum mentes, ſaltem non ſemper fruantur tranquillo ſtatu: ſed, quibuſcunque machinis quatiantur, vel ex ipſo tentationum gurgite emergunt, vel in ſtatione ſua permanent. Securitas quidem
Pſal.46.a.3 hęc ſola fouet ac tuetur fidem, vbi ſtatuimus quod in Pſalmo dicitur, Dominus protectio noſtra, auxilium in tribulatione: ideo non timebimus dum contremiſcet terra, & tranſi-
Pſal.3.b.6 lient montes in cor maris. Hæc etiam ſuauiſſima quies alibi celebratur, Decubui, & ſomnum cepi, & ſurrexi: quia Dominus ſuſcepit me. Non quòd æquabili tenore ſemper ad lætam hilaritatem compoſitus fuerit Dauid: ſed quatenus Dei gratiam pro modo fidei guſtabat, gloriatur ſe intrepidè deſpicere quicquid mentis pacem inquietare poterat.

Ideo

Ideo Scriptura,dum ad fidē hortari vult,quieſcere iubet.Apud Ieſaiam,In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra.In Pſalmo,Sile Iehouæ,& expecta illū.Quibus reſpondet illud Apoſtoli ad Hebræos,Patientia opus eſt,&c. Ieſa.30.d.15 Pſal.37.b.7 Heb.10.g.36

38 Hinc iudicare licet quàm pernicioſum ſit ſcholaſticum illud dogma,nos de gratia Dei erga nos non aliter ſtatuere poſſe quàm ex coniectura morali provt ſe vnuſquiſque non indignum ea reputat.Equidem ſi ab operibus æſtimandum ſit qualiter affectus ſit erga nos Dominus,id ne tenui quidem coniectura poſſe nos aſſequi fateor: ſed quum ſimplici & gratuitæ promiſſioni reſpondere fides debeat,nullus ambigēdi locus relinquitur.Nam quali(obſecro)fiducia armabimur, ſi hac cōditione ratiocinemur,Deū eſſe nobis propitium,modò ita vitæ noſtræ puritas mereatur? Sed quoniam his tractandis ſuum locum deſtinauimus, longius non proſequemur in præſens: quum præſertim abundè liqueat,fidei nihil eſſe magis aduerſum quàm vel coniecturam,vel aliud quidpiam dubitationi affine. Ac peſſimè huc detorquent Eccleſiaſtæ teſtimonium, quod identidē in ore habent,Nemo ſcit vtrum odio dignus ſit an amore.Nam,vt præteream hunc locū in vulgari interpretatione mendoſè redditum, latere tamen vel pueros ipſos non poteſt quid eiuſmodi verbis ſibi velit Solomo:nēpe, ſiquis à præſenti rerū ſtatu cēſere velit quos odio proſequatur Deus,quos amore complectatur,eum fruſtrā laborare ac nullo operæpretio torqueri: quum omnia pariter eueniant iuſto & impio,immolāti victimas & non immolanti. Vnde ſequitur, Deū non teſtari perpetuò amorē ſuū quibus omnia ſuccedere proſperè facit:neq; odium ſuū in eos ſemper prodere quos affligit. Idque facit ad vanitatem humani ingenii arguendam: quum in rebus ſcitu maximè neceſſariis tanta hebetudine teneatur.Quemadmodum paulo antè ſcripſerat,non poſſe diſcerni quid hominis anima differat ab anima pecudis, quòd eodem modo videtur interire. Siquis inde inferre velit, ſola coniectura niti quam de animorum immortalitate ſentētiam tenemus, annon inſanus meritò habeatur? An igitur ſani ſunt iſti qui nullam eſſe gratiæ Dei certitudinem colligunt,quoniam nulla ex carnali rerum præſentium aſpectu comprehendi poſſit? Eccleſ.9.a.1 Ibidem,3.d.9

39 Atqui temerariæ præſumptionis eſſe cauſantur, indubitatam voluntatis diuinæ notitiam ſibi arrogare.Id quidem illis concederem, ſi tantum nobis ſumeremus vt ingenii noſtri tenuitati ſubiicere vellemus incōprehenſibile Dei conſilium. Sed vbi ſimpliciter cum Paulo dicimus,nos accepiſſe non ſpiritum huius mūdi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt,quo docente ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quid contrà obgannire poſſunt, quin Spiritum Dei contumelioſè inceſſant? Quòd ſi ab ipſo profectam reuelationem vel mendacii,vel incertitudinis,vel ambiguitatis inſimulare, horrendum eſt ſacrilegium: in aſſerenda certitudine quid delinquimus? Verùm hoc quoque non vacare magna temeritate exclamant, quòd de Chriſti Spiritu ſic audemus gloriari. Quis credat tantum eſſe iſtorum ſtuporem qui orbis magiſtri haberi volunt, vt in primis religionis elemētis adeò turpiter impingant? Mihi certè credibile non eſſet,niſi teſtarētur quæ extant eorum ſcripta.Paulus eos demum filios Dei eſſe pronuntiat qui eius Spiritu aguntur: hi agi proprio ſpiritu,diuino autem vacuos eſſe volunt qui ſint filii Dei.Ille Deum à nobis Patrē appellari docet,Spiritu talem vocem dictante, qui ſolus teſtimoniū reddere poteſt ſpiritui noſtro quòd filii Dei ſumus: hi tametſi à Dei inuocatione non arcent, Spiritum tamen abſtrahunt,cuius ductu rite inuocandus erat.Ille Chriſti ſeruos eſſe negat qui non agantur Spiritu Chriſti: hi Chriſtianiſmum cōfingunt Spiritu Chriſti non indigentem.Ille nullam beatæ reſurrectionis ſpem facit niſi Spiritum in nobis reſidentem ſentiamus:hi ſpem tali ſenſu vacuam confingunt. Sed reſpondebunt forſan, non ſe inficiari quin illo prædi- tos eſſe oporteat,cæterùm modeſtiæ & humilitatis eſſe,nō agnoſcere.Quid ergo ſibi vult quū iubet Corinthios tentare an ſint in fide,ſemet probare an Chriſtum habeant, quem niſi quis in ſe habitantē agnoſcat,reprobus eſt? Ex Spiritu autē quem dedit nobis, inquit Iohannes, ſcimus quòd in nobis manet. Et quid aliud quàm Chriſti promiſſiones in dubiū reuocamus, dū ſerui Dei ſine ipſius Spiritu haberi volumus, quem ſuper ſuos omnes effuſurū ſe denūtiauit? Quid,quòd Spiritui ſancto iniurii ſumus, qui fidē,opus eius peculiare,ab ipſo ſeparamus? Hæc quū prima ſint pietatis tyrocinia,miſerrimæ eſt cæcitatis arrogantiæ notari Chriſtianos qui Spiritus ſancti præſentia gloriari auſint: ſine qua gloriatione Chriſtianiſmus ipſe non conſtat. Sed enim exēplo ſuo declarāt quàm verè dixerit Chriſtus Spiritum ſuum mundo incognitū eſſe:ab ipſis modò agnoſci apud quos manet. 1.Cor.2.c.12 Rom.8.c.14 Ibidem,c.16 Rom.8.b.11 2.Cor.13.b.5 1.Ioh.3.d.24 Ieſa.34.a.3

40 Ac ne vno duntaxat acto cuniculo, fidei firmitudinem diruere tentent, aliunde

ipſam adoriuntur:nempe,etiamſi ſecundum præſentem iuſtitiæ ſtatum,de gratia Dei iudicium ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeuerantiæ notitiam. Egregia verò ſalutis fiducia nobis relinquitur, ſi ad præſens momẽtum nos eſſe in gratia, coniectura morali æſtimamus, quid in craſtinum ſit futurum neſcimus. Lõgè aliter Apoſtolus:Certò,inquit,perſuaſus ſum,quòd neque Angeli,nec poteſtates,nec principatus,neque mors,neque vita,neque præſentia,neque futura diriment nos à dilectione, qua nos Dominus in Chriſto complectitur. Euadere conãtur friuola ſolutione, id habuiſſe Apoſtolum ex ſpeciali reuelatione garrientes:ſed preſſius conſtringuntur quàm vt effugiant. Siquidem illic quæ in commune vniuerſis fidelibus ex fide proueniant bona tractat,non quæ ſpecialiter ipſe experiatur. Atqui idem nos alibi noſtræ imbecillitatis & inconſtãtiæ mentione deterret.Qui bene ſtat(inquit)videat ne cadat. Verum eſt: at non terrore quo conſternemur, ſed quo diſcamus nos ſub potenti manu Dei humiliare, quemadmodum Petrus explicat.Deinde quàm præpoſterum eſt, ad punctum temporis limitare fidei certitudinem cuius proprium eſt, ſuperatis huius vitæ ſpatiis, ad futuram immortalitatem protendi? Quum ergo id gratiæ Dei fideles acceptum ferant,quòd Spiritu eius illuminati,cæleſtis vitæ contemplatione per fidem fruuntur:adeò procul abeſt ab arrogantia talis gloriatio,vt ſiquem cõfiteri pudet, eo extremam ingratitudinem prodat magis diuinam bonitatem malignè ſupprimendo,quàm modeſtiam aut ſubmiſſionem teſtetur.

Rom.8.g.38

2.Cor.10.c. 12

1.Pet.5.b.6

41 Quoniam non aliũde melius aut magis perſpicuè fidei natura declarari poſſe videbatur quàm à promiſſionis ſubſtantia,qua velut proprio fundamento ſic nititur, vt ea ſublata protinus corruat, vel potius euaneſcat: ideo noſtram definitionem inde ſumpſimus,quæ tamen ab illa Apoſtoli vel definitione vel deſcriptione potius,quàm ſuæ diſputationi accommodat,minimè aliena eſt: vbi docet eſſe rerum ſperandarũ ſubſiſtentiam, indicem non apparentium. Nam per ὑπόϛασιν(quo vocabulo vtitur) quaſi fulcrum intelligit,cui pia mens innitatur & incumbat. Acſi diceret fidem ipſam certam quandam eſſe ac ſecuram poſſeſſionem eorum quæ nobis à Deo promiſſa ſunt. niſi quis ὑπόϛασιν pro fiducia accipere malit.quod nõ diſplicet:quanquã illud quod receptius eſt amplector.Rurſum vt ſignificaret ad ſupremum vſque diem quo libri aperientur,ſublimiora eſſe, quàm quæ ſenſu noſtro percipi, aut oculis ſpectari, manúve contrectari poſſint: eáque non aliter interim poſſideri à nobis,quàm ſi captum omnem ingenii noſtri excedamus,ac ſupra omnia quæ in mundo ſunt aciem noſtram intẽdamus,nos denique ipſos ſuperemus: addidit ſecuritatem hanc poſſidendi, eſſe rerum quæ in ſpe iacent, ideóque non videntur. Siquidem euidentia,(vt Paulus ſcribit)ſpes non eſt: nec ea quæ videmus, ſperamus. dum verò indicem,aut probationem,aut (vt ſæpe reddidit Auguſtinus) cõuictionem appellat rerum non præſentium: (nam Græcè eſt ἔλεγχος) perinde loquitur acſi diceret euidẽtiam non apparentium rerum,viſionem earum quæ non videtur,perſpicuitatem obſcurarum, præſentiam abſentium, demonſtrationem occultarum. Myſteria Dei enim, cuiuſmodi ſunt quæ ad ſalutem noſtram pertinent,in ſe,ſuáque(vt dicitur)natura cerni nõ poſſunt: verùm ipſa in eius verbo duntaxat intuemur: cuius veritas ſic perſuaſa eſſe nobis debet, vt pro facto impletóque habendum ſit quicquid loquitur. Ad talem verò diuinæ bonitatis guſtum percipiendum quomodo ſe attollat animus, quin ſimul ad redamandum Deum totus accendatur? Verè enim cognoſci illa ſuauitatis affluentia non poteſt,quam Deus timentibus ſe recondidit,vt non ſimul vehementer afficiat.Quem autem ſemel affecit, penitus ad ſe rapit & effert. Proinde mirum non eſt ſi peruerſum cor & obliquum nunquam ſubit hic affectus:quo in cęlum ipſum traducti,ad reconditiſſimos Dei theſauros admittitur, & ad ſacratiſſima regni eius adyta, quæ profanari impuri cordis ingreſſu non decet. Quod enim tradunt Scholaſtici, charitatem fide ac ſpe priorem eſſe,merum eſt deliramentum: quandoquidem ſola eſt fides quæ in nobis charitatem primùm generat.Quanto rectius Bernardus:Teſtimonium,inquit,conſcientiæ,quod piorum gloriam vocat Paulus,in tribus conſiſtere credo. Neceſſe enim primò omnium eſt, credere quòd remiſſionem peccatorum habere non poſſis niſi per indulgentiam Dei: deinde quòd nihil prorſus habere queas operis boni niſi & hoc dederit ipſe: poſtremò quòd vitam æternam nullis potes operibus promereri niſi gratis detur & illa.Paulo pòſt ſubiicit,hæc non ſufficere,ſed eſſe quoddam fidei initium: quia credendo peccata non poſſe remitti niſi à Deo, ſimul tenere oporteat remiſſa nobis eſſe donec etiã Spiritus ſancti teſtimonio perſuaſi ſimus ſalutem nobis eſſe repoſitam: quia Deus peccata cõdonat, merita ipſe donat, & præ-

Heb.11.a.1

Dani.7.c.10

Rom.8.e.24

Homi.in Iohan.79.95 De peccat. meri.& rẽ. lib.2.cap.31.

Lib.3. Sent. Diſtinct. 25, & ſæpius.

Sermo. 1. in Annũtiatione.

2.Cor.1.c.12

& præmia idem redonat, non posse gradum in illo principio figere. Verùm hæc & alia suis locis tractanda erunt: nunc tantùm quid fides ipsa sit, habere sufficiat.

42 Iam verò vbicunque viua erit hæc fides, fieri non poterit quin spem æternæ salutis comitem secũ habeat indiuiduã, vel potius ex se gignat & exerat: qua sublata, quamlibet disertè atque ornatè de fide differamus, nullã habere cõuincimur. Nã si fides (vt auditum est) certa est de veritate Dei persuasio, quod nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita esse queat: qui hanc certitudinem conceperunt, simul profectò expectant fore vt promissiones suas Deus præstet, quæ eorum persuasione nõnisi veræ esse possunt: vt in summa, nihil aliud sit spes quàm eorũ expectatio quæ verè à Deo promissa fides credidit. Ita fides Deum veracẽ credit: spes expectat, vt in tẽporis occasione veritatem suam exhibeat. fides credit nobis esse patrẽ: spes expectat vt se talem erga nos semper gerat. fides datam nobis vitam æternam credit: spes expectat vt aliquando reueletur. fides fundamentũ est, cui spes incumbit: spes fidem alit ac sustinet. Vt enim expectare à Deo nemo quicquam potest nisi qui prius eius promissis crediderit: ira rursus fidei nostræ imbecillitatẽ, ne velut fessa concidat, sustineri ac foueri patienter sperando & expectando oportet. Qua ratione Paulus rite salutem nostram in spe collocat. Nam ea dum in silentio Dominum expectat, fidem continet, ne nimis festinando præcipitet: confirmat, ne vacillet in Dei promissionibus, aut de earum veritate dubitare incipiat: recreat, ne fatigetur: extendit ad vltimam illam metam, ne in medio cursu aut etiam in carceribus deficiat. Denique assiduè renouando & instaurando, facit vt seipsa subinde ad perseuerantiã vegetior emergat. Atque omnino quod nominibus necessaria sint spei subsidia ad fidem stabiliendam, melius patebit si cogitemus quot tentationum formis impetantur & concutiantur qui verbum Dei amplexi sunt. Primùm Dominus, promissiones suas differẽdo, diutius sæpe quàm pro votis nostris, suspẽsos animi nos tenet. hîc officium est spei, præstare quod iubet Prophe-
Rom.8.d.24
ta: vt si moram illæ fecerint, expectemus tamen. Interdum non modò languere nos sinit,
Habac.2.a.3
sed apertam indignationẽ præ se fert. hîc spem multo magis succurrere necesse est, quo, secundum alterius Prophetæ dictum, possimus expectare Dominum, qui absconderit faciem suam à Iacob. Insurgunt etiam illusores (quemadmodum ait Petrus) qui rogãt, Vbi
Iesa.8.d.17
2.Pet.3.a.4
est promissio aduentus eius? quando, ex quo patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creationis. Imò eadem hæc nobis insusurrant caro & mũdus. Hîc fidem spei tolerantia suffultam, in æternitatis contemplatione defixam retineri oportet, quo mille
Psal.90.a.4
2.Pet.3.b.8
annos, instar diei vnius reputet.

43 Propter hanc tum cõiunctionem, tum affinitatem, Scriptura interdum Fidei & Spei vocabula confundit. Nam quum Petrus docet, virtute Dei nos per fidem custodiri
1.Pet.1.a.5
vsque ad salutis reuelationem: quod spei magis quadrabat fidei tribuit: neque immeritò; quando iam docuimus, nihil aliud spem esse quàm fidei alimentũ & robur. Interdũ simul iungũtur, sicuti eadem epistola, quo fides vestra & spes esset in Deo. Paulus verò ad Phi-
Ibidẽ, 1.d.21
Phili.1.c.20
lippenses ex spe deducit expectationem: quia sperando patienter, vota nostra suspendimus, donec patefacta fuerit Dei opportunitas. Quod totũ melius intelligere licet ex decimo cap. ad Hebræos, quod iã citaui. Paulus alibi, quanuis impropriè loquatur, hoc ipsum tamẽ intelligit, his verbis, Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus: nẽpe quia Euan-
Galat.5.a.5
gelii testimoniũ de gratuito amore amplexi, expectamus dũ palàm ostendat Deus quod nunc sub spe est absconditum. Neque iam obscurũ est quàm insulsè Petrus Lombardus duplex spei fundamentum iaciat, Dei gratiam, & operum meritum. Non huic alius scopus quàm fidei esse potest. fidei autem iam clarissimè exposuimus vnicum esse scopum, Dei misericordiam: in quam vtroque (vt ita loquar) oculo respicere debeat. Sed operæpretium est auscultare quàm viuidam afferat rationem. Si quippiam (inquit) sine meritis sperare audeas, non spes illa, sed præsumptio dicenda erit. Quis non meritò, amice lector, tales bestias execretur, quæ temerè & præsumptuosè fieri pronuntiant siquis Deum veracem esse confidat? Nam quum Dominus nihil non à sua bonitate expectari velit, præsumptionem esse dicunt in ea recumbere & acquiescere. O magistrum talibus dignum discipulis quales in insanis rabularum scholis nactus est! Nos verò, quando videmus Dei oraculis iuberi peccatores spem salutis concipere, libenter tantum præsumamus de veritate eius, vt sola eius misericordia freti, abiecta operum fiducia, bene sperare audeamus. Non fallet ipse, qui dixit, Secundum fidem vestram fiat vobis.
Mat.9.d.29

Fide nos regenerari. vbi de pœnitentia. CAP. III.

ETSI iam aliqua ex parte docuimus quomodo fides Christum possideat, & per ipsam fruamur eius bonis: hoc tamen adhuc obscurũ esset nisi effectuum quos sentimus accederet explicatio. Nõ abs re summa Euangelii statuitur in pœnitẽtia & remissione peccatorũ. Ergo duobus illis capitibus omissis, ieiuna & mutila erit adeóque propè inutilis quælibet de fide disputatio. Iam quũ vtrunque nobis cõferat Christus, & vtrunque fide cõsequamur, vitæ scilicet nouitatem, & reconciliationem gratuitam: ratio & docẽdi series postulat vt de vtroque hoc loco differere incipiam. Proximus autem à fide ad pœnitentiam nobis erit trãsitus: quia hoc capite probè cognito, melius patebit quomodo sola fide & mera venia iustificetur homo, neque tamen à gratuita iustitiæ imputatione separetur realis (vt ita loquar) vitæ sanctitas. Pœnitentiam verò non modò fidem continuò subsequi, sed ex ea nasci, extra controuersiam esse debet. Quum enim venia & remissio per Euangelii prædicationem ideo offeratur, vt à tyrãnide Satanæ, peccati iugo, & misera seruitute vitiorum liberatus peccator in regnum Dei transeat: certè Euangelii gratiam nemo amplecti potest quin ex erroribus vitæ prioris in rectam viam se recipiat, totúmque suum studium applicet ad pœnitentiæ meditationem. Quibus autem videtur fidem potius præcedere pœnitentia quàm ab ipsa manare vel proferri, tanquã fructus ab arbore, nunquam vis eius fuit cognita, & nimium leui argumento ad id sentiendum mouentur.

Matth.3.a.2 Mat.4.c.17 2 Christus (inquiunt) & Iohannes in suis concionibus populum ad resipiscentiam primùm hortantur: deinde regnum cælorum appropinquasse subiiciunt. Tale prædicandi mandatum accipiunt Apostoli: talem ordinem sequutus est Paulus, quemadmodum Act.20.d.21 Lucas refert. Atqui dum in syllabarum contextu superstitiosè hærent, non animaduertunt quo sensu inter se verba illa cohæreant. Nam dum in hunc modum concionantur Matth.3.a.2 Christus Dominus & Iohannes, Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: annon resipiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt? Perinde ergo valent eorum verba acsi dicerent, Quoniam appropinquauit regnum cælorum, ideo resipiscite. Nam Matthæus, vbi sic prædicasse Iohannem narrauit, impletum in ipso fuisse Iesa.40.a.3 Iesaiæ vaticinium docet de voce in deserto clamante, Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Verùm apud Prophetam illa vox iubetur à consolatione & læto nuntio inchoare. Neque tamen, quum resipiscentiæ originem ad fidem referimus, spatium aliquod temporis somniamus quo ipsam parturiat: sed ostendere volumus, nõ posse hominem pœnitentiæ seriò studere nisi se Dei esse nouerit. Dei autẽ se esse nemo verè persuasus est, nisi qui eius gratiam prius apprehenderit. Sed hæc dilucidius in ipso progressu edisserentur. Fefellit eos fortè quòd multi conscientiæ pauoribus antè domantur, vel formãtur ad obsequium, quàm imbuti fuerint cognitione gratiæ, imò eam gustauerint. Atque hic est initialis timor, quem inter virtutes quidam recensent, quia veræ & iustæ obedientiæ propinquum esse cernunt. Sed non hîc agitur quàm variè nos Christus ad se trahat, vel præparet ad pietatis studium. tantùm dico, nullam rectitudinem posse inueniri vbi non regnat Spiritus ille quem accepit vt eum membris suis communicaret. Deinde, Psal.130.a.4 secundum illud Psalmi, Apud te est propitiatio vt timearis: nemo vnquam Deum reuerebitur, nisi qui sibi propitium confidet: nemo se ad Legis obseruationem libenter accinget nisi qui persuasus erit ei placere sua obsequia. quæ in ignoscẽdo & tolerandis vitiis indOsee 6.a.1 dulgentia, signum est paterni fauoris. Quod etiam demonstrat illa Oseæ exhortatio, Venite, reuertamur ad Iehouã: quia ipse rapuit, & sanabit nos: percussit, & curabit nos: quia spes veniæ tanquam stimulus additur, ne in suis peccatis torpeant. Omni autem rationis specie caret eorum deliramentum, qui vt à pœnitentia exordiantur, certos dies suis neophytis præscribunt per quos se in pœnitentiam exerceant: quibus demum transactis, in Euangelicæ gratiæ communionem ipsos admittunt. De plurimis Anabaptistarũ loquor: iis præsertim qui spirituales haberi mirè gaudẽt, eorúmque sodalibus Iesuitis, & similibus quisquiliis. Tales scilicet fructus profert spiritus ille vertiginis, vt pœnitẽtiam, quæ in totam vitam proroganda est homini Christiano, paucis dieculis terminet.

3 Cæterùm de pœnitentia docti quidam viri, longè etiam ante hæc tempora, quum iuxta Scripturæ regulam simpliciter & sincerè loqui vellent, dixerunt constare duabus partibus, mortificatione & viuificatione. Mortificationẽ interpretantur animæ dolorem, & terrorem ex agnitione peccati & sensu iudicii Dei cõceptum. Vbi enim quis in veram

peccati

peccati cognitionem adductus est,tum verè peccatum odisse & execrari incipit: tum sibiipsi ex animo displicet,miserũ se & perditum fatetur, & alium se esse optat.Adhæc vbi sensu aliquo iudicii Dei tactus est (alterũ enim ex altero protinus sequitur) tum verò perculsus ac consternatus iacet, humiliatus ac deiectus tremit, animũ despondet, desperat. Hæc prior pœnitentiæ pars,quam vulgò Contritionem dixerunt. Viuificationem interpretantur consolationem quæ ex fide nascitur: vbi scilicet homo, peccati cõscientia prostratus,ac Dei timore perculsus,postea in Dei bonitatem, in misericordiam, gratiam, salutem, quæ est per Christum, respiciens, sese erigit, respirat, animum colligit, & velut è morte in vitam redit.Ac voces quidem istæ,si modò recta constet interpretatio,vim pœnitentiæ satis commodè exprimunt: sed quòd viuificationem accipiũt pro lætitia quam recipit animus ex perturbatione & metu sedatus,non assentior: quum potius sanctè piéque viuendi studium significet, quod oritur ex renascentia: quasi diceretur hominem sibi mori vt Deo viuere incipiat.

4 Alii, quia videbant variè hoc nomen in Scriptura acceptum, duas posuerunt pœnitentiæ formas:quas vt nota aliqua distinguerent,alteram legalem dixerunt,qua peccator peccati cauterio vulneratus & terrore iræ Dei attritus, in ea perturbatione cõstrictus hæret,nec se explicare potest.Euangelicam alteram,qua peccator grauiter quidem apud se afflictus,altius tamen emergit, & Christum, vulneris sui medicinam, terroris consolationem,miseriæ portum apprehẽdit.Legalis pœnitentiæ exempla esse volut, Cain,Saul, Iudam:quorum pœnitentiam dum Scriptura nobis commemorat, intelligit, peccati sui grauitate agnita,iram Dei timuisse: sed Deum duntaxat vltorem & iudicem cogitantes, in eo sensu defecisse. Ergo eorũ pœnitentia nõ aliud fuit quàm quoddã inferorũ atrium, quò iam in hac vita ingressi,cœperunt à facie iræ maiestatis Dei pœnas dare. Euangelicã pœnitentiam videmus in omnibus qui peccati aculeo apud se exulcerati, fiducia autem misericordiæ Dei erecti & recreati, ad Dominũ cõuersi sunt. Perterritus est Ezechias accepto mortis nuntio:sed flens orauit,& in bonitatẽ Dei intuitus, fiduciam recepit. Conturbati sunt Niniuitæ horribili denuntiatione excidii:sed induti sacco & cinere orarunt, sperantes quòd conuerti posset Dominus,& auerti à furore iræ suæ.Confessus est Dauid se nimium peccasse in recensendo populo: sed adiecit, Aufer Domine iniquitatem serui tui.Agnouit adulterii crimen,obiurgante Nathan, & se corã Domino prostrauit: sed veniam simul expectauit.Talis fuit eorum pœnitentia qui ad prædicationẽ Petri compuncti sunt corde:sed Dei bonitate confisi,addiderũt,Quid faciemus viri fratres? Talis & Petri ipsius,qui fleuit quidem amarè,sed sperare non desiit.

Gen.4.b.13
1.Sa.15.f.30
Mat.23.a.7
2.Reg.20.a.2
iesa.38.a.1
Ionæ 3.b.5
2.Sam.24.b.10
2.Sam.12.c.13,& d.16
Act.2.f.37
Mat.26.g.75
luc.22.g.62

5 Hæc quanquam omnia vera sunt,nomen tamen ipsum pœnitentiæ (quatenus ex Scripturis assequi possum)aliter accipiendum est.Nam quòd fidem sub pœnitentia comprehendunt, pugnat cum eo quod Paulus in Actis dicit, se Iudæis ac Gentibus testificatum in Deum pœnitentiam, & fidem in Iesum Christum. Vbi tanquam duo diuersa, pœnitentiam & fidem enumerat. Quid igitur? An vera pœnitentia citra fidem consistere potest? Minimé. Verùm etsi separari non possunt, distingui tamen debent. Quemadmodum sine spe fides non est, & tamen fides ac spes varia sunt: ita pœnitentia & fides, quanquam perpetuo inter se vinculo cohærent,magis tamen coniungi volũt quàm confundi. Equidem nec me latet, sub pœnitentiæ nomine totam ad Deum conuersionem comprehendi,cuius pars non postrema fides est:sed quo sensu,facillimè apparebit vbi vis ac natura eius explicata fuerit.Pœnitẽtiæ nomẽ Hebræis à conuersione vel reditu, Græcis à mentis consiliíque mutatione deductum est: nec vtrique etymologiæ res ipsa malè respondet:cuius summa est,vt à nobis demigrantes,ad Deum conuertamur & deposita pristina mente,nouam induamus. Quamobrem non malè, meo quidem iudicio, sic pœnitentia definiri poterit,Esse veram ad Deum vitæ nostræ conuersionem,à sincero seriórque Dei timore profectam, quæ carnis nostræ veterísque hominis mortificatione, & spiritus viuificatione constet.In eum sensum accipiendæ sunt conciones omnes quibus vel Prophetæ quondam, vel Apostoli postea sui temporis homines ad pœnitentiam hortabantur. Hoc enim contendebant vnum, vt peccatis suis confusi, ac diuini iudicii timore puncti, coram eo prostiderent & humiliarentur in quem deliquerant,ac vera resipiscentia in rectam eius viam se reciperent. Ideo hæc promiscuè vsurpantur apud ipsos eodem significatu,Conuerti seu reuerti ad Dominum,Resipiscere,& pœnitentiam agere. Vnde etiã & Sacra historia pœnitentiã dicit agi post Deum, vbi homines qui in suis cupiditati-

Act.20.d.21
Matth.3.a.2
1.Sam.7.a.2

bus,eo posthabito,lasciuiebāt,incipiūt verbo eius obsequi: & duci suo præsto sunt ad pergendum quò vocauerit. Et fructus pœnitentia dignos proferre dixerunt Iohānes & Paulus,pro vitā ducere quæ eiusmodi resipiscentiam in cunctis actionibus referat ac testetur.

Luc.3.b.8
rom.6.a.4
act.26.e.20

6 Sed antequam vltrà procedamus,definitionem à nobis positam dilucidius enarrare conducet.In qua tria sunt præcipuè capita considerāda.Primùm,quū vitæ ad Deum conuersionem nuncupamus, transformationem requirimus, non in operibus tantùm externis,sed in anima ipsa: quæ vbi vetustatem suam exuerit,tum demū operum fructus renouationi suæ respondentes ex se pariat. Quod dum vult exprimere Propheta,iubet vt cor nouum sibi faciant quos ad pœnitentiam vocat. Vnde Moses sæpius ostensurus quomodo rite ad Dominum conuerterentur Israelitæ pœnitētia ducti, docet vt id fiat ex toto corde,& ex tota anima (quam loquutionē videmus à Prophetis subinde repetitam) & cordis circuncisionem nominans, interiores affectus excutit. Nullus tamen locus est ex quo melius perspicere liceat quæ sit germana pœnitentiæ proprietas, quàm ex cap. 4 Ieremiæ,Si reuerteris Israel,inquit Dominus,ad me reuertere.Arate vobis aruum,& nolite serere super spinas.Circūcidimini Domino,& auferte præputia cordium vestrorum. Vide quomodo nihil effecturos denuntiet in studio iustitiæ capessendo nisi reuulsa in primis ex penitissimo corde impietas fuerit.Et quo penitus eos afficiat, monet cum Deo esse negotiū, apud quem tergiuersando nihil proficitur: quia cor duplex odio habet. Eam ob rem præposteros hypocritarum conatus irridet Iesaias, qui externam in ceremoniis resipiscentiam strenuè quidem moliebantur:at interim fasciculos iniquitatis,quibus colligatos tenebant pauperes, dissoluere non curabant. Vbi etiam pulchrè ostendit, in quibus propriè sita sit officiis pœnitentia non ficta.

Ezec.18.g.31
Ier.4.a.1.3.4
Iesa.58.b.6

7 Secundum caput erat,quòd ex serio Dei timore docuimus ipsam proficisci.Prius enim quàm ad resipiscentiam mens peccatoris inclinetur,diuini iudicii cogitatione excitari oportet. Vbi autem hæc cogitatio penitus insederit, Deum aliquando tribunal conscensurum ad exigendam omniū dictorum factorúmque rationem: miserum hominem interquiescere non sinet,nec punctum tēporis respirare quin perpetuò ad meditandum aliud vitæ institutum extimulet, quo se ad iudiciū illud sistere securè queat. Quare Scriptura sæpe,dum ad pœnitētiam cohortatur,iudicii mentionē iniicit, vt apud Ieremiam, Ne fortè egrediatur vt ignis furor meus, & non sit qui extinguat, propter malitiam operum vestrorum.In concione Pauli ad Athenienses, Et tempora quidem huius ignorātiæ quum hactenus dissimularit Deus, nunc annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant:eo quòd statuit diem in quo iudicaturus est orbē in æquitate.& aliis compluribus in locis.Interdum à punitionibus iam irrogatis,Deum esse iudicē declarat: quo peccatores secum reputent,peiora sibi imminere nisi maturè resipuerint.Exemplum habes Deuteronomii vigesimonono. Quoniam verò à peccati horrore & odio conuersio inchoatur, ideo tristitiam quæ secundum Deum est, pœnitētiæ causam facit Apostolus. Tristitiam autem secūdum Deum appellat,vbi non pœnam modò exhorremus, sed peccatum ipsum, ex quo displicere Deo intelligimus, odimus & execramur.nec mirū, quia nisi acriter pungamur,non posset corrigi carnis nostræ pigrities:imò non sufficerent eius stupori & socordiæ pūctiones,nisi ferulas exerēdo altius penetraret Deus. Accedit etiam contumacia,quam velut malleis contundi necesse est.Ergo seueritatem,qua Deus vtitur minando, ingenii nostri prauitas ab eo extorquet: quia dormientes frustra blandè alliceret. Testimonia non recito quæ passim occurrunt.Alia etiam ratione timor Dei pœnitentiæ principium est: quia etsi omnibus virtutum numeris absoluta sit hominis vita,nisi ad Dei cultum referatur, laudari quidem poterit à mundo: sed in cælo mera abominatio erit: quando præcipua iustitiæ pars est,suum ius & honorem Deo reddere,quo impiè fraudatur vbi nobis propositum non est subiicere nos eius imperio.

Ier.4.a.2.4
Act.17.g.30
2.Cor.7.c.10

8 Tertio loco explicandum restat quale sit istud quod dicimus, pœnitētiam duabus partibus cōstare: mortificatione scilicet carnis,& spiritus viuificatione.Id Prophetæ licet pro carnalis populi captu simplicius & rudius, liquidò tamen exprimunt, quum dicunt, Desine à malo,& fac bonitatem. Item, Lauamini,mundi estote, auferte malum operum vestrorum ab oculis meis.Quiescite agere peruersè,discite benefacere,quærite iudicium, subuenite oppresso,&c.Quum enim à malitia reuocant,totius carnis interitum exigunt, quæ malitia & peruersitate referta est. Res prorsus difficilis & ardua, nos ipsos exuere, & à natiuo ingenio demigrare. Neque enim caro bene interiisse putanda est,nisi quicquid

Psal.34. c.15
Iesa.1.d.16

à nobis

à nobis habemus,abolitum fuerit.Sed quum vniuersus carnis affectus simultas sit aduersus Deum, primus ad obedientiam Legis eius ingressus est illa naturæ nostræ abnegatio. Postea renouationem designant à fructibus qui inde consequuntur, iustitia,iudicio & misericordia.Siquidem nõ satis fuerit talibus officiis rite defungi, nisi mẽs primum ipsa & cor iustitiæ, iudicii, misericordiæ affectum induerint. id fit quum Dei Spiritus intinctas sua sanctitate animas nostras nouis & cogitationibus & affectibus ita imbuit, vt nouæ iure haberi queãt.Et certè vt naturaliter sumus auersi à Deo, nisi præcedat abnegatio nostri, nũquam ad id quod rectum est tẽdemus.Ideo toties iubemur exuere veterem hominem: renuntiare mundo & carni:concupiscentiis nostris valere iussis,renouari spiritu mentis nostræ. Nomen porrò ipsum mortificationis admonet quàm difficile sit obliuiscì prioris naturæ: quia hinc colligimus, non aliter nos formari ad Dei timorẽ, & pietatis initia discere nisi vbi gladio Spiritus violenter mactati in nihilum redigimur:quasi pronũtiaret Deus,vt censeamur inter suos filios,opus esse communis naturæ interitu. Rom.8.a.1

9 Vtrunque ex Christi participatione nobis contingit.Nam si verè morti eius communicamus, eius virtute crucifigitur vetus noster homo, & peccati corpus emoritur, ne amplius vigeat primæ naturæ corruptio. Si resurrectionis sumus participes, per eã suscitamur in vitæ nouitatem,quæ Dei iustitiæ respondeat. Vno ergo verbo pœnitentiam interpretor, regenerationem, cuius non alius est scopus nisi vt imago Dei quæ per Adæ transgressionem fœdata, & tantum non obliterata fuerat, in nobis reformetur. Sic docet Apostolus, quum ait,Nos autem reuelata facie gloriam Domini repræsentãtes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam,tanquam à Domini Spiritu.Item,Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem,qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.Item alibi,Induentes nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui creauit illum. Proinde ista regeneratione in Dei iustitiã, Christi beneficio instauramur,à qua per Adam excideramus: quo modo in integrum restituere placet Domino quoscũque in vitæ hereditatem cooptat. Atque hæc quidem instauratio non vno momento, vel die, vel anno impletur, sed per continuos, imò etiam lentos interdum profectus abolet Deus in electis suis carnis corruptelas: repurgat eos sordibus, sibíque in templa consecrat, sensus eorum omnes ad veram puritatẽ renouans, quo se tota vita exerceant in pœnitẽtia: sciántque huic militiæ nullum nisi in morte esse finem. Quo maior est impuri rabulæ & apostatæ Staphyli cuiusdã improbitas:qui statum præsentis vitæ cum gloria cælesti à me confundi nugatur, dum imaginem Dei ex Paulo interpretor sanctitatem & iustitiam veracem. Quasi verò vbi res aliqua definitur, non quærenda sit ipsa integritas & perfectio.Neque tamen locus negatur incrementis: sed quatenus ad Dei similitudinem propius quisque accedit, in eo dico fulgere imaginem Dei. Huc vt perueniant fideles, stadium pœnitentiæ,in quo tota vita currant,illis Deus assignat. Rom.6.a6 2.Cor.3.d.18 Ephe.4.f.23 Colo.3.b.10 1.Cor.7.c.12 2.Cor.4.a.4

10 Sic ergo à peccati seruitute liberantur filii Dei per regenerationẽ, non vt quasi plenam libertatis possessionem iam adepti,nihil amplius molestiæ à carne sua sentiant: sed vt illis maneat perpetua certaminis materia, vnde exerceantur:neque exerceãtur modò, sed infirmitatem quoque suam melius discant. Atque in ea re omnes sanioris iudicii scriptores inter se consentiunt,manere in homine regenerato mali fomitem,vnde perpetuò scateant cupiditates quæ ipsum ad peccandum illiciant & extimulent. Fatentur etiam, sanctos illo concupiscendi morbo adhuc ita implicitos teneri, vt obstare nequeant quin subinde vel ad libidinem,vel ad auaritiam,vel ad ambitionem,vel ad alia vitia titillentur & incitentur. Neque opus est multũ inuestigando laborare quid hîc veteres senserint: quando vnus Augustinus sufficere ad id potest,qui fideliter magnáque diligentia omnium sententias collegit.Ex illo igitur sumant lectores. siquid de sensu antiquitatis habere certi volent.Porrò inter illum & nos hoc discriminis videri potest interesse, quòd ipse quidẽ quum fideles consint non concupiscere,eum tamen morbum peccatum vocare non audet: sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatũ docet vbi vel opus vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit.hoc est,quando primæ appetitioni cedit voluntas. nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quòd aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur: imò ipsam prauitatem,quæ eiusmodi cupiditates nobis generat,asserimus esse peccatũ. Docemus itaque in sanctis, donec mortali corpore exuantur,semper esse peccatum: quia in eorum carne residet illa concupiscendi pra- Lib.ad Boni. 4.Lib.1. & 2. contra Iulianum.

Sermo.6. de verb.Apost. uitas quæ cum rectitudine pugnat.Neque tamẽ ſemper à peccati nomine abſtinet:ſicuti quũ dicit, Hoc peccati nomine appellat Paulus vnde oriũtur cũcta peccata in carnalem concupiſcentiã.Hoc quantũ ad ſanctos pertinet, regnum admittit in terra,perit in cælo. Quibus verbis fatetur,quaten⁹ obnoxii ſunt fideles cõcupiſcẽtiis carnis,peccati eſſe reos.

Ephe.5.f.26 27 11 Quòd autem Deus Eccleſiam ſuam purgare ab omni peccato dicitur,quòd eam liberationis gratiam per Baptiſmum pollicetur,& in electis ſuis implet:ad reatũ potius referimus quàm ad ipſam peccati materiam.Præſtat hoc quidem Deus, ſuos regenerando, vt peccati regnum in ipſis aboleatur: (virtutem enim Spiritus ſubminiſtrat, qua ſuperiores in certamine victoréſque fiant) ſed regnare tantùm, non etiam habitare deſinit. Pro-

Rom.6.a.6 inde ſic dicimus veterem hominem crucifixum eſſe, legem peccati ſic abolitam eſſe in filiis Dei, vt reliquiæ tamen ſuperſint:non vt dominentur, ſed vt eos ſuæ infirmitatis conſcientia humilient. Et illas quidem fatemur non imputari, acſi non eſſent:ſed hoc ſimul Dei miſericordia fieri contendimus vt ab hoc reatu liberẽtur ſancti,qui meritò aliàs peccatores & rei coram Deo forent.Neque verò hanc ſententiam cõfirmare difficile nobis erit:quando extant in eam rem clara Scripturæ teſtimonia.Quid enim apertius volu-

Rom.7.b.6 mus quàm quod ad Rom.7.clamat Paulus?Primùm,illic eum in hominis regenerati perſona loqui, cum nos alibi oſtendimus, tum Auguſtinus firmis rationibus euincit. Taceo quòd mali & peccati vocabulis vtitur. vt voces illas cauillari poſſint qui reclamare nobis volent: quis tamen repugnãtiam aduerſus Legem Dei, malum eſſe neget? quis impedimentum iuſtitiæ neget eſſe peccatum? quis denique non concedat culpam ineſſe, vbi eſt ſpiritualis miſeria?Atqui iſta omnia de hoc morbo à Paulo prædicãtur. Deinde habemus certam à Lege demonſtrationem,qua breuiter tota hæc quæſtio expediri poteſt.Iubemur enim Deum diligere ex toto corde,ex tota anima,ex totis facultatibus.Quum ita omnes animæ noſtræ partes Dei amore occupari deceat, certum eſt eos præcepto nõ ſatisfacere qui vel leuiculam appetitionẽ corde recipere, vel vllam omnino cogitationem animo admittere poſſunt,quæ eos ab amore Dei in vanitatem abducat. Quid enim? annon illæ ſunt animæ facultates,ſubitis motionibus affici, ſenſu apprehẽdere, mente concipere? Iſtæ igitur quum vanis & prauis cogitationibus aditum ad ſe patefaciunt, annon oſtendunt ſe tantundem ab amore Dei eſſe vacuas?Quare qui non fatetur omnes carnis cupiditates eſſe peccata:illum verò concupiſcendi morbum,quem fomitem appellãt,eſſe peccati ſcaturiginem:ille tranſgreſſionem Legis peccatum eſſe neget neceſſe eſt.

12 Si cui abſurdum videtur,ita in vniuerſum damnari cupiditates omnes quibus homo naturaliter afficitur,quum à Deo inditæ ſint naturæ authore: reſpondemus, nos nequaquam eas appetitiones damnare quas hominis ingenio Deus ſic à prima creatione inſculpſit,vt inde eradicari niſi cum ipſa humanitate non poſſint: ſed tantùm inſolentes effrænéſque motus qui cum Dei ordinatione pugnãt. Iam verò quum ob naturæ prauitatẽ omnes facultates adeò vitiatæ ſint ac corruptæ, vt in omnibus actionibus emineat perpetua ἀταξία & intemperies: quia ab eiuſmodi incontinẽtia ſeparari nequeunt appetitiones,ideo vitioſas eſſe contẽdimus. Aut (ſi paucioribus verbis ſummam habere libet) omnes hominum cupiditates malas eſſe docemus,& peccati reas peragimus: non quatenus ſunt naturales,ſed quia inordinatæ: inordinatas autẽ eſſe,quia ex natura corrupta & polluta nihil puri nec ſynceri prodire poteſt. Neque verò ab hac doctrina tantum diſce-

Ad Bonifac. dit Auguſtinus quantum in ſpeciem apparet. Dum inuidiam plus æquo reformidat,qua eum grauare ſtudebant Pelagiani, à peccati nomine interdum abſtinet: quum tamen ſcribit, manente in ſanctis peccati lege, tolli duntaxat reatum, ſatis indicat ſe non adeò à ſenſu noſtro abhorrere.

13 Afferemus alias aliquot ſentẽtias vnde melius appareat quid ſenſerit.Lib.ſecundo contra Iulianum: Lex iſta peccati & remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali.remiſſa ſcilicet, quia reatus ſolutus eſt in ſacramento quo regenerantur fideles.manet autem,quia operatur deſideria,contra quæ dimicãt & fideles.Item,Lex itaque peccati(quæ in tanti quoque Apoſtoli membris erat) remittitur in baptiſmate,non finitur. Itẽ, Legem peccati,cuius manẽtis ſolutus eſt in baptiſmo reatus,Ambroſius vocauit iniquitatem: quia iniquum eſt vt caro concupiſcat aduerſus ſpiritum. Item, Mortuũ eſt peccatũ in eo reatu quo nos tenebat: & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, rebellat & mortuum.Lib.quinto etiamnum apertius:Sicut cæcitas cordis & peccatum eſt, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur,

punitur,& cauſa peccati quum aliquid cæci cordis errore cõmittitur: ita concupiſcentia carnis aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia illi ineſt inobedientia contra dominatum mentis:& pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobediẽtis: & cauſa peccati defectione conſentientis,vel contagione naſcentis. Vocat hîc ſine ambiguitate peccatum: quia proſtrato iam errore,& cõfirmata veritate,calumnias minus veretur.Quemadmodum & in Iohãnem,homi.41, vbi ex animi ſui ſenſu ſine contentione loquitur, Si carne ſeruis legi peccati, fac quod ait ipſe Apoſtolus, Non regnet peccatum Rom.6.b.12
in mortali veſtro corpore,ad obediendum deſideriis eius.Non ait,nõ ſit:ſed,non regnet. Quãdiu viuis peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis: ſaltẽ regnum illi auferatur, non fiat quod iubet. Qui concupiſcentiam non eſſe peccatum defendũt, illud Iacobi obiice- Iacob.1.b.15
re ſolent, Concupiſcentia poſtquam conceperit,parit peccatũ. Atqui nullo negotio hoc refellitur:niſi enim de ſolis operibus malis,vel de peccatis actualibus intelligamus ipſum loqui,ne mala quidem voluntas in peccato deputabitur. Ex eo autẽ quòd flagitia & prava facinora concupiſcentiæ partus vocat, atque iis ipſis peccati nomen tribuit, non protinus ſequitur quin concupiſcere,res mala ſit,& coram Deo damnabilis.

14 Anabaptiſtæ quidam hoc ſeculo, phreneticam neſcio quam intemperiem pro ſpirituali regeneratione comminiſcuntur: nempe in ſtatum innocẽtiæ reſtitutos Dei filios,iam non oportere ſolicitos eſſe de libidine carnis refrenanda:Spiritum ducẽ ſequendum eſſe,ſub cuius actione nunquam aberratur. Incredibile eſſet hominis mentẽ eò vefaniæ prolabi, niſi palàm & faſtuoſè ſuum hoc dogma deblaterarent. Prodigioſum certè quidem eſt: ſed tales ſacrilegæ audaciæ pœnas luere æquum eſt qui veritatẽ Dei in mendacium vertere animum induxerũt. Itáne delectus omnis turpis & honeſti, iuſti & iniuſti,boni & mali,virtutis & vitii tolletur? Tale,inquiunt,diſcrimen eſt ex maledictione veteris Adæ,à qua nos per Chriſtum exẽpti ſumus. Ergo inter ſcortationem & caſtitatem, ſynceritatem & aſtutiam,veritatem & mendacium,æquitatem & rapinam, nihil iam intererit. Tolle(inquiũt)vanam formidinem: Spiritus nihil tibi mali imperabit, modò ſecurè & intrepidè illius actioni te permittas.Quis ad hæc prodigia non obſtupeſcat? Populares tamen eſt philoſophia apud eos,qui libidinum amentia excæcati,ſenſum communem exuerunt. Sed quem obſecro, Chriſtum nobis fabricantur, & quem Spiritum eructant? Nos enim Chriſtum vnum, eius vnum Spiritũ recognoſcimus quem Prophetæ commẽdarunt,Euãgelium exhibitum prædicat,de quo nihil illic tale audimus. Spiritus ille non eſt homicidii,ſcortationis,ebrietatis,ſuperbiæ,cõtentionis,auaritiæ,fraudis patronus: ſed author dilectionis,pudicitiæ,ſobrietatis,modeſtiæ,pacis,moderationis,veritatis. Non eſt vertiginoſus, & qui præceps per fas & nefas incõſideratè ruat, ſed plenus ſapientiæ & intelligentiæ,qua rite inter iuſtum & iniuſtum diſcernat.Non inſtigat ad diſſolutam effrænémque licentiam:ſed provt licitum ab illicito diſcriminat, moduin moderationémque ſeruare docet. Quid tamen diutius in refellẽda beluina iſta rabie laboremus? Chriſtianis Spiritus Domini non turbulentũ eſt phantaſma, quod vel ipſi per ſomnium pepererint, vel ab aliis confictum acceperint: ſed eius notitiam à Scripturis religioſè petunt, vbi duo hæc de ipſo traduntur,nobis in ſanctificationem datum eſſe,quo ab immũditiis & inquinamentis purgatos,in obedientiam diuinæ iuſtitiæ deducat: quæ obediẽtia conſtare nequit niſi domitis ſubactiſque concupiſcentiis, quibus iſti habenas laxare volunt. Deinde ſic nos eius ſanctificatione purgari, vt multis vitiis multáque infirmitate obſideamur quandiu incluſi ſumus mole corporis noſtri. Quo fit longo interuallo à perfectione diſſiti, proficere ſemper aliquid, & vitiis irretiti cum illis quotidie luctari neceſſe habeamus. Vnde etiam conſequitur, excuſſa deſidia & ſecuritate, intentis animis vigilandum eſſe, ne carnis noſtræ inſidiis incauti circunueniamur. Niſi fortè confidimus nos maiores progreſſus feciſſe quàm Apoſtolum, qui tamen fatigabatur ab angelo Satanæ, 2.Cor.12.b.15
quo virtus in infirmitate perficeretur: & qui illam carnis & ſpiritus diuiſionem in ſua Rom.7.b.6
carne non fictè repræſentabat.

15 Quòd autem Apoſtolus in deſcriptione pœnitẽtiæ ſeptem eius vel cauſas, vel effectus,vel partes enumerat, id optima cauſa facit.ſunt autẽ ſtudiũ aut ſolicitudo, excuſatio,indignatio,timor,deſiderium,zelus, vindicta. Neque abſurdũ videri debet, quòd ſta- 1.Cor.7.c.11
tuere non audeo cauſſne an effectus cenſeri debeant. vtrunque enim diſputari poteſt. Poſſunt etiã vocari affectiones cum pœnitentia cõiunctæ.ſed quia omiſſis illis quæſtionibus,intelligere licet quid Paulus velit,ſimplici expoſitione cõtenti erimus. Dicit ergo ex

triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, excitari ſolicitudinem. Nam qui ſerio diſplicentiæ ſenſu tangitur quòd in Deum ſuum peccarit, ſimul extimulatur ad diligentiam & attentionem, vt à Diaboli laqueis penitus ſe explicet, vt ab eius inſidiis melius ſibi caueat, ne à Spiritus ſancti gubernatione poſthac excidat, ne ſecuritate opprimatur. Proxima eſt excuſatio, quæ hoc loco nõ defenſionem ſignificat qua peccator ad effugiendum Dei iudicium, vel ſe deliquiſſe neget, vel culpam extenuet: ſed purgationem, quæ in deprecatione magis poſita ſit quàm cauſæ fiducia. Qualiter filii non reprobi dum errata ſua agnoſcunt & confitentur, deprecationem tamen adhibent. atque vt ea locum habeat, quibus poſſunt modis teſtantur, ſe minimè abieciſſe eam quam parentibus debent reuerẽtiam: denique ſic excuſant, non vt ſe iuſtos eſſe ac innocentes probent, ſed tantùm vt veniã obtineant. Sequitur indignatio, qua peccator ſecũ intus fremit, ſecum expoſtulat, ſibi iraſcitur, dum ſuam peruerſitatem ſuámque in Deum ingratitudinem recognoſcit. Timoris nomine intelligit illam trepidationem quæ mentibus noſtris incutitur, quoties cogitamus & quid nos ſimus meriti, & quàm horribilis ſit iræ diuinæ ſeueritas in peccatores. Mirabili enim inquietudine tunc nos vexari neceſſe eſt, quæ tum ad humilitatem nos erudit, tum cautiores in poſterũ reddit. Quòd ſi oritur ex timore ſolicitudo, de qua prius dixerat, videmus quo nexu hæc inter ſe cohæreant. Deſiderium videtur mihi poſuiſſe pro ſedulitate in officio & obſequendi alacritate, ad quam maximè prouocare nos debet delictorum noſtrorum agnitio. Huc quoque pertinet zelus quem continuò ſubiungit. ardorem enim ſignificat quo accendimur vbi aculei illi nobis admouentur: Quid feci? Quò me præcipitaueram, niſi mihi Dei miſericordia ſubueniret? Poſtrema eſt vindicta. quo enim ſeueriores in nos ſumus, & acriore cenſura quæſtionem habemus de peccatis noſtris, eo debemus ſperare magis propitium ac miſericordem Deum. Et certè fieri non poteſt quin anima diuini iudicii horrore perculſa, partes vltionis in exigenda de ſe pœna occupet. Sentiunt ſanè pii quales pœnæ ſint pudor, confuſio, gemitus, diſplicentia ſui, & reliqui affectus qui ex ſeria delictorum recognitione naſcuntur. Meminerimus tamẽ modum eſſe tenendum, ne triſtitia nos abſorbeat: quia nihil magis procliue eſt trepidis conſcientiis quàm in deſperationem ruina. Et hoc quoque artificio Satan quoſcunque videt metu Dei proſtratos, in profundum illum mœroris gurgitem magis ac magis demergit, ne vnquam aſſurgant. Non poteſt quidem nimius eſſe timor qui in humilitatem deſinit, neque diſcedit à ſpe veniæ. Semper tamen ex Apoſtoli præcepto cauendum, ne peccator, dum ſe ad diſplicentiam ſolicitat, nimia formidine oppreſſus deficiat: quia hoc modo refugitur Deus, qui per pœnitentiam nos ad ſe vocat. Qua de re vtilis etiam eſt admonitio Bernardi, Neceſſarius dolor pro peccatis ſi non ſit continuus. Suadeo reflectere pedem interdum à moleſta & anxia recordatione viarum veſtrarum, & euadere ad planitiem ſerenæ memoriæ beneficiorum Dei. Miſceamus abſynthio mel, vt ſalubris amaritudo ſalutem dare queat: cum immiſto dulcore temperata bibetur: & ſi de vobis in humilitate ſentitis, ſentite & de Domino in bonitate.

Heb.12.a.3

Serm.11.in Cant.

16 Iam & pœnitentiæ fructus quales ſint, intelligi poteſt: nempe officia pietatis erga Deum, charitatis erga homines, adhæc in tota vita ſanctimonia ac puritas. Denique quo maiore quiſque ſtudio vitam ſuam exigit ad normam Legis Dei, eo certiora pœnitentiæ ſuæ ſigna edit. Itaque Spiritus ſæpe dum nos ad pœnitentiam hortatur, nunc ad ſingula Legis præcepta, nunc ad officia ſecundæ tabulæ nos reuocat: quanquam aliis locis poſtquàm immũditiem damnauit in ipſo fonte cordis, deinde ad externa teſtimonia deſcendit quæ ſinceram reſipiſcentiam commendant. Cuius rei tabulam in deſcriptione vitæ Chriſtiani mox ſubiiciam lectorum oculis. Non colligam ex Prophetis teſtimonia quibus partim ſubſannãt eorum ineptias qui ceremoniis contendunt Deum placare, oſtendúntque mera eſſe ludicra: partim verò externam vitæ integritatem docent non eſſe caput pœnitentiæ, quia Deus cor intuetur. Quiſquis mediocriter in Scriptura verſatus fuerit, per ſe, abſque alterius monitu intelliget, vbi cum Deo negotiũ eſt, nihil agi niſi ab interiore cordis affectu incipimus. Et Ioelis locus aliis intelligendis non parũ valebit, Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Vtrunque etiam breuiter expreſſum eſt his Iacobi verbis, Mundate ſcelerati manus, purgate corda duplices. vbi priori quidem membro acceſſio ponitur, fons tamen & principiũ deinde mõſtratur, nempe abſtergendas eſſe occultas ſordes, vt altare in ipſo corde erigatur Deo. Sũt præterea & externa aliqua exercitia, quibus priuatim veluti remediis vel ad nos humiliandos, vel ad domandam carnem

Ioel.2.c.13

Iacob.4. b.8

noſtram

noſtram vtimur: publicè verò ad reſipiſcentiæ teſtificationẽ. Emanant autem ab illa vindicta de qua loquitur Paulus. ſiquidẽ hæc afflicti animi ſunt propria, in ſqualore, gemitu, lachrymis eſſe: fugere ſplendorẽ & quemlibet apparatum, omnibus deliciis ſe abdicare. Deinde is qui ſentit quantum malum ſit carnis rebellio, remedia omnia quærit quibus coerceat. Præterea qui bene cogitat quàm graue ſit violaſſe Dei iuſtitiam, quieſcere non poteſt donec in ſua humilitate gloriam dederit Deo. Eiuſmodi exercitia ſæpe commemorant vetuſti ſcriptores, quum de pœnitentiæ fructibus loquuntur. Quanquam autem vim pœnitentiæ minimè in illis reponunt: veniam tamen mihi dabunt lectores ſi dixero quod ſentio. plus æquo certè inſiſtere in his mihi videntur. Ac ſiquis prudenter expẽdat, mihi (vt ſpero) aſſentietur, dupliciter eos modum exceſſiſſe. Nam quum tantopere vrgerent, ac immodicis elogiis commendarent corporalem illam diſciplinam, hoc quidem conſequebantur vt plebs eam maiore ſtudio amplecteretur: ſed, quod longè maioris momenti eſſe debet, quodammodo obſcurabant. Deinde in exigendis caſtigationibus fuerunt aliquanto rigidiores quàm ferat Eccleſiaſtica manſuetudo, quemadmodum alibi tractandum erit. 2.Cor.7.c.11

17 Sed quia nonnulli, dum fletum, ieiunium & cinerem cum alibi frequenter, tum præſertim apud Ioelem commemorari audiunt, præcipuam reſipiſcentiæ partem ieiunio & fletu metiuntur, tollenda eſt eorum hallucinatio. Quod de conuerſione totius cordis ad Dominum, déque ſciſſione non veſtimentorum ſed cordis illic dicitur, reſipiſcentiæ proprium eſt: fletus autem & ieiunium, non vt perpetua aut neceſſaria eius effecta ſubnectuntur, ſed ſpecialem habent circunſtantiam. Quoniam grauiſſimum Iudæis excidium imminere vaticinatus fuerat, iram Dei ſuadet anteuertere, non tantùm reſipiſcendo, ſed mœroris indicia præ ſe ferendo. Qualiter enim promiſſa barba, impexo capillo, pulla veſte, ſuppliciter ſe demittere ſolet reus ad conciliandam iudicis miſericordiam: ita illos, quum rei agerentur coram Dei tribunali, eius ſeueritatem miſerabili habitu deprecari oportebat. Quanquam autem cinis & ſaccus illis fortè temporibus magis conueniebant: fletus tamen & ieiunii valde opportunum fore inter nos vſum conſtat quoties cladem aliquam aut calamitatem nobis minari viſus fuerit Dominus. Se enim ad vltionem apparari & quodammodo armari denuntiat, vbi periculũ apparere facit. Bene igitur Prophetа, qui ſuos ad fletum & ieiunium, hoc eſt ad reorum mœſtitiam, cohortatur, de quorum flagitiis conſtitutam quæſtionem paulo antè dixerat. Quemadmodum nec malè hodie fecerint Eccleſiaſtici paſtores, ſi dum impendentem ſuorum ceruicibus ruinam vident, ad ieiunium & fletum properandum vociferentur: modò quod eſt præcipuum maiore & intentiore cura & opera ſemper vrgeant, ſcindenda ſcilicet eſſe corda, non veſtimenta. Extra dubium eſt, non ſemper pœnitentiæ cohærere ieiunium, ſed calamitoſis temporibus peculiariter deſtinari. vnde & cum luctu coniungitur à Chriſto, dum Apoſtolos ab eius neceſſitate abſoluit, donec ſua præſentia orbati mœrore conficerentur. de ſolenni ieiunio loquor. Nam piorum vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, vt in toto eius decurſu quædam ieiunii ſpecies continenter appareat. Verùm tota illa res, quia turſus, vbi de Eccleſiæ diſciplina agetur, expedienda erit, nunc parcius à me attingitur. Hoc tamen adhuc inſeram, quum ad hanc externam profeſſionem tranſfertur nomen pœnitentiæ, impropriè à genuino illo ſenſu quem poſui deflecti. Neque enim tam eſt conuerſio ad Deum quàm culpæ confeſsio, cum pœnæ & reatus deprecatione. Sic pœnitentiam agere in cinere & cilicio, nihil aliud eſt quàm teſtari diſplicẽtiam, vbi Deus ob graues offenſas nobis iraſcitur. Atque hæc quidẽ confeſsionis ſpecies publica eſt, qua nos damnãtes corã Angelis & mũdo, præuenimus iudicium Dei. Nam eorum ſegnitiem coarguens Paulus qui peccatis ſuis indulgent, Si iudicaremus noſipſos (inquit) non à Deo iudicaremur. Sed homines facere palàm conſcios & teſtes noſtræ reſipiſcẽtiæ, non ſemper eſt neceſſarium: priuatim autẽ Deo confiteri, pars eſt veræ pœnitentiæ quæ omitti non poteſt. Nihil enim minus conſentaneũ quàm vt peccata ignoſcat Deus, in quibus nobis ipſi blãdimur: & ne in lucẽ proferat, prætegimus per hypocriſin. Nec tãtùm quæ quotidie admittimus peccata fateri cõuenit: verùm grauiores lapſus longius trahere nos debẽt: atque in memoriã reuocare quæ videntur pridẽ ſepulta: quod exẽplo ſuo nobis præſcribit Dauid. Tactus enim recẽtis flagitii pudore, ſeipſum examinat vſque ad matris vterum, & agnoſcit iam tunc fuiſſe corruptum & infectũ carnis labe. neque id vt culpam ſuam extenuet: ſicuti multi in turba ſe occultant, & alios ſecũ inuoluendo, impunitatem captant. Longè Ioel.2.c.12 Mat.9.b.15 Mat.11.c.21 luc.10.c.13 1.Co.11.g.31 Pſal.51.b.7

aliter Dauid, qui ingenuè culpam exaggerat, quòd à prima infantia corruptus, non desierit mala malis cumulare. Alio etiam loco tale præteritæ vitæ examẽ ſuſcipit, vt adoleſcentiæ ſuæ peccatis miſericordiam Dei imploret. Et certè tunc demum ſoporem nobis eſſe excuſſum probabimus ſi gemendo ſub onere, maláque noſtra deflendo, leuationem à Deo petemus. Notandum præterea eſt, pœnitentiam, cui aſſiduè incumbere iubemur, ab ea differre quæ velut à morte excitat qui vel turpius ceciderant, vel effræni licentia ſe proiecerant ad peccandum, vel quadam defectionis ſpecie excuſſerant iugum Dei. Nam Scriptura ſæpe dum hortatur ad pœnitentiam, quaſi tranſitum & reſurrectionem à morte in vitam ſignificat: & dum refert populũ egiſſe pœnitentiã, ab idololatria aliiſque craſſis ſceleribus cõuerſum fuiſſe intelligit. Qua ratione Paulus luctum peccatoribus denuntiat, qui pœnitentiam non egerunt ſuper laſciuiis ſcortatione & impudicitia. hoc diſcrimen diligenter obſeruandum eſt, ne vbi paucos audimus ad pœnitẽtiam citari, nobis ſupina obrepat ſecuritas, quaſi nihil amplius ad nos pertineret carnis mortificatio: cuius curam remittere non permittunt quæ nos ſemper titillãt prauæ cupiditates, & quæ ſubinde pullulant vitia. Specialis ergo pœnitentia quæ à quibuſdam tantùm exigitur, quos Diabolus à Dei timore abreptos exitialibus laqueis implicuit, ordinariam non tollit, cui per totum vitæ curriculum operam dare nos cogit naturæ corruptio.

Pſal.25.b.7

2.Co.12.g.21

19 Porrò ſi verum eſt quod clariſsimè conſtat, totam Euangelii ſummã duobus iſtis capitibus contineri, pœnitentia, & peccatorum remiſsione: ánnon videmus, Dominum ideo gratis ſuos iuſtificare, quo eos ſimul Spiritus ſui ſanctificatione, in veram iuſtitiã inſtauret? Iohannes angelus ante faciem Chriſti miſſus ad vias eius præparandas, prædicabat, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorũ. Ad pœnitẽtiam inuitando, monebat vt ſe peccatores agnoſcerent, ſuáque omnia coram Domino damnata, quo carnis ſuæ mortificationem, ac nouam in Spiritu regenerationem totis votis expeterent. Regnũ Dei annuntiando, ad fidem vocabat. ſiquidem per regnum Dei quod docebat inpropinquo eſſe, remiſsionẽ peccatorum, ſalutem, vitã, & quicquid omnino in Chriſto aſſequimur, ſignificabat. quare apud alios Euangeliſtas legitur, Venit Iohannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſsionem peccatorũ. Quod quid aliud eſt, quàm vt peccatorum mole preſsi & fatigati, ad Dominum ſe conuerterent, ac de remiſsione & ſalute ſpem conciperent: Sic & Chriſtus ſuas cõciones auſpicatus eſt, Appropinquauit regnum Dei: pœnitentiã agite, & credite Euãgelio. Primùm declarat, theſauros miſericordiæ Dei in ſe apertos: deinde pœnitentiam exigit: tum poſtremò fiduciã erga Dei promiſsiones. Itaque quum totam Euangelii ſummã breuiter complecti voluit, dixit ſe oportuiſſe pati, reſurgere à mortuis, prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſsionẽ peccatorum. Id & Apoſtoli poſt eius reſurrectionem prædicarunt, excitatum à Deo, ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſsionem peccatorum. Prædicatur pœnitentia in nomine Chriſti, quum per Euangelii doctrinam audiunt homines ſuas omnes cogitationes, ſuos affectus, ſua ſtudia corrupta & vitioſa eſſe: propterea neceſſe eſſe vt renaſcantur, ſi volunt ingredi in regnum Dei. Remiſsio peccatorum prædicatur, quum docentur homines, Chriſtum ſibi factum eſſe redemptionem, iuſtitiã, ſalutem, & vitã: cuius nomine, gratis in Dei conſpectu iuſti habeantur & innocentes. Vtraque gratia quum fide apprehendatur (vt alibi demonſtratum eſt) quia tamen proprium fidei obiectum eſt Dei bonitas qua peccata remittuntur, eam à pœnitentia diligenter diſtingui operæpretium fuit.

Mat.11.b.10
Matth.3.a.2

Marc.1.a.4
luc.3.a.3

Marc.1.b.15

Luc.24.d.26 & g.46

Act.5.f.31

Rom.1.d.30

20 Porrò vt peccati odium, quod pœnitentiæ exordium eſt, primum nobis ad Chriſti cognitionẽ ingreſſum aperit, qui nullis ſe exhibet niſi miſeris & afflictis peccatoribus, qui gemunt, laborant, onerati ſunt, eſuriunt, ſitiunt, dolore & miſeria tabeſcũt: ita in pœnitentiam ipſam eniti, tota vita in eam incumbere, eam ad vltimum proſequi nos oportet, ſi in Chriſto conſiſtere volumus. Ad peccatores enim vocandos venit, ſed ad pœnitentiam. Miſſus eſt ad benedicendũ indignis: ſed quo ſe cõuertat vnuſquiſque à nequitia ſua. Plena eſt Scriptura eiuſmodi vocibus. Quare vbi peccatorũ remiſsionẽ offert Deus, reſipiſcentiam viciſsim ſtipulari ferè ſolet: innuens ſuam miſericordiam, reſipiſcẽdi cauſam hominibus eſſe debere. Facite, inquit, iudiciũ & iuſtitiã: quia ſalus appropinquauit. Item, Veniet Sioni redẽptor, & iis qui in Iacob reſipiſcunt à peccatis. Item, Quærite Dominũ dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Deſerat impius viã ſuam, & iniquitatem cogitationum ſuarum, & ad Dominum conuertatur: & miſerebitur eius. Item, Conuertimini, & reſipiſcite, vt deleantur peccata veſtra. Vbi tamen adnotandum eſt, non

Iesa.61.a.1
matth.11.a.5
luc.4.c.18

Mat.9.b.13
Act.3.d.26, & 5.f.31

Iesa.56.a.1
Ibidem, 59. d.20
Ibidẽ, 55.b.6

Act.2.f.38

est,non eam conditionem sic apponi quasi emerendæ veniæ fundamentum sit nostra resipiscentia: quin potius(quia in hunc finem hominũ misereri statuit Dominus vt resipiscãt)quò sit tendendũ indicat, si gratiam obtinere volunt. Proinde donec in carcere corporis nostri habitabimus,assiduè nobis cum naturæ nostræ corruptæ vitiis luctãdum est, adeóque cum naturali nostro anima. Dicit aliquoties Plato,vitam Philosophi,meditationem esse mortis. Verius nobis dicere licet,vitam Christiani hominis perpetuum esse studium & exercitationem mortificandæ carnis donec ea planè interempta, Spiritus Dei regnum in nobis obtineat. Quare illum arbitror plurimũ profeciſſe, qui sibi plurimum displicere didicit:non vt in hoc luto hæreat,nec vltrà progrediatur: sed magis vt ad Deũ festinet & suspiret: quò morti vitæque Christi insertus, perpetuam pœnitentiã meditetur:vt certè non aliter possunt,quos genuinum peccati odium tenet. nemo enim peccatum vnquam odit nisi prius iustitiæ amore captus. Hæc sententia, vt erat simplicissima omnium,ita mihi cum Scripturæ veritate optimè consentire visa est. Id cum alibi tum in Phædone multis disputat.

21 Porrò singulare esse Dei donum Pœnitentiam, notius ex superiore doctrina esse arbitror quàm vt longum sermonem retexere opus sit. Itaque beneficium Dei laudat,& miratur Ecclesia,quòd Gentibus dederit pœnitentiã ad salutem: & Paulus Timotheum patientem & mansuetum erga incredulos esse iubens,Siquãdo,inquit,Deus illis det pœnitentiã qua resipiscant à diaboli laqueis. Affirmat quidem Deus se velle omniũ conuersionem:& exhortationes cõmuniter omnibus destinat: efficacia tamen pendet à Spiritu regenerationis. Quia facilius esset creare nos homines,quàm proprio marte induere præstantiorem naturam. Itaque toto regenerationis cursu non absre vocamur Dei figmentum creati ad bona opera quæ præparauit vt in illis ambulemus. Quoscũque eripere vult Deus ab interitu,hos Spiritu regenerationis viuificat: nõ quòd pœnitentia propriè sit salutis causa, sed quia iã visum est inseparabilẽ esse à fide & misericordia Dei:quando, teste Iesaia,venit Sioni redemptor,& iis qui in Iacob reuersi sunt ab iniquitate. Stat quidẽ hoc firmum,vbicunque viget Dei timor,Spiritũ in salutem hominis operatũ esse. Itaque fideles apud Iesaiam,dum queruntur & deplorant à Deo se derelictos, hoc quasi reprobationis signũ ponunt,obdurata fuisse diuinitus corda sua. Apostolus quoque excludere volẽs apostatas à spe salutis,rationẽ asserit,esse impossibile eos renouari ad pœnitentiã:quia scilicet Deus renouans quos perire non vult, signum ostendit paterni fauoris, & quodammodo radiis sereni & læti vultus eos ad se attrahit: rursum obdurationefulminat contra reprobos, quorum irremissibilis est impietas. Quod genus vindictæ Apostolus denuntiat voluntariis apostatis,qui dum à fide Euangelii deficiunt,Deum ludibrio habent,gratiam eius contumelioſè respuunt,profanant ac conculcant Christi sanguinẽ: imò quantum in se est,rursus ipsum crucifigunt. Neque enim,vt volunt quidã præposterè austeri, voluntariis omnibus peccatis spem veniæ præcidit:sed apostasiam docet omni excusatione indignam esse, vt mirũ non sit Deũ inexorabili rigore tam sacrilegũ sui contemptum vlcisci. Impossibile enim esse tradit,eos qui semel illuminati fuerint,gustauerint donũ cæleste,participes facti sint Spiritus sancti, gustauerint bonum Dei verbũ, virtutésque venturi seculi,si prolabantur,rursum renouari ad pœnitentiam, ab integro crucifigentes Filium Dei,& ludibrio exponentes. Itẽ alibi, Si volentes, ait,peccauerimus post acceptam notitiam veritatis,non vltrà pro peccatis reliqua est hostia:sed formidabilis quædã expectatio iudicii,&c. Hi quoque loci sunt ex quorũ praua intelligentia insaniendi materiam olim Nouatiani hauserũt:quorum asperitate offensi boni quidam viri,hãc supposititiam Epistolã crediderunt,quæ omni tamen ex parte Apostolicũ spiritum verè redolet. Quoniam autem nobis contentio non est nisi cum iis qui eam amplexantur, facile est ostendere quàm nihil illæ sententiæ ipsorum suffragentur errori. Primùm necesse est, Apostolum cum magistro suo cõsentire,qui omne peccatũ & blasphemiã remissum iri affirmat, excepto peccato in Spiritũ sanctum,quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittitur. Hac,inquam,exceptione contentum fuisse Apostolũ certum est, nisi volumus illum gratiæ Christi aduersarium facere. Vnde conficitur, nullis singularibus peccatis veniam negari præterquam vni, quod ex desperato furore profectum neque infirmitati ascribi potest,& palàm demonstrat hominem à diabolo esse possessum. Act.11.c.18 2.Tim.2.d.25.26 Ephe.2.b.10 Iesa.50.d.20 Iesa.63.d.17 Heb.6.b.6 Ibidẽ,10.c.29 Ibidẽ,6.a.4 Ibidẽ,10.e.25

22 Vt tamen hoc expectatur, quod sit tam horrendum eiusmodi flagitiũ quod nullam remissionem habiturum est,quærere cõuenit. Quod Augustinus alicubi definit obstinatam ad mortem vsque peruicaciam cum veniæ diffidentia, non satis quadrat ipsis

Christi verbis, Nõ remissum iri in hoc seculo. Nam aut hoc frustra dicitur, aut in hac vita committi potest. Si autem vera est Augustini definitio, non committitur nisi ad mortem vsque perseueret. Quòd alii dicunt, in Spiritum sanctum peccare qui gratiæ in fratrem collatæ inuidet: nõ video vnde sumptum fuerit. Sed veram definitionem afferamus: quæ vbi firmis testimoniis comprobata fuerit, facilè per seipsam omnes alias euertet. Dico igitur in Spiritum sanctum peccare qui diuinæ veritati, cuius fulgore sic perstringuntur vt ignorantiam causari nequeant, tamen destinata malitia resistunt, in hoc tantùm vt resistant. Christus enim explicaturus quod dixerat, continuò subiungit, Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemauerit contra Spiritum, non remittetur. Et Matthæus pro blasphemia in Spiritum, ponit Spiritum blasphemiæ. Quomodo in Filium quis probrum iacere possit quin simul in Spiritum torqueatur? Nempe qui in veritatem Dei incognitam imprudentes impingunt, qui Christo ignoranter maledicunt, hoc interim animo præditi vt patefactam sibi Dei veritatem extinguere nolint, aut quem nouerint esse Christum Domini, verbo vno lædere: illi in Patrem ac Filium peccant. Sic multi sunt hodie, qui Euangelii doctrinam pessimè execrantur: quam si Euangelii esse scirent, toto corde venerari parati essent. Quorum autem conuicta est conscientia, Dei verbum esse quod repudiant atque impugnant, impugnare tamẽ non desinunt: illi in Spiritum blasphemare dicuntur: quandoquidem aduersus illuminationem (quæ opus est Spiritus sancti) luctantur. Tales erant ex Iudæis nonnulli, qui quum resistere Spiritui per Stephanum loquenti non possent, resistere tamen contendebant. Non dubium est quin ex illis multi, Legis zelo ad id raperentur: sed fuisse alios apparet qui malitiosa impietate in Deum ipsum furerent, hoc est in doctrinam quam esse à Deo non nesciebant. Tales & ipsi Pharisæi, in quos Dominus inuehitur, qui Spiritus sancti virtutem vt dissiicerent, Beelzebub nomine infamabant. Hic ergo est Spiritus blasphemiæ, vbi hominis audacia in contumeliam diuini nominis data opera prosilit. Quod innuit Paulus, quum docet se misericordiam consequutum, quòd ignorans ea per incredulitatem commisisset, quorum meritò indignus alioqui fuisset gratia Domini. Sed ignorantia cum incredulitate iuncta fecit vt veniam obtineret, hinc sequitur, non esse veniæ locum vbi scientia ad incredulitatem accessit.

Mat.12.e.31 marc.3.d.29 luc.12.b.10

Act.6.c.10

Mat.9.d.34, & 12.b.24

1.Tim.1.c.13

23 Apostolum verò non de particulari vno lapsu vel altero, sed de vniuersali defectione loqui qua se reprobi à salute abdicant, si bene animaduertas, intelliges. Eos autem implacabilem Deum sentire mirum non est, quos Iohãnes in sua Canonica affirmat non fuisse ex electis à quibus exierunt. Sermonem siquidem in eos dirigit qui religionẽ Christianam se repetere posse imaginabantur, etsi semel ab ea defecerant: quos ab hac falsa & pernicioſa opinione reuocans, dicit quod verissimum est, non patêre iis reditum ad Christi communionem qui eam scientes volentes proiecerint. Proiiciunt autem non qui simpliciter dissoluta vitæ licentia verbum Domini transgrediũtur: sed qui totam eius doctrinam ex professo reiiciunt. Ergo paralogismus est in verbo Prolabendi & Peccandi. quoniam Prolabi Nouatiani interpretantur, siquis Lege Domini, non furandum nec scortandum edoctus, à furto aut scortatione non abstineat. At contrà subesse tacitam antithesin affirmo, in qua repeti debeant contraria omnia iis quæ prius dicta fuerant: vt hîc non particulare aliquod vitium, sed vniuersalis auersio à Deo, & totius (vt ita loquar) hominis apostasia exprimatur. Quum ergo dicit, eos qui prolapsi sint, postquam semel illuminati fuerunt, gustauerunt donum cæleste, participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt etiam bonum Dei verbum, virtutésque venturi seculi: intelligendum est, qui lumen Spiritus deliberata impietate suffocarint, doni cælestis gustum respuerint, à sanctificatione Spiritus se alienarint, verbum Dei & seculi venturi virtutes conculcarint. Ac quo magis exprimeret illam impietatis certam destinationem, alio postea loco nominatim adiecit dictionem, Voluntarié. Nam quum dicit, nullam fieri reliquam hostiam iis qui volentes, post acceptam veritatis notitiam, peccarint, non negat Christum esse perpetuam hostiam, ad expiandas sanctorum iniquitates: (quod tota ferè epistola diserte clamat, inter explicandum Christi sacerdotium) sed nullam aliam restare dicit vbi ab ea discessum est. Discedit autem, abnegata ex professo Euangelii veritate.

Heb.6.a.4

Heb.10.26

24 Quòd autem nimis durum & Dei clementia alienum videtur quibusdam à remissione vllos omnino depelli qui ad implorandam Domini misericordiam confugiant, id facilè diluitur. Non enim denegari veniam dicit si ad Dominum se conuerterint: sed omnino

omnino negat posse ad pœnitentiam surgere: quòd scilicet æterna cæcitate, ob suam ingratitudinem iusto Dei iudicio percussi sint. Neque obstat quòd idem exemplum Esau huc postea accommodat, qui frustra lachrymis & eiulatu tentauerit amissam primogenituram recuperare. Nihilo etiam magis illa Prophetæ cõminatio, Quum clamauerint, non exaudiam. Neque enim talibus loquẽdi formulis aut vera conuersio, aut Dei inuocatio designatur: sed illa impiorũ anxietas, qua in rebus extremis constricti coguntur respicere quod antea securè negligebãt, sibi nihil esse boni, nisi in Domini auxilio. Illud autem non tam implorant, quàm sibi ablatũ esse gemunt. Itaque nihil aliud significat Propheta per clamorem, Apostolus per lachrymas, quàm tormentum illud horribile quod impios ex desperatione vrit & discruciat. Hoc diligenter notare operæpretium est: quia secum alioqui pugnaret Deus, qui per Prophetam clamat, se propitium fore simulac conuersus fuerit peccator. Et (quemadmodum iam dixi) animum hominis in melius mutari nonnisi præueniente illius gratia certum est. De inuocatione etiam nunquam fallet promissio. sed conuersio & precatio impropriè vocatur cæcum illud tormentum quo distrahuntur reprobi, quum Deum sibi quærendum esse vident vt inueniant malis suis remedium, & tamen eius accessum refugiunt.

Zach.7.d.13

Ezech.18.e.20.21

25 Quæritur tamen, quum neget Apostolus ficta pœnitentia placari Deũ, quomodo veniam adeptus sit Achab, & pœnam sibi indictam auerterit: quem tamen nonnisi subito pauore fuisse consternatum ex reliquo tenore vitæ apparet. Induit quidem saccum, aspersus est cinere, iacuit humi, & (quemadmodum testimonium illi redditur) humiliatus est coram Deo: sed parum fuit vestes scindere, quum maneret cor obstipum & malitia turgidum. Videmus tamen vt Deus ad clementiam flectatur. Respõdeo, sic interdum hypocritis parci ad tempus, vt tamen semper illis incumbat ira Dei: idque fieri non tam eorum gratia quàm in commune exemplum. Nam quòd mitigata fuit pœna ipsi Achab, quam inde vtilitatem consequutus est nisi vt eam viuus in terra non sentiret? Ergo Dei maledictio, quanuis recondita, fixam habuit sedem in eius domo: ipse autem in æternum exitium perrexit. Idem videre est in Esau. etsi enim repulsam passus est, tẽporalis tamen benedictio concessa fuit eius lachrymis. Sed quia spiritualis hereditas ex Dei oraculo nonnisi penes vnum ex fratribus residere poterat, dum præterito Esau electus est Iacob, abdicatio illa misericordiã Dei exclusit: solatiũ hoc quasi homini belluino fuit residuum, vt pinguedine terræ & rore cæli saginaretur. Atque id est quod nuper dixi ad exemplum aliorum referri debere, quo alacrius ad sinceram pœnitentiam adiicere animos & studia nostra discamus: quia minimè dubitandum est verè & ex animo conuersis Deum fore ad ignoscendum facilem, cuius clementia se ad indignos vsque extendit, dum aliquid displicentiæ præ se ferũt. Eadem etiam opera docemur quàm horribile iudicium præfractos omnes maneat, quibus Dei minas improba frõte nõ minus quàm corde ferreo sperneuandas eorum clades, quanuis simulati essent eorum clamores, dupléxque & perfidus animus: sicut ipse in Psalmo cõqueritur, statim ad ingenium fuisse reuersos. atque ita voluit tam amica facilitate ad seriam conuersionem eos adducere, vel reddere inexcusabiles. Neque tamen, pœnas ad tempus remittẽdo, perpetuam sibi legem imponit: quin potius seuerius interdũ cõtra hypocritas insurgit & pœnas duplicat, vt inde appareat quantopere ei displiceat fictio. Sed quædam (vt iam dixi) exempla profert suæ ad dandam veniam propensionis, ex quibus pii animentur ad vitæ correctionem, & grauius damnetur eorum superbia qui proteruè aduersus stimulum calcitrant.

2.Reg.g.21.29

Gen.27.f.18.19

Psal.78.d.36.37

Quàm procul absit, Euangelii puritate quicquid de pœnitentia garriunt Sophistæ in suis scholis, vbi de confessione & satisfactione agitur.

CAP. IIII.

NVNC venio ad excutienda ea quæ de pœnitentia scholastici sophistæ tradiderunt, quæ quàm pauciſſimis fieri poterit percurram. quia omnia persequi animus non est: ne hic liber, quem ad docendi compendium aptare studeo, in immensum extrahatur. Et illi rem alioqui non valde implicitam tot voluminibus inuoluerunt, vt non futurus sit facilis exitus si te paulùm in eorum fæces immerseris. Principio, in danda definitione planè ostendunt nunquam se intellexisse quid esset pœnitentia. Arripiunt enim quædam è libris veterum dicteria, quæ vim pœnitentiæ minimè exprimunt: Quòd pœnitere sit anteacta peccata deflere,

Pri.est Gre. & refer.lib. 4.Sent.Dist. 14.cap.1

Sec. Amb. refert. illic, & in Decr. Distin. 3. de pœnitét. c. Pœni. priore. Tert. Aug. refert. ea distin. c. Pœn. post. Quart. Ambros. refert. dist. 1. de pœnit. c. Vera pœnit.

& flenda non committere. Item, quòd sit mala præterita plangere, & plangenda iterum non cõmittere. Item, quòd sit quædam dolens vindicta, puniẽs in se quod dolet commisisse. Item, quòd sit dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit, vel quibus consensit. Hæc enim vt à Patribus benedicta concedamus (quod inficiari tamen contentioso difficile non esset) non tamen in eam partem dicebantur vt pœnitentiam describerent, sed tantùm vt suos hortarentur ne in eadem delicta rursum incidere̅t à quibus extracti erant. Quòd si elogia istiusmodi omnia in definitiones conuertere placet, alia quoque non minori iure assuenda erant. Quale est hoc Chrysostomi, Pœnitentia est medicamentum peccatũ extinguens, donum cælitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. Adde quod doctrina, quam postea tradunt, istis definitionibus est aliquanto deterior. Sic enim sunt in externis exercitiis mordicus infixi, vt nihil aliud ex immensis voluminibus colligas quàm pœnitẽtiam esse disciplinam & austeritatem, quæ partim domandæ carni, partim castigandis puniendísque vitiis seruiat: de interiori mentis renouatione, quæ veram vitæ correctionem secum trahit, mirum silentium. De cõtritione quidem & attritione multus apud eos sermo: multis scrupulis animas torquent: & plurimum molestiæ & anxietatis ingerunt: sed vbi visi sunt corda penitus vulnerasse, leui ceremoniarum aspersione totam amaritudinem sanant. Pœnitentiam tam argutè definitam, in contritionem cordis, cõfessionem oris, satisfactionem operis partiũtur, nihilo magis dialecticè quàm definierunt: etsi videri volunt totam ætatem in syllogismis contexendis detriuisse. Verùm siquis à definitione ratiocinetur (quod genus argumentandi apud dialecticos valet) posse aliquem anteacta peccata deflere, & flenda non committere: posse præterita mala plangere, & plangẽda non cõmittere: posse punire, quod doleret commisisse, &c. quanuis ore non confiteatur: quomodo suam partitionem tuebũtur? Si enim ille verè pœnitens non confitetur, pœnitentia sine confessione esse potest. Quòd si respondeant, hanc partitionem ad pœnitentiam referri quatenus est sacramentum, vel de tota pœnitentiæ perfectione intelligi quam suis definitionibus non comprehẽdunt, non est vnde accuser: sibi ipsi imputent, qui non purius ac dilucidius definiunt. Ego certè pro mea crassitie, quum de re aliqua disputatur, ad ipsam definitionem omnia refero, quæ est totius disputationis cardo ac fundamentum. Sed sit illa magistralis licentia. iã partes ipsas ordine perlustremus. Quòd neglectim quasi friuola tranſilio quæ ipsi graui supercilio pro mysteriis venditant, non facio inscitia: (neque enim mihi valde laboriosum esset excutere quæcunque argutè & subtiliter ipsi existimant à se disputari) sed mihi religio esset fatigare talibus ineptiis lectores absque fructu. Certè de rebus ignotis eos garrire, ex quæstionibus quas mouent & agitant, & quibus miserè se impediunt, cognitu facile est. qualis illa est, An vnius peccati pœnitẽtia Deo placeat, vbi in aliis durat obstinatio. Item, an pœnæ diuinitus inflictæ ad satisfactionem valeant. Item, an sæpius iterari possit pro mortalibus peccatis. vbi turpiter & impiè definiunt nonnisi de venialibus peccatis quotidie agi pœnitentiam. Similiter crasso errore valde se torquent in dicto Hieronymi, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. in quo ostendunt se nunquam à bruto stupore euigilasse, vt millesimam vitiorum suorum partem vel procul sentirent.

Lib. 4. Sent. 16. c. 1. de pœnit. dist. 1. c. Perfecta pœnit.

2 Velim autem animaduertant lectores, non hîc de asini vmbra rixam esse, sed rem omnium maximè seriam tractari: nempe de peccatorum remissione. Quum enim tria ad pœnitentiam requirunt, compũctionem cordis, oris cõfessionem, operis satisfactionem: simul ad impetrandam peccatorum remissionem necessaria esse docent. Siquid autem in tota religione scire nostra refert, id certè refert maximè, nempe intelligere ac probè tenere, qua ratione, qua lege, qua conditione, qua facilitate aut difficultate obtineatur peccatorum remissio. Hæc notitia nisi perspicua certáque cõstat, nullam omnino requiem, nullam cum Deo pacem, nullam fiduciam aut securitatem habere potest conscientia: sed assiduè trepidat, fluctuatur, æstuat, cruciatur, diuexatur, horret, odit, ac fugit conspectum Dei. Quòd si ab his conditionibus pendet peccatorum remissio quibus eam ipsi alligant: nihil nobis miserius nec deploratius. Contritionem, primam obtinendæ veniæ partem faciunt, eámque debitam exigunt, hoc est iustam & plenam: sed interim non constituũt quando securus aliquis esse possit, se hac contritione ad iustum modum defunctum esse. Equidem sedulò & acriter instandum esse fateor, vt quisque amare deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam & odium magis acuat. Hæc enim est non pœnitenda tristitia, quæ pœnitentiam gignit in salutem. sed vbi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini

tudini reſpondeat,& quæ in tutrina appendatur cum fiducia venię:hîc verò miſeræ conſcientiæ miris modis torquentur, & exagitantur, dum ſibi debitam peccatorum contritionem imponi vident,nec aſſequuntur debiti menſuram,vt ſecum decernere poſſint,ſe perſoluiſſe quod debebant.Si dixerint faciẽdum quod in nobis eſt, eódem ſemper reuoluimur.quando enim audebit ſibi promittere quiſpiam, omnes ſe vires contuliſſe ad lugenda peccata?Vbi ergo diu ſecum luctatæ,& longis certaminibus exercitæ conſcientiæ, portum tandem in quo reſideant non inueniunt: vt ſe aliqua ſaltem parte leniant, dolorem à ſe extorquent,& lachrymas exprimunt,quibus ſuam contritionem perficiant.

3 Quòd ſi me calumniari aiunt:prodeant ſanè,& vnum aliquem oſtendant qui huiuſmodi contritionis doctrina vel nõ ſit ad deſperationem adactus:vel ſimulationem doloris,iudicio Dei,pro vero dolore,non oppoſuerit.Diximus & nos quodã loco,nunquam ſine pœnitẽtia obuenire peccatorum remiſſionem,quòd nulli niſi afflicti,& peccatorum conſciẽtia vulnerati,Dei miſericordiam implorare ſyncerè poſſunt:ſed ſimul adiecimus, pœnitentiam non eſſe cauſam remiſſionis peccatorum. Illa autem animarum tormenta ſuſtulimus,quòd debita præſtanda ſit. Peccatorem docuimus non in ſuam compunctionem neque in ſuas lachrymas intueri,ſed vtrunque oculum in ſolam Domini miſericordiam defigere. Tantùm admonuimus, vocari à Chriſto laborantes & oneratos, quando miſſus ſit ad euangelizandum pauperibus,ad ſanandum contritos corde, prædicandum captiuis remiſſionem, ac educendos vinctos, conſolandos lugentes. Quo excluderentur & Phariſæi,qui ſua iuſtitia ſaturi,paupertatem ſuam non agnoſcunt:& cõtemptores, qui ſecuri iræ Dei, malo ſuo remedium non quærunt. Tales enim non laborant, nec onerati ſunt,nec contriti corde,nec vincti, nec captiui. Multum verò intereſt docéáſne emereri peccatorum remiſſionem iuſta & plena contritione (qua nũquam defungi poſſit peccator)an eum inſtituas ad eſuriendam & ſitiendam Dei miſericordiam,quo per miſeriæ ſuę agnitionem,ſuum æſtum,laſſitudinem,captiuitatẽ illi oſtendas vbi quærere refrigerium, requiem,libertatem debeat:illum denique doceas in ſua humilitate dare Deo gloriam.

Mat.11. d.28 Ieſa.61.a.1 luc.4.c.18

4 De confeſſione ſemper ingens fuit pugna inter Canoniſtas & Theologos ſcholaſticos: his contendentibus mandari diuino præcepto confeſſionem: illis reclamantibus, Eccleſiaſticis duntaxat conſtitutionibus præcipi. In eo verò certamine inſignis Theologorũ impudentia apparuit,qui tot locos Scripturę deprauarũt,& vi detorſerunt, quot in rem ſuam citabant.Et quando ne ſic quidem obtineri poſſe viderunt quod poſtulabant, qui arguti volebant præ aliis videri, hoc effugio elapſi ſunt confeſſionem à iure diuino profectam,quantum ad ſubſtantiam:ſed formam poſtea accepiſſe à iure poſitiuo.Nempe ſic qui inter leguleios ſunt ineptiſſimi, citationem ad ius diuinum referunt, quia dictum fit,Adam vbi es? Exceptionem item,quia reſponderit Adam quaſi excipiẽs, Vxor quam dediſti mihi,&c. vtrique tamen formam à iure ciuili datam. Sed videamus quibus argumentis confeſſionem hanc vel formatam vel informem Dei eſſe mandatum probant. Miſit (inquiunt) leproſos Dominus ad Sacerdotes. Quid? miſit ne ad confeſſionem? quis vnquam fando audiuit,audiendis confeſſionibus præfectos Leuiticos ſacerdotes?Confugiunt ergo ad allegorias:Sancitum erat Lege Moſaica vt ſacerdotes diſcernerent inter lepram & lepram: peccatum,ſpiritualis eſt lepra:de hac pronuntiare, Sacerdotum eſt. Antequam reſpondeo, quæro obiter ſi hic locus ſpiritualis lepræ eos iudices facit, cur naturalis & carnalis lepræ cognitionem ad ſe trahunt? Scilicet hoc non eſt Scripturis ludere. Lex cognitionem lepræ defert Sacerdotibus Leuiticis.hanc nobis vſurpemus. Peccatum eſt lepra ſpiritualis. ſimus & peccati cognitores. Nunc reſpondeo: Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt Legis tranſlationem fieri. Omnia ſacerdotia ad Chriſtum tranſlata ſunt, in eo impleta & finita:ad eum igitur vnum ius omne & honor ſacerdotii tranſlatus eſt. Si tantopere amant allegorias ſectari, vnicum Sacerdotem Chriſtum ſibi proponant, & rerum omnium libera iuriſdictione tribunal eius cumulent:facilè id feremus. Adhæc importuna eſt ipſorum allegoria,quæ Legem merè politicam,inter ceremonias reponit. Cur igitur Chriſtus ad Sacerdotes,leproſos mittit? Ne calumniarẽtur Sacerdotes, ipſum Legem violare, quæ iubebat coram Sacerdote repræſentari à lepra curatum, & oblato ſacrificio expiari:iubet mundatos leproſos facere ea quæ Legis erant. Ite, inquit, oſtendite vos Sacerdotibus:& offerte munus quod præcepit Moſes in Lege,vt ſit in teſtimonium ipſis.Et verè futurum erat illis in teſtimonium miraculum hoc: pronuntiauerant eos leproſos, nunc curatos pronuntiant. Nónne velint, nolint, coguntur fieri teſtes miraculorum

Matth.8.a.4 luc.5.c.14,& 17.c.14 Deut.17.b. 8.9

Heb. 7.b.12

Christi? Explorandum illis Christus suum miraculum permittit, diffiteri non possunt: quia autem adhuc tergiuersantur, est illis hoc opus in testimonium. Sic alibi, Prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Item, Ante Reges & Præsides ducemini, in testimonium ipsis. Id est, quò in iudicio Dei fortius conuincantur. Quòd si Chrysostomo acquiescere malunt, ille etiam propter Iudæos à Christo id factum docet, ne Legis præuaricator haberetur. Quãquam in re tam clara suffragium vllius hominis accersere pudet: vbi Christus pronunciat se ius legale relinquere Sacerdotibus integrum, tanquam professis Euangelii hostibus, qui semper ad obstrependum intenti erant, nisi os fuisset occlusum. Quare vt hanc possessionem retineant papales sacrifici, palàm cõcedant in eorum partes quos necesse est vi compesci ne Christo maledicant. Nam ad veros eius ministros nihil hoc pertinet.

Mat.24.b.14
Mat.10.b.18
Homil.12. de muliere Chananæa.

5 Secundum argumentum ex eodem fonte ducunt, hoc est ex allegoria. quasi multum valeant allegoriæ ad dogma aliquod confirmandum. Sed valeant sanè, nisi eas ipsas ostendero speciosius à me obtendi, quàm ab ipsis posse. Dicunt ergo, Dominus discipulis præcepit, vt suscitatum Lazarum fasciis soluerent & expedirent. Hoc primùm mentiuntur: nusquam enim legitur, hoc dixisse Dominum discipulis, éstque multò verisimilius dixisse Iudęis astantibus: quo citra vllam fraudis suspicionẽ euidentius fieret miraculum, & maior sua virtus eluceret, quòd nullo tactu, sua sola voce mortuos suscitaret. Sic equidem interpretor, Dominum, quo omnem siniſtram suspicionem Iudæis tolleret, voluisse illos reuoluere lapidem, fœtorem percipere, certa mortis signa spectare, sola verbi virtute surgentem videre, viuentem primos attrectare. Atque hæc Chrysostomi sententia est. Sed demus hoc dictum discipulis, quid tum obtinebunt? Dominum dedisse Apostolis soluendi potestatem. quanto aptius & magis dextrè hæc allegoricè tractari poterunt, si dicamus hoc symbolo Deum voluisse fideles suos instituere, vt soluerent à se suscitatos: hoc est, ne in memoriam peccata reuocarẽt, quæ ipse oblitus esset: ne ceu peccatores damnarent quos ipse absoluisset: ne adhuc exprobrarent quę ipse condonasset: ne vbi misericors ipse esset, & ad parcendum facilis, ipsi ad puniendum seueri & morosi essent? Certè nihil adignoscẽtiam flectere nos magis debet quàm iudicis exemplum, qui se nimiùm rigidis & inhumanis implacabilem fore minatur. Eant nunc & allegorias suas venditent.

Iohã.11.f.44
Serm.cõtra Iudæos, Gẽtiles & hæret.

6 Iam propius manus conserunt, dum apertis (vt sibi videntur) sententiis pugnant, Qui ad Iohannis baptismum veniebant, confitebantur peccata sua: & Iacobus vult vt alter alteri peccata confiteamur. Nihil mirum si cõfitebantur peccata sua qui volebant baptizari. dictum enim antè est, Iohannem prædicasse Baptismum pœnitentiæ, baptizasse aqua in pœnitentiam. Quos igitur baptizasset, nisi qui se peccatores confessi essent? Baptismus symbolum est remissionis peccatorum: & qui ad hoc symbolum admitterentur, nisi peccatores, & qui se tales agnoscunt? Confitebãtur itaque peccata sua, vt baptizarentur. Nec sine causa præcipit Iacobus vt alii aliis confiteamur. Verùm si animaduerterent quod proximè sequitur intelligerẽt, parum etiam hoc sibi suffragari. Confitemini, inquit, alter alteri peccata vestra, & orate pro inuicem. Mutuam confessionem & mutuam orationem simul iungit. Si solis sacrificulis confitendum est: ergo & pro illis solis orandum. Quid, quòd sequeretur ex verbis Iacobi, solos sacrificulos confiteri posse? siquidem dum vult vt mutuò confiteamur, eos solos alloquitur qui aliorum cõfessionem audire possint. ἀλλήλους, inquit, mutuò, inuicem, vicissim, aut si malunt, reciprocé. Confiteri autem reciprocè nequeunt nisi qui sunt audiendis confessionibus idonei. Qua prerogatiua quando solos sacrificulos dignantur nos quoque confitendi munus ad eos solos ablegamus. Facessant igitur hoc genus nugamẽta, & ipsam Apostoli mentem accipiamus: quæ simplex est & aperta, nempe vt nostras infirmitates vicissim alter in alterius sinum deponamus, mutuum consilium, mutuam compassionem, mutuam inter nos cõsolationem accepturi. Deinde vt fraternis infirmitatibus mutuò conscii, pro illis ad Dominum oremus. Quid ergo contra nos Iacobum citant, qui tantopere cõfessionem misericordiæ Dei vrgemus? Confiteri autem Dei misericordiam nemo potest nisi miseriã suam prius confessus. Quin potius anathema esse pronuntiamus, quicunque non se coram Deo, coram Angelis eius, coram Ecclesia, coram omnibus denique hominibus peccatorẽ confessus fuerit. Omnia enim conclusit Dominus sub peccatum, vt omne os obstruatur, & humilietur omnis caro coram Deo: solus autem ipse iustificetur & exaltetur.

Matth.3.b.6
Iacob.5.d.16
Galat.3.d.22
Rom.3.b.9, & c.19

7 Miror autem qua fronte ausint contendere confessionem, de qua loquuntur, iuris esse di-

esse diuini: cuius equidem vetustissimum esse vsum fatemur: sed quē facilè euincere possumus olim fuisse liberū. Certè nullam de ea statam fuisse legem aut cōstitutionem ante Innocentii tertii tempora, eorum quoque annales narrant. Certè si lex illis fuisset antiquior, potius eam arripuissent quàm contēti Lateranensis cōcilii decreto, pueris quoque ipsis ridiculos se feciſſent. Non dubitāt in aliis rebus excudere fictitia decreta, quæ vetustissimis cōciliis ascribunt, vt ipsa antiquitatis veneratione simpliciū oculos perstringant. In hoc capite talē fallaciam obiicere non venit illis in mentē. Itaque (ipsis testibus) nondum elapsi sunt anni trecenti ex quo iniectus ab Innocentio tertio laqueus, & impositā confitendi necessitas. Atque vt de tempore taceam, sola verborum barbaries fidem legi abrogat. Nā quod iubent boni patres, omnem vtriusque sexus quotannis semel proprio sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepidè excipiunt hoc præcepto teneri solos hermaphroditos, ad neminē verò spectare qui sit vel mas vel fœmina. Crassior deinde insulsitas in discipulis se prodidit, dum explicare nequeunt quid sit proprius sacerdos. Quicquid blaterent omnes conductitii Papæ rabulæ, tenemus neque Christū huius legis authorem esse quæ ad enumerāda peccata homines cogit: imò fluxisse annos mille & ducentos à resurrectione Christi antequā talis vlla lex ferretur. Itaque tyrannidē hanc fuisse demum inuectā quū extincta pietate & doctrina, sine delectu quiduis licentiæ sibi iam sumpsissent laruæ Pastorū. Deinde luculenta testimonia extāt tum in historiis, tum apud antiquos alios scriptores, quæ doceant hanc fuisse politicam disciplinā, ab Episcopis institutam, non legem à Christo aut Apostolis positam. Vnum dūtaxat è multis proferam, quod non obscurum eius rei documentum erit. Refert Sozomenus fuisse hanc Episcoporum cōstitutionem diligenter obseruatā in Ecclesiis occidentalibus, præsertim verò Romæ. Quo significat non fuisse vniuersale omnium Ecclesiarum institutum: vnum autem è Presbyteris peculiariter destinatum fuisse dicit qui huic muneri præesset. Quo abundè confutat quod isti de clauibus vniuerso sacerdotali ordini in hunc vsum promiscuè datis mentiuntur. siquidem non omnium Sacerdotum communis erat functio, sed singulares vnius partes, qui ad id electus ab Episcopo fuerat. Is est quem hodie quoque in singulis cathedralibus Ecclesiis pœnitentiarium vocant, grauiorum criminum, & quorum censura ad exemplum pertinet, cognitor. Subiicit deinde, eum quoque morem Constantinopoli fuisse donec matrona quædam, confitentem simulans, ea specie consuetudinem quam habebat cum Diacono, prætexuisse deprehensa esset. Ob id facinus Nectarius, vir & sanctitate & eruditione clarus, illius Ecclesiæ Episcopus, confitendi ritum abrogauit. Hîc, hîc aures asini isti arrigant. Si Lex Dei erat auricularis confessio, quî ausus esset Nectarius eam refigere ac conuellere? Nectarium sanctum Dei hominem, omnibus veterum suffragiis probatum, hæreseos & schismatis accusabunt? Sed eodem calculo damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi morem non ad tempus modò dissimulatum fuisse, sed ad suam vsque memoriam obsoleuisse affirmat Sozomenus. Imò non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias defectionis reas agant, quæ inuiolabilem (si verum dicunt) legem, & Christianis omnibus mandatam neglexerunt.

Fuit ille Papa 183

Tripar. hist. lib. 9

8 Hanc autem abrogationem tot locis euidenter Chrysostomus testatur, Cōstantinopolitanæ & ipse Ecclesiæ præsul, vt mirum sit istos audere contrà mutire. Peccata, inquit, tua dicito, vt deleas illa. si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua. Nō dico vt confitearis cōseruo tuo, qui exprobret: dicito Deo qui curat ea. Peccata tua super stratum confitere, vt vbi sua mala quotidie conscientia tua recognoscat. Item, Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. cogitatione tua fiat delictorum exquisitio: sine teste sit hoc iudicium: solus Deus te confitentem videat. Itē, Non te in conseruorum tuorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete corā Deo conscientiam tuā, & explica. Ostende Domino, præstantissimo medico, tua vulnera, & pete ab eo medicamētum: ostende ei qui nihil opprobret, sed humanissimè curet. Itē, Certè ne homini dixeris, ne tibi opprobret. neque enim cōseruo est confitendū, qui in publicum proferat: sed Domino (qui tui curam gerit, & qui humanus est, & medicus) ostende vulnera. Postea Deum ita loquentem inducit, Non cogo te in medium prodire theatrū, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatū tuum priuatim, vt sanem vlcus. Dicemúsne Chrysostomum eò progredi temeritatis, quū hæc & similia scribit, vt conscientias hominū liberet his vinculis quibus diuina Lege cōstrin-

Homil. 2. in Psal. 50

Ser. de Pœnitē. & confess.

Homil. 5. de incomprehē. Dei natura, contra Anomœos.

Homil. 4. de Lazaro.

guntur?Minimè veró.ſed quod Dei verbo intelligit nequaquam eſſe præſcriptum,exigere ceu neceſſarium non audet.

9 Verùm,vt res tota planior & expeditior fiat, primùm bona fide referemus quod genus confeſſionis verbo Dei nobis traditũ ſit:deinde & eorum cõmenta ſubiiciemus, non quidẽ omnia(quis enim immenſum illud mare exhauriret?)ſed ea duntaxat quibus ſummam arcanæ ſuæ confeſſionis complectuntur. Hîc cõmemorare piget quàm frequenter vetus interpres verbũ cõfiteri reddiderit pro laudare, quod rudiſſimis idiotis vulgatũ eſt: niſi quod eorum audaciã traduci expedit, dum ad tyrannicũ ſuum edictum tranſferunt quod de laudibus Dei ſcriptum erat. Vt confeſsionẽ probent valere ad exhilarãdas mentes,obtrudunt illud Pſalmi, In voce exultationis & confeſsionis. Atqui ſi talis metamorphoſis valeat,quodlibet nobis ex quolibet naſcetur. Verùm quãdo ita illos depuduit,meminerint pii lectores iuſta Dei vindicta in reprobã mentẽ fuiſſe coniectos,quo magis deteſtabilis eſſet eorum audacia. Quòd ſi nobis in ſimplici Scripturæ doctrina acquieſcere libet,periculũ non erit ne quis talibus fucis nobis illudat.Illic enim vna præſcribitur confitendi ratio,nempe, quando Dominus eſt qui peccata remittit,obliuiſcitur,delet: huic peccata noſtra vt confiteamur,veniæ obtinẽdæ cauſa.Ille medicus eſt:vulnera igitur noſtra illi exponamus.Ille læſus eſt & offenſus:ab illo pacem petamus. Ille eſt cordiũ cognitor,& cogitationum omnium conſcius: coram ipſo corda noſtra effundere properemus. Ille eſt denique qui peccatores vocat,ad ipſum accedere ne moremur. Peccatũ meũ, inquit Dauid,cognitum tibi feci,& iniuſtitiam meam non abſcondi.Dixi,cõfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino:& tu remiſiſti iniquitatem cordis mei. Talis eſt altera ipſius Dauidis confeſsio,Miſerere mei Deus, ſecũdum magnam miſericordiam tuam. Talis & Danielis,Peccauimus Domine,peruerſè egimus,impietates fecimus, & rebelles fuimus,declinando à mandatis tuis. Et aliæ quæ paſsim in Scripturis occurrunt: quarum recitatio volumen ferè impleret.Si confitemur peccata noſtra (inquit Iohannes) fidelis eſt Dominus,vt remittat nobis peccata noſtra.Cui confiteamur?ipſi ſcilicet.hoc eſt,ſi afflicto & humiliato corde coram ipſo procidamus,ſi apud ipſum nos ex animo accuſantes & damnantes,bonitate eius & miſericordia abſolui petamus.

Pſal.42.a.5
Pſal.51.a.5
Pſal.51.a.1
Dan.9.a.5
1.Iohã.1.d.9

10 Qui animo & coram Deo hãc confeſsionem amplexus fuerit, habebit haud dubiè & linguam ad confeſsionem paratam, quoties opus fuerit apud homines Dei miſericordiam prædicare: neque tantùm vt vni & ſemel & in aurẽ cordis ſecretum inſuſurret: ſed ſæpius,ſed palàm, ſed toto orbe audiente, ingenuè & ſuam ignominiam, & Dei magnificentiam ac decus commemoret. In hunc modum,quum Dauid à Nathan arguere-
2.Sam.12.c.13 tur, conſcientiæ aculeo punctus, peccatum & coram Deo & coram hominibus confitetur. Peccaui,inquit, Domino. hoc eſt,Iam nihil excuſo, non tergiuerſor quominus peccatorem me omnes iudicent,& quod clam Domino eſſe volui, hominibus quoque ipſis patefiat. Arcanam ergo illam confeſsionem, quæ Deo fit, ſequitur volũtaria apud homines confeſsio,quoties id vel diuinæ gloriæ,vel humiliationis noſtræ intereſt.Hac ratione
Leui.16.e.21 inſtituit Dominus olim in populo Iſraelitico, vt præeũte verbo à Sacerdote,populus ſuas iniquitates palàm in templo confiteretur. Siquidem hoc adminiculum illis neceſſarium eſſe prouidebat, quo vnuſquiſque melius adduceretur ad iuſtam ſui recognitionem. Et æquum eſt vt miſeriæ noſtræ confeſsione, bonitatem ac miſericordiam Dei noſtri inter nos & coram toto mundo illuſtremus.

11 Hoc verò confitendi genus & ordinarium eſſe in Eccleſia conuenit, & tũc extra ordinem ſingulari modo vſurpari, ſiquando populum communi aliquo delicto obſtringi contigerit.Huius ſecundi generis exemplum habemus in ſolenni illa confeſsione,qua
Nehe.1.c.7 populus vniuerſus auſpiciis ductúque Eſdræ & Nehemiæ defungitur. Nam quum exilium illud diuturnũ, vrbis, ac tẽpli excidium, religionis diſsipatio, communis omnium defectionis fuiſſet pœna,non poterant liberationis beneficium vt par erat agnoſcere, niſi ſe antè reos peragerent.Neque refert ſi in vna cõgregatione pauci aliqui interdum ſint inſontes. quando enim mẽbra ſunt languidi ac malè affecti corporis, non debent ſanitatẽ iactare. Imò fieri non poteſt quin aliqua labe cõtracta aliquid ipſi etiã culpæ ſuſtineãt. Ergo quoties vel peſte vel bello, vel ſterilitate, vel alia qualibet calamitate affligimur: ſi officii noſtri eſt,ad luctũ,ad ieiunium, & alia reatus ſigna confugere: ipſa confeſsio, ex qua alia omnia dependent,minimè eſt negligenda.Ordinariã illam,præterquã quòd ore Domini commendata eſt, nemo ſanus, expenſa eius vtilitate, improbare audeat. Nam quum

quum in omni ſacro conuentu ſiſtamus nos in conſpectum Dei & Angelorum: quod erit aliud initiũ actionis noſtræ, quàm indignitatis noſtræ recognitio? Atqui illa, inquies, fit qualibet precatione. quoties enim precamur veniã, peccata noſtra confitemur Fateor. At ſi conſideres quanta ſit noſtra vel ſecuritas, vel ſomnolentia, vel ſocordia, concedes mihi ſalutare fore inſtitutum, ſi ſolenni aliquo confitendi ritu Chriſtiana plebs ad humiliationem exerceatur. Tametſi enim ceremonia quam Dominus Iſraelitis præcepit, ex Legis pædagogia erat: res tamen ipſa aliquo modo ad nos quoque pertinet. Et ſanè videmus hunc morem in Eccleſiis bene moratis cum fructu obſeruari, vt ſingulis diebus Dominicis miniſter formulam confeſſionis ſuo & populi nominè cõcipiat, qua reos omnes iniquitatis peragit, & veniam à Domino comprecatur. Denique hac claue tam ſingulis priuatim, quàm omnibus publicè aperitur ad precandum ianua.

12 Duas præterea priuatæ confeſſionis formas Scriptura probat. Vnam quæ noſtra cauſa fiat. quò pertinet illud Iacobi, vt alter alteri peccata cõfiteamur. ſentit enim vt noſtras infirmitates alter alteri detegentes, conſilio & conſolatione mutua nos iuuemus. Alteram, quæ in proximi gratiam facienda eſt, ad ipſum placandum, & nobis recõciliandum, ſiqua in re noſtro vitio læſus fuerit. Ac in priore quidem ſpecie, tametſi Iacobus neminem nominatim aſſignando, in cuius ſinum nos exoneremus, liberum permittit delectum, vt ei confiteamur qui ex Eccleſiæ grege maximè idoneus fuerit viſus: quia tamen paſtores præ aliis vt plurimum iudicandi ſunt idonei, potiſſimum etiam nobis eligendi erunt. Dico autem ideo præ aliis appoſitos, quòd ipſa miniſterii vocatione nobis à Domino deſignantur, quorum ex ore erudiamur ad ſubigenda & corrigẽda peccata, tum conſolationem ex veniæ fiducia percipiamus. Quemadmodum enim mutuæ admonitionis & correptionis officium Chriſtianis quidem omnibus demandatum eſt, miniſtris tamen ſpecialiter eſt iniunctum: ſic quum omnes mutuò nos debeamus conſolari, & in fiducia diuinæ miſericordiæ confirmare, videmus tamen miniſtros ipſos, vt de remiſſione peccatorum certiores reddant conſcientias, teſtes eius ac ſponſores cõſtitui. adeò vt ipſi dicantur remittere peccata, & animas ſoluere. Quum audis hoc illis tribui, in vſum tuũ eſſe cogita. Ergo id officii ſui vnuſquiſque fidelium eſſe meminerit, ſi ita priuatim angitur & afflictatur peccatorum ſenſu vt ſe explicare niſi alieno adiutorio nequeat, non negligere quod illi à Domino offertur remedium: nempe vt ad ſe ſubleuandum priuata confeſſionem apud ſuum paſtorem vtatur: ac ad ſolatia ſibi adhibẽda priuatam eius operam imploret, cuius officium eſt & publicè & priuatim populum Dei Euangelica doctrina cõſolari. Verùm ea moderatione ſemper vtendum eſt, ne vbi Deus nihil certum præſcribit, conſcientiæ certo iugo alligentur. Hinc ſequitur, eiuſmodi confeſſionem liberam eſſe oportere, vt non ab omnibus exigatur, ſed iis tantùm commendetur qui ea ſe opus habere intelligent. Deinde ne hi ipſi qui illa vtuntur pro ſua neceſſitate, ad enumeranda omnia peccata vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur: ſed quoad intereſſe ſua putabunt, vt ſolidum conſolationis fructum referant. Hanc Eccleſiis libertatem non modò relinquere, ſed tueri quoque & fortiter vindicare debent fidi Paſtores, ſi volunt & tyrannidem abeſſe à ſuo miniſterio, & à populo ſuperſtitionem.

Iacob.5.d.16

13 De altera autem loquitur Chriſtus apud Matthæum, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & abi, priúſque reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuũ. Sic enim ſarcienda eſt charitas quæ noſtra culpa diſſilierit, culpã quam admiſimus agnoſcendo & deprecando. Sub hoc genere comprehenditur eorum confeſſio qui vſque ad totius Eccleſiæ offenſionem peccarunt. Nam ſi tanti priuatam vnius hominis offenſam æſtimat Chriſtus, vt à ſacris arceat eos omnes qui in fratres aliquid peccarunt, donec iuſta ſatisfactione redierint in gratiam: quanto maior eſt ratio vt qui Eccleſiam læſit malo aliquo exemplo, eam ſibi culpæ agnitione reconciliet? Ita receptus eſt Corinthius ille in communionem, quum ſe obſequentem correptioni præbuiſſet. Hæc etiam forma confitendi in veteri Eccleſia fuit: quemadmodum & Cyprianus meminit. Pœnitentiã, inquit, agunt iuſto tempore: deinde ad exomologeſin veniunt, & per manuum impoſitionem Epiſcopi & cleri, ius cõmunionis accipiunt. Aliam confitendi vel rationem vel formam Scriptura prorſus ignorat. neque noſtrum eſt adſtringere nouis vinculis conſcientias, quas in ſeruitutem redigere Chriſtus ſeueriſſimè vetat. Interim quin ſiſtant ſe Paſtori omnes, quoties ſacram Cœnam participare volunt, adeò non reclamo, vt maximè velim hoc

Mat.5.d.23

2.Cor.2.b.6

Mat.16.c.19
Mat.18.c.18
Iohan.3.c.23

vbique obſeruari. Nam & qui habent impeditam conſcientiam, referre inde poſſunt ſingularem fructum: & qui admonẽdi ſunt, monitionibus locum ita præbent, modò ſemper abſit tyrannis & ſuperſtitio.

14 In tribus illis confeſſionis generibus poteſtas clauium locum habet, vel quum ſolenni recognitione vitiorum ſuorum veniam deprecatur tota Eccleſia: vel quum priuatus, qui aliquo notabili delicto commune offendiculum peperit, pœnitentiam ſuam teſtatur: vel quum is qui ob cõſcientiæ inquietudinem ope miniſtri indiget, ſuam illi infirmitatem aperit. Tollendæ verò offenſionis diuerſa eſt ratio: quia etſi tunc quoque conſcientiæ paci conſulitur, præcipuus tamen finis eſt vt ſublato odio inter ſe vniantur animi vinculo pacis. Sed fructus ille quem dixi, minimè ſpernendus, eſt quo libentius confiteamur peccata noſtra. Quum enim tota Eccleſia velut coram Dei tribunali adſtat, ream ſe confitetur, vnum refugium habet in Dei miſericordia: nõ vulgare aut leue ſolatium eſt habere illic præſentem Chriſti legatum, reconciliationis mandato præditum, à quo denuntiari ſibi abſolutionem audiat. Hîc vtilitas clauium meritò commẽdatur, quum rite, quo ordine & qua religione decet, iſta peragitur legatio. Similiter quum is qui ſe ab Eccleſia quodammodo alienauerat, reſtituitur in fraternam vnitatem accepta venia, quantum beneficium eſt quòd ſibi ab iis ignoſci intelligit quibus dixit Chriſtus, Quibuſcunque remiſeritis peccata in terris, remiſſa in cælo erunt? Nec minoris efficaciæ aut fructus eſt priuata abſolutio, vbi ab iis petitur qui ſingulari remedio ad infirmitatem ſuam ſubleuandam opus habent. Accidit enim nõ rarò vt qui generales promiſſiones audit, quæ ad totam fidelium congregationem deſtinantur, maneat nihilominus in aliqua dubitatione, ac velut remiſſione nondum impetrata, inquietum adhuc animum habeat. Idem ſi paſtori ſuo ſecretum animi vulnus aperuerit, atque illam Euãgelii vocem peculiariter ad ſe directam audierit, Remittuntur tibi peccata tua, confide: animum confirmabit ad ſecuritatem, illáque qua prius æſtuabat trepidatione liberabitur. At verò quũ de clauibus agitur, ſemper cauendum eſt ne facultatem aliquam ſomniemus ab Euangelii prędicatione ſeparatam. Alio iterum loco plenius hæc res explicãda erit, vbi de Eccleſiæ regimine agetur: atque illic videbimus verbo alligatum eſſe quicquid iuris ad ligandum vel ſoluẽdum Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit. Hoc tamen in miniſterio clauium maximè verum eſt, cuius tota vis in eo poſita eſt vt Euangelii gratia, per eos quos Dominus ordinauit, fidelium animis publicè ac priuatim obſignetur: quod fieri, niſi ſola prædicatione, nequit.

Mat. 18. c. 19 Ioh. 20. c. 23

Mat. 9. a. 2

15 Quid Romanenſes theologi? Statuunt vt omnes vtriuſque ſexus, ſtatim atque ad diſcretionis annos peruenerint, ſemel ad minimum quotannis confiteantur omnia ſua peccata proprio ſacerdoti: nec peccatum dimitti niſi confitendi votum firmiter conceptum fuerit. quod votum niſi oblata facultate perſolutum fuerit, iam nullum patere paradiſi ingreſſum. Sacerdotem verò poteſtatem habere clauium, quibus peccatorem ſoluat ac liget. quia nõ ſit irritum Chriſti verbum, Quodcunque ligaueritis, &c. De hac verò poteſtate pugnaciter inter ſe belligerantur. Alii dicũt, vnicam eſſe clauem in eſſentia, ſcilicet poteſtatem ligandi & ſoluendi: ſcientiam ad bonum quidẽ vſum requiri, ſed tantùm inſtar acceſſorii eſſe, non eſſentialiter cohærere. Alii, quia videbant hanc nimium effrænatam licentiam, duas claues recẽſuerunt, diſcretionem & poteſtatem. Alii rurſum, quum tali moderatione cohiberi ſacerdotum improbitatem viderent, alias claues excuderunt, authoritatem diſcernẽdi, qua in definiendo vterentur: & poteſtatem, quã executione ſuæ ſententiæ exercerent: ſcientiam accedere velut cõſiliarium. Iſtud autem ligare & ſoluere nõ audẽt interpretari ſimpliciter, peccata remittere & delere: quia Dominum clamantem audiunt apud Prophetam, Ego ſum, & non alius prẽter me. ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas Iſrael. Sed dicũt Sacerdotis eſſe pronuntiare qui ligati ſint aut ſoluti, & declarare quorum remiſſa aut retẽta ſint peccata: declarare autem, vel per confeſſionem, quum abſoluit, & peccata retinet: vel per ſentẽtiam, quum excommunicat, & recipit ad Sacramentorum communionem. Demum quum intelligunt nondum ſe hoc nodo explicari, quin ſemper obiici poſſit, indignos ſæpe ligari & ſolui à ſuis Sacerdotibus, qui propterea non ligentur aut ſoluantur in cælo: quod vltimum refugiũ eſt, reſpondent, collationem clauium cum limitatione accipiendam eſſe: quòd Chriſtus promiſerit, apud tribunal ſuum approbatum iri ſacerdotis ſententiam, quæ iuſtè prolata fuerit, ſecundum quod merita ligati aut ſoluti poſtulabant. Porrò has claues omnibus ſacerdotibus à Chriſto datas eſſe, quæ illis ab Epiſcopis in promotione conferuntur: ſed liberum vſum penes eos dum-

C. Omnis vtriuſque ſexus. De ſumma trinitate & fide catholica. decretum eſt Innocentii in concilio Lateranen. Refertur li. 4. Sẽten. diſt. 14. cap. 2. Li. 4. Sent. diſt. 18. cap. 2. Mat. 18. c. 19.

Iſa. 43. b. 11 & d. 25.

eos duntaxat esse qui muneribus Ecclesiasticis fungnntur: apud excommunicatos & suspensos manere quidem ipsas claues, sed rubiginosas ac ligatas. Et qui hæc dicunt, modesti ac sobrii iure videri possint præ aliis, qui sub noua incude nouas claues fabricati sunt quibus thesaurum Ecclesiæ obserari tradunt: quas postea suo loco excutiemus.

16 Ad singula paucis respondebo. Taceo autem ad præsens quo iure quáue iniuria fidelium animas suis legibus obstringant: quando id suo loco dispicietur. Quòd autem legem imponunt de omnium peccatorum enumeratione: quòd peccatum dimitti negant nisi sub conditione, si votum confitendi firmiter conceptum fuerit: quòd nullum superesse ingressum Paradisi garriunt, si facultas cõfitendi neglecta fuerit: istud verò nullo modo ferendum est. Omniáne peccata enumeranda sunt? At Dauid, qui secum probè (vt arbitror) meditatus erat peccatorum confessionem, tamen exclamabat, Errores quis intelliget? Ab occultis meis munda me Domine. Et alibi, Iniquitates meæ transierunt super caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt vltra vires meas. Nimirum intelligebat quãta esset peccatorum nostrorum abyssus, quàm multæ scelerum facies, quot capita ferret, & quàm longam caudam traheret hæc hydra. Non ergo ad recensendum catalogum se cõferebat: sed è profundo malorum clamabat ad Dominum, Obrutus sum, sepultus sum & suffocatus: inferorum portæ circundederunt me, immersum alto puteo, deficientem & moribundum manus tua extrahat. Quis suorum peccatorum nunc supputationem cogitet, vbi Dauidem videt suorum numerum inire non posse? Psal. 19. d. 13. Psal. 38. a. 5.

17 Hac carnificina plusquã crudeliter diuexatæ sunt eorum animæ qui aliquo Dei sensu afficiebantur. Principiò sese vocabant ad calculum, peccata in brachia, in ramos, in ramusculos, in frondes, iuxta istorum formulas dissecabant. tum appendebãt qualitates, quantitates, circunstantias. atque aliquantulum quidem res procedebat. Vbi verò longius progressi fuerant, cælum vndique & vndique pontus: nullus portus, nulla statio. quo plura transmiserant, maior semper congeries oculis ingerebatur: imò verò velut altæ moles assurgebant: nec spes vlla, vel saltem post longas ambages, euadẽdi apparebat. Hærebant itaque inter sacrum & saxum: nec alius tandem exitus reperiebatur quàm desperatio. Ibi sæui isti carnifices, vt vulnera leuarent quæ fecerant, fomenta quædam adhibuerunt: vt faceret scilicet quisque quod in se esset. Sed nouæ rursum curæ obstrepebãt, imò noui cruciatus excoriabant miseras animas: Non satis temporis impendi, non iusta opera incubui, multa per negligentiam præterii, & obliuio quæ ex incuria prouenit, non est excusabilis. Suggerebantur adhuc alia pharmaca quæ eiusmodi dolores demulcebant: Age negligentiæ tuæ pœnitentiam, modò supina non sit, condonabitur. Verùm omnia ista cicatricem obducere non possunt: nec tam mali sunt leuamenta quàm venena melle oblita, ne sua acerbitate primum gustum offendant: sed in intima penetrent, antequam sententa tua: nec potest horror iste pacari nisi certo solatio. Hîc cogitent lectores quàm possibile sit ad rationem vocare totius anni acta, & quid singulis diebus peccarint colligere: quãdo experientia vnumquenque conuincit, vbi ad vesperam excutienda sunt vnius tãtùm diei delicta, memoriam cõfundi: tanta se turba & varietas ingerit. Neque enim de crassis & stupidis hypocritis loquor, qui, tribus vel quatuor grauioribus animaduersis, defunctos se putãt, sed de veris Dei cultoribus, qui postquã se examine peracto obrui vidẽt, addunt etiam illud Iohannis, Si cor nostrum arguit nos, maior est Deus corde nostro, itáque expauescunt ad iudicis illius conspectum, cuius cognitio sensum nostrum longè superat. 1. Ioh. 3. d. 20.

18 Quòd autem bona pars orbis talibus blandimentis, quibus tam exitiale venenũ temperabatur, acquieuit, non id factum est quòd Deo satisfactum crederet, aut sibi etiam planè satisfaceret: sed vt, quasi in medio mari fixa anchora, paulum interquiesceret à nauigatione, vel quasi fessus & fatiscens viator, in via decũberet. In facienda eius rei fide nõ laboro. Sibi enim quisque testis apud se esse potest. Dicam in summa qualis lex illa fuerit. Primùm simpliciter est impossibilis. itaque nonnisi perdere, damnare, cõfundere, in ruinam & desperationem coniicere potest. Deinde peccatores, à vero peccatorum suorum sensu abductos, hypocritas facit, Deique ac sui ipsorum ignorãtes. Siquidem, dum in peccatorum enumeratione toti occupantur, interim obliuiscũtur latentem illam vitiorum lernam, occultas suas iniquitates, & interiores sordes, quarum potissimum notitia miseriam suam reputare debuerant. At certissima erat confessionis regula, tantam mali nostri abyssum agnoscere ac fateri, quæ sensum quoque nostrum superet. Hac regula videmus

compoſitam Publicani confeſſionem, Domine, propitius eſto mihi peccatori. Quaſi diceret, Quantus quãtus ſum, totus ſum peccator, nec ipſam peccatorum meorum magnitudinem aut mente aut lingua aſſequi poſſum: abyſſus miſericordiæ tuæ hanc peccati abyſſum abſorbeat. Quid, inquies, ergóne confitenda non ſunt ſingula delicta? ergo nulla confeſſio Deo accepta, niſi duobus iſtis verbis concluſa, Peccator ſum? Imò verò danda potius opera vt quantum in nobis eſt totum cor effundamus coram Domino: nec modò nos peccatores vno verbo fateamur, ſed vt tales nos verè & ex animo agnoſcamus: quanta ſit & quàm varia peccatorum labes, tota cogitatione recognoſcamus: non modò nos immundos, ſed qualis ſit & quanta, quámque in multis partibus noſtra immũdities: non modò debitores, ſed quantis debitis grauati, & quot nominibus obſtricti: non modò vulneratos, ſed quàm multis & lethalibus plagis ſaucii ſimus. Hac tamẽ recognitione quum ſe totum peccator coram Deo effuderit, ſeriò ac ſincerè cogitet plura adhuc reſtare, ac profundiores eſſe malorum ſuorum receſſus quàm quos penitus excutere poſſit. Atque adeò exclamet cum Dauide, Errores quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Pſal.19.d.13

Iam verò quòd affirmant non dimitti peccata, niſi voto confitendi firmiter concepto, & clauſam eſſe paradiſi portam ei qui facultatem confitẽdi ſibi oblatam neglexerit, abſit vt iſtud eis concedamus. Non enim alia nunc eſt peccatorum remiſſio quàm ſemper fuit. Quotquot remiſſionem peccatorum à Chriſto obtinuiſſe leguntur, non leguntur in aurem ſacrificuli cuiuſpiam confeſſi. Nec ſanè confiteri poterant, vbi nec ſacrificuli confeſſionarii erant, nec ipſa etiam confeſſio. Et multis poſtea ſeculis inaudita fuit hæc cõfeſſio, quibus ſine hac conditione remittebantur peccata. Sed ne quaſi de re dubia longius diſceptemus, verbum Dei apertum eſt, quod æternum manet: Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Huic verbo qui aliquid audet adiicere, non peccata ligat, ſed Domini miſericordiam. Nam quòd contẽdunt non poſſe ferri iudicium niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio, temere hoc ſibi arrogare qui ſunt à ſeipſis iudices creati. Ac mirum eſt tam ſecurè ſibi fabricare principia quæ nemo ſanæ mentis admittet. Iactant ſibi ligandi & ſoluendi munus eſſe mandatũ, acſi quædam eſſet iuriſdictio quæſtioni adiuncta. Porrò hoc ius Apoſtolis fuiſſe incognitum tota eorum doctrina clamat. Nec verò certò ſcire ſoluatúrne peccator, ad ſacerdotẽ pertinet, ſed ad eum à quo petitur abſolutio: quando nũquam ſcire poteſt qui audit, ſitne iuſta & integra enumeratio. Ita nulla eſſet abſolutio, niſi ad verba eius qui iudicãdus eſt reſtricta. Adde quòd tota ſoluendi ratio ex fide & pœnitentia conſtat: quæ duæ res cognitionem hominis fugiunt, vbi de altero ferenda eſt ſententia. Sequitur ergo ligandi & ſoluendi certitudinem non ſubiici terreni iudicis arbitrio: quia miniſter verbi, vbi partes ſuas rite exequitur, non poteſt niſi cõditionaliter abſoluere: ſed in gratiam peccatoris hoc dici, Quorũ remiſeritis peccata: ne dubitent veniã, quæ promittitur ex Dei mandato & voce, in cælis fore ratam. Ezech.18.e.21

19 Nihil itaque mirum ſi auricularem iſtam confeſſionem, rem adeò peſtilentem tótque nominibus Eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam è medio cupimus. Quòd ſi per ſe res eſſet indifferens, quando tamen nulli vſui eſt nec fructui, tot autem impietatibus, ſacrilegiis, erroribus cauſam dedit: quis non protinus abolendam cenſeat? Recenſent quidem aliquot vſus, quos vt valde fructuoſos venditant: ſed illos aut mentitos, aut nullius prorſus momenti. Vnum tantùm ſingulari prærogatiua commendant, erubeſcẽtiam confitentis grauem eſſe pœnam, qua & peccator fit in poſterũ cautior, & Dei vindictam anteuertit, ſeipſum puniens. Quaſi non ſatis magna verecundia hominem humiliemus, dum ad ſummum illud tribunal cæleſte, ad Dei, inquam, cognitionem vocamus. Egregiè verò profectum eſt ſi vnius hominis pudore peccare deſinimus, Deum non erubeſcimus habere malæ conſcientiæ noſtræ teſtem. Quanquam id quoque ipſum falſiſſimũ eſt. nulla enim re fieri maiorem peccandi confidentiam aut licentiam paſſim videre eſt, quàm dum, confeſſione ſacerdoti facta, homines exiſtimant ſe poſſe tergere os, & dicere, non feci. Nec toto ſolùm anno fiunt ad peccandum audaciores: ſed in reliquum anni tempus de confeſſione ſecuri, nunquam ad Deum ſuſpirant, nunquam ad ſe redeunt, ſed peccata peccatis accumulant: donec omnia, vt opinantur, ſimul euomant. Vbi autẽ euomuerunt, ſarcina ſua exonerati ſibi videntur, iudiciúmque à Deo tranſtuliſſe quod ſacerdoti detulerunt: Deo obliuionem induxiſſe, vbi conſcium ſacerdotem fecerint. Porrò quis confeſſionis diem lætus inſtare videt? quis ad confitendũ alacri animo pergit? ac nõ potius, quaſi obtorto collo in carcerem trahatur, inuitus ac reluctanti ſimilis venit? niſi fortè ipſi ſacrificuli

ficuli,qui mutuis facinorum ſuorum narrationibus,quaſi iocoſis fabulis, ſe delicatè oblectant.Nonmultas chartas inficiam referendis prodigioſis abominationibus,quibus ſcatet auricularis confeſſio. Tantùm dico, ſi non inconſultè fecit ſanctus ille vir, qui ob vnum ſcortationis rumorẽ, confeſſionem ex eccleſia ſua, vel potius à ſuorum memoria ſuſtulit: infinitis hodie ſtupris,adulteriis,inceſtis,lenociniis,quid facto opus ſit admonemur.

20 Quod huc obtendunt poteſtatem clauium,& in ea regni ſui proram (vt aiunt)& puppim confeſſionarii locant,videndum quantũ valere debet.Ergo ſine cauſa(inquiunt) datæ ſunt claues? ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt Mat.18. c.18
ſoluta & in cælis?Fruſtramur ergo verbum Chriſti?Reſpondeo,grauem fuiſſe cauſam cur darentur claues:quemadmodum & nuper expoſui,& vbi de excommunicatione agetur, explicatius iterum docebo. Sed quid, ſi vno gladio eiuſmodi omnibus eorum poſtulatis anſam præcîdam,ſacrificulos nõ eſſe Apoſtolorum vicarios nec ſucceſſores? Verùm iſtud quoque alibi tractãdum erit. nunc, vnde ſe munire maximè volunt,arietem erigunt quo molitiones omnes ſuæ deiiciantur.Chriſtus enim non antè Apoſtolis ligandi & ſoluendi poteſtatem fecit quàm eos Spiritu ſancto donauit. Nego igitur vllis competere clauium poteſtatem, qui non prius acceperint Spiritum ſanctum. Nego quenquam clauibus vti poſſe niſi præeunte docentéque Spiritu ſancto, & dictante quid agendum ſit. Spiritum ſanctum habere ſe illi nugantur: ſed re ipſa negant. niſi fortè Spiritum ſanctum rem eſſe vanam & nihili fingunt,vt certè fingunt: ſed illis non credetur. Atque hæc quidem machina in vniuerſum ſubuertuntur,vt cuiuſcunque oſtii clauem ſe habere iactent, ſemper interrogandi ſint habeántne Spiritum ſanctum, qui clauium eſt arbiter & moderator. Si habere ſe reſpondeant, rurſum interpellandi ſunt an errare poſſit Spiritus ſanctus. Iſtud diſertè profari non audebunt, tametſi obliquè ſua doctrina inſinuant. Inferendum ergo erit, nullos ſacrificulos habere clauium poteſtatem, qui paſſim ſine delectu ſoluunt quæ ligari Dominus voluerat,ligant quæ ſolui iuſſerat.

21 Quando clariſſimis experimentis euinci ſe vident,quòd dignos & indignos promiſcuè ſoluãt & ligent,poteſtatem vſurpant ſine ſcientia. Et quanquam negare non audent ad bonum vſum requiri ſcientiam, poteſtatem tamen ipſam malis diſpenſatoribus traditam ſcribũt. Atqui hæc poteſtas eſt, Quodcunque ligaueris aut ſolueris in terra, erit in cælis ligatum aut ſolutum. Aut promiſſum Chriſti mentiri oportet, aut bene ligant & ſoluunt qui ſunt hac poteſtate præditi. Nec eſt quòd tergiuerſentur,Chriſti dictum limitari ſecũdum eius merita qui ligatur aut ſoluitur. Et nos etiam fatemur nec ligari nec ſolui poſſe niſi dignos qui ligentur aut ſoluantur. Sed habent Euangelii nuntii & Eccleſia verbum quo dignitatem hanc metiantur. In hoc verbo nuntii Euangelii poſſunt omnibus remiſſionem peccatorum in Chriſto polliceri per fidem: poſſunt damnationem edicere in omnes & ſuper omnes qui Chriſtum non amplectuntur. In hoc verbo Eccleſia pronuntiat,ſcortatores,adulteros,fures,homicidas,auaros, iniquos partem in regno Dei 1.Cor.6.b.9
non habere:taléſque certiſſimis vinculis ligat.Eodem verbo ſoluit quos reſipiſcentes conſolatur.Sed quæ erit iſthæc poteſtas,neſcire quid ligandum ſit aut ſoluendum? ligare autem non poſſe aut ſoluere,niſi ſcias? Cur ergo dicunt ſe abſoluere authoritate ſibi data, quum incerta ſit abſolutio?quò nobis imaginaria hæc poteſtas,ſi nullus ſit vſus? Iam autem habeo,aut nullum eſſe,aut tam incertum eſſe vt pro nullo habendus ſit.Quum enim fateantur bonam eſſe ſacerdotum partẽ qui non rite vtantur clauibus, poteſtatem verò ſine legitimo vſu inefficacem: quis mihi fidem faciet, eum à quo ſoluor bonum eſſe clauium diſpenſatorem? quòd ſi malus eſt, quid aliud habet quàm friuolam iſtam diſpenſationem? Quid in te ligandum ſit aut ſoluendum, neſcio; quando iuſto clauium vſu careo: ſed ſi mereris, te abſoluo. Ac tantundem poſſet, non dico laicus (quando id æquis auribus non ferrent) ſed Turca, aut Diabolus. Id enim eſt dicere; Verbum Dei non habeo, certam ſoluendi regulam: ſed authoritas mihi data eſt te abſoluendi, ſi ita ſunt tua merita. Videmus igitur quorſum ſpectarint, quum diffinierunt, claues eſſe authoritatem diſcernendi, & executionis poteſtatem: ſcientiam accedere conſiliarium, & inſtar conſiliarii ad bonum vſum eſſe. Nempe libidinoſè, licenter, ſine Deo & verbo eius voluerunt regnare.

22 Si excipiat quiſpiam, legitimos Chriſti miniſtros non minus perplexos fore in ſuo officio,quia abſolutio quæ à fide pendet ſemper ambigua erit:deinde nullũ peccatoribus aut frigidum ſolatium fore quia miniſter ipſe qui idoneus iudex non eſt eorum fidei, de

eorum absolutione certus non est:in promptu est solutio. Dicunt enim illi,non remitti à sacerdote peccata nisi quorum ipse est cognitor. ita secundum eos remissio ex sacerdotis iudicio pendet. qui nisi prudenter discernat quinam venia digni sint, tota actio cassa est ac irrita.Denique potestas de qua loquuntur,iurisdictio est examini annexa, ad quod restringitur venia & absolutio.In hac parte nihil firmum reperitur: imò profunda est abyssus:quia vbi integra non est confessio, mutila etiam est spes veniæ. deinde sacerdos ipse suspensus hæreat necesse est,dum nescit an bona fide enumeret peccator sua mala:postremò (quæ insciticia & ruditas sacerdotum est) maior pars ad hoc munus exercendum nihilo aptior est quàm sutor ad agros colendos: alii ferè omnes sibi meritò suspecti esse debẽt. Hinc igitur perplexitas & dubitatio de absolutione papali, quòd eam fundatam esse volunt à sacerdotis persona: neque id modò,sed à cognitione, vt tantùm de rebus delatis, quæsitis & compertis iudicet. Iam siquis à bonis istis doctoribus quærat, reconcilietúrne Deo peccator,peccatis quibusdam remissis,non video quid respondeant:nisi quòd fateri cogentur infructuosum esse quicquid pronuntiat sacerdos de remissis peccatis, quorum recitationem audierit,quandiu alia non eximuntur à reatu. Ex parte confitentis, quàm pernitiosa anxietas conscientiam deuinctam teneat, hinc patet, quòd dum recumbit in sacerdotis discretionem,vt loquũtur, nihil ex verbo Dei statuere potest.Ab his omnibus absurdis libera & immunis est doctrina quam tradimus.Conditionalis enim est absolutio vt confidat peccator sibi propitium esse Deum, modò syncerè in Christi sacrificio expiationem quærat,& acquiescat oblatæ sibi gratiæ. Ita errare non potest qui pro officio præconis,quod sibi ex Dei verbo dictatum est,promulgat.Peccator verò certam & liquidam absolutionem amplecti potest, vbi simplex illa conditio apponitur de amplexanda Christi gratia,secundum generalem illam magistri ipsius regulam,quæ impiè spreta in papatu fuit,Secundum fidem tuam fiat tibi.

Mat.9.d.29

23 Quàm insulsè misceant quæ de clauium potestate docet Scriptura, promisi me alibi dicturum: & locus erit opportunior in tractando regimine Ecclesiæ. Meminerint tamen lectores præposterè ad auricularem & secretam confessionem torqueri quæ partim de Euangelii prædicatione,partim de excommunicatione à Christo dicta sunt.Quare dũ obiiciunt,ius soluendi datum esse Apostolis,quod sacerdotes exerceãt, peccata sibi agnita remittẽdo, falsum & friuolum principium sumi palàm est:quia absolutio quæ fidei seruit, nihil aliud est quàm testimonium veniæ ex gratuita Euangelii promissione sumptũ. altera autem quæ ex disciplina Ecclesiæ pẽdet,nihil ad secreta peccata,sed ad exemplum magis pertinet, vt tollatur publica Ecclesiæ offensio. Quòd autem hinc inde testimonia corradunt quibus probent non sufficere vel soli Deo vel laicis confiteri peccata, nisi sacerdos sit cognitor,putida ac pudenda est eorum diligentia.Nam siquando peccatoribus suadent vetusti patres vt se exonerent apud suum pastorem, de recitatione accipi nõ potest quæ tunc in vsu non fuit.Deinde,vt sinistri fuerunt Lombardus & similes, videntur data opera libris adulterinis fuisse addicti,quorum prætextu deciperent simplices. Rectè quidem fatentur, quia pœnitentiam semper comitatur solutio, nullum propriè vinculum manere vbi quis pœnitentia tactus est, quanuis nondum confessus fuerit: ideóque tunc sacerdotem non tam remittere peccata quàm pronuntiare & declarare remissa esse. Quanquam in verbo declarandi crassum errorem insinuant, ceremoniam subrogantes in locum doctrinæ. Quòd autem attexunt, in facie Ecclesiæ absolui qui iam coram Deo veniam adeptus erat, intempestiuè trahunt ad peculiarem cuiusque vsum, quod iam diximus communi disciplinæ esse destinatum vbi tollenda est grauioris & notæ culpæ offensio.Sed paulo pòst moderationem peruertunt & corrumpunt,addẽtes alium modum remittendi:nempe cum iniunctione pœnæ & satisfactionis.in quo suis sacrificiis ius arrogant dimidiandi quod Deus vbique in solidum nobis promisit. Quum enim simpliciter pœnitentiã & fidem exigat, partitio hæc vel exceptio prorsus sacrilega est. Perinde enim valet acsi sacerdos, tribuni personam sustinens, Deo intercederet nec vellet Deum pati mera sua liberalitate in gratiam recipere nisi qui ad tribunitium subsellium prostratus iacuerit,illícque sit mulctatus.

24 Tota huc summa redit.si Deum facere velint confessionis huius fictitię authorẽ, eorum vanitatem coargui:sicuti mõstraui falsarios in paucis quos citant locis. Quũ verò palàm sit legem esse ab hominibus impositam, dico & tyrãnicam esse & cum Dei iniuria latam,qui verbo suo conscientias astringens, vult ab hominum imperio solutas esse. Iam quum

quum ad obtinẽdam veniam neceſſitas eius rei præſcribitur quam Deus voluit eſſe liberam, dico ſacrilegium eſſe minimè tolerabile. quia nihil Deo magis proprium, quàm peccata remittere, in quo nobis ſita eſt ſalus. Adhæc oſtendi inuectam demum fuiſſe hanc tyrannidem, quum fœda barbarie oppreſſus eſſet mundus. Docui præterea legem eſſe peſtiferam qua vel in deſperationem pręcipitat miſeras animas, vbicũque viget Dei timor: vel, vbi eſt ſecuritas inanibus blãditiis demulcens, magis hebetat. Poſtremò expoſui quaſcunque afferunt mitigationes non aliò tendere niſi vt inuoluant, obſcurent ac deprauent puram doctrinam, fucoſis autem coloribus impietates tegant.

25 Tertium locũ ſatiſfactioni in pœnitentia aſſignant, de qua quicquid blaterãt, vno verbo ſubuerti poteſt. Dicunt non ſufficere pœnitẽti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de iis quæ facta ſunt ſatiſfaciat Deo. Eſſe autem multa adminicula, quibus peccata redimamus: lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia. Iis Dominũ propitiandũ, iis debita iuſtitiæ Dei perſoluenda, iis compenſanda delicta, iis veniam emerendam. quanuis enim largitate miſericordię culpam remiſerit, pœnam tamen retinere diſciplina iuſtitiæ. hanc eſſe pœnã quæ ſatiſfactionibus redimenda ſit. In hãc tamen ſummam recidunt omnia, nos quidẽ à Dei clemẽtia delictorũ veniã impetrare, ſed intercedente merito operũ, quibus peccatorũ noxa compẽnſetur, quo debita iuſtitię Dei ſatiſfactio perſoluatur. Talibus mẽdaciis oppono gratuitã peccatorũ remiſſionẽ, qua nihil in Scriptura clarius prædicatur. Primùm, quid eſt remiſſio niſi meræ liberãlitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui nulla ſolutione, vltrò ſua beneficẽtia nomen expũgit. Cur deinde gratis additur, niſi ad tollendam omnem ſatiſfactionis opinionem? Qua igitur confidentia ſuas ſatiſfactiones adhuc erigunt, quæ tam valido fulmine proſternũtur? Quid autem? quum Dominus per Ieſaiam clamat, Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non ero memor: ánnon apertè denuntiat, cauſam & fundamẽtum remittendi à ſola ſua bonitate ſe petere? Pręterea quum Scriptura vniuerſa teſtimonium Chriſto deferat, quòd per nomen eius ſit accipiẽda peccatorũ remiſſio, nónne alia omnia nomina excludit? Quomodo igitur per ſatiſfactionũ nomen accipi docent? Neque verò hoc ſe dare ſatiſfactionibus negent, etiam ſi ipſæ intercedant quaſi ſubſidia. Nam quòd Scriptura ait Per nomen Chriſti, intelligit nihil nos afferre, nihil noſtrum prætẽdere, ſed ſola Chriſti commendatione niti. quemadmodum Paulus aſſerẽs, quòd Deus erat mundum ſibi in Chriſto reconcilians, non imputans propter ipſum hominibus delicta, modum rationẽmque mox ſubiicit, quia pro nobis factus eſt peccatum qui peccati expers erat.

Lib. 4. Sent. Diſt. 10. c. 4. c. non ſufficit. de pont. c. med. eadẽ diſt. C. nullus. eadem diſt.

Ieſa. 52. a. 3 Rom. 5. b. 8 Coloſ. 2. c. 14 Tit. 3. b. 5

Ieſa. 43. d. 25

Act. 10. g. 43

2. Cor. 5. d. 19

26 Verùm qua ſunt peruerſitate, & peccatorũ remiſſionem, & reconciliationem fieri ſemel dicunt, quum in gratiã Dei per Chriſtum in Baptiſmo recipimur: poſt baptiſmum, reſurgendum eſſe per ſatiſfactiones. ſanguinẽ Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per clades Eccleſiæ diſpẽſatur. Nec de re dubia loquor, quũ ſuam inpuritatem clariſſimis ſcriptis prodiderint: nec vnus aut alter, ſed vniuerſi ſcholaſtici Nam ipſorum magiſter, poſtquam Chriſtum in ligno pœnam peccatorum ſoluiſſe, iuxta Petri doctrinam, confeſſus eſt: ſubiuncta illico exceptione ſententiam illam corrigit, quòd in Baptiſmo omnes peccatorum pœnæ temporales relaxantur: ſed poſt baptiſmum, pœnitentiæ beneficio minorantur: vt ita ſimul cooperetur crux Chriſti & noſtra pœnitentia. Sed longè aliter Iohannes, Siquis peccauerit, ait, habemus aduocatum apud Patrem, Ieſum Chriſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Scribo vobis filioli: quia remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Certè fidelibus loquitur, quibus dũ Chriſtum proponit peccatorũ propitiationem, non aliam eſſe ſatiſfactionem oſtendit qua offenſus Deus propitiari placarívé poſſit. Non dicit, Semel vobis per Chriſtum reconciliatus eſt Deus, nunc vobis alias rationes quęrite: ſed perpetuũ facit aduocatum, qui ſua interceſſione in Patris gratiã nos ſemper reſtituat: perpetuã propitiationẽ, qua peccata expientur. Eſt enim illud perpetuò verũ, quod alter Iohannes dicebat, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tollit (inquã) ipſe, non alius. hoc eſt, quando ipſe ſolus eſt Agnus Dei, ſolus quoque oblatio eſt pro peccatis, ſolus expiatio, ſalus ſatiſfactio. Nam quum ius & poteſtas ignoſcendi propriè cõpetat in Patrem, vbi à Filio diſtinguitur vt iam viſum eſt: in altero gradu Chriſtus hîc locatur, quod pœnam nobis debitam in ſe tranſferens, reatum noſtrum deleuerit coram Dei iudicio. Vnde ſequitur, non aliter nos fore participes expiationis à Chriſto peractę, niſi apud eum reſideat honor ille quem ſibi rapiunt qui Deum placare tentant ſuis compenſationibus.

Lib. 3. Sent. diſt. 9

1. Pet. 2. d. 24 2. Tim. 1. c. 9

1. Iohã. 2. a. e & b. 12

Iohã. 1. e. 36

27 Ac duo hîc perpendere conuenit: vt integer & illibatus ſuus honor Chriſto ſeruẽtur: vt conſciẽtiæ de peccati venia ſecuræ, pacem apud Deum habeant. Ieſaias ait, Patrem poſuiſſe in Filium noſtras omnium iniquitates, vt liuore eius ſanemur. Quod aliis verbis repetẽs Petrus ait, Chriſtum pertuliſſe in corpore ſuo peccata noſtra ſuper lignum. Paulus ſcribit damnatum eſſe peccatum in eius carne, quum pro nobis peccatum factus eſt: hoc eſt vim & maledictionem peccati in eius carne interemptam, quum in hoſtiam datus eſt, in quam tota peccatorum noſtrorum moles, cũ ſua maledictione & execratione, cum horrendo iudicio Dei, & mortis damnatione, reiiceretur. Hîc nequaquam audiuntur nugamenta illa: quòd poſt initialem purgationem, paſſionis Chriſti efficaciam nõ aliter noſtrûm vnuſquiſque ſentiat quàm pro ſatiſfactoriæ pœnitentię modo: ſed ad vnicam Chriſti ſatiſfactionem, quoties lapſi fuerimus, reuocamur. Nunc tibi peſtilentes eorũ nænias propone. Gratiam Dei in prima peccatorum remiſſione ſolam operari: ſi poſtea ceciderimus, ad ſecundam veniam impetrandam opera noſtra cooperari. Hæc ſi locum habeant, ánne quæ Chriſto ſuperius ſunt attributa, illi ſalua manent? Immanè quãtum hæc differunt, iniquitates noſtras poſitas eſſe in Chriſto vt in ipſo expiarentur, & noſtris operibus expiari: Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, & Deum operibus propitiandum. Quòd ſi de pacificanda conſcientia agitur: quæ iſtæc erit pacificatio, ſi audiat peccata redimi ſatiſfactionibus? quando tandem illi ſatiſfactionis modus cõſtare poterit? Ergo ſemper dubitabit an Deum habeat propitium, ſemper æſtuabit, ſemper horreſcet. Nam qui leuibus ſatiſfactiunculis acquieſcunt, nimis contemptim iudicium Dei æſtimãt: & parum reputant quanta ſit peccati grauitas: vt alibi dicemus. Et vt ipſis concedamus, peccata aliquot iuſta ſatiſfactione redimere, quid tamen facient vbi tot peccatis obruuntur, quorum ſatiſfactionibus nec centum vitæ, vel ſi totę in hoc ſint, ſufficere queant? Adde quòd loci omnes quibus aſſeritur peccatorum remiſſio, non ad catechumenos pertinẽt, ſed ad regenitos Dei filios, & qui in Eccleſię ſinu fuerũt diu nutriti. Legatio illa quam tam ſplendidè extollit Paulus, Obſecro vos Chriſti nomine, reconciliamini Deo: non ad exteros dirigitur, ſed ad eos qui pridem regeniti fuerant. Atqui ſatiſfactionibus valere iuſſis, ad Chriſti crucem eos ablegat. Sic quum ſcribit Coloſſenſibus Chriſtum pacificaſſe per ſanguinem crucis quæ ſunt in cælo vel in terra, non reſtringit hoc ad momentum quo recipimur in Eccleſiam, ſed ad totum curſum extendit. Quod facilè ex contextu patet, vbi dicit fideles habere redemptionem per ſanguinem Chriſti, nempe remiſſionem peccatorum. Quanquam plures locos congerere ſuperuacuum eſt qui ſubinde occurrunt.

Ieſa.53.a.4, & b.6

1.Per.2.d.24
Rom.8.a.3
Galat.3.b.13

2.Cor.5.d.20

Coloſſ.1.c. 20

28 Hîc in aſylum confugiunt ineptæ diſtinctionis, Peccata quædam venialia eſſe, quædam mortalia: pro mortalibus grauem ſatiſfactionem deberi: venialia facilioribus remediis purgari, oratione Dominica, aquæ benedictæ aſperſione, abſolutione Miſſæ. Sic cum Deo ludunt & ineptiunt. Quum tamen aſſiduè peccatum veniale & mortale in ore habeant, nondum alterum ab altero diſcernere potuerunt, niſi quòd impietatem & immunditiem cordis, peccatum veniale faciunt. Nos autem (quod Scriptura iuſti & iniuſti regula docet) peccati ſtipendium pronuntiamus eſſe mortem: & Animam, quæ peccauerit, morte dignam. Cæterùm fidelium peccata venialia eſſe: non quia non mortem mereantur, ſed quia Dei miſericordia, nulla eſt cõdemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu: quia non imputantur, quia venia delentur. Scio quàm iniquè doctrinã hanc noſtram calumnientur. dicunt enim paradoxũ eſſe Stoicorũ, de peccatorum æqualitate: ſed ſuo ipſorum ore nullo negotio conuincentur. Quæro enim, annon inter ea ipſa peccata quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoſcãt. Non igitur protinus ſequitur, paria eſſe peccata quæ ſimul mortalia ſint. Quum Scriptura definiat, ſtipendium peccati mortem eſſe: Legis obedientiam, eſſe vitæ viam: tranſgreſſionem, mortem: hanc ſententiam euadere non poſſunt. Quem ergo ſatiſfaciendi exitum inuenient in tanto peccatorum cumulo? ſi vnius diei eſt ſatiſfactio peccati vnius: dum illam meditantur, pluribus ſe inuoluũt: quãdo diem nullum præterit iuſtiſſimus quiſque, quo non aliquoties labatur. Ad eorum verò ſatiſfactiones dum ſe accingent, numeroſa, vel potius innumera cumulabũt. Iam præciſa eſt ſatiſfaciendi fiducia. quid morantur? quomodo adhuc de ſatiſfaciendo cogitare audent?

Rom.6.d.23
Ezech.18.c. 20

Rom.8.a.1

Prou.24.b. 16

39 Conantur quidẽ ſe expedire: ſed aqua (vt dicitur) illis hæret. Fingunt ſibi diſtinctionem pœnæ & culpæ: culpam remitti fatẽtur Dei miſericordia: ſed culpa remiſſa, pœnam reſtare quam perſolui Dei iuſtitia poſtulat. Ad pœnæ igitur remiſſionem propriè ſpectare

re satisfactiones. Quæ ista bone Deus, desultoria leuitas? culpæ remissionem nunc gratuitam prostare confitentur, quam precibus & lachrymis, alíisque omne genus præparationibus emereri subinde docent. Verùm adhuc cum ista distinctione ex diametro pugnat quicquid de peccatorum remissione in Scriptura nobis traditur. Quod tametsi satis superque existimo iam à me confirmatum, subnectam tamen quędam alia testimonia, quibus adeo constringantur tortuosi isti angues, vt ne summam quidem caudam complicare posthac queant. Hoc est testamentum nouum quod Deus in Christo suo nobiscũ pepigit, Quòd iniquitatum nostrarum non recordabitur. Quid his significauerit, discimus ex altero Propheta, vbi Dominus, Si iustus (inquit) à iustitia sua deflexerit, omnium iustiarum eius non recordabor. si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Quòd se iustitiarum recordaturum negat, vtique hoc est, nullam se earum habiturum rationem, vt remuneretur. Ergo & peccatorum non recordari, est ea non postulare ad pœnam. Idipsum alibi dicitur, proiicere post tergum, delere instar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectúmque habere. Talibus loquendi formulis non obscurè sensum suum nobis explicuerat Spiritus sanctus, si dociles aures illi accõmodaremus. Certè si punit Deus peccata, imputat: si vindicat, recordatur: si ad iudicium vocat, tecta non habet: si examinat, post tergum non proiecit: si inspicit, non obliterauit instar nebulæ: si ventilat, non proiecit in profundum maris. Atque in hunc modũ interpretatur Augustinus claris verbis, Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire: noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt non viderentur. Quid erat, Deũ videre peccata, nisi punire? Audiamus verò & ex alio Prophetæ loco, quibus legibus peccata remittat Dominus. Si fuerint (inquit) peccata vestra vt coccinum, quasi nix albescẽt: & si rubuerint vt vermiculus, erunt quasi lana. Apud Ieremiam autem sic legitur, In illa die requiretur iniquitas Iacob, & non inuenietur: peccatum Iehudah, & nõ erit: quia propitiabor reliquiis quas seruauero. Vis breuiter tenere quis sit verborum istorum sensus? Expende quid è conuenio sibi velint loquutiones illę, Dominũ in sacculo iniquitates colligare, in fasciculũ colligere & recondere, stylo ferreo exarare in lapide adamantino. Nẽpe si vindictam repensum iri significant (quod extra dubium est) neque etiam dubitandum est quin contrariis sententiis omnem vindictæ repensionem Dominus se remittere affirmet. Hîc mihi obtestandi sunt lectores, non vt glossis meis auscultent: sed tantùm vt verbo Dei locum aliquem esse sinant.

Ier.31.f.31.34

Ezech.18.c.24.f.27.

Iesa.38.d.17, & 22. Iesa.44.d.22 Mich.7.d.19 Psal.32.a.1

Psal.32.a.1

Iesa.1.c.18 Iere.50.d.20

Iob.14.d.17 Oseæ 13.c.12 Iere.17.a.1

30 Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? Nam quum dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus quàm defunctum pœna & vindicta quæ peccatis nostris debebatur. Idipsum significantius declarauit Iesaias, quum dicit, Castigationem (siue correctionem) pacis nostræ fuisse super eum. Quid verò est correctio pacis nostræ, nisi pœna peccatis debita, & à nobis persoluenda, antequam Deo reconciliari possemus nisi vices nostras ipse subiisset? En clarè vides, Christum peccatorum pœnas sustinuisse, vt suos ab illis eximeret. Et quoties de redẽptione per eum facta meminit Paulus, vocare solet ἀπολύτρωσιν, quo non simpliciter redemptionem indicat, qualiter vulgò intelligitur: sed pretiũ ipsum & satisfactionem redemptionis. Qua ratione & Christum ipsum se pro nobis ἀντίλυτρον dedisse scribit. Quæ apud Dominum propitiatio est (inquit Augustinus) nisi sacrificiũ? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est in morte Christi? Validum autẽ in primis arietem nobis suppeditat quod de expiandis peccatorum noxis in Lege Mosaica præscribitur. Neque enim illic Dominus hanc aut illam satisfaciendi rationem cõstituit: sed totam in sacrificiis compensationem requirit. Vbi tamen alioqui diligẽtissimè atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Quî fit autem vt nullis prorsus operibus admissa delicta procurare iubeat, sed sola in expiationem sacrificia requirat, nisi quòd ita testari vult vnicum esse satisfactionis genus, quo iudicium suum placatur? Nam quæcũque, hoc est vnico Christi sacrificio, æstimabantur. Qualem autem compensationem à nobis recipiat Dominus, paucis verbis eleganter Oseas expressit. Omnem (inquit) tolles iniquitatem ô Deus: En peccatorum remissio. Et vitulos labiorum persoluemus: En satisfactio. Scio quidem subtilius adhuc ipsos elabi, dum inter æternam pœnam & temporales distinguunt, sed quum temporalem pœnam quoduis supplicium esse tradant quod

1.Pet.2. d.24

Iesa.53.b.5

Rom.3.c.24. 1.cor.1.d.30. epheſ.1.b 7 coloſ.1.b.14 1.tim.2.b.6

Oseæ 14.a.3

tam de corpore quàm de anima sumit Deus, excepta modò æterna morte, parũ eos subleuat hæc restrictio. Nam superiores loci quos citauimus, hoc nominatim volunt, hac nos conditione recipi à Deo in gratiam, vt quicquid eramus pœnæ meriti, remittat, culpam ignoscendo. Et quoties Dauid aut alii Prophetæ peccatorũ veniã petunt, simul pœnã deprecantur. Imò diuini iudicii sensus huc eos impellit. Rursum, quũ à Domino misericordiam promittunt, semper fere ex professo de pœnis earúmque remissione concionantur.

Ezech.36.c. 22, & f.32. Certè quum Dominus apud Ezechielem pronuntiat finem se impositurum Babylonico exilio, idque propter se, non propter Iudæos: gratuitum esse vtrunque satis demonstrat. Denique, si à reatu liberamur per Christũ, pœnas quæ inde proueniunt cessare oportet.

31 Verùm quando & ipsi Scripturæ testimoniis sese armant, videamus qualia sint quæ ipsi obtendunt argumenta. Dauid (inquiunt) de adulterio & homicidio à propheta

2. Sa.12.c.13. Nathan obiurgatus, veniam peccati accipit: & tamen morte filii, quem ex adulterio sustulerat, postea plectitur. Tales pœnas, quæ post culpę etiam remissionem infligendæ essent,

Dan. 4.c.24. satisfactionibus redimere docemur. Hortabatur enim Daniel Nebuchadnezer vt eleemosynis peccata redimeret. Et Solomo scribit, propter æquitatem & pietatem remitti

Prou.16.a.6, & 10.b.12. 1.Pet.4.b.8. iniquitates. Alibi etiam, charitate operiri multitudinem peccatorum. Quam sententiam

Luc 7.g.47. confirmat & Petrus. Item apud Lucam Dominus de muliere peccatrice ait, remissa esse illi peccata multa, quia dilexerit multũ. Vt peruersè semper & præposterè facta Dei æstimant! At si obseruassent, (quod minimè prætereundum erat) duo esse diuini iudicii genera: longè aliam in hac Dauidis correptione vidissent pœnæ formam quàm quæ ad vltionem tendere putanda sit. Quoniam autem nostra omnium non mediocriter refert intelligere quorsum pertineant Dei castigationes quibus in peccata nostra animaduertit: & quantum ab exemplis differant quibus impios & reprobos cum indignatione persequitur: summatim perstringere non abs re, arbitror, fuerit. Iudicium vnum, docendi causa, vocemus vindictæ: alterum, castigationis. Porrò iudicio vindictæ sic intelligẽdus est Deus inimicos suos vlcisci, vt iram aduersus illos suam exerceat, confundat, dissipet, in nihilum redigat. Id ergo sit nobis propriè Dei vindicta, vbi punitio cum eius indignatione coniũcta est. Iudicio castigationis non ita sæuit vt irascatur: nec vindicat vt perdat vel fulminet ad interitum. Vnde non est supplicium propriè aut vindicta, sed correctio & admonitio. Alterum iudicis est, alterum patris. Iudex enim quum facinorosum punit, in ipsum delictum animaduertit, & de facinore ipso pœnam expetit. Pater quum filium seuerius corrigit, non hoc agit vt vindicet aut mulctet, sed magis vt doceat & cautiorem in posterum reddat. Paulo diuersa similitudine Chrysostomus alicubi vtitur, quæ tamen eódem recidit. Verberatur (inquit) filius: verberatur & famulus. sed hic vt seruus, quia peccauit, punitur: ille verò, vt liber & filius disciplina indigens, castigatur. Huic correptio in probationem & emendationem cedit, illi in flagella & pœnas.

32 Vt breuiter & expeditè rem totam teneamus, hæc ex duabus statuatur prima distinctio. vbicũque pœna est ad vltionem, ibi maledictio & ira Dei se exerit, quam semper

Iob 3.c.17. Prou.3.b.11. Heb.12.b.5. à fidelibus continet. Castigatio contrà, & Dei benedictio est, & amoris habet testimoniũ, vt docet Scriptura. Hoc discrimen satis Dei verbo passim notatur. Quicquid enim afflictionum in præsenti vita sustinent impii, nobis depingitur ceu quoddam inferorũ atriũ, vnde æternam suam damnationem eminus iam conspiciunt. tantúmque abest vt inde emendentur, aut fructum aliquem percipiant, vt potius talibus præludiis ad dirissimam,

Psal.118.c.18 quę tandem eos manet, gehennam apparentur. Castigans autem castigat seruos suos Do-

Psal.119.71. minus, sed morti non tradit eos. quare eius ferula verberati, bonum id sibi fuisse fatentur ad veram eruditionem. Vt autem sanctos vbique legimus tales pœnas placido animo sus-

Iere.10.d.24 cepisse, ita superioris generis flagella semper vehementer sunt deprecati. Castiga me Domine (inquit Ieremias) sed in iudicio, non in ira tua: ne fortè imminuas me. Effunde furorem tuum in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocarũt.

Psal.6.a.2, & 38.a.2. Dauid autem, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Neque obest quòd sæpiusculè sanctis suis irasci dicitur Dominus, quum in eorum peccata ani-

Iesa.12.a.1, maduertit. Qualiter apud Iesaiam, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: cõ-

Habac.3.a.2 uersus est furor tuus, & consolatus es me. Item Habacuc, Quum iratus fueris, misericor-

Michę.7.b.9 diæ recordaberis. Michæas verò, Iram Dei portabo, quia peccaui ei. Vbi admonet non solùm nihil obstrependo proficere qui iustè plectuntur, sed doloris mitigationem suppetere fidelibus, consilium Dei reputando. Eadem enim ratione hereditatem suam

profanare

profanare dicitur: quam tamen, vt ſcimus, in æternum non profanabit. Id autem non ad Dei punientis conſilium vel affectum, ſed ad vehementem doloris ſenſum refertur, quo afficiuntur qui vel qualemcunque eius ſeueritatem ſuſtinent. Atqui fideles ſuos non mediocri tantùm auſteritate pungit, ſed interdũ ita vulnerat vt ſibi non longè ab inferorum exitio diſtare videantur. Sic quidem teſtatur iram ſuam promeritos, atque ita expedit vt ſibi in malis ſuis diſpliceant, Dei placandi maiore cura tangantur, & ſolicitè ad veniã petendã feſtinent: ſed in eo ipſo luculentius interim clementiæ quàm iræ ſuæ teſtimonium profert. Stat enim fœdus in vero noſtro Solomone nobiſcum percuſſum, cuius fidem nũquam fore irritam is qui fallere nõ poteſt affirmauit. Si dereliquerint, inquit, filii eius Legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: ſi ſtatuta mea profanauerint, & mãdata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo. Cuius miſericordię quo nos certiores faceret, virgam, qua Solomonis poſteritatem arguet, dicit fore virorum, & verbera filiorum hominum. Quibus particulis dum moderationem & lenitatem ſignificat, ſimul innuit non poſſe niſi extremo lethalique horrore cõfundi qui Dei manum ſibi aduerſam eſſe ſentiunt. Huius lenitatis quantam habeat rationem in Iſraele ſuo caſtigando, oſtẽdit apud Prophetam, In igne repurgaui te, inquit, ſed non velut argentum. nam & ipſe totus abſumptus eſſes. Quanquam purgationis loco caſtigationes illi eſſe docet: eas tamen ipſas addit ita ſe temperare, ne plus iuſto per eas deteratur. Idque omnino neceſſe eſt. quia vt quiſque Deum magis reueretur, & ad colẽdam pietatem ſe addicit, ſic tenerior eſt ad ferendam eius iram. Reprobi enim, quanuis ſub flagellis gemant, quia tamen non expendunt cauſam, quin potius tam ſuis peccatis quàm Dei iudicio tergum obuertunt, ex ſocordia illa contrahunt duritiem. vel quia fremunt & calcitrant, adeóque tumultuantur contra ſuum iudicem, furioſus ille impetus amẽtia & furore eos obſtupefacit. Fideles autem Dei ferulis admoniti, ſtatim deſcendunt ad reputanda peccata, & metu horroréque perculſi, ad deprecationem ſupplices confugiunt. Hos dolores, quibus ſe cruciant miſerę animæ, niſi leniret Deus, ſuccumberent centies etiam in mediocribus iræ eius ſignis.

Pſal. 89. c. 31

2. Sam. 7. b. 14

Iſa. 48. b. 10

33 Sit deinde hæc altera diſtinctio, quòd dum flagellis Dei reprobi feriuntur, iã pœnas illius iudicio quodammodo pendere incipiunt. & quanquam illis non impune cedet talibus iræ diuinæ documẽtis non auſcultaſſe, non tamen ideo plectuntur quo ad meliorem mentem redeant: ſed tantùm vt Deum magno ſuo malo iudicem & vltorem expe- In ſerm. de pœnit. & cõfeſſ. riantur. Ferulis autem verberantur filii, non vt mulctam delictorum Deo perſoluant, ſed vt inde ad reſipiſcentiam proficiant. Proinde in futurum eas potius quàm in præteritum tempus reſpicere intelligimus. Id Chryſoſtomi verbis malim quàm meis exprimere. Propter hoc, inquit, imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens. Sic & Auguſtinus, Quod pateris, vnde plangis, medicina eſt tibi, non pœna: caſtigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hereditate, &c. Tota iſta miſeria generis humani in qua gemit mundus, noueritis fratres quia dolor medicinalis eſt, non ſententia pœnalis, &c. Has ſententias ideo citare placuit, necui videretur noua aut minus vſitata loquutio quam poſui. Atque huc pertinent querimonię indignationis plenæ, quibus Deus ſæpe de populi ingratitudine expoſtulat, quòd peruicaciter contempſerit omnes pœnas. Apud Ieſaiam, Ad quid percuterem vos vltrà? à planta pedis ad verticem non eſt ſanitas. Sed quia talibus ſententiis abundant Prophetæ, breuiter indicaſſe ſatis fuerit, non alio conſilio Deum punire ſuam Eccleſiam niſi vt ſubacta reſipiſcat. Ergo quum Saulem regno abiecit, puniebat ad vindictam: quum Dauidẽ paruulo filio orbauit, ad emendationem corripiebat. In hanc ſententiam accipiendum eſt quod ait Paulus, Quum iudicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Hoc eſt, dum nos filii Dei manu cæleſtis Patris affligimur, non hæc pœna eſt qua confundamur: ſed caſtigatio duntaxat qua erudiamur. Qua in re planè nobiſcũ eſt Auguſtinus. docet enim, pœnas, quibus homines pariter caſtigantur à Deo, variè conſiderãdas eſſe: quia ſanctis ſunt, poſt peccatorũ remiſſionem, certamina & exercitationes: reprobis, ſine remiſſione, ſupplicia iniquitatis. Vbi pœnas Dauidi aliiſque piis inflictas cõmemorat, & eò ſpectaſſe dicit vt eorum pietas huiuſmodi humilitate exerceretur ac probaretur. Neque verò quod dicit Ieſaias, remiſſam eſſe populo Iudaico iniquitatem, quòd plenam accepiſſet caſtigationẽ de manu Domini, à pœnæ ſolutione pẽdêre delictorum veniam arguit: ſed perinde eſt acſi diceret, Satis iam pœnarum exactum eſt: quarũ ob grauitatem

1. Sam. 5. e. 23
2. Sam. 12. d. 18
1. Cor. 11. g. 32

Lib. de Peccato. meritis ac remiſ. 2. c. 33. & 34.

Ieſa. 40. a. 2.

& multitudinem, quia iam diuturno luctu & mœrore confecti fuistis, tempus est vt accepto plenæ misericordiæ nuntio, animi vestri in lætitiam diffusi me patrem sentiant. Nam illic Deus patris induit personam, quem iustæ quoque seueritatis pœnitet, vbi coactus est asperius in filium animaduertere.

34 His cogitationibus fidelem instrui necesse est in afflictionum acerbitate. Tempus
1.Pet.4 d.17 est vt iudicium incipiat à domo Domini, in qua inuocatum est nomen eius. Quid face-
Iere.25.f.29 rent filii Dei si seueritatem quam sentiunt, vltionem eius esse crederent? Qui enim manu Dei percussus, Deum iudicem punientem cogitat, non potest nisi iratum & aduersum sibi concipere: ipsum verò Dei flagellum, vt maledictionem & damnationem, detestari. denique se à Deo diligi nunquam persuaderi poterit qui sic erga se affectum sentiet vt adhuc punire velit. Sed ille demum sub Dei flagellis proficit qui suis vitiis irascentem, sibi autem propitium ac beneuolũ ipsum reputat. Alioqui enim necesse esset euenire quod
Psal.88 d.17 Propheta se expertum conqueritur, Super me transierunt furores tui Deus: terrores tui
Psal.90.b.7 oppressérunt me. Item quod scribit Moses, Quoniam defecimus in ira tua, & in indignatione tua conturbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumine vultus tui. Quoniam omnes dies nostri recesserunt in ira tua: consumpti sunt anni nostri, sicut verbũ ex ore emissum. Contrà verò Dauid de paternis castigationibus,
Psal.94.b.12 vt illis adiuuari magis fideles quàm opprimi doceat, sic canit, Beatus homo quem tu corripueris Domine, & in Lege tua erudieris, vt præstes illi quietem à diebus malis, dum foditur peccatori fouea. Dura certè tentatio, vbi Deus parcens incredulis, & eorum scelera dissimulãs rigidior erga suos apparet. Ideóque solatii causam addit Legis admonitionem, qua discant saluti suæ consuli dum reuocantur in viam, impii verò præcipites ferantur in suos errores, quorum finis est fouea. Nec refert sitne æterna pœna an temporaria. Tam enim bella, fames, pestilentiæ, morbi, maledictiones Dei sunt, quàm ipsum mortis æternę iudicium: dum inferuntur in eum finem, vt sint aduersus reprobos iræ vindictæque Domini instrumenta.

35 Perspiciunt nunc omnes (ni fallor) quò spectet illa Domini animaduersio in Dauidem: nempe vt documẽtum esset, grauiter Deo displicere homicidium & adulterium, aduersum quod tantam offensionẽ in dilecto & fideli seruo declarasset: vt erudiretur ipse Dauid ne postea tale facinus auderet: nõ autem vt pœna esset qua cõpensationem quan-
2.Sam.24.c. 15 dam Deo solueret. Sic & de altera correptione iudicandum est, qua Dominus populum vehementi peste affligit, ob Dauidis inobedientiam, ad quam in recensendo ipso populo prolapsus fuerat. Nam peccati quidem noxam Dauidi gratis remisit: sed quia tum ad publicum omnium seculorum exemplum, tum ad Dauidis quoque humiliationem pertinebat, tale facinus non impunitum manere: ipsum flagello suo asperrimè castigauit. Quẽ scopum in vniuersali quoque humani generis maledictione præ oculis habere decet. Quum enim impetrata gratia, omnes tamen adhuc perpetimur quæ in peccati pœnam parenti nostro indictæ fuerant, miserias: talibus exercitamentis admoneri nos sentimus quàm grauiter Deo Legis suæ transgressio displiceat: quò miserę nostrę sortis conscientia deiecti & humiliati, ad veram beatitudinem ardentius aspiremus. Stultissimus verò fuerit siquis arbitretur præsentis vitæ calamitates in peccati noxam esse nobis impositas. Id
Homil.3.de prouid.ad Stargirium. mihi videtur Chrysostomus voluisse, quum ita scripsit, Si ob hoc pœnas infert Deus vt in malis perseuerantes ad pœnitentiam vocet, ostensa pœnitentia, superflua iam erit pœna. Quare, provt vniuscuiusque ingenio expedire nouit, ita hunc maiori asperitate, illum benigniore tractat indulgentia. Itaque vbi docere vult se non esse in pœnis exigendis immodicum, exprobrat duro & obstinato populo quòd percussus non tamen faciat finem
Iere.5.a.3 Oseæ.7.b.8 peccandi. Hoc sensu conqueritur Ephraim esse quasi placentam ab vna parte torridam, ab altera parte incoctam: quia scilicet non penetrabant in animos ferulæ, vt vitiis excoctis populus ipse capax veniæ fieret. Certè qui sic loquitur, ostendit, simulac quisque resipuerit, se mox fore placabilem, sibíque nostra peruicacia exprimi quem exercet rigorem in castigandis delictis, cui voluntaria correctio occurreret. Quando tamen ea est nostra omniũ durities & ruditas quæ castigatione in vniuersum opus habeat, visum est prudentissimo Patri omnes sine exceptione communi flagello per totã vitam exercere. Mirum autem est cur sic in vnum Dauidis exemplum oculos coniiciãt, tot exemplis non permoueantur, in quibus gratuitam peccatorum remissionem licebat contemplari. Legitur pu-
Luc.17.c.14 Luc.22.g.61 blicanus descendisse è templo iustificatus: pœna nulla sequitur. Petrus delicti veniã obti-
nuit:

nuit:lachrymas eius,inquit Ambrosius,legimus:satisfactionẽ non legimus.Et audit paralyticus,Surge,remittũtur tibi peccata tua.pœna non imponitur.Omnes quæ in Scriptura commemorantur absolutiones,gratuitæ describuntur. Ex hac exemplorum frequẽtia regula potius peti debuerat,quàm ab vnico illo,quod nescio quid singulare continet. Mat.9.a.1

36 Daniel sua exhortatione,qua suadebat Nebuchadnezer vt peccata sua iustitia redimeret,& iniquitates suas miseratione pauperum: non voluit significare iustitiam & misericordiam esse Dei propitiationem & pœnarum redemptionem:(absit enim vt alia vnquã fuerit ἀπολύτρωσις quàm sanguis Christi)sed illud redimere,ad homines potius quàm ad Deum retulit.acsi dixisset,Exercuisti,ô rex,iniustam & violentam dominationem,oppressisti humiles, spoliasti pauperes, durè & iniquè tractasti populum tuum: pro iniustis exactionibus, pro violentia & oppressione nunc refer misericordiam & iustitiam. Similiter Solomon charitate operiri multitudinem peccatorum ait:non apud Deum,sed inter homines ipsos.Sic enim habet integer versus,Odium excitat contentiones:charitas verò operit cunctas iniquitates. Quo versu,more suo, per antithesin,mala quæ ex odiis nascũtur,cum fructibus charitatis confert,in hunc sensum,Qui inter se oderunt,vicissim mordent,carpunt,exprobrant,lacerant,omnia vitio vertunt: at verò qui se diligũt,multa inter se mutuò dissimulant,ad multa conniuent,multa vicissim condonãt: non quòd alter alterius vitia probet,sed tolerat, & admonendo medetur, potius quàm insectando exulceret.Eodem sensu citatum locum hunc à Petro nihil ambigendum est: nisi deprauatæ vafréque detortæ scripturæ insimulare eum volumus. Vbi verò misericordia & benignitate docet expiari peccatum, non intelligit illis coram facie Domini compensari, vt tali satisfactione pacatus Deus,pœnam,quam alioqui erat expetiturus,remittat:sed familiari Scripturæ more indicat quòd ipsum sibi propitium reperturi sint qui vitiis ac nequitiis prioribus valere iussis,per pietatem & veritatem ad ipsum conuertũtur. acsi diceret iram Domini residere, acquiescere eius iudicium vbi à flagitiis nostris quiescimus. Nec verò causam veniæ,sed potius modum veræ conuersionis describit. Sicuti frequenter denuntiant Prophetæ frustra Deo hypocritas ingerere fictitios ritus pro pœnitentia, quem oblectat integritas cum officiis charitatis. Sicut etiam admonet author epistolæ ad Hebræos, beneficentiam & humanitatem commendans, eiusmodi sacrificia placere Deo. Nec certè Christus, dum Pharisæos subsannans quòd purgandis tantùm catinis intenti, cordis munditiem negligerent, iubet eos, quo omnia munda sint, dare eleemosynas, ad satisfaciendum hortatur: sed tantùm docet qualis probetur Deo mundities. De qua loquutione alibi tractatum est. Dan.4.c.24 Prou.10.b.a Heb.10.c.14 Mat.23.c.25 luc.11.f.39

37 Quantum attinet ad locum Lucæ,nemo,qui parabolam illic à Domino propositam sano iudicio legerit, nobis ex eo controuersiam faciet. Pharisæus apud se cogitabat, non cognosci à Domino mulierem quam tanta facilitate ad se admisisset. Sẽtiebat enim non fuisse admissurum,si peccatricẽ,qualis erat cognouisset. Atque ex eo colligebat non esse Prophetam,qui eum in modum falli posset. Dominus, vt peccatricẽ non esse ostenderet cui iam remissa essent peccata, parabolam proposuit: Duo debitores erant vni fœneratori.alter quinquaginta debebat,alter quingẽta:vtrique remissum est debitum.vter maiorem gratiam habet:Respondet Pharisæus,Is vtique cui plus donatũ est.Subiicit Dominus,Hinc agnosce remissa esse huic mulieri peccata,quia dilexit multum.Quibus verbis(vt vides)eius dilectionem nõ facit causam remissionis peccatorum,sed probationem. Sunt enim sumpta à simili eius debitoris, cui remissa erant quingenta, cui non dixit ideo remissa quia multum dilexisset: sed ideo multum diligere, quia remissa sint. Atque huc eam similitudinem applicari conuenit, in hanc formam. Putas mulierem hanc esse peccatricem. atqui talem non esse, agnoscere debueras, quando ei remissa sint peccata. Remissionis autem peccatorum fidem tibi facere debuerat eius dilectio,qua ob beneficium gratiam refert. Est autem argumentum à posteriori, quo aliquid demõstratur à signis sequentibus. Qua autem ratione peccatorũ remissionem illa obtinuerit, palàm Dominus testatur.Fides,inquit,tua te saluam fecit. Fide igitur remissionem assequimur: charitate gratias agimus,& Domino beneficentiam testamur. Cap.7.f.36

38 Parum autem me mouent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nõnullos (dicam simpliciter, omnes ferè quorũ libri extant) aut hac in parte lapsos esse,aut nimis asperè ac durè loquutos: sed non cõcedam eos ipsos adeò fuisse rudes & imperitos, vt eo sensu illa scripserint quo à nouis istis satisfactionariis

Homil.2. in Psal.50

legũtur. Chryſoſtomus alicubi ita ſcribit, Vbi miſericordia flagitatur, interrogatio ceſſat: vbi miſericordia poſtulatur, iudicium nõ ſæuit: vbi miſericordia petitur, pœnæ locus non eſt: vbi miſericordia, quæſtio nulla: vbi miſericordia, condonata reſponſio eſt. Quæ verba vtcunque torqueantur, cum dogmatibus tamen ſcholaſticis conciliari nunquam poterunt. In libro autem de dogmatibus Eccleſiaſticis qui Auguſtino inſcribitur, ſic legis,

Cap.54.

Pœnitentiæ ſatiſfactio eſt, cauſas peccatorũ excidere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere. Quo apparet, illis quoque ſeculis irriſam paſſim fuiſſe ſatisfactionis doctrinã, quæ pro admiſſis delictis rependi diceretur: quum omnem ſatiſfactionem ad cautionem

Homi.10.in Gene.

referat ſe in poſterum à peccatis abſtinẽdi. Nolo citare quod tradit idem Chryſoſtomus, eum nihil à nobis vltrà requirere quàm vt delicta noſtra cum lachrymis apud ſe cõfiteamur: quando eiuſmodi ſententiæ ſubinde in eius & aliorum ſcriptis recurrunt. Auguſtinus quidẽ alicubi opera miſericordiæ remedia nuncupat obtinendæ peccatorum remiſſionis: ſed ne in verbulo iſto quis impingat, ipſe alio loco occurrit. Caro Chriſti, inquit,

Enchir. ad Laurẽtium.

verum eſt & vnicum pro peccatis ſacrificiũ, non modò iis quæ vniuerſa in baptiſmate delentur, ſed quæ poſtea ex infirmitate ſubrepunt: propter quæ vniuerſa quotidie clamat

Mat.6.b.12

Eccleſia, Remitte nobis debita noſtra. Et remittuntur per ſingulare illud ſacrificium.

39 Vocarunt autem vtplurimum ſatifactionem, non compenſationẽ quæ Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem, qua qui excõmunicatione mulctati fuerant quum in communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem. Indicebantur enim illis pœnitentibus certa ieiunia, & alia quibus ſe prioris vitæ verè & ex animo pertæſos eſſe approbarent, vel potius priorum memoriam obliterarent. atque ita dicebantur non Deo ſed Eccleſiæ ſatiſfacere. Quod etiam his ipſis verbis ab Auguſtino

Cap.65.Citatur in Decr. cap.in actione de pœni. diſt.1

expreſſum eſt in Enchiridio ad Laurentium. Ex antiquo eo ritu ſumpſerunt originem confeſſiones & ſatiſfactiones quæ hodie in vſu ſunt. Viperei ſanè partus, quibus factum eſt, vt ne vmbra quidem melioris illius formæ ſuperſit. Scio veteres interdum duriuſculò loqui: nec, vt nuper dixi, forſan lapſos eſſe nego. ſed quæ pauculis næuis aſperſa erãt, dum illotis iſtorum manibus tractantur, prorſus inquinantur. Et ſi veterum authoritate pugnandum eſt, quos, Deus bone, veteres nobis obtrudũt? Bona pars eorum quibus Lombardus eorum coryphæus centones ſuos contexuit, ex inſulſis quorũdam monachorum deliriis quæ ſub Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & Chryſoſtomi nomine feruntur, decerpta eſt. vt in præſenti argumento omnia ferè ſumit è libro Auguſtini De pœnitentia, qui à rhapſodo aliquo ineptè ex bonis pariter ac malis authoribus conſarcinatus, Auguſtini quidem nomen præfert, ſed quem nemo, vel mediocriter doctus, agnoſcere pro ſuo dignetur. Quòd autem in eorum ineptias non tam argutè exquiro, ignoſcant lectores, quos volo moleſtia leuare. Mihi certè nec valde laborioſum, & tamẽ plauſibile eſſet traducere cum maximo probro quæ antehac pro myſteriis iactarunt: ſed quia fructuoſè docere propoſitum eſt, ſuperſedeo.

De ſupplementis quæ ad ſatiſfactiones adiiciunt, nempe indulgentiis & purgatorio. CAP. V.

EX hac porrò ſatiſfactionis doctrina ſcaturiunt indulgentiæ. Nam quod ad ſatiſfaciendum facultatibus noſtris deeſt, iſtis ſuffici nugantur: atque eo proſiliunt inſaniæ vt diſpenſationem eſſe definiant meritorum Chriſti & martyrum, quam Papa ſuis bullis partitur. Etſi autem helleboro magis quàm argumentis digni ſunt, vt non magnum operæpretium ſit tam friuolis erroribus refellendis incumbere, qui multis arietibus percuſſi ſua ſponte conſeneſcere & ad inclinationem ſpectare incipiunt: quia tamen imperitis quibuſdam vtilis erit breuis refutatio, eam non omittam. Et ſanè quòd tandiu ſaluæ conſtiterint indulgentiæ ac in tam impotenti & furioſa laſciuia tam diuturnam impunitatem retinuerint, id verò documento eſſe poteſt quàm alta errorum nocte immerſi fuerint aliquot ſeculis homines. Videbant ſe à Papa & ſuis bulligerulis palàm nec diſſimulanter ludibrio haberi: quæſtuoſas nundinationes de animarum ſuarum ſalute exerceri, pauculis nummis ſalutis pretium taxari, nihil gratuitum proſtare: hac ſpecie emungi ſe oblationibus, quæ in ſcorta, in lenones, in comeſſationes turpiter abſumerentur: ſummos indulgentiarum buccinatores, ſummos eſſe contemptores: monſtrum iſtud maiori in dies licẽtia graſſari ac luxuriari, nec finem vllum fieri, plumbum ſemper nouũ afferri, nouos nũmos cudi. Excipiebãt tamen ſumma veneratione indulgentias, adorabant, redimebant: & qui cernebant inter alios acutius, exiſtimabant tamen pias eſſe fraudes, quibus cum fructu aliquo falli poſſent. Tãdem vbi orbis

orbis aliquantum sibi sapere permisit, frigent indulgentiæ, & paulatim etiam congelascunt, donec planè euanescant.

2 Verùm quoniã plurimi, qui sordes, impostu ras, furta, rapacitates (quibus luserunt hactenus, & nos ludificati sunt indulgentiarii) vident, fontem ipsum impietatis non conspiciunt: operæpretium est indicare non solùm quales sint indulgentiæ, sed quid omnino sint omni macula absterſæ. Thesaurũ Ecclesiæ vocant, Christi & sanctorum Apostolorum Martyrúmque merita. Huius horrei radicalem custodiam (vt attigi) Romano Episcopo traditam fingunt, penes quem sit tantorum bonorum dispensatio, vt & ipse per se elargiri possit, & elargiendi iurisdictionem aliis delegare. Hinc nunc plenariæ indulgentiæ à Papa, nunc certorum annorum: à Cardinalibus, centum dierum: ab Episcopis, quadraginta. Sũt autem illæ (vt genuinè describam) sanguinis Christi profanatio, Satanæque ludibrium, quo Christianum populum à Dei gratia, à vita quæ est in Christo abducant, & à vera salutis via auertant. Quî enim poterat fœdius profanari Christi sanguis, quàm dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis & exhausti defectus aliunde suppleatur & sufficiatur? Christo Lex & Prophetæ omnes (inquit Petrus) testimonium perhibẽt, quòd per ipsum accipienda sit remissio peccatorum. indulgentiæ remissionem peccatorum per Petrum, Paulum & Martyres largiuntur. Sanguis Christi emundat nos à peccato, inquit Iohannes: indulgentiæ sanguinem Martyrum faciunt peccatorum ablutionem. Christus (inquit Paulus) qui peccatum non nouerat, factus pro nobis est peccatum (id est peccati satisfactio) vt iustitia Dei efficeremur in illo: indulgentiæ peccatorum satisfactionem in sanguine Martyrum reponunt. Clamabat Paulus & Corinthiis testificabatur, solum Christum pro ipsis crucifixum & mortuum esse: indulgentiæ pronuntiant, Paulũ & alios pro nobis mortuos. Alibi dicit, Christum acquisiuisse Ecclesiam suo sanguine: indulgentiæ aliud pretium acquisitionis in Martyrum sanguine statuunt. Vna oblatione Christus cõsummauit in perpetuum sanctificatos, ait Apostolus: indulgentiæ reclamant, à Martyribus perfici sanctificationem, quæ alioqui non sufficeret. Iohannes dicit sanctos omnes lauisse stolas in sanguine Agni: indulgentiæ docent lauare stolas in sanguine sanctorum.

Act.10.g 43
1.Iohã.1.c.7
2.Cor.5.d.21
1.Cor.1.b.13
Act.20.f.28
Heb.10.c.14
Apo.7.d.14

3 Præclarè aduersus hæc sacrilegia Leo Romanus Episcopus ad Palæstinos, Quãuis (inquit) multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, nõ dona iustitiæ. singulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quispiam debitum suo fine persoluit: quum vnus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. Quam sententiam, vt erat memorabilis, alibi quoque repetiit. Nihil certè clarius ad confodiendum impium hoc dogma desiderari queat. Nec tamen minus appositè Augustinus in eandem sententiam, Etsi fratres (inquit) pro fratribus morimur, nullius tamen sanguis Martyris in peccatorum remissionẽ funditur: quod fecit Christus pro nobis: neque in hoc quod imitaremur, sed quod gratularemur cõtulit nobis. Item alibi, Sicut solus Filius Dei factus est Filius hominis, vt nos secum filios Dei faceret: ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiã. Equidem quum tota eorum doctrina ex horrendis sacrilegiis & blasphemiis consuta sit, hæc tamen præ aliis prodigiosa est blasphemia. Agnoscant annon hæc sint sua placita, Martyres plus morte sua Deo præstitisse ac meritos esse quàm sibi opus esset: tantámque illis meritorum largitatem superfuisse quæ in alios redundaret. Ne igitur superuacuum sit tantum bonum, commisceri eorum sanguinẽ sanguini Christi, & ex vtroque thesaurum Ecclesiæ confici, ad remissionem & satisfactionem peccatorum. Atque ita accipiendum quod ait Paulus, Suppleo in corpore meo ea quæ desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quid hoc est, nisi Christo nomen relinquere, cæterùm vulgarem sanctulum facere, qui in turba vix dignoscatur? Vnum, vnum illum prædicari decebat, vnum proponi, vnum nominari, vnum respici quum de obtinẽda peccatorum remissione, expiatione, sanctificatione agitur. Sed audiamus eorum enthymemata. Ne sine fructu effusus sit sanguis Martyrum, in commune Ecclesiæ bonum conferatur. Itáne? an verò nullus erat fructus glorificare Deum per mortem? veritati eius suo sanguine subscribere? testificari præsentis vitæ contemptu, meliorẽ se vitam quærere? fidem Ecclesiæ sua constantia confirmare, hostium autem pertinaciam frangere? Sed hoc est scilicet, nullum

Epist.81
Psal.116.15
Epist.95
Tract.in Iohan.84
Lib.ad Bon. 4.cap.4
Colo.1.d.24

fructum agnoscunt, si solus Christus est propitiator, si solus mortuus est propter peccata nostra, si solus est oblatus pro nostra redemptione. Nihilominus (inquiunt) coronam victoriæ adepti essent Petrus & Paulus si in lectulis defuncti essent sua morte. Quòd autem ad sanguinem vsque certarũt, id sterile & infructuosum relinquere, iustitiæ Dei non quadraret. Quasi verò pro donorum suorum mẽsura gloriam in seruis suis augere Deus non nouerit. Vtilitas autem satis magna in cõmune ab Ecclesia percipitur, vbi illorum triumphis accenditur ad pugnandi zelum.

4 Quàm verò malitiosè Pauli locum detorquẽt, vbi dicit se supplere in corpore suo ea quæ deerant passionũ Christi! Non enim defectum illum supplemẽtúmve illud ad redẽptionis, satisfactionis, expiationis opus refert, sed ad eas afflictiones quibus Christi mẽbra, nẽpe fideles omnes, exerceri oportet, quandiu in hac carne agent. Dicit ergo hoc restare passionũ Christi, quod in seipso semel passus, quotidie in mẽbris suis patitur. Eo nos honore dignatur Christus, vt nostras afflictiones suas reputet ac ducat. Quod autem addidit Paulus, pro Ecclesia: nõ intelligit pro redemptione, pro reconciliatione, pro satisfactione Ecclesiæ: sed pro ædificatione & profectu. Quemadmodum alibi ait, se sustinere omnia propter electos, vt salutẽ consequãtur, quæ est in Christo Iesu. Et Corinthiis scribebat, pro eorum cõsolatione & salute se perferre quascunque tribulationes patiebatur. Et continuò ibidem seipsum explicat, quum addit se factum Ecclesiæ ministrum, non ad redemptionem, sed secundum dispensationem quæ illi commissa erat, ad prædicandum Christi Euangelium. Quòd si aliũ quoque interpretem requirunt, audiant Augustinum. Passiones (inquit) Christi in solo Christo, vt in capite: in Christo & Ecclesia, vt in toto corpore. Vnde dicit membrum vnũ Paulus, Suppleo in corpore meo quod deest passionibus Christi. Si ergo in membris Christi es, quisquis hæc audis, quicquid pateris ab iis qui non sunt Christi membra, deerat passionibus Christi. Passiones verò Apostolorum pro Ecclesia susceptæ quorsum tendant, alibi exponit, Christus mihi ianua est ad vos. quia oues Christi estis, sanguine eius comparatæ: agnoscite pretium vestrum, quod à me non datur, sed per me prædicatur. Deinde subnectit, Quo modo ipse animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere, ad ædificandam pacem, ad fidem asserendam. Hæc Augustinus. Absit autem vt deesse aliquid putauerit Paulus passionibus Christi quantum ad omnem iustitiæ, salutis ac vitæ plenitudinem attinet: aut addere aliquid voluerit, qui adeò luculenter & magnificè concionatur, exuberantiam gratiæ per Christum tanta largitate effusam, vt omnem vim peccati lõgè supergressa fuerit. Hac sola sancti omnes salui facti sunt, non vitæ aut mortis suæ merito, quemadmodum Petrus disertè testatur: vt in Deum & Christum eius contumeliosus fuerit qui vllius sancti dignitatem alibi quàm in sola Dei misericordia reposuerit. Sed quid hîc diutius, perinde atque in re adhuc obscura, moror, quum talia prodigia traducere, vincere sit?

Colo.1.d.24

2.Tim.2.b.10

2.Cor.1.b.6

In Psal.16

Tract.in Iohan.47

Rom.5.c.15

Act.15.c.11

5 Porrò, vt tales abominationes prætereamus, quis docuit Papam plumbo & membranæ gratiam Iesu Christi includere, quam Dominus verbo Euangelii dispensari voluit? Sanè aut mendax Dei Euangelium esse oportet, aut mendaces indulgentias. Nam Euangelio Christum, cum omni affluentia bonorum cælestiũ, cum omnibus suis meritis, omni sua iustitia, sapientia, gratia, nulla exceptione, nobis offerri testis est Paulus, quum dicit depositum esse apud ministros verbum reconciliationis, quo hac legationis forma fungantur, ceu Christo per ipsos hortante, Obsecramus, reconciliamini Deo. Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt iustitia Dei efficeremur in illo. Et quid valeat Christi κοινωνία, quæ (eodem Apostolo teste) fruenda nobis in Euangelio offertur, norunt fideles. Contrà indulgentiæ demensum aliquod gratiæ ex armario Papæ reclusum, plumbo, membranæ, loco etiam affigunt, à verbo Dei auellunt. Siquis autem originem requirat, hinc videtur hic abusus emanasse, quòd quum iniungerentur olim seueriores satisfactiones pœnitentibus quàm vt ab omnibus ferri possent, qui pœnitentiæ sibi imposita grauari se vltra modũ sentiebant, petebẽt ab Ecclesia relaxationem. Remissio, quæ talibus fiebat, indulgentia vocabatur. Vbi autem satisfactiones ad Deum transtulerunt, ac compensationes esse dixerunt quibus se redimant homines à iudicio Dei, simul etiam indulgentias eò traxerunt vt essent expiatoria remedia, quæ nos pœnis meritis liberent. Illas verò quas retulimus blasphemias, tanta impudentia confinxerunt, vt nullum prætextum habere queant.

2.Cor.5.d.18

1.Cor.1.d.17

6 Iam nec de suo Purgatorio molesti nobis sint: quod hac securi fractum, dirutum, & à fun-

& à fundamentis prorſus euerſum eſt. Neque enim quibuſdam aſſentior qui diſſimulandum hac in parte cenſent,& mentionem Purgatorii omittendam,ex qua acres(vt aiunt) pugnæ oriuntur, minimum ædificationis referri poteſt. Equidem & ipſe tales nugas negligendas conſulerem,niſi ſeria ducerent.Sed quum ex multis blaſphemiis conſtructum ſit Purgatorium,& nouis quotidie fulciatur,quum multas & graues offenſiones ſuſcitet: profectò conniuendum non eſt.Illud fortè vtcũque ad tempus diſſimulari poterat,quòd ſine Dei verbo curioſa audacíque temeritate excogitatum erat: quòd de ipſo creditum erat neſcio quibus reuelationibus Satanæ arte confictis: quòd ad ipſius confirmationem aliquot Scripturæ loci inſcitè detorti erant. Quanquam nõ fert Dominus humanam audaciam ſic in abditos iudiciorum ſuorum receſſus perrumpere: & ſeuerè prohibuit, neglecta voce ſua,ſciſcitari à mortuis veritatem:nec verbum ſuum tam irreligioſè contaminari permittit.Demus tamen,illa omnia tolerari aliquantiſper potuiſſe vt res non magni momenti.at vbi peccatorum expiatio alibi quàm in Chriſti ſanguine quæritur, vbi ſatisfactio aliò tranſfertur,periculoſiſſimum ſilentium.Clamãdum ergo non modò vocis ſed gutturis ac laterum contentione, Purgatorium exitiale Satanæ eſſe commentum, quod Chriſti crucem euacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit & euertit. Quid enim illis eſt Purgatorium niſi quæ poſt mortem à defunctorũ animis pendatur pro peccatis ſatiſfactio?vt diruta ſatiſfaciendi opinione,ipſum ab imis radicibus extemplo euertatur. Quòd ſi proxima diſputatione pluſquam perſpicuum eſt, Chriſti ſanguinem vnicam eſſe pro fidelium peccatis ſatiſfactionem, expiationem, purgationem: quid ſupereſt niſi Purgatorium meram eſſe eámque horribilem in Chriſtum blaſphemiam ? Prætereo ſacrilegia quibus quotidie defenditur, offendicula quæ in religione parit, aliáque innumera, quæ ex tali impietatis fonte prodiiſſe conſpicimus. Deut.18.c.11

7 Quos tamen è Scriptura locos arripere falſò & perperam ſolent, illis è manibus excutere operæpretium eſt. Quum Dominus (inquiũt) peccatum in Spiritum ſanctum, neque in hoc neque in futuro ſeculo remittendum aſſeuerat,ex eo ſimul innuit,quorundam eſſe in futuro ſeculo peccatorum remiſſionem. Verùm quis non videat, Dominum illic de peccati culpa loqui? Quòd ſi ita eſt,quid ad eorum Purgatorium,vtpote quorum illic pœna,ex eorum opinione,luitur,culpam in præſenti vita remiſſam eſſe non inficiantur?Ne tamen adhuc nobis obſtrepant, planiorem habebunt ſolutionem. Quum Dominus ſpem omnem veniæ præcidere vellet tam flagitioſæ nequitiæ, nõ ſatis habuit dicere, nunquam remiſſum iri:ſed quò magis amplificaret, partitione vſus eſt, qua & iudicium complexus eſt quod ſentit in hac vita vniuſcuiuſque cõſcientia, & poſtremũ illud quod palàm in reſurrectione feretur. acſi diceret, Vos à malitioſa rebellione, non ſecus ac prætus fuerit,neque in hac vita, quæ peccatoribus ad conuerſionem data eſt,veniam conſequetur,neque vltimo die,quo per Angelos Dei agni ab hœdis ſegregabũtur,& regnũ cæleſte omnibus ſcandalis repurgabitur. Proferunt deinde illam ex Matthæo parabolam, Concordiam habe cum aduerſario tuo:nequando te ille iudici tradat,iudex lictori,lictor carceri:vnde non exeas donec perſolueris vltimum quadrãtem. Si iudex hoc loco Deum ſignificat,litigator Diabolum,lictor Angelum,carcer Purgatorium,libẽter dabo manus. Verùm ſi nulli nõ conſtat, voluiſſe illic Chriſtũ oſtendere quot periculis ac malis ſe obiiciant qui ſummũ ius obſtinatè pertentare malunt quàm ex æquo & bono agere, quò vehementius ad æquam concordiam ſuos exhortaretur:vbi,quæſo, reperietur Purgatoriũ? Mat.12.c.32 marc.3.d.28 luc.12.b.10 Mat.5.d.25

8 Petunt ex Pauli dicto argumentum,vbi cæleſtium,terreſtrium & infernorum genua Chriſto flecti affirmat.Infernos enim non poſſe intelligi,qui æternæ damnationi addicti ſunt,pro confeſſo aſſumunt. Proinde ſupereſt vt ſint animæ in Purgatorio laborantes. Non peſſimè ratiocinarentur ſi Apoſtolus verũ pietatis cultum per geniculationem deſignaret:ſèd quum ſimpliciter doceat,delatam eſſe Chriſto dominationem qua ſubiugãdæ ſint vniuerſæ creaturæ:quid obſtat quominus per infernos,Diabolos intelligamus, qui ſanè ad Domini tribunal ſiſtentur,iudicem ſuum agnituri,cum terrore & trepidatione? Qualiter eandem prophetiã Paulus ipſe alibi interpretatur, Omnes(inquit)ſiſtemur ad tribunal Chriſti.Scriptum eſt enim, Viuo ego,mihi flectetur omne genu,&c.Atqui in eum modum interpretari non licet,quod in Apocalypſi habetur,Omnẽ creaturam,quæ in cælo, & quæ ſuper terram,& quæ ſub terra, & quæ in mari,& quæ in ipſis ſunt, omnia Phili.2.b.10 Rom.14.b.10 Apoc.5.d.13

audiui dicentia, Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria & potestas in
secula seculorum. Id quidem facilè concedo. sed quales hîc creaturas recenseri putant?
Certo enim certius est, & ratione carentes & inanimatas comprehendi. Quo non aliud
affirmatur quàm singulas orbis partes, à summo cælorũ vertice ad vsque terræ centrum,
2. Macha. 12. g. 43 suo modo Creatoris gloriam enarrare. Quod ex Machabæorum historia proferunt, re-
sponsione non dignabor, ne opus illud videar in sacrorum librorum catalogum referre.
Contra secund. Gauden. epist. ca 23 Luc. 24. f. 44 At Augustinus pro canonico recepit. Primùm quàm certa fide Scriptura m (inquit) Ma-
chabæorum non habent Iudæi sicut Legem, Prophetas, & Psalmos, quibus testimonium
perhibet Dominus tanquam testibus suis, dicens, Oportebat impleri omnia quæ scripta
sunt in Lege, & Psalmis, & Prophetis de me. Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si
sobriè legatur vel audiatur, &c. Hieronymus autem sine dubitatione, minimè valere eius
authoritatem ad asserenda dogmata docet. Et ex libello illo vetusto qui sub nomine Cy-
priani de expositione Symboli inscribitur, apertè constat locum nullum in veteri Eccle-
2. Macha. 15. g. 36 sia habuisse. Et quid frustra hîc contendo? Quasi author ipse non satis ostendat quantum
sibi deferendum sit, quum veniam in fine precatur, si quid minus bene dixerit. Certè qui
scripta sua indigere venia fatetur, Spiritus sancti oracula nõ esse clamat. Adde quòd non
alio nomine laudatur Iudæ pietas, nisi quia spem firmam de vltima resurrectione habue-
rit, vbi oblationem misit pro mortuis Hierosolymam. Neque enim ad pretium redẽptio-
nis trahit scriptor historiæ quod ille egit: sed vt consortes æternæ vitæ essent cum reliquis
fidelibus qui pro patria & religione occubuerãt. Superstitione quidem & præpostero ze-
lo non caruit hoc factum: sed plusquam fatui sunt qui sacrificium legale ad nos vsque tra-
hunt: quando aduentu Christi scimus cessare quæ in vsu tunc fuerunt.

9 Verùm habent inuictum cuneum in Paulo, qui nõ ita facilè percelli queat. Siquis
1. Cor. c. 12 superædificat, inquit, super fundamẽtum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna,
fœnum, stipulam: vniuscuiusque opus quale sit, dies Domini manifestabit: quòd in igne
reuelabitur. & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Sicuius opus arserit, detrimẽ-
tum patietur. ipse autem saluus erit: sed quasi per ignem. Quis (inquiunt) ille ignis esse po-
test nisi purgatorius, per quem peccatorum sordes abstergũtur, quo puri ingrediamur in
Chryso. August. & alii. regnum Dei? Atqui alium esse senserunt veterum plerique, nẽpe tribulationem seu cru-
cem, per quam Dominus suos examinat, ne in carnis sordibus acquiescant: idque multo
probabilius quàm purgatorium confingendo. Quãquam nec illis assentior: quia mihi vi-
deor certiorem multo & lucidiorem eius loci intelligentiam assequutus. Antequam ta-
men eam profero, velim mihi respondeant puténtne Apostolis ac Sanctis omnibus per
hunc ignem purgatorium transeundum fuisse. Negabunt, scio. nimis enim absonum fo-
ret eos purgari oportuisse quorum merita vltra mensuram ad vniuersa Ecclesiæ membra
redundare somniant. Verùm Apostolus hoc affirmat. neque enim dicit, quorũdam opus
Enchirid. ad Laurent. 68 probatum iri, sed omnium. Neque hoc meum argumentum est, sed Augustini, qui sic in-
terpretationem illam oppugnat. Et (quod magis absurdũ est) nõ dicit transituros ob quæ-
libet opera: sed si Ecclesiã summa fidelitate ædificarint, mercedẽ recepturos, vbi opus eo-
rum igni fuerit examinatum. Principiò, videmus Apostolũ metaphora vsum esse, quum
doctrinas hominum capite excogitatas, lignum, fœnum, & stipulam vocauit. Ratio quo-
que metaphoræ prompta est: nempe quòd velut lignum, statim atque igni admotũ fue-
rit, consumitur & deperditur, sic neque illæ perdurare poterũt, quum eas examinari con-
tigerit. Porrò eiusmodi examen à Spiritu Dei proficisci neminem latet. Quo igitur filium
metaphoræ prosequeretur, ac partes iusta correlatione inter se aptaret, ignem appellauit
examen Spiritus Sancti. Perinde enim atque aurum & argentum, quo propius ad ignem
admouentur, eo certiorem probitatis puritatísque probationem referunt: ita Domini ve-
ritas, quo exactius spirituali examine expenditur, eo maiorem sumit authoritatis confir-
mationem. Quemadmodum fœnum, lignum, stipula, igni admota, corripiuntur in subi-
tam consumptionem: ita hominum inuenta, Domini verbo non stabilita, Spiritus sancti
examen ferre nequeunt, quin concidant protinus & dispereant. Denique si commenti-
tiæ doctrinæ, ligno, fœno, stipulæ comparãtur, quòd instar ligni, fœni, stipulæ comburan-
tur ab igne, & corrumpantur in interitum, non autem conficiuntur aut profligantur ni-
si à Domini Spiritu: sequitur, Spiritum esse ignem illum à quo probabuntur. cuius proba-
tionẽ vocat Paulus diem Domini, vulgato Scripturæ vsu. Dies enim Domini esse dicitur
quoties suam præsentiã hominibus aliquo modo manifestat. Tum verò potissimum fa-

cies eius

cies eius lucet, vbi veritas eius illucet. Iam euictum est, non alium esse ignem Paulo, quàm Spiritus sancti examẽ. Quomodo autem per ignem illum salui fiunt qui operis iacturam patiuntur: Idipsum intelligere non erit difficile, si cõsideremus de quo genere hominum loquatur. Siquidem eos Ecclesiæ architectos notat qui retento legitimo fundamento, disparem materiam superstruunt: hoc est, qui non deflectentes à præcipuis & necessariis fidei capitibus, in minoribus nec ita periculosis hallucinantur, commenta sua Dei verbo admiscentes. Tales, inquam, operis iacturam facere oportet, abolitis eorum commentis: ipsi autem salui fiunt, sed quasi per ignem, hoc est, non quòd eorum ignorantia & hallucinatio corã Domino sit probabilis: sed quia Spiritus sancti gratia & virtute ab illa repurgantur. Proinde quicunque auream diuini verbi puritatem isto purgatorii stercore infecerunt, operis iacturam facere necesse est.

10 At vetustissima fuit Ecclesiæ obseruatio. Hanc obiectionem soluit Paulus, dum suam quoque ætatem in ea sententia comprehendit, vbi denuntiat, iacturam operis sui facere oportere omnes qui in Ecclesiæ structura aliquid fundamento minus consentaneum posuerint. Quum ergo mihi obiiciunt aduersarii, ante mille & trecẽtos annos vsu receptum fuisse vt precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, qua reuelatione, quo exẽplo factum sit. Neque enim hîc Scripturæ testimonia desunt tantùm: sed quæcũque illic leguntur Sanctorum exempla, nihil tale ostendunt. De luctu & officio sepulturæ habentur illic multæ & interdum longæ narrationes: de precibus ne minimum quidè apicem videas. Atqui quo maioris momenti res est, eo magis debuerat commemorari. atque ipsi etiam veteres qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hîc se destitui videbant. Cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani passos esse: ideóque ad imitationem trahẽdum non esse contẽdo quod fecerunt. Nam quum nihil operis debeant aggredi fideles, nisi certa conscientia, vt Paulus præcipit, in oratione potissimum requiritur hæc certitudo. Credibile tamen est aliqua ratione ad id impulsos: nempe solatium quærebant quo subleuarent suum mœrorẽ: & inhumanum videbatur non edere coram Deo aliquod suæ erga mortuos dilectionis testimoniũ. Ad hunc affectum quàm sit propensum hominis ingeniũ, omnes experiũtur. Fuit etiam instar facis recepta consuetudo, quæ ardorem multorum animis iniiceret. Scimus apud cunctas Gentes, & seculis omnibus iusta fuisse soluta mortuis, & lustratas quotannis fuisse eorum animas. Etsi autẽ his præstigiis stultos mortales delusit Satan, fallẽdi tamen occasionem ex recto principio sumpsit: mortem non esse interitum, sed trãsitum ex hac vita in alteram. Nec dubium est quin gẽtiles etiam ipsa superstitio conuictos apud Dei tribunal teneat, quòd futuræ vitæ, quam se credere profitebantur, curam negligerent. Iam ne deteriores essent profanis hominibus Christiani, puduit eos nullum mortuis officium præstare, acsi penitus extincti forent. Hinc malè consulta sedulitas: quia si pigri essent in curandis funeribus, in epulis & oblationibus, putabant se magno probro expositum iri. Quod autem ex peruersa æmulatione fluxerat, nobis subinde incremẽtis sic actum est, vt præcipua sanctitas Papatus sit mortuis laborantibus opem afferre. Verùm aliud solatium longè melius ac solidius suppeditat Scriptura, quũ beatos mortuos testatur qui in Domino moriuntur. Et rationem addit: quia ex eo requiescunt à laboribus suis. Amori autem nostro non debemus eousque indulgere, vt peruersum orandi morem in Ecclesia erigamus. Certè quisquis mediocri prudentia pollet, facilè agnoscit, quicquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi, fateor, in errorem fuerunt: nempe vt incõsiderata credulitas priuare iudicio solet hominum mentes. Interea quàm dubitanter preces pro mortuis commendent lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam in libris confessionum Augustinus narrat vehementer rogasse vt sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare. Anile scilicet votũ quod filius non exegit ad normam Scripturæ: sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de cura pro mortuis agenda, ab eo compositus tot hæsitationes continet, vt suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem extinguere, siquis mortuorum patronus esse appetat. frigidis certè verisimilitudinibus securos reddet qui prius erant soliciti. Hæc enim vna est fultura, quia inualuit consuetudo vt preces adhibeantur pro mortuis, non esse spernẽdum hoc officium. Cæterùm vt concedam vetustis Ecclesiæ scriptoribus pium esse visum suffragari mortuis, regula quæ fallere nequit semper tenẽda est, fas non esse in precibus nostris quicquam afferre proprium, sed vota nostra Dei verbo subiicienda esse: quia penes

Rom. 14. d. 23

Apo. 14. c. 13

eius arbitrium est præscribere quid peti velit. Nunc quum tota Lex & Euãgelium ne vnã quidem syllaba libertatem suggerant orandi pro mortuis, profanatio inuocationis Dei est tentare plusquam nobis præcipiat. Verùm ne glorientur aduersarii nostri quasi veterem Ecclesiã erroris sui sociam habeãt, dico esse longũ discrimen. Agebãt illi memoriam mortuorum, ne viderentur omnẽ de ipsis curam abiecisse: sed simul fatebãtur se dubitare de ipsorum statu. de purgatorio certè adeò nihil asserebant, vt pro re incerta haberent. Isti quod de purgatorio somniarunt, pro fidei dogmate haberi sine quæstione postulant. Illi parcè & tantùm vt defungerentur, in cõmunione sacræ Cœnæ suos mortuos Deo cõmendabant. Hi mortuorũ curam assiduè vrgent: & importuna prædicatione efficiunt vt omnibus charitatis officiis præferatur. Quinetiã nonnulla veterum testimonia proferre nobis haud difficile esset, quæ totas illas pro mortuis preces, quæ tunc vsitatæ erant, manifestè euertunt. Quale est hoc Augustini: quũ resurrectionẽ carnis & æternam gloriam expectari docet ab omnibus: requiem verò, quæ post mortem sequitur, tunc vnumquenque accipere, si dignus est, quũ moritur. Itaque pios omnes non minus quàm Prophetas & Apostolos & Martyres statim à morte, beata quiete frui testatur. Si talis est eorum conditio, quid illis, obsecro, cõferent nostræ preces? Crassiores illas superstitiones, quibus simpliciũ animos fascinarũt, omitto: quæ tamen sunt innumeræ, & pleræque adeò portentosæ, vt nullo honesto colore prætexere ipsas possint. Illas quoque turpissimas nũdinationes taceo, quas in tanto mũdi stupore sua libidine exercuerũt. Nã nec vllus futurus esset finis, & sine commemoratione satis habebunt hîc pii lectores vnde conscientias suas stabiliãt.

Homi. in Iohan. 49

De vita hominis Christiani: ac primùm, quibus argumentis ad eam nos hortetur Scriptura. CAP. VI.

SCOPVM regenerationis esse diximus vt in vita fidelium appareat inter Dei iustitiam & eorum obsequium symmetria & consensus: atque ita adoptionem confirment qua recepti sunt in filios. Etsi autem nouitatem illam qua imago Dei in nobis instauratur, lex ipsius in se continet, quia tamen tarditas nostra multis tam stimulis quàm adminiculis opus habet, proderit ex variis Scripturæ locis rationem vitæ formandæ colligere, ne in studio suo aberrent quibus resipiscentia cordi est. Porrò dum vitam Christiani hominis formandam suscipio, argumentum me ingredi non ignoro varium & copiosum, & quod magnitudine sua longum volumen explere possit, si numeris suis omnibus ipsum absoluere libeat. Videmus enim in quantam prolixitatem diffundantur veterum paræneses de singulis tantùm virtutibus compositæ. Neque id loquacitate nimia. siquidem quamcũque virtutem commendare oratione propositum sit, vltro stylus in eam amplitudinem materiæ copia deducitur, vt rite disseruisse non videaris nisi multa dixeris. Mihi verò animus non est, quam me traditurum nunc profiteor vitæ institutionem eousque extendere, vt & peculiariter singulas prosequatur virtutes, & in exhortationes expatietur. Ex aliorum scriptis, præsertim verò ex veterum homiliis, hæc petantur. Mihi abundè erit si methodum ostendero qua vir pius ad rectum constituendæ vitæ scopum deducatur ac regulam quandam vniuersalem breuiter finiero, ad quam officia sua non malè exigat. Declamationibus suũ aliquando fortè tempus erit: vel aliis partes quibus nõ adeo sum idoneus relinquam. Amo natura breuitatem: & fortè, si copiosius loqui vellem, non succederet. Quòd si maximè plausibiles esset prolixior sed docendi ratio experiri tamen vix liberet. præsentis autem operis ratio postulat vt simplicem doctrinam quanta licebit breuitate perstringamus. Quemadmodum autem certos recti & honesti fines habẽt philosophi, vnde particularia officia totúmque virtutũ chorum deducunt: ita nec ordine suo caret in hoc Scriptura: quin pulcherrimam œconomiam tenet, ac philosophicis omnibus multo certiorem. Hoc tantùm interest quòd illi (vt erant ambitiosi homines) exquisitam dispositionis perspicuitatẽ, qua ingenii dexteritatem ostentarent, sedulò affectarunt: Spiritus verò Dei, quia sine affectatione docebat, non ita exactè nec perpetuò methodicam rationem obseruauit. quamtamen dum alicubi ponit, satis innuit non esse à nobis negligendam.

2 Porrò duabus potissimũ partibus incumbit hæc, de qua loquimur, Scripturæ institutio: Prior est, vt iustitiæ amor, ad quẽ alioqui natura minimè propẽsi sumus, animis nostris instilleturac inferatur: altera, vt nobis norma præscripta sit, quæ nos in iustitiæ studio aberrare non sinat. Commendandæ autem iustitiæ rationes habet plurimas & optimas, ex quibus multas suprà diuersis locis notauimus, nonnullas adhuc breuiter hîc attingemus.

mus. A quo fundamẽto melius exordiatur quàm dum admonet nos sanctificari oportere, quia Deus noster sanctus est? Siquidem quum instar disiectarum ouium dispersi essemus, ac per mũdi labyrinthum dissipati, ipse nos recollegit, vt sibi aggregaret. Quum nostræ cum Deo coniunctionis mentionem audimus, meminerimus sanctitatem oportere eius esse copulam: non quia sanctitatis merito veniamus in eius communionem: (quum potius adhærere primò illi oporteat, vt eius sanctitate perfusi sequamur quò vocat) sed quoniam ad eius gloriam magnopere pertinet, non esse illi consortium cum iniquitate & immunditia. Quare & hũc vocationis nostræ finem esse docet in quem respicere semper conuenit, si vocanti Deo velimus respondere. Quorsum enim à mundi nequitia & pollutione, in quibus demersi eramus, nos erui attinebat, si nobis permittimus tota vita in illis volutari? Adhæc simul etiam admonet nos, vt in Domini populo censeamur, sanctam ciuitatem Ierusalẽ oportere inhabitare: quam vt ipse sibi consecrauit, ita incolarum impuritate nefas est profanari. vnde sunt eæ voces, Locum iis futurum in Dei tabernaculo qui incedunt sine macula, & iustitiæ studeant, &c. quia sanctuarium in quo habitat, minimè decet instar stabuli sordibus esse refertum. Iesa.35.c.8, & alibi. Psal.15.a.2, & 24

3 Ac, quo melius nos expergefaciat, ostendit Deum Patrem, quemadmodũ nos sibi in Christo suo cõciliauit, ita in eo nobis imaginem signare ad quam nos conformari velit. Age, præstantiorem œconomiam mihi apud philosophos reperiãt qui apud eos solos rite atque ordine dispositam putant philosophiam moralem. Illi, dum ad virtutem egregiè volunt adhortari, nihil aliud afferunt quàm vt naturæ cõuenienter viuamus: Scriptura autem à vero fonte deducit exhortationem, quum non modò vitam nostrã ad Deum authorem cui obstricta est, referre præcipit: sed, postquam degenerasse nos docuit à vera creationis nostræ origine ac lege, subiungit, Christum, per quem in gratiam cum Deo rediimus, nobis propositum esse exẽplar cuius formã in vita nostra exprimamus. Quid hoc vno efficacius requiras? imò quid vltra hoc vnum requiras? Hac enim conditione si adoptamur in filios à Domino, vt Christum, nostræ adoptionis vinculum, vita nostra repræsentet: nisi nos iustitiæ addicimus ac deuouemus, nõ modò à Creatore nostro deficimus pessima perfidia, sed ipsum quoque seruatorem eiuramus. Deinde ab omnibus Dei beneficiis quæ nobis commemorat, ac singulis salutis nostræ partibus sumit exhortandi materiam. Ex quo se nobis Patrem Deus exhibuit, extremæ ingratitudinis nos esse arguẽdos, nisi vicissim illi filios exhibeamus. Ex quo nos Christus sanguinis sui lauacro purificauit, atque hanc purgationem per baptismum communicauit, non decere vt nouis sordibus inquinemur. Ex quo nos suo corpori inseruit, solicitè cauendum ne nobis, qui sumus eius membra, maculam aut labẽ vllam aspergamus. Ex quo ipse idem, qui caput est nostrum, in cælum ascendit, conuenire vt deposito terræ affectu, illuc toto pectore aspiremus. Ex quo nos Spiritus sanctus templa Deo dedicauit, dandam operam vt Dei gloria per nos illustretur: nec verò esse committẽdum vt peccati spurcitia profanemur. Ex quo & anima nostra & corpus cælesti incorruptioni & immarcessibili coronæ destinata sunt, strenuè enitendum esse vt pura & incorrupta in diem Domini conseruentur. Hæc, inquam, auspicatissima sunt bene constituendæ vitæ fundamẽta, quibus nequaquam similia deprehendas apud philosophos: qui in commendatione virtutis, nunquam supra hominis naturalem dignitatem conscendunt. Rom.6.d.18 Mala.1.b.6 Ephes.5.a.1 1.Iohã.3.a.1 Ephe.5.f.26 He.10.b.10 1.Cor.6.b.11 1.Pet.1.c.15, & d.19 1.Cor.6.c.15 Iohan.15.a.3 Ephe.5.e.23 Coloss.3.a.1 1.Cor.3 c.16 & 6.d.19 2.Cor.6.d.16 1.The.5.d.23

4 Atque hic locus est cõpellandi eos qui nihil habẽtes Christi præter titulũ ac symbolum, Christiani tamen nominari volunt. Qua tandẽ fronte sacro eius nomine gloriantur? Siquidem nihil est commercii cum Christo nisi his qui rectam eius cognitionem ex verbo Euangelii perceperunt. Atqui eos omnes Christum rectè didicisse negat Apostolus, qui non edocti sunt, abiecto veteri homine, qui corrũpitur secundum desideria erroris, ipsum esse induendum. Falsò igitur atque etiam iniurià Christi cognitionẽ obtendere arguũtur, quamlibet disertè interim ac volubiliter de Euangelio garriãt. Non enim linguæ est doctrina, sed vitæ: nec intellectu memoriáque duntaxat apprehẽditur, vt receptaculũ inuenit in intimo cordis affectu. Aut ergo desinant cum Dei cõtumelia iactare id quod non sunt, aut se non indignos Christo magistro discipulos præstent. Doctrinæ, qua religio nostra continetur, priores dedimus partes: quandoquidem ab ea salus nostra inchoatur. verùm ea in pectus trãsfundatur atque in mores trãseat oportet, adeóque nos in se transformet vt sit nobis non infructuosa. Si iure in eos philosophi excandescunt, Ephe.4.c.22

eósque probrosè à grege suo abigunt,qui quum artem profiteantur quæ magistra vitæ esse debeat,eam in sophisticam loquacitatem conuertunt:quanto meliori ratione nugaces istos sophistas detestabimur, qui Euangelium in summis labris volutare contenti sunt, cuius efficacia centuplo magis quàm frigidæ philosophorum paræneses, in effectus cordis intimos penetrare,animæ insidere,ac totum hominem afficere debuerat?

5 Neque requiro vt nihil quàm absolutum Euãgelium Christiani hominis mores spirent. quod tamen ipsum & optandum est & conari necesse est. Sed non ita seuerè requiro Euangelicam perfectionem, vt nõ sim pro Christiano agniturus qui nondum ad eam pertigerit.sic enim ab Ecclesia excluderentur omnes:quando nemo reperitur qui non sit longo adhuc interuallo dissitus: multi verò parum adhuc progressi sunt, qui tamen immeritò abiicerentur. Quid ergo? scopus ille ante oculos præfigatur, ad quem solum dirigatur studium nostrum. Præstituatur meta illa, ad quam & enitamur & contendamus. Non enim ita partiri cum Deo fas est vt ex iis quæ tibi eius verbo præscribuntur partem suscipias,partem arbitrio tuo prætereas. Primo enim loco integritatem, tanquam præcipuam cultus sui partẽ, vbique commendat. quo nomine synceram animi simplicitatem intelligit,quæ fuco & fictione careat: cui cor duplex opponitur. acsi diceretur spirituale esse rectè viuendi principiũ,vbi interior animi affectus sine fictione ad sanctitatem & iustitiam colendam Deo addicitur. Sed quoniam nemini tantum suppetit in terreno hoc corporis carcere roboris, vt iusta cursus alacritate festinet,maiorem verò numerum tanta premit debilitas vt vacillando & claudicãdo,humi etiã reptando modicè promoueãt, eamus quisque pro facultatulæ suæ modo, & incœptum iter prosequamur. Nemo tam infœliciter incedit,quin aliquantum saltem viæ quotidie emetiatur.Hoc ergo agere non desinamus,vt aliquid assiduè in via Domini proficiamus: neq; successus tenuitatẽ desperemus. vtcunq; enim successus voto nõ respõdeat, nõ tamẽ perdita est opera vbi hodiernus dies hesternũ vincit: syncera modò simplicitate in scopum nostrũ respiciamus, & ad metã aspiremus, nõ assentatoriè blãdientes nobis ipsis, nec malis nostris indulgẽtes, sed perpetuo conatu in hoc incumbentes vt meliores nobis ipsis euadamus, donec ad ipsam peruentũ fuerit bonitatẽ: quã quidẽ toto vitæ spatio quærimus ac sequimur, tum apprehendemus quum nos carnis infirmitate exuti, in plenũ eius consortiũ recepti fuerimus.

Summa vitæ Christianæ: vbi de abnegatione nostri. CAP. VII.

Rom.12.a.1

TSI optimam & aptissimè disposita constituendæ vitæ methodum habet lex Domini,visum tamen est cælesti magistro, accuratiore etiamnum ratione ad ipsam quam in Lege præscripserat regulam suos formare. Atque huius quidem rationis principium hoc est: quòd fideliũ officium est,præbere Deo sua corpora hostiam viuentem, sanctam, & illi acceptam: atque in eo situm esse legitimũ eius cultum. Vnde exhortandi argumẽtum ducitur,ne se accommodent ad figuram seculi huius,sed transformentur renouatione mentis suæ, vt probent quæ sit volũtas Dei. Iã hoc magnũ est,nos esse Deo consecratos,ac dedicatos:nequid posthac cogitemus,loquamur,meditemur, agamus, nisi in eius gloriam. Sacrum enim non sine insigni in eum iniuria ad profanos vsus applicatur.Quòd si nostri non sumus,sed Domini: & quis error sit fugiendus, & quorsum dirigendæ sint vitæ nostræ actiones vniuersæ,appareret. Nostri non sumus: ergo ne vel ratio nostra, vel voluntas in consiliis nostris factísque dominetur. Nostri non sumus:ergo ne statuamus nobis hunc finem, vt quæramus quod nobis secundum carnem expediat.Nostri non sumus:ergo quoad licet obliuiscamur nosmetipsos, ac nostra omnia. Rursum, Dei sumus: illi ergo viuamus ac moriamur.Dei sumus:cuncta ergo nostris actionibus præsideat sapientia eius & voluntas.Dei sumus:ad illũ igitur,tanquam solum legitimũ finem, contendãt omnes vitæ nostræ partes. O quantum ille profecit qui se non suum esse edoctus,dominium regiménque sui propriæ rationi abrogauit,vt Deo asserat!

Rom.14.b.8

Nam vt hæc ad perdẽdos homines efficaciſſima est pestis, vbi sibiipsis obtemperant,ita vnicus est salutis portus,nihil nec sapere,nec velle per seipsum, sed Dominũ præeuntẽ duntaxat sequi.Sit hic itaq; primus gradus,hominẽ à seipso discedere,quo totã ingenii vim applicet ad Domini obsequiũ.Obsequiũ dico non modò quod in verbi obediẽtia iacet,sed quo mens hominis, proprio carnis sensu vacua, se ad Spiritus

Ephes.4.f.23

Dei nutum tota conuertit. Hanc transformationem (quam renouationem mentis Paulus appellat) quum primus sit ad vitam ingressus, philosophi omnes ignorarunt. Solam enim rationem homini moderatricem præficiunt, hanc solam putant audiendam, huic

huic denique vni morum imperium deferunt ac permittunt. at Christiana philosophia illam loco cedere, Spiritui sancto subiici ac subiugari iubet: vt homo iam non ipse viuat, sed Christum in se ferat viuentem ac regnantem. Gala.2. d.20

2 Inde cõsequitur & illud alterum, Vt ne quæramus quæ nostra sunt, sed quæ & ex Domini sint voluntate, & faciant ad gloriam eius promouendã. Magni & hoc profectus, vt nostri penè obliti, certè ratione nostri posthabita, Deo eiúsque mandatis fideliter studium nostrũ impendere conemur. Quum enim nos priuatam nostri rationẽ omittere iubet Scriptura, non modò habendi cupiditatem, potẽtiæ affectationem, hominũ gratiam ex animis nostris eradit: sed ambitionem quoque & omnem gloriæ humanæ appetitum, aliásque secretiores pestes eradicat. Ita sanè cõpositum & comparatum esse cõuenit hominem Christianum, vt sibi in tota vita negotium cum Deo esse reputet. Hac ratione, vt omnia sua ad arbitrium calculúmque eius reuocabit, ita totam mentis intentionem religiosè ad eum referet. Nam qui Deum in omni re agenda intueri didicit, simul ab omni vana cogitatione auertitur. Hæc illa est nostri abnegatio, quam discipulis suis à primo tyrocinio mandat tanta diligentia Christus: quæ vbi semel in animo obtinuit, primũ neque fastui, neque ostentationi, deinde neque auaritiæ, neque libidini, neque luxuriæ, neque mollitiæ, neque aliis quæ ex amore nostri generãtur, malis locum vllum relinquit. Contrà vbicunque non regnat, illic vel spurcissima vitia sine pudore peruagantur: vel si qua est virtutis species, praua gloriæ cupidine vitiatur. Ostende enim hominem, si potes, qui nisi sibi, iuxta Domini mãdatum, renuntiarit, gratis exercere bonitatẽ inter homines velit. Nam quicunque non fuerunt hoc sensu occupati, laudis saltẽ gratia virtutem sequuti sunt. Qui autem vnquam ex philosophis virtutem propter se expetendam maximè contenderunt, tanta arrogantia inflati fuerunt, vt appareat non ob aliud virtutem expetiisse, nisi vt superbiendi haberent materiam. Atqui adeo non oblectatur Deus neque illis popularis auræ captatoribus, nec turgidis illis pectoribus, vt pronuntiet illos in mũdo suam recepisse mercedem, his propiores regno cælorum faciat meretrices & publicanos. Necdum tamen ad liquidum expositimus quot & quantis obstaculis impediatur homo à recti studio quandiu seipsum non abnegauerit. Verè enim dictum est olim, Mundum vitiorum esse reconditum in hominis anima. Nec aliud remedium inuenias, quàm si te abnegato, ac præterita tui ratione, mentem ad ea quærenda totam intendas quæ abs te Dominus requirit, & ideo tantum quærenda quia illi placent.

3 Alibi distinctius idem Paulus singulas vitæ bene compositæ partes, quanuis breuiter, exequitur. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & iustè & piè viuamus in præsenti seculo, expectantes beatam spem, & manifestationem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi: qui dedit se pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. Postquam enim ad nos animandos gratiam Dei proposuit, vt nobis ad Deum verè colendum viam sternat, duo tollit obstacula quæ maximè impediunt, impietatem scilicet, ad quam natura sumus nimium procliues, deinde mundanas cupiditates quæ se longius extendunt. Ac sub impietate quidẽ nõ modò superstitiones notat, sed cõprehendit etiã quicquid pugnat cum serio timore Dei. Mundanæ autẽ cupiditates tantundẽ valent atq; carnis affectus. Ita quo ad vtranque Legis tabulam iubet nos proprium ingenium exuere, & abnegare quicquid ratio & voluntas dictat. Iã omnes vitæ actiones ad tria mẽbra restringit, sobrietatem, iustitiam, & pietatẽ. ex quibus sobrietas haud dubiè tã castitatem & tẽperantiam quàm putem omnia æquitatis officia complectitur, vt reddatur vnicuique quod suum est. Sequitur pietas, quæ nos à mundi inquinamentis segregatos vera sanctitate cũ Deo coniungit. Hęc vbi insolubili vinculo inter se cõnexa sunt, solidam efficiũt perfectionẽ. Verùm quia nihil magis difficile est, quàm ratione carnis valere iussa, & domitis cupiditatibus, imò abnegatis, Deo & fratribus nos addicere, & Angelicã vitam in terræ sordibus meditari: Paulus, vt animos nostros ab omnibus laqueis extricet, reuocat nos ad spẽ beatæ immortalitatis: non frustra nos certare admonens: quia vt semel apparuit Christus redẽptor, ita vltimo suo aduentu fructũ salutis à se partæ ostendet. Atque hoc modo illecebras omnes discutit quæ nos obnubilãt, ne aspiremus, vt decet, ad cælestem gloriam: imò docet peregrinandum esse in mundo, ne pereat vel excidat nobis cælestis hereditas. Tit.2.c.11

4 Porrò in his verbis perſpicimus abnegationem noſtri partim quidem in homines reſpicere, partim verò (idque præcipuè) in Deum. Quum enim ſic nos cum hominibus gerere iubet Scriptura vt illos honore nobis anteferamus, vt procurãdis eorum commodis totos nos bona fide impendamus: ea dat mandata quorum minimè capax eſt animus noſter, niſi antè naturali ſenſu euacuatus. Nam (qua cæcitate omnes in amorem noſtri ruimus) ſibi quiſque iuſtam cauſam habere videtur ſe efferendi, alios autem præ ſe omnes contemnendi. Siquid in nos contulit Deus non pœnitendum, eo freti ſtatim, animos tollimus: nec tantùm intumeſcimus, ſed penè rumpimur ſuperbia. Vitia, quibus abũdamus, & occultamus ſedulò apud alios, & nobis ipſis leuia minutáque eſſe fingimus, blandiendo, imò interdum pro virtutibus oſculamur. Eædem, quas in nobis admiramur, dotes ſi in aliis apparent, vel etiam ſuperiores, ne cogamur illis cedere, noſtra malignitate deterimus ac carpimus: ſiqua ſunt vitia, ſeuera acríque animaduerſione ea obſeruare non contenti, odioſè amplificamus. Hinc illa inſolentia, vt quiſque noſtrûm, ceu communi lege exemptus, ſupra reliquos velit eminere: neminem verò mortalium non ſecurè & ferociter contemnat, vel certè tanquam inferiorem deſpiciat. Cedunt diuitibus pauperes, plebeii nobilibus, ſerui dominis, literatis indocti: ſed nemo eſt qui non aliquam præſtantiæ opinionem intus alat. Ita ſinguli ſibi adulando regnum quoddam gerunt in pectore. ſibi enim arrogantes quo ſibi placeant, de aliorum ingeniis & moribus cenſuram agunt: ſi verò ad contentionem ventum fuerit, illic erumpit venenum. Nam multi ſanè nonnullam manſuetudinem præ ſe ferunt quandiu blãda omnia & amabilia experiuntur: at verò qui eundem ſeruet modeſtiæ tenorem vbi pungitur & irritatur, quotuſquiſque eſt? Nec aliud remedium eſt quàm vt reuellatur ex imis viſceribus hæc noxioſiſſima τῆς φιλονεικίας καὶ φιλαυτίας peſtis: quemadmodum etiam Scripturæ doctrina reuellitur. Sic enim inſtituimur, vt quas Deus nobis largitus eſt dotes, meminerimus nõ noſtra eſſe bona, ſed gratuita Dei dona: quibus ſiqui ſuperbiant, ingratitudinem ſuam produnt. Quis te præſtantiorẽ reddit? inquit Paulus. quòd ſi acceperis omnia, quid gloriaris acſi tibi data non eſſent? Deinde aſſidua vitiorum noſtrorum recognitione ad humilitatem nos reuocemus. Ita nihil in nobis reſtabit quo turgeamus: multa verò erit deiectionis materia. Rurſum iubemur, quæcunque in aliis reſpicimus Dei dona, ſic reuereri ac ſuſpicere vt eos quoque honoremus penes quos reſidẽt. Nam, quo ipſos honore dignatus eſt Dominus, magnæ improbitatis foret eum illis adimere. Ad vitia autem docemur conniuere, non equidem vt adulando foueamus, ſed ne illorum cauſa inſultemus iis quos beneuolentia & honore fouere conuenit. Ita fiet vt cum quocunque mortalium negotium nobis ſit, non tantùm moderatè nos & modeſtè, ſed comiter & amicè etiam geramus. Quemadmodum ad veram manſuetudinem nunquam alia via peruenies quàm ſi & tui deiectione, & alterius reuerentia imbutum pectus habueris.

Rom. 12. c. 10
Philip. 2. a. 3
1. Cor. 4. b. 7

5 Iam in quærenda proximi vtilitate officium præſtare, quãtum habet difficultatis? Niſi à tui conſideratione diſcedas, & te quodammodo exuas, nihil hîc efficies. Quomodo enim opera exhibeas quæ charitatis eſſe Paulus docet, niſi tibi renũtiaueris, vt aliis totum te addicas? Charitas (inquit) patiens eſt, benigna, non procax, non faſtidioſa, non inuidet, non inflatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, &c. Hoc vnum ſi exigatur, ne quæramus quæ noſtra ſunt, non tamen minima vis erit afferenda naturæ: quæ ſic in ſolã noſtri dilectionẽ nos inclinat, vt nõ tam facilè patiatur nos ac noſtra negligẽter tranſire, quò alienis commodis inuigilemus: imò iure noſtro ſpõte cedere, quod alteri reſignemus. At Scriptura, vt eò nos manu ducat, præmonet, quicquid à Domino gratiarum obtinemus, eſſe nobis hac lege concreditum vt in commune Eccleſiæ bonum conferatur. ideóque legitimum gratiarũ omnium vſum eſſe, liberalem ac benignam cum aliis communicationem. Nulla nec certior regula, nec validior ad eam tenẽdam exhortatio excogitari poterat, quàm vbi docemur, omnes quibus pollemus dotes, Dei eſſe depoſita, ea lege fidei noſtræ commiſſa vt in proximorũ bonum diſpenſentur. Sed vlterius etiam num pergit Scriptura, dum illas facultatibus comparat quibus prædita ſunt humani corporis membra. Nullum mẽbrum ſuam facultatẽ ſibi habet, nec in priuatũ vſum applicat: ſed ad ſocia membra trãſfundit: nec vllam inde vtilitatẽ capit niſi quæ ex cõmuni corporis totius cõmoditate procedit. Sic pius vir quicquid poteſt, fratribus debet poſſe: ſibi non aliter priuatim conſulendo quàm vt ad cõmunem Eccleſiæ ædificationem intentus ſit animus. Hæc itaque ſit nobis ad benignitatẽ beneficentiámque methodus: quicquid in nos

1. Cor. 13. b. 4

Deus

Deus contulit quo proximũ queamus adiuuare,eius nos esse œconomos,qui ad reddendam dispensationis rationem astringimur. Eam porrò demum rectam esse dispensationem,quæ ad dilectionis exigatur regulam. Ita fiet vt non modò alieni commodi studium cum propriæ vtilitatis cura semper coniungamus, sed hanc illi subiiciamus. Ac ne fortè nos lateret,eam esse legem ritè administrandi quæcunque à Deo dona suscipimus,in minimis quoque benignitatis suæ muneribus eam olim posuit. Primitias enim frugum offerri sibi mandauit, quibus testaretur populus nefas sibi esse aliquem percipere fructum ex bonis non illi antè consecratis. Quòd si ita demũ sanctificantur nobis Dei dona postquam ipsi authori manu nostra ea dedicauimus: impurum esse abusum constat qui non eiusmodi dedicationem redoleat. Atqui Dominum frustra rerum tuarum communicatione locupletare contendas. ad eum igitur quum peruenire benignitas nequeat tua (vt Propheta inquit)ea tibi erga sanctos eius qui in terra sunt exercenda est. ideóque sacris oblationibus comparantur eleemosynæ,vt legalibus illis nunc respondeant. Exo.22.d.29 & 23.d.19 Psal.16.a.3 Heb.13.c.16 1.Cor.13.a.4

6 Porrò ne benefaciendo fatiscamus(quod protinus fieri alioqui necesse foret)accedere oportet alterum illud quod ponit Apostolus, Patientem esse charitatem,nec irritari. Omnibus in vniuersum benefacere Dominus præcipit, quorũ magna pars indignissimi sunt,si proprio merito æstimentur: sed hîc optima ratione subuenit Scriptura, quum docet non esse respiciendum quid ex seipsis mereantur homines, sed imaginem Dei in cunctis considerandam, cui nihil non & honoris & dilectionis debeamus. In domesticis autem fidei illam eandem diligentius obseruandam, quatenus per Christi Spiritum renouata est & instaurata. Ergo quisquis hominum tibi nunc offeratur qui officio tuo indigeat,causam non habes cur illi te impendere detrectes. Dic extraneum esse. at Dominus notam illi impressit quæ familiaris esse tibi debet: qua ratione vetat carnẽ tuam despicere. Dic contemptibilem ac nihili.at eum Dominus esse demonstrat,quem imaginis suæ decore dignatus sit. Dic nullis eius officiis te esse obæratum. at eum velut in vicem suam substituit Deus,erga quem tot ac tanta recognoscas beneficia quibus te sibi deuinxit. Dic indignum esse cuius causa vel minimum labores.at digna est imago Dei,qua tibi commendatur, cui te & omnia tua exhibeas. Quòd si non modò nihil boni promeritus est,sed iniuriis quoque ac maleficiis te prouocauit, ne hæc quidem iusta causa est cur illum & dilectione complecti & dilectionis officiis prosequi desinas. Longè aliter(inquies) de me promeritus est. At quid meritus est Dominus? qui dum illi iubet remitti quicquid in te peccauit, sibi certè vult imputari. Hac profectò vna via peruenitur ad id quod humanæ naturæ prorsus aduersum est,nedũ difficile: vt diligamus eos qui nos odio habent, beneficiis mala pẽsemus, probris benedictiones referamus: si meminerimus nõ hominũ malitiã reputandã esse,sed inspiciendã in illis Dei imaginẽ: quæ inductis ac obliteratis eorum delictis,ad eos amandos amplexãdósque sua pulchritudine ac dignitate nos alliciat. Galat.6.c.10 Iesa.58.b.7 Mat.6.b.14 & 18.d.35 Luc.17.a.3 Mat.5.g.44

7 Hæc ergo mortificatio tum demum habebit in nobis locum, si charitatis numeros impleamus. Ille autem implet non qui omnibus charitatis officiis solummodo defungitur,etiamsi nullum prætermittat: sed qui ex syncero amoris affectu id facit. Potest enim accidere vt quis exoluat quidem ad plenum omnibus quod debet, quantum attinet ad externa officia: interim tamen longè absit à vera exoluendi ratione. Quosdam enim videas qui valde liberales videri volunt, qui tamen nihil largiũtur quod non superbia vultus aut etiam verborum insolentia exprobrent. Atque huc calamitatis hoc infœlici seculo deuentum est, vt nullæ propè eleemosynæ, saltem à maxima parte hominum, sine contumelia porrigantur. Quæ prauitas ne inter ethnicos quidem tolerabilis esse debuerat. nam à Christianis plus aliquid etiamnũ requiritur quàm vt hilaritatem in vultu præ se ferant,& verborum comitate amabilia reddant sua officia. Primùm,quem eius ope sua indigere conspiciunt personam suscipiant oportet, ac fortunæ perinde misereantur ac si eam sentirent ipsi ac sustinerent: vt misericordiæ atque humanitatis sensu ad ferendas illi suppetias non aliter quàm sibi, ferantur. Qui sic animatus ad operam fratribus suis dandam accedet, non modò nulla vel arrogantia vel exprobratione officia sua contaminabit: sed nec fratrem, cui benefacit, vel tanquam opis egenum despiciet, vel tanquam sibi obligatum subiugabit. non magis scilicet quàm vel ægro membro insultamus,cui reuocillando reliquum corpus laborat: vel reliquis membris putamus specialiter obligatum,quia plus operæ ad se traxerit quàm repẽderit. Siquidem officiorum inter membra communicatio nihil gratuitum habere creditur,sed potius solutio esse eius quod naturæ

lege debitum negare prodigioſum eſſet. Hac quoque ratione fiet vt ne liberatũ ſe putet qui vno genere officii defunctus fuerit: quemadmodum vulgò fieri ſolet vt diues, poſtquam aliquid de ſuo erogauit, alia onera, tanquam nihil ad ſe pertinẽtia, aliis deleget. Sed ita potius ſecum quiſque cogitabit, ſe, quantus quantus eſt, proximis debitorem ſui eſſe: nec alium exercendæ erga ipſos beneficentiæ ſtatuendum eſſe finem niſi quum facultates deficiunt: quæ, quàm latè extenduntur, ad charitatis regulam limitari debent.

8 Præcipuam abnegationis noſtri partem, quam diximus in Deum ſpectare, iterum plenius exequamur. ac multa quidem de ea iam dicta ſunt, quæ repetere ſuperuacuũ foret. ſufficiet tractare quatenus ad æquanimitatem tolerantiámque nos format. Principiò igitur in quærenda vitæ præſentis vel commoditate vel tranquillitate, huc nos Scriptura vocat, vt Domini arbitrio nos noſtráque omnia reſignantes, domandos ac ſubiugandos cordis noſtri affectus illi tradamus. Ad opes honoréſque expetendos, ad ambiendam potentiam, ad cumulandas diuitias, ad eas omnes ineptias, quæ ad magnificentiã pompámque facere vidẽtur, congerendas, furioſa eſt noſtra libido, infinita cupiditas. Rurſum paupertatis, ignobilitatis, humilitatis mirus timor, mirum odium: quibus ad illa modis omnibus amoliẽda ſtimulamur. Hinc videre eſt quàm irrequieto ſint ingenio, quot tentẽt artes, quibus ſtudiis ſe fatigent quicunque vitam proprio conſilio componunt: quò ſcilicet adipiſcantur quæ vel ambitionis vel auaritiæ fert affectus. rurſum quò pauperiem humilitatémque deſugiant. Piis ergo hominibus, ne talibus laqueis implicentur, hæc tenenda eſt via. Principiò non aliunde proſperandi rationem vel appetant, vel ſperent, vel cogitent quàm ex Domini benedictione: ideóque in eam ſe tutò ac confidenter reiiciant ac reclinent. Nam vtcunque ſibi pulchrè ſufficere videatur caro, dum vel propria induſtria ad honores opéſque contendit, vel ſtudio enititur, vel adiuuatur hominum gratia: certum eſt tamen omnia hæc nihil eſſe, neque aliquid vel ingenio vel labore nos profecturos, niſi quatenus vtrunque Dominus proſperabit. At è conuerſo ſola ipſius benedictio etiam per omnia impedimenta viã reperit, vt nobis in lætum fauſtúmque exitum ſuccedere omnia faciat: deinde vt maximè ſine ipſa poſſimus aliquid gloriæ atque opulentiæ nobis comparare: (quemadmodũ videmus quotidie impios magnis & honoribus & opibus cumulari) quando tamen ne minimam quidem fœlicitatis particulam deguſtãt quibus incumbit Dei maledictio, ſine ipſa nihil niſi quod malè nobis vertat conſequemur. Porrò nequaquam appetendum quod homines magis miſeros facit.

9 Ergo ſi omnem proſperi ſucceſſus atque optabilis rationẽ in ſola Dei benedictione credimus eſſe poſitam, qua abſente miſeriæ nos omne genus & calamitatis maneant: reſtat etiam vt ne propria vel ingenii dexteritate vel ſedulitate freti, nec hominũ fauore ſubnixi, vel inani fortunæ imaginatione confiſi, ad opes honoréſque cupidè contendamus: ſed in Dominũ ſemper reſpiciamus, vt eius auſpiciis ad quamcũque ille prouiderit ſortẽ deducamur. Ita primùm fiet vt nõ per nefas, & dolis ac malis artibus, vel rapacitate, cum proximorũ iniuria ruamus ad captandas opes, ad honores inuadẽdos: ſed eas tantùm fortunas ſequamur quæ nos ab innocentia non abducãt. Quis enim ſperet diuinæ benedictionis, inter fraudes, rapinas, aliáſque nequitiæ artes, auxilium? Nã vt illa niſi purè cogitãtem ac rectè agentẽ non ſequitur: ita eos omnes à quibus expetitur ab obliqua cogitatione prauíſque facinoribus reuocat. Deinde iniectũ erit nobis frænũ, ne immodica diteſcendi cupiditate ardeamus, néve honoribus ambitioſè inhiemus. Qua enim fronte quis à Deo ſe adiutum iri confidat, ad ea conſequenda quæ cõtra eius verbum deſiderat? Abſit enim vt quod ore ſuo Deus maledicit, benedictionis ſuæ adiutorio proſequatur. Poſtremò, ſi pro voto ac ſpe nõ ſuccedat, cohibebimur tamẽ ab impatientia, & qualiſcunq; noſtræ cõditionis deteſtatione: quòd ſciemus id eſſe murmurare aduerſus Deum, cuius arbitrio diuitiæ & paupertas, contẽptus & honores diſpẽſantur. In ſumma, qui ſe eo quo dictum eſt modo in Dei benedictionem reclinarit, nec ea quæ furioſè expeti ab hominibus ſolent, malis artibus aucupabitur, quibus ſe nihil profecturum cogitabit: nec, ſi quid proſperè acciderit, ſibi imputabit, ac ſuæ vel ſedulitati, vel induſtriæ, vel fortunæ: ſed Deo authori acceptum feret. Quòd ſi florentibus aliorum rebus, ipſe parum promoueat, imò etiam retro delabatur: maiori tamen æquitate ac moderatione animi ſuam tenuitatem feret quàm profanus quiſpiam mediocrem ſucceſſum, qui voto duntaxat non reſpõdeat: habens ſcilicet ſolatium, in quo tranquillius acquieſcat quàm in ſummo vel opulentiæ vel potentiæ faſtigio: quia vt ſaluti ſuæ conducit, ita res ſuas ordinari à Domino reputat.

Sic

Sic Dauidem fuisse affectum videmus, qui dum sequitur Deum, séque ei regendũ trádit, similẽ se testatur puero ablactato, neque ambulare in rebus altis vel mirabilibus supra se. Psal.130.a.1

10 Neque in hac tantùm parte cõstare piis animis debet illas trãquillitas & tolerantia: verùm ad omnes etiam casus, quibus obnoxia est præsens vita, extendatur necesse est. Ergo nemo se rite abnegauit, nisi qui se totùm ita resignauit Domino vt omnes vitæ suæ partes eius arbitrio gubernarí erat. Qui verò sic animo compositus erit, quicquid accidat, nec miserũ se reputabit, nec de sua sorte cũ Dei inuidia conqueretur. Quàm verò necessaria sit hæc affectio, inde patebit, si consideres quot accidentibus subiecti simus. Alii atque alii morbi nos identidem infestant: nunc sæuit pestilentia, nunc belli calamitatibus crudeliter vexamur: nunc gelu aut grando, spe anni deuorata, sterilitatem inducit, quæ nos ad penuriam redigat: vxor, parentes, liberi, propinqui morte abripiuntur: incendio absumitur domus: hæc sunt quorũ euentu, vitæ suæ maledicunt homines, suum natalem detestantur, cælum & lucem execrationi habent, obloquuntur Deo: & (vt sunt facundi ad blasphemias) iniquitatis eum & sæuitiæ accusant. Fidelem verò in his quoque oportet Dei clementiã & verè paternã indulgentiã intueri. Proinde, siue suas ædes, sublatis propinquis, in solitudinem redactas videat, ne sic quidem desinet benedicere Domino: quin potius ad hanc cogitationem se conuertet, Gratia tamẽ Domini, quæ domũ meam inhabitat, eam desolatã non relinquet. Siue adustis pruina segetibus, aut gelu consumptis, aut grandine proculcatis, imminere famẽ videat: non tamen despondebit animum, nec Deo inuidiã faciet: sed in hac fiducia permanebit, Nos tamẽ in tutela Domini sumus, & oues in pascuis eius educatæ: ille igitur alimenta nobis etiã in extrema sterilitate suppeditabit. Siue morbo afflictabitur, ne tum quidem frangetur doloris acerbitate, vt ad impatientiam prorumpat, atque ita cum Deo expostulet: sed iustitiam ac lenitatem in Dei ferula considerando, ad tolerantiam se reuocabit. Denique, quicquid eueniet, quia sciet manu Domini ordinatum, placido gratóque animo suscipiet, ne contumaciter eius imperio resistat, cuius in potestate se suáque omnia semel permisit. Facessat imprimis à pectore Christiani hominis stulta illa & miserrima ethnicorum consolatio, qui vt animum contra res aduersas confirmarent, eas fortunæ imputabant: contra quam indignari stultum esse iudicabant, quòd ἄσκοπος esset ac temeraria, quæ cæcis oculis merentes simul ac immerentes vulneraret. Hæc enim è conuerso pietatis est regula, solam Dei manum vtriusque fortunæ arbitram esse & moderatricem: ac eam quidem ipsam nõ ruere incõsiderato impetu, sed ordinatissima iustitia nobis bona simul ac mala dispensare. Pſal.79.c.13

De crucis tolerantia, quæ pars est abnegationis. CAP. VIII.

VIN altius etiãnum conscendere piam mentem decet. nempe quò discipulos suos vocat Christus, vt suam vnusquisque crucem tollat. Quoscunque enim Dominus cooptauit, ac suorum consortio dignatus est, ipse ad duram, laboriosam, inquietam, plurimísque ac variis malorum generibus refertã vitam præparare debent. Sic est cælestis Patris voluntas, vt certum de suis experimentũ capiat, eos talem in modũ exercere. A Christo primogenito suo exorsus, erga filios omnes suos hunc ordinem prosequitur. nam quũ esset ille Filius præ aliis dilectus, & in quo Patris animus acquiescebat, videmus tamen quàm non indulgenter ac molliter habitus fuerit: vt verè dici queat, non modò perpetua cruce exercitatum fuisse, quandiu terram incoluit: sed totam eius vitã nihil aliud fuisse quàm perpetuæ crucis speciẽ. Causam Apostolus assignat, quòd obedientiam discere oportuerit ex iis quæ passus est. Cur nos ergo ab ea cõditione eximamus, quam subire Christũ caput nostrum oportuit: præsertim quum nostra causa subierit, vt nobis in seipso patientiæ exemplar exhiberet? Quamobrem Apostolus omnibus filiis Dei hunc esse destinatum finẽ docet, vt cõformes eius fiant. Vnde etiam insignis consolatio ad nos redit, in rebus duris atque asperis, quæ aduersæ malæque existimãtur, nos Christi passionibus cõmunicare: vt quemadmodum ille à malorũ omniũ labyrintho in gloriã cælestẽ ingressus est, ita in eandẽ per varias tribulationes deducamur. sic enim loquitur alibi Paulus ipse: quòd dum communionẽ discimus afflictionum eius, simul apprehendimus potentiam resurrectionis: ac dum conformes reddimur morti eius, ita præparamur ad glorioſæ resurrectionis consortiũ. Quantum hoc valeat potest ad leniendam omnem crucis acerbitatem, quòd quo magis rebus aduersis afflictamur, eo certius cõfirmatur nostra cum Christo societas? cuius communione passiones ipsæ non modò benedictæ nobis fiunt, sed ad promouendã quoque nostrã salutem multũ afferunt adiumẽti; Mat.16.d.24 Mat.3.d.17, & 17.a.5 Rom.8.c.29 Act.14.d.22 Phili.3.b.10

2 Adde quòd Dominus noſter crucem ferendam ſuſcipere nihil neceſſe habuit niſi ad teſtandam approbandámque Patri ſuam obedientiam. nobis verò multis rationibus neceſſe eſt ſub aſſidua cruce vitam degere. Primùm (vt natura nimium propenſi ſumus ad omnia carni noſtræ tribuenda) niſi nobis imbecillitas noſtra velut oculo demonſtrata fuerit, facilè virtutem noſtram ſupra iuſtum modum æſtimamus, nec dubitamus, quicquid eueniat, contra omnes difficultates infractam fore & inuictam. Vnde in ſtolidam & inanem carnis confidentiam euehimur: qua freti, contumaciter deinde ſuperbimus in Deum ipſum, perinde acſi propriæ nobis facultates citra eius gratiam ſufficerent. Hanc arrogantiam melius retundere non poteſt quàm dum experimento nobis comprobat quanta non modò imbecillitate, ſed etiam fragilitate laboremus. Ergo vel ignominia, vel paupertate, vel orbitate, vel morbo, vel aliis calamitatibus nos affligit: quibus ſuſtinendis longè impares, quantum ad nos attinet, mox ſuccũbimus. Sic humiliati diſcimus inuocare eius virtutem: quæ ſola ſub pondere afflictionum conſiſtere nos facit. Quinetiam ſanctiſſimi, vtcunque Dei gratia non propriis viribus ſtare ſe nouerint, de ſua tamen fortitudine & conſtantia plus iuſto ſecuri ſunt, niſi eos crucis probatione in penitiorem ſui notitiam adducat. Hæc ſocordia Dauidi quoque obrepſit, Ego dixi in quiete mea, Non mouebor perpetuò. Iehoua ſtabileras in beneplacito tuo monti meo robur, abſcondiſti faciem tuã: fui perculſus. Fatetur enim torpore in rebus proſperis obſtupefactos fuiſſe ſuos ſenſus, vt poſthabita Dei gratia, à qua pendere debuerat, ſibi innixus fuerit vt perpetuitatem ſibi promitteret. Si hoc tanto Prophetæ accidit, quis noſtrûm non timeat vt caueat? Quòd ergo, rebus tranquillis, maioris conſtantiæ & patientiæ opinione ſibi blandiebantur, rebus aſperatis humiliati, hypocriſin fuiſſe diſcunt. Talibus, inquam, documentis admoniti ſuorum morborum fideles, proficiunt ad humilitatem: vt praua carnis confidentia exuti, ad Dei gratiam ſe conferant. Porrò vbi ſe contulerunt, diuinæ virtutis præſentiam, in qua ſatis ſupérque præſidii ineſt, experiuntur.

Pſal.30.a.7

3 Atque id eſt quod Paulus docet, tribulationibus generari patientiam, patiẽtia probationem. Nam quòd Deus promiſit fidelibus ſe adfuturum in tribulationibus, id verum eſſe ſentiunt dum patienter ſubſiſtunt, eius manu ſuffulti: quod ſuis viribus nequaquam poſſent. Patientia igitur experimẽtum affert ſanctis, quòd Deus, quã pollicitus eſt opem, re ipſa dum opus eſt exhibeat. Inde ſpes quoque eorum confirmatur: quando ingratitudinis nimiæ foret, non expectare in poſterum quam conſtantem ac firmam experti ſint Dei veritatem. Videmus iam quot vno contextu bona ex cruce naſcantur. Illam enim quam falſò de propria virtute præſumimus opinionem euertẽs, noſtrámque hypocriſin, quæ delicias nobis facit, detegens, pernicioſam carnis confidentiam excutit. ſic humiliatos, in Deum vnum reclinare docet: quo fit vt non opprimamur, nec ſuccumbamus. Victoriam autem ſpes ſequitur: quatenus ſcilicet Dominus, quod promiſit præſtando, ſuam in futurum veritatẽ ſtabilit. Sanè vt ſolæ ſint iſtæ rationes, apparet quàm neceſſaria nobis ſit crucis exercitatio. Neque enim parui momenti eſt cæcum tui amorem abſtergi: vt imbecillitatis tuæ conſcius probè fias. Imbecillitatis propriæ ſenſu affici, vt diffidere tibi diſcas. Diffidere tibi, vt fiduciam in Deum tranſferas. Cordis fiducia in Deum recumbere, vt ipſius auxilio fretus ad vltimum inuictus perſeueres. Conſiſtere ipſius gratia, vt veracem eſſe in ſuis promiſſis intelligas. Certitudinem promiſſionum eius habere compertam, vt ſpes tua inde roboretur.

Rom.5.a.3

4 Alium quoque finem habet Dominus affligendi ſuos, vt ipſorum patientiam exploret, & ad obedientiam eos erudiat. Non equidem quòd poſſint illi obediẽtiam præſtare, niſi quam ipſe dederit: ſed ita placet ei præclaris documentis teſtatas facere ac illuſtres quas in ſanctos contulit gratias: ne intus otioſæ lateant. Ergò tolerandi virtutem ac conſtantiã, qua ſeruos ſuos inſtruxit, in apertum proferendo, dicitur eorũ patientiam explorare. Vnde illæ ſunt loquutiones, quòd tentauerit Deus Abraham, & pietatem eius compertam habuerit ex eo quòd non detrectaſſet proprium filium & vnicũ immolare. Quare Petrus non ſecus fidem noſtram tribulationibus docet probari, quàm aurum in fornace igni examinatur. Quis autem non expedire dicat vt præſtantiſſimũ patientiæ donum, quod à Deo ſuo fideli accepit, in vſum producatur, vt certum manifeſtúmque fiat? Neque enim aliter vnquam homines ipſum pro merito æſtimabunt. Quòd ſi Deus ipſe, ne in obſcuro lateant, imò inutiles iaceant ac depereant quas fidelibus ſuis virtutes contulit iure facit, dum illis excitandis materiam ſuppeditat: optimã rationem habent ſanctorum afflictiones,

Gen.22.a.1, & c.12

1.Pet.1.b.7

afflictiones,ſine quibus nulla foret eorum patientia. Ad obediẽdum quoque erudiri cruce dico:quia ſic non ad proprium votum,ſed Dei arbitriũ viuere docentur. Sanè,ſi omnia illis ex ſententia fluerent, neſcirent quid eſſet Deum ſequi. Atque illud Seneca commemorat fuiſſe vetus prouerbium,quum ad res aduerſas tolerandas quempiam hortarẽtur, Deum ſequere. Quo ſcilicet innuebant, tum verè demum iugum Dei ſubire hominem, quum eius ferulæ manum ac tergum præberet. Quod ſi æquiſſimum eſt vt cæleſti Patri nos per omnia obſequentes eſſe approbemus, non eſt certè detrectandum, vt ad reddendam ſibi obedientiam mõdis omnibus nos aſſuefaciat. De vita bea. cap.15.

5 Necdum tamen perſpicimus quàm neceſſaria ſit nobis iſthæc obediẽtia,niſi ſimul reputamus quanta ſit ad excutiẽdum Dei iugum carnis noſtræ laſciuia, ſimulatque mollius aliquantiſper atque indulgẽtius habita eſt. Idem enim prorſus accidit illi quod equis refractariis,qui ſi aliquot dies otioſi ſaginantur,præ ferocitate domari poſtea nequeunt: nec ſeſſorem recognoſcũt, cuius imperio vtcunque antea obtemperabant. Atque omnino illud in nobis perpetuum eſt quod fuiſſe in populo Iſraelitico conqueritur Deus, vt pinguefacti & adipe obducti recalcitremus aduerſus eum qui nos aluit & enutriuit. Debebat quidem nos Dei beneficentia ad reputandam ac deamandam eius bonitatem allicere:ſed quando ea eſt noſtra malignitas vt perpetuò eius indulgentia potius corrumpamur: pluſquã neceſſarium eſt nos aliqua diſciplina cõtineri,ne in talem petulantiã exultemus. Sic,ne immodica opum abundantia ferociamus,ne honoribus elati ſuperbiamus, ne inflati reliquis vel animæ vel corporis vel fortunæ bonis inſoleſcamus,Dominus ipſe, provt prouidet expedire,occurrit,& carnis noſtrę ferociã crucis remedio ſubigit ac refrenat.idque variis modis:quantũ ſcilicet vnicuique ſalubre eſt. Neque enim aut iiſdẽ morbis peræquè grauiter laboramus omnes,aut perinde difficili curatione indigemus. Inde videre eſt vt alii alio crucis genere exerceãtur. Quum autẽ alios lenius tractet,alios aſperioribus remediis purget cæleſtis medicus,dum vult omniũ ſanitati conſulere:neminem tamen immunem ac intactum prætermittit:quia omnes ad vnum nouit eſſe morbidos. Deut.33.15

6 Adde quòd non modò infirmitatem noſtram præuenire,ſed præterita etiam delicta ſæpe corrigere neceſſe habet clemẽtiſſimus Pater: vt nos in legitima erga ſe obedientia contineat. Proinde quoties affligimur,ſubire protinus in mentem debet anteactę vitæ recordatio.ita proculdubio reperiemus, nos admiſiſſe quod dignum eiuſmodi caſtigatione eſſet. Neque tamen à peccati agnitione præcipuè ſumenda eſt ad patiẽtiam exhortatio. Nam Scriptura meliorem longè conſiderationem ſuppeditat,quum dicit rebus aduerſis nos à Domino corripi,ne cum hoc mundo damnemur. Ergo in ipſa quoque tribulationum acerbitate Patris noſtri clementiam erga nos ac benignitatem recognoſcere conuenit:quãdo ne tum quidem deſinit ſalutem noſtram promouere. Affligit enim non vt perdat vel perimat, ſed potius vt à mundi damnatione liberet. Ea cogitatio nos deducet ad id quod alibi docet Scriptura, Fili mi,ne reſpuas correctionem Domini, neque afficiaris tædio quum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus,corripit: & eum velut Pater filium amplectitur. Vbi ferulam Patris agnoſcimus, an noſtrum non eſt obedientes potius dociléſque filios exhibere,quàm contumacia deſperatos homines imitari,qui maleficiis induruerũt? Perdit nos Deus niſi à ſe delapſos correptione reuocat. vt rectè ille dicat,nos ſpurios eſſe,non filios,ſi extra diſciplinã ſumus. Peruerſiſſimi ergo ſumus ſi ipſum ferre non poſſumus dum ſuam nobis beneuolentiam & quam habet de ſalute noſtra curam declarat. Hoc inter incredulos & fideles intereſſe docet Scriptura,quòd illi,velut inueteratæ recoctæque nequitiæ mancipia,flagellis deteriores modo ac obſtinatiore fiunt: hi,ceu filii ingenuitate præditi,ad pœnitentiã proficiunt. Eligendũ nunc vtro in numero eſſe malis. Sed quoniã de hac re alibi dictum eſt,contentus breuiter attigiſſe, finẽ faciam. 1. Cor.11.c.32. Prou.3.b.11 Heb.12.c.8

7 Porrò ſingularis illa eſt conſolatio,vbi pro iuſtitia perſecutionem patimur. Succurrere enim tum debet quanto nos honore dignetur Deus, quòd ita nos peculiari militiæ ſuę nota inſignit. Perſecutionem pati pro iuſtitia dico,non tantum qui pro Euangelii defenſione,ſed qui pro quolibet iuſtitiæ patrocinio laborant. Siue ergo in aſſerenda aduerſus Satanę mendacia Dei veritate,ſiue in ſuſcipienda bonorum atque innocentium contra improborum iniurias tutela,neceſſe eſt incurrere in mundi offenſiones & odia, vnde aut vitæ noſtræ,aut fortunis,aut honori periculum immineat:ne graue ſit nobis aut moleſtum eatenus impendere nos Deo,aut ne miſeros in iis nos putemus, in quibus ipſe ſuo ore nos beatos pronuntiauit. Paupertas quidem,ſi in ſe ipſa æſtimetur,miſeria eſt: ſimili- Mat.5.a.fin

ter exilium,cõtemptus, carcer,ignominia:mors denique ipsa extremum est omnium calamitatum. Verùm vbi aspirat fauor Dei nostri,nihil est istorum quod nõ in fœlicitatem nobis cedat. Contenti ergo potius simus Christi testimonio quàm falsa carnis æstimatione. Ita fiet vt Apostolorum exẽplo gaudeamus,quoties nos reputabit dignos qui pro suo nomine contumeliam patiamur. Quid enim? si innocentes ac nobis bene conscii impiorum scelere exuimur facultatibus,ad inopiam quidem redigimur apud homines:sed verè apud Deum in cælis diuitię ita nobis accrescunt.si penatibus nostris extrudimur,eo interius recipimur in Dei familiam.si vexamur & cõtemnimur, eo firmiores agimus in Christo radices.si probris ac ignominia notamur, eo ampliore loco sumus in regno Dei.si trucidamur,ita nobis ingressus patefit ad beatam vitam. Pudeat nos minoris æstimare, quibus tantũ pretiũ Dominus statuit,quàm vmbratiles & euanidas vitę præsentis illecebras.

Act.5.g.41

8 Quum ergo his & similibus monitis abũdè soletur Scriptura quas pro iustitiæ defensione sustinemus vel ignominias vel calamitates: nimis ingrati sumus nisi libenter atque hilariter eas è manu Domini suscipimus. præsertim quum sit hæc crucis species fidelium maximè propria, qua vult Christus in nobis glorificari: quemadmodum & Petrus docet. Quia verò ingenuis naturis acerbius est contumeliam quàm centum mortes pati, nominatim admonet Paulus non modò persecutiones nos manere, sed etiam probra, quia speramus in Deum viuum. Sicut alibi suo exẽplo ambulare nos iubet per infamiam & bonam famam. Neque verò ea requiritur à nobis hilaritas quæ omnem acerbitatis dolorisque sensum tollat.alioqui nulla in cruce esset sanctorum patientia, nisi & dolore torquerentur,& angerẽtur molestia.Si nulla esset in egestate asperitas,nullus in morbis cruciatus,nulla in ignominia punctio,nullus in morte horror:cuius foret vel fortitudinis vel moderationis, ea sũsque déque habere? At quũ vnumquodque ipsorũ ingenita sibi amaritudine nostros omnium animos naturaliter mordeat, in eo se profert fidelis hominis fortitudo, si eiusmodi amaritudinis sensu tentatus, vtcunque grauiter laboret,fortiter tamen obsistendo eluctatur. in eo se exerit patientia, si acriter extimulatus, timore tamen Dei refrænatur, ne in aliquam intemperiem erumpat. in eo eluget alacritas si tristitia & mœrore vulneratus,in spirituali Dei consolatione acquiescit.

1. Pet.4. c.11

1.Tim.4.c. 10

2.Cor.6.b.8

9 Hunc conflictum,quem aduersus naturalem doloris sensum sustinẽt fideles, dum patientiæ ac moderationi studẽt, eleganter descripsit Paulus his verbis, In omnibus premimur,at non anxii reddimur:laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at in ea non deserimur:deiicimur, at non perimus. Vides vt patienter ferre crucem, non sit prorsus obstupescere, & omni doloris sensu priuari.quemadmodum Stoici magnanimum hominem stultè olim descripserunt qui exuta humanitate, rebus aduersis perinde ac prosperis:tristibus perinde ac lętis afficeretur.imò qui instar lapidis nulla re afficeretur. Et quid ista sublimi sapientia profecerunt? nempe simulachrum patientiæ depinxerunt, quod neque repertum est vnquã inter homines, neque extare potest. Quin potius dum nimis exactam ac præcisam patientiam habere volunt, eius vim sustulerunt è vita humana. Nunc quoque sunt inter Christianos noui Stoici, quibus non modò gemere ac flere, sed tristari quoque & solicitum esse vitiosum est. Atque hæc quidem paradoxa ferè ab otiosis hominibus procedunt, qui speculando magis quàm agendo se exercentes, nihil quàm talia paradoxa párere nobis queunt. At nihil nobis cum ferrea ista philosophia, quam magister ac dominus noster non verbo tantùm,sed exemplo etiam suo damnauit. Nam & suis & aliorũ malis ingemuit & illachrymauit: nec aliter discipulos suos instituit. Mundus, inquit,gaudebit:vos autẽ lugebitis ac flebitis. Ac, ne quis vitio id verteret, proposito edicto beatos pronuntiauit qui lugent. nec mirum. Nam si improbantur omnes lachrymæ,quid de Domino ipso iudicabimus,cuius è corpore sanguineæ lachrymę distillarunt? Si quælibet formido infidelitatis notatur, quo loco habebimus horrorem illum quo non leuiter consternatum fuisse legimus?si omnis tristitia displicet,quomodo placebit quòd animam suam fatetur esse tristem vsque ad mortem?

Iohã.17.c.20

Matth.5. a.4

Luc.22. e.44

10 Hæc eo dicere volui vt pios animos à desperatione reuocarem, ne studio patientiæ ideo protinus renũtient quòd naturalem doloris affectum exuere non possunt.Quod necesse est euenire iis qui ex patientia stuporem,ex homine forti & constanti stipitem faciunt. Sanctis enim tolerantiæ laudẽ defert Scriptura,dum ita malorum duritia afflictantur vt non frangantur nec concidant:ita amaritudine punguntur,vt simul perfundantur spirituali gaudio:ita premũtur anxietate,vt Dei cõsolatione exhilarati respirent. Interim

2.Cor.4.b.8

versatur

versatur in eorum cordibus illa repugnantia, quòd naturæ sensus, quæ sibi sentit aduersa refugit atque horret: pietatis autem affectus ad obedientiam diuinæ volũtatis etiam per has difficultates contendit. Hanc repugnantiam expressit Dominus quum ita loqueretur Petro, Quum esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò libebat. Quum autẽ senueris, præcinget te alius, & ducet quò non voles. Non est sanè verisimile, Petrum, quum necesse esset glorificare Deum per mortem, inuitum ac restitantem eò tractum esse. alioqui parum haberet laudis eius martyrium. Verùm vtcunque cordis summa alacritate diuinæ ordinationi parêret, quia tamen humanitatem non exuerat, duplici voluntate distringebatur. Nam dum cruentam illam mortem quam erat obiturus, per se reputabat, eius horrore perculsus, libenter effugisset. Rursum dum succurrebat Dei imperio se ad eam vocari, euicto ac proculcato timore, libenter atque adeò hilariter eã subibat. Hoc ergo studendum est, si Christi discipuli esse volumus, vt tanta Dei obseruantia atque obedientia imbuantur animi nostri, quæ contrarias omnes affectiones domare ac subiugare eius ordinationi queat. Ita fiet vt quocunque vexemur crucis genere, in summis etiam animi angustiis patientiam constanter retineamus. Res enim ipsæ aduersæ habebunt suam asperitatem qua mordeamur. Sic morbo afflicti, & ingemiscemus, & inquietabimur, & sanitatem expetemus: sic egestate pressi, solicitudinis & tristitię aculeis perstringemur: sic ignominiæ, contemptus, iniuriæ dolore feriemur: sic in funeribus nostrorum debitas naturæ lachrymas exoluemus. sed hæc semper erit clausula, Atqui Dominus ita voluit. ergo eius voluntatem sequamur. Imò inter ipsas doloris pũctiones, inter gemitus & lachrymas, necesse est interueniat hæc cogitatio, quæ animum ad ea ipsa quorum causa sic afficitur, alacriter ferenda inclinet. Iohã. 21. 18.

11 Quoniam autem præcipuam crucis tolerandæ rationem à diuinæ volũtatis consideratione sumpsimus, paucis definiendum est quid inter philosophicam ac Christianam patientiam intersit. Equidem pauciſſimi ex philosophis eò rationis conscenderunt vt manu Dei nos exerceri per afflictiones intelligerent, & Deo hac in parte obtemperandum censerent. sed illi quoque ipsi non aliam afferunt rationem, nisi quia ita necesse sit. Quid autem istud est dicere nisi cedendum esse Deo, quia frustra contendas obluctari? Nam si Deo tantùm paremus quia necesse est: si euadere liceat, parêre desinemus. Scriptura autem longè aliud in volũtate Dei considerare iubet, nempe iustitiam primùm & æquitatem: deinde salutis nostræ curam. Huiusmodi ergo ad patientiam sunt Christianæ exhortationes. Siue paupertas, siue exilium, siue carcer, siue contumelia, siue morbus, siue orbitas, seu quid aliud simile nos cruciat, cogitandum nihil istorum accidere nisi nutu ac prouidentia Dei. Porrò ipsum nihil nisi iustissimo ordine agere. Quid enim? annon innumera ac quotidiana nostra delicta promerentur seuerius ac grauioribus ferulis castigari quàm quę nobis ab eius clementia infliguntur? Annon æquissimum est carnem nostram domari, & veluti iugo assuefieri, ne libidinosè pro suo ingenio ferociat? annon digna est iustitia & veritas Dei cuius causa laboremus? Quòd si indubia Dei æquitas in afflictionibus apparet, non possumus sine iniquitate vel obmurmurare vel obluctari. Nõ audimus iam illam frigidam cantionem, Cedendum quia necesse est: sed viuidam ac plenam efficaciæ præceptionem. Obtemperandum, quia resistere nefas est. Patienter ferendum, quoniam impatientia sit aduersus Dei iustitiam contumacia. Iam verò quia illud demum amabile nobis est quod saluti ac bono esse nobis agnoscimus, hac etiam parte consolatur nos optimus Pater, dum asserit, se eo ipso quòd nos cruce affligit, saluti nostrę cõsulere. Quòd si salutares nobis tribulationes esse cõstat, cur nõ grato placidóque animo eas susciperemus? Quare eas patiẽter ferẽdo non succumbimus necessitati, sed bono nostro acquiescimus. Istæ, inquam, cogitationes faciunt, vt quantum animi nostri contrahuntur in cruce, natu rali acerbitatis sensu, tantum spirituali lætitia diffundantur. Vnde & gratiarũ actio sequitur, quæ nulla sine gaudio esse potest. Quòd si laus Domini, & gratiarũ actio nõnisi ab hilari lætóque pectore emanare potest: nihil autẽ est quod eã interpellare in nobis debeat: hinc apparet quàm necessarium sit, crucis amaritudinem spirituali gaudio temperari.

De meditatione futuræ vitæ.

CAP. IX.

VOCVNQVE autem tribulationis genere premamur, respiciendus semper est hic finis, vt assuescamus ad præsentis vitæ contemptum, indéque ad futuræ meditationem excitemur. Quoniam enim optimè nouit Deus quãtoperè in belluinum mundi huius amorem simus naturâ inclinati, aptissimam ratio-

nem adhibet ad nos retrahendos & torporem excutiendũ,ne nimis tenaciter in eo amore inhæreſcamus. Nemo quidem eſt noſtrum qui non videri cupiat ad cæleſtem immortalitatem toto vitæ curriculo aſpirare & eniti.Pudet enim nos nulla re antecellere brutas pecudes:quarũ conditio nihilo noſtra inferior futura eſſet niſi ſpes æternitatis poſt mortem nobis ſuperſit.Verùm ſi conſilia, ſtudia, facta cuiuſque examines, nihil aliud illic videbis quàm terram.Inde autem ſtupiditas,quòd mens noſtra fulgore inani opum,potentiæ,honorum,perſtricta hebetatur, ne longius cernat.Cor etiam auaritia,ambitione,libidine occupatum degrauatur, ne altius aſſurgat. Denique tota anima carnis illecebris irretita,fœlicitatem in terra ſuam quærit.Huic malo vt occurrat Dominus,aſſiduis miſeriarum documentis ſuos de præſentis vitæ vanitate edocet. Ergo, ne altam ſibi & ſecuram pacem in ea promittant:vel bellis,vel tumultibus,vel latrociniis, vel aliis iniuriis inquietari ſæpe infeſtarique permittit.Ne auiditate nimia fluxis & caducis diuitiis inhient, aut in iis quas poſſident acquieſcant:nunc exilio,nunc ſterilitate terræ,nunc incendio,nunc aliis modis ad inopiam eos redigit,aut certè in mediocritate continet. Ne nimium placidè in bonis coniugii delicientur:aut vxorum improbitate vexari facit, aut mala progenie ipſos humiliat,aut orbitate affligit.Quòd ſi in his omnibus indulgentior illis eſt,ne tamẽ vel ſtulta gloria intumeſcant,vel confidentia exultent, morbis & periculis ob oculos illis ponit quàm inſtabilia ſint ac euanida quæcunque mortalitati obnoxia ſunt bona. Tum ergo demum rite proficimus crucis diſciplina,vbi diſcimus hanc vitam, quum in ſe æſtimatur,inquietam,turbulentam,innumeris modis miſeram, nulla ex parte planè beatam eſſe:omnia quæ æſtimantur eius bona,incerta,fluida, vana, multiſque admixtis malis vitiata eſſe: atque ex eo ſimul conſtituimus, nihil hîc quærendum aut ſperandum quàm certamen:attollendos in cælum oculos, vbi de corona cogitamus. Sic enim habendum eſt,nunquam ſeriò ad futuræ vitæ deſyderium ac meditationem erigi animum, niſi præſentis contemptu antè imbutus fuerit.

2 Siquidem inter iſta duo nihil medium eſt:aut vileſcat nobis terra oportet, aut intemperato amore ſui vinctos nos detineat. Proinde ſiqua æternitatis cura eſt, huc diligenter incumbendum vt malis iſtis compedibus nos explicemus. Porrò quoniam plurimas blanditias habet præſens vita quibus nos pelliciat: multam amœnitatis, gratiæ, ſuauitatis ſpeciem qua nos demulceat: magnopere noſtra refert identidem nos auocari, ne talibus lenociniis faſcinemur. Quid enim,obſecro,fieret ſi perpetuo bonorum ac fœlicitatis concurſu hîc frueremur:quum aſſiduis malorum ſtimulis non poſſimus ſatis expergefieri ad reputandam eius miſeriam? Vitam humanam fumi vel vmbræ inſtar eſſe, non modò eruditis notum eſt, ſed vulgus quoque hominum prouerbium nullum magis tritum habet.& quia rem eſſe videbant in primis cognitu vtilem,multis inſignibus ſententiis commendarunt. Verùm nulla ferè res eſt quam vel negligentius expẽdamus vel minus meminerimus.Omnia enim molimur perinde atque immortalitatem nobis in terra conſtituentes.Si effertur funus aliquod,vel inter ſepulchra ambulamus,quia tunc oculis obuerſatur mortis ſimulachrum,egregiè, fateor, de vitæ huius vanitate philoſophamur. Quanquam ne id quidẽ facimus perpetuò:plerunque enim nihil nos afficiũt iſta omnia. Verùm vbi accidit, momentanea eſt philoſophia, quæ, ſimul atque terga vertimus, euaneſcit, ac ne minimum quidem poſt ſe recordationis veſtigiũ relinquit. denique non aliter effluit atque theatralis plauſus in iucundo aliquo ſpectaculo.Neque enim mortis tantùm,ſed mortalitatis quoque ipſius obliti,acſi nullus vnquam de ea rumor ad nos peruenifſet,in ſupinam terrenę immortalitatis ſecuritatem reuoluimur.Siquis interim prouerbium occinat,hominem animal eſſe ἐφήμερον, fatemur id quidem:ſed adeò nulla attentione, vt perpetuitatis cogitatio nihilominus animis inſideat. Quis ergo neget, nobis omnibus ſummum operæpretium eſſe, non dico verbis admoneri, ſed quibuſcunque fieri poteſt experimentis cõuinci de miſera terreſtris vitę conditione:quando vix conuicti etiam deſinimus praua ſtultáque eius admiratione obſtupeſcere, acſi vltimam bonorum metam in ſe cõtineret? Quòd ſi neceſſe habet Deus nos erudire: noſtri viciſſim officii eſt auſcultare vocanti, & torporem noſtrum vellicanti: vt contemto mundo, ad futuræ vitæ meditationem toto pectore contendamus.

3 Sed enim ad talem prẹſentis vitę contemptum ſeſe aſſuefaciant fideles,qui neque eius odium generet, nec aduerſus Deum ingratitudinem. Siquidem hæc vita,vtcunque infinitis miſeriis referta ſit,cenſetur tamen meritò inter non aſpernãdas Dei benedictiones.Quare

nes. Quare si nihil in ea recognoscimus diuini beneficii, rei iam sumus nõ paruæ in Deum ipsum ingratitudinis. Præsertim verò fidelibus testimoniũ esse debet diuinæ beneuolentiæ: quando ad salutem eorum promouendam tota est destinata. Prius enim quàm æternæ gloriæ hereditatem nobis palàm exhibeat, minoribus documentis se nobis Patrem vult declarare. ea sunt quæ quotidie ab ipso nobis conferuntur bona. Quum ergo nobis seruiat vita hæc ad intelligendam Dei bonitatem, fastidiemúsne eam quasi nullam boni micam in se haberet? Hũc igitur sensum atque affectum induere nos oportet, vt ipsam reponamus inter minimè respuenda diuinæ benignitatis dona. Nã si deessent Scripturæ testimonia (quæ plurima sunt & clarissima) ipsa quoque natura nos hortatur ad reddendam Domino gratiarum actionem quòd in eius lucem nos protulit, quòd vsuram nobis concedit, quòd omnia ad eam conseruandam necessaria præsidia largitur. Et multo illa maior est ratio, si reputamus in ea nos ad gloriam regni cælestis quodammodo prępararí. Sic enim Dominus ordinauit, vt qui olim coronandi sunt in cælo, certamina prius in terris obeant, ne triũphent nisi superatis belli difficultatibus, & parta victoria. Deinde altera: quòd variis beneficiis diuinæ benignitatis suauitatem delibare in ea incipimus: quò spes ac desyderium nostrum acuatur ad plenam eius reuelationem expetendam. Vbi constitutum illud fuerit, diuinæ clementiæ munus esse quòd terrenam vitam viuimus, cuius gratia vt sumus illi obligati, ita memores gratósque esse oportere: tum opportunè descendemus ad considerandam miserrimam eius conditionem: quo scilicet extricemur à nimia eius cupiditate, ad quam, vt dictum est, vltro natura propendemus.

4 Porrò quicquid detrahitur prauo eius amori, debet meliores vitæ desyderio accedere. Fateor sanè verissimè sensisse eos quibus visum est optimum non nasci: proximum, quàm citissime aboleri. siquidem Dei lumine & vera religione destituti, quid in ea cernere poterant non infaustum ac tetrum? Nec sine ratione illi, qui natales suorum mœrore ac lachrymis, funera solenni gaudio prosequebãtur. sed id faciebãt sine profectu: quia recta fidei doctrina orbati, nõ videbãt quomodo piis in bonũ cedat quod per se nec beatum nec desyderabile est. itaque iudicium suum desperatione terminabant. Hic ergo sit scopus fidelium in æstimanda mortali vita, vt dum intelligunt nihil per se quàm miseriam esse, eo alacriores & magis expediti totos se ad futuræ illius & æternæ meditationem conferant. Vbi ad eam comparationem ventum est, tum verò illa non modò securè negligi potest, sed præ hac penitus contemnenda est ac fastidiẽda. Nam si cælum patria est, quid aliud terra quàm exilium? Si migratio è mundo est in vitam ingressus, quid aliud mundus quàm sepulchrum? in ipso manere quid aliud quàm in morte demersum esse? Si liberari à corpore, est asseri in solidam libertatem, quid aliud est corpus quàm carcer? Si Dei præsentia frui suprema fœlicitatis summa est, nónne ea carere miserum? Atqui donec è mundo euaserimus, peregrinamur à Domino. Ergo si cum cælesti vita terrena cõparetur, non dubium quin facilè & contemnenda & proculcanda sit. Odio certè habenda nunquam est, nisi quatenus nos peccato tenet obnoxios. quanquã ne illud quidẽ odium propriè in ipsam conuertendũ est. Vtcunque sit, nos tamen ita eius vel tædio vel odio affici decet, vt finem eius desyderantes, parati quoque simus ad arbitrium Domini in ea manere. quòd scilicet tædium nostrum sit procul ab omni murmure & impatientia. Est enim instar stationis, in qua nos Dominus collocauit, tandiu nobis conseruanda quoad ille reuocarit. Deflet quidem sortem suam Paulus, quòd voto suo diutius corporis vinculis alligatus teneatur, & suspirat ardenti redemptionis desyderio: nihilominus, vt Dei imperio pareat, paratum se ad vtrunque profitebatur: quia se id Deo debere agnoscit vt nomen eius vel per mortem vel vitam glorificet. ipsius autem est statuere quid maximè ad gloriam suam expediat. Itaque si Domino viuere ac mori nos decet, eius arbitrio relinquamus mortis vitæque nostræ terminum: sed ita, vt & illius studio flagremus, & in meditatione simus assidui: hanc verò, præ futura immortalitate contemnamus, & ob peccati seruitutem ei renuntiare, quoties Domino placuerit, optemus.

2. Cor. 5. b. &

Rom. 7. d. 24

Philip. 1. d. 23

5 Hoc verò portenti simile, quòd pro illo mortis desyderio, tanta eius formidine teneantur multi, qui se Christianos esse iactant, vt ad quamlibet eius mentionem contremiscant, velut rei penitus ominosæ & infaustæ. Equidem non est mirum si naturalis sensus in nobis exhorrescat, audita nostri dissolutione. At istud nullo modo ferendum, non esse in pectore Christiano pietatis lumen, quod maiori consolatione qualemcunque illum timorem superet ac supprimat. Nam si cogitemus hoc instabile, vitiosum, corruptibile, ca-

ducum,emarcidũ, putre corporis noſtri tabernaculũ ideo diſſolui vt in firmã, perfectam, incorruptibilem, cæleſtẽ denique gloriã mox inſtauretur: an nõ ardenter fides expetere coget quod natura reformidat? Si cogitemus per mortẽ ab exilio nos reuocari vt patriam, & cæleſtem patriam incolamus,an nihil inde ſolatii conſequemur? At nihil eſt quod non permanere appetat. Fateor ſané.atque ideo ad futuram immortalitatem reſpiciendũ nobis contendo,vbi ſtata conditio obtingat,quæ in terra nuſquam apparet. Optimè enim
2. Cor.5.a.2. Paulus fideles alacriter ad mortem pergere docet,non quia velint exui, ſed quia ſuperin-
Rom.8.d.19. dui cupiant. An verò bruta animalia,atque adeò inanimæ ipſæ creaturę vſque ad ligna & lapides,præſentis ſuæ vanitatis ſibi conſciæ,in vltimum reſurrectionis diem intentæ erũt vt cum filiis Dei à vanitate eximantur:nos & ingenii luce prædiți, & ſupra ingeniũ, Dei ſpiritu illuminati,quum de eſſentia noſtra agitur,non atollemus animos vltra hanc terrę putredinem? Verùm non eſt huius inſtituti aut loci contra tantam hanc peruerſitatem agere. Et iam initio profeſſus ſum me locorum communium fuſiorẽ tractationẽ hîc minimè velle ſuſcipere. Ego huiuſmodi timidulis animis ſuaderem vt Cypriani libellum de mortalitate legerent,niſi digni eſſent qui ad Philoſophos ablegarẽtur: vt inſpecto quem illi præ ſe ferunt mortis contemptu,erubeſcere incipiant. Hoc tamen habeamus conſtitutum,neminem bene in Chriſti ſchola profeciſſe, niſi qui & mortis & vltimæ reſurrectio-
Tit.2.d.13. nis diem cum gaudio expectet. Nã & hac nota fideles vniuerſos deſcribit Paulus, & Scripturæ familiare eſt quoties ſolidæ lætitiæ argumentum proponere vult, eò nos reuocare.
Luc.21.f.28. Exultate(inquit Dominus)& leuate capita veſtra.appropinquat enim redemptio veſtra. An rationabile, quæſo, eſt vt quod ille tantùm valere voluit ad exultationem & alacritatem in nobis excitãdam,nihil quàm triſtitiam ac conſternationem pariat? Si ita eſt, quid adhuc eo quaſi magiſtro gloriamur? Saniorem ergo mentem concipiamus:atque,vt repugnet cæca & ſtupida carnis cupiditas,non dubitemus aduentum Domini non votis modò, ſed gemitu etiam ac ſuſpiriis, velut rem omnium fauſtiſſimam, expetere. Aduenietenim nobis redemptor, qui ab hoc immenſo malorum & miſeriarum omnium gurgite extractos,in beatam illam vitæ & gloriæ ſuæ hereditatem inducat.

Rom.8.g.36 1.Cor.15.c.19 6 Sic eſt ſanè:totam fidelium nationem,quandiu terrã inhabitant, oportet eſſe tanquam oues mactationi deſtinatas,quo Chriſto capiti ſuo conformentur. Deploratiſſimi ergo eſſent,niſi in cælum mente erecta,ſuperarent quicquid in mundo eſt,& præſentem rerum faciem traiicerẽt. Contrà,vbi ſemel caput ſupra omnia terrena extulerint, etiamſi videant florentes impiorum opes & honores,ſi alta pace frui,ſi rerum omnium ſplendore ac luxu ſuperbire,ſi deliciis omnibus affluere cernant:ſi præterea eorum improbitate pulſentur,ſi contumelias ab eorum faſtu ſuſtineant,ſi auaritia expilentur, ſi alia quauis libidine vexentur: non difficulter ſe in talibus quoque malis ſuſtinebunt. Erit enim ſub
Ieſa.25.c.18 Apoc.7.d.17 oculis dies ille,quo Dominus in regni ſui quietem fideles ſuos recipiet, abſterget ab eorũ oculis omnem lachrymam,ſtola gloriæ & lętitię ipſos induet,deliciarum ſuarum inenarrabili ſuauitate paſcet,in ſuæ altitudinis ſocietatem euehet,denique fœlicitatis ſuæ participatione dignabitur. Impios verò illos,qui in terra floruerint,in extremam ignominiam proiiciet:eorum delicias cruciatibus,riſum & lætitiam fletu ſtridoréque dentium permutabit, pacem diro conſcientiæ tormento inquietabit, mollitiem plectet igne inextincto: piis etiam, quorum patientia abuſi fuerint, eorum capita ſubiiciet. Hæc enim eſt iuſtitia
2.Theſ.1.c.6 (teſte Paulo)dare miſeris & iniuſtè afflictis relaxationem, reddere verò afflictionem improbis qui pios affligunt, quum reuelabitur Dominus Ieſus è cælo. Hæc profectò vnica eſt noſtra conſolatio: quæ ſi auferatur, aut neceſſe erit deſpondere animum, aut vanis
Pſal.73.a.2. mundi ſolatiis in exitium noſtrum delinire. Siquidem & Propheta ſibi vacillaſſe pedes cõfitetur, dum in præſenti impiorum proſperitate reputanda nimium immoratur: neque potuiſſe aliter conſiſtere quàm dum ſanctuarium Dei ingreſſus, ad nouiſſimum piorum ac malorum finem conuertit oculos. Vt vno verbo concludam, tunc demum in pectoribus fidelium triumphat crux Chriſti de Diabolo, carne, peccato & impiis, ſi oculi in reſurrectionis potentiam conuertuntur.

Quomodo vtendum præſenti vita,eiúſque adiumentis. CAP. X.

ALIBVS rudimentis probè nos ſimul inſtituit Scriptura quis rectus ſit bonorum terreſtrium vſus: res in componenda vitæ ratione minimè negligenda. Nam ſi viuendum eſt,vtendum quoque neceſſariis vitæ adminiculis.nec fugere ea quoque poſſumus quæ videntur oblectationi magis quàm neceſſitati inſer

tati inſeruire. Modum ergo tenere oportet, vt pura conſcientia ſiue ad neceſſitatem ſiue ad oblectamentum vtamur. eum Dominus verbo ſuo præſcribit, quum docet, vitam præſentem quandam peregrinationem ſuis eſſe, qua in cæleſte regnum contendunt. Si per terram tranſeundum eſt duntaxat, non dubium quin eatenus vtendum ſit eius bonis, vt curſum noſtrum iuuent potius quàm morentur. Ideo non abs re ſuadet Paulus hoc mundo ita vtendum eſſe quaſi non vtamur: eodem animo emendas eſſe poſſeſſiones quo venduntur. Verùm quia lubricus eſt hic locus, & vtrãque in partem procliuis ad lapſum, ſtudeamus pedem figere vbi tutò ſtare liceat. Fuerunt enim nonnulli, boni & ſancti alioqui homines, qui quum viderent intemperiem ac luxuriam effræni libidine perpetuò euagari niſi ſeuerius coerceatur, corrigere autem tam pernicioſum malum cuperẽt: quæ vna illis occurrebat ratio, corporeis bonis vti homini permiſerũt, quatenus neceſſitatis intereſſet. Pium quidem conſilium: ſed impendiò auſteriores fuerunt. Nam (quod eſt valde periculoſum) arctiores laqueos induerunt conſcientiis quàm quibus verbo Domini ſtringerentur. Neceſſitas porrò illis eſt, ab omnibus abſtinere quibus carere poſſis. ita ſecundũ eos vix ad panem cibarium & aquam addere quicquam liceret. Aliorum maior auſteritas, qualis refertur de Cratete Thebano, qui opes ſuas in mare proiecit: quia niſi perirent, perditum ſe ab illis iri putabat. Multi autem hodie, dum prætextum quærunt quo in rerum externarum vſu carnis intemperies excuſetur, & interim laſciuienti viam ſternere volunt: pro confeſſo aſſumunt quod minimè illis concedo, nulla modificatione reſtringendam eſſe hanc libertatem: ſed permittendum cuiuſque conſcientię vt vſurpet quantum ſibi licere videat. Equidẽ fateor nec debere nec poſſe conſcientias ſtatis præciſiſque legum formulis hîc alligari: ſed quum Scriptura generales legitimi vſus tradat regulas, ſecundum illas certè limitandus nobis eſt. 1.Cor.17.f.31

2 Sit hoc principium, vſum donorum Dei non aberrare, quum in eum finem refertur in quem illa nobis author ipſe creauit ac deſtinauit: ſiquidem in bonum noſtrum creauit, non perniciem. Quamobrem nemo iter rectius tenebit quàm qui diligenter finem hunc intuebitur. Iam ſi reputemus quem in finem alimenta creauerit, reperiemus non neceſſitati modò, ſed oblectamento quoque ac hilaritati voluiſſe conſulere. Sic in veſtibus, præter neceſſitatem, finis ei fuit decorum & honeſtas. In herbis, arboribus & frugibus, pręter vſus varios, aſpectus gratia, & iucunditas odoris. niſi enim id verum eſſet, non recenſeret Propheta inter beneficia Dei, quòd vinum lætificat cor hominis, quòd oleum ſplendidam eius faciem reddit. Non commemorarent paſſim Scripturæ, ad commendandam eius benignitatem, ipſum eiuſmodi omnia dediſſe hominibus. Et ipſæ naturales rerum dotes ſatis demonſtrant quorſum & quatenus frui liceat. An verò tantam floribus pulchritudinem indiderit Dominus, quæ vltro in oculos incurreret: tantam odoris ſuauitatem, quæ in olfactum influeret: & nefas erit vel illos pulchritudine, vel hũc odoris gratia affici? Quid? annon colores ſic diſtinxit vt alios aliis faceret gratiores? Quid? annon auro & argento, ebori ac marmori gratiam attribuit, qua præ aliis aut metallis aut lapidibus pretioſa redderentur? Denique annon res multas, citra neceſſarium vſum, commendabiles nobis reddidit? Pſal.104.b.15

3 Faceſſat ergo inhumana illa philoſophia, quæ dum nullum niſi neceſſarium vſum concedit ex creaturis, non tantùm malignè nos priuat licito beneficentiæ diuinæ fructu: ſed obtinere non poteſt, niſi hominem cunctis ſenſibus ſpoliatum in ſtipitem redegerit. Sed non minus diligenter altera ex parte occurrendum eſt carnis libidini: quæ niſi in ordinem cogitur, ſine modo exundat: & habet (vt dixi) ſuos ſuffragatores, qui ſub prætextu conceſſæ libertatis, nihil non illi permittunt. Primò frænum illi vnum iniicitur, ſi ſtatuatur, ideo condita nobis eſſe omnia vt cognoſcamus authorem, ac eius indulgentiam erga nos gratiarum actione proſequamur. Vbi gratiarum actio, ſi te epulis aut vino ita ingurgites vt vel obſtupeſcas, vel inutilis reddaris ad pietatis tuęque vocationis officia? Vbi Dei recognitio, ſi caro ex nimia abundantia in fœdam libidinem ebulliens, mentem impuritate ſua inficit, nequid recti aut honeſti cernas? Vbi in veſtibus gratitudo erga Deum, ſi ſumptuoſo earum ornatu & nos admiremur, & alios faſtidiamus? ſi elegantia & nitore ad impudicitiam nos comparemus? Vbi recognitio Dei, ſi in earum ſplendorem defixæ ſint mentes? nam totos ſuos ſenſus multi ſic deliciis addicunt, vt mens obruta iaceat: multi marmore, auro, picturis ita delectantur vt marmorei fiant, vertantur quaſi in metalla, ſimiles ſint pictis figuris. Nidor culinæ vel odorũ ſuauitas alios obſtupefacit, nequid ſpiri-

tuale olfaciant. Id quoque ipſum in reliquis videre eſt. Quamobrem conſtat hîc iam abu-
Rom. 13. d. 14 tendi licentiã aliquãtum cohiberi, & confirmari illã Pauli regulã, ne carnis curã agamus ad eius cõcupiſcentias, quibus ſi nimium conceditur, ſine modo vel temperie ebulliunt.

4 Sed nulla certior aut expeditior via eſt quàm quæ nobis fit à præſentis vitæ cõtemptu & cæleſtis immortalitatis meditatione. Inde enim conſequuntur duæ regulæ, vt qui vtuntur hoc mundo, perinde affecti ſint, acſi non vterentur: qui vxores ducunt, acſi non
1. Cor. 7. d. 31 ducerent: qui emunt, acſi non emerent, quemadmodum Paulus præcipit. Deinde vt non minus placidè ac patienter penuriam, quàm moderatè abundantiam ferre nouerint. Qui præſcribit vtendum hoc mundo tanquam non vtaris, non modò in cibo & potu, gulæ intemperiem: in mẽſis, ædificiis, veſtibus nimiam mollitiem, ambitionẽ, ſuperbiam, faſtum, moroſitatem excindit: ſed omnem curam atque affectionem, quæ te vel abducat, vel impediat à cæleſtis vitæ cogitatione & excolendæ animæ ſtudio. Atqui verè illud olim à Catone dictũ eſt, Cultus magnã curam, magnã virtutis eſſe incuriã: & veteri prouerbio vſurpatum, Eos qui multum in corporis cura occupantur, fere animæ eſſe negligentes. Ergo vt ad certam formulam non exigenda ſit fidelium in rebus externis libertas, huic tamen certè legi ſubiecta eſt vt quàm minimum ſibi indulgeant: contrà, perpetua animi intẽtione ſibi inſtent ad reſcindendum omnem ſuperuacuæ copiæ apparatum, nedum coercendam luxuriam: ac diligenter caueant ne ex adiumentis ſibi faciant impedimenta.

5 Altera regula erit, vt quibus res anguſtæ ſunt ac tenues, patienter carere nouerint, ne immodica earũ cupiditate ſolicitentur, quam moderationẽ qui tenẽt, nõ mediocriter in ſchola Domini profecerũt. Quemadmodũ vix habere poteſt quo ſe diſcipulũ Chriſti eſſe probet qui non hac in parte aliquatenus ſaltem profecerit. Nam præterquã quòd rerum terrenarum appetentiam comitantur pleraque alia vitia: qui impatienter fert penuriam, contrarium etiam in abundantia morbum vtplurimum prodit. Hoc intelligo, quòd qui ſordida veſte erubeſcet, pretioſa gloriabitur: qui tenui cœnula non contẽtus, lautioris deſiderio inquietabitur, intemperanter quoque lautitiis illis abutetur, ſi contingant: qui priuatam humilémque conditionem difficulter feret ac inquieto animo, ſi ad honores
Philip. 4. c. 12 conſcendat, à faſtu haudquaquam abſtinebit. Huc ergo contendant omnes quibus non fictum pietatis ſtudium eſt, vt diſcant, Apoſtoli exemplo, ſatiari & eſurire: abundare, & penuriam pati. Habet præterea Scriptura & tertiam regulam, qua rerũ terrenarum vſum modificat: de qua nonnihil dictũ eſt quum præcepta charitatis tractaremus. Statuit enim, omnes illas ſic eſſe datas nobis Dei benignitate & in commodum noſtrum deſtinatas, vt ſint velut depoſita quorum reddenda ſit olim ratio. Sic ergo diſpenſare oportet vt aſſiduè auribus noſtris inſonet vox illa, Redde rationem villicationis tuæ. Simul occurrat, à quo eiuſmodi ratio exigatur, nempe ab eo qui vt abſtinẽtiam, ſobrietatem, frugalitatem, modeſtiam tantopere commendauit: luxum, ſuperbiam, oſtentationem, vanitatem denique execratur. cui non alia bonorum diſpẽſatio approbatur quàm quæ ſit cum charitate coniuncta, qui delicias quaſlibet, quæ à caſtitate ac puritate hominis animum abſtrahũt, vel mentem caligine hebetant, ore ſuo iam condemnauit.

6 Poſtremò eſt illud notabile, quòd Dominus vnumquenque noſtrum in cunctis vitæ actionibus, in ſuam vocationem intueri iubet. Nouit enim quanta inquietudine ferueat humanum ingenium, quàm deſultoria leuitate huc atque illuc feratur, quàm cupida ſit, ad res diuerſas ſimul amplexandas, eius ambitio. Ergo, ne ſtultitia & temeritate noſtra, omnia ſurſum deorſum miſcerentur, diſtinctis vitæ generibus ſua cuique officia ordinauit. Ac nequis temere ſuos fines tranſiliret, eiuſmodi viuendi genera vocationes appellauit. Suum ergo ſingulis viuendi genus eſt quaſi ſtatio à Domino attributa, ne temere toto vitæ curſu circumagantur. Adeò autem neceſſaria eſt iſta diſtinctio, vt actiones omnes noſtræ inde coram ipſo æſtimentur, ac ſæpe quidem longè aliter quàm pro humanæ ac philoſophicæ rationis iudicio. Nullum magis præclarũ facinus habetur, etiam apud Philoſophos, quàm liberare tyrannide patriam. atqui voce cæleſtis arbitri apertè damnatur qui priuatus manum tyranno intulerit. Verùm nolo in recenſendis exemplis immorari. ſatis eſt ſi nouerimus vocationem Domini, eſſe in omni re bene agẽdi principium ac fundamentum: ad quam qui ſe non referet, nunquam rectam in officiis viam tenebit. Poterit fortè interdum nonnihil in ſpeciem laudabile deſignare: ſed illud qualecũque ſit in conſpectu hominum, apud Dei thronũ reſpuetur. deinde in ipſis vitæ partibus nulla erit ſymmetria. Proinde tum optimè compoſita erit tua vita quum ad hũc ſcopum dirigetur.

quia nec

quia nec quisquã propria temeritate impulsus, plus tentabit quàm ferat sua vocatio: quia sciet fas non esse transilire suas metas. Qui obscurus erit priuatam vitam non ægrè colet, ne gradum in quo diuinitus locatus erit deserat. Rursum hæc erit curis, laboribus, molestiis aliisque oneribus non parua leuatio, dum quisque sciet Deũ in his omnibus sibi esse ducem. Libentius magistratus partes suas obibit: paterfamiliâs se ad officium astringet: quisque in suo vitæ genere incommoda, solicitudines, tædia, anxietates perferet ac vorabit, vbi persuasi fuerint opus cuique à Deo esse impositum. Hinc & eximia consolatio nascetur, quòd nullum erit tam sordidum ac vile opus (in quo modò tuæ vocationi pareas) quod non coram Deo resplendeat & pretiosissimum habeatur.

De iustificatione fidei, ac primò de ipsa nominis & rei definitione. CAP. XI.

IAM mihi satis diligẽter exposuisse suprà videor, quomodo hominibus à Lege maledictis vnicũ recuperãdæ salutis restet in fide subsidiũ. Rursum quid fides ipsa sit, & quæ in hominũ Dei beneficia conferat, & quos in eo fructus edat. Summa autem hæc fuit, Christum nobis Dei benignitate datum, fide à nobis apprehendi ac possideri, cuius participatione duplicẽ potissimùm gratiam recipiamus: nempe vt eius innocentia Deo reconciliati, pro iudice iam propitiũ habeamus in cælis Patrem: deinde vt eius Spiritu sanctificati, innocentiam puritatémque vitæ meditemur. Ac de regeneratione quidem, quę secunda est gratia, dictum fuit quãtum sufficere videbatur. Iustificationis ratio leuius ideo attacta est, quoniam ad rem pertinebat intelligere primùm & quàm otiosa non sit à bonis operibus fides, qua sola gratuitam iustitiam, Dei misericordia obtinemus: & qualia sint sanctorum bona opera, in quibus pars huius quæstionis versatur. Ea ergo nunc penitus discutienda: & ita discutiẽda vt meminerimus præcipuum esse sustinendæ religionis cardinem: quo maiorem attentionem curámque afferamus. Nisi enim primum omnium, quo sis apud Deum loco, & quale de te sit illius iudicium, tenes: vt nullum habes stabiliendæ salutis fundamentum, ita nec erigendæ in Deum pietatis. Sed necessitas cognoscendi melius ex cognitione ipsa eluceſcet.

2 Porrò ne impingamus in ipso limine (quod fieret si de re incognita disputationẽ ingrederemur) primùm explicemus quid sibi velint istæ loquutiones, Hominem corã Deo iustificari, Fide iustificari vel operibus. Iustificari coram Deo dicitur, qui iudicio Dei & censetur iustus, & acceptus est ob suam iustitiam: siquidem vt Deo abominabilis est iniquitas, ita nec peccator in eius oculis potest inuenire gratiam, quatenus est peccator & quandiu talis censetur. Proinde vbicunque peccatum est, illic etiam se profert ira & vltio Dei. Iustificatur autem qui non loco peccatoris, sed iusti habetur, eóque nomine consistit coram Dei tribunali, vbi peccatores omnes corruunt. Quemadmodum si reus innocens ad tribunal æqui iudicis adducatur, vbi secundum innocentiam eius iudicatum fuerit, iustificatus apud iudicẽ dicitur: sic apud Deum iustificatur qui numero peccatorum exemptus, Deum habet suæ iustitiæ testem & assertorem. Iustificari ergo operibus ea ratione dicetur in cuius vita reperietur ea puritas ac sanctitas, quæ testimoniũ iustitiæ apud Dei thronum mereatur: seu qui operum suorum integritate, respondere & satisfacere illius iudicio queat. Contrà iustificabitur ille fide, qui operum iustitia exclusus, Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in Dei conspectu non vt peccator, sed tanquam iustus apparet. Ita nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptionem qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet. Eámque in peccatorum remissione ac iustitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.

3 In huius rei confirmationem extant multa & clara Scripturæ testimonia. Principiò hanc esse propriam & vsitatissimam verbi significationem negari nõ potest. Sed quia nimis longum esset locos omnes colligere & inter se conferre, satis sit lectores monuisse. per se enim facilè obseruabunt. Paucos tantùm producam, vbi hæc, de qua loquimur, iustificatio nominatim tractatur. Primùm vbi narrat Lucas plebem Christo audito iustificasse Deum, & vbi pronuntiat Christus sapientiam iustificari à filiis suis, non significat illic iustitiam conferre, quæ manet semper integra apud Deum, quanuis totus mũdus eripere conetur: neque hic etiam salutis doctrinam facere iustam, quæ per se hoc habet: sed vtraque loquutio tantũdem valet, ac laudem Deo eiúsque doctrinę tribuere quã merentur. Rursum quum Pharisæis exprobrat Christus quòd seipsos iustificent, non intelligit acquirere iustitiam rectè agendo, sed ambitiosè captare iustitiæ qua vacui sunt famam. Luc. 7. c. 22 Ibidem, 37 Luc. 16. d. 15

Hunc ſenſum melius intelligunt Hebraicæ linguæ periti: vbi etiam ſceleſti vocantur non modò qui ſibi conſcii ſunt ſceleris, ſed qui iudicium damnationis ſubeunt. Neque enim Berſabe, dum ſe & Solomonem dicit fore ſceleſtos, crimẽ agnoſcit: ſed probro ſe & filium
1. Reg. 1. c. 21 expoſitum iri conqueritur, vt numerentur inter reprobos & damnatos. Ex contextu tamen facilè patet, verbum hoc, etiam dum Latinè legitur, non poſſe aliter accipi, nempe relatiuè, non autem vt qualitatem aliquam denotet. Quod verò ad cauſam præſentem
Galat. 3. a. 8 attinet, vbi Paulus ait Scripturam præuidiſſe quòd ex fide iuſtificet Gentes Deus, quid a-
Rom. 3. d. 26 liud intelligas quàm Deum iuſtitiam ex fide imputare? Item, quum dicit Deum iuſtificare impiũ qui eſt ex fide Chriſti, quis ſenſus eſſe poteſt, niſi fidei beneficio à dãnatione liberare quam ipſorum impietas merebatur? Apertius etiamnum in concluſione, dum ſic
Rom. 8. f. 33 exclamat, Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat. quis condemnabit? Chriſtus eſt qui mortuus eſt: imò qui reſurrexit, & nũc interpellat pro nobis. Perinde enim eſt acſi diceret, Quis accuſabit quos Deus abſoluit? quis damnabit quos ſuo patrocinio Chriſtus defendit? Iuſtificare ergo nihil aliud eſt, quàm eum qui reus agebatur, tãquam approbata innocẽtia à reatu abſoluere. Quum itaque nos Chriſti interceſſione iuſtificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, ſed iuſtitiæ imputatione nos abſoluit: vt pro iuſtis in
Act. 13. f. 38 Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus. Sic Actorum 13, in concione Pauli, Per hunc vobis annuntiatur remiſſio peccatorum, & ab omnibus iis à quibus non potuiſtis iuſtificari in Lege Moſis, omnis qui credit in eum, iuſtificatur. Vides poſt remiſſionem peccatorum iuſtificationem hanc velut interpretationis loco poni: vides apertè pro abſolutione ſumi: vides operibus Legis adimi: vides merum Chriſti beneficium eſſe: vides fide percipi: vides denique interponi ſatisfactionem, vbi dicit nos à peccatis iuſtificari per Chriſtum.
Luc. 18. c. 14 Sic quum publicanus dicitur iuſtificatus è templo deſcendiſſe, non poſſumus dicere aliquo operum merito conſequutum eſſe iuſtitiam. Hoc ergo dicitur, poſt impetratam peccatorum veniam, pro iuſto eſſe coram Deo habitum. Iuſtus ergo fuit non operum approbatione, ſed gratuita Dei abſolutione. Quare eleganter Ambroſius, qui peccatorum con-
In Pſal. 118 Serm. 10 feſſionem vocat iuſtificationem legitimam.

4 Atque vt omittamus contentionem de voce, rem ipſam ſi intuemur qualiter nobis deſcribitur, nulla manebit dubitatio. Nam Paulus acceptionis nomine certè iuſtificationem deſignat, quum dicit ad Epheſios 1. a. 5, Deſtinati ſumus in adoptionem per Chriſtum, ſecundum beneplacitum Dei in laudem glorioſæ ipſius gratię, qua nos acceptos vel
Rom. 3. c. 24 gratioſos habuit. Id enim ipſum vult quod alibi dicere ſolet, Deum nos gratuitò iuſtifica-
Rom. 4. a. 6 re. Quarto autem capite ad Romanos, primùm appellat iuſtitiæ imputationem: nec eam dubitat in peccatorum remiſſione collocare. Beatus homo, inquit, à Dauide dicitur cui Deus acceptò fert vel imputat iuſtitiam ſine operibus: ſicut ſcriptum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. Illic ſanè nõ de iuſtificationis parte, ſed de ipſa tota diſputat. Eius porrò definitionem à Dauide poſitam teſtatur, quum beatos eſſe pronuntiat quibus datur gratuita peccatorum venia. Vnde apparet, iuſtitiam hanc de qua loquitur, ſimpliciter reatui opponi. Sed ad hãc rem locus ille eſt omnium optimus vbi hanc eſſe ſummam
2. Cor. 5. d. 18 docet legationis Euangelicæ, vt reconciliemur Deo: quia ipſe nos per Chriſtum vult in gratiam recipere, non imputando nobis peccata. Sedulò expendant lectores totum contextum. nam paulò poſt exegeticè addens, Chriſtum, qui peccati expers erat, factum eſſe pro nobis peccatum: vt modum reconciliationis deſignet, non aliud haud dubiè reconci-
Rom. 5. d. 19 liandi verbo intelligit quàm iuſtificari. Nec ſanè quod alibi tradit ſtaret, obedientia Chriſti nos conſtitui iuſtos, niſi in ipſo & extra nos iuſti reputamur coram Deo.

5 Verùm quia Oſiander monſtrum neſcio quod eſſentialis iuſtitiæ inuexit, quo etſi noluit abolere gratuitam iuſtitiam, ea tamen caligine inuoluit quæ pias mentes obtenebratas ſerio gratiæ Chriſti ſenſu priuet: antequam ad alia tranſeo, hoc delirium refellere operæpretium eſt. Primò hæc ſpeculatio meræ eſt ieiunæque curioſitatis. Multa quidem Scripturæ teſtimonia accumulat, quibus Chriſtum probet vnum eſſe nobiſcum, & nos viciſſim cum ipſo, quod probatione non indiget: ſed quia non obſeruat huius vnitatis vinculum, ſeipſum illaqueat. Nobis verò omnes eius nodos expedire facile eſt, qui tenemus nos cũ Chriſto vniri arcana Spiritus eius virtute. Cõceperat vir ille quiddã affine Manichæis, vt eſſentiã Dei in homines tranſfundere appeteret. Hinc aliud eius commentum, Adam fuiſſe formatum ad imaginem Dei: quia iam ante lapſum deſtinatus erat Chriſtus exemplar humanæ naturæ. Sed quia breuitati ſtudeo, in præſenti cauſa inſiſtam. Dicit nos vnum

nos vnum esse cum Christo. Fatemur: interea negamus misceri Christi essentiam cum nostra. Deinde perperam hoc principium trahi dicimus ad illas eius præstigias: Christum nobis esse iustitiam, quia Deus est æternus, fons iustitiæ, ipsáque Dei iustitia. Ignoscent lectores si nunc tantùm attingo quæ ratio docendi in aliũ locum differri postulat. Quanuis autem excuset se voce iustitiæ essentialis non aliud intendere quàm vt huic sententiæ occurrat, nos propter Christum iustos reputari: dilucidè tamen exprimit se non ea iustitia contentum, quæ nobis obedientia & sacrificio mortis Christi parta est, fingere nos substantialiter in Deo iustos esse tam essentia quàm qualitate infusa. Hæc enim ratio est cur tam vehementer contendat, non solùm Christum, sed Patrem & Spiritum in nobis habitare. Quod etsi verum esse fateor, peruersè tamen ab eo torqueri dico. Modum enim habitandi expendere decebat, nempe quòd Pater & Spiritus in Christo sunt: & sicut in ipso habitat plenitudo diuinitatis, ita in ipso possidemus totum Deum. Quicquid ergo seorsum de Patre & Spiritu profert, non aliò tendit nisi vt simplices abstrahat à Christo. Deinde substantialem mixtionem ingerit, qua Deus se in nos trãsfundens, quasi partem sui faciat. Nam virtute Spiritus Sancti fieri vt coalescamus cum Christo, nobisque sit caput & nos eius membra, ferè pro nihilo ducit, nisi eius essentia nobis misceatur. Sed in Patre & Spiritu apertius, vt dixi, prodit quid sentiat: nempe iustificari nos nõ sola Mediatoris gratia, nec in eius persona iustitiam simpliciter vel solidè nobis offerri: sed nos fieri iustitiæ diuinæ consortes, dum essentialiter nobis vnitur Deus.

6 Si tantùm diceret Christum nos iustificando, essentiali coniunctione nostrum fieri: nec solũ quatenus homo est, esse caput nostrum, sed diuinæ quoque naturæ essentiam in nos diffundi: minore noxa deliciis se pasceret, nec fortè propter hoc delirium tanta esset excitanda contentio: sed quum principium hoc sit instar sepiæ, quæ egestione atri turbidíque sanguinis multas caudas occultat, nisi velimus scientes & volentes pati nobis iustitiam illam eripi quæ sola de salute gloriandi fiduciam nobis adfert, acriter resistere necesse est. Nam in hac tota disputatione nomen iustitiæ & verbum iustificandi ad duas partes extendit, vt iustificari sit non solùm reconciliari Deo gratuita venia, sed etiam iustos effici: vt iustitia sit non gratuita imputatio, sed sanctitas & integritas quam Dei essentia in nobis residens inspirat. Deinde fortiter negat, quatenus Christus sacerdos peccata expiãdo, Patrẽ nobis placauit, ipsum esse iustitiã nostram, sed vt est Deus æternus, & vita. Vt probet illud primũ, Deum non tantùm ignoscendo sed regenerãdo iustificare, quærit an quos iustificat, relinquat quales erant natura, nihil ex vitiis mutando. Responsio perquę simul & coniunctim in ipso percipimus, iustitiã & sanctificationem. Quoscunque ergo in gratiam recipit Deus, simul spiritu adoptionis donat, cuius virtute eos reformat ad suam imaginem. Verùm si solis claritas non potest à calore separari, an ideo dicemus luce calefieri terram, calore verò illustrari? Hac similitudine nihil ad rem præsentem magis accommodum. Sol calore suo terram vegetat ac fœcundat, radiis suis illustrat & illuminat. Hîc mutua est ac indiuidia connexio: transferre tamen quod vnius peculiare est ad alterum, ratio ipsa prohibet. In hac duplicis gratiæ confusione, quam obtrudit Osiãder, similis est absurditas: quia enim re ipsa ad colendam iustitiam renouat Deus quos pro iustis gratis censet, illud regenerationis donum miscet cum hac gratuita acceptatione, vnúmque & idem esse contendit. Atqui Scriptura vtrunque coniungens distinctè tamen enumerat, quo multiplex Dei gratia melius nobis pateat. Neque enim superuacuum est illud Pauli, datum fuisse nobis Christum in iustitiam & sanctificationẽ. Et quoties à salute nobis parta, à paterno amore Dei, à Christi gratia ratiocinatur nos ad sanctitatem & munditiem vocatos esse, apertè indicat aliud esse iustificari quàm fieri nouas creaturas. Vbi verò ad Scripturam ventum est, totidem corrumpit locos quot citat. Vbi Paulus dicit reputari fidem ad iustitiam non operanti, sed credenti in eum qui iustificat impium, exponit iustum efficere. Eadem temeritate deprauat totum illud quartum caput ad Romanos: neque dubitat eodem fuco inficere quod nuper citaui, Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat. vbi de reatu & absolutione simpliciter agi palam est, ac ex antithesi pendere Apostoli sensum. Ergo tam in ratione illa quàm in citandis Scripturæ suffragiis nimium futilis deprehenditur. Nihilo etiam rectiùs de nomine iustitiæ disserit, quòd scilicet Abrahæ reputata fuerit fides in iustitiam, postquam amplexus Christum (qui Dei iustitia est, & Deus ipse) eximiis virtutibus excelluerat. Vnde apparet

1. Cor. 1. d. 30

Rom. 4. a. 5

ex duobus integris ab ipso vitioſè fieri vnum corruptum. neque enim iuſtitia, cuius illic fit mentio, ad totum vocationis cursum pertinet: quin potius teſtatur Spiritus, quanuis eximia eſſet præſtantia virtutum Abrahæ, diúque perſeuerando tandem auxiſſet, non tamen aliter placuiſſe Deo, niſi quòd gratiam in promiſſione oblatam fide recepit. Vnde ſequitur in iuſtificatione nullum operibus eſſe locum, ſicuti Paulus ſcitè contendit.

7 Quod obiicit, vim iuſtificandi non ineſſe fidei ex ſeipſa, ſed quatenus Chriſtum recipit, libenter admitto. nam ſi per ſe, vel intrinſeca, vt loquuntur, virtute iuſtificaret fides, vt eſt ſemper debilis & imperfecta, non efficeret hoc niſi ex parte. ſic manca eſſet iuſtitia quæ fruſtulum ſalutis nobis conferret. Nos quidem nihil tale imaginamur, ſed propriè loquendo Deum vnum iuſtificare dicimus: deinde hoc idem transferimus ad Chriſtum, quia datus eſt nobis in iuſtitiam. fidem verò quaſi vaſi conferimus, quia niſi exinaniti ad expetendã Chriſti gratiã aperto animæ ore accedimus, non ſumus Chriſti capaces. Vnde colligitur, nõ detrahere nos Chriſto vim iuſtificandi, dum prius eum fide recipi docemus quàm illius iuſtitiã. Neque tamẽ interea tortuoſas huius ſophiſtæ figuras admitto, quum dicit fidẽ eſſe Chriſtũ. quaſi verò olla fictilis ſit theſaurus, quòd in ea recõditũ ſit aurum. Neque enim diuerſa ratio eſt, quin fides, etiamſi nullius per ſe dignitatis ſit vel pretii, nos iuſtificet, Chriſtum afferẽdo, ſicut olla pecuniis referta hominem locupletat. Inſcitè ergo fidem, quæ inſtrumentum eſt duntaxat percipiendæ iuſtitiæ, dico miſceri cum Chriſto, qui materialis eſt cauſa, tantique beneficii author ſimul & miniſter. Iam expeditus eſt ille quoque nodus, quomodo intelligi debeat vocabulum fidei, vbi de iuſtificatione agitur.

8 In Chriſti receptione lõgius prouehitur: nempe verbi externi miniſterio verbum internum recipi, quo nos à ſacerdotio Chriſti & Mediatoris perſona ad externam eius diuinitatem traducat. Nos quidem Chriſtum non diuidimus, ſed eundem, qui in carne ſua nos Patri reconcilians iuſtitia donauit, eſſe æternum ſermonem Dei: nec verò ab eo potuiſſe aliter impleri Mediatoris partes fatemur, & iuſtitiam nobis acquiri, niſi eſſet Deus æternus. Sed hoc Oſiãdri placitum eſt, quum Deus & homo ſit Chriſtus, reſpectu diuinæ naturæ non humanæ factum nobis eſſe iuſtitiam. Atqui ſi propriè hoc in diuinitatẽ competit, peculiare non erit Chriſto, ſed commune cum Patre & Spiritu: quando non alia eſt vnius quàm alterius iuſtitia. Deinde quod naturaliter ab æterno fuit, non cõgrueret dici nobis eſſe factum. Sed vt hoc demus, Deum nobis factũ eſte iuſtitiam, quî illud quod interpoſitum eſt conueniet factum eſſe à Deo? Hoc certè peculiare eſt Mediatoris perſonæ: quæ etſi in ſe continet diuinam naturam, hîc tamen inſignitur proprio elogio, quo ſeorſum à Patre & Spiritu diſcernitur. Ridiculè verò in verbo vno Ieremiæ triũphat, vbi promittit Iehouam fore noſtram iuſtitiam. Atqui nihil inde aliud eliciet niſi Chriſtum, qui noſtra eſt iuſtitia, eſſe Deum manifeſtatum in carne. Alibi retulimus ex concione Pauli, Deum ſibi acquiſiiſſe Eccleſiam ſuo ſanguine. Siquis inde inferat, ſanguinem quo expiata ſunt peccata eſſe diuinum, & diuinæ naturæ, quis tam fœdum errorem ferat? Atqui hoc tam puerili cauillo ſe omnia adeptum eſſe putat Oſiander, tumet, exultat, multáſque paginas farcit ſuis ampullis. quum tamen ſimplex ſit, & expedita ſolutio, Iehouam quidem, vbi factus fuerit germen Dauidis, fore piorum iuſtitiam: ſed quo ſenſu, docet Ieſaias, Cognitione ſui iuſtificabit multos iuſtus ſeruus meus. Notemus Patrem loqui: Filio attribuere iuſtificandi partes: cauſam addere, quòd iuſtus ſit: modum vel medium (vt loquuntur) locare in doctrina qua Chriſtus cognoſcitur. Nam vocem דעת paſſiuè accipere commodius eſt. Hinc colligo Chriſtum eſſe factum iuſtitiam quando ſerui ſpeciem induit: ſecundò nos iuſtificare quatenus obſequentem ſe Patri prębuit: ac proinde non ſecundum diuinam naturam hoc nobis præſtare, ſed pro diſpenſationis ſibi iniunctæ ratione. Etſi enim ſolus Deus fons eſt iuſtitiæ, nec aliter quàm eius participatione ſumus iuſti: quia tamen infœlici diſſidio ab eius iuſtitia alienati ſumus, neceſſe eſt deſcẽdere ad hoc inferius remedium, vt nos Chriſtus mortis & reſurrectionis ſuæ virtute iuſtificet.

Iere.31.b.10

Act.20.f.28

Ieſa.53.d.11

9 Si obiiciat, opus hoc ſua præſtantia ſuperare hominis naturam, ideóque non poſſe niſi diuinæ naturæ adſcribi, prius concedo: in hoc ſecundo dico eum inſcitè hallucinari. Nam etſi neque ſanguine ſuo animas noſtras purgare, neque Patrẽ ſuo ſacrificio placare, neque à reatu abſoluere nos poterat Chriſtus, nec denique munus ſacerdotis peragere, niſi verus fuiſſet Deus, quia tanto oneri impar erat carnis facultas: certum tamen eſt his omnibus perfunctum eſſe ſecundum humanam naturam. Quomodo enim iuſtificati ſumus ſi quæritur, reſpondet Paulus, Chriſti obedientia. An verò aliter obediuit quàm

aſſumpta

assumpta serui figura? Vnde colligimus, in carne eius exhibitam nobis esse iustitiam. Similiter in aliis verbis (quæ sæpius citare quomodo Osiandrum non pudeat valde miror) non alibi statuit iustitiæ fontem quàm in carne Christi. Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt essemus iustitia Dei in illo. Iustitiam Dei inflatis buccis attollit Osiander, & triumphum canit, quasi euicerit esse spectrum illud suum essentialis iustitiæ: quũ longè aliud verba sonẽt, iustos nos esse expiatione per Christum facta. Iustitiam Dei accipi pro ea quæ Deo probatur, notum esse debuerat elementariis: sicuti apud Iohannem confertur gloria Dei hominum gloriæ. Scio, interdum vocari Dei iustitiam, cuius est ipse author, & qua nos donat: sed hoc loco nihil aliud intelligi quàm nos mortis Christi piaculo suffultos apud Dei tribunal stare, sani lectores me tacente agnoscunt. Neque in voce tantum est momenti, modò nobiscum de hoc consentiat Osiander, nos in Christo iustificari quatenus pro nobis factus est expiatrix victima: quod à diuina eius natura abhorret. Qua etiam ratione, vbi iustitiam & salutem quam nobis attulit, obsignare vult Christus, certũ eius pignus in carne sua proponit. Vocat quidem se panem viuum: sed modum explicans, adiungit, carnem suam esse verè cibum, & sanguinem verè potum. Quæ ratio docendi in sacramentis perspicitur: quæ etsi fidem nostram ad totum Christum non dimidium dirigunt, simul tamen iustitiæ & salutis materiam in eius carne residere docent. non quòd à seipso iustificet aut viuificet merus homo, sed quia Deo placuit, quod in se absconditum & incomprehensibile erat, in Mediatore palàm facere. Vnde soleo dicere Christum esse nobis quasi expositum fontem, vnde hauriamus quod alioqui sine fructu lateret in occulta illa & profunda scaturigine, quæ in Mediatoris persona ad nos emergit. Hoc modo & sensu non inficior Christum, vt est Deus & homo, nos iustificare, commune esse etiam hoc opus Patris & Spiritus sancti, denique iustitiam, cuius nos consortes facit Christus, æternam esse Dei æterni iustitiam, modò firmis & apertis quas citaui rationibus cedat. Rom. 5. d. 12 Iohã. 17. f. 43

10 Porrò ne suis cauillis decipiat imperitos, fateor hoc tam incomparabili bono nos priuari donec Christus noster fiat. Coniunctio igitur illa capitis & membrorum, habitatio Christi in cordibus nostris, mystica denique vnio à nobis in summo gradu statuitur: vt Christus noster factus, donorum quibus præditus est nos faciat consortes. Non ergo eum extra nos procul speculamur, vt nobis imputetur eius iustitia: sed quia ipsum induimus, & insiti sumus in eius corpus, vnum denique nos secum efficere dignatus est: ideo iustitiæ societatem nobis cum eo esse gloriamur. Ita refellitur Osiandri calumnia, fidem à nobis censeri iustitiam: quasi Christum spoliemus iure suo, quum dicimus fide nos ad eum vacuos accedere, vt eius gratiæ locum demus, quo nos ipse solus impleat. Sed Osiander hac spirituali coniunctione spreta, crassam mixturam Christi cum fidelibus vrget: atque ideo Zuinglianos odiosè nominat quicunque non subscribunt fanatico errori de essentiali iustitia: quia non sentiant Christum in Cœna substantialiter comedi. Mihi verò probrum hoc audire ab homine superbo suísque præstigiis dedito summa gloria est. Quanquã non me solum, sed quos modestè venerari debuerat scriptores orbi satis cognitos perstringit. Mea verò nihil refert, qui priuatam causam non ago. quo sincerius hanc causam ago, qui liber sum ab omni prauo affectu. Quòd ergo essentialem iustitiam & essentialem in nobis Christi habitationem tam importunè exigit, huc spectat, primùm vt crassa mixtura se Deus in nos transfundat, sicuti in Cœna carnalis manducatio ab ipso fingitur, deinde vt iustitiam suam nobis inspiret, qua realiter simus cum ipso iusti: quãdoquidem secundum ipsum iustitia hæc tam est Deus ipse quàm probitas, vel sanctitas, vel integritas Dei. Non multum operæ impendam diluendis quæ adducit testimoniis, quæ perperam à cælesti vita ad statum præsentem detorquet. Per Christum (inquit Petrus) donata sunt nobis pretiosa & maxima promissa, vt consortes efficeremur diuinæ naturæ. Quasi verò nunc simus quales Euangelium fore promittit vltimo Christi aduentu: imò admonet Iohannes tunc nos Deum visuros sicuti est, quia similes ei erimus. Tantùm exilem gustum dare volui lectoribus, data opera me supersedere ab his nugis, nõ quòd difficile sit eas diluere, sed quia nolo molestus esse in labore superuacuo. 1. Pet. 1. a. 4 1. Iohã. 3. a. 2

11 Cæterùm in secundo membro plus veneni latet, vbi nos vnà cum Deo iustos esse docet. Satis iam me probasse arbitror, quanuis non tam pestiferum esset hoc dogma, quia tamen frigidum & ieiunum est, suáque vanitate diffluit, sanis & piis lectoribus meritò debere esse insipidum. Verùm hæc minimè tolerabilis est impietas, prætextu duplicis

iustitiæ labefactare salutis fiduciam,& nos raptare supra nubes,ne gratiam expiationis fide amplexi, Deum quietis animis inuocemus. Ridet eos Osiander qui iustificari docent esse verbum forense: quia oporteat nos re ipsa esse iustos. nihil etiam magis respuit quàm nos iustificari gratuita imputatione. Agedum, si nos Deus non iustificat absoluendo & 2.Cor.5.d.21 ignoscendo,quid sibi vult illud Pauli?Erat Deus in Christo mundũ sibi reconcilians,non imputans hominibus peccata. Eum enim qui peccatum nõ fecerat, pro nobis peccatum fecit,vt essemus iustitia Dei in illo.Primùm obtineo, iustos censeri qui Deo reconciliantur.modus inseritur,quòd Deus ignoscendo iustificet: sicuti alio loco iustificatio accusationi opponitur. quæ antithesis clarè demonstrat sumptam esse loquendi formam à forensi vsu.Nec verò quisquam mediocriter in lingua Hebraica versatus (modò idem sedato sit cerebro)inde ortã esse phrasin hanc ignorat,deinde quorsum tendat & quid valeat. Iam verò mihi respõdeat Osiander,vbi dicit Paulus describi à Dauide iustitiam sine ope- Rom.4.a.7 Psal.32.a.1 ribus in his verbis, Beati quorũ remissæ sunt iniquitates:sit'ne plena hæc definitio, an dimidia.Certè Prophetam non adducit testem,acsi doceret partem iustitiæ esse veniã peccatorum, vel ad hominem iustificandum concurrere:sed totam iustitiam in gratuita remissione includit, beatum hominem pronuntians cuius tecta sunt peccata, cui remisit Deus iniquitates, & cui transgressiones non imputat: fœlicitatem eius inde æstimat & censet,quia hoc modo iustus est non re ipsa,sed imputatione. Excipit Osiander,cõtumelioſum hoc fore Deo,& naturæ eius contrariũ,si iustificet qui re ipsa impii manent.Atqui tenendum memoria est quod iam dixi, nõ separari iustificandi gratiam à regeneratione, licet res sint distinctæ.Sed quia experientia plus satis notum est, manere semper in iustis reliquias peccati,necesse est longè aliter iustificari quàm reformantur in vitę nouitatem. Nam hoc secundum sic inchoat Deus in electis suis, totóque vitæ curriculo paulatim, & interdũ lentè in eo progreditur,vt semper obnoxii sint apud eius tribunal mortis iudicio. Iustificat autem non ex parte,sed vt liberè, quasi Christi puritate induti, in cælis compareant.Neque enim conscientias pacaret aliqua iustitiæ portio,donec statutũ sit nos Deo placere: quia sine exceptione iusti coram ipso sumus. Vnde sequitur peruerti & funditus euerti iustificationis doctrinam vbi animis iniicitur dubitatio, concutitur fiducia salutis, libera & intrepida inuocatio remoram patitur:imò vbi non stabilitur quies & tranquillitas cum spirituali gaudio. Vnde Paulus à repugnantibus arguit, hereditatem non esse ex Galat.3.c.18 Lege:quia hoc modo exinanita esset fides,quæ si operũ respectum habeat,labascit: quando nemo ex sanctissimis illic reperiet in quo confidat. Hoc discrimen iustificandi & regenerandi(quæ duo confundens Osiander,duplicem iustitiam nominat) pulchrè exprimitur à Paulo.nã de reali sua iustitia loquens,vel de integritate qua donatus erat(cui Osian- Rom.7.d.24 der titulum imponit essentialis iustitiæ) flebiliter exclamat, Miser ego, quis me liberabit ex corpore mortis huius? Ad iustitiam verò confugiens quæ in sola Dei misericordia fundata est,magnificè & vitæ & morti,& probris, & inediæ, & gladio rebúsque omnibus ad- Rom.8.f.33 uersis insultat. Quis accusabit contra electos Dei,quos ipse iustificat? Certò enim persuasus sum quòd nihil nos separabit ab amore eius in Christo. Iustitiam sibi esse clarè prædicat quæ sola ad salutem in solidum sufficiat coram Deo,vt gloriandi fiduciæ non deroget ac nihil remoræ iniiciat misera illa seruitus,cuius sibi cõscius sortem suam paulo antè deflebat. Hæc diuersitas satis nota est adeóque familiaris sanctis omnibus qui sub onere iniquitatum gemunt,& interea victrice fiducia emergũt supra omnes metus. Quod autem obiectat Osiander, dissentaneum esse à natura Dei,in eum recidit.nam etsi duplici iustitia tanquam pellita veste sanctos vestit,fateri tamen cogitur,sine peccatorum remissione neminem placere Deo.Quod si verum est,saltem concedat,secundum ratam partem imputationis (vt loquuntur) iustos censeri qui re ipsa non sunt. Quousque autem extendet peccator acceptationem hanc gratuitam, quæ subrogatur in locum iustitiæ? ex deunce, an ex vncia? Ambiguus profectò & vacillans in hanc & in hanc partem pendebit: quia non licebit quantum ad fiduciam necessarium erit iustitiæ sibi sumere.Bene est quòd huius causæ non est arbiter, qui Deo legem vellet præscribere. Cæterùm illud stabit fixum, Psal.51.a.6 Vt iustificeris in sermonibus tuis,& vincas quum iudicaris.Quantæ autem arrogantiæ est Exo.21.d.19 damnare summum iudicem quum gratis absoluit, ne valeat illud responsum, Miserebor cuius miserebor?Et tamen Mosis intercessio,quam hac voce compescuit Deus,nõ eò tendebat ne cui parceret,sed vt omnes pariter, abolito reatu, quanuis obnoxii culpæ essent, absolueret.Ac nos quidem dicimus ideo sepultis peccatis iustificari coram Deo perditos: quia

quia(vt peccatum odio habet) non potest amare nisi quos iustificat.Sed hæc est mirabilis iustificandi ratio, vt Christi iustitia tecti non exhorreant iudicium quo digni sunt, & dum seipsos meritò damnant,iusti extra se censeantur.

12 Monendi tamen sunt lectores,vt ad mysterium, quod se illos celare nolle iactat, sedulò aduertant. Postquam enim diu & prolixè contendit non sola imputatione iustitiæ Christi nos fauorem consequi apud Deum, quia hoc ei impossibile esset habere pro iustis qui non sunt: (vtor eius verbis) tandem concludit Christum non humanæ naturæ sed diuinę respectu datum nobis esse in iustitiam:& quanuis hæc nonnisi in persona Mediatoris reperiri queat,esse tamen non hominis sed Dei iustitiã. Non colligat nunc suum funiculum ex duabus iustitiis,sed planè iustificandi officium adimit humanæ Christi naturæ.Operæpretium autem est tenere qua ratione pugnet.Dicitur eodem loco Christus factus in sapientiam:quod non cõuenit nisi æterno sermoni. Ergo nec Christus homo iustitia est.Respondeo,vnigenitum Dei Filium æternam quidem fuisse eius sapiẽtiam, sed diuerso modo nomen hoc ei attribui apud Paulum,quia in ipso recõditi sunt omnes thesauri sapientiæ & sciẽtiæ.Quod ergo apud Patrem habebat,nobis manifestauit:& ita non ad essentiam Filii Dei,sed ad vsum nostrum refertur quod dicit Paulus,& humanæ Christi naturæ rite aptatur: quia etsi lux in tenebris lucebat antequam carnem indueret, erat tamen lux abscondita,donec prodiit idem Christus in natura hominis, sol iustitiæ:qui se ideo lucem mundi appellat. Stultè etiam ab eo obiicitur, iustificandi virtutem tam Angelis quàm hominibus longè superiorem esse:quando hoc non ex dignitate creaturæ cuiusquam,sed ex Dei ordinatione pẽdet.Si Angelis libeat Deo satisfacere,nihil proficient: quia non sunt ad hoc destinati. homini autem Christo hoc singulare fuit,qui Legi subiectus est vt nos à maledictione Legis redimeret.Nimis etiam improbè calumniatur eos qui negant Christum secũdum diuinam naturam esse nobis iustitiam,relinquere vnam tantùm partem de Christo,& (quod deterius est)facere duos Deos:quia etsi fatentur Deum habitare in nobis,reclamant tamen non esse nos iustos iustitia Dei. Neque enim si Christum, quatenus mortem subiit vt destrueret eum qui habebat mortis imperiũ, vocamus authorem vitæ,protinus totum ipsum,vt est Deus in carne manifestatus,fraudamus hoc honore:sed tantùm distinguimus quomodo ad nos perueniat iustitia Dei,vt ea fruamur. in quo nimis fœdè lapsus est Osiander. Neque verò negamus, quod nobis in Christo palàm est exhibitũ, ab arcana Dei & gratia & virtute manare: neque de eo pugnamus quin iustitia,quam nobis Christus confert,iustitia Dei sit, quæ ab ipso proficiscitur:sed cõstanter illud tenemus nobis in morte & resurrectione Christi esse iustitiam & vitam. Omitto pudendam illam locorum congeriem,qua sine delectu atque etiam sine cõmuni sensu onerauit lectores,vbicunque fit iustitiæ mentio, debere hanc essentialem intelligi.sicuti vbi Dauid Dei iustitiam ad ferendas sibi suppetias implorat, quum id faciat plus centies, tot sententias corrumpere nõ dubitat Osiander. Nihilo etiam firmius est quod obiectat, iustitiam propriè dici & rectè qua ad rectè agendum mouemur,solum verò Deum operari in nobis & velle & perficere. Neque enim negamus quin reformet nos Deus Spiritu suo in vitæ sanctitatem & iustitiam:sed primò videndum est faciátne hoc per se & immediatè,an verò per manum Filii sui, penes quem omnem Spiritus sancti plenitudinem deposuit, vt sua abũdantia membrorum inopiæ subueniret. Deinde quanuis ex occulto diuinitatis fonte prodeat ad nos iustitia,non tamen sequitur,Christum,qui in carne se propter nos sanctificauit, secundum diuinam naturam nobis iustitiam esse. Non minus friuolum est quod adducit,Christum ipsum diuina iustitia fuisse iustum: quia nisi eum voluntas Patris impulisset,ne ipse quidem iniunctis sibi partibus satisfeciisset. Nam etsi alibi dictum fuit omnia Christi ipsius merita fluere ex mero Dei beneplacito,nihil hoc tamen ad phantasma quo suos & simplicium oculos fascinat Osiander.Quis enim colligere permittat, quia fons & principium iustitiæ nostræ Deus est, essentialiter nos esse iustos, & essentiam iustitiæ Dei in nobis habitare? In redimenda Ecclesia (inquit Iesaias) Deus iustitiam suam induit quasi loricam. an vt Christum armis spoliaret, quæ dederat ne esset perfectus redemptor? Atqui nihil aliud voluit Propheta, quàm Deum extra se nihil mutuatum esse, neque fuisse vllo subsidio adiutum ad nos redimendos. Quod aliis verbis breuiter signauit Paulus, salutem nobis dedisse in ostensionem suæ iustitiæ. Sed hoc minimè euertit quod alibi docet, nos vnius hominis obedientia iustos esse. Denique quisquis duplicem iustitiam inuoluit, ne quiescant miseræ animæ in mera & vnica

Coloss.2.d.3

Iohan.8.b.12

Galat.3.b.13

Heb.2.d.14

Philip.2.b.13

Iohã.17.c.19

Iesa.59.d.17

Rom.3.d.25

Rom.5.d.19

Dei misericordia, Christum implexis spinis per ludibrium coronat.

13 Sed quoniam bona pars hominum iustitiam ex fide & operibus compositã imaginatur, præmonstremus id quoque, sic inter se differre fidei operúmque iustitiam, vt altera stante necessariò altera euertatur. Dicit Apostolus se omnia pro stercoribus reputasse vt Christum lucrifaceret, & in illo reperiret nõ habens suam iustitiam quæ est ex Lege, sed quæ est ex fide Iesu Christi, iustitiam quæ est ex Deo per fidem. Vides & cõtrariorum esse hîc comparationem, & indicari propriam iustitiam oportere pro delicto haberi ab eo qui velit Christi iustitiam obtinere. Quare alibi hanc Iudæis ruinæ causam fuisse tradit, quòd suam volentes iustitiam stabilire, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Si propriam iustitiam stabiliendo, Dei iustitiam excutimus: vt hanc consequamur, oportet profectò illam penitus aboleri. Idipsum quoque ostendit quum negat per Legem excludi gloriationem nostram, sed per fidem. Vnde sequitur, quantisper manet quantulacunque operum iustitia, manere nobis nonnullam gloriãdi materiam. Iam si fides omnem gloriationem excludit, cum iustitia fidei sociari nullo pacto iustitia operum potest. In hũc sensum tam clarè loquitur quarto capite ad Rom. vt nullum cauillis aut tergiuersationibus locum relinquat. Si operibus, inquit, iustificatus est Abraham, habet gloriam. Subiungit, Atqui non habet gloriam apud Deum. Consequens ergo est, non iustificatum esse operibus. Ponit deinde alterum argumentum à contrariis. Quum rependitur operibus merces, id fit ex debito, non ex gratia. Fidei autem tribuitur iustitia secundum gratiam. Ergo id non est ex meritis operum. Valeat igitur eorum somnium qui iustitiam ex fide & operibus conflatam comminiscuntur.

Philip.3.b.8

Rom.10.a.3

Rom.3.d.27

Rom.4.a.2

14 Subtile effugium habere se putant sophistæ, qui sibi ex Scripturæ deprauatione & inanibus cauillis ludos & delicias faciunt. nam opera exponunt, quę literaliter tantùm & liberi arbitrii conatu extra Christi gratiam faciunt homines nondum regeniti. id verò ad opera spiritualia spectare negant. Ita secundum eos tam fide quàm operibus iustificatur homo, modò ne sint propria ipsius opera, sed dona Christi & regenerationis fructus. Paulum enim non alia de causa ita loquutum, nisi vt Iudæos viribus suis fretos conuinceret stultè sibi arrogasse iustitiam, quum solus Christi Spiritus eã nobis conferat, non studium ex proprio naturæ motu. Atqui non obseruant in antithesi legalis & Euangelicæ iustitiæ, quam alibi Paulus adducit, excludi quælibet opera, & quocunque ornentur titulo. Docet enim iustitiam Legis hãc esse, vt salutem obtineat qui præstitit quod Lex iubet: iustitiam verò fidei, si credimus Christum esse mortuum, & resurrexisse. Adhæc videbimus postea suo loco, diuersa esse Christi beneficia, sanctificationẽ & iustitiam. Vnde sequitur ne spiritualia quidem opera in calculum venire, vbi vis iustificandi fidei adscribitur. Nec verò Paulus, vbi negat (quod nuper citaui) Abraham habere cur glorietur apud Deum, quia operibus iustus non est, restringi hoc debet ad literalem & externam virtutum speciem, vel liberi arbitrii conatum: sed quanuis spiritualis & fere Angelica fuerit Patriarchæ vita, non tamen suppetere operum merita, quæ illi iustitiam coram Deo acquirant.

Gala.3.b.11.12

15 Crassius paulò scholastici, qui præparationes suas miscent: hi tamen non minus prauo dogmate simplices & incautos imbuunt, sub prætextu Spiritus & gratiæ misericordiam Dei, quę sola trepidas animas placare potest, tegẽtes. Nos verò fatemur cum Paulo, iustificari apud Deum legis factores: sed quia à Legis obseruatione longè omnes absumus, hinc colligimus, quæ maximè ad iustitiam valere deberent opera, ideo nihil nos iuuare, quia illis destituimur. Quod ad vulgares Papistas pertinet vel scholasticos, duplicitèr hîc falluntur: & quòd fidem appellant conscientiæ certitudinem, in expectanda à Deo pro meritis mercede: & quòd gratiam Dei non gratuitæ iustitiæ imputationem, sed Spiritum ad studium sanctitatis adiuuantem interpretantur. Legunt apud Apostolum, Accedentem ad Deum oportet primùm credere quòd Deus sit, deinde quòd remunerator sit quærentibus se. Sed non animaduertunt quis sit quærendi modus. In nomine verò gratiæ eos hallucinari palàm fit ex eorum scriptis. Lombardus enim iustificationem per Christum nobis datam duobus modis interpretatur. Primùm, inquit, mors Christi nos iustificat, dum per eam excitatur charitas in cordibus nostris, qua iusti efficimur: deinde quòd per eandem extinctum est peccatum: quo nos captiuos distinebat Diabolus, vt iam non habeat vnde nos damnet. Vides vt Dei gratiam præcipuè in iustificatione cõsideret, quatenus ad bona opera per Spiritus sancti gratiam dirigimur. Voluit scilicet Augustini opinionem sequi: sed procul sequitur, atque etiam à recta imitatione multum deflectit: quia &

Heb.11.a.6

Lib.3.Sent. dist.16.c.1.

quia & obſcurat ſiquid ab illo perſpicuè dictum eſt, & quod non adeo impurũ in illo erat corrumpit. Scholæ in deterius ſemper aberrarunt, donec tandem præcipiti ruina deuolutæ ſunt ad quendam Pelagianiſmum. Ac nec Auguſtini quidem ſententia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda eſt. Tametſi enim egregiè hominem omni iuſtitiæ laude ſpoliat, ac totam Dei gratiæ tranſcribit: gratiam tamen ad ſanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem per Spiritum regeneramur.

16 Scriptura autem, quum de fidei iuſtitia loquitur, longè aliò nos ducit: nempe vt ab intuitu operum noſtrorum auerſi, in Dei miſericordiam ac Chriſti perfectionem tantùm reſpiciamus. Siquidem hunc iuſtificationis ordinem docet, quòd principio peccatorem hominem mera gratuitáque bonitate dignetur complecti Deus, nihil in ipſo, quo ad miſericordiam moueatur, reputans, niſi miſeriam: quippe quem videt à bonis operibus prorſus nudum ac vacuum: à ſeipſo cauſam petens cur illi benefaciat, quòd peccatorem ipſum bonitatis ſuæ ſenſu afficiat, qui de propriis operibus diffiſus, totam ſalutis ſuæ ſummam in ipſius miſericordiã reiiciat. Hîc eſt fidei ſenſus, per quẽ peccator in poſſeſſionem venit ſuæ ſalutis, dum ex Euangelii doctrina agnoſcit Deo ſe reconciliatũ: quòd intercedente Chriſti iuſtitia, impetrata peccatorum remiſſione, iuſtificatus ſit: & quanquã Spiritu Dei regeneratus, non in bonis operibus, quibus incũbit, ſed in ſola Chriſti iuſtitiá repoſitam ſibi perpetuam iuſtitiam cogitat. Hæc vbi ſigillatim expenſa fuerint, perſpicuam ſententiæ noſtræ explicationem reddẽt. Quanquam alio quàm propoſita ſint ordine melius digerentur. Sed parum intereſt, modò inter ſe ita cohęreant vt rem totam ritè expoſitam certóque confirmatam habeamus.

17 Hîc memoria repetere conuenit quam prius relationem cõſtituimus inter fidem & Euangeliũ: quia inde iuſtificare dicitur fides, quòd oblatam in Euangelio iuſtitiam recipit & amplectitur. Quòd autem per Euangelũ dicitur offerri, eo excluditur omnis operum conſideratio. Quod quum aliàs ſæpe, tum duobus locis clariſſimè Paulus demõſtrat. nam ad Romanos Legem & Euangelium inter ſe conferens, Iuſtitia, inquit, quæ ex Lege eſt, ſic habet, Qui fecerit hæc homo, viuet in ipſis. quæ autem fidei eſt iuſtitia ſalutem denuntiat: Si credideris in corde tuo, & ore cõfeſſus fueris Dominum Ieſum, & quòd Pater illum ſuſcitauit à mortuis. Vidéſne vt Legis & Euãgelii diſcrimẽ hoc faciat, quòd illa operibus iuſtitiam tribuat, hoc citra operum ſubſidium gratuitam largiatur? Inſignis locus, & qui nos à multis difficultatibus extricare queat, ſi intelligamus, eam quæ nobis per Euãgelium donatur iuſtitiam, Legis conditionibus ſolutam eſſe. Hæc ratio eſt cur tãta repugnantiæ ſpecie promiſſionem Legi non ſemel opponat: Si ex Lege eſt hereditas, iam non eſt ex promiſſione, & quæ eodem capite in hanc ſententiam habentur. Certè & Lex ipſa ſuas habet promiſsiones. Quare in promiſsionibus Euangelicis diſtinctum aliquid ac diuerſum eſſe oportet, niſi velimus fateri ineptam eſſe collationem. Quale autem iſtud erit, niſi quòd gratuitæ ſunt, ac ſola Dei miſericordia ſuffultæ, quũ Legis promiſsiones ab operum conditione pendeant. Neque hîc obgãniat quiſpiã, repudiari quam ex proprio marte & libero arbitrio iuſtitiam obtrudere Deo volunt homines. quando ſine exceptione docet Paulus Legem iubendo nihil prodeſſe: quia nemo eſt qui impleat, non tantùm ex vulgo, ſed ex perfectiſsimis quibuſque. Dilectio certè præcipuum eſt caput Legis: quum ad eã nos formet Spiritus Dei: Cur non eſt nobis iuſtitiæ cauſa, niſi quòd in ſanctis etiam mutila eſt, ideóque per ſe nihil pretii meretur?

Rom. 10. a. 5

Gal. 3. c. 18

Rom. 8. a. 2

18 Secundus locus eſt, Quòd ex Lege nemo iuſtificetur apud Deum, manifeſtũ eſt. Quia iuſtus ex fide viuet. Lex autẽ non eſt ex fide: ſed qui fecerit hæc homo, viuet in ipſis. Quomodo alioqui conſtaret argumentum, niſi conueniat in calculum fidei non venire opera, ſed prorſus ſeparanda eſſe? Lex, inquit, eſt à fide diuerſa. Quare? Propterea quòd ad illius iuſtitiam opera requirũtur. Ergo ad huius iuſtitiam ſequitur non requiri. Ex iſta relatione apparet, citra operum meritum, imò extra operum meritum iuſtificari qui fidem eo à Lege differt, quòd operibus non alligat iuſtitiã, ſed in ſola Dei miſericordia collocat. Simile eſt quod ad Romanos contendit, Abraham nõ habere gloriandi materiam, quia fides illi in iuſtitiam ſit imputata. ac confirmationẽ ſubiicit, quòd tum fidei iuſtitiæ locus eſt vbi nulla ſunt opera quibus debeatur merces. Vbi (inquit) ſunt opera, illis debitum præmium expenditur: quod datur fidei, gratuitum eſt. ſiquidem & verborũ, quibus illic vtitur, ſenſus huc quoque pertinet. Quod ſubnectit aliquanto pòſt, ideo ex fide nos

Gal. 3. b. 12

Rom. 4. a. 4

obtinere hereditatẽ, vt ſecundũ gratiam: hinc colligit gratuitam eſſe hereditatẽ, quia fide percipitur. vnde id, n. ſi quia fides ſine operũ adminiculo, tota in Dei miſericordiã recũbit? Atque eodem ſenſu haud dubiè alibi docet iuſtitiam Dei abſque Lege manifeſtatam eſſe, quanuis teſtimonium habeat à Lege & Prophetis: quia excluſa Lege operibus adiuuari negat, nec operando nos eam conſequi, ſed vacuos accedere vt eam recipiamus.

Rom.3.c.21

19 Iam perſpicit lector quãta æquitate doctrinam noſtram hodie Sophiſtæ cauillentur, quum dicimus hominem ſola fide iuſtificari. Fide iuſtificari hominem quia toties in Scriptura recurrit, negare non audent: ſed quum nuſquam exprimatur Sola, hanc adiectionem fieri non ſuſtinent. Itáne? ſed quid ad hæc Pauli verba reſpondebũt, vbi contendit non eſſe ex fide iuſtitiam, niſi ſit gratuita? Quomodo gratuitum cum operibus conueniet? Quibus etiam calumniis eludent quod alibi dicit, in Euangelio Dei iuſtitiam manifeſtari? Si manifeſtatur in Euangelio iuſtitia, certè non lacera nec dimidia, ſed plena & abſoluta illic continetur. Lex ergo in ea locum non habet. Nec falſa modò, ſed planè ridicula tergiuerſatione in excluſiua particula conſiſtunt. Annon enim ſatis ſolidè ſoli fidei tribuit omnia, qui operibus adimit? Quid ſibi, amâbo, volunt iſtæ loquutiones, Sine Lege manifeſtatã eſſe iuſtitiam, Iuſtificari gratis hominẽ, & ſine operibus Legis? Hîc ingenioſum ſubterfugium habent: quod tametſi non excogitarũt ipſi, ſed ab Origene & quibuſdam veterum ſumpſerunt, ineptiſſimum tamen eſt. Opera Legis ceremonialia excludi garriunt, non moralia. Sic proficiunt aſſiduè rixando vt ne prima quidem dialecticæ elementa teneant. An putant delirare Apoſtolum dum ad eius ſententiæ probationem locos iſtos adducit? Qui fecerit hæc homo, viuet in ipſis. Et, Maledictus omnis qui non impleuerit omnia quæ ſcripta ſunt in volumine Legis. Niſi inſaniant, non dicent promiſſam vitam ceremoniarum cultoribus, nec denuntiatam maledictionem ſolis earum trãſgreſſoribus. Si ſunt de Lege morali intelligendi: non dubium quin à iuſtificandi poteſtate moralia quoque opera excludantur. Eódem ſpectãt iſtæ ratiocinationes quibus vtitur, Quoniam per Legem cognitio peccati: ideo non iuſtitia. Quia Lex iram operatur, ergo non iuſtitiam. Quia Lex certam non poteſt reddere conſciẽtiam, ideo nec iuſtitiam conferre valet. Quia imputatur fides in iuſtitiam, ergo non eſt operis merces iuſtitia, ſed indebita donatur. Quia ex fide iuſtificamur, abſciſſa eſt gloriatio. Si data eſſet Lex quæ poſſet viuificare, verè ex Lege eſſet iuſtitia: ſed Deus concluſit omnia ſub peccato, vt promiſſio daretur credentibus. Nugentur, ſi audeant, in ceremonias iſta competere, non in mores. atqui pueri quoque ipſi exploderent tantam impudentiam. Maneat ergo nobis certum, de Lege tota verba fieri, quando Legi derogatur iuſtificandi facultas.

Rom.4.a.2
Rom.1.b.17
Rom.3.c.21, & 24
Gala.3.b.10. 12
Rom.3.c.20 & 4.c.15
Galat.3.d.21

20 Siquis autem miretur cur tali adiectione vſus ſit Apoſtolus, non contentus opera nominaſſe: in promptu eſt ratio. Siquidem vt tanti æſtimentur opera, pretium à Dei approbatione magis quàm à propria dignitate illud habẽt. Quis enim operum iuſtitiam Deo venditare audeat, niſi quam ipſe approbarit? quis tanquam illis debitam repoſcere mercedem, niſi quam ille promiſerit? Habent ergo id ex Dei beneficẽtia, quòd & iuſtitiæ titulo & mercede digna habentur. atque adeo hac vna ratione valent, dum per ipſa propoſitum eſt obediẽtiam Deo exhibere. Quare vt probet alibi Apoſtolus, Abraham iuſtificari ex operibus non potuiſſe, allegat, ferme quadringẽtis demum & triginta annis poſt percuſſum fœdus latam eſſe Legem. Riderent huiuſmodi argumentũ imperiti, quòd ante promulgationem Legis potuerint eſſe iuſta opera: ſed quia operibus nonniſi ex Dei teſtimonio ac dignatione tantũ ineſſe momenti nouerat, pro confeſſo aſſumpſit, ante Legem vim iuſtificandi nõ habuiſſe. Habemus cur opera Legis nominatim exprimat, dum vult illis detrahere iuſtificationem: quia ſcilicet de illis ſolis controuerſia moueri poteſt. Quanquam & ſine adiectione quælibet interdum opera excipit, vt quum Dauidis teſtimonio beatitudinem homini aſſignari dicit cui Deus ſine operibus imputat iuſtitiã. Facere ergo nullis cauillis poſſunt quin generalẽ excluſiuam obtineamus. Ac fruſtra etiam friuolam ſubtilitatem captant, iuſtificari nos ſola fide quæ per dilectionem operatur, vt nitatur charitate iuſtitia. Fatemur quidem cum Paulo, non aliam fidem iuſtificare quàm illam charitate efficacem: ſed ab illa charitatis efficacia iuſtificandi vim non ſumit. Imò non alia ratione iuſtificat, niſi quia in communicationem iuſtitiæ Chriſti nos inducit. Alioqui excideret id totum quod tanta cõtentione Apoſtolus vrget. Ei qui operatur (ait) non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei verò qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur ſua fides ad iuſtitiam. Poterátne

Rom.4.a.6
Galat.5.a.6
Rom.4.a.4

euidentius

euidentius loqui quàm ſic agendo? nullam eſſe fidei iuſtitiã, niſi vbi nulla ſunt opera quibus debeatur merces: ac tum demum fidem imputari in iuſtitiam, vbi per indebitam gratiam iuſtitia confertur.

21 Nunc illud quàm verũ ſit excutiamus, quod in finitione dictũ eſt, iuſtitiam fidei eſſe reconciliationem cum Deo, quæ ſola peccatorum remiſſione conſtet. Semper ad illud axioma redeundum eſt, vniuerſis iram Dei incumbere, quandiu peccatores eſſe perſeuerant. Id eleganter ſignificauit Ieſaias his verbis, Nõ eſt abbreuiata manus Domini, vt ſeruare nequeat, neque aggrauata auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diſſidiũ fecerunt inter vos & Deum veſtrũ, & peccata veſtra abſconderũt faciem eius à vobis, ne exaudiat. Audimus peccatum eſſe diuiſionẽ inter hominem & Deum, vultus Dei auerſionem à peccatore. nec fieri aliter poteſt: quandoquidem alienũ eſt ab eius iuſtitia quicquam commercii habere cum peccato. Vnde Apoſtolus inimicum eſſe Deo hominem docet, donec in gratiam per Chriſtũ reſtituitur. Quem ergo Dominus in coniunctionem recipit, eum dicitur iuſtificare: quia nec recipere in gratiã, nec ſibi adiungere poteſt quin ex peccatore iuſtum faciat. Iſtud addimus fieri per peccatorum remiſſionem. Nam ſi ab operibus æſtimentur quos ſibi Dominus reconciliauit, reperiẽtur etiamnum reuera peccatores, quos tamẽ peccato ſolutos puróſque eſſe oportet. Cõſtat itaque, quos Deus amplectitur, non aliter fieri iuſtos niſi quòd abſterſis peccatorum remiſſione maculis purificantur: vt talis iuſtitia vno verbo appellari queat peccatorum remiſſio.

Ieſa.59.a.2

Rom.5.b.8

22 Vtrunque horum pulcherrimè liquet ex iſtis Pauli verbis quæ iam recitaui, Erat Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans hominibus ſua delicta, & depoſuit apud nos verbum reconciliationis. Deinde ſummam ſuæ legationis ſubdit, Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt iuſtitia Dei efficeremur in illo. Iuſtitiam & recõciliationem hîc promiſcuè nominat, vt alterum ſub altero viciſſim contineri intelligamus. Modum autem aſſequendæ huius iuſtitiæ docet, dum nobis delicta non imputãtur. Quare ne poſthac dubites quomodo nos Deus iuſtificet, quum audis recõciliare nos ſibi, non imputãdo delicta. Sic ad Romanos, Dauidis teſtimonio probat homini imputari iuſtitiam ſine operibus, quia ille beatum pronuntiat hominem cuius remiſſæ ſunt iniquitates, cuius tecta ſunt peccata, cui Dominus nõ imputauit delicta. Beatitudinem proculdubio pro iuſtitia illic ponit. eam quum aſſerat in remiſſione peccatorum conſiſtere, non eſt cur aliter ipſam definiamus. Proinde Zacharias pater Iohannis Baptiſtæ cognitionem ſalutis in remiſſione peccatorum poſitam canit. Quam regulam ſequutus Paulus in concione quam de ſalutis ſumma apud Antiochenos habuit, concluſiſſe in hunc modum à Luca narratur, Per hũc remiſsio peccatorum vobis annuntiatur: & ab omnibus iis à quibus non potuiſtis iuſtificari in Lege Moſis, in hunc omnis qui credit, iuſtificatur. Sic remiſsionem peccatorum connectit Apoſtolus cum iuſtitia vt idem prorſus eſſe oſtendat. vnde meritò ratiocinatur, gratuitam eſſe nobis iuſtitiam quam indulgentia Dei obtinemus. Neque inuſitata videri debet loquutio, iuſtos non operibus, ſed gratuita acceptione eſſe fideles coram Deo: quum & toties occurrat in Scriptura, & veteres etiam interdum ſic loquantur. Sic enim alicubi Auguſtinus, Sãctorum iuſtitia in hoc mundo magis peccatorum remiſsione conſtat quàm perfectione virtutum. Cui reſpondent præclaræ Bernardi ſententiæ, Non peccare, Dei iuſtitia eſt: hominis autem iuſtitia, Dei indulgẽtia. Antè autem aſſeruerat Chriſtum nobis eſſe iuſtitiam in abſolutione, ideóque ſolos eſſe iuſtos qui veniam ex miſericordia conſequuti ſunt.

2.Cor.5.d.19

Ibidem, 21.

Rom.4.a.6

Luc.1.g.77

Act.13.f.38

Lib.de Ciuitate Dei, ca. 27

Serm.23.in Cant.

Serm.22.

23 Hinc & illud conficitur, ſola interceſsione iuſtitiæ Chriſti nos obtinere vt coram Deo iuſtificemur. Quod perinde valet acſi diceretur, hominem nõ in ſeipſo iuſtum eſſe, ſed quia Chriſti iuſtitia imputatione cum illo cõmunicatur, quod accurata animaduerſione dignum eſt. Siquidem euaneſcit nugamentum illud, ideo iuſtificari hominem fide, quoniam illa Spiritum Dei participat quo iuſtus redditur, quod magis eſt contrariũ ſuperiori doctrinæ quàm vt conciliari vnquam queat. Neque enim dubium quin ſit inops propriæ iuſtitiæ qui iuſtitiam extra ſeipſum quærere docetur. Id autem clariſſimè aſſerit Apoſtolus, quum ſcribit eum qui peccatum non nouerat, pro nobis hoſtiam peccati expiatricem eſſe factum, vt efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Vides non in nobis, ſed in Chriſto eſſe iuſtitiam noſtram: nobis tãtùm eo iure competere quia Chriſti ſumus participes. ſiquidem omnes eius diuitias cum ipſo poſſidemus. Nec obſtat quod alibi docet, damnatum eſſe de peccato peccatũ in Chriſti carne, vt iuſtitia Legis compleretur in nobis. vbi

2.Cor.5.d.21

Rom.8.a.3

non aliud complementum designat quàm quod imputatione cõsequimur. Eo ẽnim iure communicat nobiscum Dominus Christus suam iustitiam, vt mirabili quodam modo, quantum pertinet ad Dei iudiciũ, vim eius in nos transfundat. Aliud non sensisse abunRom. 5.d.19 dè liquet ex altera sententia, quam paulo antè posuerat, Quemadmodum per vnius inobedientiam constituti sumus peccatores, ita per obedientiã vnius iustificari. Quid aliud est in Christi obedientia collocare nostram iustitiam, nisi asserere eo solo nos haberi iustos, quia Christi obedientia nobis accepta fertur, acsi nostra esset? Quare mihi elegantissimè videtur Ambrosius huius iustitiæ paradigma in benedictione Iacob statuisse. nempe
Lib. 2. de Iacob & Vita beata. cap. 2. quemadmodum ille primogenitură à seipso non meritus, habitu fratris occultatus, eiúsque veste indutus, quæ optimum odorem spirabat, seipsum insinuauit patri, vt suo commodo sub aliena persona benedictionẽ acciperet: ita nos sub Christi primogeniti nostri fratris pretiosa puritate delitescere, vt testimonium iustitiæ à conspectu Dei referamus. Verba Ambrosii sunt, Quòd Isaac odorem vestiũ olfecit, fortasse illud est, quia non operibus iustificamur, sed fide. quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obũbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Et sanè ita res habet. nam quò in salutem coram facie Dei compareamus, bono eius odore fragrare nos necesse est, & eius perfectione vitia nostra obtegi ac sepeliri.

Vt seriò nobis persuadeatur gratuita iustificatio, ad Dei tribunal tollendas esse mentes. CAP. XII.

HÆC omnia tametsi luculẽtis testimoniis verissima esse patet, tamen quàm necessaria sint, non prius nobis clarè cõstiterit, quàm ea nobis ob oculos posuerimus quæ totius disputationis fundamenta esse debent. Principiò ergo nobis succurrat illud: non de humani fori iustitia sed cælestis tribunalis, sermonem esse institutum: ne ad modulum nostrum metiamur, qua operum integritate diuino iudicio satisfiat. Atqui mirum est quanta temeritate & audacia id vulgò definiatur. Quinetiam videre est vt nulli cõfidentius & plenioribus, quod aiunt, buccis de operum iustitia garriãt, quàm qui palpabilibus morbis prodigiosè laborant, vel intercutibus crepant vitiis. Id fit quia Dei iustitiam non cogitãt, cuius vel si minimo sensu afficerentur nũquam tanto eam ludibrio haberent. Atqui certè vltra modum floccipenditur, si talis támque perfecta non agnoscitur vt nihil ei acceptum sit nisi omni ex parte integrum & absolutum, nullá que sorde inquinatum. quale in homine reperire nec licuit vnquam, nec licebit. Facile est scilicet ac prõptum cuilibet, in scholarum vmbraculis de operum dignitate ad iustificandos homines nugari: sed vbi in conspectum Dei ventum est, facessant tales deliciæ oportet. quia res illic agitur seriò, non ludicra λογομαχία exercetur. Huc, huc referenda mens est, si volumus de vera iustitia cum fructu inquirere: quomodo cælesti iudici respõdeamus, quum nos ad rationem vocauerit. Statuamus nobis iudicem illum, non qualem intellectus nostri spõte imaginantur, sed qui depingitur nobis
Vide præcipuè librum Iob. in Scriptura: cuius scilicet fulgore obtenebrantur stellæ, cuius robore liquefiunt montes, cuius ira terra concutitur, cuius sapientia deprehenduntur in astutia sua prudentes, cuius puritate inquinantur omnia, cuius ferendæ iustitiæ nec Angeli pares sunt, qui nocentem non facit innocentem, cuius vindicta, quum semel accensa est, penetrat vsque ad inferni nouissima. Sedeat, inquam, ille ad examinanda hominum facta: quis securus ad eius
Iesa. 33. b. 14 thronum se sistet? quis habitabit cũ igne deuorante? inquit Propheta: quis manebit cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, &c. Sed prodeat ille quisquis est. Imò verò facit illa respõsio nequis prodeat. Ex aduerso enim terribilis vox
Psal. 130. a. 3 insonat, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Pereundum sanè
Iob. 4. d. 17 mox sit omnibus, vt alibi scribitur, Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur: aut purior erit factore suo? Ecce qui seruiunt ei non sunt fideles, & in angelis suis reperit praui-tatem. Quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamẽtum,
Iob 15. b. 15 consumentur coram tinea? A mane vsque ad vesperam succidẽtur. Item, Ecce, inter sanctos eius nemo est fidelis: & cæli non sunt mundi in conspectu eius. Quãto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Fateor quidem in libro Iob mentionem fieri iustitiæ quæ excelsior est obseruatione Legis. atque hanc distinctionem tenere operæpretium est: quia etiam si quis Legi satisfaceret, ne sic quidem staret ad examen illius iustitiæ quæ sensus omnes exuperat. Itaque etiam si Iob bene sibi conscius sit, attonitus tamen obmutescit: quia videt ne Angelica quidem sanctitate posse Deum placari, si

cari,si ad ſummam trutinam reuocet eorum opera. Ego igitur iuſtitiam illam quam attigi,quia incomprehenſibilis eſt, nunc omitto: ſed tantùm dico, ſi exigitur vita noſtra ad normam ſcriptæ Legis, nos eſſe pluſquam ſocordes niſi horrenda formidine nos torqueant tot maledictiones,quibus nos expergefieri voluit Deus: atque inter alias hæc generalis,Maledictus omnis qui non mãſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in hoc libro. Denique inſipida vel diluta erit hæc tota diſputatio, niſi ſe quiſque reum ſiſtat coram cæleſti iudice,& de ſua abſolutione ſolicitus vltrò ſe proſternat ac exinaniat. Deut.27.d.26

2 Huc huc attollendi erant oculi, vt trepidare potius diſceremus, quàm inaniter exultare. Facile quidẽ eſt, dum in hominibus ſubſiſtit cõparatio, vt ſe quiſque habere reputet quod alii contemnere non debeant: ſed vbi ad Deum aſſurgimus, corruit dicto citius ac deperit fiducia illa. Atque id prorſus animæ noſtræ erga Deum vſu venit,quod erga viſibile cælum corpori. acies enim oculi,quantiſper rebus adiacentibus perluſtrandis inſiſtit,perſpicentiæ ſuæ documenta capit:ſi in ſolem dirigitur,nimio eius fulgore perſtricta & obſtupefacta,non minorem in eius intuitu debilitatem ſentit,quàm in rerum inferiorum aſpectu robur. Ne fallamus ergo nos vana fiducia,etiamſi reliquis hominibus vel pares vel ſuperiores nos eſſe ducimus: nihil id ad Deum,cuius ad arbitrium reuocãda eſt iſta cognitio. Quòd ſi domari ferocia noſtra monitionibus iſtis nequit,reſpondebit nobis quod Phariſæis dicebat, Vos eſtis qui vos iuſtificatis corã hominibus. At quod hominibus altum eſt, abominabile eſt Deo. Eas nunc,& de iuſtitia tua tumidè inter homines gloriris,dum illam Deus è cælo abominetur. Quid autem ſerui Dei, verè eruditi eius Spiritu? Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo:quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuẽs. Alter verò, quanquam ſenſu paulùm diuerſo, Non poterit homo iuſtus eſſe cum Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere vnum pro mille. Hîc iam ad liquidum audimus,qualis ſit Dei iuſtitia cui ſcilicet nullis humanis operibus ſatisfiet:cui mille ſcelerum nos interroganti, vnius purgatio afferri non poterit. Talem nimirum iuſtitiam bene animo conceperat electum illud Dei organum Paulus, quum profiteretur ſe nihil ſibi conſcium eſſe, ſed non in hoc iuſtificari. Luc.16.d.15 Pſal.143.a.2 Iob.9.a.2 1.Cor.4.a.4

3 Nec in ſacris modò literis extant talia exempla: ſed omnes pii ſcriptores hunc ſibi ſenſum fuiſſe demonſtrant. Sic Auguſtinus, Omnium, inquit, piorum ſub hoc onere corruptibilis carnis & in hac vitæ infirmitate gementium vna ſpes eſt, quòd Mediatorem vnum habemus Ieſum Chriſtum iuſtũ: & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris. Quid audimus? ſi vnica hæc illis ſpes eſt, vbi operum fiducia? Solam enim quum dicit, nullã aliam relinquit. Bernardus verò, Et re vera, vbi tuta firmáque infirmis requies & ſecuritas, niſi in vulneribus Saluatoris? tanto illic ſecurior habito, quanto potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur. Non cado, quia fundatus ſum ſupra firmam petram. Peccaui peccatum graue. Turbatur conſcientia: ſed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Poſtea ex iis concludit, Meritũ proinde meum miſeratio Domini. non ſum planè meriti inops, quãdiu non fuerit ille inops miſerationum. Quòd ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ergo peræquè ſum in meritis. Nunquid iuſtitias meas cantabo? Domine, meminero iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa enim eſt & mea, nempe factus eſt mihi iuſtitia à Deo. Item alibi, Hoc totum hominis meritum, ſi totam ſpem ponat in eum qui totum hominem ſaluum facit. Similiter vbi pacem ſibi retinens, gloriam relinquit Deo. Tibi, inquit, illibata maneat gloria: mecum bene agitur ſi pacem habuero. Abiuro gloriam prorſus: ne ſi vſurpauero quod meum nõ eſt, perdam & oblatum. Apertius etiam alio loco, De meritis quid ſolicita ſit Eccleſia? cui de propoſito Dei firmior ſuppetit ſecuriórque gloriandi ratio? Sic nõ eſt quod quæras, quibus meritis ſperemus bona: præſertim quum audias apud Prophetam, Non propter vos faciam, ſed propter me, dicit Dominus. Sufficit ad meritum ſcire quòd non ſufficiãt merita: ſed vt ad meritum ſatis eſt de meritis non præſumere, ſic carere meritis ſatis ad iudiciũ eſt. Quòd merita liberè vſurpat pro bonis operibus ignoſcendum eſt conſuetudini. In fine verò conſiliũ eius fuit tercat, Fœlix Eccleſia cui nec merita ſine præſumptione, nec præſumptio abſque meritis deeſt. Habet vnde præſumat, ſed non merita. Habet merita, ſed ad promerendũ non præſumendum. Ipſum non præſumere nónne promereri eſt? Ergo eo præſumit ſecurius quo non præſumit, cui ampla materies gloriandi eſt, miſericordiæ Domini multæ. Lib.ad Bon. 3.cap.5 Super cant. ſerm.61. In Pſal.Qui habit.ſer.15. Serm.13.in Cant. Serm.68 Ezech.36.e.22.f.32

4 Ita eſt ſané. Hoc vnicum ſalutis aſylum, in quo reſpirare tutò poſſint, ſentiũt exer-

citatæ conſcientiæ, vbi cum Dei iudicio negotium eſt. nam ſi,quæ lucidiſſimæ videbantur noctu ſtellæ,ſplendorem ſuum perdunt ſolis aſpectu, quid putamus vel rariſſimæ hominis innocentiæ futurum, vbi ad Dei puritatem compoſita fuerit? Erit enim ſeueriſſimũ illud examen,quod in abditiſſimas quaſque cordis cogitationes penetrabit:&,quem-
1.Cor.4.a.5 admodum ait Paulus,Reuelabit occulta tenebrarũ,& abſcondita cordium reteget:quod latitantem & reſtitãtem conſcientiam proferre coget omnia quæ nunc è memoria quoque noſtra elapſa ſunt. Vrgebit accuſator Diabolus, conſciũ omniũ flagitiorum ad quæ perpetranda nos impulerit: illic nihil proderũt externæ bonorum operum pompæ, quæ ſolæ nunc æſtimantur:ſola poſtulabitur voluntatis ſynceritas. Quare hypocriſis,non modò qua homo coram Deo ſibi malè conſcius, oſtentare ſe apud homines affectat,ſed qua ſibi quiſque coram Deo imponit (vt ſumus ad nos palpandos adulandóſque procliues) confuſa concidet, vtcunque nunc pluſquam temulenta audacia ſuperbiat. Ad eiuſmodi ſpectaculum qui ſenſum ſuum non dirigunt, ſuauiter quidem & placidè iuſtitiam ſibi ad momentum adſtruere poſſunt, ſed quæ in iudicio Dei mox illis ſit excutienda:non ſecus ac magnæ opes,per ſomnium cumulatæ,expergefactis euaneſcunt. Qui autem ſeriò,tanquam ſub Dei conſpectu,de vera iuſtitiæ regula quærent, illi certò comperiẽt,omnia hominũ opera,ſi ſua dignitate cenſeantur, nihil niſi inquinamenta eſſe & ſordes:& quæ iuſtitia vulgò habetur,eam apud Deum meram eſſe iniquitatem:quæ integritas cenſetur, pollutionem:quæ gloria ducitur,ignominiam.

5 Ab hac diuinæ perfectionis contemplatione ad nos ſine blanditiis cæcóue amoris affectu reſpiciendos deſcendere ne pigeat.Mirum enim non eſt ſi tantopere cæcutiamus in hac parte,quum à peſtilenti erga ſe indulgentia nemo noſtrûm caueat,quam in nobis
Prou.21.a.2 & 16.a.2 omnibus naturaliter hærere clamat Scriptura. Cuique viro, inquit Solomo, recta eſt via in oculis ſuis.Item,Omnes viæ hominis mundæ videntur in oculis eius. Quid autem? an iſta hallucinatione abſoluitur?imo verò(quemadmodũ ibidem ſubiungit)Dominus ponderat corda. hoc eſt, dum homo ob externam quam præ ſe fert iuſtitiæ laruam ſe demulcet,interim Dominus latẽtem cordis impuritatem trutina ſua examinat. Quum ergo talibus blandimentis adeo nõ proficiatur, ne illudamus nobis vltro in noſtram perniciem. Quo autem nos probè excutiamus, neceſſariò ad Dei tribunal reuocanda eſt noſtra conſcientia. Illius enim luce omnino opus eſt ad detegenda, quæ alioqui nimis profundè latent, prauitatis noſtræ inuolucra. tum dilucidè demum perſpiciemus quid iſta valeant:
Iob 15.b.16 longè abeſſe quin iuſtificetur coram Deo homo, putredo & vermis, abominabilis & va-
Iob.14.a.4 nus:qui bibit tanquam aquas iniquitatem.Nam quis poneret mundũ,de immundo conceptũ ſemine? ne vnus quidem. Tũ & idipſum experiemur quod de ſe Iob dicebat,Si in-
Iob 9.c.20 nocentem me oſtendere voluero,os meum condẽnabit me: ſi iuſtum, prauum comprobabit. Neque enim ad ſeculum vnum ſed ad omnia pertinet, quod Propheta de Iſraele
Ieſa.53.b.6 olim querebatur, omnes quaſi oues erraſſe, vnumquenque declinaſſe in viam ſuam. Siquidem omnes illic comprehendit ad quos peruentura eſſet redemptionis gratia.Atque eovſque procedere debet iſtius examinis rigor, donec in plenam conſternationem nos ſubegerit,eóque modo ad recipiẽdam Chriſti gratiam compararit. Fallitur enim qui putat ſe huius fruendæ eſſe capacem, niſi omnem prius animi altitudinẽ deiecerit. Notum
1.Pet.5.b.5 eſt illud,Deum ſuperbos confundere,humilibus dare gratiam.

6 Quæ autem humiliandi noſtri ratio niſi vt toti inopes ac vacui Dei miſericordiæ locum demus?Non enim humilitatẽ voco,ſiquid nobis reſiduum eſſe putamus.Et hactenus pernicioſam hypocriſin docuerunt qui hæc ſimul duo iunxêre, humiliter de nobis ſentiendum coram Deo, & iuſtitiam noſtram aliquo loco habendam. Si enim contrà quàm ſentimus confitemur coram Deo, improbè illi mentimur.ſentire autem non poſſumus vt decet,quin prorſus quicquid videtur in nobis eſſe glorioſum cõteratur. Quum
Mal.18.c.28 ergo audis apud Prophetam,paratam eſſe ſalutem humili populo,deiectionem oculis ſuberborum:primùm cogita,ad ſalutem non patêre acceſſum niſi depoſita omni ſuperbia, & aſſumpta ſolida humilitate: deinde humilitatem illam non eſſe modeſtiam aliquam, qua Domino de iure tuo pilum cedas,(qualiter humiles vocantur coram hominibus qui nec ſe faſtuoſè efferunt,nec aliis inſultant,quum tamen nonnulla excellentiæ conſcientia nitantur) ſed ſubmiſſionem non ſimulatam animi ſerio miſeriæ inopiæque ſuæ ſenſu conſternati. ſic enim vbique verbo Dei deſcribitur. Quum Dominus apud Sophoniam
Soph.3.c.11 ſic loquitur,Auferam de te exultãtem, reſiduum faciam in medio populi tui afflictum & pauperem,

pauperem,& ſperabunt in Domino:annon apertè demonſtrat qui ſint humiles?Nempe qui ſuæ paupertatis cognitione afflicti iacent. Contrà ſuperbos vocat exultãtes,quòd rebus proſperis læti homines ſoleant exultare. Humilibus verò,quos ſaluare inſtituit, nihil facit reliquum, niſi vt ſperent in Domino.Sic & apud Ieſaiã, Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu,ac trementem ſermones meos? Item, Excelſus & ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius, in excelſo & in ſancto habitans,& cum contrito humilíque ſpiritu: vt viuificet ſpiritum humilium,& cor contritorum.Quum audis toties contritionis nomen, intellige cordis vulnus, quod hominẽ humi proſtratum attolli non ſinat.Tali contritione vulneratum eſſe cor tuum decet,ſi velis cum humilibus,iuxta Dei ſententiã, exaltari. Id ſi non fit, humiliaberis potenti Dei manu in tuum pudorem & dedecus. Ieſa.66.a.2 Idẽ,57.c.15

7 Ac verbis non contentus optimus Magiſter,in parabola,velut in tabula, legitimæ humilitatis imaginem nobis repræſentauit. Publicanum enim profert, qui procul ſtans, nec oculos audens in cælum erigere, cum multo plãctu orat,Domine, propitius eſto mihi peccatori. Ne putemus eſſe hæc fictæ modeſtiæ ſigna, quòd cælum non audet intueri,nec propius accedere,quòd pectus plangendo peccatorem ſe fatetur: ſed interioris affectus ſciamus eſſe teſtimonia.Ex aduerſo Phariſæũ opponit,qui gratias agit Deo quòd non ſit ex vulgo hominum,aut raptor,aut iniuſtus,aut adulter:quoniam bis ieiunaret in ſabbato,decimas daret omnium quæ poſſidebat. Aperta cõfeſſione agnoſcit eſſe Dei donum quam habet iuſtitiam: ſed quia iuſtum ſe eſſe confidit, diſcedit à facie Dei ingratus & odioſus. Publicanus ſuæ iniquitatis agnitione iuſtificatur. Hinc videre licet quanta ſit humiliationis noſtræ gratia coram Domino:vt non pateat ſuſcipiendæ eius miſericordiæ pectus, niſi omni propriæ dignitatis opinione prorſus vacuum. Hæc vbi occupauit, illi claudit aditũ.Quod necui dubium foret,cum hoc mandato dimiſſus eſt Chriſtus à Patre in terram, vt euangelizaret pauperibus, mederetur contritis corde, prædicaret captiuis libertatem,clauſis apertionem,conſolaretur lugẽtes:daret illis gloriam pro cinere, oleum pro luctu,pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Secundum iſtud mandatum, nonniſi laborantes & oneratos ad participandam ſuam beneficentiam inuitat. Et alibi, Non veni ad iuſtos vocandos,ſed peccatores. Luc.18.c.13 Ieſa.61.a.1 Mat.11.d.28 & 9.b.1

8 Ergo ſi Chriſti vocationi locum dare libet, faceſſat procul omnis à nobis tum arrogantia,tum ſecuritas. Illa ex ſtulta propriæ iuſtitiæ perſuaſione naſcitur, vbi homo habere ſe aliquid putat cuius merito apud Deum commendetur. hæc etiam ſine vlla operum perſuaſione eſſe poteſt. Multi enim peccatores, quia vitiorum dulcedine inebriati, Dei iudicium non cogitant,tanquam veterno quodam obſtupefacti iacẽt,ne aſpirent ad oblatam ſibi miſericordiam.At verò non minus excutiendus talis torpor quàm abiiciendа quæuis noſtri confidentia, quo expediti ad Chriſtum feſtinemus,quo vacui & ieiuni impleri ipſius bonis queamus.Nunquam enim illi ſatis confidemus,niſi de nobis penitus diffiſi: nunquam in ipſo ſatis animos erigemus, niſi prius in nobis deiectos: nunquam in ipſo nos ſatis ſolabimur, niſi in nobis deſolati. Gratiæ ergo Dei apprehendendæ ac obtinendæ, abiecta quidem prorſus noſtri fiducia, freti verò ſola bonitatis eius certitudine, idonei ſumus, dũ(vt ait Auguſtinus)noſtra merita obliti,Chriſti dona amplectimur.quia ſi in nobis merita quæreret,nõ veniremus ad eius dona.Cui pulchrè ſuccinit Bernardus, ſeruis infidis cõparans ſuperbos,qui meritis ſuis vel minimum arrogãt: quia laudem gratiæ per ſe tranſeuntis improbè retinent, perinde acſi paries radiũ ſe parturire dicat quem ſuſcipit per feneſtram.Ne longius hîc immoremur, habeamus breuem ſed generalẽ certámque regulam, eum ad participandos diuinæ miſericordiæ fructus comparatum, qui ſeipſum non dico iuſtitia (quæ nulla eſt) ſed vana ventoſáque iuſtitiæ imagine penitus exinaniuit. quia tantum quiſque obiicit impedimenti Dei beneficentiæ quantum in ſeipſo acquieſcit. De ver. Apoſtoli,cap.8 Serm.13.in Cant.

Duo eſſe in gratuita iuſtificatione obſeruanda. CAP. XIII.

ATQVE omnino quidem duo hîc præcipuè ſpectãda ſunt, nempe vt Domino illibata conſtet ac veluti ſarta tecta ſua gloria, conſcientiis verò noſtris coram ipſius iudicio placida quies ac ſerena trãquillitas. Videmus quoties ac quam ſolicitè Scriptura nos hortetur ad reddendam ſoli Deo laudis confeſſionem, vbi de iuſtitia agitur. Atque adeò hunc finem Domino fuiſſe teſtatur Apoſtolus confe-

rendæ nobis in Chriſto iuſtitiæ, vt ſuam ipſe demonſtraret. Mox verò qualis illa ſit de- Rom.3.d.25

monstratio subiungit: nempe si solus ille iustus cognoscatur, ac iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Vides iustitiam Dei non satis illustrari nisi & solus censeatur iustus, & immerentibus iustitiæ gratiam cõmunicet? Hac ratione vult omne os obthurari, & obnoxium sibi reddi vniuersum mundum: quia quantisper habet homo quod in suam defen-
Eze.10.g.42 sionem loquatur, Dei gloriæ nonnihil decedit. Sic apud Ezechielem docet quantopere ex recognitione nostræ iniquitatis nomẽ suum glorificemus. Recordabimini, inquit, viarum & omnium scelerum quibus polluti estis: & displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis quas cõmisistis. Et scietis quia ego Dominus, quum benefecero vobis propter nomen meum: & non secũdum scelera vestra pessima. Si hæc in vera Dei notitia continentur, vt propriæ iniquitatis conscientia attriti, nobis benefacere indignis illum reputemus: quid magno nostro malo tẽtamus vel vllam particulam ex ista gratuitæ
Iere.9.f.23 benignitatis laude Domino suffurari? Similiter Ieremias, dum clamat, Ne glorietur sapiẽs in sapientia sua, aut diues in diuitiis suis, aut fortis in fortitudine sua: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. annon innuit de gloria Dei nonnihil deperire si in semetipso homo gloriatur? In hunc certè vsum Paulus verba illa accommodat, quum omnes salutis nostræ
1.Cor.1.c.30 partes apud Christum depositas esse tradit, vt nonnisi in Domino gloriemur. Significat enim contra Deum insurgere & tenebras obducere gloriæ eius quisquis vel tantillum de suo se habere putat.

2 Ita est sanè: nunquam in ipso verè gloriamur, nisi nostra gloria penitus abdicata. Contra hoc habendum est catholicum theorema, aduersus Deum gloriari quicunque
Rom.2.c.19 in se gloriantur. Siquidem ita demum reddi obnoxium Deo mundum cẽset Paulus dum
Iesa.45.c.25 prorsus adempta est hominibus quæuis gloriandi materia. Proinde Iesaias, quum iustificationem Israel in Deo fore denuntiat, addit simul & laudẽ: quasi diceret, in hunc finem à Domino iustificari electos vt in ipso non alibi glorientur. Qualiter autem laudari nos in Domino conueniat, proximo versu docuerat. nempe vt iuremus esse in Domino iustitias nostras, & fortitudinem nostram. Obserua non exigi simplicem confessionem, sed iuramento confirmatam: ne ficta nescio qua humilitate defungendum putes. Neque hîc cauſetur quispiam se nequaquam gloriari, dum citra arrogãtiam, propriam iustitiam recognoscit. talis enim æstimatio esse non potest quin fiduciam generet, nec fiducia quin gloriam pariat. Meminerimus ergo in tota iustitiæ disputatione finem hunc esse spectandum, vt illius laus penes Dominum solida integráque maneat. Quandoquidem in de-
Rom.3.d.26 monstrationem iustitiæ suæ gratiam suam, teste Apostolo, in nos effudit, quo sit ipse iu-
Ephes.1.b.6 stus, & iustificans eum qui est ex fide Christi. Vnde alio loco, quum docuisset Dominum nobis salutem contulisse, quo nominis sui gloriam illustraret: postea, quasi idem repetẽs,
Ephes.2.b.8 subiicit, Gratia estis saluati, ac Dei dono, non operibus, ne quis glorietur. Et Petrus, dum
1.Pet.2.b.9 admonet nos in spem salutis vocatos esse, vt virtutes enarremus eius qui è tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum, haud dubiè vult ita personare in aure fidelium solas Dei laudes, vt alto silentio obruãt omnem carnis arrogantiam. Summa hæc est, non posse hominem sibi vllam iustitiæ micam sine sacrilegio vendicare, quia tantundem ex diuinæ iustitiæ gloria decerpitur ac delibatur.

3 Iam si quærimus qua ratione serenari queat coram Deo conscientia, non aliam reperiemus quàm si gratuita nobis iustitia, Dei dono conferatur. Subeat semper illud So-
Prou.20.b.9 lomonis, Quis dicet, Mũdaui cor meum, purificatus sum à peccato meo? Nemo est certè qui non infinita colluuie obruatur. In suam ergo conscientiam descendat vel perfectissimus quisque, & facta sua ad calculum vocet, quem tandem exitum habebit? An, quasi bene composita sibi sint cum Deo omnia, suauiter conquiescet, ac non potius diris tormentis lacerabitur quum in se damnationis materiam, si ab operibus æstimetur, residere sentiet? Conscientiam, si Deum respicit, vel cum illius iudicio certam pacem habere necesse est, vel inferorum terroribus obsideri. Nihil ergo proficimus de iustitia differendo, nisi eam statuerimus cuius stabilitate anima nostra in Dei iudicio fulciatur. Vbi habebit anima nostra quo & intrepida coram Dei vultu appareat, & inconcussa eius iudicium excipiat: tum sciamus demum nos non fictitiam iustitiam reperisse. Non ergo sine causa tan-
Rom.4.c.14 topere hac parte insistit Apostolus, cuius verbis agere quàm meis malo. Si ex Lege, inquit, promissio hereditatis, exinanita est fides, abolita est promissio. Prius infert, exinanitam & euacuatam esse fidem, si iustitiæ promissio operum nostrorũ merita respiciat, aut ex Legis obseruatione pendeat. Nunquam enim in ea securè acquiescere quisquam possit: quan-

set: quando nunquam futurum est vt certò apud se quisquam statuat se Legi satisfecisse, vt certè nullus vnquã per opera plenè satisfacit. Cuius rei ne longè petantur testimonia, sibi quisque testis esse potest, qui se recto oculo intueri volet. Atq; hinc apparet in quàm profundos recessus & tenebricosos hominum mentes defodiat hypocrisis, dum tam securè sibi indulgent vt opponere suas blanditias nõ dubitent Dei iudicio: quasi iustitium quoddam illi indicerent. Fideles autem, qui sincerè seipsos excutiunt, longè alia solicitudo angit & excruciat. Igitur in omnium animos subiret primùm hæsitatio, demum & desperatio: dum pro se quisque subduceret quanta debiti mole adhuc premeretur, quámque longè distaret ab imposita sibi conditione. En iam oppressam extinctámque fidem. non enim fluctuari, variare, sursum deorsum ferri, hæsitare, suspensum teneri, vacillare, desperare denique, fidere est: sed constanti certitudine ac solida securitate animum obfirmare, haberéque vbi recumbas ac pedem figas.

4 Alterum quoque adiungit, irritam & euanidam fore promissionem. Si enim eius complementum à nostro merito dependet, quando tandem huc ventum fuerit vt Dei beneficentiam promereamur? Quinetiam secundum istud membrum ex priore consequitur. siquidem non implebitur promissio nisi iis qui fidem illi habuerint. Collapsa igitur fide, nulla vis promissionis residua erit. Ideo ex fide hereditas, vt secundum gratiam ad stabiliendam promissionem. Abundè enim confirmata est dum sola Dei misericordia nititur: quia perpetuo nexu coniunctæ sunt inter se misericordia & veritas, hoc est, quæcunque Deus misericorditer pollicetur, fideliter quoque præstat. Sic Dauid, antequam salutem sibi ex Dei eloquio postulet, causam primùm statuit in eius misericordia. Veniant, inquit, ad me misericordiæ tuæ, salus tua secundum eloquium tuum. Et meritò: quia non aliunde ad promittendum inducitur Deus nisi ex mera misericordia. Itaque hîc spem totam sistere conuenit & velut profundè figere, nõ respectare ad nostra opera, quò ex illis subsidium aliquod petatur. Sic & Augustinus agendum præcipit: ne hîc nouum aliquid dicere nos putes. In æternum, inquit, regnabit Christus in seruis suis. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus. si parum est, hoc iurauit Deus. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundũ illius misericordiam firma est promissio: nemo debet cum trepidatione prædicare de quo non potest dubitare. Bernardus quoque, Quis poterit saluus esse? dicũt discipuli Christi. At ille, Apud homines impossibile hoc est, sed non apud Deũ. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica consolatio, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate certi, de volũtate quid agimus? Quis scit an odio vel amore dignus sit? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hîc iam planè fidem nobis subuenire necesse est: hîc oportet succurrere veritatem: vt quod de nobis latet in corde Patris, per Spiritum reueletur, & Spiritus eius testificans persuadeat cordibus nostris quòd filii Dei sumus. Persuadeat autem vocando & iustificando gratis per fidem: in quibus nimirũ velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram gloriam. Breuiter sic colligamus, Scriptura non esse firmas Dei promissiones indicat, nisi certa conscientiæ fiducia arripiantur. vbicũque est dubitatio aut incertitudo, irritas fieri pronũtiat. tursum nihil quàm vacillare ac fluctuari pronuntiat si operibus nostris incumbunt. Ergo aut pereat nobis iustitia necesse est, aut ne veniant in cõsiderationẽ opera, sed sola fides locum habeat, cuius ist hæc natura est, aures arrigere, oculos claudere: hoc est, vni promissioni intentam esse, cogitationem auertere ob omni hominis vel dignitate vel merito. Ita impletur præclarum illud Zachariæ vaticinium, Quòd vbi deleta fuerit iniquitas terræ, vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum suam. Vbi Propheta innuit, non aliter vera pace frui fideles, quàm post impetratam peccatorum remissionẽ. Tenenda enim est analogia hæc in Prophetis vbi de Christi regno differunt, externas Dei benedictiones quasi Spiritualiũ bonorum figuras proponere. Vnde & Christus rex pacis & pax nostra vocatur: quia omnes cõscientiæ agitationes sedat. Modus si quæritur, ad sacrificium, quo pacatus est Deus, venire necesse est: quia trepidare nũquam desinet quisquis non statuet sola illa expiatione propitiari Deum qua Christus iram eius sustinuit. Denique non alibi quàm in Christi redemptoris nostri terroribus pax nobis quærenda.

Pſal.119.76

In Pſal.88, Tract.prio. re.

Ser.5. in dedicat.tẽpli.

Eccles.9.a.1
1.Cor.2.d.16

Zach.3.d.9

Ieſa.9.b.6
Epheſ.2.c.14

5 Sed quid obscuriore testimonio vtor? Negat vbique Paulus pacem vel trãquillum gaudium relinqui conscientiis, nisi statutum sit iustificari nos fide. Vnde autem illa certitudo, simul declarat, quum scilicet amor Dei in corda nostra diffusus est per Spiritum sanctum: ac si diceret non posse aliter sedari animas nostras nisi certò persuasi simus Deo

Rom.5.a.1

Ibidem,5. nos placere. Vnde etiam alibi exclamat ex piorum omnium persona, Quis nos separabit ab amore Dei, qui est in Christo? quia ad minimam quãque auram trepidabimus donec appulerimus ad portum illum: securi autẽ erimus in caligine mortis, quãdiu se nobis pa-
Psal.23.a.4 storem Deus ostendet. Ergo quicunque garriunt nos fide iustificari, quia regeniti, spiritualiter viuendo iusti sumus, nunquam gustarunt gratiæ dulcedinem, vt Deum sibi propitium fore considerent. Vnde etiam sequitur, rite orandi modum nihilo magis eos scire quàm Turcas & profanas alias quaslibet Gentes. Neque enim, teste Paulo, vera est fides
Galat.4.a.6 nisi dictet & suggerat suauissimum illud Patris nomẽ, imò nisi os nobis aperiat proferendo libero clamori, Abba Pater. Quod alibi clarius exprimit, In Christo nos habere audaciam & aditum in fiducia per fidem eius. Hoc certè non contingit regenerationis dono:
Ephe.3.b.12 quod vt mutilum semper est in hac carne, ita multiplicem dubitãdi materiam in se continet. Quare ad remedium illud venire necesse est, vt statuant fideles non alio iure sperandam sibi esse hereditatem regni cælestis, nisi quia insiti in Christi corpus, iusti gratis reputantur. Nam quoad iustificationem res est merè passiua fides, nihil afferẽs nostrum ad conciliandam Dei gratiam, sed à Christo recipiens quod nobis deest.

Quale initium iustificationis & continui progressus. CAP. XIIII.

QVo res dilucidior fiat, qualis possit esse toto vitæ decursu hominis iustitia, excutiamus. quadruplicem verò faciamus gradũ. Homines enim aut nulla Dei agnitione præditi, in idololatria demersi sunt: aut sacramẽtis initiati, vitæ impuritate Deum, quem ore confitentur, factis abnegantes, titulo tenus sunt Christi: aut hypocritæ sunt, qui cordis nequitiam inanibus fucis tegunt: aut Spiritu Dei regenerati, veram sanctimoniam meditantur. In primis, quãdo naturalibus dotibus censendi sunt, à vertice capitis ad plantam vsque pedis scintilla boni nõ reperietur: nisi fortè volumus insimulare falsi Scripturam, dum hisce elogiis vniuersos filios Adam commen-
Iere.17.b.9 Gene.8.d.21 Psal.94.b.11 & 14.a.2 Genes.6.a.3 Galat.5.c.19 dat, quòd prauo sint & præfracto corde, quòd omne figmentum cordis eorum malum sit à primis annis, quòd vanæ sint eorum cogitationes, quòd timorem Dei præ oculis non habeant, quòd nemo eorum intelligat aut requirat Deum. Breuiter quòd caro sint: quo nomine intelliguntur opera illa omnia quæ enumerantur à Paulo, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum cultus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, & quicquid fœditatis & abominationis excogitari potest. Hæc est dignitas scilicet cuius fiducia superbire debeãt. Quòd si qui inter eos ea morum honestate pollent quæ speciem aliquam sanctitatis habeat inter homines: quia tamen scimus Deum non morari externum splendorem, ad fontem ipsum operum penetrãdum est, si quid ipsa valere velimus ad iustitiam. Inspiciendum, inquam, penitus est ex quo affectu cordis opera ista prodeant. Quanquam autem latissimus hîc dicendi campus patet, quia tamen paucissimis verbis potest res expediri, sequar quãtum licebit in docendo compendium.

2 Principiò, non inficior esse Dei dona, quæcunque in incredulis apparent egregiæ dotes. Neque verò sic à sensu cõmuni dissideo, nihil vt interesse contendam inter Titi & Traiani iustitiam, moderationẽ, æquitatem, ac Caligulæ, vel Neronis, vel Domitiani rabiem, intemperiem, sæuitiam: inter obscœnas Tiberii libidines, & Vespasiani hac in parte continentiam: ac (ne in singularibus aut virtutibus aut vitiis immoremur) inter iuris legúmque obseruationem ac contemptum. Tantum enim est iusti & iniusti discrimen vt vel in mortuo illius simulachro appareat. Quid enim ordinatũ restabit in mundo si hæc inter se confundamus? Itaque eiusmodi distinctionẽ inter honesta & turpia facinora non modò singulorũ mentibus Dominus insculpsit, sed prouidẽtiæ quoque suæ dispensatione sæpe confirmat. Videmus enim vt multis præsentis vitæ benedictionibus prosequatur eos qui inter homines virtutẽ colunt. Non quòd externa illa virtutis imago minimũ eius beneficium mereatur: sed ita placet illi approbare quantopere cordi sit sibi vera iustitia, dum externam quoque & simulatam tẽporali remuneratione carere non patitur. Vnde sequitur quod nuper confessi sumus, Dei esse dona qualescũque istas virtutes aut virtutũ potius imagines: quando nihil est vllo modo laudabile quod non ab ipso proficiscatur.

Lib.4.cõtra Iul. 3 Atqui nihilominus verum est quod Augustinus scribit, omnes à Dei vnius religione alienos, vtcunque ob virtutis opinionem admirabiles habeantur, non modò vlla remuneratione dignos, sed magis punitione: quòd pura Dei bona cordis sui pollutione contaminant. Etsi enim Dei instrumenta sunt ad conseruandam, iustitia, continentia,

tinentia, amicitia, temperantia, fortitudine, prudentia, hominum ſocietatem: bona tamen hæc Dei opera peſſimè exequuntur: quia non ſyncero boni ſtudio, ſed vel ſola ambitione, vel amore ſui, vel alio quouis obliquo affectu continentur à malè agendo. Quum ergo ab ipſa cordis impuritate, velut à ſua origine, corrupta ſint, non magis inter virtutes ponenda erunt quàm vitia quæ ob affinitatem ac ſimilitudinem virtutis imponere ſolent. Denique quum perpetuum eſſe meminerimus recti finem, vt Deo ſeruiatur: quicquid aliò contendit, iam meritò amittit recti nomen. Quia ergo ſcopum non reſpiciunt quem Dei ſapientia præſcribit: tametſi officio bonum videtur quod agunt, fine tamen peruerſo peccatum eſt. Conſtituit igitur, omnes Fabritios, Scipiones & Catones in illis ſuis præclaris facinoribus hoc peccaſſe quòd quum fidei luce carerent, non ad eum finem ipſa retulerunt ad quem referre debuerũt. non fuiſſe ergo in illis veram iuſtitiam: quia non actibus ſed finibus penſantur officia.

4 Præterea ſi verum eſt quod Iohannes ait non eſſe vitam extra filium Dei: qui partem in Chriſto non habent, quales quales ſint, quicquid agant, vel moliantur, in exitium tamen æternæque mortis iudicium toto curſu pergunt. Secundum hanc rationem illud ab Auguſtino dictum eſt, Religio noſtra iuſtos ab iniuſtis non operum, ſed ipſã fidei lege diſcernit: ſine qua quæ videntur bona opera, in peccata vertũtur. Quamobrẽ bellè idem ipſe alibi, dum talium hominum ſtudium erroneo curſui cõparat. Quo enim magis ſtrenuè currit quis extra viam, eo longius à ſcopo recedit, ideóque fit miſerior. Quare melius eſſe contendit in via claudicare, quàm extra viam currere. Poſtremò malas eſſe arbores conſtat, quando ſine Chriſti cõmunicatione nulla eſt ſanctificatio. pulchros ergo & aſpectu ſpecioſos, guſtu etiam ſuaues fructus generare poſſunt: bonos nequaquam. Hinc facilè cernimus eſſe maledictum, nec modò nullius ad iuſtitiam pretii, ſed certi in damnationem meriti, quicquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem recõcilietur. Et quid tanquam de re dubia diſputamus, quum iam probatum ſit teſtimonio Apoſtoli, impoſſibile eſſe vt ſine fide quiſpiam placeat Deo?

1. Ioh. 5. c. 12

Lib. ad Bon. 3. cap. 5

Præf. in Pſal

Heb. 11. b. 6

5 Sed probatio etiamnum apertior lucebit ſi naturali hominis conditioni Dei gratia èregione opponatur. Clamat enim vbique Scriptura, nihil in homine Deum reperire quo ad benefaciendum illi incitetur, ſed gratuita ſua benignitate illum præuenire. Quid enim ad vitam poſſit mortuus? Atqui dum ſui cognitione nos illuminat, dicitur à morte ſuſcitare, ac nouam creaturam facere. Hoc ſiquidem titulo (præſertim apud Apoſtolum) videmus ſæpe Dei erga nos benignitatem commendari. Deus (inquit) qui diues eſt in miſericordia, propter multam charitatem qua dilexit nos, etiam quũ eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, &c. Alibi dum ſub typo Abrahæ generalẽ fideliũ vocationẽ tractat, Deus eſt, inquit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ nõ ſunt tanquã ſint. Si nihil ſumus, quid quæſo poſſumus? Quare arrogantiam iſtã validè retundit Dominus in hiſtoria Iob, in his verbis, Quis præuenit me, & retribuã ei? omnia enim mea ſunt. Quã ſententiam explicans Paulus eò confert, ne putemus nos aliquid ad Dominum afferre præter meram inopiæ & vacuitatis ignominiam. Quare loco ſuprà citato, vt probet ſola eius gratia, non operibus, in ſpem ſalutis nos perueniſſe, allegat nos illius eſſe creaturas, quoniam regenerati ſumus in Chriſto Ieſu, ad bona opera quæ præparauit vt in illis ambulemus. Acſi diceret, Quis noſtrûm iactet ſe ſua iuſtitia Deum prouocaſſe, quum prima noſtra ad bene agendum potentia ex regeneratione fluat? Vt enim natura cõditi ſumus, citius ex lapide oleum quàm ex nobis opus bonum exprimetur. Mirũ profectò ſi homo, tantæ ignominiæ damnatus, audet ſibi adhuc reliquũ aliquid facere. Fateamur ergo cum præclaro iſto Dei organo, nos à Domino vocatos vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ac gratiam eius: ac benignitatem dilectionémque erga nos Saluatoris noſtri Dei apparuiſſe: quia nõ ex operibus iuſtitiæ quæ fecerimus nos, ſed ſecundũ ſuam miſericordiã ſaluos nos fecit: vt iuſtificati illius gratia, heredes efficeremur vitæ æternæ. Hac confeſſione, omni iuſtitia vſque ad minimam particulam hominẽ ſpoliamus, donec ſola miſericordia in ſpem vitæ æternæ regeneratus fuerit: quãdo, ſi aliquid operum iuſtitia ad nos iuſtificandos confert, falſò dicimur gratia iuſtificari. Non excidat ſanè ſibi Apoſtolus quum gratuitam aſſeruit iuſtificationem, qui alio loco argumentatur, gratiam iam non eſſe gratiã ſi quid opera valeant. Et quid aliud ſibi vult Dominus, quum negat ſe veniſſe ad vocandos iuſtos, ſed peccatores? Si ſoli peccatores admittũtur, quid per fictitias iuſtitias aditum quæramus?

Iohã. 5. c. 25

Ephe. 2. a. 4

Rom. 4. c. 17

Iob 41. a. 2

Rom. 11. d. 3

Ephe. 2. b. 10

1. Tim. 1. c. 9

Tit. 3. b. 4

Rom. 11. a. 6

Mat. 9. b. 13

6 Redit eadem mihi ſubinde cogitatio, periculũ eſſe ne Dei miſericordiæ ſim iniurius, qui tanta anxietate in ea aſſerenda laborem, perinde acſi dubia obſcuráve foret. Sed quoniã ea eſt noſtra malignitas, quæ nunquã niſi validiſſimè depulſa cõcedat Deo quod ſuum eſt, cogor paulo lõgius inſiſtere. Quia tamen ſatis perſpicua eſt in hac re Scriptura, Ieſa.59.c.15 eius potius verbis quàm meis pugnabo. Ieſaias, vbi deſcripſit vniuerſale generis humani exitiũ, pulchrè ordinẽ reſtitutionis ſubtexit, Vidit Dominus, & malũ apparuit in oculis eius. Et vidit quia non eſt vir: & admiratus eſt, quia non eſt qui intercedat: & ſalutẽ poſuit in brachio ſuo, & iuſtitia ſua ſe confirmauit. Vbi ſunt noſtrę iuſtitiæ, ſi verum eſt quod ait Propheta, neminẽ eſſe qui in recuperãda ſua ſalute Domino opituletur? Sic alius Prophe- Oſeæ 2.d.19, & 23 ta, vbi Dominũ de reconciliandis ſibi peccatoribus agentem inducit, Deſpõſabo, inquit, te mihi in perpetuum in iuſtitia, iudicio, gratia, & miſericordia. Dicam miſericordiã non conſequutæ, Miſericordiam conſequuta. Eiuſmodi fœdus, quod primam nobis eſſe cum Deo coniunctionem cõſtat, ſi miſericordia Dei nititur, nullũ relinquitur iuſtitiæ noſtræ fundamentũ. Et verò intelligere ex iis qui hominem cum aliqua operum iuſtitia Deo obuiam procedere fingunt cupiam, an omnino vllam iuſtitiam eſſe putent niſi quæ ſit accepta Deo. Id cogitare ſi inſanum eſt: quid Deo gratum ab eius inimicis prodeat, quos totos cum omnibus ſuis factis auerſatur? Omnes, inquam, nos eſſe capitales ac profeſſos ini- Rom.5.a.6 Coloſ.1.c.21 micos Dei noſtri teſtatur veritas, donec iuſtificati, in amicitiam recipimur. Si principium dilectionis eſt iuſtificatio, quæ operum iuſtitiæ illam præcedent? Ita vt peſtilentem illam 1.Ioh.4.b.10 arrogantiam auertat Iohannes, diligenter nos monet quomodo non priores eum dilexerimus. Oſeæ 14.b.5 Et idipſum iam olim per Prophetam ſuum Dominus docuerat. Diligam, inquit, eos ſpontanea dilectione: quia conuerſus eſt furor meus. Operibus certè non inſtigatur, ſi ſpõte ad nos inclinauit ſe eius dilectio. Sed rude hominum vulgus nihil id aliud eſſe putat niſi quòd vt redemptionem noſtram perageret Chriſtus nemo promeritus fuerit: vt autem redemptionis poſſeſſionem adeamus, operibus noſtris adiuuari. Imò verò, vtcunque à Chriſto redempti ſimus, donec tamen vocatione Patris inſerimur in illius communionẽ, & tenebræ & mortis heredes & Dei aduerſarii ſumus. Non enim ab immunditiis 1.Cor.6.b.11 noſtris purgari nos & ablui Paulus docet Chriſti ſanguine, niſi dum purgationem illã Spi- 1.Pet.1.a.2 ritus in nobis efficit. Quod idem dicere volens Petrus, declarat Spiritus ſanctificationem valere in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Chriſti. Si Chriſti ſanguine in purificationẽ per Spiritum aſpergimur, ne putemus alios nos eſſe ante huiuſmodi irrigationem, quàm eſt ſine Chriſto peccator. Maneat ergo illud, principium noſtræ ſalutis, eſſe quandam velut à morte in vitam reſurrectionem: quia vbi propter Chriſtum nobis datum eſt in eum credere, tunc incipimus demum tranſire à morte in vitam.

7 Sub hac ratione, qui ſecundus & tertius in diuiſione ſuprà poſita notatus fuit hominum ordo, comprehenditur. Conſcientiæ enim impuritas vtroſque nõdum eſſe Dei Spiritu regeneratos arguit. Rurſum autem, regenerationem in eis nullam eſſe, hoc defectum prodit fidei. Vnde liquet, Deo nondum reconciliatos, nondum in eius conſpectu iuſtificatos: quando ad hæc bona niſi per fidem non peruenitur. Quid pariãt peccatores à Deo alienati, niſi illius iudicio execrabile? Hac quidem ſtolida confidentia cum impii omnes turgent, tum præſertim hypocritæ, quòd vtcunque totum cor ſuum obſcœnitate ſcatere norint: ſiqua tamen edunt ſpecioſa opera, digna æſtimãt quæ Deus non aſpernetur. Hinc pernicioſus ille error, quòd ſceleratæ & nefariæ mentis conuicti, adigi tamen nequeũt vt ſe iuſtitia vacuos fateantur: ſed iniuſtos ſe agnoſcentes, quia inficiando nõ ſunt, iuſtitiam Hagg.2.b.12 tamen nonnullam ſibi arrogãt. Hãc vanitatẽ egregiè Dominus refutat per Prophetã, Interroga, inquit, Sacerdotes, dicens, Si tulerit homo carnẽ ſanctificatã in ora veſtimẽti ſui, & panem aut alium cibum admouerit, nunquid ſanctificabitur? Reſponderunt autem ſacerdotes, Non. Et dixit Haggæus, Si tetigerit pollutus in anima aliquid horũ, nónne contaminabitur? Reſponderũt ſacerdotes, Contaminabitur. Dixit Haggæus, Sic populus iſte ante faciem meam, dicit Dominus: & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint mihi, contaminata erunt. Vtinam hæc ſententia vel plenam fidem poſſet obtinere apud nos, vel memoriæ probè inſidere. Nemo enim eſt quamlibet alioqui tota vita flagitioſus, qui perſuadere ſibi ſuſtineat quod hîc Dominus clarè pronuntiat. Simul ac nequiſſimus quiſq; vno vel altero Legis officio perfunctus eſt, non dubitat ſibi iuſtitiæ loco acceptũ ferri. at Dominus reclamat, nullam inde acquiri ſanctificationẽ niſi corde prius bene purgato. Neq; eo contẽtus, cõtaminari cordis impuritate, quæcunq; à peccatoribus

prodeunt

prodeunt opera, asseuerat. Facessat ergo nomen iustitiæ ab his operibus quæ pollutionis ore Domini dãnantur. Et quàm eleganti similitudine illud demõstrat? poterat enim obiectari, sanctum inuiolabiliter esse quod Dominus præcepisset. Ipse verò contrà opponit, nihil mirum esse si quæ sanctificata sunt in Lege Domini, improborũ spurcitia contaminantur: quum sacrum attrectando, immunda manus profanet.

8 Eandẽ enim causam egregiè apud Iesaiam persequitur, Ne offeratis, inquit, sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: Calendas & solennitates vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinẽs. Quũ extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: quum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam. manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Lauamini, mundi estote, auferte malũ cogitationum vestrarum. Quid istuc sibi vult quòd Dominus ita nauseat ad obsequium suæ Legis? Imò verò nihil hîc respuit quod sit ex germana Legis obseruatione: cuius initiũ esse vbique docet, syncerum sui nominis timorem. Illo sublato, non modò nugæ sunt quæcunque illi offeruntur, sed fœtidæ abominãdæque sordes. Eant nunc hypocritæ, & inuolutã corde praeuitatem retinentes, Deum operibus studeant demereri. Atqui magis ac magis hoc modo irritabunt. Execrabiles enim illi sunt impiorum victimæ: sola rectorum oratio accepta est illi. Constituimus ergo extra dubium, quod vulgatissimũ esse debet mediocriter in Scripturis exercitato, quæ vel summo splẽdore conspicua sunt opera in hominibus nondum verè sanctificatis, tã procul abesse à iustitia corã Domino, vt peccata cẽseantur. Ac proinde verissimè illi qui nõ cõciliari personæ apud Deũ gratiã per opera tradiderũt: sed è conuerso tũ placere demũ opera vbi persona gratiã prius in Dei cõspectu inuenerit. Religioséque est obseruãdus hic ordo ad quẽ Scriptura nos manu ducit. Respexisse Dominũ ad Abel, scribit Moses, & ad opera eius. Vides vt Dominũ hominib⁹ propitiũ designet antequã ad eorũ opera respiciat? Quare significationẽ cordis præcedere oportet, vt quæ à nobis prodeũt opera, benignè à Deo excipiãtur. quia sẽper viget illa Ieremiæ sententia, oculos Dei respicere veritatẽ. Porrò solam fidẽ esse qua corda hominũ purificantur, Spiritus sanctus per os Petri asseruit. vnde cõstat primum esse in vera viuáque fide fundamẽtum.

Iesa.1.d.13 Vide ca.58.a

Prou.15.b.8

Augusti. lib. De pœni. & Greg. cuius verba referũtur 3. quæstio.7

Gene.4.a.4 Act.15.b.6 Ierem.5.a.3

9 Inspiciamus nunc quid habeant iustitiæ quos in ordine quarto posuimus. Fatemur, dum nos intercedente Christi iustitia sibi reconciliat Deus, ac gratuita peccatorũ remissione donatos pro iustis habet: cum eiusmodi misericordia coniunctã simul esse hãc eius beneficentiam, quòd per Spiritum suum sanctum in nobis habitat, cuius virtute concupiscentiæ carnis nostræ magis ac magis in dies mortificantur: nos verò sanctificamur, hoc est consecramur Domino in veram vitæ puritatem, cordibus nostris in Legis obsequium formatis. Vt hæc sit præcipua nostra voluntas, voluntati eius seruire, ac eius dũtaxat gloriam modis omnibus prouehere. Enimuero etiã dum sancti Spiritus ductu in viis Domini ambulamus, ne tamẽ nostri obliti animos tollamus, remanẽt imperfectionis reliquiæ, quæ nobis humilitatis argumentum præbeãt. Non est iustus, ait Scriptura, qui faciat bonum & non peccet. Qualem ergo iustitiam ex suis operibus etiamnum obtinebunt? Primùm dico, quod optimũ ab illis proferri potest, aliqua tamen semper carnis impuritate respersum & corruptum esse, ac tanquã aliquid fæcis admixtũ habere. Seligat, inquam, ex tota sua vita sanctus Dei seruus quod in eius cursu maximè eximium se putabit edidisse, bene reuoluat singulas partes: deprehẽdet procul dubio alicubi quod carnis putredinem sapiat: quando nũquam ea est nostra alacritas ad bene agendũ quæ esse debet, sed in cursu retardando multa debilitas. Quanquã non obscuras esse maculas videmus quibus respersa sint opera sanctorum, fac tamen minutissimos esse nævos duntaxat: sed an oculos Dei nihil offendent, coram quibus ne stellæ quidem puræ sunt? Habemus, nec vnum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrii mercedem.

1.Re.8.a.46

10 Deinde etiãsi fieri posset vt aliqua nobis essent omnino pura absolutáque opera, vnum tamen peccatum satis est ad delendam extinguendámque omnem memoriam prioris iustitiæ, vt ait Propheta. Cui & Iacobus consentit, Qui offendit (inquit) in vno, factus est omnium reus. Iam quum hæc vita mortalis nunquam à peccato pura sit aut vacua, quicquid iustitiæ à nobis comparatum foret, id sequentibus identidẽ peccatis corruptũ, oppressum, & perditũ, in cõspectũ Dei non veniret, nec in iustitiam nobis imputaretur. Denique vbi de operum agitur iustitia, non opus Legis respiciẽdum est, sed mandatũ. Ideo si ex Lege iustitia quæritur, frustra vnũ aut alterum opus proferamus: sed necessariá est perpetua Legis obediẽtia. Quare illã, de qua loquuti sumus, peccatorũ remissionẽ nõ

Ezec.18.c.24 Iaco.2.b.10

ſemel(vt multi ſtolidè opinãtur)nobis in iuſtitiam Deus imputat,vt impetrata præteritæ vitæ venia, poſtea in Lege iuſtitiam quæramus: quòd nihil quàm in ſpem falſam inductos rideret ac luderet. Quum enim perfectio nulla obtingere nobis poſſit quandiu hac carne induti ſumus, Lex autem mortem ac iudicium omnibus denuntiet qui non integram iuſtitiã opere præſtiterint: habebit ſemper quo nos accuſet reóſque agat, niſi contrà occurreret Dei miſericordia, quæ aſſidua peccatorum remiſſione nos ſubinde abſolueret. Quare id ſemper conſtat quod principiò diximus, Si ipſi ex noſtra dignitate æſtimamur, quicquid meditemur aut moliamur, nos tamen cum omnibus noſtris conatibus & ſtudiis morte & interitu dignos eſſe.

11 Duobus his fortiter inſiſtendum, nullum vnquã extitiſſe pii hominis opus quod ſi ſeuero Dei iudicio examinaretur,nõ eſſet dãnabile. Adhæc ſi tale aliquod detur (quod poſſibile homini non eſt) peccatis tamen, quibus laborare authorem ipſum certum eſt, vitiatum ac inquinatum gratiã perdere. atque hic prẽcipuus eſt noſtræ diſputationis cardo. Nã de principio iuſtificationis nihil inter nos & ſaniores ſcholaſticos pugnæ eſt, quin peccator gratuitò à damnatione liberatus iuſtitiam obtineat, idque per remiſſionem peccatorum. niſi quòd illi ſub vocabulo iuſtificationis renouationem comprehendunt, qua per Spiritum Dei reformamur in Legis obediẽtiam. iuſtitiam verò hominis regenerati ſic deſcribunt, quòd homo per Chriſti fidem Deo ſemel reconciliatus, bonis operibus iuſtus cenſeatur apud Deum, & eorũm merito ſit acceptus. Verùm Dominus cõtrà, Rom.4.c.3 ſe fidem imputaſſe Abrahæ in iuſtitiam pronuntiat, nõ eo tempore quo idolis adhuc ſeruiebat, ſed quum multis iam annis vitæ ſanctitate excelluiſſet. Diu ergo coluerat Abraham Deum ex puro corde, & eam Legis obedientiam præſtiterat quæ ab homine mortali præſtari poteſt: habet tamẽ adhuc repoſitam in fide iuſtitiam. Vnde colligimus, ſecundum Pauli ratiocinationem, non ex operibus. Similiter quum apud Prophetam dicitur, Haba.2.a.4. Iuſtus ex fide viuet: non de impiis & profanis habetur ſermo, quos Dominus ad fidem cõuertendo iuſtificet: ſed oratio ad fideles dirigitur, & iis vita promittitur ex fide. Paulus Rom.4.a.7 quoque omnem ſcrupulum ſoluit, quum pro confirmatione illius ſentẽtiæ iſtum Dauidis verſiculum ſumit, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Certum eſt verò Dauidem Pſal.32.a.4 non de impiis, ſed de fidelibus loqui, qualis ipſe erat: quia ex conſcientiæ ſuæ ſenſu loquebatur. Ergo hanc beatitudinem nõ ſemel habere, ſed tota vita tenere nos oportet. Poſtremò legationẽ de gratuita cum Deo recõciliatione nõ in vnum aut alterũ diem promul- 2.Cor.5.d.18 gari, ſed perpetuam in Eccleſia eſſe teſtatur. Proinde non aliam iuſtitiam ad finem vſque vitæ habent fideles quàm quæ illic deſcribitur. Manet enim perpetuò mediator Chriſtus, qui Patrem nobis reconciliet: ac perpetua eſt mortis eius efficacia: nempe ablutio, ſatisfactio, expiatio, perfecta denique obedientia, qua iniquitates omnes noſtræ conteguntur. Ephe.2.b.8 Nec Paulus ad Epheſios dicit nos initiũ ſalutis habere ex gratia, ſed per gratiam ſaluatos eſſe, non ex operibus: ne quis glorietur.

12 Quæ ad euadendum ſubterfugia quærunt hîc ſcholaſtici, eos non expediunt. Aiunt non tanti, eſſe intrinſeca dignitate bona opera vt ad iuſtitiam comparandam ſufficiant: ſed hoc acceptantis eſſe gratiæ, quòd tantum valent. Deinde, quia fateri cogũtur iuſtitiam operum hîc ſemper eſſe imperfectam, concedunt nos, quandiu viuimus, remiſſione peccatorum indigere, qua defectus operum ſuppleatur: ſed delicta quę committuntur, operibus ſupererogationis compenſari. Acceptantem enim quam vocant gratiam, non aliam eſſe reſpondeo quàm gratuitam eius bonitatem, qua nos in Chriſto complectitur Pater: dum innocentia Chriſti nos induit, eámque fert nobis acceptam, vt eius beneficio pro ſanctis, puris & innocentibus nos habeat. Iuſtitiam enim Chriſti (quæ vt vna perfecta eſt, ita ſola Dei conſpectum ſuſtinere poteſt) pro nobis ſiſti oportet, ac iudicio repræſentari velut ſponſorem. Hac nos inſtructi aſſiduam peccatorum remiſſionem in fide obtinemus. Huius puritate velatæ noſtræ ſordes & imperfectionũ immunditiæ, non imputantur: ſed velut ſepultæ conteguntur, ne in iudicium Dei veniant: donec hora aduenit, qua cõfecto in nobis ac plane extincto veteri homine, diuina bonitas nos in beatam pacem cum nouo Adam recipiet: vbi diem Domini expectemus, quo in gloriam cæleſtis regni, receptis incorruptis corporibus, tranſferamur.

13 Hæc ſi vera ſunt, nulla certè noſtra opera nos ex ſe Deo acceptos gratioſóſque reddere queunt: ac ne ipſa quidem placere, niſi quatenus homo, iuſtitia Chriſti opertus, Deo placet, & vitiorũ ſuorum remiſſionẽ obtinet. Non enim certis operibus promiſit Deus vitæ mer-

tæ mercedem: sed tantùm pronuntiat, qui fecerit hæc victurum: maledictionem illam celebrem opponens contra omnes eos qui nõ perstiterint in omnibus. Quibus abundè refellitur commentum partialis iustitiæ, vbi non alia iustitia admittitur in cælis quàm integra Legis obseruatio. Neque verò solidius est quod garrire solent de sufficiẽda per supererogationis opera compensatione. Quid enim? annon eò semper redeunt vnde iam sunt excluſi? eum qui ex parte Legem seruat, eatenus iustũ operibus esse? Quod illis nemo sani iudicii concesserit, nimis impudenter pro confesso assumunt. Toties testificatur Dominus nullam se agnoscere operum iustitiã nisi in perfecta Legis suæ obseruatione. Quæ est improbitas, quum ea deficiamur, ne videamur omni gloria spoliati, hoc est prorsus Deo cessisse, nescio quibus paucorũ operum frustulis nos iactare, & quod deest, redimere per alias satisfactiones conari? Satisfactiones iam potẽter dirutæ suprà fuerũt, vt ne per somniũ quidem venire nobis in mentem debeant. Tantùm dico, eos qui sic ineptiunt, minimè reputare quàm res sit coram Deo execrabilis peccatum. intelligerent enim profectò, totam hominum iustitiam in vnum cumulum coactam, vnius compensationi parem esse non posse. Videmus nanque hominem vno delicto sic à Deo abiectum fuisse & abdicatum, vt simul omnem recuperandæ salutis rationem perdiderit. Sublata est igitur satisfactionis facultas, qua qui sibi blãdiuntur, nunquam certè Deo satisfacient: cui nihil gratum acceptúmve est quod ab inimicis suis profectum sit. Inimici porrò sunt omnes quibus imputare peccata instituit. Tecta igitur & remissa peccata nobis antè oportet quàm ad vllum opus nostrum Dominus respiciat. Ex quo sequitur gratuitam esse peccatorum remissionẽ: quam sceleratè blasphemãt qui satisfactiones vllas ingerunt. Nos ergo, exemplo Apostoli, quæ retrò sunt obliuiscentes, ad ea autem pergentes quæ ante nos sunt, curramus in stadio nostro, tendentes ad palmam supernæ vocationis.

Leuit.18.a.5

Gene.3.c.17

Philip.3.c.13

14 Iactare verò supererogationis opera, quomodo cũ illo conuenit quod nobis præceptum est, vt quum fecerimus quæcunque præcipiuntur nobis, dicamus nos seruos esse inutiles, nec plus feciſſe quàm quod debuimus? Dicere coram Deo, non est simulare aut mentiri: sed quod pro certo habeas apud te cõstituere. Iubet itaque Dominus nos syncerè sentire, & nobiscũ reputare, nulla sibi præstare gratuita officia, sed debitas operas redere. Et meritò: serui enim sumus tot obsequiis defœnerati quot defungi non possumus, etiamsi omnes nostræ cogitationes omniáque membra in Legis officia, verterẽtur. Ideóque quod ait, Quum feceritis quæcunque præcipiuntur vobis: perinde valet acsi pluſquam omnes hominum iustitiæ vnius forent. Nos ergo (quorum nemo non longissimè abest ab ista meta) quomodo audeamus gloriari nos cumulum addidisse ad iustam mensuram? Nec est quòd excipiat quispiã, nihil obstare quominus vltra necessaria officia prodeat eius studium qui à necessariis aliqua in parte cessat. Sic enim penitus habendum, nihil nobis vel quod ad Dei cultum, vel quod ad dilectionem conferat in mentem venire posse, quod non sub Dei Lege comprehendatur. Quòd si pars est Legis, ne volũtariam liberalitatem iactemus, vbi astringimur necessitate.

Luc.17.c.10

15 Atque in hanc rem intẽpestiuè allegatur illa Pauli gloriatio, Quòd inter Corinthios iure suo sponte cesserit, quod licebat alioqui, si libuisset, vsurpare: nec illis tantùm impenderit quod ex officio debebat, sed gratuitam operam vltra officii finem largitus sit. Atqui animum aduertere cõueniebat ad rationem illic signatam, hoc feciſſe ne infirmis offendiculo foret. Venditabant enim se hoc benignitatis lenocinio mali fraudulentique operarii, quo & fauorem sonticis suis dogmatibus conciliarent, & odiũ conflarent Euangelio: vt necesse Paulo fuerit, vel in periculum accersere Christi doctrinã, vel eiusmodi arabstinere liceat, fateor Apostolũ aliquid Domino supererogasse: sin hoc ipsum iure requirebatur à prudẽti Euãgelii dispẽsatore, dico feciſſe quod debebat. Deniq; etiãsi talis causa nõ apparet, verũ tamen semper est illud Chrysostomi, nostra omnia eandẽ habere conditionem cũ seruorũ peculiis, quæ iure ipso deberi domino constat. Neque id dissimulauit Christus in parabola. interrogat enim quam gratiã habituri simus seruo, vbi tota die vario labore exercitatus ad nos vesperi redierit. Atqui fieri potest vt maiori industria incubuerit quàm ausi fuissemus exigere. Esto: nihil tamen fecit quod nõn ex conditione seruitutis deberet: quia cũ tota sua facultate noster est. Taceo quales sint supererogationes quas isti vẽditare Deo volunt. nugæ enim sunt quas neque ipse vnquã imperauit, neque approbat, nec quum reddenda erit apud se ratio, acceptas feret. Hac demũ significatione

1.Cor.9.2.1

Ibidem,b.12

Luc.17.b.7

concedemus esse supererogationis opera, vtpote de quibus apud Prophetam dictum
Iesa.1.d.12 est, Quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Sed meminerint quid & alibi dicatur de iis,
Idem,55.a.2 Quare appenditis argentum vestrum, & non in panibus? laborem vestrum insumitis, & non in saturitate? Non est quidem valde laboriosum otiosis istis rabbinis hæc sub vmbra in mollibus cathedris disputare. at quum summus ille iudex pro tribunali sederit, euanescere ventosa huiusmodi placita oportebit. Hoc hoc quærendum erat, quam ad eius tribunal defensionis fiduciam afferre, non quid in scholis & angelis fabulari possumus.

16 Duæ sunt potissimum nobis abigendæ hac parte ex animis pestes: nequid in operum iustitia fiduciæ ponant, nequid illis gloriæ adscribãt. Fiducia qualibet nos passim depellunt Scripturæ, quum docent iustitias omnes nostras fœtere in Dei conspectu, nisi à Christi innocentia bonum odorem ducant: nihil quàm irritare Dei vltionem posse, nisi misericordiæ eius indulgentia sustineãtur. Ita porrò nihil reliquum nobis faciunt, nisi vt
Psal.143 a.2 iudicem nostrum deprecemur, cum illa Dauidis confessione, Neminem iustificatum iri
Iob 10.c.15 coram ipso, si rationem à seruis suis reposcat. Vbi autem Iob dicit, Si impiè egi, væ mihi: si autem iustè, nec sic erigam caput: quanquam respicit ad summam illam Dei iustitiam, cui ne Angeli quidem respondent: simul tamen ostendit, vbi ad Dei iudicium venitur, nihil restare cunctis mortalibus nisi vt obmutescãt. Non enim eò tantùm pertinet quòd cedere vltrò malit quàm cum rigiditate Dei periculosè certare: sed significat non aliam sensisse eum in seipso iustitiam, quàm quæ primo momento esset à facie Dei collapsura. Exacta fiducia gloriationẽ quoque omnem facessere necesse est. Quis enim iustitiæ laudem assignet operibus, quorum confidentia trepidet à Dei conspectu? Veniendum ergo
Iesa.46.d.20 quò nos vocat Iesaias, vt in Deo laudetur ac glorietur omne semen Israel: quia verissimũ
Iesa.61.a.3 est quod alibi dicit, nos plãtationem esse gloriæ Dei. Ritè ergo tum purgatus erit animus, quum nec in fiducia operum vlla ex parte recumbet, nec in gloria exultabit. Ad falsæ autem & mendacis istius fiduciæ flatum stultos homines hic error animat, quòd suæ salutis causam in operibus semper locant.

17 Verùm, si quatuor causarum genera respicimus, quæ in rerum effectu considerare præcipiunt philosophi, nullum eorum reperiemus operibus in constituenda salute nostra conuenire. Efficientem enim vitæ æternæ nobis comparandæ causam vbique Scriptura prædicat Patris cælestis misericordiam, & gratuitam erga nos dilectionẽ: materialem verò, Christum cum sua obedientia, per quam nobis iustitiam acquisiuit. formalem quoque vel instrumentalem quam esse dicemus nisi fidẽ? Atque tres simul istas vna sententia comprehendit Iohannes, quum dicit, Sic Deus dilexit mundum vt Filium vnige-
Iohã.3.b.16 nitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Porrò finalem testatur Apostolus esse, & diuinæ iustitiæ demonstrationem, & bonitatis laudem:
Rom.3.c.23 vbi & alias tres disertis verbis commemorat. Sic enim ad Romanos loquitur, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. iustificantur autem gratis ipsius gratia: hîc habes caput & primum fontem, quòd Deus nos gratuita misericordia complexus est. Sequitur, Per redemptionem quæ est in Christo Iesu: hîc habes veluti materiam qua nobis iustitia conficitur: Per fidem in sanguine ipsius: hîc causa instrumentalis ostẽditur, qua Christi iustitiæ nobis applicatur. Postremò subiungit finem, quum dicit, In demonstrationem iustitiæ ipsius, vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Christi. Atque (vt obiter quoque denotet iustitiam hanc recõciliatione constare) nominatim ponit, Christum datum esse ex reconciliationem. Sic & primo ad Ephesios capite docet nos recipi à Deo in gratiam in mera misericordia: id fieri Christi intercessione: fide apprehẽdi: omnia in hunc finem, vt diuinæ bonitatis gloria ad plenũ eluceat. Quum videamus omnes salutis nostræ particulas ita extra nos constare, quid est quod iam operibus vel confidamus vel glorieмur? Nec de efficiente, nec de finali controuersiam nobis mouere possunt vel coniuratissimi diuinæ gratiæ hostes, nisi totam Scripturam abnegare velint. In materiali & formali fucum faciunt, quasi dimidiatum cum fide Christique iustitia locum opera nostra teneant. Sed id quoque Scriptura reclamante: quæ & Christum nobis esse in iustitiam & vitam simpliciter affirmat, & hoc iustitiæ bonum sola fide possideri.

18 Quòd autem innocentiæ integritatisque suæ memoria sæpiusculè sancti se confirmant ac consolantur, nec etiam ab ea prædicanda interdum abstinent, id fit bifariã: vel quòd bonã suam causam cum mala impiorum causa comparãdo, securitatem inde victoriæ concipiunt, non tam suæ iustitiæ cõmendatione quàm iusta meritáque aduersariorũ damnatione:

damnatione:vel quòd etiam ſine aliena comparatione dum ſe coram Deo recognoſcunt, nonnullam illis & conſolationem & fiduciam affert propriæ cõſcientiæ puritas. De priore ratione poſtea videbimus:nunc de poſteriore breuiter expediamus, quomodo cum eo conueniat quod ſuprà diximus, nulla eſſe in Dei iudicio operum fiducia ſubnitendum, nulla eorum opinione gloriandum. Hæc porrò conuenientia eſt, quòd ſancti, quum de fundanda conſtituendáque ſalute ſua agitur, citra operum reſpectum in ſolam Dei bonitatem oculos intendũt. Neque ad eam modò ante omnia, tanquam ad beatitudinis principium, ſe conuertunt:ſed tanquam in complemento conquieſcunt. Sic fundata, erecta, ſtabilita conſcientia operum quoque conſideratione ſtabilitur:quatenus ſcilicet teſtimonia ſunt Dei in nobis habitantis ac regnantis. Quando igitur iſthæc operum fiducia locũ non habet, niſi totam prius animi fiduciam in miſericordiam Dei reieceris, non debet illi videri contraria vnde pendet. Quare dum operum fiduciam excludimus, hoc volumus dũtaxat, ne mens Chriſtiana ad operum meritum, velut ad ſalutis ſubſidium, reflectatur: ſed penitus reſideat in gratuita iuſtitiæ promiſſione. Non vetamus autem ne diuinæ erga ſe beneuolentiæ ſignis hãc fidem fulciat & confirmet. Nam ſi dum memoria repetuntur quæcunque in nos dona Deus contulit, ſunt nobis quodammodo inſtar radiorum diuini vultus, quibus illuminemur ad ſummam illam bonitatis lucem contemplandam: multo magis bonorum operum gratia, quæ Spiritum adoptionis nobis datum commonſtrat.

19 Quum igitur à conſcientiæ innocentia fidem ſuam confirmant ſancti, & exultãdi materiam ſumunt, nihil aliud quàm à fructibus vocationis ſe in filiorum locum à Domino cooptatos eſſe reputãt. Quod ergo à Solomone traditur, in timore Domini eſſe firmam ſecuritatem: quòd interdum hanc obteſtationem ſancti vſurpant quo exaudiantur à Domino, ſe ambulaſſe corã facie eius in integritate & ſimplicitate: locum in iaciẽdo firmandæ conſcientiæ fundamento nullum habent: ſed tum demum valent ſi à poſteriori ſumuntur:quia & nullibi eſt timor ille qui ſecuritatem plenam offirmare queat: & ſancti ſibi talis integritatis cõſcii ſunt cui multæ carnis reliquiæ adhuc ſunt permixtæ. Sed quoniam ex regenerationis fructibus, habitantis in ſe Spiritus ſancti argumentum capiunt, inde ſe non mediocriter ad expectandum in omnibus neceſſitatibus Dei auxilium confirmant, quum in re tanta patrem experiuntur. Ac ne id quidem poſſunt, niſi primùm Dei bonitatem, nulla alia quàm promiſsionis certitudine obſignatam, apprehenderint. Nam ſi illam æſtimare incipiunt à bonis operibus, nihil erit incertius, nec magis infirmũ. quandoquidem ſi per ſe opera æſtimentur, non minus iram Dei ſua imperfectione arguent, quàm vtcunque inchoata puritate beneuolentiam teſtantur. Denique ſic Dei beneficia prædicant vt tamen non deflectant à gratuito Dei fauore, in quo teſtatur Paulus longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem ſitam eſſe. quaſi diceret, quocunque ſe vertant piorum ſenſus, quantumuis altè conſcendant, quantumuis longè & latè ſe extendant, non debere tamen à Chriſti dilectione egredi quin ſe in ea meditanda totos contineant: quia omnes dimenſiones in ſe comprehendit. Ideóque dicit eam excellere & eminere ſupra omnem ſcientiam:& dum agnoſcimus quãtopere nos Chriſtus dilexerit, impleri in omnem plenitudinem Dei. Sicut alibi dum gloriatur pios in omni certamine eſſe victores, rationem mox addit, Propter eum qui dilexit eos.

Pro. 14. v. 26

Ge. 24. v. 40
2. Reg. 20. a. 3

Epheſ. 3. d. 18

Ibidem, 19

Rom. 8. g. 37

20 Videmus iam non eam in ſanctis fiduciam operum eſſe quæ vel eorum merito aliquid tribuat (quando ea non aliter quàm Dei dona intuentur, vnde eius bonitatem recognoſcant, non aliter quàm vocationis ſigna vnde electionem reputent) vel quippiam deroget gratuitæ, quam in Chriſto conſequimur, iuſtitiæ:quando ab ea dependet, nec ſine ea ſubſiſtit. Hoc ipſum Auguſtinus paucis verbis, ſed elegãter ſignificat, quum ſcribit, Non dico Domino, Opera manuum mearum ne deſpicias. Exquiſiui Dominum manibus meis, & non ſum deceptus. Sed opera manuum mearum non commẽdo:timeo enim ne quum inſpexeris, plura inuenias peccata quàm merita. Hoc ſolum dico, hoc rogo, hoc cupio, Opera manuum tuarum ne deſpicias. Opus tuum in me vide, non meum. Nam ſi meum videris, damnas:ſi tuum videris, coronas. Quia & quæcunque mihi ſunt opera bona, abs te ſunt. Duas cauſas ponit cur non auſit ſua opera Deo venditare, quia ſiquid bonorum operum habet, illic nihil videt ſuum: deinde quia id quoque peccatorum multitudine obruitur. Vnde fit vt plus inde timoris & conſternationis ſentiat cõſcientia, quàm ſecuritatis. Ergo non aliter Deum intueri vult ſua rectè facta quàm vt vocationis ſuæ gratiam in illis recognoſcens, opus quod inchoauit perficiat.

21 Quòd autem præterea bona fidelium opera, Scriptura causas esse ostendit cur illis Dominus benefaciat, id sic intelligendum est, vt stet inconcussum quod antea posuimus, effectum nostræ salutis in Dei Patris dilectione situm esse: materiam, in Filii obedientia: instrumentum, in Spiritus illuminatione, hoc est fide: finem esse tantæ Dei benignitatis gloriam. Istis nihil obstat quominus opera Dominus, tãquam causas inferiores amplectatur. sed vnde id? nempe quos sua misericordia, æternæ vitæ hereditati destinauit, eos ordinaria sua dispensatione per bona opera inducit in eius possessionem. Quod in ordine dispensationis præcedit, posterioris causam nominat. Hac ratione ab operibus interdum vitam æternam deducit. non quòd illis referenda sit accepta: sed quia quos elegit, iustificat vt demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus est ad sequẽtem, causam quodammodo facit. At quoties assignanda est vera causa, non ad opera iubet confugere, sed in sola misericordiæ cogitatione nos retinet. Quale enim istud est quod per Apostolum docet, Stipendium peccati mors: gratia Domini vita æterna? Cur non vt vitam morti, sic peccato iustitiam opponit? Cur non vt peccatum mortis, ita iustitiam vitæ causam statuit? Sic enim ritè constatura erat antithesis, quæ ista variatione nonnihil abrũpitur. Sed Apostolus, id quod erat, exprimere ista comparatione voluit, meritis hominum deberi mortem: vitam nõ nisi in sola Dei misericordia esse repositam. Denique istis loquutionibus series magis notatur quàm causa: quia Deus gratias gratiis cumulando, ex prioribus causam sumit secundas addendi, nequid ad locupletandos seruos suos omittat: atque ita liberalitatem suam prosequitur, vt tamen gratuitam electionem, quæ fons & initium est, respicere nos semper velit. Quanquam enim quæ nobis quotidie confert dona, quatenus ex illo fonte prodeunt, amat: nostrum tamen est, gratuitam illam acceptionem tenere, quæ sola fulcire animas nostras potest. quæ verò Spiritus sui dona deinde largitur, ita subnectere primæ causæ vt ei nihil derogent.

Rom.8.f.30

Rom.6.d.23

Quæ de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in conferenda iustitia, quàm salutis certitudinem euertere. CAP. XV.

IAM quod præcipuum est in hac causa expediuimus: quia si operibus fulciatur iustitia, corruere protinus à conspectu Dei necesse sit: sola Dei misericordia, sola Christi communicatione, ideóque sola fide contineri. Præcipuum autem hunc esse causæ cardinem diligenter animaduertamus, ne illa implicemur communi non vulgi modo, sed doctorum etiam hallucinatione. Simul enim atque quæritur de fidei operúmque iustificatione, decurrunt ad eos locos qui aliquod operibus meritum corã Deo tribuere vidẽtur: perinde verò acsi euicta foret operum iustificatio, si probatum fuerit alicuius esse apud Deum pretii. Enimuero suprà clarè ostendimus, in perfecta tantummodo, absolutáque Legis obseruatione cõsistere operum iustitiam. Vnde sequitur, non iustificari operibus hominem nisi qui ad summum perfectionis euectus, nullius, vel minimæ transgressionis argui queat. Altera igitur & separata est quæstio, Vtcunque ad iustificandum hominem minimè sufficiãt opera, ánnon tamen illa apud Deum gratiam promereantur?

2 Primum de meriti nomine id mihi præfari necesse est: quicũque primus illud operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptauit, eum fidei synceritati pessimè consuluisse. Equidem à logomachiis libens abstineo, sed cuperem eam seruatam fuisse semper inter Christianos scriptores sobrietatem, ne vsurpare, quum nihil opus foret, extranea à Scripturis vocabula in animum induxissent quæ multum párerent offendiculi, fructus minimũ. Quorsum enim obsecro, opus fuit inuehi nomen Meriti, quũ pretium bonorum operum significanter alio nomine citra offendiculum explicari posset? Quantum autem ipsum offensionis in se contineat, magno cum orbis detrimẽto patet. Certè vt est fastuosissimum, nihil quàm obscurare Dei gratiam, & homines praua superbia imbuere potest. Vsi sunt (fateor) passim, vetusti Ecclesiæ scriptores, atque vtinam voculæ vnius abusu erroris materiam posteris non præbuissent. Quanquam nonnullis ipsi quoque locis testantur, quam non præiudicare veritati voluerint. Sic enim alicubi loquitur Augustinus, Humana merita hîc conticescant, quæ perierunt per Adam: & regnet Dei gratia, per Iesum Christum. Itẽ, Meritis suis nihil tribuunt sancti: totum nonnisi misericordiæ tuæ tribuent ô Deus. Alibi, Et quum viderit homo quicquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo, videt id totum quod in eo laudatur, non de suis meritis, sed de misericordia Dei esse. Vides vt adempta homini bene agendi virtute, meriti quoque dignitatem prosternat. Chrysostomus autem, Nostra siqua sequũtur Dei gratuitam vocationem opera, retribu-

De prædest. sanct.

In Psal.139

In Psal.88

Homil.33.in Gene.suprà 68

tio

tio ſunt & debitum:at Dei munera,gratia & beneficẽtia & largitionis magnitudo. Omiſſo tamen nomine,rem potius cernamus. Citaui quidem antea ex Bernardo ſententiam, Vt ad meritum ſatis eſt de meritis non præſumere:ſic carere meritis,ſatis eſt ad iudicium. Sed continuò addita interpretatione, duritiem vocis ſatis emollit, quum dicit, Proinde merita habere cures:habita,data noueris:fructum ſperes Dei miſericordiam: & omne periculum euaſiſti,paupertatis,ingratitudinis,præſumptionis. Fœlix Eccleſia cui nec merita ſine præſumptione,nec præſumptio ſine meritis deeſt.Et paulo antè abũdè oſtenderat quàm pio ſenſu vteretur. Nam de meritis,inquit,quid ſolicita ſit Eccleſia,cui de propoſito Dei firmiór ſecuriorque exiſtit gloriandi ratio? Non poteſt ſeipſum negare Deus:faciet quod promiſit. Ezech.36. c. 22.f.32 Si non eſt quod quæras,quibus meritis ſperemus bona?præſertim quũ audias,Non propter vos,ſed propter me.Sufficit ad meritũ ſcire quòd non ſufficiant merita.

3 Quid promereantur omnia opera noſtra, Scriptura oſtendit quum Dei conſpectum ferre poſſe negat quia immunditiæ ſint plena.quid deinde promeritura ſit perfecta Legis obſeruatio, (ſiqua reperiri poſſet) quum præcipit vt nos inutiles ſeruos reputemus quum fecerimus omnia quæ præcipiuntur nobis: quia nihil gratuitum impenderimus Domino,ſed debitis obſequiis tantùm defuncti ſimus,quibus non eſt habẽda gratia. Dominus tamen,quæ in nos contulit bona opera,& noſtra appellat,& non tantùm accepta ſibi eſſe teſtatur,ſed remunerationem etiam habitura. Noſtrum eſt viciſſim tanta promiſſione animari,animóſque colligere,ne bene agendo defatigemur, & tãtam Dei benignitatem vera gratitudine proſequi.Gratiam Dei eſſe non dubium eſt quicquid in operibus eſt quod laudem meretur.nullam eſſe guttã quam propriè nobis adſcribere debeamus: id ſi re vera ſerióque agnoſcimus, euaneſcit quælibet meriti non fiducia tantùm, ſed opinio.Bonorum,inquam,operũ laudem non(vt ſophiſtæ faciunt) inter Deum & hominem partimur:ſed totam,integram ac illibatam Domino ſeruamus. Tantùm hoc homini aſſignamus, quòd ea ipſa quæ bona erant, ſua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine exit,quantumuis perfecto, quod nõ ſit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in iudicium quę in humanis operibus optima ſunt:ſuam in illis quidem iuſtitiam agnoſcet,hominis verò dedecus & probrum.Placent itaque Deo bona opera,nec ſuis authoribus ſunt infructuoſa:quin magis ampliſſima Dei beneficia remunerationis loco referunt:non quia ita merentur, ſed quia diuina benignitas hoc illis ex ſeipſa pretium ſtatuit.Quæ autem iſta eſt malignitas, nõ contentos illa Dei largitate, quæ nihil tale merentia opera indebitis præmiis muneratur, ſacrilega ambitione vltrà contendere, vt operum meritis videatur rependi quod diuinæ totum eſt munificentię?Hîc ſenſum communẽ vniuſcuiuſque appello. Si is qui vſumfructũ in agro aliena liberalitate habet, proprietatis quoque titulum ſibi vendicet:annon huiuſmodi ingratitudine eam ipſam quam tenebat poſſeſſionem amittere meretur?Similiter ſi manumiſſus à domino ſeruus,diſſimulata libertinæ conditionis humilitate, pro ingenuo ſe venditet: annon dignus eſt qui in priſtinam redigatur ſeruitutem? Hic enim legitimus demum eſt fruendi beneficii vſus, ſi nec plus arrogamus nobis quàm datũ eſt,nec boni authorẽ ſua laude fraudamus:quin potius ſic nos gerimus vt reſidere quodãmodo apud eũ videatur quod in nos trãſtulit. Hæc moderatio ſi erga homines præſtãda eſt,videant ſinguli & reputẽt qualis Deo debeatur.

4 Scio ſophiſtas abuti locis quibuſdam, vnde probent meriti nomen erga Deum in Scripturis reperiri. Citant ex Eccleſiaſtico ſententiam,Miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum. Eccli.16.b.14 Ex Epiſtola autem ad Hebræos, Beneficentiæ & communicationis nolite obliuiſci:talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Hebr.13.a.2 In repudiãda Eccleſiaſtici authoritate ius meum nunc remitto. Nego tamen fideliter citare quod ſcripſit Eccleſiaſticus,quicunque fuerit ille ſcriptor.ſic enim habet Græcum exemplar,πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον. ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. Omni miſericordiæ faciet locum. vnuſquiſque enim ſecundum opera ſua inueniet. Atque hanc eſſe germanam lectionem quæ in Latina verſione deprauata ſit,cum ex ſolo verborũ iſtorum cõplexu, tum ex longiore ſuperioris orationis contextu liquet. In Epiſtola ad Hebræos non eſt cur decipulas in verbulo vno nobis tẽdant.quãdo in Græcis Apoſtoli verbis nihil aliud habetur quàm tales hoſtias placere acceptáſque eſſe Deo. Id vnum abundè ſufficere debeat ad compeſcendam retundendámque noſtræ ſuperbiæ inſolentiam, ne quam operibus dignitatem vltra Scripturæ formulã affingamus. Porrò Scripturæ doctrina eſt, aſperſa eſſe perpetuò ſordibus multis bona noſtra opera,quibus meritò Deus offendatur, ac nobis ſuccenſeat.

tantum abeſt vt vel conciliare illum nobis queant, vel eius erga nos beneficentiam prouocare: quia tamen illa pro ſua indulgentia non iure ſummo examinat, perinde accipere acſi puriſſima eſſent, ideóque licet immerita infinitis beneficiis remunerari tum præſentis vitæ, tum etiam futuræ. Non enim à doctis alioqui ac piis viris poſitam diſtinctionem recipio, meritoria eſſe bona opera earum quæ nobis in hac vita conferuntur gratiarum: ſolius fidei præmium eſſe æternam ſalutem. Mercedem enim laborum & certaminis coronam in cælo Dominus ſemper ferè collocat. Rurſum operũ merito ſic tribuere, vt gratiæ adimatur quòd aliis ſuper alias gratiis à Domino cumulamur, eſt contra Scripturæ doctrinam. Tametſi enim dicit Chriſtus, habenti datum iri, & ſuper multa conſtitutum iri fidelem ac probum ſeruum, qui in paruis ſe fidelem geſſerit: ſimul tamen alibi oſtendit incrementa fidelium eſſe gratuitæ ſuæ benignitatis munera. Omnes, inquit, ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, venite, emite abſque argento & abſque vlla commutatione vinum & lac. Quicquid ergo nunc in ſalutis adminiculum piis cõfertur, tum ipſa beatitudo, mera eſt Dei beneficentia. tamen & in hac & illis teſtatur ſe operum habere rationem: quia ad teſtandam erga nos dilectionis ſuæ magnitudinem, non modò nos, ſed quæ nobis largitus eſt dona tali honore dignatur.

Mat.25.b.21, & c.29

Ieſa.55.a.1

5 Hæc ſi quo oportuerat ordine tractata digeſtáque eſſent anteactis ſeculis, nunquam tantum turbarum ac diſſenſionum ortum eſſet. Paulus ait in architectura Chriſtianæ doctrinæ retinendum eſſe quod poſuerat ipſe fundamentum apud Corinthios, præter quod nullum aliud poni queat: id autem eſſe Ieſum Chriſtum. Quale nobis in Chriſto fundamentum eſt? an quod initium nobis ſalutis fuit, vt complementum à nobis ſequeretur? & viam aperuit tantùm per quam ipſi noſtro marte pergeremus? Minimè verò, ſed quomodo paulo antè poſuerat, illum dum agnoſcimus nobis datum eſſe in iuſtitiam. Nemo ergo bene in Chriſto fundatus eſt niſi qui ſolidam habet in ipſo iuſtitiam: quando non dicit Apoſtolus miſſum eſſe quo ad iuſtitiam conſequendam nos iuuet: ſed vt ipſe ſit noſtra iuſtitia. Nimirum quòd in ipſo electi ſumus ab æternitate ante mundi conſtitutionem, nullo noſtro merito, ſed ſecundum diuini beneplaciti propoſitum: quòd eius morte ipſi à mortis damnatione redempti ac liberati à perditione ſumus: quòd in ipſo adoptati ſumus in filios & heredes à Patre cæleſti: quòd per ipſius ſanguinem huic ſumus reconciliati: quòd illi in cuſtodiam dati, pereundi excidendique periculo eximimur: quòd illi ita inſerti, iam vitæ æternæ quodammodo ſumus participes, in regnum Dei per ſpem ingreſſi. Necdum finis: quòd talem eius participationem adepti, vtcunque ſimus adhuc in nobis ſtulti, ipſe nobis coram Deo ſapientia eſt: vt peccatores ſimus, ipſe nobis iuſtitia: vt immundi ſimus, ipſe nobis puritas: vt infirmi ſimus, vt inermes & Satanæ expoſiti, noſtra tamen eſt quæ ipſi data eſt in cælo & in terra poteſtas, qua pro nobis Satanam conterat, & inferorum portas confringat: vt corpus mortis adhuc nobiſcum circumferamus, ipſe tamen nobis vita eſt. Breuiter quòd omnia illius noſtra ſunt, & nos in illo omnia habemus, in nobis nihil. Super hoc inquam fundamentum ædificari nos cõuenit, ſi volumus in templum Domino ſanctum creſcere.

Mat.28.d.18

6 At longè aliter iampridem inſtitutus eſt orbis. reperta ſunt moralia neſcio quæ bona opera, quibus gratioſi Deo reddantur homines antequã Chriſto inſerantur. Quaſi verò mentiatur Scriptura quum dicit, in morte eſſe omnes qui Filium non poſſederint. Si in morte ſunt, quomodo vitę materiam generarent? Quaſi nihil illud valeat, peccatum eſſe quicquid fit extra fidem. quaſi arboris malæ poſſint extare boni fructus. Chriſto verò vbi ſuam virtutem exerat quid peſtilentiſſimi ſophiſtæ reliquerunt? Aiunt meruiſſe nobis primam gratiam, hoc eſt occaſionem merendi: eſſe iam noſtrarum partium, occaſioni oblatæ non deeſſe. O proiectam impietatis impudentiam. quis expectaſſet vt Chriſti nomen profeſſi, illum ita denudatum ſua virtute, tantùm non proculcare auderent? Hoc teſtimonium illi paſſim redditur, quòd iuſtificati ſint quicunque in eum credunt: iſti nihil ãliud beneficii ab eo prouenire docẽt niſi vt ſingulis ad ſeipſos iuſtificãdos aperta ſit via. Vtinam verò guſtarent quid ſibi velint iſtæ ſententiæ, Vitam habere quicunque Filium Dei habeãt: Quicunque credit, tranſiiſſe à morte in vitã: Iuſtificatos eſſe nos illius gratia, vt heredes efficeremur vitæ æternæ. Fideles Chriſtum habere in ſe manentem, per quem Deo adhæreãt: participes vitæ eius, ſedere cũ ipſo in cæleſtibus: traductos eſſe in regnum Dei, & ſalutem conſequutos: & ſimiles innumeræ. Non enim aut comparandæ iuſtitiæ, aut ſalutis tantùm acquirendæ facultatẽ fide Chriſti obtingere ſignificant, ſed vtrunque nobis

1.Iohã.5.c.12. Rom.14.d. 23

1.Ioha.5.c.12 Iohã.5.d.24 Rom.3.c.24 1.Iohan.3.d. 23 Epheſ.2.b.6 Coloſ.1.b.13

nobis donari. Proinde ſimulatque per fidem inſertus es Chriſto, iã filius Dei factus es, cælorũ heres, iuſtitiæ particeps, vitæ poſſeſſor: ac (quo melius eorũ mẽdacia coarguãtur) non adeptus merẽdi opportunitatem, ſed omnia Chriſti merita: ſiquidẽ tibi communicãtur.

7 Ita Sorbonicæ ſcholæ, errorum omnium matres, iuſtificationem fidei, que pietatis eſt totius ſumma, nobis ſuſtulerunt. Fatẽtur quidem verbo iuſtificari fide formata hominem, ſed id poſtea interpretantur, quoniam à fide habent bona opera vt ad iuſtitiam valeant: vt penè per ludibrium videantur nominare fidem, quia ſine ingenti inuidia fileri non poterat, quum toties à Scriptura repetatur. Nec dum etiam contenti, in laude bonorum operum Deo ſuffurantur quod ad hominem tranſferant. Quia vident parum valere ad hominem attollẽdum bona opera, ac ne merita quidem propriè vocari, ſi diuinæ gratiæ fructus cenſeantur: ex vi liberi arbitrii ea eliciũt, oleum ſcilicet ex lapide. Ac principalem quidem cauſam in gratia eſſe non negant: ſed eo tamen contẽdunt non excludi liberum arbitrium, per quod ſit omne meritum. Neque id tradunt poſteriores modò Sophiſtæ, ſed eorũ Pythagoras Lombardus: quem ſi cum iſtis compares, ſanũ & ſobrium eſſe dicas. Miræ profectò cæcitatis fuit, quum Auguſtinũ toties in ore haberet, non vidiſſe quanta ſolicitudine vir ille cauerit ne vlla ex bonis operibus gloriæ particula in hominem deriuaretur. Suprà, quum de libero arbitrio diſputatio eſſet, recitauimus aliquot in hanc rem ipſius teſtimonia, quibus ſimilia identidem in eius ſcriptis recurrunt. vt quum vetat ne merita noſtra vſquam iactemus, quia & ipſa Dei dona ſunt: & quum ſcribit, omne meritum noſtrum nonniſi à gratia eſſe, non parari per noſtram ſufficientiam, ſed per gratiam totum fieri, &c. Ad Scripturæ lucem cæcutiſſe, minus mirũ: in qua non ita fœliciter exercitatum fuiſſe apparet. Nihil tamen defiderari poſſit aduerſus eum & eius diſcipulos clarius iſto Apoſtoli verbo. interdicta enim Chriſtianis omni gloriatione, rationem cur gloriari nefas ſit, ſubiungit, Quia Dei factura ſumus, creati ad bona opera, quæ pręparauit vt in illis ambulemus. Quũ ergo nihil à nobis boni prodeat niſi quatenus regenerati ſumus, regeneratio autem noſtra, tota citra exceptionem, Dei ſit: non eſt cur vnciam nobis operibus vendicemus. Poſtremò dum aſſiduè inculcant bona opera, ſic interim conſcientias inſtituunt, vt confidere nunquam auſint Deum ſe propitium ac fauentem ſuis operibus habere. Nos autem contrà, nulla meriti mentione, ſingulari tamen cõſolatione fidelium animos noſtra doctrina erigimus, dum eos docemus in ſuis operibus Deo placere, indubiéque acceptos eſſe. Quinetiam hîc exigimus vt nullum quiſquam opus tentet aut aggrediatur ſine fide: hoc eſt niſi certa animi fiducia prius definiat Deo placiturum.

Lib. 2. Sent. diſt. 28

In Pſal. 144

Epiſt. 105

Ephe. 2. b. 10

8 Quamobrem ab vnico illo fundamento nequaquam abduci nos ne latũ quidem vnguem patiamur: quo iacto, ſapientes deinde architecti rectè atque ordine ſuperædificant. Nam ſiue doctrina & exhortatione opus eſt, admonent quòd in hoc Dei Filius apparuit vt diſſoluat opera Diaboli: ne peccent qui ex Deo ſunt, ſufficere præteritum tempus implendis Gentium deſideriis: electos Dei vaſa eſſe miſericordię ſelecta in honorem, quæ à ſordibus emundari debeant. Sed omnia ſemel dicuntur, quum oſtenditur quòd tales velit Chriſtus diſcipulos, qui ſeipſis abnegatis, ac ſublata ſua cruce, ipſum ſequantur. Qui ſeipſum abnegauit, malorum omnium radicem execuit, ne amplius quærat quæ ſua ſunt. Qui crucem ſuã ſuſtulit, ad omnem patientiam ac mãſuetudinem ſe comparauit. At Chriſti exemplum & hæc & alia omnia pietatis ac ſanctitatis officia complectitur. Ille ſe Patri obedientẽ præſtitit ad mortem vſque. ille totus fuit in operibus Dei perficiendis. ille Patris gloriam toto pectore ſpirauit. ille animã ſuam pro fratribus poſuit. ille hoſtibus ſuis bene & fecit & precatus eſt. Quòd ſi conſolatione opus fuerit, mirificã afferent conſolationem: quòd affligimur, non tamen anxii reddimur: laboramus, ſed nõ deſerimur: humiliamur, ſed non confundimur: deiicimur, ſed non perimus: mortificationem Ieſu Chriſti ſemper in corpore noſtro circunferentes, vt vita Ieſu manifeſtetur in nobis. quòd ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi cõpatimur, & conregnabimus. quòd ita configuramur eius paſſionibus, donec perueniamus ad reſurrectionis ſimilitudinem: quando Pater præſtinauit conformes fieri imaginis Filii ſui, quos in ipſo elegit, vt ſit primogenitus inter cunctos fratres. Itaque quòd neque mors, neque præſentia, neque futura ſeparabunt nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto: quin potius in bonum ac ſalutẽ cedent omnia. Ecce, non iuſtificamus hominem ex operibus coram Deo: ſed omnes qui ex Deo ſunt, dicimus regenerari, & nouam creaturã fieri: vt ex regno peccati, tranſeant in regnũ iuſtitiæ, atque hoc teſtimonio certã facere ſuam vocationem, & tanquam arbores à fructibus iudicari.

1. Iohã. 3. b. 8
1. Petr. 4. a. 3
2. Tim. 2. c. 20
Luc. 9. c. 23
2. Cor. 4. d. 8
2. Tim. 2. b. 11
Phili. 3. b. 20
Rom. 8. f. 29
Ibidem, g. 39
2. Pet. 1. b. 10

Refutatio calumniarum quibus hanc doctrinam odio grauare conantur Papistæ. CAP. XVI.

HOc vno verbo refelli potest impiorum quorundam impudentia, qui calumniantur nos abolere bona opera, atque ab eorum studio abducere homines, quum dicimus eos non iustificari ex operibus, nec salutem mereri. deinde nimis facile ad iustitiam iter sternere, quum in gratuita peccatorum remissione ipsam iacêre docemus, & hac illecebra homines, suapte sponte plus nimio procliues, ad peccandũ allicere. Hæ, inquam, calumniæ vno illo verbo satis refutantur. breuiter tamen respondebo ad vtranque. Per fidei iustificationem causantur destrui bona opera. Supersedeo dicere quales sint bonorum operum zelotæ qui ita nobis obtrectãt. Liceat illis tam impune conuiciari quàm licentiosè vitæ suæ obscœnitate totum mundum inficiunt. Dolere sibi simulant, dum tam magnificè extollitur fides, opera excidere suo gradu. Quid si magis erigantur & stabiliãtur? Non enim aut fidem somniamus bonis operibus vacuam, aut iustificationem quæ sine iis constet. hoc tantùm interest, quòd quum fidem & bona opera necessariò inter se cohærere fateamur, in fide tamen non operibus iustificationem ponimus. Id qua ratione, facilè explicare promptum est si ad Christũ modò cõuertamur, in quem dirigitur fides, & vnde totam vim accipit. Quare ergo fide iustificamur? quia fide apprehẽdimus Christi iustitiã, qua vna Deo recõciliamur. Hanc verò apprehendere non
1.Cor.1.d.30 possis quin & sanctificationem simul apprehẽdas. Datus est enim nobis in iustitiã, sapientiam, sanctificationẽ, redemptionem. Nullũ ergo Christus iustificat quẽ non simul sanctificet. Sunt enim perpetuo & indiuiduo nexu cõiuncta hæc beneficia, vt quos sapiẽtia sua illuminat, eos redimat: quos redimit, iustificet: quos iustificat, sanctificet. Sed quia de iustitia & sanctificatione tantùm quæstio est, in iis sistamus. Inter se distinguamus licet, inseparabiliter tamen vtrãque Christus in se cõtinet. Vis ergo iustitiam in Christo adipisci? Christum antè possideas oportet. possidere autem nõ potes quin fias sanctificationis eius particeps. quia in frusta discerpi non potest. Quũ ergo hæc beneficia, nõnisi seipsum erogando, fruẽda nobis Dominus cõcedat, vtrũque simul largitur: alterũ nũquã sine altero. Ita liquet quàm verũ sit nos nõ sine operibus, neque tamẽ per opera iustificari: quoniã in Christi participatione, qua iustificamur, nõ minus sanctificatio cõtinetur quàm iustitia.

2 Illud quoque falsissimũ est, abduci hominum animos ab affectu bene agẽdi quum illis merendi opinionem tollimus. Obiter hîc monendi sunt lectores, insulsè eos ratiocinari à mercede ad meritum, vt postea clarius explicabo: quia scilicet principiũ illud ignorant, non minus liberalem esse Deum vbi mercedem operibus assignat, quàm dum rectè agendi facultatem largitur. Hoc tamen in suum locum differre malo. Nunc quàm infirma sit eorum obiectio attingere satis erit, quod duobus modis fiet. Nam primò, quod aiũt nullam fore curam bene instituendæ vitæ nisi spe mercedis proposita, tota via errant. Si enim hoc tantùm agitur vt homines mercedem spectent quum Deo seruiunt, & illi suas operas locent aut vendant, parum proficitur. gratis coli vult, gratis amari: hunc, inquam, cultorem probat, qui præcisa omni spe recipiendæ mercedis, colere tamen eum non desinat. Porrò si incitandi sunt homines, nemo possit acriores admouere stimulos quàm à redemptionis ac vocationis nostræ fine: quales adhibet verbum Domini quum tradit nimis impiam esse ingratitudinem non mutuò redamare eum qui nos prior dilexit: sanguine Christi emundari ab operibus mortuis conscientias nostras, ad seruiendum Deo viHeb.9.d.14 uenti: indignum esse sacrilegiũ si semel mundati, nouis sordibus nos inquinantes, sacrum
Luc.1.g.74 illum sanguinem profanamus. Liberatos esse nos è manu hostium nostrorũ, vt sine timore seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitę nostræ: nos à peccato emancipatos esse, vt libero spiritu iustitiam colamus: crucifixum esse veterem no-
Rom.6. c.18 strum hominẽ, vt in vitæ nouitatem resurgamus. Itẽ, si mortui simus cũ Christo (vt decet
Ibidem, a 6 eius membra) quærenda esse quæ sursum sunt, & in mũdo peregrinãdum, vt in cælos ad-
Colos.3.a.1 spiremus vbi est thesaurus noster. In hoc apparuisse gratiã Domini vt abnegata omni im-
Tit.2.c.11 pietate, & mũdanis desideriis, sobriè, sanctè, & piè viuamus in hoc seculo, expectãtes beatam spem, & apparitionẽ gloriæ magni Dei & Saluatoris. Quare nos non esse constitutos
1.Thes.5.b.9 vt irã nobis concitemus, sed vt salutem consequamur per Christum. nos esse templa Spi-
1.Cor.3.c.16 ritus sancti quæ profanari sit nefas. nos tenebras non esse, sed lucem in Domino, quos vt
Ephe.2.d.21, & 5.b.8 filios lucis ambulare oporteat. nos non ad immũditiem vocatos, sed ad sanctitatem. quia
2.Cor.d.16 hæc sit voluntas Dei, sanctificatio nostra, vt nos abstineamus ab illicitis desideriis: voca-
1.Thess.4.b. 7, & a.3 tionem nostram esse sanctam, ei non responderi nisi vitæ puritate. in hoc nos esse libera-
2.Tim.1. c.9 Rom.6. c.18 tos à

tos à peccato, vt iustitiæ obediamus. An incitari ad charitatem vllo viuaciori argumento possimus quàm illo Iohannis, vt mutuò inter nos diligamus, quemadmodum dilexit nos Deus? In hoc differre eius filios à filiis diaboli, filios lucis à filiis tenebrarũ, quia in dilectione manent? Illo item Pauli, Nos, si Christo adhæremus, vnius esse corporis membra, quæ inuicem adiuuari mutuis officiis conueniat? An ad sanctitatem fortius prouocari, quàm dum rursum ab Iohãne audimus, omnes qui habẽt hanc spem, sanctificare seipsos, quoniam Deus eorum sanctus est? Item ex ore Pauli, Vt adoptionis promissione freti mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritus? quàm dum Christum audimus se nobis exemplar proponentem vt sua vestigia sequamur? Iohã.13.a.16 1.Iohã.2.b.11 1.Cor.6.d.17 & 12.b.12 1.Iohã.3.a.3 2.Cor.7.a.1

3 Atque hæc quidem paucula tantùm in gustum proposui. Nam si singula persequi esset animus, longum volumen contexendum foret. Toti paræneſibus, adhortationibus, castigationibus pleni sunt Apostoli, quibus hominem Dei ad omne opus bonum instituant, idque citra meriti mẽtionem. Quin potius inde potissimas ducunt exhortationes, quòd nullo nostro merito, sola Dei misericordia stet nostra salus. Quemadmodum Paulus, vbi tota epistola disseruit nullã esse nobis spem vitæ nisi in Christi iustitia, vbi ad paræneses descendit, per illam Dei miserationem qua nos dignatus est obsecrat. Et sanè hæc nobis vna causa satis esse debuerat vt Deus in nobis glorificetur. Quòd si qui Dei gloria non adeò vehemẽter afficiuntur, memoria tamen beneficiorum eius sufficientissima est, quæ tales ad benefaciẽdum incitet. Verùm isti quia seruilia fortè aliqua coactáque Legis obsequia ingerendis meritis extundũt, mentiuntur nos nihil habere quo ad bona opera exhortemur, quia nõ eadẽ ingredimur via. Quasi verò talibus obsequiis valde oblectetur Deus, qui profitetur se hilarem datorem diligere, & quicquã dari quasi ex tristitia aut necessitate vetat. Neque id dico quòd id vel respuam vel negligã adhortationis genus quod Scriptura sæpenumero vsurpat, ne vllam omittat nos vndique animãdi rationem. Commemorat enim mercedem quam Deus redditurus sit vnicuique secũdum opera sua: sed illud vnicum atque etiam in multis præcipium esse nego. Deinde exordium inde sumendum non concedo. Adhæc, nihil facere ad erigenda qualia isti prædicant merita contendo: quemadmodum postea videbimus. Postremò neque vsui esse nisi doctrina illa præoccupauerit: Solo Christi merito, quod per fidem apprehẽditur, nos iustificari, nullis autem operum nostrorum meritis. quia nulli ad sanctitatis studiũ apti esse possunt nisi qui doctrinam hanc prius imbiberint. Quod & Propheta pulchrè innuit, dum sic Deum alloquitur, Apud te est propitiatio Domine, vt timearis. nullum enim esse Dei cultum ostendit nisi agnita eius misericordia, qua sola & fundatur & stabilitur. Quod apprime notatu dignum est, vt sciamus non modò principium Dei rite colẽdi esse fiduciam misericordiæ eius, sed timorem Dei (quem meritorium esse volunt Papistæ) ideo non posse meriti nomine censeri quia fundatus est in peccatorum venia & remissione. Mat.5.b.16 Chrysost. homil. in Gen. 2.Cor.9.b.7 Psal.130.a.4

4 Longè verò futilissima calumnia, inuitari ad peccandũ homines quũ gratuitã peccatorũ remissionem, in qua collocatã dicimus iustitiam, affirmamus. Tãti enim esse dicimus vt nullo nostro bono pensari possit: ideóque nunquã impetrandã, nisi gratuita foret. Porrò nobis quidem esse gratuitam, Christo non item, cui tam magno constitit: nẽpe suo sacratissimo sanguine, extra quem nullũ satis dignum pretium fuit quòd Dei iudicio soluceretur. Hæc quũ docentur homines, admonentur per ipsos nõ stare quominus toties sanctissimus ille sanguis effundatur quoties peccãt. Ad hoc, discimus eam esse nostram fœditatẽ quæ nisi huius purissimi sanguinis fonte nunquam eluatur. Hæc qui audiũt annon maiorem debent concipere horrorẽ peccati, quàm si bonorum operũ aspersione abstergi diceretur? Et si quid Dei habent, quomodo non horreant semel purificati, denuò se in lutum prouoluere, quò huius fontis puritatẽ quantũ in se est conturbent & inficiant? Laui pedes meos, (inquit fidelis anima apud Solomonem) quomodo rursum inquinabo illos? Nunc palàm est vtri & viliorem peccatorum remissionem faciant, & iustitiæ dignitatem magis prostituant. Illi Deum friuolis suis satisfactionibus, hoc est stercoribus, placari nugantur. nos grauiorem asserimus esse peccati noxam quàm quæ tam leuibus nugis expietur: grauiorẽ Dei offensam quàm quæ his nihili satisfactionibus remittatur. proinde hanc solius sanguinis Christi prærogatiuam esse. Illi iustitiã, sicubi deficiat, instaurari dicunt ac reparari satisfactoriis operibus: nos pretiosiorem esse putamus quàm vt æquari vlla operum compensatione queat. ideo vt restituatur, ad solam Dei misericordiam confugiendum esse. Cætera quæ ad peccatorum remissionẽ pertinent, ex capite proximo petantur. Cant.5.a.3

Promiſsionum Legis & Euangelii conciliatio. CAP. XVII.

NVNC perſequamur alia quoque argumenta quibus Satan per ſuos ſatellites fidei iuſtificationem aut diruere aut deterere molitur. Illud iam excuſſum eſſe puto calumniatoribus, ne nobiſcum perinde agant atque bonorũ operum inimicis. ſiquidem operibus detrahitur iuſtificatio, non vt nulla bona fiant opera, aut bona eſſe negentur quæ fiunt: ſed ne illis fidamus, ne glorie-mur, ne ſalutem adſcribamus. Fiducia enim hæc noſtra eſt, hæc gloria, & vnica ſalutis anchora, quòd Chriſtus filius Dei noſter eſt, ac nos in ipſo viciſſim filii Dei regníque cęleſtis heredes, Dei benignitate, non noſtra dignitate, in ſpem æternæ beatitudinis vocati. Sed quia aliis præterea machinis, vt dictum eſt, nos impetũt: age, in illis quoque propulſandis pergamus. Primùm redeũt ad legales promiſſiones, quas Legis ſuæ cultoribus edidit Dominus: & rogant velimúſne irritas eſſe prorſus an efficaces. Irritas dicere quoniam abſonum ac ridiculum fuerit, pro confeſſo aſſumunt, alicuius eſſe efficaciæ. Hinc ratiocinantur, non ſola fide nos iuſtificari. Sic enim Dominus loquitur, Eritque ſi audieris præcepta & iudicia hæc, cuſtodieríſque ea & feceris, cuſtodiet etiam tibi Dominus pactũ & miſericordiam quã iurauit patribus tuis: diliget te ac multiplicabit, & benedicet tibi, &c. Itẽ, Si bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, nõ ambulaueritis poſt deos alienos, iudicium feceritis inter virum & virum, nec in malitiam receſſeritis, ambulabo in medio veſtri. Nolo mille eiuſdem formę fruſtra recitare, quę quando nihil ſenſu differunt, iſtarum ſolutione explicabuntur. Summa, propoſitam teſtatur Moſes in Lege benedictionem & maledictionem, mortem & vitam. Sic ergo argumẽtantur, aut benedictionem iſtam otioſam infructuoſámque fieri, aut non ſolius eſſe fidei iuſtificationem. Iam ſuprà oſtendimus quomodo ſi in Lege hæreamus, omni benedictione defectis ſola nobis maledictio imminet, quæ vniuerſis tranſgreſſoribus edicta eſt. Non enim promittit Dominus quippiam niſi perfectis Legis ſuæ cultoribus, qualis nemo reperitur. Manet igitur illud, totũ hominum genus per Legem argui, maledictioni & iræ Dei obnoxium: à qua vt ſoluãtur, è poteſtate Legis exire neceſſe eſt, & velut ab eius ſeruitute in libertatem aſſeri: non carnalẽ quidem illam, quæ ab obſeruatione Legis nos ſubducat, ad rerum omnium licẽtiam inuitet, concupiſcentiam noſtram, velut ruptis repagulis, aut effuſis habenis laſciuire permittat: ſed ſpiritualem, quę perculſam & conſternatam conſcientiam ſoletur & erigat, liberam illam oſtendens à maledictione ac damnatione qua illam Lex vinctã ac cõſtrictam premebat. Hanc à ſubiectione Legis liberationem, &, vt ita dicam, manumiſſionem aſſequimur quum per fidem, miſericordiam Dei in Chriſto apprehendimus, qua ſecuri certíque reddimur de peccatorum remiſſione, quorum ſenſu pungebat nos Lex ac mordebat.

Deut.7.b.12 Iere.7.a.3,& c.23

Deut.11.d.26

2 Hac ratione, & quæ in Lege nobis offerebantur promiſſiones, inefficaces forent omnes & irritæ, niſi Dei bonitas per Euangelium ſuccurreret. Hæc enim conditio, vt Legem perficiamus, à qua ipſæ pendent, & à qua demum præſtandæ ſunt, nunquam implebitur. Sic autem opitulatur Dominus, non partem iuſtitiæ in operibus nobis relinquẽdo, partem ex ſua indulgentia ſufficiendo: ſed dum vnicum Chriſtum pro iuſtitiæ complemento aſſignat. Nam Apoſtolus præfatus ſe alióſque Iudæos, ſcientes quòd ex Legis operibus non iuſtificatur homo, in Ieſum Chriſtum credidiſſe: rationem ſubiicit, nõ vt adiuuarentur ad iuſtitiæ ſummam, ex fide Chriſti: ſed vt illa iuſtificarentur, non ex operibus Legis. Si fideles à Lege in fidem demigrant, vt in hac iuſtitiam inueniant, quam abeſſe ab illa vident: certè iuſtitiæ Legis renuntiant. Itaque amplificet nunc qui volet retributiones quæ Legis obſeruatorem manere dicuntur, modò ſimul animaduertat noſtra prauitate fieri ne fructum inde vllum ſentiamus donec aliam ex fide iuſtitiam fuerimus adepti. Sic Dauid, vbi retributionis meminit, quam præparauit ſeruis ſuis Dominus, ſtatim ad peccatorum recognitionem deſcendit, quibus illa eximanitur. Pſalmo etiam 19.d.12, magnificè Legis beneficia deprædicat: ſed continuò exclamat, Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me Domine. Prorſus hic locus cum ſuperiore cõgruit: vbi quum dixiſſet, Cunctas vias Domini bonitatem & veritatem timẽtibus eum: ſubnectit, Propter nomen tuum Domine, propitiaberis prauitati meæ: multa eſt enim. Sic & nos recognoſcere debemus, expoſitam quidem eſſe nobis in Lege Dei beneuolẽtiam, ſi operibus eam demereri liceat: ſed illorum merito nunquam ad nos peruenire.

Galat.2.c.16

Pſal.25.b.10

3 Quid ergo? an datæ ſunt vt ſine fructu euaneſcerent? Iam nuper teſtatus ſum non eſſe id meæ ſententiæ. dico ſanè efficaciam ſuam ad nos non proferre quãdiu ad operum merita

merita respiciunt. quare si in se considerentur, quodãmodo aboleri. Sic præclaram illam promissionem, Dedi vobis bona præcepta, quæ qui fecerit, viuet in ipsis: nullius momenti esse Apostolus docet si in ea re siitamus, nec pilo plus profuturam quàm si data non esset: quia ne sanctissimis quidem Dei seruis cõpetit: qui procul omnes absunt à Legis complemento, multis verò transgressionibus sunt circundati. Sed dum promissiones Euangelicæ substituuntur, quæ gratuitam peccatorum remissionem denuntiant, non efficiunt modò vt ipsi Deo accepti simus, sed vt operibus quoque nostris sit sua gratia. neque hoc tantùm, vt ea Dominus grata habeat, sed benedictionibus etiam, quæ ex pacto debebantur Legis suæ obseruationi, prosequatur. Fateor ergo fidelium operibus repẽdi quæ iustitiæ & sanctitatis cultoribus in Lege sua Dominus promisit: verùm in hac retributione, consideranda semper est causa quæ gratiam operibus conciliet. Eam porrò triplicem esse cernimus. Prima est, quòd Deus auerso à seruorũ suorum operibus intuitu, quæ probrum magis quàm laudem perpetuò merẽtur, ipsos in Christo complectitur, ac sola fide intercedente, citra operum subsidiũ reconciliat sibi. Altera quòd opera, non æstimata eorum dignitate, paterna benignitate atque indulgẽtia, huc honoris attollit vt alicuius pretii habeat. Tertia, quòd ea ipsa cum venia suscipit, non imputata imperfectione, qua omnia inquinata, peccatis magis quàm virtutibus accẽsenda alioqui forẽt. Atq; hinc apparet quãtopere delusi sint sophistæ, qui bellè se absurda omnia euasisse putarunt quum dicerent, non intrinseca sua bonitate valere opera ad salutem demerendam, sed ex pacti ratione: quia Dominus liberalitate sua tanti æstimauit. Atqui non obseruabant interim, quæ meritoria opera esse volebant, quantũ abessent à promissionũ conditione, nisi & iustificatio sola fide subnixa, & peccatorũ remissio, per quam à maculis bona quoque opera abstergi necesse habẽt, præcederet. Itaq; ex tribus diuinæ liberalitatis causis, quibus fit vt accepta sint fideliũ opera, vnam tantùm annotabãt: duas, & eas quidem præcipuas, supprimebãt.

Leuit.18.a.5
Ezec.20.b.11
Rom.10.a.5

4 Citant Petri sententiam quam Lucas in Actis recitat, In veritate comperio quòd non sit personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui facit iustitiã, acceptus est illi. Atque hinc, quod minimè dubium esse videtur, colligunt, si rectis studiis conciliat sibi homo Deum, non solius esse Dei beneficium quòd salutem consequitur. Imò sic pro sua misericordia Deum peccatori succurrere, vt operibus ad misericordiam flectatur. Verùm Scripturas nullo modo conciliare possis nisi duplicẽ hominis apud Deum acceptionem obserues. Qualis enim naturâ est homo, nihil in eo reperit Deus quo ad misericordiã inclinetur, præter vnicam miseriam. Nudum ergo & egenũ omnis boni, omni contrà malorum genere refertum & oneratum hominem si constat esse, vbi primùm à Deo suscipitur: quam ob dotem, quæso, dignum illum cælesti vocatione dicemus? Facessat ergo inanis meritorum imaginatio vbi clementiam Deus tam euidenter commẽdat. Nam quod ibidem Cornelio Angeli voce dicitur, orationes eius & eleemosynas ascendisse in Dei conspectum: pessimè detorquetur ab iis, præparari hominem ad recipiendã Dei gratiam, bonorum operum studio. Iam enim Spiritu sapientiæ illuminatum fuisse Corneliũ oportuit, qui vera sapientia, timore scilicet Dei, præditus erat: eodem Spiritu sanctificatũ, qui iustitiæ cultor erat: quam illius certissimũ esse fructum Apostolus docet. Ea itaque omnia quæ Deo placuisse in eo referuntur, habebat ab illius gratia: tantum abest vt ad eam recipiendam illis suo marte se præpararet. Nulla sanè Scripturæ syllaba proferetur quæ non huic doctrinæ consentiat: non esse aliam Deo causam hominis ad se recipiendi nisi quia modis omnibus perditum videt si sibi relinquatur: perditum autem quia non vult, suam in ipso liberando misericordiam exercere. Nunc videmus vt ista acceptio non hominis iustitiam spectet, sed purum sit diuinæ erga miseros, tantóque beneficio longè indigniffimos peccatores bonitatis documentum.

Act.10.c.34

Galat.5.a.5

5 Postquam verò Dominus hominem ex abysso perditionis reductum, sibi per gratiam adoptionis segregauit: quia illum regenerauit ac reformauit in nouã vitam, iam vt nouam creaturam, cum Spiritus sui donis amplectitur. Hæc illa est acceptio cuius meminit Petrus, qua post suam vocationem Deo fideles approbantur, operum quoque respectu: quia Dominus non amare & osculari nõ potest quæ per Spiritum suum in illis efficit bona. Verùm id semper memoria repetendum est, non aliter operũ ratione illos esse Deo acceptos nisi quia illorum causa & in gratiam, quicquid bonorũ operum contulit, liberalitatẽ suã augẽdo, sua quoque acceptione dignatur. Vnde enim illis bona opera, nisi quòd Dominus illos, quemadmodum vasa in honorem elegit, ita vult vera puritate exornare?

Vnde etiam bona reputantur acſi nihil illis deeſſet: niſi quòd nævis & maculis, quæ illis adhæreſcunt, veniam benignus Pater indulget? In ſumma nihil aliud ſignificat hoc loco quàm gratos eſſe Deo & amabiles ſuos filios in quibus notas & lineamenta vultus ſui videt. Regenerationem enim alibi, imaginis diuinæ reparationem in nobis eſſe docuimus. Quoniam ergo vbicunque faciem ſuam Deus contemplatur, & meritò amat, & in honore habet: non ſine cauſa dicitur illi placere fidelium vita, ad ſanctitatem & iuſtitiam compoſita. Sed quia pii mortali carne circundati, adhuc ſunt peccatores, & opera eorum bona, inchoata duntaxat, & carnis vitium redolẽtia: neque illis neque his propitius eſſe poteſt niſi in Chriſto magis quàm in ſe ipſis amplexetur. In hunc modum accipiendi ſunt loci qui clementem ac miſericordem iuſtitię cultoribus, Deum teſtantur. Dicebat Moſes
Deut.7.b.9 Iſraelitis, Dominus Deus tuus cuſtodiens pactum ac miſericordiam diligẽtibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua, in mille generationes. quæ ſentẽtia in frequentem formulam
1.Reg.8.c.23 vſurpata poſtea à populo fuit. Sic Solomo in ſolenni precatione, Domine Deus Iſrael, qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſeruis tuis qui ambulant corã te in toto corde ſuo. Ea-
Nehe.1.b.5 Deu.29.c.18 dem verba & à Nehemia repetuntur. Siquidẽ vt in omnibus miſericordiæ ſuæ pactis integritatem ac ſanctimoniam vitæ viciſſim à ſeruis ſuis Deus ſtipulatur ne ludibrio ſit ſua bonitas, néve quis inani ob eam exultatione turgidus, benedicat animæ ſuæ, ambulãs interim in prauitate cordis ſui: ita in fœderis communionem admiſſos, vult hac via in officio continere. nihilo tamen minus fœdus ipſum & gratuitum initio feritur, & perpetuò tale manet. Secundum hanc rationem Dauid quanuis prædicet ſibi redditam fuiſſe mercedem puritatis manuum: non tamen fontem illum quem notaui præterit, quòd extra-
2.Sa.22.b.2 ctus fuerit ab vtero, quia Deus eum dilexit: vbi ita commendat cauſæ ſuæ bonitatem, vt nihil deroget gratuitæ miſericordiæ, quæ dona omnia, quorum origo eſt, præuenit.

6 Atque hîc obiter notare profuerit quid diſtent iſtæ loquendi formæ à Legalibus promiſſionibus. Legales promiſſiones appello, non quæ vbique ſparſæ ſunt in libris Moſaicis: (quando in illis quoque Euangelicæ multæ occurrũt:) ſed quæ propriè ad Legis miniſterium pertinent. Eiuſmodi promiſſiones, quocunque nomine vocare libeat, ſub conditione, Si feceris quod tibi præcipitur, paratam eſſe remunerationem denuntiant. At quum dicitur, Dominum cuſtodire pactum miſericordiæ iis qui ſe diligunt, magis demonſtratur quales ſunt illius ſerui, qui bona fide eius fœdus ſuſceperint, quàm exprimatur cauſa cur illis Dominus benefaciat. Hæc porrò demonſtrationis ratio: Quemadmodum in hunc finem æternæ vitæ gratia nos dignatur Deus vt diligatur, timeatur, colatur à nobis: ita quæcunque miſericordiæ in Scriptura promiſſiones habentur, meritò ad hunc diriguntur finem, vt reuereamur & colamus beneficiorum authorem. Quoties ergo audimus ipſum benefacere iis qui Legem ſuam obſeruant, meminerimus Dei filios ab officio deſignari quod in illis perpetuum eſſe debet: hac ratione nos eſſe adoptatos vt ipſum patris loco veneremur. Ne ergo ipſi adoptionis iure nos abdicemus, huc ſemper enitendum quò tendit noſtra vocatio. Id tamen rurſum teneamus, non pendere ab operibus fidelium complementum miſericordiæ Domini: ſed ipſum ideo ſalutis promiſſionem adimplere iis qui vitæ rectitudine ſuæ vocationi reſpondent, quia in illis germana demum filiorum inſignia agnoſcit, qui Spiritu eius ad bonum reguntur. Huc referatur quod eſt in Pſalmo 15.a.1, de ciuibus Eccleſiæ, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte tuo ſancto? Innocens manibus & mundo corde, &c.
Iſa.33.b.14 Item apud Ieſaiam, Quis habitabit cum igne deuorante? Qui facit iuſtitiam, qui loquitur recta, &c. Non enim firmamentum quo fideles coram Domino ſubſiſtãt, deſcribitur: ſed modus quo in ſuum conſortiũ eos clementiſſimus Pater introducit, & in ipſo tuetur & confirmat. Quia enim peccatũ deteſtatur, iuſtitiam amat: quos ſibi coniungit, eos Spiritu ſuo purificat, vt ſibi regnóque ſuo reddat cõformes. Ergo ſi prima cauſa quęratur vnde patefiat ſanctis acceſſus in Dei regnum, vnde habeant vt conſiſtant in eo ac permaneant, prompta eſt reſponſio, Quia Dominus eos ſua miſericordia & adoptauit ſemel, & perpetuò tuetur. Si autem de modo quæſtio eſt, tum ad regenerationem eſt deſcendendum, eiúſque fructus qui Pſalmo illo recenſentur.

7 At verò plus longè difficultatis eſſe videtur in his locis qui & bona opera iuſtitiæ titulo inſigniunt, & hominẽ illis aſſerũt iuſtificari. Plurimi ſunt prioris generis, vbi mandatorum obſeruationes, iuſtificationes vocantur ſeu iuſtitiæ. Alterius generis exemplum
Deut.6.d.25 eſt quod apud Moſen habetur, Erit hæc iuſtitia noſtra, ſi cuſtodierimus præcepta iſta omnia

omnia. At si promissionē esse legalem excipias, quæ adnexa conditioni impossibili, nihil probet, sunt alia de quibus idem respondere non possis, quale est illud, Eritque tibi id pro iustitia coram Domino, reddere pauperi depositum, &c. Itē quod Propheta dicit, zelum in vindicando Israelis probro, imputatum fuisse Phinees in iustitiam. Itaque Pharisæi nostri temporis amplam insultandi materiam hîc se habere putant. Nam quum dicamus, erecta fidei iustitia cedere operū iustificationem, eodem iure argumentātur, Si ex operibus iustitia, ergo falsum est nos sola fide iustificari. Vt dem legis præcepta vocari iustitias, nihil mirum. sunt enim re vera. Quanquam monendi sunt Lectores, Græcos parum aptè vocem Hebraicam HVCIM vertisse δικαιώματα pro edictis. De voce tamen facilè hîtem remitto. Neque verò hoc denegamus Legi Dei quin perfectā iustitiam contineat. Tametsi enim, quia debitores sumus omnium quæ præcipit, etiam plena eius obedientia defuncti, serui inutiles sumus: quia tamen eam honore iustitiæ Dominus dignatus est, non detrahimus quod ille dedit. Fatemur ergo libenter, absolutam Legis obedientiam esse iustitiam: mandati vniuscuiusque obseruationem, esse iustitiæ partem: siquidem in reliquis etiam partibus tota iustitiæ summa constet. Sed extare vsquam talem iustitiæ formā negamus. Atque ideo Legis iustitiam tollimus, nō quòd mācā per se sit ac mutila: sed quòd ob carnis nostræ debilitatem, nusquam compareat. Atqui non modò præcepta Domini simpliciter Scriptura iustitias vocat: sed operibus quoque sanctorum tribuit hoc nomen. Vt quum Zachariam & eius coniugem refert ambulasse in iustitiis Domini. sanè dum ita loquitur, opera magis ex Legis natura æstimat quàm propria ipsorum cōditione. Etsi rursus hîc obseruandum quod nuper dixi, ex incuria Græci interpretis non esse statuendam Legem. Sed quia Lucas in recepta versione nihil mutare voluit, neque ego contendam. Deus enim ea quæ Lege continentur mādauit hominibus in iustitiam: sed eam iustitiam non exequimur nisi totam Legem obseruando. qualibet enim transgressione corrumpitur. Quum ergo Lex nihil nisi iustitiā præscribat, si in ipsam respicimus, iustitiæ sunt singula eius mandata: si homines spectamus à quibus fiunt, iustitiæ laudem minimè consequuntur ex vno opere, in multis trāsgressores, & ex eo opere quod aliqua semper ex parte propter imperfectionem vitiosum est.

Deu.24.c.13

Psal.106.c.30

Luc.1.a.6.

8 Sed venio ad secundū genus, in quo præcipua est difficultas. Nihil magis firmum habet Paulus ad probandam fidei iustitiam, quàm quod de Abraham scribitur, fidem illi suam pro iustitia imputatam fuisse. Quum ergo editum facinus à Phinees imputatum illi fuisse ad iustitiam dicatur: quod de fide contendit Paulus, licebit nobis de operibus ratiocinari. Proinde aduersarii nostri, quasi re euicta, constituunt nos quidem sine fide nō iustificari: sed neque per eam iustificari solam. opera esse quæ iustitiam nostram impleant. Ego hîc pios obtestor, vt si veram iustitiæ regulam ex sola Scriptura petendam norunt, mecum religiosè & seriò expendant quomodo Scriptura secum ipsa sine cauillis ritè conciliari possit. Quum sciret Paulus, fidei iustificationem suffugium esse iis qui propria iustitia deficiuntur: audacter infert, iustitia operum excluſos quicunque fide iustificantur. Quoniam verò constat omnium illam esse fidelium communem, ex eo pari fiducia constituit operibus neminem iustificari: quin magis contrà, nullo operum adminiculo iustificari. Sed aliud est disputare quid per se valeāt opera, aliud quo loco post stabilitam fidei iustitiam habēda sint. Si operibus statuēdum est pro dignitate sua pretium, indigna esse dicimus quæ in conspectum Dei prodeant. ideo nihil operum habere hominem quo apud Deum glorietur. inde omni operum adminiculo exutum, sola fide iustificari. Eam porrò iustitiam definimus, quòd in Christi communionem receptus peccator, eius gratia Deo recōciliatur: dum illius sanguine purgatus peccatorum remissionem obtinet: & iustitia non secus ac propria vestitus, coram cælesti tribunali securus subsistit. Præposita peccatorum remissione, quæ iam sequūtur bona opera aliam quàm à suo merito æstimationem habent: quia quicquid in illis est imperfectum, Christi perfectione contegitur: quicquid næuorum est aut sordium, eiusdem puritate abstergitur, ne in iudicii diuini quæstionem veniat. Obliterata igitur omnium transgressionum culpa, quibus impediuntur homines ne quicquam Deo gratum proferant, sepulto etiam imperfectionis vitio quod bona quoque opera fœdare solet: quæ fiunt à fidelibus bona opera, iusta censentur: vel (quod idem est) in iustitiam imputantur.

Galat.4.a.4?
Psal.106.d.31

9 Nunc mihi siquis istud obiectet ad impugnādam fidei iustitiam, primùm interrogabo num homo iustus censeatur ob vnum aut alterum sanctum opus, reliquis vitæ ope-

ribus Legis transgressor. Plusquam absurdum quidem est. Deinde requiram an ob multa quoque bona opera, si quidem præuaricationis aliqua in parte reus tenetur. Ne hoc
Deu.27.d.26 quidem contendere audebit, reclamante Legis sanctione, maledictósque omnes proclamante qui non omnia Legis mandata ad vltimum impleuerint. Adhęc vltrà progrediar,
Iob.4.d.18 sitne vllũ opus quod nullius impuritatis aut imperfectionis argui mereatur. Et quomodo esset coram iis oculis quibus nec stellæ satis mundæ sunt, nec Angeli satis iusti? Ita nullum extare bonum opus concedere cogetur quod non & appositis sibi transgressionibus, & sua ipsius corruptione pollutum sit, ne iustitiæ honorem teneat. Quòd si constat à iustificatione fidei proficisci vt opera impura alioqui, immunda, dimidiata, indigna Dei conspectu, nedum amore, iustitiæ imputentur: quid huius iactatione destruere illam moliuntur quæ si non esset, hanc frustra iactarent? Vipereúmne partum facere volunt? Eò enim tendunt impiorum dicta. Fidei iustificationem principium, fundamẽtum, causam, argumentum, substantiam operum iustitiæ esse non possunt inficiari: concludunt tamen fide non iustificari hominem, quòd bona quoque opera in iustitiam reputentur. Omittamus ergo istas ineptias, & quod res est fateamur. si à fidei justificatione dependet qualiscunque tandem censetur operum iustitia, non modò per hanc nihil imminui, sed potius confirmari. quo nimirum vis eius potentior elucet. Neque etiam sic putemus cõmendari post gratuitam iustificationẽ opera, vt & ipsa in locũ iustificandi hominis postea succedant, aut eiusmodi officium cum fide partiantur. Nisi enim perpetuò maneat solida fidei iustificatio, illorũ immũdities detegetur. Nihil autem absonũ est, sic fide hominẽ iustificari vt non ipse modò iustus sit, sed opera quoque eius supra dignitatem iusta censeãtur.

10 Hac ratione concedemus, non partialem modò in operibus iustitiam (quod ipsi aduersarii volũt) sed perinde approbari Deo acsi perfecta absolutáque foret. Sed si meminerimus quo fundamẽto fulciatur, soluta erit omnis difficultas. Gratũ enim opus tũc demũ esse incipit vbi cum venia suscipitur. Porrò vnde venia, nisi quia Deus nos & nostra omnia in Christo intuetur? Quemadmodum ergo nos ipsi, vbi in Christum insiti sumus, ideò iusti apparemus coram Deo quia eius innocentia conteguntur nostræ iniquitates: sic opera nostra iusta sunt & habentur, quia quicquid aliâs vitii in ipsis est, Christi puritate sepultum, nõ imputatur. Ita meritò dicere possumus, sola fide non tãtùm nos sed opera etiam nostra iustificari. Iam si ista qualiscunque operum iustitia à fide & gratuita iustificatione pendet, & ab ea efficitur: debet sub eam includi, & tanquam effectus causæ suæ (vt ita loquar) subordinari. tantum abest vt erigi debeat ad illam vel destruendam vel ob-
Rom.4.a.7 scurandam. Sic Paulus, vt extorqueat, beatitudinem nostram Dei misericordia non ope-
Psal.32.a.1 ribus constare, vrget maximè illud Dauidis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Siquis con-
Psal.112.a.1 trà obtrudat innumera elogia quibus videtur beatitudo operibus dari: qualia sunt, Beatus
Pro.14.c.21 vir qui timet Dominum, qui miseretur pauperis, qui non ambulauit in consilio impio-
Psal.1.a.1 rum, qui suffert tentationem: beati qui custodiunt iudicium, immaculati pauperes spiri-
Iacob.1.b.12 tu, mites, misericordes, &c. non efficient quominus verum sit quod ait Paulus. Quoniam
Psal.106.a.3, & 119.1 enim illa quæ prædicantur, omnia nunquam sic sunt in homine vt Deo propterea id ap-
Mat.5.a.3 probetur, conficitur, miserum semper esse hominem nisi à miseria per veniam peccatorum eximatur. Quoniam ergo vniuersa quæ Scripturis extolluntur beatitudinis genera, irrita concidunt, vt nullius fructum percipiat homo donec beatitudinẽ peccatorum remissione adeptus fuerit, quæ deinde illis locum faciat: sequitur hanc esse non modò summam & præcipuam, sed vnicam: nisi fortè velis ab illis eneruari quæ in ea sola consistunt. Multò iam minus rationis est cur nos conturbare debeat appellatio iustorum, quæ fidelibus plærunque tribuitur. Iustos certè à vitæ sanctimonia nuncupari fateor: sed quum in iustitiæ studium magis incumbant quàm iustitiam ipsam impleant, qualemcunque hanc iustitiam, fidei iustificationi cedere par est, vnde habet id quod est.

11 Sed enim cũ Iacobo plus adhuc negotii nobis restare aiunt, vtqui aperta voce no-
Iacob.1.b.12 bis repugnet. Docet enim & Abrahã ex operibus fuisse iustificatũ, & nos quoque omnes operibus iustificari, non sola fide. Quid igitur? pertrahéntne in certamen Paulum cum Iacobo? Si Iacobum prò Christi ministro habent, sic accipienda est eius sentẽtia, ne à Christo per os Pauli loquente dissentiat. Spiritus per os Pauli asserit, Abraham fide, non operibus iustitiam fuisse consequutum: nos quoque fide docemus omnes sine operibus Legis iustificari. Idẽ Spiritus per Iacobũ tradit, & Abrahæ & nostram iustitiã operibus, non fide tan-

fide tantùm conſtare. Spiritum ſecum non pugnare, certum eſt. Quæ erit ergo iſtorum concordia? aduerſariis abundè eſt ſi cõuellerint quam nos altiſſimis radicibus ſtabilitam volumus fidei iuſtitiam: ſuam autem cõſcientiis tranquillitatem reddere, nõ magnæ curæ eſt. Vnde videas quidem eos fidei iuſtificationem arrodere, ſed nullam interim conſtituere iuſtitiæ metam vbi conſcientiæ ſiſtantur. Triumphent ergo vt libet, modò non aliam iactare victoriam poſſint quàm omnem iuſtitiæ certitudinem ſe ſuſtuliſſe. Ac miſeram quidem hanc victoriam obtinebũt, vbi extincta veritatis luce, mendaciorũ tenebras offundere illis Dominus permittet. Vbicunque autem ſtabit Dei veritas, nihil proficiẽt. Nego itaque Iacobi ſententiam, quam aſſiduè tanquam Achillis clypeum nobis obtendunt, illis vel tantillum ſuffragari. Id quo planum fiat, intuendus primùm erit Apoſtoli ſcopus: deinde obſeruandum vbi hallucinentur. Quoniam tum erant plerique (quod malum in Eccleſia perpetuum eſſe ſolet) qui infidelitatem ſuam manifeſtè prodebant, quæcunque propria ſunt fidelium opera negligẽdo ac omittendo, falſo tamen fidei nomine gloriari non deſinebant: ſtolidam talium fiduciam hîc eludit Iacobus. Non eſt ergo illi propoſitum veræ fidei vim vlla ex parte deterere, ſed oſtendere quàm ineptè nugatores iſti vacuæ eius imagini tantum arrogarent, vt hac contenti ſecurè diffluerent in omnem vitiorum licentiam. Hoc ſtatu concepto, facile erit animaduertere vbi peccẽt noſtri aduerſarii. Incidunt enim in duplicem paralogiſmum: alterum in fidei vocabulo, alterum in verbo iuſtificandi. Quòd fidem nominat Apoſtolus, inanem opinionem procul à fidei veritate diſſitã, conceſſionis eſt quæ nihil cauſæ derogat. quod ab initio ipſe demonſtrat his verbis, Quid prodeſt, fratres mei, ſiquis fidem dicat ſe habere, opera autẽ non habeat? non dicit, Si fidẽ quis habeat ſine operibus: ſed, Si iactet. Clarius etiam paulo pòſt, vbi deteriorẽ diabolica notitia per ludibriũ facit: poſtremò vbi mortuam vocat. Sed à definitione ſufficienter deprehẽdas quid velit. Tu credis, inquit, quòd Deus eſt. ſanè ſi nihil in iſta fide continetur niſi vt credatur Deum eſſe, iam nihil mirum eſt ſi non iuſtificet. Nec verò dum hoc illi adimitur, quicquã derogari putemus fidei Chriſtianæ, cuius longè diuerſa eſt ratio. Quo enim modo vera fides iuſtificat, niſi dũ nos Chriſto conglutinat, vt vnũ cum illo facti, participatione iuſtitiæ eius fruamur? non ergo eo iuſtificat quòd diuinæ ſentiæ notitiam concipiat: ſed quòd in miſericordiæ certitudine recumbit.

12 Nondum ſcopum attigimus, niſi diſcutiamus & alterum paralogiſmum. ſiquidem iuſtificationis partẽ in operibus Iacobus reponit. Si & reliquis Scripturis, & ſibiipſi conſentaneum Iacobum facere velis, neceſſarium eſt, Iuſtificandi verbum alio ſignificatu accipere quàm apud Paulum. Iuſtificari enim dicimur à Paulo, quum obliterata iniuſtitiæ noſtræ memoria, iuſti reputamur. Eò ſi ſpectaſſet Iacobus, præpoſterè citaſſet illud ex Moſe, Credidit Abraham Deo, &c. Sic enim contexit, Abraham operibus cõſequutus eſt iuſtitiam quòd filium immolare, iubente Deo, non dubitauit. Atque ita impleta eſt Scriptura, quæ dicit illum credidiſſe Deo, & imputatum ei ad iuſtitiam. Si abſurdum eſt, effectum eſſe ſua cauſa priorem, aut falſò teſtatur Moſes eo loco, imputatam fuiſſe Abrahæ fidem in iuſtitiam, aut ex ea quam in Iſaac offerendo præſtitit obedientia, iuſtitiã non fuit promeritus. Nondum concepto Iſmaele, qui iam adoleuerat antequam Iſaac naſceretur, fide ſua iuſtificatus fuit Abraham. Quomodo igitur dicemus obedientia diu pòſt ſequuta iuſtitiã ſibi cõparaſſe? Quare aut perperam ordinem inuertit Iacobus (quod cogitare eſt nefas) aut iuſtificatum noluit dicere, quaſi promeritus ſit vt iuſtus cenſeretur. Quid ergo? Certè de iuſtitiæ declaratione, non autem imputatione ipſum loqui apparet. acſi diceret, Qui vera fide iuſti ſunt, ii ſuam iuſtitiam obedientia boniſque operibus probant nõ nuda & imaginaria fidei larua. In ſumma, non diſputat qua ratione iuſtificemur: ſed iuſtitiã operatricem à fidelibus requirit. Et quemadmodum Paulus citra operum adminiculum iuſtificari contendit: ita hîc iuſtos haberi non patitur qui bonis careant operibus. Huius ſcopi conſideratio nos omni ſcrupulo extricabit. nam hinc præcipuè fallitur noſtri aduerſarii, quòd putant Iacobum iuſtificationis rationem definire: quum nihil aliud ſtudeat quàm prauam eorum ſecuritatem diruere qui excuſando bonorũ operum contemptui fidẽ inaniter obtendebant. Ergo quoſlibet in modos Iacobi verba torqueãt, nihil præter duas ſententias expriment, Inane fidei ſpectrum nõ iuſtificare, & fidelem, tali imaginatione non contentum, operibus bonis ſuam iuſtitiam declarare.

13 Quod autẽ ex Paulo in eundẽ ſenſum citant, minimũ eos iuuat, Factores Legis, nõ auditores iuſtificari. Nolo ſolutione Ambroſii euadere, ideo eſſe illud dictũ quia com- Rom. 2. b. 13

plementum Legis sit in Christum fides. Video enim merum esse effugiũ, quo nihil opus est vbi aperta patet via. Illic stolida confidentia Iudæos deiicit Apostolus, qui sola Legis agnitione se venditabant, quum interim summi essent eius cõtemptores. Ne ergo nuda Legis peritia tantopere sibi placerent: admonet, si ex Lege quæratur iustitia, nõ eius notitiam sed obseruationem quæri. Nos certè istud in dubium non vocamus quin Legis iustitia consistat in operibus: ac ne illud quidem, quin consistat in operũ dignitate & meritis iustitia. Sed nondum probatum est operibus nos iustificari, nisi vnum aliquem proferant qui Legem impleuerit. Non aliud autẽ sensisse Paulum erit satis amplo testimonio orationis contextus. Postquam Gentes ac Iudæos in cõmune iniustitię damnauerat, tum ad distributionem descẽdit, ac dicit eos qui sine Lege peccauerũt, sine Lege perire: quod ad Gentes refertur. qui verò in Lege peccauerunt, per Legem iudicari: quod Iudæorum est. Porrò quoniam illi suis præuaricationibus conniuentes, sola Lege superbiebant: adiungit quod optimè congruebat, non ideo latam esse Legem vt audita solummodo eius voce iusti redderentur: sed tum demũ si obedirent. ac si diceret, In Lege quæris iustitiam? ne auditum eius prætexas, qui parui est per se ponderis: sed afferas opera quibus declares Legem non tibi frustra positam. His quoniam deficiebantur omnes, sequebatur, Legis gloriatione esse spoliatos. Itaque contrarium potius ex mente Pauli argumentum formandum est, iustitia Legis in operum perfectione sita est. nemo iactare potest se per opera Legi satisfeciſse. nulla ergo est à Lege iustitia.

14 Iam & ex locis illis pugnant quibus suam iustitiam fideles examinãdam Dei iu-
Psal.7.c.9 dicio audacter offerunt, ac secundum eam de se statui cupiunt. Quales sunt, Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam, quæ sunt in me.
Psal.17.a.1 Item, Exaudi Deus iustitiam meam. Probasti cor meũ & visitasti nocte, & non est inuen-
Psal.18.d.21 ta in me iniquitas. Item, Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum rependet mihi. Quia custodiui vias Domini, nec im-
Psal.26.a.1 piè defeci à Deo meo. Et ero immaculatus, & obseruabo me ab iniquitate mea. Item, Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ambulaui. Non sedi cum viris mẽdacibus,
Ibidem,c.9 cum iniqua gerentibus non introibo. Ne perdas cum impiis animam meam, cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera quorum repleta est muneribus. Ego autem innocenter ambulaui. Dixi suprà de fiducia quam sibi sancti simpliciter ob operibus sumere videntur. Quæ autẽ huc adduximus testimonia nos non valde impedient si secundum suam περίστασιν, hoc est complexum, vel, (vt vulgo loquuntur) circunstãtiam, accipiantur. Ea porrò duplex est. nam nec de ipsis in vniuersum quæstionem haberi volunt, vt pro totius vitæ tenore vel damnentur vel absoluantur: sed speciale causam in iudicium disceptandam afferunt: nec diuinæ perfectionis respectu, sed ex improborũ ac scelestorum comparatione iustitiam sibi arrogant. Primùm, quũ de homine iustificando agitur, non tantùm quæritur vt bonam in re aliqua particulari causam habeat: sed perpetuam quandã tota vita iustitiæ symmetriam. Atqui sancti, dum ad comprobandam suam innocentiam Dei iudicium implorant, non seipsos omni noxa solutos & omni ex parte inculpatos offerunt: sed quum in sola eius bonitate salutis fiduciam defixerint, confisi tamen esse vindicem pauperum præter ius & æquitatem afflictorũ, profectò causam in qua innocentes opprimũtur, illi cõmendant. Dum verò secum aduersarios ad tribunal Dei sistunt, non iactant innocentiam quæ Dei puritati respõsura sit si seuerè conquiratur: sed quia præ aduersariorum malitia, improbitate, astutia, nequitia, syncéritatem, iustitiam, simplicitatem, puritatémque suam Deo compertam gratámque esse norunt: non reformidant, inter se & illos iudicẽ inuocare. Sic quũ Dauid Sauli dicebat,
1.Sa.26.d.23 Reddat Dominus vnicuique secundum iustitiam & veritãtem eius: non intelligebat vt Dominus vnumquenque per se examinaret ac muneraretur pro meritis: sed Dominum attestabatur quanta esset sua innocẽtia prævt erat Saulis iniquitas. Ac ne Paulus quidem,
2.Cor.1.c.12 quum hac gloriatione se iactat quòd bonũ habeat conscientiæ testimonium, se cum simplicitate & integritate versatũ esse in Ecclesia Dei, vult eiusmodi gloriatione apud Deum niti: sed coactus impiorum calumniis, fidem ac probitatẽ suam, quam diuinæ indulgentiæ acceptam esse sciebat, aduersus quamlibet hominum maledicẽtiam asserit. Videmus
1.Cor.4.a.4 enim quid alibi dicat, se nihil esse sibi malè conscium, sed non in hoc iustificari. Quia scilicet intelligebat, iudicium Dei humanam lippitudinẽ longè transcẽdere. Vtcunque ergo pii contra impiorũ hypocrisin suam innocentiã Deo teste ac iudice defendant: vbi tamen

cum

cum solo Deo negotium est, omnes vno ore clamant, Si iniquitatem obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Item, Ne ingrediaris in iudicium cum seruis tuis: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. suisque operibus diffisi, libēter canunt, Bonitas tua melior quàm vita. Psal.130.a.3, & 143.a.2 Psal.36.a.4

15 Sunt & alii non absimiles superioribus loci, in quibus subsistere etiamnum quis possit. Dicit Solomon, eum qui ambulat in integritate sua, iustum esse. Itē, In semita iustitiæ esse vitam, ac in ea ipsa non esse mortē. Qua ratione Ezechiel perhibet vita victurum qui iudiciū ac iustitiam fecerit. Nihil eorum vel inficiamur, vel obscuramus. Sed prodeat vnus ex filiis Adam cum tali integritate. Si nemo est, aut pereant à cōspectu Dei oportet, aut ad misericordiæ asylum confugiant. Neque interim negamus quin fidelibus sua integritas, dimidiata licet ac imperfecta, gradus sit ad immortalitatem. Sed vnde id, nisi quoniam quos in fœdus gratiæ assumpsit Dominus, eorū opera non excutit pro meritis, sed paterna benignitate osculatur? Quo non tantùm intelligimus quod tradunt Scholastici, à gratia acceptāte habere opera suū valorem. Illi enim sentiunt, imparia alioqui opera ex Legis pacto saluti cōparandæ, in æqualitatis tamen pretium Dei acceptione euehi. Ego autem dico, ea, tum aliis transgressionibus, tum suis ipsorum maculis inquinata, nō aliud valere nisi quòd Dominus veniam vtrisque indulget. quod est, gratuitā homini iustitiam largiri. Neque tempestiuè hîc obtruduntur illæ Apostoli precationes, vbi tantam fidelibus perfectionem optat, vt sint inculpati & irreprehēsibiles in die Domini. Hæc quidem verba Cælestini valde olim exagitabant, ad perfectionem iustitiæ in hac vita asserendam. Sed quod arbitramur sufficere, breuiter post Augustinum respondemus: ad hāc quidem metā aspirare pios omnes debere vt immaculati aliquando & inculpati appareāt coram Dei facie. sed quia optima & præstantissima vitæ prę̄sentis ratio nihil aliud est quàm profectus, ad eam metam nos tum demum peruenturos vbi hac peccati carne exuti, Domino ad plenum adhærebimus. Neque tamen pertinaciter cum eo litigabo qui perfectionis titulum sanctis tribuere volet: modò eam quoque Augustini ipsius verbis definiat. Perfectam, inquit, sanctorum virtutem quum nominamus, ad ipsam perfectionem pertinet etiam imperfectionis tum in veritate tum in humilitate cognitio. Prou.20.a.7 & 12.d.28. Ezec.18.b.9 e.21, & 33.d. 15 Ephe.1.a.4 1.Thess.3.d. 13, & alibi. Li.ad Bonif. 3.cap.7

Ex mercede malè colligi operum iustitiam.

CAP. XVIII.

TRANSEAMVS nunc ad eas sententias quæ affirmant Deum vnicuique redditurū secundum opera sua. cuiusmodi sunt, vnusquisque referet quod gessit in corpore, siue bonū siue malum. Gloria & honor operanti bonum. tribulatio & angustia in omnē animā operantis malum. Et, Ibūt qui bona egerint, in resurrectionē vitæ: qui malè fecerint, in resurrectionē iudicii. Venite benedicti Patris mei: esuriui, & dedistis mihi cibum: sitiui, & potum tribuistis, &c. Atque illis quoque eas coniungamus quæ mercedē operum appellant vitam æternā: quo in genere sunt, Retributio manuum hominis restituetur ei. Qui timet mandatum, remunerabitur. Gaudete & exultate: ecce merces vestra copiosa est in cælis. Vnusquisque mercedē accipiet secundum laborem. Quòd vnicuique dicitur redditurus Deus secundum opera, partim ad misericordiæ asylum confugiant. Neque interim negamus quin fidelibus sua integritas, dimidiata licet ac imperfecta, gradus sit ad immortalitatem. Sed vnde id, nisi quoniam quos in fœdus gratiæ assumpsit Dominus, eorū opera non excutit pro meritis, sed paterna benignitate osculatur? Quo non tantùm intelligimus quod tradunt Scholastici, à gratia acceptāte habere opera suū valorem. Illi enim sentiunt, imparia alioqui opera ex Legis pacto saluti cōparandæ, in æqualitatis tamen pretium Dei acceptione euehi. Ego autem dico, ea, tum aliis transgressionibus, tum suis ipsorum maculis inquinata, nō aliud valere nisi quòd Dominus veniam vtrisque indulget. quod est, gratuitā homini iustitiam largiri. Neque tempestiuè hîc obtruduntur illæ Apostoli precationes, vbi tantam fidelibus perfectionem optat, vt sint inculpati & irreprehēsibiles in die Domini. Hæc quidem verba Cælestini valde olim exagitabant, ad perfectionem iustitiæ in hac vita asserendam. Sed quod arbitramur sufficere, breuiter post Augustinum respondemus: ad hāc quidem metā aspirare pios omnes debere vt immaculati aliquando & inculpati appareāt coram Dei facie. sed quia optima & præstantissima vitæ prę̄sentis ratio nihil aliud est quàm profectus, ad eam metam nos tum demum peruenturos vbi hac peccati carne exuti, Domino ad plenum adhærebimus. Neque tamen pertinaciter cum eo litigabo qui perfectionis titulum sanctis tribuere volet: modò eam quoque Augustini ipsius verbis definiat. Perfectam, inquit, sanctorum virtutem quum nominamus, ad ipsam perfectionem pertinet etiam imperfectionis tum in veritate tum in humilitate cognitio. Mat.16.d.27 2.Cor.5.b.10 Rom.2.a.6 Iohā.5.c.29 Mat.25.c.34 Prou.12.c.14 & 13.c.13 Mat.5.b.12 Luc.6.d.23 2.Cor.3.b.8 Rom.2.a.6 Ibid.8.f.30 Phili.2.b.12 Iohā.6.c.27 Philip.1.a.6

2 Ex mercedis nomine nō est cur opera nostra ratiocinemur causam esse salutis. Prin-

cipio istud sancitum sit in cordibus nostris, regnum cælorum non seruorum stipẽdium,
Ephes.1.d.18 sed filiorum esse hereditatẽ: quam soli potientur qui à Domino in filios cooptati fuerint:
Gala.4.d.30 neque vllam aliam ob causam quàm ob hanc adoptionem. Non enim erit heres filius ancillæ, sed filius liberæ. Adeóque in iis ipsis locis quibus gloriam æternam mercedem operibus fore pollicetur Spiritus sanctus, hereditatem nominatim exprimendo, aliunde no-
Mat.25.e.34 bis prouenire demonstrat. Sic Christus opera recẽset, quæ cæli remuneratione compensat dum in eius possessionem electos vocat: sed simul adiungit, hereditatis iure possidendum.
Colo.3.d.24 Sic Paulus iubet seruos, fideliter agentes quod officii sui est, sperare retributionem à Domino: sed addit hereditatis. Videmus vt quasi præscriptis verbis diligenter caueant ne acceptam feramus operibus æternam beatitudinem, sed Dei adoptioni. Cur ergo simul
Genes.1.5.a. operum mentionem faciunt? Vno Scripturæ exemplo ista quæstio eluceſcet. Ante nati-
5, & 17.a.1 uitatem Isaac, promissum erat Abrahæ semen in quo benedicendæ erãt omnes terræ nationes: seminis propagatio quæ æquatura esset stellas cæli, & arenas maris, aliáque similia.
Gen.22.a.3 Multis pòst annis, vt erat oraculo iussus, Abraham ad filium immolãdum se accingit. Ista
Ibidẽ, c.17 obediẽtia defunctus, recipit promissionem. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hãc rem, & non pepercisti proprio filio vnigenito: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & arenas maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Quid audimus? an obediẽtia sua promeritus est benedictionem Abraham, cuius promissionem receperat antequam ederetur præceptum? Hîc profectò citra ambages tenemus, iis bonis munerari Dominum fidelium opera quæ illis iam ante cogitata opera dederat: nihil dum causæ habens cur ipsis benefaceret nisi suam misericordiam.

3 Neque tamen frustratur aut ludit nos Dominus quum ait se operibus rependere quod gratis ante opera donauerat. Quia enim bonis operibus vult nos exerceri ad meditandam eorum quæ promisit exhibitionem vel fruitionem, vt ita loquar, ac per ea decurrere, vt contendamus ad beatã spem nobis propositam in cælis, ritè & illis assignatur promissionum fructus, ad cuius maturitatem nos perducunt. Eleganter expressit vtrunque
Coloss.1.a.4 Apostolus, quum diceret officiis charitatis studere Colossenses, propter spem in cælis sibi repositam, de qua antè audierant per sermonem veracis Euãgelii. Nam quum ait eos ex Euangelio cognouisse spem sibi in cælis repositã, declarat solo Christo, nullis autem suf-
1.Pet.1.a.5 fultam operibus. cui concinit illud Petri, Custodiri pios Dei virtute per fidem, in salutem quæ parata est manifestari suo tempore. Dum ipsos ait eius causa laborare, significat currendum esse fidelibus toto vitæ spatio vt apprehendãt. Ne verò putaremus ad meriti mo-
Mat.20.a.1 dum redigi quam nobis Dominus mercedem pollicetur, parabolam proposuit, in qua se fecit patremfamiliâs, qui quoscunque habet obuios, mittit in vineæ suæ culturã: alios quidem hora diei prima, alios secunda, alios tertia, quosdam etiam vndecima: vesperi rependit omnibus æquale pretium. Cuius interpretationẽ breuiter & verè complexus est quicunque sit ille tandem vetustus scriptor, cuius liber de vocatione Gentium sub Ambro-
Lib.1.cap.3 sii nomine fertur. Eius verbis potius quàm meis vtar. Huius, inquit, comparationis regula Dominus multimodæ vocationis varietatem ad vnam gratiam pertinẽtem adstruxit: vbi sine dubio qui hora vndecima intromissi in vineam totius diei operariis exæquãtur, eorum præferunt sortem quos ad commendandam gratiæ excellentiam, in defectu diei, & conclusione vitæ, diuina indulgentia munerauit: non labori pretium soluens, sed diuitias bonitatis suæ in eos, quos sine operibus elegit, effundens: vt etiam qui in multo labore sudarunt, nec amplius quàm nouissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ non operum accepisse mercedem. Postremò hoc quoque notatu dignum est, in his locis, vbi vita æterna merces operum vocatur, non simpliciter pro illa communicatione accipi quam habemus cum Deo ad beatam immortalitatem, quum nos paterna beneuolentia in Christo amplectitur: sed pro beatitudinis possessione vel fruitione, vt vocant, sicut
Mat.10.d.30 etiam sonant ipsa Christi verba, In futuro vitam æternam. Et alibi, Venite, possidete re-
Mat.25.d.34 gnum, &c. Hac ratione & Paulus vocat adoptionem, reuelationem adoptionis quæ in re-
Rom.8.d.18 surrectione fiet: ac postea interpretatur, redemptionem corporis nostri. Alioqui autem quemadmodum alienatio à Deo æterna mors est, sic quum homo in gratiam à Deo recipitur vt cõmunicatione eius fruatur, vnúmque cum eo fiat, transfertur à morte ad vitam. id quod fit solius adoptionis beneficio. Et si more suo pertinaciter vrgeant operum mer-
1.Pet.1.b.9 cedem, regerere illud Petri licebit, vitam æternam fidei esse mercedem.

4 Itaque

4 Itaque ne cogitemus Spiritum sanctum huiusmodi promissione commendare operum nostrorũ dignitatem, acsi talem mercedem mereãtur. Nihil enim nobis Scriptura reliquum facit quo in conspectu Dei exaltemur. Quin potius tota in hoc est vt arrogantiam nostram retundat, nos humiliet, deiiciat, & prorsus conterat. Verùm nostræ imbecillitati sic occurritur: quæ statim alioqui collaberetur ac concideret, nisi hac se expectatione sustineret ac solatio leniret sua tædia. Primùm quàm durũ sit, nõ modò sua omnia, sed se quoque ipsum relinquere & abnegare, reputẽt pro se quisque singuli. Et tamen hoc tyrocinio discipulos suos, hoc est pios omnes, Christus initiat. Deinde sic per omnem vitam sub crucis disciplina erudit, ne cor adiiciant ad bonorũ præsentium vel cupiditatẽ vel fiduciam. Breuiter sic ferè tractat, vt quocunque flectãt oculos quàm longè hic mundus patet, nonnisi desperationem sibi vbique obuersantem habeant, vt Paulus dicat, miserabiliores esse nos omnibus hominibus, si in hoc mundo dũtaxat speremus. In his tantis angustiis ne deficiãt, adest illis Dominus, qui monet vt altius caput exerant, & longius oculos coniiciant, beatitudinem, quam in mundo non vident, apud se reperturos. hanc beatitudinem, præmium, mercedem retributionem vocat: non operum æstimans meritum, sed compensationem esse significans eorum pressuris, passionibus, cõtumeliis, &c. Quamobrem nihil obest quominus vitam æternam remunerationem, Scripturæ exemplo, vocemus: quòd in ea Dominus suos ex laboribus in quietem, ex afflictione in prosperum & optabilem statum, ex mœstitia in gaudium, ex paupertate in affluentiam, ex ignominia in gloriã recipiat. omnia denique quæ perpessi sunt mala, bonis maioribus permutet. Sic & nihil erit incõmodi si vitæ sanctitatem, existimemus esse viam: non quidem quæ aditum aperiat in gloriã cælestis regni, sed qua electi à Deo suo in eius manifestationem ducantur. Quando hæc bona eius voluntas est, glorificare quos sanctificauit. Tantùm ne correlationem meriti ac mercedis imaginemur, in qua importunè hærent Sophistę, quia istum quem exponimus finẽ non considerant. Quàm autem præposterum est, vbi in vnum finem vocat nos Dominus, aliorsum respicere? Nihil clarius est quàm ad subleuandã aliquo solatio carnis nostræ debilitatẽ, nõ autem ad inflãdos gloria animos, mercedẽ bonis operibus promitti. Qui ergo meritũ operũ inde colligit, vel appẽdit in trutina opus cũ mercede, à recto Dei scopo lõgissimè aberrat.

1.Corin. 15. c.19

Rom.8. f.30

5 Proinde quum Scriptura dicit, Deum iustum iudicem redditurum olim suis iustitiæ coronam, non tantùm cum Augustino excipio, Cui redderet iustus iudex coronam, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodo esset iustitia nisi præcessisset gratia quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa indebita darentur? sed aliud etiam addo, Quomodo iustitiam imputaret nostris operibus, nisi quod iniustitiæ in illis est, absconderet sua indulgentia? Quomodo censeret digna mercede, nisi quod in illis pœna dignum est, immensa benignitate aboleret? Solet enim ille vir gratiam nominare vitam æternam, quia gratuitis Dei donis reddatur dum operibus rependitur. At Scriptura nos vltrà humiliat & simul erigit. Nam præterquam quòd in operibus gloriari vetat, quia sunt gratuita Dei dona, simul fœcibus quibusdam semper inquinata esse docet: vt Deo satisfacere non possint si ad iudicii eius regulã examinentur; sed, ne concidat nobis alacritas, mera venia placere. Etsi autem paulo aliter Augustinus quàm nos loquitur: in re tamen nõ ita dissentire constabit ex eius verbis, libro ad Bonifacium tertio. Vbi quum inter se duos contulisset homines, alterum vitæ vsque ad miraculum sanctæ & absolutæ: alterum probum quidem & integris moribus, nõ tamen adeò perfectum quin desiderari in eo multum queat: tandem infert, Nempe iste qui moribus illo videtur inferior, propter rectã in Deum fidem ex qua viuit & secundũ quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deũ laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam: atque ab ipso sumens & indulgẽtiam peccatorum & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, in consortium Christi migrat. Quare, nisi propter fidem? quæ licet sine operibus neminem saluat (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipsam etiam peccata soluuntur, quia iustus ex fide viuit. sine ipsa verò quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Hîc certè non obscurè fatetur quod tantopere contendimus, inde pendêre bonorũ operum iustitiam quòd per veniam Deo approbantur.

2.Tim.4.b.8 Augusti. ad Valent. De gratia, & lib. arb.

Cap.5.

Haba. 2.a.4

6 Superioribus locis proximum sensum habent isti: Facite vobis amicos de mamona iniquitatis: vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Diuitibus

Luc.16.f.9

1.Tim. 6. d. 17 huius ſeculi præcipe non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incertis diuitiis, ſed in Deo viuo: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, theſaurizare ſibi fundamentũ bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Opibus enim comparantur bona opera, quibus in beatitudine vitæ æternæ fruamur. Reſpondeo, nos ad veram eorum intelligentiam nunquam acceſſuros niſi oculos in ſcopum conuertamus quò ſua verba Spiritus dirigit. Si verum eſt quod ait Chriſtus, Ibi animum noſtrum reſidere vbi eſt theſaurus noſter: quemadmodum filii ſeculi intenti eſſe ſolent ad ea comparanda quæ ad præſentis vitæ delicias faciunt: ita fidelibus videndum eſt, poſtquam hanc vitam inſtar ſomnii mox euanituram didicerunt, vt ea quibus verè frui volunt, eò tranſmittant vbi ſolidam vitam ſunt habituri. Quod ergo faciunt qui dimigrare inſtituunt in locum aliquem, vbi perpetuam vitæ ſedem elegerunt, nobis imitandum eſt. præmittunt illi ſuas facultates, neque illis ad tempus ægrè carent: quia ſe beatiores eo putant quo plus habent bonorum vbi diu ſunt futuri. Nobis ſi cælum patriam eſſe credimus, illuc potius tranſmittere opes noſtras conuenit, quàm hîc retinere vbi ſubita migratione peritura nobis ſint, Quomodo autem trãſmittemus? nempe ſi pauperum neceſſitatibus communicamus: quibus quicquid erogatur, ſibi datũ Dominus imputat. Vnde egregia illa promiſſio: Qui largitur pauperi, Domino fœneratur. Item, Qui benignè ſeminat, benignè metet. Depõnuntur enim in manum Domini quæ fratribus ex charitatis officio impenduntur. Ille, vt eſt bonæ fidei depoſitarius, olim reſtituet cũ copioſo fœnore. Ergóne tanti ſunt apud Deum noſtra officia vt ſint in eius manu quaſi reconditæ nobis opes? Et quis horreat ita loqui, quum toties ac tam apertè id teſtetur Scriptura? Cæterùm ſiquis à mera Dei benignitate tranſilire velit ad operum dignitatem, his teſtimoniis ad errorem aſtruendũ nihil iuuabitur. Nihil enim ritè inde colligas niſi merã diuinæ erga nos indulgẽtiæ propenſionẽ: quandoquidẽ quo nos ad benefaciendũ animet, quãlibet vel ſolo eius intuitu indigna ſint quę illi exhibemus obſequia, nullũ tamẽ perditũ ſinit.

Mat. 6. c. 21

Matth. 25. d. 40

Pro. 19. c. 17

2. Cor. 9. b. 6

7 Sed magis vrgent Apoſtoli verba: qui dum Theſſalonicenſes in tribulationibus conſolatur, eas immitti illis docet vt digni habeantur regno Dei pro quo patiuntur. Siquidem, inquit, iuſtum eſt apud Deum, reddere iis qui vos affligũt, afflictionem: vobis autem relaxationem nobiſcum, quum reuelabitur Dominus Ieſus è cælo. Author verò epiſtolæ ad Hebræos, Non eſt, inquit, iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, quòd miniſtraſtis ſanctis. Ad priorem locum reſpondeo, Nullã illic meriti dignitatem ſignificari: ſed quia Deus pater vult nos, quos elegit filios, Chriſto primogenito conformari: ſicut oportuit illum primò pati, & tũ demum intrare in gloriam ſibi deſtinatam: ita & nos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum. Tribulationes ergo dum patimur pro Chriſti nomine, quædam veluti notæ imprimũtur nobis quibus oues gregis ſui Deus ſignare ſolet. Hac ergo ratione digni habemur regno Dei, quia ſtigmata Domini noſtri & magiſtri portamus in corpore, quæ ſunt filiorum Dei ſigna. Huc & illæ ſententiæ pertinent, Nos circunferre mortificationẽ Ieſu Chriſti in corpore noſtro: vt vita ipſius manifeſtetur in nobis. Nos paſſionibus eius conformari, vt perueniamus ad ſimilitudinem reſurrectionis ex mortuis. Quæ ſubiicitur ratio, non ad probandã vllam dignitatem, ſed ſpem regni Dei confirmandam pertinet: acſi diceret, Vt iuſto Dei iudicio conuenit, vindictam ab inimicis veſtris expetere earum quas vobis intulerint vexationũ: ita vobis relaxationem & quietem à vexationibus impertiri. Alter locus, qui ſic iuſtitiam Dei decere tradit ſuorũ obſequia obliuioni non mandare, vt propè iniuſtum fore innuat ſi obliuiſcatur, hãc rationem habẽt: Deus, quo ſegnitiem noſtram acueret, fiduciam nobis fecit, nõ irritum fore quem in gloriam nominis ſui ſuſceperimus laborem. Semper meminerimus, hanc promiſſionem, vt cæteras omnes, nihil fructus nobis allaturam niſi præcederet gratuitũ miſericordiæ fœdus, cui tota ſalutis noſtræ certitudo incumberet. Eo autem freti, cõfidere ſecurè debemus, obſequiis etiam noſtris quamlibet indignis non defuturum à Dei liberalitate præmium. In ea expectatione vt nos confirmet Apoſtolus, Deum aſſerit nõ eſſe iniuſtũ, quin conſtaturus ſit fidei ſemel datæ. Iuſtitia igitur ita magis ad diuinæ promiſſionis veritatem, quàm ad reddẽdam debiti æquitatẽ refertur. In quem ſenſum inſigne eſt dictum Auguſtini: quod vt vir ſanctus repetere ſæpius pro memorabili nõ dubitauit, ita nõ indignum iudico quod aſſiduè memoria repetamus. Fidelis, inquit, Dominus, qui ſe nobis fecit debitorem: non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia promittendo.

2. Theſ. 1. b. 5

Heb. 6. b. 10

Rom. 8. f. 29

Luc. 24 d. 26

Act. 14. d. 22

Gal. 6. d. 17

2. Cor. 4. c. 10

Philip. 3. f. 29

In Pſal. 32. 109, & alibi ſæpe.

8 Adducuntur & illæ Pauli ſententiæ,Si habeam omnem fidem, ita vt montes loco dimoueam,charitatem autem non habeam, nihil ſum.Item, Nunc manent ſpes, fides,charitas:ſed maxima in his charitas. Item,Super omnia habere charitatem,quæ eſt vinculum perfectionis.Ex primis duobus contendunt noſtri Phariſæi charitate nos iuſtificari potius quàm fide:virtute nimirum,vt ipſi aiunt,potiore. At nullo negotio dilui tur hæc argutatio. Expoſuimus enim alibi, ad veram fidē nihil pertinere quæ primo loco dicuntur.Alterum nos quoque de vera fide interpretamur, qua maiorem eſſe charitatem dicit:non tanquam ſit magis meritoria, ſed quia magis fructuoſa eſt, quia latius patet,quia pluribus ſeruit,quia ſemper viget:quum fidei vſus ad tempus conſiſtat.Si excellentiam ſpectamus,meritò Dei dilectio primas teneat: de qua hîc ſermo Paulo non eſt. Siquidem vnum iſtud vrget vt mutua charitate nos in Domino viciſſim ædificemus.Sed fingamus, modis omnibus charitatem fidei præcellere: quis tamen ſano iudicio,imò quis omnino ſano cerebro,ex eo ratiocinetur magis iuſtificare? Vis iuſtificandi quæ penes fidē eſt,non in dignitate operis locatur.Sola Dei miſericordia & merito Chriſti conſtat noſtra iuſtificatio,quam dum fides apprehendit, iuſtificare dicitur. Nunc ſi aduerſarios interroges quo ſenſu iuſtificationē charitati aſſignent:reſpondebunt, Quia officium eſt Deo gratum,eius merito,ex diuinæ bonitatis acceptatione iuſtitiam nobis imputari.Hinc vides quàm bellè procedat argumētum. Fidem iuſtificare dicimus,non quia iuſtitiam nobis ſua dignitate mereatur: ſed quia inſtrumentum ſit quo Chriſti iuſtitiam gratis obtinemus. Iſti,prætermiſſa Dei miſericordia, Chriſtóque præterito (vbi ſumma iuſtitiæ eſt)charitatis beneficio nos iuſtificari pugnant,quia ſupra fidē excellat. Perinde ac ſiquis aptiorem eſſe Regem diſputet cōficiendo calceo quàm ſutorem,quia ſit infinito præſtantior.Hic vnus ſyllogiſmus amplo documento eſt ſcholas omnes Sorbonicas ne ſummis quidem labris deguſtare quid ſit fidei iuſtificatio. Siquis autem rixator adhuc interpellet cur fidei nomen tantulo interuallo apud Paulum variè accipiamus,huius interpretationis non leuis ratio mihi conſtat.Quum enim dona illa quæ enumerat Paulus,fidei & ſpei quodammodo ſubſint,quia ad cognitionem Dei ſpectant, ea omnia κατ' ἀνακεφαλαίωσιν ſub nomine fidei & ſpei complectitur.acſi diceret, Et Prophetia,& linguæ, & interpretandi gratia & ſcientia hunc habent ſcopum vt nos ad cognitionem Dei deducant.Deum autem nonniſi per ſpem & fidem in hac vita agnoſcimus. Quum ergo fidem & ſpem nomino,hæc omnia ſimul cōprehendo.Manent itaque hæc tria,Spes,Fides,Charitas:hoc eſt,quantacunque ſit donorum varietas, huc omnia referuntur. Inter hæc præcipua eſt charitas,&c. Ex tertio loco inferunt,Si perfectionis vinculum eſt charitas:ergo & iuſtitiæ,quæ nihil aliud eſt quàm perfectio. Primò,vt omittamus perfectionem illic à Paulo vocari dum probè conſtitutæ Eccleſiæ membra inter ſe bene cohærent,ac fateamur charitate nos coram Deo perfici: quid tamen noui afferunt? Ego enim ſemper contrà excipiam,ad perfectionem iſtam nunquam nos peruenire niſi charitatis numeros impleamus. indéque inferam,quum omnes à charitatis complemento ſint remotiſſimi, ſpem omnem illis perfectionis abſciſſam eſſe.

1.Cor.13.a.2, & d.13.

Coloſ.3.c.14

9 Nolo ſingula perſequi quæ hodie ſtulti Sorboniſtæ arrepta ex Scripturis temere (vt quodque primum obuium ſe tulit)teſtimonia aduerſum nos iaculantur. Sunt enim quædam ita ridicula vt nec cōmemorare ipſe poſſim, niſi velim haberi meritò ineptus. Itaque finem faciam,vbi Chriſti ſententiam explicuero,qua mirum in modum ſibi placent.Reſpondet enim Legiſconſulto rogāti quid eſſet ad ſalutem neceſſarium, Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata. Quid vltrà,inquiunt,volumus, quum ab ipſo gratiæ authore per mandatorum obſeruationem acquirere iubeamur regnum Dei? Quaſi verò non conſtet, Chriſtum iis reſponſa ſua attemperaſſe quibuſcum negotium eſſe ſibi videbat.Hîc à Legis doctore interrogatur de ratione obtinēdę beatitudinis:neque id ſimpliciter,ſed quid faciendo ad ipſam perueniāt homines.Et loquentis perſona & ipſa interrogatio Dominū inducebat vt ſic reſponderet. Ille perſuaſione legalis iuſtitiæ imbutus,in operum fiducia cæcutiebat.Deinde non aliud quærebat niſi quæ eſſent opera iuſtitiæ,quibus ſalus comparetur.Ergo meritò remittitur ad Legem, in qua eſt abſolutum iuſtitiæ ſpeculum.Nos quoque clara voce prædicamus ſeruāda eſſe mandata, ſi in operibus vita quæritur. Atque hæc doctrina cognitu neceſſaria eſt Chriſtianis. quomodo enim ad Chriſtum confugerent, niſi ſe agnoſcerēt à via vitæ in mortis præcipitium excidiſſe? Quomodo autē intelligerent quàm procul aberrarint à via vitæ,niſi prius qualis

Matth. 19.c. 17

sit illa intelligant? Tum igitur demum recuperãdæ salutis asylum in Christo esse admonentur, dum cernunt quantum sit vitæ suæ cum diuina iustitia, quæ Legis obseruatione continetur, dissidiũ. Summa hæc est. si in operibus salus quæritur, seruanda esse mandata quibus instituimur ad perfectam iustitiam. Sed non est hîc hærendum nisi velimus in medio cursu deficere. nemo enim nostrum seruandis mãdatis par est. Quoniam ergo Legis iustitia excludimur, ad aliud subsidium nos conferamus necesse est: nempe ad fidem Christi. Quamobrem vt hîc Dominus quem vana operum confidentia turgere nouerat Legis doctorem, ad Legem reuocat, vnde discat se esse peccatorem, tremendo æternæ mortis iudicio obnoxium. Sic alios qui eiusmodi sui notitia iam humiliati sunt, alibi, omissa Legis mentione, gratiæ promissione solatur, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: & inuenietis requiem animabus vestris.

Mat. 11. d. 29

10 Tandem, postquam Scripturã inuertendo defatigati sunt, ad argutias & sophismata delabuntur. Cauillantur in eo, quòd fides alicubi opus vocatur: atque inde colligunt nos perperam fidem operibus opponere. Quasi verò fides, quatenus obedientia est diuinæ voluntatis, suo merito iustitiam nobis conciliet: ac non potius, quòd Dei misericordiam amplectendo, Christi iustitiam, ab ea nobis oblatam in Euangelii prædicatione, cordibus nostris obsignat. Talibus ineptiis diluendis si non immoror, veniã dabunt lectores. ipsæ enim, sine alieno impetu, suapte debilitate satis franguntur. Obiectionem tamen vnam, quę speciem habet aliquam rationis, obiter discutere libet, ne quibus non adeò exercitatis negotium faciat. Quum eandem esse contrariorum regulã dictet sensus communis, ac peccata singula iniustitiæ nobis vertantur, consentaneum esse aiunt, singulis quoque bonis operibus iustitiæ laudem tribui. Qui respondent, ab vna infidelitate propriè prodire hominum damnationem, non à particularibus peccatis, mihi non satisfaciunt. Equidem illis assentior, fontem ac radicem omnium malorum, incredulitatem esse. Est enim prima à Deo defectio, quam sequuntur deinde particulares contra Legem transgressiones. Sed quòd videntur eandem statuere bonorum & malorum operum rationem in æstimanda iustitia vel iniustitia, in eo cogor ab ipsis dissentire. Iustitia enim operum est perfecta Legis obedientia. Itaque iustus operibus esse non potes nisi hanc velut rectam lineam perpetuo vitæ tenore sequeris. Ab ea vbi primùm deflexisti, in iniustitiã prolapsus es. Hinc apparet, iustitiam non ex vno aut paucis operibus cõtingere, sed ex inflexibili indefessáque obseruatione diuinæ volũtatis. At iudicãdæ iniustitiæ multo diuersissima est ratio. Qui enim scortatus est, aut furatus, vno delicto, mortis est reus: quia in Dei maiestatẽ offendit. Impingunt ideo nostri isti argutatores, quòd ad illud Iacobi non aduertũt animum, Qui peccauerit in vno, factũ omnium reum iã esse: quia qui vetuit occidere, vetuit & furari, &c. Proinde absurdũ videri non debet, quũ dicimus, mortem iustum esse vniuscuiusque peccati stipendiũ: quia iusta Dei indignatione ac vltione digna sunt singula. Sed insulsus eris ratiocinator si ex aduerso inferas, vno opere bono conciliari posse hominem Deo, qui multis peccatis eius iram promeretur.

Iohã. 6. c. 29

Iaco. 2. b. 10

De libertate Christiana. CAP. XIX.

TRACTANDVM nunc de Christiana libertate: cuius explicatio prætermitti minimè ab eo debet cui summam Euangelicæ doctrinæ compendio complecti propositũ sit. Est enim res apprime necessaria, ac citra cuius cognitionem nihil ferè sine dubitatione aggredi conscientiæ audent: in multis hæsitant & resiliunt, semper variant & trepidant. præsertim verò appendix est iustificationis, & ad vim eius intelligendam non parum valet. Imò qui Deum seriò timent, hinc fructum incomparabilem percipient eius doctrinæ quam impii & Lucianici homines lepidè suis dicteriis exagitant: quia in spirituali ebrietate, qua correpti sunt, quæuis proteruia illis est licita. Quare nunc opportunè in medium prodibit: deinde planiorẽ eius disputationem (nã leuiter aliquoties suprà à nobis attacta est) in hunc locum reiicere vtile fuit: quia simulatque iniecta est aliqua mentio Christianæ libertatis, ibi aut feruent libidines, aut insani motus surgunt, nisi maturè obuiam eatur lasciuis ingeniis istis, quæ alioqui optima quæque pessimè corrumpunt. Partim enim huius libertatis prætextu omnem Dei obedientiam excutiunt, & in effrænatam licentiam se proripiunt: partim indignantur, putantes omnem moderationem, ordinem, rerúmque delectũ tolli. Quid hîc agamus, talibus angustiis circunsepti? An Christiana libertate valere iussa, huiusmodi periculis opportunitatem præcidamus? Atqui, vt dictum est, nisi ea tenetur, nec

Christus,

Christus,nec Euangelii veritas, neque interior pax animæ rectè cognoscitur.Danda po tius opera ne adeò necessaria doctrinæ pars suppriматur, & occurratur tamen interim absurdis illis obiectionibus quæ inde enasci solent.

2 Christiana libertas in tribus(vt ego quidem sentio)partibus sita est.Prima,vt fidelium conscientiæ,dum fiducia quæ coram Deo iustificationis quærenda est,sese supra Legem erigant atque efferant,totámque Legis iustitiam obliuiscantur. Nam quum Lex(vt alibi iam demonstratum est)neminem iustum relinquat: aut ab omni spe iustificationis excludimur, aut ab illa nos solui oportet: ac sic quidem, vt nulla prorsus operum ratio habeatur.Nam qui vel tantillum operum se afferre debere ad obtinendam iustitiam cogitat,non potest modum aut finem præfigere: sed debitorem vniuersæ Legis se constituit.Sublata igitur Legis mentione,& omni operum cogitatione sepositа,vnam Dei misericordiam amplecti conuenit quum de iustificatione agitur:& auerso à nobis aspectu, vnum Christum intueri. Non enim illic quæritur quomodo iusti simus: sed quomodo, iniusti licet ac indigni,pro iustis habeamur. Cuius rei si certitudinem aliquã assequi volunt conscientiæ,nullum Legi dare locum debẽt.Neque hinc rectè quis colligat,Legem fidelibus superuacaneam esse,quos non ideo docere & exhortari & stimulare ad bonum desinit, tametsi apud Dei tribunal in eorum conscientiis locum non habet. Hæc enim duo vt multo diuersissima sunt,ita probè diligentérque sunt à nobis distinguenda.Tota Christianorum vita,quędam pietatis meditatio esse debet:quoniam in sanctificationem vocati sunt. In hoc situm est Legis officium, vt eos officii sui admonendo,ad sanctitatis & innocentiæ studiũ excitet. At vbi conscientiæ solicitantur quomodo Deum habeant propitium,quid responsuræ sint,& qua fiducia constaturæ si ad eius iudicium postulentur: ibi non subducendum est quid Lex requirat, sed vnus Christus pro iustitia proponendus,qui omnem Legis perfectionem superat. Ephes.1.a.4 1.Thes.4.b 5

3 In hoc cardine totum ferè argumentum Epistolę ad Galatas vertitur.Nam insulsos esse interpretes qui docent Paulũ in ea pro ceremoniarum tãtùm libertate pugnare, ex locis argumentorum probari potest.Quales isti sunt,Quòd Christus factus sit pro nobis execratio,vt nos ab execratione Legis redimeret.Item,In libertate qua Christus vos liberauit,state,& ne rursus iugo seruitutis implicemini.Ecce,ego Paulus dico,si circumcidamini,Christus vobis nihil proderit.Et qui circunciditur,debitor est vniuersæ Legis. Christus vobis otiosus factus quicũque per Legem iustificamini:à gratia excidistis. Quibus certè aliquid sublimius continetur quàm ceremoniarum libertas. Equidem fateor Paulum illic de ceremoniis tractare:quia illi cum pseudoapostolis pugna est, qui veteres Legis vmbras,Christi aduentu abolitas,reducere in Christianam Ecclesiã moliebantur. Verùm ad hanc quęstionem expediendam disputandi erant altiores loci,in quibus tota controuersia posita erat.Primùm,quia vmbris illis Iudaicis obscurabatur Euangelii claritas,ostendit in Christo nos solidam eorum omnium exhibitionẽ habere quæ Mosaicis ceremoniis adumbrabantur. Deinde quia illi impostores pessima opinione imbuebant plebem,quòd hæc scilicet obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: hîc pluribus certè aliquid sublimius continetur quàm ceremoniarum libertas. Equidem fateor Paulum illic de ceremoniis tractare:quia illi cum pseudoapostolis pugna est, qui veteres Legis vmbras,Christi aduentu abolitas,reducere in Christianam Ecclesiã moliebantur. Verùm ad hanc quęstionem expediendam disputandi erant altiores loci,in quibus tota controuersia posita erat.Primùm,quia vmbris illis Iudaicis obscurabatur Euangelii claritas,ostendit in Christo nos solidam eorum omnium exhibitionẽ habere quæ Mosaicis ceremoniis adumbrabantur. Deinde quia illi impostores pessima opinione imbuebant plebem,quòd hæc scilicet obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: hîc pluribus certè aliquid sublimius continetur quàm ceremoniarum libertas. Equidem fateor Paulum illic de ceremoniis tractare:quia illi cum pseudoapostolis pugna est, qui veteres Legis vmbras,Christi aduentu abolitas,reducere in Christianam Ecclesiã moliebantur. Verùm ad hanc quęstionem expediendam disputandi erant altiores loci,in quibus tota controuersia posita erat.Primùm,quia vmbris illis Iudaicis obscurabatur Euangelii claritas,ostendit in Christo nos solidam eorum omnium exhibitionẽ habere quæ Mosaicis ceremoniis adumbrabantur. Deinde quia illi impostores pessima opinione imbuebant plebem,quòd hæc scilicet obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: hîc pluribus certè aliquid sublimius continetur quàm ceremoniarum libertas. Equidem fateor Paulum illic de ceremoniis tractare:quia illi cum pseudoapostolis pugna est, qui veteres Legis vmbras,Christi aduentu abolitas,reducere in Christianam Ecclesiã moliebantur. Verùm ad hanc quęstionem expediendam disputandi erant altiores loci,in quibus tota controuersia posita erat.Primùm,quia vmbris illis Iudaicis obscurabatur Euangelii claritas,ostendit in Christo nos solidam eorum omnium exhibitionẽ habere quæ Mosaicis ceremoniis adumbrabantur. Deinde quia illi impostores pessima opinione imbuebant plebem,quòd hæc scilicet obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: hîc pluri- Gala.3.b.13. & 5.a.1.

mum insistit,ne vllis Legis operibus,nedum minutis illis elementis,iustitiam se cõsequi posse coram Deo existiment fideles.Et simul docet damnatione Legis,quæ vniuersis hominibus aliâs impendet,esse per crucem Christi liberos: vt plena securitate in vno Christo acquiescant. Qui locus huc propriè pertinet. Postremò conscientiis fidelium suam asserit libertatem,ne qua religione in rebus non necessariis obstringantur. Gala.4. d.30

4 Altera, quæ ex superiore illa pendet, vt conscientiæ non quasi Legis necessitate coactæ,Legi obsequantur:sed Legis ipsius iugo liberæ,volũtati Dei vltrò obediant. Quoniam enim in perpetuis terroribus versantur quandiu sub Legis dominio sunt, alacri promptitudine in obedientiam Dei nunquam compositæ erunt nisi huiusmodi prius libertate donatæ. Exẽplo & breuius & magis perspicuè assequemur quò hæc pertineant. Legis pręceptum est vt diligamus Deum nostrum ex toto corde,ex tota anima,ex totis viribus. Id vt fiat, anima prius omni alio sensu & cogitatione est euacuanda, cor omnibus desideriis expurgandũ,vires in hoc vnum colligendæ & contrahendæ.Qui præ aliis multum progressi sunt in via Domini,lõgissimè absunt ab hac metã. Nam etsi Deum ex animo diligunt,& syncero cordis affectu:multam tamen adhuc cordis & animæ partem occupatam habent carnis cupiditatibus, quibus retrahuntur & sistuntur quominus cito ad Deum cursu pergant. Multo quidem conatu eõtendunt:sed caro partim eorum Deut.6.a.5

vires debilitat, partim ad ſeſe applicat. Quid hîc faciant, dum ſentiunt nihil ſe minus quàm Legem præſtare? Volunt, aſpirant, conantur: ſed nihil ea qua decet perfectione. Si Legem intuentur, quicquid tentãt aut meditantur operis, maledictum eſſe vident. Nec eſt quòd ſe quiſque fallat, colligens opus eo ipſo non omnino malum eſſe quia imperfectum, & ideo quod in eo boni eſt Deo nihilominus acceptum eſſe. Nam Lex perfectam dilectionem exigens, omnem imperfectionem damnat, niſi rigore mitigato. Opus igitur ſuum conſideret, quod pro parte bonum videri volebat, & eo ipſo tranſgreſſionem Legis eſſe inueniet quia imperfectum eſt.

5 En quomodo omnia noſtra opera Legis maledictioni ſubiacent ſi ad Legis modum exigantur. Quomodo autem tum ſe alacriter accingerent ad opus infœlices animæ, pro quo nonniſi maledictionem ſe referre poſſe confiderent? Rurſum ſi ab hac ſeuera Legis exactione, vel potius toto Legis rigore liberatæ, paterna lenitate ſe à Deo appellari audiant, hilares & magna alacritate vocanti reſpondebunt, & ducentem ſequentur. In ſumma, qui Legis iugo aſtringuntur, ſeruis ſunt ſimiles quibus certæ in ſingulos dies, operæ à dominis indicuntur. Hi enim nihil effectum putant, nec in conſpectum dominorum venire audent, niſi exactus operarum modus conſtiterit. Filii verò, qui liberalius, & magis ingenuè à patribus tractantur, eis non dubitant inchoata & dimidiata opera, aliqua etiam vitii habentia offerre, confiſi ſuam obedientiam & animi promptitudinem illis acceptam fore, etiamſi minus exactè effecerint quod volebant. Tales nos eſſe oportet qui certò confidamus, obſequia noſtra indulgentiſſimo Patri probatum iri, quantulacunque ſint, & quantumuis rudia ac imperfecta. Qualiter etiam per Prophe-
Mala.3.d.17 tam nobis confirmat, Parcam eis, inquit, ſicut ſolet pater filio parcere ſeruienti ſibi. vbi Parcere pro indulgere vel humaniter ad vitia conniuere poſitum conſtat, quum ſimul obſequii meminerit. Neque hæc fiducia parum nobis neceſſaria eſt, ſine qua fruſtra omnia conabimur. ſiquidem nullo noſtro opere ſe coli reputat Deus, niſi quod in eius cultum verè à nobis fiat. Id autem quî poſſit inter illos terrores, vbi dubitatur offendatúrne Deus, an colatur noſtro opere?

Heb.11.a.2. 6 Atque ea cauſa eſt cur author Epiſtolæ ad Hebræos quicquid in ſanctis Patribus bonorum operum fuiſſe legitur, ad fidem referat, & ea duntaxat ex fide æſtimet. De hac
Rom.6.c.12 libertate illuſtris eſt locus in Epiſtola ad Romanos, vbi Paulus ratiocinatur, peccatum non debere nobis dominari quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia. Quum enim fideles hortatus eſſet ne peccatum in eorum mortali corpore regnaret, neve exhiberent membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed Deo ſe deuouerent tanquam ex mortuis viuentes, & membra ſua arma iuſtitiæ Deo: illi verò contrà obiicere poſſent, ſe adhuc carnem ſecum ferre, plenam concupiſcentiis, & peccatum in ſe habitare: ſubiicit eam conſolationem à Legis libertate. acſi diceret, Tametſi nondum extinctum peccatum, nec dum iuſtitiam in ſe viuere planè ſentiant, non tamen eſſe cur formident, & animo deiiciantur quaſi Deum ſemper offenſum habeant ob peccati reliquias: quando per gratiam à Lege ſint manumiſſi, ne eius regula ſua opera examinentur. Qui verò peccandum inferunt, quia non ſimus ſub Lege, hanc libertatem nihil ad ſe pertinere intelligant: cuius finis eſt, nos ad bonum animare.

7 Tertia, vt nulla rerum externarum, quæ per ſe ſunt ἀδιάφορα, religione corã Deo teneamur quin eas nunc vſurpare nunc omittere indifferẽter liceat. Atque huius etiam libertatis cognitio perquàm nobis neceſſaria eſt. quæ ſi aberit, nulla conſcientiis noſtris futura eſt quies, nullus ſuperſtitionum finis. Videmur hodie pleriſque inepti qui diſceptationem mouemus de libero eſu carnium, de libero feriarum veſtiúmque vſu, & ſimilibus, vt illis quidem videtur, friuolis nugis: ſed plus iſtis ineſt momenti quàm vulgo creditur. Nam vbi ſemel ſe in laqueum coniecerunt conſcientiæ, longum & inextricabilem labyrinthum ingrediuntur, vnde non facilis poſtea exitus patet. Siquis dubitare inceperit an ſibi in linteis, induſiis, ſudariis, mãtilibus, lino vti liceat: nec de canabe poſtea ſecurus erit, tandem & de ſtupis incidet dubitatio. ſecum enim volutabit annon ſine mantilibus cœnare poſſit, annon ſudariis carere. Sicui paulo delicatior cibus illicitus viſus fuerit, demum nec cibarium panem, ac vulgaria edulia trãquillus coram Deo comedet: dũ in mentem venit, ſe vilioribus adhuc cibis poſſe corpus ſuſtentare. Si in ſuauiori vino hæſitauerit, deinde nec vappam, cum bona conſcientiæ pace bibet. poſtremò nec dulciorem mũdiorémque aliis aquam attingere audebit. Denique eò demum veniet vt

ſuper

ſuper tranſuerſam(quod dicitur)feſtucam incedere nefas ducat.Non enim hîc leue certamen inchoatur:ſed hoc controuertitur an his aut illis nos vti Deus velit: cuius voluntas conſiliis noſtris ac factis omnibus præire debet. Hinc alios deſperatione in confuſam voraginem abripi neceſſe eſt:alios contempto Deo & abiecto eius timore, viam ſibi ruina facere quam expeditam non habeant. Quicunque enim tali dubitatione impliciti ſunt,quoquò ſe vertant,præſentem vbique conſcientiæ offenſionem vident.

8 Scio,inquit Paulus,quia nihil commune eſt(per commune,profanum accipiens) Rō. 14. c.14.
niſi qui exiſtimat aliquid commune, illi commune eſt. Quibus verbis res omnes externas libertati noſtræ ſubiicit: modò eius libertatis ratio animis noſtris apud Deum conſtet. Verùm ſiqua ſuperſtitioſa opinio ſcrupulum nobis iniiciat, quæ ſuapte natura pura erant,nobis contaminantur. Quare ſubiicit,Beatus qui non iudicat ſeipſum in eo quod Ibidem, d.22
probat. At qui diiudicat,ſi ederit,cõdemnatus eſt:quoniam non edit ex fide.Porrò quod non eſt ex fide,peccatum eſt. Inter huiuſmodi anguſtias qui omnia ſecurè nihilominus audendo,ſe animoſiores oſtendunt, nónne ſe tantundem à Deo auertunt? qui verò aliquo Dei timore penitus afficiuntur, quum & ipſi cogantur multa admittere auerſante conſcientia, formidine conſternantur ac concidunt. Omnes quotquot tales ſunt, nihil donorum Dei accipiunt cum gratiarum actione, qua tamen ſola nobis omnia in vſum 1.Tim.4. b.ſ
noſtrum ſanctificari teſtatur Paulus.Intelligo autem gratiarũ actionem ex animo profectam,qui Dei beneficentiam & bonitatem in ſuis donis agnoſcat. Nam multi quidem eorum Dei bona eſſe intelligunt quibus vtuntur, & Deum in operibus ſuis laudant: ſed quum ſibi data eſſe perſuaſum non habeant, quomodo gratias Deo agerent tanquam datori? Videmus in ſumma,quorſum hæc tendat libertas,nempe vt Dei donis nullo conſcientiæ ſcrupulo,nulla animi perturbatione vtamur, in quem vſum nobis ab ipſo data ſunt: qua fiducia & pacem cum eo habeant animæ noſtræ, & eius erga nos largitatem agnoſcant.Hîc enim comprehenduntur omnes liberę obſeruationis ceremoniæ,ne qua neceſſitate ad eas obſeruandas conſcientiæ aſtringantur: ſed earum vſum Dei beneficio ſibi ad ædificationem ſubiectum eſſe meminerint.

9 Eſt autem diligenter obſeruandum, Chriſtianam libertatem omnibus ſuis partibus rem ſpiritualem eſſe:cuius tota vis in formidoloſis conſcientiis corã Deo pacificandis poſita ſit, ſiue de peccatorum remiſſione inquietæ ſint ac ſolicitæ, ſiue anxiæ ſint vtrum opera imperfecta & vitiis carnis noſtræ inquinata Deo placeant, ſiue de rerum indifferentium vſu torqueantur.Quare peruerſè interpretantur,vel qui ſuis cupiditatibus ipſam prætexunt,vt bonis Dei donis abutantur in ſuam libidinem: vel qui nullam eſſe putant niſi coram hominibus vſurpatam:ideóque in ea vtenda nullam infirmorum fratrum rationem habent.Primo genere maiorem in modum hoc ſeculo peccatur.Nullus ferè eſt cui ſumptuoſo eſſe per facultates liceat, quem non delectet, in cœnarum apparatu,in cultu corporis,in extruendis domibus luxurioſus ſplendor:qui non omni laudatitiarum genere inter alios eminere velit:qui non ſibi in ſuo nitore mirificè blandiatur. Et hæc omnia ſub Chriſtianæ libertatis prætextu defenduntur.Aiunt res eſſe indifferentes. fateor: modò iis indifferenter quis vtatur. Cæterùm vbi nimis cupidè appetuntur, vbi ſuperbè iactantur,vbi luxurioſè effunduntur,quæ per ſe licita alioqui erant,his vitiis fœdari certum eſt. Inter res indifferentes optimè diſtinguit illud Pauli, Omnia munda Tit.1.d.15
mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quando polluta eſt eorum mens & conſcientia. Cur enim maledicuntur diuites,qui conſolationem ſuam habent, Luc.6.d.24
qui ſaturati ſunt,qui nunc rident,qui dormiũt in lectis eburneis, qui cõiungunt agrum Amos 6.a 1
agro,quorum conuiuia citharam,lyram,tympanum,& vinum habent? Certè & ebur,& Ieſa.5.b.8
aurum,& diuitiæ,bonæ Dei creaturæ ſunt,hominum vſibus permiſſæ: imò Dei prouidentia deſtinatæ.nec ridere, aut ſaturari, aut nouas poſſeſſiones veteribus atque auitis adiungere,aut cõcentu muſico delectari,aut vinum bibere,vſquam prohibitum eſt. Verum iſtud quidem.ſed vbi rerum copia ſuppetit, in deliciis volutari, ac ſe ingurgitare, mentem & animum inebriare præſentibus voluptatibus,nouiſque ſemper inhiare,hæc à legitimo donorum Dei vſu longiſſimè abſunt. Tollant ergo immoderatã cupidinem, tollant immodicam profuſionem,tollant vanitatẽ & arrogantiam: vt pura conſcientia, Dei donis purè vtantur. Vbi ad hanc ſobrietatem animus compoſitus fuerit, habebunt legitimi vſus regulam.Deſit rurſum hæc moderatio, plebeiæ communéſque deliciæ niiæ ſunt. Nam illud verè dicitur,In burro & rudi panno ſæpe animum purpureum ha-

bitare:interdum ſub byſſo & purpura ſimplicem humilitatem latere. Ita in ſuo quiſque ordine vel tenuiter,vel modicè, vel ſplendidè viuat: vt meminerint omnes ſe à Deo ali
Phili.4.c.12 vt viuant, non vt luxurientur. ac legem hanc Chriſtianæ libertatis putent ſi cum Paulo didicerint,in quibus ſunt,iis contenti eſſe: ſi norint & humiles eſſe & excellere: ſi docti ſint vbique & in omnibus & ſaturari,& eſurire,& abundare,& penuriam pati.

10 Errant & in eo plerique, quòd perinde acſi ſua libertas incolumis ac ſalua non eſſet niſi teſtes haberet homines, promiſcuè & imprudenter ea vtũtur. Qua importuna vſurpatione infirmos fratres ſæpenumero offendũt. Videas hodie quoſdam, quibus ſua libertas non videtur conſiſtere niſi per eſum carnium die Veneris in eius poſſeſſionem venerint. Quòd edunt non reprehendo:ſed exigenda eſt ex animis falſa iſthæc opinio.ſiquidem cogitare debebant, nihil ſe ſua libertate nouum conſequi in hominum conſpectu,ſed apud Deum: & tam in abſtinendo conſtitutam eſſe, quàm in vtendo. Si coram Deo nihil referre intelligunt veſcatúrne carnibus an ouis,rubríſne an nigris veſtibus induantur:ſatis ſupérque eſt. Iam ſoluta eſt conſcientia,cui eius libertatis beneficium debebatur. Ergo etiamſi poſthac carnibus tota vita abſtineant,& colorem vnum perpetuò ferant,non minus liberi ſunt. Imò ideo quia liberi ſunt,libera conſcientia abſtinent. Pernicioſiſſimè verò labuntur quòd fratrum infirmitatem nullius penſi habent, quam ſic ſuſtineri à nobis decet ne quid temere admittamus cum eorum offendiculo. Verùm interdum quoque intereſt,coram hominibus aſſeri noſtram libertatem. Et hoc fateor.modus tamen ſumma cautione tenendus eſt:ne infirmorum curam, quos nobis tantopere Dominus commendauit,abiiciamus.

11 Dicam hîc itaque de ſcandalis nonnihil, quo in diſcrimine habenda ſint, quæ cauenda,quæ item negligenda:vnde poſtea ſtatuere liceat quis ſit inter homines libertati noſtræ locus. Placet autem vulgaris illa partitio,quæ ſcandalum aliud datum,aliud acceptum,tradit:quando & apertum Scripturæ teſtimonium habet, nec ineptè exprimit quod ſignificat. Siquid importuna aut leuitate,aut laſciuia, aut temeritate, non ordine, nec ſuo loco facias quo imperiti imbecilléſque offendantur, ſcandalum abs te datum dicetur: quoniam tua culpa factum fuerit vt eiuſmodi offenſio ſuſcitaretur. Ac omnino ſcandalum in re aliqua datum dicitur, cuius culpa ab authore rei ipſius profecta eſt. Scandalum acceptum vocatur, quum res alioqui non improbè nec importunè admiſſa, maleuolentia aut ſiniſtra quadam animi malignitate in offenſionis occaſionem rapitur. Non enim hîc datum erat ſcandalum: ſed ſiniſtri illi interpretes ſine cauſa accipiunt. Priore illo ſcandali genere nonniſi infirmi offenduntur:hoc autem ſecundo acerba ingenia & Phariſaica ſupercilia. Quare alterum vocabimus ſcandalum infirmorum, alterum Phariſæorum: ac ſic libertatis noſtræ vſum temperabimus,vt fratrum infirmorum ignorantiæ cedere debeat: Phariſæorum auſteritati nequaquam. Quid enim infir-
Rom.14.a.1 mitati dandum ſit,abundè multis locis oſtendit Paulus. Infirmos, inquit, in fide ſuſci-
Ibidem,c.13 pite. Item, Ne poſthac alius alium iudicemus: verùm illud magis, ne offendiculum ponatur fratri, aut lapſus occaſio. & multa in eum ſenſum, quæ ex eo loco peti ſatius eſt
Rom.15.a.1 quàm hîc referri. Summa eſt, vt nos, qui robuſti ſumus,infirmitates impotentium ſuf-
1.Cor.8.c.9 feramus,nec placeamus nobis ipſis: ſed vnuſquiſque noſtrûm proximo placeat in bo-
Ibidem, 10. num,ad ædificationem. Alibi,Sed videte ne quo modo facultas veſtra offendiculo ſit iis
f.25 qui infirmi ſunt. Item, Omnia quæ in macello venduntur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Porrò conſcientiam non veſtram dico, ſed alterius. Denique tales eſtote vt nullum præbeatis offendiculum neque Iudæis, neque Græcis, neque Ec-
Galat.5.b.13 cleſiæ Dei. Alio etiam loco,In libertatẽ vocati eſtis,fratres,tãtùm ne libertatem veſtram detis in occaſionẽ carni,ſed per charitatẽ ſeruite vobis inuicem. Ita eſt ſanè. Libertas noſtra non aduerſus imbecilles proximos data eſt,quorũ nos per omnia ſeruos charitas ſtatuit:ſed magis,vt pacem cum Deo in animis noſtris habentes,pacatè etiã inter homines viuamus. Phariſæorũ autem offenſio quãti ſit facienda,diſcimus ex verbis Domini: qui-
Mat.15.b.14 bus iubet omitti illos,quia cæci ſunt,duces cæcorũ. Admonuerant diſcipuli,eos ſermone ipſius offenſos fuiſſe. Reſpondet negligendos,nec curãdam eſſe eorum offenſionem.

12 Res tamẽ adhuc incerta pendet,niſi teneamus qui nobis ſint habẽdi infirmi, & qui Phariſæi. quo diſcrimine ſublato,nõ video quis prorſus reſtet inter offẽſiones libertatis vſus,qui nunquã ſine ſummo periculo foret. Verũ mihi clariſſimè definiiſſe videtur Paulus tũ doctrina tũ exẽplis quatenus vel moderãda ſit libertas noſtra, vel offendi-

culi

culis redimenda. Timotheum quum in consortium suum assumeret, circuncidit: Titum vt circũcideret nõ adduci potuit. Diuersa facta: nulla consilii nec animi mutatio. nẽpe in circuncidendo Timotheo, quũ liber esset ab omnibus, omnibus semetipsum seruũ fecit: & factus est Iudæis quasi Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret: iis qui sub Lege erant, quasi esset sub Lege, vt eos qui sub Lege erãt lucrifaceret: omnibus omnia, vt multos seruaret, quemadmodum alibi scribit, Habemus iustam libertatis moderationem, si cum fructu aliquo indifferẽter cõtineri possit. Quid respexerit quũ Titum circuncidere fortiter abnuit, ipse testatur, sic scribens, Sed nẽque Titus, qui mecũ erat, quum esset Græcus, compulsus fuit circuncidi: propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandũ libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent quibus ne ad tempus quidem cessimus per subiectionem, vt Euangelii veritas maneret apud vos. Habemus & necessitatem vindicandæ libertatis, si per iniquas exactiones Pseudoapostolorum, ea infirmis in conscientiis periclitatur. Vbique studendum charitati, & spectanda proximi ædificatio. Omnia, inquit alibi, mihi licent: at nõ omnia expediũt. omnia mihi licent: at non omnia ædificãt. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Nihil iã hac regula expeditius, quàm vtendũ libertate nostra, si in proximi nostri ædificationẽ cedat: sin ita proximo non expediat, ea tunc abstinendum. Sunt qui Paulinam prudentiã simulant in abstinentia libertatis, nihil minus quàm in officia charitatis eam conferentes. Suæ enim quieti vt consulãt, omnem libertatis mentionem sepultam optant: quũ non minus interfit proximorum libertatẽ in eorum bonũ & ædificationẽ interdum vsurpare, quàm pro ipsorum commodo, eam loco moderari. Pii autem hominis est cogitare, sibi liberã in rebus externis potestatẽ ideo esse cõcessam quò sit ad omnia charitatis officia expeditior.

Act.16.a.3 Galat.2.a.3

1.Cor.9.c.19

Ibidem, d.22

Galat.2.a.3

1.Cor.10.c.23

13 Quicquid autem de cauendis offendiculis docui, ad res medias & indifferentes referri volo. Nam quæ necessaria sunt factu, nullius offendiculi timore omittenda sunt. Quemadmodum enim charitati subiicienda est nostra libertas: ita sub fidei puritate subsidere vicissim charitas ipsa debet. Equidẽ & hîc charitatis rationẽ haberi decet, sed vsque ad aras: hoc est ne in gratiam proximi Deum offendamus. Non est probanda eorũ intemperies qui nihil nisi tumultuando agunt, & qui perrumpere omnia malunt quàm dissuere. Ac nec audiendi sunt qui quum in mille impietatis formas duces se præbent, sic sibi agendum fingunt ne proximis sint offendiculo. quasi non interim proximorũ conscientias in malum ædificent: præsertim vbi nulla spe exitus in eodem semper hærent luto. Et suaues homines, seu doctrina, seu vitæ exemplo sit instituẽdus proximus, aiunt lacte pascendum esse, quem pessimis exitialibúsque opinionibus imbuunt. Lactis potu se aluisse Corinthios Paulus cõmemorat: sed si tum inter eos fuisset Papalis missa, an sacrificasset, ad præbendum ipsis lactis potum? Minimè: nam lac venenum nõ est. Mentiuntur ergo se alere quos sub blanditiarum specie crudeliter necant. Atque vt demus probandam ad tempus istiusmodi dissimulationem: quousque tandem pueros suos eodem potabunt lacte? Nam si nunquàm grandescunt, vt vel tenuem saltem aliquem cibum ferre possint: nec lacte fuisse vnquam educatos certum est. Cur nũc acrius cum illis non congrediar, duæ rationes impediunt: quia vix dignæ sunt eorum ineptiæ quę refutentur, quum apud omnes sanos meritò sordeant: deinde quia peculiaribus scriptis hoc abundè præstiti, no lo actum agere. Tantùm hoc teneant lectores, quibuscunque scandalis Satan & mũdus auertere nos moliantur à Dei placitis, vel nos morari ne sequamur quod ille præscribit, strenuè nihilominus pergendum esse: deinde quicquid discriminum impendeat, non tamen liberum esse vel latum vnguem deflectere ab eiusdem Dei imperio, nec vllo prętextu fas esse quicquam tentare nisi quod permittit.

1.Cor.3.a.2

14 Iam verò quum hac libertatis prærogatiua, qualem antea descripsimus, donatæ fideles conscientiæ id Christi beneficio consequutæ sint, ne vllis obseruationum laqueis in iis rebus implicentur in quibus eas esse liberas Dominus voluit: omnium hominum potestate exemptas esse constituimus. Est enim indignum aut Christo gratiam tantæ fuę liberalitatis perire aut conscientiis ipsis fructum. Neque res leuicula existimãda nobis est, quam videmus tanti Christo constitisse: vtpote quam non auro aut argento, sed proprio sanguine æstimauit. vt Paulus non dubitet dicere, irritam fieri eius mortem, si animas nostras hominibus in subiectionẽ tradimus. Siquidẽ nõ aliud agit aliquot capitibus epistolæ ad Galatas, quàm Christũ nobis obscurari, vel potius extingui, nisi in sua libertate stent conscientiæ nostrę: à qua certè exciderunt, si possunt hominum arbitrio legum ac consti-

1.Pet.1.c.18 Gal.5.a.1.4

tutionum vinculis illaqueari. Verùm, vt res est cognitu dignissima, ita longiori magísque perspicua explicatione indiget. Statim enim atque de humanarum cõstitutionum abrogatione verbum factum est, ingentes turbæ partim à seditiosis, partim à calumniatoribus commouentur: quasi vniuersa simul tollatur ac subuertatur hominum obedientia.

15 Ad eum ergo lapidem nequis impingat, primùm animaduertamus duplex esse in homine regimen: alterum spirituale, quo conscientia ad pietatem & ad cultum Dei instituitur: alterum politicum, quo ad humanitatis & ciuilitatis officia, quæ inter homines seruanda sunt, homo eruditur. Vulgò appellari solent iurisdictio spiritualis & temporalis, non impropriis nominibus. quibus significatur, priorem illam regiminis speciem ad animæ vitam pertinere, hanc autem in his quę præsentis vitæ sunt versari: non quidem in pascendo tantùm aut vestiendo, sed in præscribendis legibus quibus homo inter homines vitam sanctè, honestè modestéque exigat. Nam illa in animo interiori sedem habet: hæc autem externos mores duntaxat componit. Alterum vocare nobis liceat, regnum spirituale: alterum, regnum politicum. Hæc autem duo, vt partiti sumus, seorsum singula dispicienda semper sunt: & dum alterum consideratur, auocandi auertendíque ab alterius cogitatione animi. Sunt enim in homine veluti mundi duo, quibus & varii reges & variæ leges præesse possunt. Hac distinctione fiet ne quod de spirituali libertate docet Euangelium, perperam ad politicum ordinem trahamus: acsi minus secundum externum regimen humanis legibus subiicerẽtur Christiani, quia solutæ sunt coram Deo ipsorum conscientiæ: quasi propterea eximerentur omni carnis seruitute, quòd secundum spiritum liberi sunt. Deinde quia in iis etiam constitutionibus quæ ad spirituale regnum videntur pertinere, potest aliqua esse hallucinatio, inter has etiam ipsas discernere oportet quæ legitimæ habendę sint, vt Dei verbo consentaneæ: quæ rursus locum apud pios habere non debeant. De ciuili regimine erit alibi dicendi locus. De legibus etiam Ecclesiasticis dicere in præsentia supersedeo: quia plenior tractatio quarto libro conueniet, vbi de Ecclesię potestate agetur. Huius autẽ disputationis hæc sit clausula. Quæstio (vt dixi) per se non adeo obscura vel perplexa, plerosque ideo impedit quòd inter externũ (vt vocant) & conscientiæ forum non satis subtiliter discernunt. Præterea difficultatem auget quòd Paulus obediendum esse magistratui præcipit, non pœnæ solùm metu, sed propter cõscientiam. Vnde sequitur, politicis quoque legibus obstringi cõscientias. Quòd si ita esset, caderet quicquid paulo antè diximus, ac iam dicturi sumus de spirituali regimine. Vt hic nodus soluatur, primò operæpretium est tenere quid sit conscientia. ac definitio quidẽ ex etymo vocis petenda est. Nam sicuti quum mente intelligentiáque homines apprehẽdunt rerum notitiam, ex eo dicuntur scire, vnde & scientiæ nomen ducitur: ita quum sensum habent diuini iudicii, quasi sibi adiunctum testem, qui sua peccata eos occultare non sinit quin ad iudicis tribunal rei pertrahantur, sensus ille vocatur cõscientia. Est enim quiddã inter Deum & hominem medium: quia hominem non patitur in seipso supprimere quod nouit, sed eovsque persequitur donec ad reatum adducat. Hoc est quod intelligit Paulus, quum tradit, conscientiã simul attestari hominibus, vbi cogitationes eos accusant vel absoluunt in iudicio Dei. Simplex notitia in homine residere posset veluti inclusa. Ergo sensus hic qui hominem sistit ad Dei iudicium, est quasi appositus homini custos, qui omnia eius arcana obseruet ac speculetur, nequid in tenebris sepultum maneat. Vnde & vetus illud prouerbium, Conscientia mille testes. Eadem ratione & Petrus bonæ erga Deũ conscientię interrogationem posuit pro trãquillitate animi, quum persuasi de Christi gratia, nos intrepidè coram Deo offerimus. Et author epistolæ ad Hebræos, non habere amplius conscientiam peccati: pro liberatos vel absolutos esse, vt peccatũ nos amplius non arguat.

Rom. 13. a. 1, & b. 5.

Rom. 2. c. 15.

1. Pet. 3. d. 21.

Hebr. 10. a. 2

16 Itaque sicut opera respectum ad homines habent, ita conscientia ad Deum refertur. vt conscientia bona nihil aliud sit quàm interior cordis integritas. In quem sensum Paulus scribit complemẽtum Legis esse charitatem ex pura conscientia & fide non ficta. Postea etiam eodem capite quantũ ab intelligentia differat, ostendit, dicens quosdam à fide naufragium fecisse, quia bonam conscientiam dereliquerãt. His enim verbis, viuum esse colendi Dei affectum, sincerúmque piè & sanctè viuendi studium indicat. Interdum quidem ad homines quoque extenditur, vt quum testatur apud Lucam idem Paulus, se operam dedisse vt bona conscientia ambularet erga Deum & homines. Sed hoc ideo dictum est, quòd bonæ conscientiæ fructus ad homines vsque manant ac perueniunt. Propriè autem loquendo, solum Deum respicit, vt iam dixi. Hinc fit vt obstringere conscien

1. Tim. 1. a. 5.

Act. 24. d. 16.

conſcientiam lex dicatur, quæ ſimpliciter hominem ligat, ſine hominum intuitu, vel non habita eorum ratione. Exempli gratia, Non modò caſtum ſeruare animum purúmque ab omni libidine, Deus præcipit, ſed quamlibet verborũ obſcœnitatem & externam laſciuiam prohibet. Huius legis obſeruationi, etiamſi nullus in mũdo homo viueret, conſcientia mea ſubiicitur. Ita qui ſe intemperanter gerit, non tantùm eo peccat quòd malum exemplum præbet fratribus: ſed conſcientiam reatu obſtrictam habet apud Deum. Alia in rebus per ſe mediis eſt ratio. Abſtinere enim debemus ſiquod patiant offendiculum: ſed libera cõſciẽtia. Ita de carne idolis cõſecrata Paulus loquitur. Siquis iniiciat ſcrupulum (inquit) noli attingere, propter conſcientiam. Dico autem cõſcientiam, nõ tuam, ſed alterius. Peccaret homo fidelis, qui prius admonitus, eiuſmodi carnem nihilominus ederet. Sed vtcunque fratris reſpectu neceſſaria illi ſit abſtinentia, vt à Deo præſcribitur, non tamen conſcientiæ libertatem retinere deſinit. Videmus vt lex iſta externum opus ligans, conſcientiam ſolutam relinquat. 1.Cor.10.f.28

De Oratione, quæ præcipuũ eſt fidei exercitiũ, & qua Dei beneficia quotidie percipimus. CAP. XX.

EX his quæ hactenus diſputata ſunt, non obſcurè perſpicimus quàm ſit homo bonorum omniũ egenus ac inanis: vtque illi omnia deſint ſalutis adiumenta. Quare ſi præſidia quærit quibus inopię ſuæ ſuccurrat, extra ſe exeat oportet, & aliũde ea ſibi cõparet. Hoc poſtea nobis explicatũ eſt, Dominũ ſeſe vltrò ac liberaliter in Chriſto ſuo exhibere, in quo pro noſtra miſeria omnem fœlicitatem, pro noſtra inopia opulentiam offert, in quo cæleſtes theſauros nobis aperit, vt dilectum Filium ſuum tota fides noſtra intueatur, ab ipſo tota noſtra expectatio pendeat, in ipſo tota ſpes noſtra hæreat & acquieſcat. Hæc quidem ſecreta eſt abſconditáque philoſophia, & quæ ſyllogiſmis erui non poteſt: ſed ſcilicet eam perdiſcunt quibus oculos aperuit Deus, vt in ſuo lumine lumen videant. Poſtquam verò fide edocti ſumus, agnoſcere quicquid nobis neceſſe eſt, nobíſque apud nos deeſt, id in Deo eſſe ac Domino noſtro Ieſu Chriſto: in quo ſcilicet omnẽ ſuæ largitatis plenitudinem Pater reſidere voluit, vt inde (velut ex vberrimo fonte) hauriamus omnes: ſupereſt vt in ipſo quæramus, & ab ipſo precibus poſtulemus quod in ipſo eſſe didicimus. Alioqui ſcire Deum bonorum omnium dominum ac largitorem, qui nos ad ſe poſcendum inuitet: ipſum verò nec adire, nec poſcere adeò non prodeſſet, vt perinde id futurum ſit acſi quis indicatum theſaurũ, humi ſepultum ac defoſſum, negligat. Proinde Apoſtolus, vt oſtenderet otioſam à Dei inuocatione eſſe non poſſe veram fidem, hunc ordinẽ poſuit: Sicuti ex Euangelio naſcitur fides, ſic per eam ad inuocandum Dei nomen corda noſtra formari. Atq; hoc ipſum eſt quod aliquanto antè dixerat, Spiritum adoptionis, qui teſtimonium Euangelii cordibus noſtris obſignat, erigere ſpiritus noſtros vt vota ſua exponere Deo audeant, excitare gemitus inenarrabiles, clamare cũ fiducia, Abba, Pater. Hoc ergo poſtremum, quia obiter duntaxat antè dictum & quaſi leuiter attactum eſt, nunc fuſius tractari conuenit. Rom.8.c.16

2 Ergo id orationis obtinemus beneficio, vt ad eas quæ nobis apud cæleſtem Patrẽ repoſitæ ſunt opes penetremus. Eſt enim quædam hominum cum Deo communicatio: qua ſanctuarium cæli ingreſſi, de ſuis promiſſis illum coràm appellant: vt quod verbo dũtaxat annuenti crediderunt non fuiſſe vanum, vbi neceſſitas ita poſtulat experiãtur. Itaque nobis proponi nihil videmus, à Domino expectandum, quod non & precibus iubeamur poſtulare. adeo verum eſt, oratione effodi theſauros, quos Euangelio Domini indicatos fides noſtra intuita fuerit. Iam verò quàm neceſſaria ſit & quot modis vtilis ſit precãdi exercitatio, nullis verbis ſatis poteſt explicari. Non abs re eſt profectò quòd cæleſtis Pater vnicum in ſui nominis inuocatione ſalutis præſidium eſſe teſtatur, qua ſcilicet præſentiam & prouidentiæ eius, per quam rebus noſtris curandis aduigilet: & virtutis, per quam nos ſuſtineat imbecilles & propè deficientes: & bonitatis, per quam miſerè peccatis oneratos in gratiam recipiat, aduocamus: qua denique totum ipſum, vt ſe nobis præſentem exhibeat accerſimus. Hinc eximia cõſcientiis noſtris requies ac tranquillitas naſcitur. ſiquidem neceſſitate, quæ nos premebat, Domino expoſita, vel in eo abundè quieſcimus, quòd illum nihil malorum noſtrorum latet, quem & optimè nobis velle & optimè conſulere poſſe perſuaſi ſimus.

3 Sed enim, dicet quiſpiã, an non ſine monitore etiam nouit & qua parte vrgeamur, & quid nobis expediat: vt ſuperuacuum quodammodo videri queat ipſum precibus noſtris ſolicitari, perinde atque conniuentem, aut etiam dormientem, donec voce noſtra

expergefactus fuerit? Verùm qui sic ratiocinantur, quem in finem suos ad orãdum instituerit Dominus non animaduertunt. neque enim id tam sua ipsius, quàm nostra potius causa ordinauit. Vult quidem, vt æquum est, sibi ius suum reddi, dum ei acceptum fertur quicquid expetunt homines, & sentiunt ad suam vtilitatem facere, idque votis testatum faciunt. Sed huius quoque sacrificii quo ipse colitur vtilitas ad nos redit. Itaque sancti patres quò Dei beneficia apud se & alios confidentius iactarunt, eò acrius ad precandum fuerunt incitati. Vnum Eliæ exemplum nobis satis erit, qui de consilio Dei certus, post-
1. Reg. 18. g. 42. quam regi Achab pluuiam non temere pollicitus est, anxiè tamen inter genua precatur, famulúmque septem vicibus mittit ad explorandum: non quòd oraculo fidem abroget, sed quòd officii sui esse nouit, ne somnolẽta vel torpida sit fides, sua desideria apud Deum deponere. Quare tametsi nobis ad miserias nostras stupidis & hebescentibus, ipse pro nobis vigilat & excubat, ac interdum quoque succurrit non rogatus: nostra tamen plurimum interest assiduè ipsum à nobis implorari, vt serio ardentíque eius semper quærendi, amandi, colendi desiderio cor nostrum inflammetur, dum assuescimus ad ipsum, velut ad sacram anchoram in omni necessitate confugere. Deinde vt nulla cupiditas, nullúmque omnino votum animum nostrum subeat, cuius ipsum testem facere pudeat: dum vota nostra omnia coram eius oculis sistere, adeóque totum cor effundere discimus. Tum vt ad beneficia eius vera animi gratitudine atque etiam gratiarum actione excipienda comparemur: quæ ab eius manu nobis prouenire nostra precatione admonemur. Adhęc quod petebamus consequuti, votis nostris ipsum respondisse persuasi, hinc ad meditandam eius benignitatem ardentius feramur: & simul maiori cum voluptate amplexemur quæ precibus agnoscimus fuisse impetrata. Postremò vt eius prouidẽtiam animis nostris pro imbecillitatis nostræ modo vsus ipse & experimentum confirmet, dum intelligimus ipsum non modò polliceri, se nunquam nobis defuturum, & aditum vltrò ad se appellandum in ipso necessitatis articulo patefacere: sed manum semper habere extentam ad suos iuuandos: nec lactare eos verbis, sed præsenti ope tueri. Eas ob res clementissimus Pa-
Psal. 145. d. 18 ter, vtcunque nũquam vel dormiat vel torpeat, dormientis tamen torpentísque speciem plærunq; præbet, quo ita ad se petendum, rogandũ, flagitandũ magno nostro bono nos, alioqui desides & ignauos, exerceat. Nimium ergo insulsè illi qui vt hominum animos ab oratione reuocent, Dei prouidentiam, rerum omnium custodiæ excubantem, frustra no-
Psal. 34. c. 16 stris interpellationibus fatigari garriunt: quum non frustrà Dominus contrà testetur se propinquum esse omnibus inuocantibus nomen suum in veritate. Nihilo secius est quod alii nugantur, superfluam esse eorum petitionem quæ vltrò largiri paratus sit Dominus: quum ea ipsa quæ à spontanea eius liberalitate nobis fluunt, precibus nostris concessa velit agnosci. Quod testatur memorabilis illa sententia Psalmi, cui multæ similes respon-
Psal. 121. 4 dent, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. quæ Dei prouidentiam sua sponte curandæ piorum saluti intentam sic commendat, vt tamen non prætereat fidei exercitium, quo abstergitur socordia ex hominum animis. Vigilant ergo Dei oculi vt cæcorum necessitati subueniat: sed vult ipse vicissim audire nostros gemitus, quo suum erga nos amorem melius probet. Atque ità vtrunque verum est, non dormire neque dormitare custodem Israelis, & tamen cessare quasi nostri oblitum, vbi nos torpentes ac mutos videt.

4 Porrò rite probéque instituendæ orationis esto hæc prima lex, vt nõ aliter quàm eos decet qui ad Dei colloquium ingrediuntur, mente animóque compositi simus. Quod scilicet quantum ad mentem consequemur, si carnalibus curis cogitationibúsque expedita, quibus à recto puróque Dei intuitu auocari aut deduci queat, non modò tota intendat se in precationem, sed etiam quoad fieri potuerit supra seipsam eleuetur ac feratur. Neque verò mentem hîc requiro ita explicitam vt nulla solicitudine pungatur ac mordeatur: quum oporteat contrà multa anxietate, orandi feruorem in nobis accendi (qualiter sanctos Dei seruos, ingentes cruciatus nedum solicitudines videmus testari, quum è profunda abyssо atque è mediis mortis faucibus querulam se ad Dominum efferre vocem dicũt) sed alienas & extraneas omnes curas abigendas dico, quibus huc & illuc vaga ipsa mens circunferatur, & è cælo detracta in terram deprimatur. Supra se verò ipsam eleuari oportere intelligo, nequid eorum quę cæca & stolida nostra ratio commentari solet, in Dei conspectum proferat, nec se intra vanitatis suæ modulum constrictam teneat, sed ad puritatem Deo dignam assurgat.

5 Vtrunque

¶ Vtrunque notatu apprime dignum, vt quisquis se ad orandum comparat, illuc suos sensus studiáque applicet, neque (vt fieri solet) distrahatur erraticis cogitationibus: quia nihil magis contrarium Dei reuerentiæ quàm leuitas testis illa licentiæ nimium lasciuientis & ab omni metu solutæ. Qua in re tanto enixius laborandum est quanto magis difficilem experimur. nemo enim sic intentus est ad precandum quin multas obliquas cogitationes obrepere sentiat, quæ orationis cursum vel abrumpãt vel flexu aliquo ac diuerticulo morentur. Hîc verò nobis succurrat quàm indignum sit, vbi Deus nos ad familiare alloquium admittit, abuti tanta eius humanitate, sacra profanis miscendo, dum eius reuerentia mentes nostras sibi deuinctas nõ tenet: sed perinde acsi nobis sermo esset cum homine vulgari inter orandum, omisso illo, huc vel illuc transuolamus. Sciamus ergo non alios rite probéque se accingere ad orandum, nisi quos afficit Dei maiestas, vt expediti terrenis curis & affectibus ad eam accedant. Atque id sibi vult ceremonia eleuationis manuum, vt meminerint homines se procul remotos esse à Deo, nisi sensus suos in sublime tollant. Sicut etiam dicitur in Psalmo, Ad te leuaui animam meam. Et sæpius hanc loquendi formam vsurpat Scriptura, orationem tollere: ne in suis fæcibus desideãt qui cupiunt à Deo exaudiri. Hæc summa sit, quo liberalius nobiscum Deus agit, comiter nos inuitans vt in sinum suum curas nostras exoneremus, minus nos esse excusabiles nisi tam præclarum & incomparabile eius beneficium rebus aliis omnibus apud nos præponderat, nósque ad se trahit, vt studia sensúsque nostros seriò ad orandum applicemus. quod fieri non potest nisi mens cum impedimentis fortiter luctãdo sursum emergat. Alterum proposuimus, ne petamus nisi quantum nobis Deus permittit. Etsi enim iubet nos effundere corda nostra, non tamen stultis ac prauis affectibus indifferenter habenas laxat: & dum promittit se facturum secundum piorum voluntatem, non eovsque procedit indulgentia, vt eorum arbitrio se submittat. Atqui in vtroque passim grauiter delinquitur: neque enim modò temere sine fronte, sine reuerentia Deum plerique de suis ineptiis interpellare audent, & quicquid per somnium adlibuerit, ad eius tribunal impudenter proferre: sed tanta vel stoliditas vel stupiditas eos tenet, vt spurcissimas quasque cupiditates obtrudere Deo ausint, quarum conscios facere homines vehementer pudeat. Audaciam hanc riserunt atque etiam detestati sunt quidam profani homines, vitium tamen ipsum semper regnauit: atque hinc factum est vt ambitiosi Iouem sibi patronum ascisserent, auari Mercurium, Appollinem & Mineruam doctrinæ cupidi, bellicosi Martem, Venerem libidinosi. Sicuti hodie (vt nuper attigi) maiorem licentiam illicitis suis cupiditatibus homines in precibus indulgent, quàm si pares cum paribus iocosè fabularentur. Atqui non patitur Deus suam facilitatem ita haberi ludibrio, sed ius suum sibi vendicans, vota nostra sub imperio subiicit & fræno coercet. ideo tenendũ est illud Iohannis, Hæc est fiducia nostra, quòd siquid petierimus secundũ voluntatẽ eius, audit nos. Cæterũ quia tantæ perfectioni longè abest quin pares sint facultates nostræ, quærẽdum est remedium quod ectum eódem sequi necesse est. Vtrunque verò longè infra subsistit, imò verius fatiscũt & deficiunt, aut in contrariũ feruntur. Ideo vt huic imbecillitati succurat Deus, spiritum in precibus nobis dat magistrum, qui dictet quod rectum est, atque affectus nostros moderetur. Quia enim quid orandum sit quemadmodum oportet nescimus, in subsidium ille subit, & pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus, non quòd ipse reuera vel precetur vel ingemiscat: sed fiduciam, vota, suspiria in nobis excitat, quibus concipiendis haudquaquam sufficerẽt naturæ vires. Neque abs re gemitus inenarrabiles Paulus vocat quos duce Spiritu emittunt fideles quia non ignorant qui verè exercitati sunt in precibus, cæcis anxietatibus ita se perplexos constringi vt vix reperiant quid profari expediat: imò dum conantur balbutire, impliciti hæsitant. vnde sequitur singulare esse rectè orandi donum. Hæc non eo dicuntur quo nos ipsi proprię desidiæ fauentes, ad Dei Spiritum orandi prouinciam relegemus, & torpeamus in illa incuria ad quam plus satis sumus procliues: (qualiter impiæ quorundam voces audiuntur, oscitãter esse expectandum donec ille mentes nostras alibi occupatas pręueniat) sed potius vt nostram ignauiam socordiámque pertæsi, tale Spiritus adminiculum expetamus. Nec verò Paulus quum iubet orare in Spiritu, ideo desinit ad vigilantiam hortari: significans ita vigere Spiritus instinctum ad formandas preces, vt conatum nostrum minimè impediat vel retardet: quoniam hac in parte vult Deus experiri quàm efficaciter corda nostra impellat fides.

Psalm.25.a.1

Psalm.62.c.9

1.Iohã.5.c.14

Rom.8.c.26

2.Cor.14.c.16

6 Esto & altera lex, vt rogando semper inopiam nostram verè sentiamus, ac seriò cogitantes omnibus quæ petimus nos indigere, serium imò ardentem impetrandi affectum iungamus cum ipsa precatione. Multi enim defunctoriè preces ex formula recitant, acsi pensum Deo soluerent: & quãquam fatentur necessarium suis malis remedium hoc esse, quia Dei ope quam implorant carere exitiale sit: apparet tamen hoc officio ipsos defungi ex more: quia interim frigent animi, neque expendunt quid postulent. Generalis quidem & confusus necessitatis suæ sensus illuc eos ducit: sed nõ eos solicitat quasi in re præsenti, vt egestatis suæ leuamen petant. Porrò quid odiosius aut etiam Deo magis execrandum putamus hac fictione, vbi quis veniam peccatorum postulat, interim aut se peccatorem non esse cogitans, aut certè peccatorem esse non cogitans? nempe qua Deus ipse planè ludibrio habetur. Atqui eiusmodi prauitate, vt nuper dixi, refertum est hominum genus, vt defungẽdi causa permulta sæpe flagitent à Deo quæ citra eius beneficentiam aut sibi aliunde euenire, aut iam apud se residere pro certo iudicãt. Aliorum leuius delictum esse videtur, sed neque ipsum tolerabile: vt preces sine meditatione demurmurẽt qui tantùm hoc principio imbuti sunt, votis litandum esse Deo. Piis autem maximè cauendum ne vnquam prodeant in conspectum Dei quicquam postulaturi, nisi quòd & serio animi affectu exardescunt, & ab ipso simul obtinere cupiunt. Quinetiam tametsi in iis quæ in Dei gloriam duntaxat petimus, non videmur primo intuitu necessitati nostrę consulere, ea tamen non minori desiderii feruore & vehementia peti conuenit. Vt quum poscimus nomen eius sanctificari, ardenter (vt ita dicam) esurienda & sitienda est illa sanctificatio.

7 Si quis obiiciat, non semper æquali necessitate vrgeri nos ad precãdum, fateor id quidem: atque hæc distinctio nobis ab Iacobo vtiliter traditur, Tristatur quis inter vos? oret. qui lætus est, canat. Ergo dictat ipse communis sensus, quia nimiũ pigri sumus, prout res exigit, nos acrius à Deo pungi ad strenuè orandum. Et hoc tempus opportunum nominat Dauid: quia (sicuti pluribus aliis locis docet) quo nos durius premunt molestiæ, incõmoda, timores, aliæque species tẽtationum, acsi nos Deus ad se accerseret, liberior patet accessus. Interea non minus verum est illud Pauli, omni tempore orandum esse: quia vtcunque ex animi nostri sententia res prosperè fluant, & vndique nos circundet lætitiæ materia, nullum tamen est punctum temporis quo nos ad precandum inopia nostra non hortetur. Abundat quispiam vino & tritico: quando buccella panis nisi assidua Dei gratia frui non potest, non impedient cellæ vel horrea quominus panem quotidianum postulet. Iam si reputemus quot singulis momentis discrimina immineant, nullum ab orando immune nobis esse tempus docebit metus ipse. Hoc tamen in spiritualibus melius licet cognoscere. Quando enim tot peccata, quorum nobis sumus conscii, nos securos cessare sinent quin suppliciter & culpam & pœnam deprecemur? Quando nobis tẽtationes inducias concedunt quin ad auxilium properemus? Adhæc regni Dei & gloriæ studium non per interualla, sed assiduè nos rapere ad se ita debet vt eadem semper nos maneat opportunitas. Ergo non frustra toties nobis præcipitur orandi assiduitas. Nondum de perseuerantia loquor, cuius postea fiet mentio: sed Scriptura assiduè orandum admonens, socordiam nostram coarguit: quia nõ sentimus quàm necessaria sit nobis hæc cura & sedulitas. Hac regula hypocrisis & Deo mentiendi calliditas ab oratione arcetur, imò longè abigitur. Promittit Deus se propinquum fore omnibus qui inuocauerint eum in veritate, & inuenturos denuntiat qui quæsierint in toto corde. eò minimè aspirant qui sibi placent in suis sordibus. Itaque pœnitentiam legitima oratio postulat. Vnde illud tritum in scripturis, Deum sceleratos non exaudire, & preces eorum esse execrabiles, sicuti & sacrificia: quia æquum est vt Dei aures clausas inueniant qui obserant corda sua, nec Deum flexibilem sentiant qui sua duritie prouocant eius rigorem. Apud Iesaiam minatur in hunc modum, Quum multiplicaueritis preces vestras, nõ exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Item apud Ieremiam, Clamaui, & renuerunt audire: clamabunt ipsi vicissim, & non audiam. quia summi probri loco ducit, iactari fœdus suum ab improbis, qui sacrum eius nomen tota vita polluunt. Vnde apud Iesaiam conqueritur, quum labiis ad se Iudæi accedant, cor eorum esse longè remotum. Non restringit quidem hoc ad solas preces: sed fictionem in singulis cultus sui partibus se abominari asserit. Quò pertinet illud Iacobi, Petitis, & non accipitis: quia malè petitis, vt in voluptates vestras insumatis. Verum quidem est (vt paulo pòst iterum videbimus) non inniti dignitati piorum quas fundunt preces: non tamen superuacua est Iohannis admonitio, Siquid petierimus

Ephes.6.c.18
Iacob.5.c.13
Psal.32.b.6
Ephes.6.c.18
Iesa.1.d.15
Iere.11.a.7.8,& b.11
Iesa.29.d.13
Iacob.4.a.3
1.Ioh.3.d.22

petierimus, accipiemus ab eo, quia præcepta eius seruamus: quandoquidem mala conscientia ianuam nobis claudit. Vnde sequitur nec rite precari, nec exaudiri nisi synceros Dei cultores. Displiceat igitur sibi in suis malis quisquis se ad orādum comparat: &(quod sine potentia fieri non potest)induat mendici personam & affectum.

8 Huc & tertia accedat, vt omni propriæ gloriæ cogitatione se abdicet, omnem dignitatis opinionem exuat, omni denique sui fiducia decedat quisquis se coram Deo sist.t precandi causa, dans in abiectione sui gloriam Deo in solidum. ne siquid, vel minimum, arrogemus nobis, cum inani nostra inflatione ab eius facie concidamus. Huius summissionis, quæ omnem altitudinem prosternit, frequentia exempla in Dei seruis habemus: quorum vt quisque est sanctissimus, ita quum in Domini conspectum prodit, plurimum prosternitur. Sic Daniel, quem tanto elogio Dominus ipse commēdauit, Non in iustitiis nostris, dicebat, coram te fundimus preces: sed in misericordiis tuis magnis. Exaudi nos Domine, Domine propitius sis nobis. Exaudi nos, & fac quæ petimus, propter temetipsum: quia inuocatum est nomen tuum super populum tuum, & super locum sanctum tuum. Neque verò obliqua figura, vt fieri solet, quasi vnus è populo se turbæ permiscet, quin potius seorsum reatum fatetur, suppléxque ad veniæ asylum confugit: sicuti disertè pronuntiat, Quum ego confessus essem peccata mea & populi mei. Hanc quoque humilitatem suo exemplo præscribit Dauid, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Tali forma precatur Iesaias, Ecce tu iratus es, quia peccauimus: in viis tuis fundatum est seculum, ideo seruabimur. Et fuimus omnes repleti immunditia: & quasi pannus fœdatus, omnes iustitiæ nostræ. & emarcuimus nos omnes quasi folium, & iniquitates nostræ quasi ventus dispergunt nos. Et non est qui inuocet nomen tuū: qui se excitet vt apprehendat te. Quoniam abscondisti faciem tuam à nobis, & tabescere nos fecisti in manu iniquitatis nostræ. Nunc igitur Domine, tu es pater noster, nos sumus lutum: tu es formator noster, & nos sumus opus manus tuæ. Ne irascaris Domine, neque in æternum recorderis iniquitatis. En respice, agedum, nos omnes sumus populus tuus. Vide vt nulla prorsus fiducia nitantur nisi hac vna quòd se Dei esse cogitantes, illi se fore curæ non desperant. Non secus Ieremias, Si iniquitates nostræ responderint cōtra nos, fac propter nomen tuum. Verissimè enim simul ac sanctissimè scriptum est(à quocunque tandem sit)quod ab incerto authore scriptum, Prophetæ Baruch tribuitur, Anima tristis & desolata super magnitudine mali, curua, & infirma, anima famelica, & oculi deficientes dant tibi gloriam Domine. Non secundum iustitias patrum fundimus preces in conspectu tuo, & coram facie tua petimus misericordiam, Domine Deus noster. sed quia tu es misericors, miserere nostri, quia peccauimus coram te.

Dan.9.e.18

Ibidem,20

Psal.143.a.2

Iesa.64.b.5

Iere.14.a.7

Baruch 2. d. 18

9 Denique rite precandi initium atque etiam præparatio est veniæ deprecatio cum humili & ingenua culpæ confessione. Neque enim sperandum est vt quicquam à Deo impetret vel sanctissimus quisque, donec gratis reconciliatus ei sit: nec fieri potest vt aliis Deus sit propitius nisi quibus ignoscit. Vnde non mirum si hac claue ianuam sibi fideles aperiunt ad orandum. quod ex compluribus Psalmorum locis discimus. Dauid enim aliud postulans dicit, Peccatorum iuuentutis meæ & trāsgressionum mearum ne memineris. secundum misericordiam tuam reminiscere mei propter bonitatem tuam Domine. Item, Respice afflictionem meam & laborem meum, & remitte omnia peccata mea. Vbi etiam videmus non satis esse si in singulos dies pro recentibus peccatis nos ad calculum vocemus, nisi in memoriam nobis redeant quibus obliuio pridem inducta videri poterat. Nam & idem Propheta alibi scelus vnum graue confessus, hac occasione vsque ad vterum matris reuoluitur, in quo iam labem contraxerat: non vt culpam ex naturæ corruptela extenuet, sed vt totius vitæ peccata accumulans, quo seuerior est in se damnādo, magis exorabilem Deum reperiat. Etsi autem non semper expressis verbis peccatorum remissionē postulant sancti, si tamen diligēter expendimus quas Scriptura refert eorum preces, facilè quod dico occurret, orandi animum sumpsisse ex sola Dei misericordia, atque ita semper exordium fecisse ab eo placando: quia si quisque suam conscientiam interroget, tātum abest vt audeat familiariter curas suas apud Deum deponere, vt ad omnem accessum trepidet, nisi misericordia & venia fretus. Est quidem & alia specialis confessio, vbi pœnarū leuationem optant, vt simul orent peccata sibi ignosci: quia absurdum esset effectum tolli velle, manēte causa. Cauendū enim est ne stultos ęgrotos imitemur, qui de curandis tantùm accidentibus soliciti, radicem ipsam morbi negligūt. Quin prius danda

Psal.25.b.6

Ibidem,d.18

Psal.51.b.7

opera est vt nobis propitius sit Deus quàm vt fauorem suum externis signis testetur: quia & hunc ordinem tenere vult ipse, & parum nobis prodesset eum habere beneficum, nisi conscientia placatum sentiens, penitus amabilem nobis redderet. Quod etiam monemur Matth.9.a.2 Christi responso: nam quum paralyticum sanare decretum esset, Remittuntur (inquit) tibi peccata tua: erigens animos scilicet ad id quod præcipuè optandum est, vt nos in gratiam recipiat Deus: deinde fructum reconciliationis in ope nobis ferenda proferat. Cæterùm præter specialem illam præsentis reatus confessionem, qua fideles pro impetranda cuiusque culpæ & pœnæ venia supplicant, generalis illa præfatio, quæ conciliat precibus fauorem, nunquam omittenda est: quia nisi in gratuita misericordia fundatæ nunquam 1.Iohã.1.d.9 Deum exorabunt. Quo referri potest illud Iohannis, Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt nobis remittat, & nos emundet ab omni iniquitate. Vnde preces sub Lege sanguinis expiatione consecrari oportuit, vt acceptæ essent, atque ita commoneferet populus se tanta honoris prærogatiua indignum esse, donec à suis inquinamẽtis purgatus, ex sola Dei misericordia conciperet precandi fiduciam.

10 Quòd autem propriæ iustitiæ suffragium interdum ad exorandum Deum citare Psalm.86.a.2 sancti videntur (vt quum Dauid dicit, Custodi animam meam, quia bonus sum. Item 2.Reg.20. Ezechias, Recordare Domine obsecro, quòd ambulaui coram te in veritate, fecíque in 8.4 oculis tuis bonum) talibus loquendi formulis nihil sibi aliud volunt quàm ex ipsa regeneratione, seruos Dei se ac filios testari, quibus ipse fore se propitiũ recipit. Per Prophetam Psal.34.c.16 docet (vt iam visum est) oculos suos super iustos esse, aures suas in preces eorum. Rursus 1.Ioh.3.d.22 per Apostolum, nos impetraturos quicquid petierimus, si mandata sua obseruemus Quibus sententiis pretium orationi nõ statuit ab operum meritis: sed ita stabilire vult eorum fiduciam qui sibi non fucatæ integritatis & innocentiæ probè conscii sunt, quales oportet esse fideles vniuersos. Siquidem ex ipsa Dei veritate sumptum est quod dicit apud Iohan.9.f.21 Iohannem cæcus illuminatus, non exaudiri à Deo peccatores: si peccatores modò recepto Scripturæ vsu intelligimus, qui citra iustitiæ desiderium toti suis peccatis indormiunt & acquiescunt: quando nullum cor in sinceram Dei inuocationem vnquam prorumpet quod non simul ad pietatem aspiret. Talibus ergo promissis respondent sanctorum obtestationes, quibus suæ vel puritatis vel innocentiæ mentionem iniiciunt, quò sibi exhiberi sentiant quod est omnibus Dei seruis expectandum. Deinde tum fere vsi reperiuntur hoc precationis genere dum se coram Domino cum suis hostibus comparant, è quorum iniquitate eius manu vindicari optarunt. In hac verò comparatione mirum non est si iustitiam suam & cordis simplicitatem protulerunt, quo ex causæ ipsius æquitate magis ad ferendas sibi suppetias Dominum permouerent. Id ergo boni pio pectori non præripimus, quin suæ puritatis conscientia coram Domino fruatur ad se confirmandum in promissionibus quibus veros suos cultores Dominus solatur & fulcit: sed impetrandi fiduciam, deposita proprii meriti cogitatione, sola Dei clementia subniti volumus.

11 Quarta demum, vt ita prostrati & subacti vera humilitate, nihilominus certa spe exorandi adorandũ animemur. Res quidem in speciem contrariæ, cum sensu iustæ vltionis Dei coniungere certam fiduciam fauoris: quæ tamen inter se optimè conueniunt, si propriis malis oppressos sola Dei bonitas erigat. Sicuti enim antè docuimus pœnitẽtiam & fidem socias esse inseparabili vinculo simul cõnexas, quarum tamen altera nos terret, altera exhilarat: ita in precibus mutuò eas occurrere oportet. Atque hunc cõsensum pau- Psalm.5.b.8 cis verbis exprimit Dauid, Ego, inquit, in multitudine bonitatis tuæ ingrediar domum tuam: adorabo in templo Sãctitatis tuæ cum timore. Sub Dei bonitate fidẽ complectitur timorem interea non excludens: quia non tantùm eius maiestas ad reuerentiam nos cogit, sed propria etiã indignitas omnis superbię & securitatis oblitos sub metu nos cõtinet. Fiduciam verò non intelligo, quæ solutam omni anxietudinis sensu mẽtem suaui & perfecta quiete demulceat. nam ita placidè acquiescere, eorum est qui rebus cunctis ex voto fluentibus, nulla tangũtur cura, nullo desiderio vruntur, nullo timore æstuant. Optimus autem ad inuocationem Dei stimulus sanctis est, dum necessitate sua districti summa irrequietudine vexantur, & tantũ non examinantur in seipsis, donec opportunè fides succurrit: quia inter tales angustias ita ipsis affulget Dei bonitas, vt præsentiũ quidem malorum grauitate fatigati gemant, maiorum etiam timore laborent & crucientur, illa tamen freti, & tolerantiæ difficultatem subleuent ac solentur, & exitum liberationémque sperent. Ex vtroque ergo affectu emergat pii hominis oratio conuenit, vtrunque etiam

etiam cõtineat & repræsentet: nẽpe vt malis præsentibus ingemat,& à nouis sibi anxiè timeat:tamen confugiat simul ad Deum,minimè dubitans quin auxiliarem ille manum porrigere sit paratus.Mirum enim quàm diffidentia nostra irritetur Deus, si poscamus à se quam non expectamus beneficentiam.Itaque nihil magis cõsentaneum precationum naturæ quàm legem hanc illis præscribi & statui, ne temere prorumpant, sed fidem præeuntem sequãtur.Ad hoc principium nos omnes Christus vocat,hac sententia,Dico vobis,quæcunque petitis,credite vos accepturos, & euenient vobis. Idem & alibi cõfirmat, Quicquid petieritis in oratione credentes, &c. Cui concinit Iocobus, Si quis indiget sapientia,postulet ab eo qui dat omnibus simpliciter, nec exprobrat: postulet autem in fide, nihil hæsitans. Vbi hæsitationi fidem opponens,vim eius aptissimè exprimit.Non minus etiam notandum quod addit, nihil proficere qui Deum perplexi & dubii inuocant, nec statuunt in animis suis exaudiendi sint necne. Quos etiam fluctibus comparat qui variè mouentur à vento & circunferuntur. Vnde alibi orationem fidei pro legitima nuncupat. Deinde quum Deus secundum suam cuique fidem se daturum toties affirmet, citra fidem nihil consequi nos posse innuit. Denique fides est quæ impetrat quicquid orando conceditur.Id sibi vult celebris illa Pauli sententia, ad quam insipidi homines parum attendunt, Quomodo inuocabit quispiam in quem non credidit? quis autem credet nisi audierit? Fides autem ex auditu, auditus ex verbo Dei. Nam precandi exordium ex fide gradatim deducens, apertè contendit non posse Deum ab aliis syncerè inuocari, nisi quibus Euangelii prædicatione clementia eius & facilitas innotuerit, imò familiariter fuerit exposita.

Mat.11.c.24
Mat.21.b.22
Iacob.1.a.5
Iacob.5.c.15
Rom.10.c.14

12 Hanc necessitatem minimè cogitant aduersarii nostri. Itaque quum certa animi fiducia fideles iubemus statuere, Deũ sibi propitium esse ac beneuolũ, rem omnium absurdissimam dicere nos putant. Atqui si vllum veræ precationis vsum haberent, intelligerent profectò, sine firmo illo diuinæ beneuolentiæ sensu, non posse Deum rite inuocari.Quum verò fidei vim bene perspicere nemo queat nisi qui experimento eam in corde suo sentit:quid cum eiusmodi hominibus disputando proficias, qui apertè ostendunt nihil se vnquam præter vanam imaginationem habuisse? Quid enim valeat & quàm necessaria sit illa, quam requirimus certitudo, ex inuocatione potissimũ discitur. quod qui non videt,valde stupidam habere se conscientiã prodit. Nos igitur,omisso hoc cæcorum genere, defixi in illa Pauli sentẽtia hæreamus, non posse ab aliis inuocari Deum nisi qui eius misericordiam ex Euangelio cognitam habẽt, & eam sibi paratam esse certò persuasum si sunt.Qualis enim erit ista oratio? O Domine, ego quidem an exaudire me velis dubius sum:sed quia anxietate premor,ad te cõfugio,vt si dignus sum mihi succurras. Non ita soliti sunt omnes sancti, quorum orationes in Scripturis legimus. Nec ita nos instituit per Apostolum Spiritus sanctus,qui iubet nos adire ad thronum cælestẽ cum fiducia, vt gratiam consequamur: & quum alibi docet nos habere audaciam & aditum in fiducia per fidem Christi.Hanc ergo obtinẽdi quod petimus securitatem (quam & sua voce Dominus mandat, & omnes sancti exemplo suo docent) vtraque manu tenere nos oportet, si cum fructu orare volumus. Ea enim demum accepta Deo est oratio quæ ex tali, vt ita loquar,præsumptione fidei nascitur, & intrepida spei certitudine fundata est. Poterat simplici fidei nomine esse contentus:atqui non modò fiduciam addidit, sed eam quoque instruxit libertate vel audacia', vt hac nota discerneret à nobis incredulos, qui Deum promiscuè quidem nobiscum orant, sed fortuitò. Qua ratione tota Ecclesia in Psalmo orat: sit misericordia tua super nos, quemadmodum sperauimus in te. Eadem etiam conditio alibi ponitur à Propheta, Quo die clamauero, hoc scio quòd Deus mecum. Item, Mane disponam tibi,& speculabor. Ex his enim verbis elicimus preces in aerem frustra proiici, nisi spes sit annexa, vnde velut è specula Deum quieti expectemus. Quibus conuenit series Paulinæ exhortationis. nam antequam fideles ad precandũ in spiritu solicitet omni tempore cum vigilantia & assiduitate, in primis iubet assumere scutum fidei, galeam salutis,& gladium Spiritus,quod est verbũ Dei.Memoria porrò hîc repetant lectores quod antè dixi, minimè labefactari fidem, vbi cum miseriæ, egestatis, sordiúmque nostrarum agnitione connectitur. Quantumuis enim graui scelerũ mole premi se vel laborare sentiant fideles,nec modò rebus omnibus vacuos quæ fauorem cõciliare apud Deũ queant, sed oneratos multis noxis quæ eum meritò formidabilem reddant: non tamen desinunt se offerre,neque terret eos hic sensus quominus ad ipsum se conferant:quando non alius

Psal.33.d.22
Psal.56.b.10
Psal.5.a.5
Heb.4.d.16
Ephes.3.c.12
Ephes.6.c.16

eſt ad eum ingreſſus. Neque enim inſtituta eſt oratio qua nos arrogãter coram Deo effe-
ramus, aut quicquam noſtrũ magno æſtimemus, ſed qua reatum noſtrũ confeſſi, ærum-
nas noſtras apud eum deploremus: quemadmodum filii apud parentes familiariter que-
relas ſuas deponunt. Quin potius immenſa malorum noſtrorum congeries calcaribus vel
ſtimulis referta eſſe debet quæ nos ad precandum incitent. qualiter etiam nos ſuo exem-
Pſal.41.a.5 plo docet Propheta, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Fateor quidem in iis aculeis
mortiferas fore punctiones niſi Deus ſuccurreret: verùm pro incomparabili ſua indul-
gentia optimus Pater tempeſtiuum remedium addidit, quo perturbationem omnem ſe-
dans, curas leniens, metus abſtergens, comiter nos ad ſe alliceret, imò ſcrupulos omnes
tollens, nedum obſtacula, facilem viam ſterneret.

13 Ac primò quidem orare nos iubens, ipſo præcepto nos coarguit impiæ contuma-
ciæ, niſi obſequimur. Nihil magis præciſè mãdari poterat quàm quod habetur in Pſalmo,
Pſal.50.c.15 Inuoca me in Die tribulationis. Sed quia inter pietatis officia nullum frequentius com-
Mat.7.b.7 mendant Scripturæ, non eſt quòd longius hîc immorer. Petite (inquit magiſter) & acci-
pietis: pulſate, & aperietur vobis. Quanquam hîc præcepto adiũgitur etiam promiſſio, vt
neceſſe eſt. etſi enim præcepto eſſe obediendum fatentur omnes, maior tamen pars re-
fugeret Deum vocantem, niſi ſe exorabilem adeóque obuium fore promitteret. His qui-
dem duobus poſitis, certum eſt quicunque tergiuerſantur ne rectâ ad Deum veniãt, non
modò eſſe rebelles & immorigeros, ſed etiam incredulitatis conuinci: quia promiſſioni-
bus diffidunt. Quod eo magis notãdum eſt, quia hypocritæ, humilitatis & modeſtiæ præ-
textu, tam ſuperbè contemnunt Dei præceptum, quàm fidem benignæ inuitationi abro-
gant: imò eum fraudant præcipua cultus ſui parte. Nam vbi ſacrificia repudiauit in qui-
bus tunc videbatur ſita eſſe tota ſanctitas, hoc ſummum eſſe & ſibi præ aliis pretioſum
declarat, inuocari in die neceſſitatis. Quare vbi quod ſuum eſt exigit, & ad parẽdi alacri-
tatem nos animat, nulli ſunt tam ſpecioſi dubitandi colores qui nos excuſent. Quæcun-
que ergo paſſim occurrunt in Scripturis teſtimonia quibus nobis præcipitur Dei inuoca-
tio, totidem ante oculos noſtros figuntur vexilla quæ nobis fiduciam inſpirent. Temeri-
tatis eſſet prorumpere in Dei conſpectũ, niſi ipſe anteuerteret nos vocando. itaque viam
Zach.13.c.9 nobis ſua voce patefacit: Dicam illis, Populus meus vos: dicent mihi, Tu Deus noſter. Vi-
demus vt cultores ſuos præueniat, velítque ſubſequi, ideóque timendum non eſſe ne pa-
rum ſuauis ſit hæc melodia quam ipſe dictat. Inſigne præſertim illud Dei elogium nobis
Pſal.65.a.3 in mentem veniat, quo freti omnia obſtacula nullo negotio ſuperabimus, Tu Deus exau-
diẽs precationem: ad te vſque omnis caro veniet. Quid enim magis amabile vel blãdum
quàm Deum hoc titulo indui, qui certiores nos reddat nihil magis eſſe naturæ eius pro-
prium quàm ſupplicum votis annuere? Hinc ianuam patere colligit Propheta non pau-
Pſal.50.c.15 cis ſed cunctis mortalibus: quia etiam omnes hac voce compellat, Inuoca me in die affli-
ctionis: eruam te, & glorificabis me. Secundum hanc regulam Dauid promiſſionem ſibi
2.Sa.7.d.27 datam obiicit, vt obtineat quod petit. Tu Deus reuelaſti in aurem ſerui tui: propterea in-
uenit ſeruus tuus cor ſuum vt oraret. Vnde colligimus pauidũ fuiſſe niſi quatenus eum
promiſſio erexerat. Sic alibi generali doctrina ſe inſtruit, Voluntatem timẽtium ſe faciet.
Pſal.145.d. 19 Imò hæc in Pſalmis animaduertere licet, quaſi abrupto orandi contexu tranſitum fieri
nunc ad Dei potentiam, nunc ad bonitatem, nunc ad fidem promiſſionum. Videri poſ-
ſet intempeſtiuè Dauid ſententias illas inſerens, preces mutilas reddere: ſed vſu & expe-
rientia compertum habent fideles langueſcere ardorem niſi adhibeant noua fomenta:
ideóque minimè inter precandũ ſuperuacua eſt tam naturæ Dei quàm verbi meditatio.
Atq; ita exẽplo Dauidis inſerere ne pigeat quæ lãguidos animos nouo vigore reficiant.

14 Ac mirum eſt tanta promiſſionum dulcedine vel frigidè vel nullo ferè modo nos
affici vt per ambages vagando bona pars malit relicto aquarum viuentium fonte ſibi fo-
dere aridas ciſternas, quàm Dei liberalitatem vltro ſibi oblatã amplecti. Arx inexpugna-
Pro.18.b.10 bilis nomen Domini, (inquit Solomo) ad eam confugiet iuſtus, & ſeruabitur. Ioel verò,
poſtquam de horribili quæ inſtabat clade vaticinatus eſt, memorabilẽ illam ſententiam
Ioel.2.g.32 ſubiicit, Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: quam ſcimus propriè ad cur-
ſum Euangelii ſpectare. Vix centeſimus quiſque mouetur, vt in occurſum Deo prodeat.
Ieſa.65.d.24 Clamat ipſe per Ieſaiam, Inuocabitis me, & exaudiam vos. Imò antequã clametis reſpon-
debo vobis. Hoc quoque eodem honore alibi totam Eccleſiam cõmuniter dignatur: ſic-
Pſal.91.d.15 uti ad omnia Chriſti membra pertinet. Clamauit ad me, exaudiam eum: cum ipſo ſum
in tribu-

in tribulatione,vt eripiam eum.Neque tamen(vt iam dixi)locos omnes numerare propositum est: sed eximios quosque deligere, ex quibus gustemus quàm humaniter ad se nos Deus alliciat,& quàm arctis vinculis constricta sit nostra ingratitudo,vbi inter tam acres stimulos adhuc pigritia nostra cunctatur. Quare in auribus nostris semper resonent hæ voces,Propè est Dominus omnibus inuocantibus se,inuocantibus in veritate.Item quas ex Iesaia & Ioele citauimus:quibus affirmat Deus se intentum esse ad exaudiẽdas preces, adeóque oblectari quasi grati odoris sacrificio,vbi curas nostras in ipsum cõiicimus. Hũc singularem percipimus promissionum Dei fructum, vbi non dubitanter & trepidè concipimus preces:sed eius verbo freti cuius nos alioqui terreret maiestas, audemus eum inuocare Patrem,quando hoc suauissimum nomen suggerere nobis dignatur.Restat vt talibus inuitamentisprædi ti,sciamus inde satis esse nobis materiæ ad exorandum: quando preces nostræ nullo merito nituntur, sed tota earum dignitas & spes impetrandi fundata est in Dei promissionibus,atque ab eis pendet:vt neq; indigeat alia fultura, neque sursum huc vel illuc circunspiciat. Itaque cum animis nostris statuendum est, etiamsi non excellimus pari sanctitate quæ laudatur in sanctis patribus, Prophetis & Apostolis, quia tamẽ cõmune est nobis orãdi prçceptum & communis fides,si verbo Dei innitimur,nos in hoc iure eorum esse socios. Deus enim (vt antè visum est) se facilẽ ac propitium omnibus fore denuntians, miserrimis quibusque spem obtinendi quod petierint, facit. atque ideo notandæ sunt generales formæ,quibus nemo(vt vulgò dicunt)à primo ad vltimum excluditur:tantùm adsit cordis synceritas,displicentia nostri,humilitas,& fides:ne hypocrisis nostra Dei nomen fallaci inuocatione profanet: non respuet optimus Pater, quos non modò ad se venire hortatur, sed quibuscunque potest modis solicitat. Hinc illa precãdi ratio Dauidis quam nuper recitaui,En pollicitus es Domine seruo tuo: eam ob rem colligit animum hodie seruus tuus,& inuenit quod oraret coram te.Nunc ergo Domine Deus,tu es Deus,& verba tua vera erunt. Loquutus es seruo tuo de his beneficiis. incipe ergo & fac.Sicut etiam alibi,Præsta seruo tuo secũdum eloquium tuum. Et omnes simul Israelitæ, quoties se fœderis recordatione muniunt, satis declarant non esse timidè orandum, vbi Deus ita præscribit.atque in hoc imitati sunt Patrum exempla, præsertim Iacobi, qui postquam confessus est se minorem esse tot misericordiis quas susceperat è manu Dei, ad maiora tamen postulanda se animari dicit, quia Deus se facturum promiserat. Quoscunque verò colores obtendant increduli, vbi ad Deum non confugiunt quoties vrget necessitas, ipsum non requirunt, nec eius opem implorant, non aliter defraudant eum legitimo honore,quàm si fabricarent sibi nouos Deos & idola:siquidem hoc modo Deum sibi bonorum omnium authorem esse negãt. Contrà nihil validius ad pios omni scrupulo liberandos, quàm armari hac cogitatione, non esse cur vlla remora impediat dum morem gerunt Dei mandato,qui obedientia nihil sibi gratius esse pronuntiat.Hinc rursus quod prius dixi clarius eluceſcit,probè cum metu,reuerentia,solicitudine quadre intrepidum precãdi spiritum, neque verò absurdũ esse si prostratos Deus erigat. Hoc modo bellè inter se consentiunt quæ in speciem repugnant loquendi formæ. Dicunt Ieremias & Daniel se prosternere preces coram Deo. Alibi Ieremias, Cadat oratio nostra in conspectu Dei, vt misereatur residuæ plebis suæ. Rursus sæpe fideles dicuntur oratione leuare.Sic loquitur Ezechias, Prophetam rogans vt intercedendi vices suscipiat. Et Dauid precem suam ascendere cupit sicuti incensum.Nẽpe quãuis de paterno Dei amore persuasi in eius fidem se alacriter conferant, nec dubitent quam vultrò opem promittit implorare:non tamen supina eos quasi proiecta fronte securitas attollit,sed ita per gradus promissionum sursum ascendunt,vt tamen supplices maneant in sui deiectione.

Ierem.42.b.9 Dan.9.c.18 Ierem.42.a.2 2.Reg.20.b.10 Psal.141.a.2

15 Hîc non vna obiicitur quæstio: nam Scriptura refert votis quibusdã Deum morem gessisse,quæ tamen ex animo minimè sedato vel composito eruperant.Iusta quidem de causa Ioathan incolas Sichem cladi quæ postea superuenit deuouerat: sed tamen feruore iracundię & vltionis accensus:morem execrationi gerẽs Deus,videtur impetus malè ordinatos probare. Talis etiam feruor Samsonẽ rapuit, quũ diceret, Robora me Deus vt sumam vltionẽ de incircuncisis. Etsi enim aliquid fuit probi zeli admixtũ, feruida tamen atque ideo vitiosa cupiditas vindictæ illic dominata est. Annuit Deus. Vnde colligi posse videtur, quanuis ad verbi præscriptum formatæ non sint preces, effectum tamen consequi.Respondeo,singularibus exemplis non aboleri perpetuam legem: deinde speciales interdũ motus inditos paucis hominibus fuisse, quibus factum est vt dissimilis illo-

Iudic.9.c.20 Iudi.16.g.18

Pſa.145.d.18

Gen.32.c.10

Luc.9.g.55 rum esset atque vulgi ratio. Notandum est enim responsum illud Christi, quum discipuli exemplum Eliæ inconsideratè æmulari cuperent,eos nescire quo spiritu essent præditi.Cæterùm vltrà progredi necesse est,nõ semper placere Deo vota quibus annuit: sed quatenus ad exemplum pertinet, claris documentis palàm fieri quod Scriptura docet, eum scilicet miseris succurrere, & eorum exaudire gemitus qui iniustè afflicti opem eius implorant:ideo exequi sua iudicia,dum ad eum surgunt inopum querimoniæ,quãuis indignæ quæ tantillum impetrent. Quoties enim de impiorum sæuitia, rapinis, violentia, libidine aliísque sceleribus pœnas sumens, compescens audaciam & furorem, tyrãnicam quoque potentiam euertens, indignè oppressis se opem ferre testatus est, qui tamen incertum numen orando aerem verberabant? Et Psalmus vnus clarè docet non carere effectu preces quæ tamen fide in cælum non penetrant. Colligit enim quas incredulis non minus quàm piis necessitas extorquet preces ex naturæ sensu: quibus tamen Deum propitium esse ex euentu demonstrat. An quia tali facilitate gratas sibi esse testetur? imò vt suam misericordiam amplificet vel illustret hac circunstãtia,quòd ne incredulis quidem negantur sua vota:deinde vt probos suos cultores ad orandum magis extimulet,dum vident profanos ciulatus non carere interdum profectu. Non tamen est cur fideles deflectant à lege sibi diuinitus imposita, vel inuideãt incredulis, quasi magnum lucrum fecerint,vbi adepti sunt quod volebant. Hoc modo diximus flexum fuisse Deum ficta pœnitentia Achab, vt hoc documento probaret quàm sit exorabilis erga suos electos, vbi ad ipsum placandum vera affertur conuersio. Ideóque in Psalmo cum Iudæis expostulat, quòd experti ipsum votis suis facilem, ad ingenii sui peruicaciam paulo pòst reuersi sint. Quod etiam ex Iudicũ historia liquidò patet, quoties scilicet fleuerũt, etsi fallaces erant eorum lachrymæ,fuisse tamen ereptos ex hostium manibus. Sicut ergo promiscuè Deus solem suum producit super bonos & malos: ita nec fletus eorum contemnit quorum iusta est causa,& auxilio dignæ ærumnæ. Interea non magis hos in salutem exaudit, quàm bonitatis suæ contẽptoribus alimẽta suppeditat.Difficilior videtur esse quæstio de Abrahamo & Samuele: quorum alter nullo Dei verbo instructus pro Sodomitis, alter etiam contra manifestam prohibitionem pro Saule orauit.Eadem ratio Ieremiæ,qui vrbis excidium deprecatus est. quanuis enim repulsam passi fuerint, durum tamẽ videtur eos fide priuare. Atqui solutio hæc modestis lectoribus,vt spero,satisfaciet: generalibus principiis fultos,quibus iubet Deus indignos quoque misericordia prosequi,nõ prorsus fide caruisse,quanuis in ipsa specie frustrata eos fuerit opinio. Prudenter alicubi Augustinus, Quomodo(inquit)fide orant sancti,vt petant à Deo contrà quàm decreuit? nẽpe quia secundum voluntatem eius orant,non illam absconditam & incommutabilem,sed quam illis inspirat,vt eos exaudiat alio modo:sicut prudenter distinguit.Rectè dictum:quia pro suo incomprehensibili consilio sic temperat rerum euentus, vt nõ irritæ sint sanctorum preces quæ fide & errore simul implicitæ sunt. Neque tamen hoc ad imitationem magis valere debet quàm sanctos ipsos excusat: quos non inficior modum excessisse. Quare vbi non extat certa promissio,conditione interposita rogandus est Deus.Quò pertinet illud Dauidis, Euigila ad iudicium quod mandasti: quia ad petendum temporale beneficium speciali oraculo se instructum esse admonet.

Psal.107.

1.Re.21.g.39
Psal.105

Gen.18.c.23
1.Sam.c.11
Iere.32.c.16

Lib.de ciuitate Dei 22. cap.2

Psal.7.b.7

16 Hoc etiam notare operæpretium est, quæ de quatuor rectè orandi legibus disserui,non ita exigi summo rigore, vt preces repudiet Deus in quibus non inueniet perfectam vel fidem vel pœnitentiam,vnà cum zeli ardore votísque rectè cõpositis.Diximus, quanuis oratio familiare sit piorum cum Deo colloquium, seruandam tamen esse reuerentiam & modestiam, ne habenas laxemus quibuslibet votis, ac ne concupiscamus nisi quantũ Deus permittit. deinde, ne vilescat nobis Dei maiestas,tollendas esse sursum mentes ad puram castámque eius veneration ẽ. Hoc nemo qua par fuisset integritate vnquã præstitit.nam(vt de vulgo non loquar) quàm multæ Dauidis querimoniæ intemperiem sapiunt! non quòd consultò vel expostulare cum Deo velit, vel eius iudiciis obstrepere: sed quia præ infirmitate fatiscens non aliud inuenit melius solatium quàm si dolores suos in illius sinum coniiciat. Quinetiam toleratur à Deo nostra balbuties, & inscitiæ datur venia,quoties inconsideratè aliquid nobis excidit: vt certè sine hac indulgentia nulla esset precandi libertas.Cæterùm quanuis Danieli animus esset Dei se arbitrio totum subiicere,nec minore patientia quàm impetrandi studio oraret, emergunt tamen, imò interdum ebulliunt turbulenti affectus, qui à prima quam posuimus lege non parum distant.

Maximè ex clauſula Pſalmi triceſimi noni conſpicere licet quanta doloris vehementia abreptus fuerit ſanctus vir, ne ſibi modum ſtatueret. Deſine(inquit)à me, donec abeam, & non ſim. Diceres hominem deſperatũ nihil aliud expetere niſi vt ceſſante Dei manu in ſuis malis putreſcat. Non quòd deuoto animo ruat in illam intemperiem, aut, vt ſolent reprobi, velit Deum faceſſere, ſed tantùm conqueritur iram Dei ſibi eſſe intolerabilem. In illis etiam tentationibus ſæpe effluunt vota non ſatis bene formata ad regulam verbi Dei, & in quibus non ſatis expendunt ſancti quid fas ſit & expediat. His quidẽ vitiis quæcunque maculatæ ſunt preces repudiari merentur: modò tamen ingemiſcant ſancti, caſtigent ſeipſos, & ſtatim ad ſe redeant, ignoſcit Deus. Sic etiam in ſecunda lege peccant: quia & cum frigore ſuo illis ſæpe luctãdum eſt, neque ſua illos egeſtas & miſeria ſatis acriter pungit ad ſeriò precandum. Iam ſæpe contingit eorum mẽtes dilabi & propè euaneſcere. venia igitur hac quoque in parte opus eſt, ne lãguidæ vel mutilæ vel interruptæ & vagæ preces repulſam patiantur. Hoc naturaliter indidit Deus hominum mentibus, legitimas non eſſe preces niſi mentibus ſurſum ſublatis. Hinc ceremonia eleuationis manuum, vt antè diximus, quæ omnibus ſeculis & gentibus trita fuit, ſicuti adhuc viget: ſed quotuſquiſque, dum manus leuat, non ſibi conſcius eſt tarditatis? quia cor in terra ſubſidit. Quod ad petendam peccatorum remiſſionem ſpectat, quanuis hoc caput nemo fidelium prætereat, ſentiunt tamen qui verè ſunt in precibus exercitati, vix decimam eius ſacrificii partem ſe afferre de quo loquitur Dauid, Sacrificium Deo acceptũ, ſpiritus afflictus. cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Ita ſemper duplex petenda eſt venia, quòd & ſibi conſcii ſint multorum delictorum, quorum tamẽ ſenſu non ita tanguntur vt ſibi quantum oportet diſpliceant: & quatenus in pœnitentia & timore Dei proficere illis datum eſt, iuſto mœrore ob ſuas offenſas proſtrati, iudicis vindictam deprecẽtur. Maximè fidei debilitas vel imperfectio fidelium preces vitiat niſi ſuccurreret Dei indulgentia: ſed nihil mirum eſt hunc defectum à Deo ignoſci, qui aſperis documẽtis ſæpe ſuos exercet, acſi data opera fidem eorũ vellet extinguere. Duriſſima eſt hæc tentatio, vbi clamare cogũtur fideles, Quouſque iraſceris ſuper oratione ſerui tui? acſi preces ipſæ Deum exacerbarent. Sic quum dicit Ieremias, Excluſit Deus orationem meam, non dubiũ eſt violenta perturbatione fuiſſe concuſſum. Innumera eius generis exempla occurrunt in Scripturis, ex quibus patet fidem ſanctorum ſæpe mixtam fuiſſe dubitationibus & agitatam, vt credendo & ſperando aliquid tamen infidelitatis proderent: ſed quia non perueniunt quò optandum eſt, eo magis eniti eos oportet vt correctis vitiis propius in dies ad perfectam orandi legem accedant, ac interea ſentire in quanta malorũ profunditate ſint demerſi qui in ipſis remediis nouos ſibi morbos accerſunt. quãdo nulla eſt oratio quam non meritò faſtidiat Deus, niſi ad maculas conniueat quibus omnes aſperſæ ſunt. Hæc non ideo commemoro vt ſibi quicquam fideles ſecurè condonent, ſed vt ſeipſos ſeuerè caſtigando contendant ſuperare hæc obſtacula: & quanuis omnes vias obſtruere conetur Satan vt eos ab orando prohibeat, nihilominus perrumpant, certò perſuaſi, vt cunque non omnibus remoris expediti ſint, conatus tamen ſuos Deo placere, votáque ſua probari, modò contendant & nitantur quò non ſtatim pertingunt.

Pſal.51.d.19

Pſal.80.a.5

Thren.3.a.8

17 Quando verò nemo eſt hominum dignus qui ſe Deo repræſentet, ac in eius conſpectum prodeat: ipſe cæleſtis Pater, vt nos pudore ſimul & metu eximeret, qui noſtros omnium animos deiicere debebant, Filium nobis ſuum donauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: qui apud ipſum nobis ſit aduocatus & mediator, cuius ductu ad ipſum ſecurè accedamus. tali interceſſione confiſi, nihil, quod eius nomine petierimus, nobis denegatũ iri: vt illi à Patre nihil denegari poteſt. Atque huc omnino referri neceſſe eſt quicquid antehac de fide docuimus: quia ſicuti promiſſio Chriſtum mediatorem nobis commendat, ita niſi ſpes impetrandi eo ſubnixa ſit, orandi beneficio ſe priuat. Nam ſimulac in mentem venit horribilis Dei maieſtas, fieri non poteſt quin expaueſcamus, ac nos inmidabilis gloriæ in ſolium gratiæ commutet: ſicuti etiam docet Apoſtolus vt cum omni fiducia apparere audeamus, miſericordiam conſequuturi & gratiam inuenturi in auxilio opportuno. Atque vt lex de inuocando Deo poſita eſt, vt promiſſio data, exauditum iri qui inuocauerint: ita in nomine Chriſti inuocare peculiariter iubemur: & promiſſionem habemus propoſitam, impetraturos quod in eius nomine petierimus. Hactenus, inquit, non petiiſtis quicquã in nomine meo: petite, & accipietis. In illo die in nomine meo pe-

1.Tim.2.b.5

1.Iohã.2.a.1

Heb.4.d.16

Iohã.14.b.13 & 16.c.24

tetis: & quicquid petieritis, faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Hinc fine controuersia clarum est, eos qui in alio quàm Christi nomine Deum inuocant, illius iussa contumaciter præuaricari, ac voluntatem pro nihilo reputare: nullã verò promissionẽ habere quicquam impetrãdi. Siquidem, vt ait Paulus, omnes Dei promissiones in Christo sunt etiam & amen: id est confirmantur & implentur.

2.Cor.1.d.20

18 Ac diligenter notanda est circunstantia temporis, dum Christus discipulos ad suam intercessionem iubet confugere, postquam in cælũ ascenderit, In illa hora, inquit, petetis in nomine meo. Certum quidem est ab initio non fuisse exauditos quicũque precati sunt, nisi Mediatoris gratia. Hac ratione instituerat in Lege Deus vt solus sacerdos sanctuarium ingrediens gestaret in humeris nomina tribuum Israel, & totidem ante pectus lapides pretiosos: populus autem procul staret in atrio, atque inde vota sua coniungeret cum sacerdote. Quinetiam huc valebat sacrificium vt ratæ essent ac firmæ preces. Ergo illa vmbratilis Legis ceremonia docuit arceri nos omnes à facie Dei, ideóque mediatore opus esse, qui nomine nostro appareat, nósque gestet in humeris, & pectori alligatos teneat, vt in eius persona exaudiamur: deinde sanguinis aspersione preces mundari, quas alioqui nunquam sordibus vacuas esse dictum est. Et videmus Sanctos, quum impetrare aliquid cuperẽt, spem suam in sacrificiis fundasse: quia sciebant votorũ omnium esse sanctiones. Recordetur oblationis tuæ (inquit Dauid) & holocaustum tuum pingue reddat. Hinc colligitur, Deum ab initio Christi deprecatione fuisse placatum, vt piorum vota susciperet. Cur ergo nouam horam assignat Christus qua in suo nomine orare incipient discipuli, nisi quia hæc gratia, vt est hodie illustrior, ita plus commendationis apud nos meretur? Et hoc eodem sensu paulo antè dixerat, Hactenus non petistis quicquam in nomine meo: petite. Non quòd de Mediatoris officio nihil prorsus tenerẽt (quum his rudimentis imbuti essent omnes Iudæi) sed quia nondum liquidò cognouerant, Christum suo in cælum ascensu certiorem quàm antè fore Ecclesiæ patronum. Ergo absentiæ suæ dolorem vt aliquo non vulgari fructu soletur, munus aduocati sibi vẽdicat, & docet præcipuo hactenus beneficio eos caruisse, quo frui illis dabitur dũ eius patrocinio fulti liberius Deum inuocabunt. sicut dicit Apostolus, viam eius recentem eius sanguine dicatam esse. Quo minus excusabilis est nostra prauitas, nisi tam inæstimabile beneficiũ, quod nobis propriè destinatum est, vtroque, (vt aiunt) brachio amplectimur.

Iohã.16.d.26

Exod.28.b.9, & 12.21

Hebr.10.d.20

19 Porrò, quum sit ipse vnica via, ac vnus accessus quo ad Deũ ingredi nobis datur: qui ab hac via deflectunt, & hunc accessum deserunt, iis neque via vlla neque accessus ad Deum supereſt: nihil in eius throno reliquum fit præter iram, iudicium, ac terrorem. Denique quum hunc pro capite ac duce pater nobis signauerit, qui ab eo vllo modo declinant vel obliquant, conantur quantum in se est notam à Deo impressam delere & adulterare. Ita vnus statuitur Mediator Christus, cuius intercessione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater. Quanquam interim & suæ sanctis intercessiones relinquũtur, quibus alii aliorum salutem mutuò inter se Deo commendant, de quibus meminit Apostolus: sed tales quæ ab vnica illa dependeant: tantum abest vt delibent ex ea quippiam. Nam vt à dilectionis affectu scaturiunt, quo nos vltro citróque amplectimur, ceu vnius corporis membra: ita etiam ad capitis vnitatẽ referuntur. Quũ ergo illæ quoque in Christi nomine fiunt, quid aliud quàm testantur, neminem vllis omnino precibus, nisi Christo intercedente, posse adiuuari? Atque vt non obstat sua intercessione Christus quominus in Ecclesia precibus alter alteri vicissim patrocinemur: ita fixũ maneat, omnes totius Ecclesiæ intercessiones in illam vnicam esse dirigẽdas. Imò hoc maximè nomine cauẽda nobis ingratitudo est, quòd Deus indignitati nostræ ignoscens, nõ tantùm singulis pro se orare permittit, sed etiam alios pro aliis admittit deprecatores. Cuius enim superbiæ esset, vbi Deus Ecclesiæ suæ patronos constituit qui meritò repudiari merentur, si pro se quisque priuatim oret; hac liberalitate abuti vt Christi honorem obscurent?

1.Tim.2.a.1

20 Porrò merum est nugamentum quod balbutiunt Sophistæ, Christũ esse redemptionis Mediatorem, fideles autem intercessionis. Quasi verò Christus temporaria mediatione defunctus, æternam & nunquam intermorituram ad seruos suos reiecerit. Benignè scilicet illum tractant, qui tantulam honoris portionem illi decidũt. Atqui longè aliter Scriptura, cuius simplicitate, omissis istis impostoribus, contentum esse pium hominem conuenit. nam quum dicit Iohannes, Siquis peccauerit, aduocatum nos habere apud Patrem, Christum Iesum: an patronũ olim nobis fuisse intelligit, ac non potius perpetuam

1.Iohã.2.a.1

pétuam illi interceſſionem aſſignat? Quid, quòd Paulus ſedentẽ ad Patris dexterã etiam pro nobis intercedere affirmat? Quum verò alibi vnicum Dei & hominum Mediatorem illum nuncupat, annõ ad precationes reſpicit quarum antè paulò meminerat? Siquidem pro omnibus hominibus intercedendum præfatus, in eius ſententiæ confirmationẽ mox ſubnectit, vnum eſſe omnium Deum, & vnum mediatorem. Neque verò aliter interpretatur Auguſtinus, quum ſic loquitur, Homines Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus verúſque Mediator eſt. Paulus Apoſtolus, quanquam ſub capite præcipuum mẽbrum, quia tamen membrum erat corporis Chriſti, & nouerat, non per figuram in interiora veli ad ſancta ſanctorum ſed per expreſſam & firmam veritatem in interiora cæli ad ſanctitatem non imaginariam ſed æternam intraſſe maximum & veriſſimum Sacerdotem Eccleſiæ, ſe orationibus fidelium ipſe quoque commendat. Nec mediatorem ſe facit inter populum & Deum: ſed rogat vt omnia corporis Chriſti membra inuicem pro ſe orent: quoniam inuicem ſolicita ſunt membra, & ſi patitur vnum membrum, reliqua compatiuntur. Ac ſic membrorum omnium adhuc in terra laborantium mutuæ pro ſe inuicem orationes aſcendant ad caput quod præceſſit in cælum, in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent vtique & reliqui Apoſtoli. ac ſic multi mediatores eſſent, nec conſtaret ipſius Pauli ratio, qua dixerat, Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus: in quo & nos vnũ ſumus, ſi ſeruamus vnitatem fidei in vinculo pacis. Item alibi, At verò Sacerdotem ſi requiras, ſuper cælos eſt, vbi interpellat pro te, qui in terra mortuus eſt pro te. Neque verò ſomniamus illum, Patris genibus aduolutum, ſuppliciter pro nobis deprecari: verùm cum Apoſtolo intelligimus, ſic eum apparere coram facie Dei, vt mortis eius virtus ad perpetuam pro nobis interceſſionem valeat: ſic tamen vt ſanctuarium cæli ingreſſus, ad conſummationem vſque ſeculorum ſolus populi eminus in atrio reſidentis vota ad Deum deferat.

Rom.8.g.32
1.Tim.2.b.5
Lib. contrà Parmeni.2. cap.8
Rõ.15.g.30
ephe.6.d.19
colo.4.a.3
1.Corint.12.d.25.
1.Tim.2.b.5
Ephe.4.a.3
In Pſal.94

21 Quantum ad Sanctos attinet, qui carne mortui, in Chriſto viuũt, ſiquam illis orationem attribuimus, ne iis quidem ipſis ſomniemus aliam eſſe rogandi Dei viam, quàm Chriſtum, qui ſolus via eſt: aut alio nomine Deo eſſe acceptas eorum preces. Itaque poſtquam Scriptura nos ab omnibus ad Chriſtum vnum reuocat, poſtquam cæleſtis Pater vult omnia in ipſo recolligere: nimii ſtuporis fuit, ne dicam inſaniæ, nobis per ipſos acceſſum ſic velle moliri, vt ab illo abduceremur ſine quo nec eis aditus vllus patet. Id autem aliquot ſeculis factitatum quis neget, hodiéque vbicunque Papiſmus viget, factitari? Ad conciliandam Dei beneuolentiam eorum merita ſubinde obtruduntur: atque vtplurimum, Chriſto præterito, per eorum nomina Deus obſecratur. Annon hoc, quæſo, eſt, munus vnicæ illius interceſſionis quam Chriſto ſuprà aſſeruimus ad illos traducere? Deinde quis vel Angelus, vel dæmon vlli hominum de eiuſmodi quam fingunt ipſorum interceſſione ſyllabam vnquam renuntiauit? in Scriptura enim nihil extat. Quæ ergo eius comminiſcendæ fuit ratio? Certè dum humanum ingenium ſubſidia ſibi ita quærit, quibus non munimur per Dei verbum, luculentè ſuam diffidentiam prodit. Quòd ſi conſcientia eorum omnium appelletur qui ſanctorum interceſſione oblectantur, repe-riemus non aliunde id euenire, niſi quia anxietate laborant, perinde acſi hîc Chriſtus deficeret, aut nimium ſeuerus foret. Qua primùm perplexitate Chriſtum inhonorãt, & ſolius Mediatoris titulo ſpoliant: qui vt illi in ſingularem prærogatiuã à Patre datus eſt, ita neque aliò tranſferri debet. Atque hoc quidem ipſo gloriam natiuitatis eius obſcurant, crucem euacuant: quicquid denique aut fecit, aut paſſus eſt, ſua laude exuunt ac defraudant. ſiquidem huc tendunt omnia, vt ſolus ſit & habeatur mediator. Simul Dei benignitatem abiiciunt, qui ſe illis in Patrem exhibebat. non enim illis Pater eſt, niſi Chriſtum ſibi fratrem eſſe agnoſcant. Quod planè abnegant, niſi fraterno eſſe erga ſe affectu (quo nihil mollius aut tenerius eſſe poteſt) cogitant. Quare illum vnicè Scriptura nobis offert, ad ipſum nos mittit, & in ipſo ſiſtit. Ipſe, inquit Ambroſius, os noſtrum eſt, per quod Patri loquimur: oculus noſter, per quem Patrem videmus: dextera noſtra, per quam nos Patri offerimus. Quo niſi intercedente, nec nobis nec ſanctis omnibus quicquam cum Deo eſt. Si excipiant, quas in templis concipiunt publicas preces finiri hac appendice, Per Chriſtum Dominum noſtrum, friuolum effugium eſt: quia non minus profanatur Chriſti interceſſio, dum mortuorum precibus & meritis miſcetur, quàm ſi ea penitus omiſſa ſoli mortui in ore eſſent. Deinde in ſuis omnibus litaniis, hymnis &

Lib. de Iſaac & anima.

prosis,vbi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur,nulla Christi mentio.

22 Eò autem vsque progressa est stoliditas, vt hîc expressum habeamus superstitionis ingenium,quæ vbi semel frænum excussit,nullum lasciuiẽdi finem facere solet. Nam postquam cœptum fuerat in sanctorum intercessionem respicere,sensim sua cuique procuratio est attributa,vt pro negotii diuersitate nunc hic nũc ille aduocaretur intercessor: tum singuli peculiares sibi diuos asciuerunt, in quorum,nõ secus atque tutelarium deorum,fidem se contulerũt.Neque modò(quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundum vrbium numerũ dii sunt erecti, sed secundum capitũ multitudinem. Atqui, quum in vnam Dei voluntatẽ desideria sua omnia referant, hanc intueantur, in ea acquiescãt: stolidè & carnaliter atque etiam cõtumeliosè de iis cogitat, qui aliam ipsis orationem assignat, quàm qua Dei regnum aduenire expetant. à quo longissimè abest quod illis affingunt,vnumquenque priuato affectu in suos cultores esse propensiorem.Tandem nec ab horrẽdo sacrilegio abstinuerunt plurimi, nõ vt suffragatores iam,verùm vt salutis suæ præsides, inuocando. En quò recidant miseri homines, dum à legitima sua statione, hoc est Dei verbo,euagãtur.Omitto crassiora impietatis mõstra, in quibus tametsi Deo, Angelis & hominibus sunt detestabiles,eorum tamen nõdum ipsos pudet vel piget.Prostrati ad statuam aut picturã Barbaræ, Catharinæ, & similium demurmurant Pater noster. Hũc furorẽ tantũ abest vt Pastores sanandum vel cohibendum curent, vt quæstus odore allecti,plausu suo comprobent. Verùm vt tam fœdi criminis inuidiam à se deriuent, hoc tamen quo colore defendẽt, rogari Eligium vel Medardum vt seruos suos respiciant & iuuent è cælo? sanctam Virginem vt Filium facere iubeat quod petunt? Olim vetitũ fuit in cõcilio Carthaginensi, ne ad altare directa fieret precatio ad sanctos: ac probabile est, quum sancti viri impetum prauæ consuetudinis non possent in totum compescere,hanc saltem moderationem adhibuisse ne hac forma vitiarentur publicæ orationes,Sancte Petre ora pro nobis.Quanto autem longius euasit diabolica eorũ importunitas qui ad mortuos transferre non dubitant quod Dei & Christi proprium erat?

Ieue.2.f.28, & 11.c.13

23 Quòd autem efficere studeant vt Scripturæ authoritate videatur subniti eiusmodi intercessio,frustra in eo laborant.Angelorum,inquiunt, orationes legũtur sæpiùs. neque id modò:sed in Dei conspectum per eorum manus perferri dicũtur fidelium preces. Verùm si Angelis sanctos præsenti vitæ defunctos conferre libet, probandum fuerit esse administratorios Spiritus, quibus delegatũ sit ministerium curãdæ nostræ salutis, quibus demandata sit prouincia custodiendi nos in omnibus viis nostris, qui nos circumeant, qui moneant & consolentur, qui pro nobis excubias agant. quæ omnia illis deferuntur: his autem minimè. Quàm præposterè Angelis sanctos mortuos inuoluãt, satis supérque ex tot diuersis muneribus patet,quibus alios ab aliis Scriptura distinguit. Causidici partibus apud terrenum iudicem fungi nemo audebit nisi admissus: Vnde ergo vermibus tanta licentia vt Deo patronos obtrudant quibus munus iniunctũ non legitur? Voluit Deus Angelos curandæ nostræ saluti præficere. vnde & sacros cœtus frequentant, & Ecclesia illis theatrum est,in quo mirantur variam & multiplicem Dei sapientiam. Quod illis peculiare est,ad alios qui transferunt,certè ordinem à Deo positum,qui inuiolabilis esse debebat,confundunt ac peruertunt.Eadem dexteritate pergunt in citãdis aliis testimoniis. Ieremiæ dicebat Deus, Si steterint Moses & Samuel coram me, nõ est anima mea ad populum istum. Quomodo sic de mortuis(inquiunt) loquutus foret, nisi pro viuis intercedere illos nouisset? Ego verò contrà sic colligo:quum inde appareat neque Mosen neque Samuelem intercessisse pro populo Israelitico, tũc nullam fuisse prorsus mortuorum intercessionem. Quis enim sanctorum de populi salute laborare credẽdus sit,cessante Mose,qui alios omnes in hac parte longo interuallo,dum viueret,superauit? Ergo si minutulas istas argutias sectantur,Mortui pro viuentibus intercedunt,quoniam dixit Dominus, Si intercesserint:ego longè speciosius argumentabor in hũc modũ,In extrema populi necessitate Moses non intercedebat, de quo dicitur, Si intercesserit. Ergo neminem alium intercedere verisimile fit, quum omnes à Mosis humanitate, bonitate & paterna solicitudine procul absint. Id scilicet cauillando consequuntur, vt iis armis vulnerentur quibus se pulchrè munitos putabant. At verò simplicem sententiam sic contorqueri valde ridiculum est: quia tantùm pronuntiat Dominus populi flagitiis se non parciturum, etiamsi Moses aliquis patronus illis contingeret, aut Samuel, quorum precibus se tantopere indulgentem præstiterat. Qui sensus ex simili Ezechielis loco lucidissimè elicitur,

Heb.1.d.14
Psal.91.b.11
Psal.34.b.8

Iere.15.a.1

Eze.14.d.14

Si fuerint,

Si fuerint,inquit Dominus,isti tres in ciuitate viri,Noha,Daniel & Iob,filios & filias non liberabunt in sua iustitia: sed animas tantùm suas liberabunt. Vbi dubium non est quin indicare voluerit, si reuiuiscere duos ex illis contingat. nam tertius eo tempore superstes erat, Daniel scilicet,quem tum constat in primo adolescentiæ flore incomparabile dedisse pietatis specimen. Eos igitur omittamus quos Scriptura clarè demõstrat,cursum suum consummasse.Ideo Paulus,quum de Dauide loquitur, non docet precibus ipsum iuuare posteritatem,sed duntaxat ætati suæ inseruiisse. Act.13.e.36

24 Excipiunt rursum, Ergo eos omni pietatis voto exuemus, qui nihil toto vitæ decursu quàm pietatem & misericordiam spirarunt? Equidem, vt curiosius excutere nolim quid agant,aut quid meditẽtur, ita nequaquam est probabile variis & particularibus votis huc illuc circunferri: sed potius stata atque immota voluntate in Dei regnum aspirare,quod non minus impiorum interitu quàm fidelium salute constat.Quod si verum est, eorum quoque charitatem in communione corporis Christi non dubium est contineri, nec latius patere quàm fert communionis illius natura. Iam verò tametsi in hunc modum pro nobis orare concedam, non tamen ideo à sua quiete discedunt vt distrahantur in terrenas curas:ac multo minus à nobis ideo protinus inuocandi erunt.Neque id agendum ex eo consequitur quòd qui in terris degunt homines,vicissim alii aliorum precibus commendare se possunt. Hoc enim alendæ in ipsis charitati officium seruit dum suas inter se necessitates veluti partiuntur, & mutuò suscipiunt. Atque id quidem faciunt ex Domini præcepto,neque promissione destituuntur:quæ duo semper in oratione primas tenent. Omnes eiusmodi rationes à mortuis absunt:quos à nostro cõtubernio dum subduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiscum, quantum assequi licet coniecturis.Quòd siquis causetur, fieri non posse quin eandem erga nos charitatem retineant, vt sunt vna nobiscum fide coniuncti:quis tamen eo- Eccl.9.b.5.6
vsque longas illis esse aures reuelauit quæ ad voces nostras porrigantur?oculos etiam tam perspicaces qui necessitatibus nostris aduigilent?Nugantur quidem in suis vmbris nescio quid de fulgore diuini vultus ipsos irradiante,in quo,ceu in speculo, res hominum ex alto despiciant.verùm id affirmare,qua præsertim confidentia illi audent, quid est nisi per temulenta cerebri nostri somnia velle in abdita Dei iudicia, sine eius verbo penetrare & perrumpere,ac Scripturam conculcare?quæ toties carnis nostræ prudentiam, sapientiæ Rom.8.b.6
Dei inimicam esse pronuntiat:vanitatem sensus nostri in vniuersum damnat: prostrata omni nostra ratione,solam Dei voluntatem à nobis vult spectari.

25 Quæ verò alia Scripturæ testimonia propugnando huic suo mendacio ascisc unt, pessimè contorquent. Sed enim,inquiunt,Iacob vt suum patrúmque Abraham & Isaac nomen super suam posteritatem inuocetur rogat. Primùm videamus qualis ista sit inuocationis forma inter Israelitas. non enim patres suos ad ferendas sibi suppetias implorant:sed Deum obtestantur quo seruorum suorum,Abraham,Isaac & Iacob meminerit. Eorum ergo exemplum nihil iis patrocinatur qui ad sanctos ipsos sermonem habuerint. Verùm quia stipites isti, qua sunt hebetudine, nec quid sit nomen Iacob inuocare, nec cur inuocandũ sit capiunt:non mirũ si in ipsa quoque forma sic pueriliter titubant. Loquutio hæc nõ semel in Scripturis occurrit.Iesaias enim virorum nomen inuocari super mulieres dicit, dum eos habent maritorum loco sub quorum fide & tutela degant. Ergo inuocatio nominis Abraham super Israelitas,in hoc sita est dum generis sui originem ad eum referunt, eúmque pro authore & parente suo memoria celebri colunt. Neque verò id facit Iacob quòd sit de propaganda nominis sui celebritate solicitus: sed quum totam posterorum beatitudinem constare nouerit hereditate fœderis quod secum Deus pepigerat: quod illis bonorum omnium summum fore videt, comprecatur vt genere suo censeantur. id enim aliud non est quàm fœderis successionem ad eos transmittere. Illi vicissim, dum memoriam eiusmodi precibus suis inducunt, non ad intercessiones mortuorum suffugiunt: sed Domino fœderis sui recordationem obiiciunt,quo clementissimus Pater illis se propitium ac beneficum fore,in Abrahæ, Isaac & Iacob gratiam recepit. Alioqui quàm parum in Patrum merita sancti reclinauerint, testatur publica vox Ecclesiæ apud Prophetam, Tu Pater noster,& Abraham nesciuit nos,& Israel ignorauit Iesa.63.d.16
nos. Tu Domine Pater noster, & redemptor noster.Ac dum sic quidem loquũtur,simul addunt,Conuertere Domine propter seruos tuos. nullam tamen cogitantes intercessionem,sed ad fœderis beneficium animum aduertentes.Nunc verò quũ Dominum Iesum Gen.48.c.16 Iesa.4.a.1

habeamus,in cuius manu non percuſſum modò, ſed cõfirmatum ſit nobis æternum miſericordiæ fœdus:cuius potius nomen in precibus noſtris prætendamus? Et quoniam boni iſti magiſtri his verbis Patriarchas volunt ſtatui interceſſores,ſcire ex ipſis velim cur in tanta turba ne minimum quidem apud eos locum obtineat Abraham,Eccleſiæ pater. Ex qua colluuie ſibi aduocatos ſumant minimè ignotũ eſt. Abraham,quem Deus aliis omnibus prætulit, & quem euexit in ſummum honoris gradũ,negligi ac ſupprimi quàm conſentaneum ſit mihi reſpondeant. Nempe quum palàm eſſet talem vſum veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitum,placuit,occultandę nouitatis cauſa,de antiquis Patribus ſilere:acſi nominum diuerſitas recentem & adulterinũ morem excuſaret. Quòd autem obiiciunt quidam rogari Deum vt in Dauidis gratiam populi miſereatur,adeo non ſuffragatur eorum errori, vt ad eius refutationem maximè ſit efficax. Nam ſi expendimus quam perſonam ſuſtinuerit Dauid: ſegregatur ab omni ſanctorum cœtu, vt quod in eius manu pactum Deus pepigit,ſtabiliat. Ita & fœderis potius quàm hominis habetur ratio, & ſub figura Chriſti interceſſio vnica aſſeritur. Nam quod ſingulare fuit Dauidi,quatenus Chriſti imago fuit,in alios non competere certum eſt.

26 Sed hoc quoſdam ſcilicet mouet quòd ſanctorum orationes ſæpe leguntur exaudi-
Pſal.22.a.5 tæ. Cur? Nempe quia orarunt. In te ſperauerunt(inquit Propheta)& ſalui facti ſunt:clamauerunt,& non ſunt confuſi. Oremus ergo & nos eorum exemplo, vt eorũ inſtar exaudiamur. Hi verò, contrà quàm decet, præpoſterè ratiocinantur, non exauditum iri niſi
Iac.5.d.17 qui ſemel exauditi ſunt. Quanto melius Iacobus? Elias(inquit)homo erat nobis ſimilis:& precatione precatus eſt, ne plueret, & non pluit ſuper terram annos tres & menſes ſex. Rurſum orauit,& cælum dedit pluuiam,& terra dedit fructum ſuum. Quid? An ſingularem aliquam Elię prę̃rogatiuam colligit, ad quam ſit nobis cõfugiendum? Minimè verò, ſed vim piæ puræque orationis perpetuam docet,vt nos ad ſimiliter orãdum exhortetur. Nam Dei promptitudinem ac benignitatem in exaudiendis illis malignè interpretamur, niſi talibus experimentis confirmamur in certiorem promiſſionum eius fiduciam: quibus nõ vni aut alteri,aut etiam paucis inclinatam fore aurem ſuam pollicetur, ſed omnibus qui nomen ſuum inuocauerint. Atque eo minus excuſabilis eſt inſcitia hęc quòd tot Scripturæ admonitiones videntur quaſi ex profeſſo contemnere. Liberatus eſt ſæpius Dauid Dei virtute.an vt eam ad ſe traheret vt eius ſuffragio liberaremur? Longè aliter af-
Pſalm.142.8 firmat ipſe,Me expectant iuſti donec rependas mihi. Item,Videbunt iuſti,& gaudebunt,
Pſal.52.a.8 & ſperabunt in Domino. Ecce pauper iſte clamauit ad Deum, & reſpondit ei. Multæ in
Pſal.34.b.7 Pſalmis ſunt eiuſmodi preces, quibus ad precandum quod poſtulat hac ratione Deum prouocat,ne pudefiant iuſti, ſed ſuo exemplo erigantur ad bene ſperandum. Vno iam
Pſal.32.b.6 contenti ſimus,Propterea orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Quem locum eo libentius citaui quòd non puduit rabulas, qui operam linguæ meritoriæ ad defenſionem Papatus locant, eum obtendere ad probandam mortuorum interceſſionem. Quaſi verò aliud velit Dauid quàm fructum oſtendere qui ex Dei clementia & facilitate proueniet vbi exauditus fuerit. Atque hoc in genere tenendum eſt, experientiam gratiæ Dei,tam erga nos quàm erga alios, non vulgare eſſe adminiculum ad confirmandã promiſſionum illius fidem. Non recito plurimos locos vbi Dauid Dei beneficia ſibi proponit in fiduciæ materiam,quia Pſalmorum lectoribus ſponte occurrent. Hoc idem ſuo ex-
Gen.32.c.10 emplo prius docuerat Iacob,Minor ſum cunctis miſerationibus tuis & veritate quã præſtitiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis egredior. Promiſſionem quidem allegat,ſed non ſolam: quin ſimul effectum coniungit, quo animoſius in futurum confidat eundem erga ſe Deum fore. Neque enim ſimilis eſt mortalibus,quos liberalitatis ſuæ tædet,vel quorum exhauritur facultas: ſed à propria na-
Pſal.31.a.6 tura æſtimandus eſt,ſicut prudenter facit Dauid,Redemiſti me(inquit)Deus verax. Poſtquam ſalutis ſuæ laudem Deo tribuit,adiungit veracem eſſe:quia niſi perpetuò ſimilis ſui eſſet,non ſatis firma ſumi poſſet fiduciæ & inuocationis ratio ex eius beneficiis. Vbi autẽ ſcimus,quoties nobis auxiliatur,ſpecimen ac probationem dare bonitatis ſuæ & fidei, timendum non eſt ne ſpes noſtra pudefiat,vel nos fruſtretur.

27 Summa hæc ſit, quum Scriptura in Dei cultu hoc nobis ſummum caput commendet vt eum inuocemus (ſicuti poſthabitis omnibus ſacrificiis à nobis hoc pietatis officium exigit)non ſine manifeſto ſacrilegio orationem ad alios dirigi. Vnde etiam in Pſal-
Pſal.44.d.21 mo dicitur, Si expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nónne Deus requiret iſta? Deinde

Deinde quum Deus nonnisi ex fide velit inuocari,& disertè ad amussim verbi sui,orationes formari iubeat:denique quum fides in verbo fundata,sit rectę orationis mater:simulac à verbo deflectitur,orationem adulterari necesse est. Atqui iam ostensum est si consulitur tota Scriptura,illic hunc honorem soli Deo vendicari. Quod ad intercessionis munus pertinet, etiam vidimus Christo peculiare esse,nec vllam Deo gratam esse precationem nisi quam Mediator ille sanctificat. Ac tametsi fideles vltro citróque preces apud Deum pro fratribus offerunt,hoc nihil vnicæ Christi intercessioni derogare ostendimus: quia omnes simul ea subnixi tam se quàm alios Deo commendant. Adhæc docuimus inscitè hoc trahi ad mortuos,quibus nusquam legimus mandatum esse vt pro nobis orent. Sæpe nos Scriptura hortatur ad mutuas huius officii vices:de mortuis ne syllaba quidem. imò Iacobus hæc duo coniũgens,vt confiteamur peccata nostra inter nos,& vicissim alii pro aliis oremus,mortuos tacitè excludit.Proinde ad hunc errorem damnandum sufficit vna illa ratio,exordium rite orandi nasci ex fide,fidem verò esse ex auditu verbi Dei, vbi nulla fictitiæ intercessionis mentio:quia temere patronos sibi asciuit superstitio,qui diuinitus dati non erant. Nam quum multis precandi formis referta sit Scriptura,nullum reperitur exemplum huius aduocationis, sine qua in Papatu nulla creditur esse oratio. Adhæc superstitionem hanc constat ex diffidentia natam esse: quia vel Christo deprecatore contenti non fuerint, vel eum omnino spoliauerint hac laude. Atque hoc posterius ex eorum impudentia facilè coarguitur: quia non alio validiore argumento pugnant, opus nobis esse sanctorum patrocinio, quàm dum obiiciũt nos esse indignos familiari ad Deum accessu.Quod nos verissimum quidem esse fatemur, sed inde colligimus nihil eos Christo reliquum facere qui pro nihilo ducunt eius intercessionem,nisi accedant Georgius & Hippolytus,aut similes laruæ. Iac.5.d.16

28 Etsi autem oratio propriè ad vota & preces restringitur,tanta est tamen inter petitionem & gratiarum actionem affinitas, vt commodè sub nomine vno comprehendi queant. Nam quas Paulus enumerat species, sub prius membrum huius partitionis recidunt.Rogando & precando desideria nostra apud Deum effundimus,poscentes tam quę faciunt ad propagandam eius gloriam & illustrandum eius nomen, quàm beneficia quæ vsui nostro conducunt. Gratias agendo, benefacta eius erga nos iusta laude celebramus, acceptum ferentes eius liberalitati quicquid ad nos bonorum peruenit. Itaque duas istas partes simul complexus est Dauid, Inuoca me in die necessitatis: eruam te, & glorificabis me. Vtrunque nobis continenter in vsu esse non abs re præcipit Scriptura. tantam enim nostram esse inopiam alibi diximus, res verò ipsa clamat tot ac tantis nos angustiis vndique vrgeri ac premi, vt satis sit causæ omnibus cur assiduè gemant & suspirent ad Deum, supplicésque eum implorent. Nam etsi à rebus aduersis sint immunes, sanctissimos tamen quosque stimulare debet scelerum suorum culpa,deinde innumeri tentationum insultus ad expetendum remedium. In sacrificio autem laudis & gratiarum actionis nulla esse potest sine scelere interruptio: quando non cessat Deus alia aliis beneficia cumulare,vt nos,quanuis lentos & pigros,ad gratitudinem cogat.Denique tanta ac tam effusa benefactorum eius largitas nos penè obruit,tot ac tam ingẽtia eius miracula, quaquauersum spectes,cernuntur, vt nunquam nobis desit laudis gratiarúmque actionis argumentum ac materia. Atque, vt hæc planius aliquanto explicentur, quum sic in Deo spes omnes opésque nostræ sitæ sint (quod iam antea satis probatum est) vt neque nos, neque nostra omnia prosperè habere nisi eius benedictione possimus: assiduè nos ei nostráque omnia oportet commendemus. Deinde quicquid deliberamus, loquimur, agimus, sub eius manu ac voluntate, sub spe denique auxilii eius deliberemus, loquamur, agamus. Omnes enim à Deo maledicti pronuntiantur qui sui alteriúsve cuiuspiam fiducia,consilia agitant ac statuunt, qui extra eius voluntatem, ipsóque non inuocato,quicquam moliuntur,aut inchoare tentant.Et quum iam aliquoties dictum sit,iusto eum honore affici vbi bonorum omnium author agnoscitur: inde consequitur,sic ex manu eius suscipienda esse illa omnia vt assidua gratiarum actione prosequamur: nullámque esse iustam rationem qua eius beneficia vsurpemus, quæ non alio fine ab eius largitate nobis profluunt ac proueniunt, nisi etiam in laude eius confitenda & gratiis agendis assidui simus. Paulus enim,dum testator per verbum & orationem sanctificari,simul innuit,sine verbo & oratione minimè sancta & pura nobis esse. per verbum scilicet fidem metonymicè intelligens. Proinde eleganter Dauid, dum percepta Domini liberalitate, datum Pſal.50.c.15 Iac.4.d.14 Iesa.30.a.1, & 31.a.1 1.Tim.4.a.5 Pſal.40.a.4

sibi in os canticum nouum prædicat. quo scilicet innuit, malignum esse silẽtium, siquod eius beneficium sine laude præterimus: quum toties benedicendi materiam nobis exhibeat quoties benefacit. Sicut etiam Iesaias, singularem Dei gratiam prædicans, ad canticum nouum & non vulgare hortatur fideles. Quo sensu alibi Dauid, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Similiter Ezechias & Ionas hunc sibi liberationis finem testantur fore, vt canticis Dei bonitatem in tẽplo celebrent. Hanc eandem legem Dauid generaliter piis omnibus prescribit. Quid rependam Domino (inquit) pro omnibus quæ in me contulit? Calicem salutum accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et eam sequitur Ecclesia alio Psalmo, Saluos fac nos Deus noster, vt confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua. Item, Respexit ad precem solitarii, & non cõtempsit preces eorum. Scribetur hoc ad generationem posterã, & populus creatus laudabit Dominum, vt annuntient in Sion nomen eius, & laudẽ eius in Ierusalem. Imò quoties obsecrant Deum fideles vt faciat propter nomen suum: sicuti indignos se profitentur qui obtineant quicquam proprio nomine, ita se obligant ad gratias agendas: & hunc sibi rectum beneficentiæ Dei vsum fore promittunt, vt eius sint præcones. Sic Oseas, de futura Ecclesiæ redemptione loquẽs, Auser (inquit) iniquitatem ô Deus, & attolle bonum: nos autem vitulos labiorum soluemus. Nec modò linguæ præconium sibi vendicant Dei beneficia, sed amorem sibi naturaliter conciliant. Dilexi (inquit Dauid) quia exaudiit Dominus vocem deprecationis meæ. Item alibi quæ senserat auxilia recitans, Diligam te Deus fortitudo mea. Nec verò vnquam placebunt Deo laudes quæ non fluent ex hac dulcedine amoris. Quinetiam tenendum est illud Pauli, vota omnia peruersa & vitiosa esse quibus non annexa est gratiarum actio. Sic enim loquitur, In omni oratione (inquit) & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Nam quia multos impellit morositas, tædium, impatiẽtia, doloris acerbitas, & metus, vt orando obmurmurent, iubet ita temperari affectus, vt fideles antequam adepti sint quod cupiunt, hilariter nihilominus benedicant Deo. Quòd si hæc copula in rebus ferè contrariis vigere debet, eo sanctiore vinculo nos obstringit Deus ad canendas suas laudes, quoties nos votorum compotes facit. Sicuti autem docuimus Christi intercessione consecrari nostras preces, quę alioqui pollutæ essent, ita Apostolus, iubẽs nos per Christum offerre hostiam laudis, nobis ad celebrandum Dei nomen os non satis purum esse admonet, nisi intercedat Christi sacerdotium. Vnde colligimus prodigiosè fascinatos fuisse homines in Papatu, vbi maior pars Christum vocari aduocatum miratur. Hæc ratio est cur præcipiat Paulus sine intermissione & orare & gratias agere: volens scilicet quanta fieri potest assiduitate, omni tẽpore, omni loco, omnibus in rebus ac negotiis erecta esse ad Deum omnium vota, quæ & omnia ab eo expectent, & omnium ei laudem referant, sicuti perpetua laudandi orandíque argumenta nobis offert.

Iesa.2.b.10
Psal.50. d.17
Iesa.38.d.20
Ionæ 11.d.10
Psal.116.b.12
Ps.106. g.47
Psal.110.c.18
Oseæ 14. a.3
Psal.116.a.1
Psal.18.a.1
Philip.4. a.6
Heb.13.c.12
1.The.5. c.13

29 Hæc autem orandi assiduitas, etsi præsertim proprias ac priuatas cuiusque respicit, nonnihil tamen ad publicas quoque Ecclesiæ orationes pertinet. Atqui nec assiduæ esse possunt, nec aliter etiam fieri debent quàm ex politia quæ cõmuni inter omnes consensu conuenerit. Fateor sané. Ideo enim & certæ horæ condicuntur ac præstituuntur, vt apud Deum indifferentes, ita hominum vsibus necessariæ, quo sit omnium commoditati prospectum, & omnia decenter & compositè, iuxta Pauli sententiam, in Ecclesia administrentur. Sed enim istud nihil obstat quominus vnaquæque Ecclesia, cum subinde ad frequentiorem precationum vsum se extimulare, tum maiore aliqua necessitate admonita acriore studio flagrare debeat. De perseuerantia autem, quæ multam cum assiduitate affinitatem habet, erit circa finem dicendi locus. Porrò hæc nihil ad βαττολογίαν, qua interdictum nobis Christus voluit. non enim diu, nec sæpe, nec multo cum affectu insistere precibus vetat: sed ne aliquid à Deo extorquere nos posse confidamus, garrula loquacitate eius aures obtundendo, acsi humano more persuadendus foret. Scimus enim hypocritas, quia non reputant sibi negotium esse cum Deo, non secus pompas suas in precibus agere quàm in triumpho. Nam Pharisæus ille qui gratias Deo agebat quòd non esset aliis similis, sibi haud dubiè plaudebat in hominum oculis, acsi ex precatione captare sanctitatis famam. Hinc βαττολογία illa quę hodie simili de causa grassatur in Papatu, dum alii preculas easdem iterando tempus frustra terunt, alii longa verborum congerie apud vulgus se venditant. Quum hæc garrulitas pueriliter illudat Deo, non mirum est ab Ecclesia prohiberi, nequid illic personet nisi serium & profectum ex corde intimo. Huic

1.Cor.15.g. 40
Matth.6.a.7

corruptelæ

corruptelæ vicina eſt & ſimilis altera,quam ſimul damnat Chriſtus:quòd ſcilicet hypocritæ oſtentationis cauſa venantur multos teſtes, ac forũ potius occupant ad orandum, quàm mundi laude careant ipſorum preces. Quando verò hunc eſſe orationis ſcopum iam prius dictum eſt, vt erecti in Deum animi ferantur,tum ad cõfeſſionem laudis,tum ad opem implorandam : ex eo intelligere licet primas eius partes in mente & animo poſitas eſſe. vel potius orationem ipſam , eſſe propriè interioris cordis affectum , qui apud Deum,cordium ſcrutatorem,effunditur & exponitur. Quamobrem(vt iam dictũm eſt) cæleſtis magiſter,quum optimam orandi legem ferre vellet, iuſſit intrare in cubiculum, Matth.6.a.6
ibíque oſtio clauſo orare Patrem noſtrũ in abſcondito, vt Pater noſter qui eſt in abſcondito nos exaudiat. Nam vbi ab hypocritarum exemplo abſtraxit,qui ambitioſa precum oſtentatione hominum fauorem captabant,ſimul admonet quid ſit melius:intrare ſcilicet cubiculum,& clauſo oſtio ibi orare.Quibus verbis(vt ego interpretor)ſeceſſum,qui nos eò iuuet vt tota cogitatione in cor noſtrum deſcendamus & ingrediamur penitus,quærere nos docuit:propinquum nobis Deum animi affectibus promittens , cuius tẽpla eſſe debent corpora noſtra. Neque enim negare voluit quin aliis quoque locis orare expediat:ſed eſſe quiddam ſecretum oſtendit orationem,quæ & in animo potiſſimùm locata ſit,& eius tranquillitatem,procul omnibus curarum turbis,requirat. Non ergo ſine cauſa ipſe quoque Dominus , quum precibus incumbere vehementius vellet , in ſeceſſum procul hominum tumultu ſe conferebat:ſed vt ſuo nos exemplo commonefaceret, non eſſe negligẽda iſtæc adminicula, quibus animus noſter per ſe nimium lubricus magis ad ſerium orationis ſtudium intenditur.Interim verò,quemadmodum neque in media hominum turba,ſi quando ita tulerat occaſio,à precando abſtinebat : ſic nos in locis omnibus,quibus opus fuerit,tollamus puras manus. Atque adeò ſic habendum eſt , quiſquis 1.Tim.2.c.8
in ſacro piorum conuentu orare detrectat, neſcire quid ſit orare ſeorſum , vel in receſſu, vel domi.Rurſus qui ſolus & priuatim orare negligit,quantumuis ſedulò frequentet cœtus publicos,ventoſas tãtùm preces illic concipere: quia plus hominum opinioni defert quàm arcano Dei iudicio.Interea,ne contemptui eſſent communes Eccleſiæ preces,eas ſplendidis elogiis olim Deus ornauit:præſertim vbi templum vocauit domum orationis. Ieſa.56.c.7
Nam & præcipuam cultus ſui partem hac voce docuit eſſe precandi officium:atque vt in eo ſe fideles vno conſenſu exercerent,inſtar vexilli erectum illis fuiſſe templum. Addita etiam fuit inſignis promiſſio, Te expectat, Deus, laus in Siõ:& tibi votum reddetur.Quibus verbis admonet Propheta nunquam irritas eſſe Eccleſiæ preces : quia Deus populo ſuo ſemper canendi materiam cum gaudio ſuppeditat. Etſi autem ceſſarunt legales vmbræ, quia tamẽ hac ceremonia inter nos quoque fidei vnitatem Deus fouere voluit,non dubium quin ad nos pertineat eadem promiſſio , quam & Chriſtus ore ſuo ſanciuit , & Paulus perpetui vigoris eſſe docet. Pſal.65.a.2

30 Iam vt communes fidelibus preces Deus verbo ſuo edicit, ſic & templa publica ipſis peragendis deſtinata eſſe oportet. vbi qui orationem cum Dei populo communicare reſpuunt,non eſt quòd iſto prætextu abutantur , cubiculum ſe ingredi , quo Domini mandato pareant.Ille enim qui pollicetur ſe facturum quicquid duo aut tres petierint in Mat.18.c.20
nomine ſuo congregati,palàm conceptas preces ſe minimè aſpernari teſtatur : modò ceſſet oſtẽtatio & humanæ gloriolæ aucupium,modò adſit ſyncera veráque affectio quæ in cordis arcano habitet.Si hic legitimus eſt templorum vſus (vt certè eſt) cauendum eſt rurſum ne aut (quemadmodum ſeculis aliquot haberi cœperunt) propria eſſe Dei habitacula ducamus,vnde propius aurem nobis admoueat:aut ſecretam neſcio quam illis affingamus ſanctitatem, quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa quum ſimus ipſi,in nobis oremus oportet , ſi in ſancto templo ſuo Deũ volumus inuocare.Illam verò craſſitiem Iudæis aut Gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de inuocando,citra loci diſcretionem,in ſpiritu & veritate Domino. Dedicatũ quidem templum erat olim Dei iuſſu precibus ac victimis offerendis:ſed quo tempore veritas ſub talibus vmbris figurata delitescebat , quæ nunc ad viuum nobis expreſſa in nullo materiali templo hærere nos patitur.Ac ne Iudæis quidem ea conditione commẽdatum fuit templum vt Dei præſentiam eius parietibus includerent,ſed quo ad contemplãdam veri templi effigiem exercerentur. Itaque grauiter ab Ieſaia & Stephano reprehenſi ſunt Iohã.4.c.23
qui Deum in templis manufactis habitare vllo modo putarent. Ieſa.66.a.1 Act.7.f.48

31 Hinc præterea pluſquam clarum eſt,neque vocem neque cãtum (ſi in oratione

intercedant)habere quicquam momenti,aut hilum proficere apud Deum, nisi ex alto cordis affectu profecta.Quin eius iram aduersus nos prouocant si è summis duntaxat labris & guttute exeunt:quando id est sacrosancto eius nomine abuti, ac eius maiestatem derisui habere.sicuti ex Iesaiæ verbis elicimus,quæ etsi latius patent, ad hoc quoque vitium coarguendum pertinent.Populus(inquit)iste appropinquat mihi ore suo, & labiis suis me honorat: cor autem eorum longè est à me: & timuerunt me mandato & doctrina hominum. Propterea ecce faciam in populo hoc miraculum grande & stupendum. peribit enim sapientia à sapientibus eorum,& prudentia seniorum euanescet.Neque tamen vocem aut cantum hîc damnamus,quin potius valde commendamus, modò animi affectum comitentur. Sic enim mentem in Dei cogitatione exercent,& intētam retinent:quæ,vt lubrica est & versatilis,facilè remittitur, & in varia distrahitur, nisi variis fulciatur adminiculis.Præterea,quum Dei gloria in singulis corporis nostri partibus elucere quodammodo debeat, conuenit præsertim linguam huic ministerio addictam esse ac deuotam tum canendo, tum loquendo: quæ peculiariter ad enarrandam prædicandámque Dei laudem, condita est. Potissimus tamen linguæ vsus est in orationibus publicis,quæ in fidelium conuentu habentur:quibus hoc agitur,vt Deum,quem vno spiritu eadémque fide colimus,communi vna voce & veluti eodem omnes ore pariter glorificemus,idque palàm, vt omnes vicissim, à suo quisque fratre, confessionem fidei accipiant,ad cuius exemplum inuitentur & incitentur.

Iesa.29.d.13 matth.15.a.8

32 Canendi verò in Ecclesiis ritum (vt id quoque obiter dicam) non modò vetustissimum esse constat,sed Apostolis quoque in vsu fuisse,ex illis Pauli verbis colligere licet,Canam spiritu,canam & mente.Item ad Colossenses, Docētes & commonefacientes vos mutuò in hymnis,psalmis & canticis spiritualibus,canentes cum gratia in cordibus vestris Domino.Priore enim loco,voce & corde canendum esse præcipit:altero cantilenas spirituales commendat, quibus se mutuò pii ædificent. Id tamen vniuersale non fuisse testatur Augustinus,qui refert sub Ambrosio demū cœpisse canere Ecclesiam Mediolanensem: quum sæuiente aduersus fidem orthodoxam Iustina Valentiniani matre, populus solito magis assiduus in vigiliis esset: reliquas deinde occidentales Ecclesias sequutas. Paulo enim antè dixerat ab orientalibus profectum fuisse hunc morem. Indicat etiam lib.Retractationum 2, sua ætate fuisse in Aphrica receptum. Hilarius quidam,inquit, vir tribunitius, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro,vel ante oblationem, vel quum distribueretur populo quod fuisset oblatum,maledica reprehensione vbicunque poterat lacerabat. Huic respondi,iubentibus fratribus.Et certè si ad eam, quæ Dei & Angelorum conspectum decet,grauitatem attemperatus sit cantus,cum dignitatem & gratiā sacris actionibus conciliat, tum ad excitandos in verum precandi studium ardorémque animos plurimum valet. Cauendum tamen diligenter ne ad modulationem intentiores sint aures quàm animi ad spiritualem verborum sensum. Quo periculo se permotum fatetur alicubi idem Augustinus, vt interdum optarit institui morem ab Athanasio obseruatum, qui lectorem tam modico vocis flexu iubebat sonare,vt pronuntianti vicinior foret,quàm canenti. Verùm, quum reminiscereturquantam sibi vtilitatem cantus attulissent, in alteram partem inclinabat. Hac ergo adhibita moderatione, nihil dubium quin sanctissimum sit ac saluberrimum institutum. Quemadmodum rursus,quicunque ad suauitatem duntaxat auriúmque oblectationem compositi sunt cantus, nec Ecclesiæ maiestatem decent, nec Deo non summoperè displicere possunt.

1.Corin.14.c.13 Colos.3.c.16

Confess.lib.9.c.7

Confess.lib.10.cap.33.

33 Quo etiam planè constat,non Græco inter Latinos,nec Latino inter Gallos aut Anglos(vt hactenus passim factitatum est)sed populari sermone concipiendas esse publicas orationes,qui vulgò à toto cœtu intelligi possit. quandoquidem in totius Ecclesiæ ædificationem fieri conuenit: ad quam ex sono non intellecto nullus penitus fructus redit. Apud quos verò nulla est nec charitatis nec humanitatis ratio, ii saltem Pauli auctoritate moueri aliquantulum debebant,cuius verba minimè ambigua sunt.Si benedixeris,inquit,spiritu,is qui implet locum idiotæ, quomodo ad tuam benedictionē respondebit Amen,quandoquidem quid dicas nescit?nam tu quidem gratias agis,sed alius non ædificatur.Quis ergo effrænem Papistarum licentiam satis miretur, qui Apostolo palàm sic reclamante,exotica lingua verbosissimas preces reboare non formidāt, in quibus nec syllabam vnam ipsi interdum assequuntur, nec alios intelligere volunt? Nobis verò secus

1.Corin.14.c.16

secus agendum præscribit Paulus. Quid ergo? (inquit) orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallã & mente. Spiritus voce singulare linguarum donum significans, quo nonnulli præditi abutebantur, quum à mente, hoc est intelligentia, illud auellerent. Sic tamen omnino sentiendum, nulla ratione fieri posse, nec in publica oratione, nec in priuata, quin lingua sine animo summopere Deo displiceat. Ad hoc, cogitationis ardore mentem esse debere incitatam, quo totum longè superet quod lingua enuntiando exprimere potest. Postremò, ne esse quidem orationi priuatæ necessariam linguam, nisi quoad interior sensus vel sibi ipse ad incitationem sufficere non valet, vel incitationis vehementia linguæ actionem secum rapit. Nam etsi optimæ interdum orationes voce carent, sæpe tamen vsu venit vt affectu mentis exultante, & lingua in vocem, & membra alia in gesticulationem sine ambitione erumpant. Inde scilicet incertũ istud Hannę murmur, cuius simile quiddam sancti omnes perpetuò in se experiuntur, dum in abruptas & concisas voces prosiliunt. Corporis autem gestus in precatione obseruari soliti (quales sunt geniculatio, & capitis detectio) exercitia sunt, quibus ad maiorem Dei veneration em assurgere conamur. Ibid. 14. c. 15. 1. Sam. 1. b. 13.

34 Nunc certior orandi non modò ratio, sed forma quoque ipsa discenda est: ea scilicet quam per dilectum Filium suum nobis cælestis Pater tradidit: vbi immensam bonitatem ac mansuetudinem agnoscere licet. Nam præterquam quod nos monet atque hortatur vt se in omni nostra necessitate quæramus (qualiter filii in parentum fidem, quoties vlla anxietate afflictantur, confugere solent) quoniam videbat ne id quidem satis nos perspicere, quàm angusta esset nostra paupertas, quid æquum postulare, quid è re nostra esset, huic etiam nostræ ignorantiæ occurrit: & quod captui nostro deerat, de suo ipse suppleuit ac suffecit. Præscripsit enim nobis formulam, qua velut in tabula proposuit quicquid à se expetere licet, quicquid in rem nostram conducit, quicquid postulare necesse est. Ex qua eius benignitate magnum consolationis fructũ percipimus, quòd nihil absurdum, nihil alienum aut importunum, nihil denique non illi acceptum postulare nos intelligimus, qui penè ex eius ore rogamus. Plato quum hominum imperitiam videret in votis ad Deum perferendis, quibus concessis pessimè illis sæpius consultũ fuerit: optimam precandi rationem hanc esse pronuntiat, è veteri Poeta sumptam, Iuppiter rex, optima nobis & vouentibus & non vouentibus tribue: mala autẽ poscentibus quoque abesse iube. Atque homo quidem ethnicus in eo sapit, quòd iudicat quàm sit periculosum à Domino expetere quod cupiditas nostra dictauerit: simul nostram infœlicitatem prodit, qui ne hiscere quidem sine discrimine coram Deo possimus, nisi ad rectam orandi normam nos Spiritus instituat. Quo maiore in pretio censeri apud nos meretur hoc priuilegium, dum vnigenitus Dei filius verba nobis in os suggerit quæ mentem nostram omni hæsitatione expediant. Mat. 6. b. 9. luc. 11. a. 2. In Alcib. 2. vel De voto. Rom. 8. c. 26.

35 Hæc orandi seu forma, seu regula, sex petitionibus constituta est. Nam ne iis accedam qui septem capitibus distinguunt, facit quòd aduersatiua dictione interiecta videtur Euangelista duo illa membra voluisse inter se colligere: acsi dixisset, Ne tentatione opprimi nos sinas, quin potius nostræ fragilitati opem feras, & liberes, ne succumbamus. Nobiscum etiam sentiunt veteres Ecclesiæ scriptores. vt iam quod septimo loco apud Matthæum additum est, exegeticè ad sextam petitionem referendum sit. Tametsi autem eiusmodi est tota oratio, vt vbique gloriæ Dei ratio in primis habenda sit: priores tamen tres petitiones Dei gloriæ peculiariter destinatæ sunt: quam solam in illis intueri nos oportet, nullo cõmodi nostri (vt aiunt) respectu. Tres reliquæ nostri curã gerunt, ac propriè iis quæ ex vsu nostro sunt postulandis sunt assignatæ. Vt quũ nomẽ Dei sanctificari petimus, quia probare vult Deus gratisne an spe mercedis ametur à nobis & colatur, nihil tũ de nostro cõmodo cogitandũ est: sed eius gloria nobis proponenda est, quam intentis oculis vnã intueamur: nec aliter in reliquis huiusmodi precibus affectos esse fas est. Atque hoc quidẽ ipsum nobis in magnũ commodũ cedit, quòd dũ ita vt petimus sanctificatur, fit etiã nostra vicissim sanctificatio. Sed ad huiusmodi vtilitatẽ oculi nostri (vt dictũ est) conniuere ac quodãmodo cæcutire debent, ne in ipsam omnino respiciant. Vt si omnis spes priuati nostri boni pręcisa esset, hæc tamẽ sanctificatio, & alia quę ad Dei gloriã pertinent, à nobis optari & precibus postulari non desinant. Vt in exẽplis Mosis & Pauli spectatur, quibus graue non fuit mẽtes & oculos à seipsis auertere, ac vehementi incensóque zelo suũ ipsorum interitum expetere, vt vel suo dispendio gloriam Augusti. In Enchirid. ad Laurent. ca. 116. Chrys. autho. ope. imper. Exo. 32. g. 32. Rom. 9. a. 3.

& regnum Dei promouerent. Rursum quum panem nostrum quotidianum nobis dari petimus: tametsi optemus quod est nostri commodi: tamen hic quoque Dei gloriam quærere præsertim debemus, vt ne petituri quidem simus nisi in eius gloriam vergat. Nunc ad ipsam orationis enarrationem aggrediamur.

Pater noster, qui es in cælis.

36 Primùm, in ipso limine occurrit quod antea diximus, omnem à nobis orationem offerri Deo nõ aliter debere quàm in Christi nomine: vt nullo alio nomine illi commendari potest. Nam ex quo Patrem vocamus Deum, nomen certè Christi prætendimus. qua enim fiducia Deum aliquis Patrem nominaret? quis huc temeritatis prorumperet, vt sibi vsurparet honorem filii Dei, nisi in Christo adoptati essemus in filios gratię? Qui quum verus sit Filius, nobis in fratrem ab ipso datus est: vt quod natura ipse proprium habet, adoptionis beneficio nostrum fiat, si tantam beneficentiam certa fide amplectimur. Quemadmodum Iohannes ait datam esse potestatem iis qui credunt in nomen vnigeniti Filii Dei, vt filii Dei ipsi quoque fiant. Itaque & Patrem se nostrum appellat, & sic à nobis vocari vult: hac tanta nominis suauitate, omni nos diffidentia eximens, quando nullus alibi maior amoris affectus quàm in Patre reperiri possit. Itaque nullo certiore documento immensam suã erga nos charitatem testificari potuit, quàm ex eo quòd filii Dei nominamur. Ipsius verò charitas tanto erga nos maior præstantiórque est omni parentum nostrorum charitate, quanto ipse omnes homines bonitate & misericordia superat. vt si quotquot in terra sunt patres, omni paternæ pietatis sensu exuti, filios destituerent: ipse nobis nunquam defuturus sit: quoniã seipsum negare non potest. Habemus enim eius promissum, Si vos, quum mali sitis, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui in cælis est? Item apud Prophetã, Potéstne mater obliuisci filiorum? Etsi obliuiscatur, ego tamen non obliuiscar tui. Quòd si filii eius sumus, vt filius in fidem extranei alienique hominis se conferre non potest nisi simul de patris vel sæuitia vel inopia queratur: ita aliunde subsidia quàm ab ipso quærere nõ possumus, nisi exprobrata illi egestate, ac facultatum inopia, vel sæuitia nimiáque austeritate.

Iohan.1.b.12
1.Iohã.3.a.1
Psal.27.d.10
Iesa.63.d.16
1.Ti.2.b.13
Mat.7.b.11
Iesa.49.d.15

37 Nec causemur, nos meritò timidos reddi peccatorum conscientia, quę Patrem, quanuis clementem ac mansuetum, tamen nobis offensum quotidie reddant. Nam si inter homines, nullo meliore patrono causam suam apud patrẽ filius agere potest, nullo meliore interprete perditã eius gratiã sibi conciliare ac recolligere, quàm si ipse supplex ac demissus, culpã agnoscens, patris misericordiam imploret (non enim tum se paterna viscera dissimulare possunt quin ad tales preces commoueantur) quid ille Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis? annon potius filiorum pro se deprecantium lachrymas & gemitus exaudiet (quum præsertim ad id nos inuitet & exhortetur) quàm quæuis aliorum patrocinia? ad quorum subsidium ideo pauidi suffugiũt, non sine aliqua desperationis specie, quia de patris sui mãsuetudine ac clementia diffidũt. Hanc paternæ mãsuetudinis exuberantiã nobis in parabola pingit ac repræsentat: vbi pater filium, qui ab eo se alienauerat, qui substantiam eius dissolutè prodegerat, qui modis omnibus grauiter in eũ deliquerat, obuiis vlnis amplectitur: nec expectat donec verbis veniã postulet, sed ipse anteuertit, redeuntem eminus agnoscit, vltro illi occurrit, solatur, in gratiam recipit. Hoc enim tantæ mãsuetudinis exemplũ in homine spectandũ proponens, docere nos voluit quàm effusiorẽ expectare debeamus à se, nõ modò Patre, sed patrum omnium longè optimo ac clemẽtissimo: quanuis ingrati, rebelles ac improbi filii: modò tamen in eius misericordiã nos cõiiciamus. Ac quo certiorem fidẽ faceret se huiusmodi Patrem nobis esse, si Christiani sumus, non modò Pater, sed nominatim noster dici voluit: acsi in hunc modum cum eo ageremus, Pater qui tanta in filios pietate es præditus, tanta ad ignoscendum facilitate, nos filii tui te appellamus, ac poscimus, securi ac planè persuasi non alio te esse erga nos affectu quàm paterno, quantumuis indignos tali patre. Verùm quia tantam fauoris immensitatem non capiunt cordis nostri angustiæ, nõ modò adoptionis pignus & arrha nobis Christus est, sed eiusdem adoptionis testẽ nobis dat Spiritum, per quem libera & sonora voce clamare licet, Abba Pater. Quoties itaque nobis obstabit aliqua cunctatio, petere ab ipso meminerimus vt correcta nostra timiditate, spiritum illum magnanimitatis ducem ad audacter orandum præficiat.

Luc.15.e.20
Gala.4.a.6

38 Quòd autem nõ ita instituimur vt suum quisque patrem peculiariter nominet, sed

sed potius vt noſtrum in commune omnes vocemus: ex eo admonemur, quantum fraternæ dilectionis affectum inter nos intercedere oporteat, qui talis patris, eodem misericordiæ & gratuitæ liberalitatis iure, pariter ſumus filii. Nam ſi vnus omnibus nobis communis eſt pater, à quo prouenit quicquid omnino boni obtingere nobis poteſt: nihil inter nos diuiſum eſſe decet quod non magna animi alacritate parati ſimus alter alteri communicare, quantum vſus poſtulat. Iam ſi ita vt par eſt, viciſſim manum porrigere atque opem ferre cupimus, non eſt in quo magis commodare fratribus poſſimus quàm ſi optimi Patris curæ ac prouidentiæ commendemus, quo propitio ac fauẽte, nihil omnino deſiderari poteſt. Et ſanè hoc ipſum Patri etiam noſtro debemus. Vt enim qui patrem aliquem familiâs verè & ex animo diligit, totam ſimul eius domũ amore ac beneuolentia complectitur: ad hunc modum, quo ſimus in hunc cæleſtem Patrem ſtudio atque affectu, erga eius populum, eius familiam, eius denique hereditatem oſtendere conuenit: quam tantopere honorauit vt plenitudinem vnigeniti Filii ſui vocauerit. Ad hanc igitur legem Chriſtianus homo preces ſuas exigat, vt communes ſint, ac omnes complectantur qui illi ſunt in Chriſto fratres. Neque ſolùm quos tales ad præſens videt atque cognoſcit, ſed omnes qui ſuper terram agunt homines: de quibus quid ſtatuerit Deus, extra notitiam eſt: niſi quòd illis optima optare & ſperare non minus pium quàm humanum eſt. Etſi præ aliis in domeſticos fidei ſingulari quodam affectu propenſos eſſe decet: quos Apoſtolus peculiariter nobis omni in re commendauit. In ſumma, ſic debent omnes eſſe orationes, vt in eam ſpectent communitatem quam Dominus noſter in regno ſuo ac domo ſua conſtituit.

Mat.23.a.9

Epheſ.1.d.24

Galat.6.c.10

39 Neque id tamen obeſt quominus & pro nobis & pro certis aliis orare ſpecialiter liceat: modò tamen animus ab huius communitatis intuitu non diſcedat, nec deflectat quidem, ſed omnia iſtuc referat. Nam quanuis ſingulariter concipiantur, quia tamẽ ad eum ſcopum diriguntur, communes eſſe non deſinunt. Id totum ſimilitudine facilè intelligi poteſt. Generale eſt Dei mandatum de ſubleuanda pauperum omnium egeſtate, & huic tamen obediunt qui in eum finem eorum inopiæ ſuccurr[illegible] quos laborare aut norunt aut vident: etiamſi multos prætereunt qui non leuiori neceſſitate premuntur: vel quia non omnes noſſe, vel quia non omnibus ſufficere poſſint. In hunc modum neque ii voluntati Dei repugnant qui communem hanc ſocietatem Eccleſiæ ſpectantes & cogitantes, huiuſmodi particulares orationes concipiunt, quibus publico animo ſingulares verbis ſe aut alios Deo commendant, quorum neceſſitatem propius ipſis innoteſcere voluit. Quanquam non omnia quidem in oratione & facultatum erogatione ſunt ſimilia. nam benignitas largiendi exerceri nonniſi erga eos poteſt quorum perſpecta eſt nobis inopia: iuuare autem oratione vel alieniſſimos & ignotiſſimos licet, quantumlibet longo terrarum interuallo à nobis diſſiti ſint. Id autem fit per generalem illam precationis formulam qua omnes filii Dei continentur, in quibus & illi ſunt. Huc refertur licet quod Paulus ſuæ ætatis fideles hortatur vt puras manus vbique tollant abſque contentione: quia diſſidium precibus ianuam claudere admonens, vnanimes vota ſua in commune vult conferre.

1.Tim.2.c.8

40 Adſcribitur, Ipſum eſſe in cælis. Ex quo non protinus ratiocinandum eſt, ipſum cæli circunferentia, quaſi cancellis quibuſdam, incluſum & circunſcriptũ alligari. Siquidem & Solomon confitetur cælos cælorum eum capere non poſſe. Et ipſe per Prophetam ait, cælum ſuam ſedem eſſe, terram autem ſcabellum pedum ſuorum. Quo ſcilicet ſignificat, non certa aliqua regione ſe limitari, ſed diffundi per omnia. Verùm quia aliter inenarrabilem eius gloriam mens noſtra pro ſua craſſitie concipere non poterat, nobis per cælum deſignata eſt, quo nihil auguſtius aut maieſtate plenius ſub aſpectum noſtrum venire poteſt. Quando igitur vbicunque rem quampiam apprehendunt ſenſus noſtri, affigere illic ſolent: extra omnem locum Deus ſtatuitur: vt dum quærere voluntatem ipſum, ſupra omnem corporis & animæ ſenſum attollamur. Deinde hac loquendi formula, ſupra omnem aut corruptionis aut mutationis aleam euehitur. demum vniuerſum orbem complecti & continere, ſuáque potentia moderari ſignificatur. Quare hoc perinde eſt acſi dictus eſſet infinitæ magnitudinis aut ſublimitatis, incomprehenſibilis eſſentiæ, immenſæ potentiæ, æternæ immortalitatis. Id verò dum audimus, exerenda eſt altius noſtra cogitatio, quum de Deo ſermo eſt: ne quicquam terrenum aut carnale de eo ſomniemus: ne ipſum noſtris modulis metiamur, néve eius voluntatem ad noſtros affe-

1.Reg.8.c.37
Ieſa 66.a.1
Act.7.f.49.
& 17.f.24

ctus exigamus. Simul erigenda est nostra fiducia in ipsum, cuius prouidentia & virtute cælum & terram gubernari intelligimus. Summa sit, sub Patris nomine nobis in medio statui Deum illum qui in imagine sua nobis apparuit, vt certa fide inuocetur: nec modò fiduciæ aptari familiare Patris nomen, verùm etiam ad retinendas mentes valere ne ad dubios vel fictitios deos trahantur: sed ab vnigenito Filio ad vnicum Angelorum & Ecclesiæ Patrem conscendant: deinde quòd solum eius locatur in cælis, ex mundi gubernatione nos commonefieri non frustra ad eum nos venire qui præsenti cura sponte occurrit. Qui ad Deum accedunt (inquit Apostolus) eos primò credere oportet Deum esse: deinde remuneratorem omnibus qui ipsum quærunt. Vtrunque hîc Christus Patri suo asserit, vt in ipso sistatur fides nostra. deinde vt certò persuasi simus salutem nostram ab eo non negligi: quia suam ad nos vsque prouidentiam extendere dignatur. Quibus rudimentis Paulus nos ad rite orandum comparat: nàm antequam iubeat petitiones nostras corã Deo innotescere, præfatur hoc modo, De nulla re sitis soliciti: Dominus propè est. Vnde apparet, dubitanter & perplexè vota sua in animo voluere qui hoc probè infixum non habent, Oculum Dei esse super iustos.

Heb.11.b.6

Philip.4.b.6

Psal.33.d.18

41 Prima petitio est, Vt sanctificetur Dei nomen, cuius necessitas magno cum nostro dedecore coniuncta est. Quid enim magis indignum quàm vt Dei gloriam obscuret partim nostra ingratitudo, partim malignitas: audacia verò & furiosa proteruia, quãtum in se est, deleat? Crepent, licet, omnes impii cum sacrilega sua libidine, refulget tamen nominis Dei sanctitas. Nec abs re exclamat Propheta, Sicut nomen tuum Deus, ita laus tua in omnes fines terræ. Nam vbicunque innotuerit Deus, fieri non potest quin se proferant eius virtutes, potentia, bonitas, sapientia iustitia, misericordia, veritas, quæ in eius admirationem nos rapiant, & incitent ad celebrandam eius laudem. Quia ergo tam indignè sua Deo sanctitas eripitur in terris, si eam asserere nobis non datur, saltem iubemur eius curam votis suscipere. Summa est, vt optemus suum haberi Deo honorem quo dignus est, vt nunquam de ipso loquantur vel cogitent homines sine summa veneratione: cui opponitur profanatio, quæ semper nimium in mundo vulgaris fuit, vt hodie adhuc grassatur. Atque hinc petitionis necessitas, quam, si mediocris inter nos pietas vigeret, superuacuam esse decebat. Quòd si Dei nomini sua constat sanctitas, vbi ab aliis omnibus segregatum meram gloriam spirat, hîc non tantùm petere iubemur vt Deus sacrum illud nomen ab omni contemptu & ignominia vindicet, sed etiam vt ad eius reuerentiã subigat totum humanum genus. Iam quum Deus partim doctrina, partim operibus se nobis manifestet, non aliter à nobis sanctificatur quàm si vtraque in parte tribuamus ei quod suum est, atque ita quicquid ab ipso profectum erit, amplexemur: nec laudem suam apud nos minus obtineat eius seueritas quàm clementia: quando in multiplici operum diuersitate gloriæ suæ notas insculpsit, quæ cõfessionem laudis meritò ex omnibus linguis eliciat. Ita fiet vt Scriptura iustam apud nos authoritatem obtineat, nec vllus euẽtus impediat benedictionem quam Deus in toto gubernationis mundi cursu meretur. Huc etiam rursum tendit petitio, vt omnis impietas quæ sanctum hoc nomen polluit, pereat atque aboleatur: quæcunque hanc sanctificationem obscurant, aut diminuunt tam obtrectationes quàm ludibria faceſſant: ac dum sacrilegia omnia compescit Deus, magis ac magis hinc clarescat eius maiestas.

Psal.48.a.11

42 Secunda petitio, Vt aduenìat regnum Dei: quæ etsi nihil continet nouum, à prima tamen non sine ratione distinguitur: quia si nostram in re omnium maxima somnolentiam expendimus, quod per se notissimũ esse debuerat, pluribus verbis inculcari operæpretium est. Postquam ergo Deum rogare iussi sumus vt agat in ordinem, ac tandem prorsus deleat quicquid maculam aspergit sacro eius nomini: iam additur alterum simile & ferè idem votum, vt regnum eius aduenìat. Etsi autem regni huius definitio antè à nobis posita est, breuiter nũc repeto, Deũ regnare vbi homines tam sui abnegatione quàm mundi terrenæque vitæ contẽptu illius iustitiæ se addicunt, vt ad cælestẽ vitam aspirent. Ita duæ sunt huius regni partes: altera, vt Deus prauas omnes carnis cupiditates, quæ turmatim contra eum belligerãtur, Spiritus sui virtute corrigat: deinde vt sensus omnes nostros formet ad imperii sui obsequium. Itaque non alii legitimum ordinem tenent in hac prece, nisi qui à seipsis incipiunt, nempe vt purgentur corruptelis omnibus quæ trãquillum regni Dei statum perturbant, & puritatem inficiũt. Iam quia verbum Dei instar sceptri regii est, precari hîc iubemur, vt omnium mentes & corda voluntariæ eius obedientiæ subii-

tiæ ſubiiciat. Quod fit vbi arcano Spiritus ſui inſtinctu efficaciam verbi ſui exerit, vt emineat in quo meretur gradu honoris. Poſtea ad impios deſcendere conuenit, qui peruicaciter & deſperato furore, eius imperio reſiſtunt. Regnum ergo ſuum erigit Deus totum mundum humiliando, ſed diuerſis modis: quia aliorum laſciuias domat, aliorũ indomitam ſuperbiam frangit. Id quotidie fieri optandum eſt, vt ſibi Deus Eccleſias colligat ex omnibus mundi plagis: eas numero propaget atque augeat, donis ſuis locupletet, legitimum in illis ordinem ſtabiliat, ex oppoſito proſternat omnes puræ doctrinæ & religionis hoſtes, diſſipet eorum conſilia, conatus deiiciat. Vnde apparet non fruſtra nobis præcipi ſtudium quotidiani progreſſus: quia nunquam tam bene agitur cum rebus humanis, vt diſcuſſis purgatiſque vitiorum ſordibus plena floreat ac vigeat integritas. Plenitudo autem eius ad vltimum Chriſti aduentum protenditur: quo Paulus Deũ omnia in omnibus fore docet. Atque ita hæc precatio retrahere nos debet à mundi corruptelis, quæ nos à Deo ſeparant quominus regnum eius intra nos vigeat: ſimul accendere ſtudium mortificandæ carnis: poſtremò ad crucis tolerantiam nos inſtituere: quando hoc modo vult Deus regnum ſuum propagari. Nec verò iniquè ferendum eſt exteriorem hominem corrumpi, modò interior renouetur. Hæc enim regni Dei conditio eſt, vt dum nos ſubiicimus eius iuſtitiæ, gloriæ ſuæ conſortes reddat. Hoc fit dum lucem ac veritatem ſuam nouis ſemper incrementis illuſtrans, quibus Satanæ regníque eius tenebræ ac mendacia euaneſcant, extinguantur, pereant, ſuos protegit, Spiritus ſui auxilio in rectitudinem dirigit, & ad perſeuerantiam confirmat: impias verò hoſtium conſpirationes deiicit, inſidias & fraudes diſcutit, occurrit malitiæ, peruicaciam retundit, donec tandem Antichriſtum Spiritu oris ſui conficiat, omnémque impietatem illuſtratione aduentus ſui deleat. 1. Corin. 15. d. 28

43 Tertia petitio eſt, Vt fiat voluntas Dei in terra ſicuti in cælo. Quod tametſi à regno eius dependet, neque ab eo poteſt diſiungi, non fruſtra tamen ſeorſum additur propter noſtram ruditatem quæ non facilè vel ſtatim apprehendit quid ſit Deũ in mundo regnare. Hoc ergo exegeticè ſumere abſurdum non erit: tunc Deum fore regem in mundo vbi ſe omnes eius voluntati ſubiicient. Porrò non agitur hîc de arcana eius voluntate qua omnia moderatur & in ſuum finem deſtinat. Quanuis enim tumultuoſè Satan & homines contra ipſum ferantur, nouit tamen incõprehenſibili ſuo conſilio non ſolùm flectere eorum impetus, ſed in ordinem agere vt per eos faciat quod decreuit. Sed hîc notatur alia Dei voluntas, nempe cui reſpondet voluntarium obſequium: ideóque nominatim confertur cælum terræ: quia Angeli, vt in Pſalmo dicitur, ſponte obediunt Deo, & intenti ſunt ad exequenda eius iuſſa. Iubemur ergo optare, ſicut in cælo nihil geritur niſi ex Dei nutu, placidéque Angeli ad omnem rectitudinem compoſiti ſunt, ſic terram omni contumacia & prauitate extincta, eiuſmodi imperio ſubigi. Atque id quidem poſtulantes, carnis noſtræ deſideriis renuntiamus: quia niſi quis affectus ſuos Deo reſignet ac permittat, eius voluntati, quantum in ſe eſt, ſe opponit, quãdo nihil ex nobis prodit niſi vitioſum. Atque iterum hac precatione ad noſtri abnegationem formamur, vt Deus pro ſuo arbitrio nos regat: neque id ſolùm, ſed etiam vt nouas mentes nouóſque animos, noſtris in nihilum redactis creet, nequem ſentiamus in nobis cupiditatis motum quàm merum conſenſum cum eius voluntate. in ſumma, nequid ex nobis velimus ipſi, ſed vt Spiritus eius corda noſtra gubernet, quo intus docente diſcamus amare quæ ei placent, odiſſe verò quæ diſplicent. Vnde hoc quoque ſequitur vt quicunque eius voluntati repugnant affectus, eos vanos & irritos reddat. En prima tria capita precationis, in quibus poſcendis ſolam Dei gloriam præ oculis habere conuenit, omiſſa noſtri ratione, nec ſpectata vlla noſtra vtilitate quæ tametſi larga inde nobis prouenit, hîc tamẽ à nobis quærenda non eſt. Hæc autem omnia quanuis nec cogitantibus, nec optantibus, nec petentibus nobis, ſuo nihilominus tempore euenire oporteat, optanda tamen & poſcenda nobis ſunt. Idque facere non leue operæpretium eſt, vt ſic nos ſeruos eſſe ac filios Dei teſtemur & profiteamur, eius honori (quod Domino patríque debetur) quantum in nobis eſt ſtudentes, veréque & penitus addicti. Itaque qui hoc affectu ac ſtudio promouendæ Dei gloriæ non petunt vt nomen Dei ſanctificetur, vt eius regnum adueniat, vt fiat voluntas eius: ii neque inter filios & ſeruos Dei habendi ſunt: ac quemadmodum hæc omnia illis inuitis fient, ita in confuſionem illis cedent ac interitum. Pſa. 103. d. 20

44 Sequitur pars orationis ſecunda, in qua ad noſtras vtilitates deſcendimus: non

1.Cor.10.g. 31 quidem vt gloria Dei valere iussa (quæ teste Paulo etiam in cibo & potu spectanda est) tantùm quæramus quod nobis expedit: sed hoc discrimen esse admonuimus, quòd Deus peculiariter tria vota sibi vendicans, nos ad se totos rapit, vt pietatem nostram hoc modo probet. Deinde concedit etiam commodis nostris prospicere, hac tamen lege ne quid nobis expetamus nisi in illum finem vt quæcunque nobis confert beneficia gloriam eius illustrent. quia nihil æquius est quàm nos ei viuere & mori. Cæterùm hac in genere omnia, quibus corporis vsus sub elementis huius mundi indiget, à Deo petimus: non modo quo alamur ac vestiamur, verùm etiam quicquid omnino nobis conducere ipse prospicit, vt panem nostrum in pace comedamus. Qua breuiter nos in eius curam tradimus, ac prouidentiæ committimus, vt nos pascat, foueat, seruet. Non enim dedignatur optimus Pater corpus etiam nostrum in fidem ac custodiam suam suscipere, vt fidem nostram minutis istis in rebus exerceat: dum ab eo omnia, vsque ad micam panis, & guttam aquæ, expectamus. Nam quum sit nescio qua nostra iniquitate comparatum, vt maiori carnis quàm animæ solicitudine afficiamur ac torqueamur, multi qui audent Deo de anima fidere, sunt tamẽ adhuc de carne soliciti, adhuc hæsitant quid edant, quid vestiantur: & nisi præ manibus habeant vini, frumenti & olei copiam, trepidant. Tanto pluris nobis est huius momentaneæ vitæ vmbra, quàm æterna illa immortalitas. Qui verò Deo confisi, illam de carnis cura anxietatem semel abiecerunt, simul statim quæ maiora sunt, etiam salutem & vitam æternã, ab eo expectant. Non ergo leue est fidei exercitium, ea de Deo sperare quæ alioqui nos tantopere anxios habent: neque parum profectum est, vbi hanc, quæ in omnium penè hominum ossibus mordicus hæret, infidelitatem exuimus. Quod porrò de pane supersubstantiali quidam philosophantur, mihi videtur Christi sententiæ perparum conuenire, imò nisi in hac etiã caduca vita tribueremus Deo nutritii partes, mutila esset precatio. Ratio quam afferunt nimis est profana: non esse consentaneum vt filii Dei, qui spirituales esse debent, non modò adiiciant animum ad terrenas curas, sed Deum quoque illis secum implicent. Quasi verò non refulgeat
1.Tim.4.c.8 etiam in victu benedictio eius & paternus fauor, aut de nihilo scriptum sit pietatem habere promissiones non tantùm futuræ vitæ sed etiam præsentis. Etsi autem peccatorum remissio longè pluris est quàm alimenta corporis, quod tamen inferius erat priore loco posuit Christus, vt nos ad reliquas duas petitiones gradatim eueheret, quæ propriæ sunt cælestis vitæ: in quo tarditati nostræ consuluit. Iubemur autem petere panem nostrum, vt contenti simus demenso quod nobis erogare dignatur cælestis Pater, neque artibus illicitis lucrum captemus. Interea tenendum est nostrum fieri donationis titulo, quia nec
Leuit.26.c. 20 industria nec labor nec manus nostræ (vt dicitur apud Mosen) nobis per se quicquam acquirunt nisi adsit Dei benedictio: imò ne panis quidem copia nobis tantillum proficeret nisi diuinitus in alimentum verteretur. Ac proinde non minus diuitibus quàm egenis necessaria est hæc Dei liberalitas: quia plenis cellis & horreis aridi & vacui deficerent nisi per eius gratiam pane suo fruerentur. Particula Hodie vel quotidie, vt est apud alterum Euangelistam: item epitheton quotidiani, frænum iniiciunt immodicæ rerum fluxarum cupiditati, qua solemus præter modum ardere, & cui accedunt alia mala: quia si largior suppetit abundantia, ambitiosè in voluptatem, delicias, ostentationem, aliásque luxus species profundimus. Itaque petere iubemur duntaxat quantum necessitati nostræ satis est, & velut in diem, hac fiducia, vbi nos hodie nutrierit cælestis Pater, neque crastino defuturum. Quantacunque igitur rerum copia nobis affluat, etiam vbi expleta fuerint horrea & plena cellaria: semper tamen panem quotidianum nos petere conuenit: quia certò tenendum est omnem substantiam nihil esse nisi quatenus effusa sua benedictione Dominus eam cõtinuo progressu fœcundat: quæ etiã in manu nostra est, ne eam quidem nostram esse, nisi quatenus in singulas horas portiunculam nobis largitur, vsúmque permittit. Id quia ægerrimè sibi persuaderi patitur hominum superbia, singulare in omnia secula documentum se præbuisse testatur Dominus, quum
Deut.8.a.3 Mat.4.a.4 manna in deserto populum suum educauit, vt nos commonefaceret, non in solo pane viuere hominem, sed in verbo potius quod ex ore suo egreditur. Quo indicatur, solam eius virtutem esse qua sustentantur vita & vires: tametsi eam sub corporeis instrumentis nobis administrat. Quemadmodum & contrario documento nos erudire solet, quum
Leuit.26.d. 26 robur panis (& vt ipse vocat, baculum) quoties libet confringit, quo scilicet edentes tabescant fame, & bibentes siti arescant. Qui verò pane quotidiano non contenti, sed effræni

effræni cupiditate infinitis inhiantes: aut qui abundantia ſua ſaturi, & diuitiarum ſuarum cumulo ſecuri, hac nihilominus precatione Deo ſupplicant, nihil quàm ipſum irridենt. Priores enim petunt quod impetratum nollent, imò quod maximè abominantur, nempe panem quotidianum dũtaxat: quantúmque poſſunt auaritiæ ſuæ affectum Deo diſſimulant: quum vera oratio totam ipſam mentem & quicquid intus latet, apud ipſum effundere debeat. Alteri verò poſtulant quod minimè ab eo expectant, nempe quod ſibi apud ſe eſſe arbitrãtur. In eo quod noſter dicitur, magis quidem, vt diximus, eminet Dei benignitas, quæ noſtrũ facit quod nullo iure nobis debetur. Neque tamen repudiandum eſt quod etiam attigi, ita deſignari iuſto labore & innoxio partum, non autem impoſturis quæſitum aut rapinis: quia alienum ſemper eſt quicquid cum aliqua noxa nobis acquirimus. Quòd dari nobis petimus, ſignificatur eſſe ſimplex ac gratuitum Dei donum, vndecunque nobis adueniat: etiam vbi maximè viſus fuerit arte atque induſtria noſtra quæſitus, ac manibus noſtris comparatus. quando ſola eius benedictione efficitur vt laboribus noſtris rectè ſuccedat.

45 Sequitur, Remitte nobis debita noſtra: qua petitione & proxima breuiter amplexus eſt Chriſtus quicquid ad cæleſtẽ vitam facit. quemadmodũ his tãtùm duobus membris conſtat ſpirituale fœdus quod Deus in ſalutem Eccleſiæ ſuæ pepigit? Leges meas inſcribam cordibus ipſorum, & propitius ero eorum iniquitati. Hîc à remiſſione peccatorum Chriſtus incipit, deinde mox adiunget ſecundam gratiam, vt nos Spiritus ſui virtute tueatur Deus & auxilio ſuſtineat, vt inuicti ſtemus contra omnes tentationes. Peccata verò debita nuncupat quòd eorum pœnam debemus, nec ſatiſfacere vllo modo poſſemus, niſi hac remiſſione ſolueremur. quæ venia eſt gratuitę miſericordiæ eius, quum ipſe liberaliter hæc debita expungit, nullum à nobis pretium accipiens: ſed ſua ipſius miſericordia ſibi ſatiſfaciens in Chriſto, qui ſemel in compenſationem ſeipſum tradidit. Itaque qui ſuis aut aliorum meritis Deo ſatiſfieri confidunt, híſque ſatiſfactionibus peccatorum remiſſionem penſari ac redimi, huic gratuitæ condonationi minimè communicãt: ac dum in hanc formam Deum inuocant, nihil aliud quàm in ſuam accuſationem ſubſcribunt, adeóque damnationem obſignant ſuo ipſorum teſtimonio. fatentur enim ſe debitores niſi remiſſionis beneficio ſoluantur, quam tamen non accipiunt ſed magis reſpuunt, dum ſua merita ac ſatiſfactiones Deo obtrudũt. ſic enim non eius miſericordiam implorant, ſed iudicium appellant. Qui verò ſibi perfectionem ſomniant quæ veniæ petendæ neceſſitatem tollat, diſcipulos habeant quos aurium pruritus ad fallacias impellit: modò ereptos eſſe Chriſto conſtet quoſcunque ſibi acquirunt. quando omnes ille ad fatendum reatum inſtituens nullos admittit niſi peccatores: non quòd blanditiis foueat peccata, ſed quia fideles nunquam planè exui carnis ſuæ vitiis ſciebat, quin ſemper maneant Dei iudicio obnoxii. Optandum quidem eſt atque etiam enixè laborandum vt omnibus officii noſtri numeris defuncti, verè apud Deum nobis gratulemur nos eſſe puros ab omni macula. ſed quia Deo placet paulatim ſuam in nobis imaginem refingere, vt ſemper aliquid cõtagionis in carne noſtra reſideat, remedium minimè negligendũ fuit. Quòd ſi Chriſtus pro authoritate ſibi à Patre data iubet nos toto vitæ curſu ad reatus deprecationem confugere, quibus tolerabiles erunt noui magiſtri, qui perfectę innocentiæ ſpectro, ſimplicium oculos perſtringere conantur, vt ſe ab omni culpa reddi poſſe immunes confidant? Quod, teſte Iohanne, nihil aliud eſt quàm mendacem facere Deum. Eadem etiam opera nebulones iſti fœdus Dei, quo vidimus ſalutem noſtram contineri, capite vno inducto lacerant, atque ita funditus labefaciunt: non tantùm in eo ſacrilegi quòd ſeparant res adeo coniunctas, ſed etiam impii & crudeles quòd miſeras animas obruunt deſperatione: in ſeipſos quidem & ſibi ſimiles perfidi, quòd ſocordiam ſibi acerſunt Dei miſericordiæ ex diametro aduerſam. Quòd autem obiiciunt, regni Dei aduẽtum optando ſimul nos peccati abolitionẽ petere: nimis puerile eſt: quia in priore orationis tabula ſumma nobis perfectio, hîc autem infirmitas proponitur. Ita duo hæc aptè inter ſe conueniunt vt aſpirando ad metam, quæ neceſſitas noſtra remedia exigit nõ negligamus. Petimus demum remiſſionem nobis fieri, vt ipſi debitoribus noſtris remittimus: hoc eſt, vt omnibus parcimus ac veniam damus à quocunque vlla in re læſi ſumus, aut facto iniquè tractati, aut dicto contumelioſè accepti. Non quòd delicti atque offenſæ culpam remittere noſtrum ſit, quod ſolius Dei eſt: verùm hæc noſtra eſt remiſſio, iram, odium, vindictæ appetentiã ex animo vltro deponere, & iniuriarum memoriam volunta

Iere. 31. f. 33. & 33. a. 8

1. Iohan. 1. d. 10

Rom. 3, c. 24

Iesa. 43. d. 25

ria obliuione conterere. Quamobrem peccatorum remiſſio à Deo petenda non eſt, niſi offenſas etiam ipſi noſtras omnibus remittamus qui nobis iniurii vel ſunt vel fuerunt. Siqua verò odia animis retinemus, vltiones meditamur, & qua noceamus occaſione cogitamus: imò verò niſi cum inimicis redire in gratiam ipſóſque omni officiorũ genere demereri, nobíſque conciliare nitimur: hac precatione Deum obteſtamur ne peccatorũ remiſſionem nobis faciat. Poſcimus enim vt nobis faciat, quam aliis facimus. Hoc verò eſt petere ne nobis faciat niſi ipſi facimus. Qui ergo huiuſmodi ſunt, quid conſequuntur ſua petitione niſi grauius iudicium? Poſtremò obſeruandum eſt, non hanc conditionem ideo adiici vt remittat nobis, ſicut debitoribus noſtris remittimus, propterea quòd noſtra quam alii facimus, remiſſione, eius remiſſionem mereamur, acſi notata eſſet cauſa: verùm hoc verbo ſolari partim voluit Dominus fidei noſtræ imbecillitatem. addidit enim hoc tanquam ſignum quo confirmemur tam certò nobis factam à ſe remiſſionem peccatorum, quàm certò conſcii ſumus aliis eam à nobis fieri: ſi tamẽ animus nobis omni odio, liuore, vindicta, vacuus purgatúſque eſt: partim hac veluti nota, è filiorum numero expungit qui ad vlciſcendum præcipites, ad remittendum difficiles, pertinaces inimicitias exercent, & indignationem quam à ſe deprecantur, ipſi aduerſus alios fouent, ne ſe pro Patre inuocare auſint. quod etiam diſertè in Chriſti verbis exprimitur apud Lucam.

46 Sexta petitio (vt diximus) promiſſioni reſpondet de Lege Dei cordibus noſtris inſculpenda: ſed quia non ſine continua militia duríſque & arduis certaminibus Deo paremus, hîc petimus nos armis inſtrui & preſidio defendi, vt pares ſimus ad victoriam: quo monemur non tãtùm nobis opus eſſe Spiritus gratia, quæ corda noſtra intus emolliat, flectat & dirigat in Dei obſequium, ſed etiam auxilio, quo nos inſuperabiles reddat contra omnes Satanæ tam inſidias quàm violentos conflictus. Iam verò multæ ſunt ac variæ tentationum formæ. Nam & prauæ animi conceptiones, in Legis tranſgreſſionem nos prouocantes, quas vel concupiſcentia noſtra nobis ſuggerit, vel Diabolus excitat, tentationes ſunt: & quę ſuapte natura mala non ſunt, Diaboli tamen arte tẽtationes fiunt, quum ſic oculis noſtris ingeruntur, vt eorum obiectu à Deo abſtrahamur, aut declinemus. Et hæ quidem tentationes ſunt vel à dextris vel à ſiniſtris. A dextris, vt diuitiæ, potentia, honores, quæ plerunque ſuo fulgore & boni ſpecie quam præ ſe ferunt, hominum aciem præſtringunt, & blanditiis ſuis ineſcant, vt talibus præſtigiis capti, vt tali dulcedine ebrii, Deum ſuum obliuiſcantur. A ſiniſtris, vt paupertas, probra, contemptus, afflictiones, & cætera id genus: quorum acerbitate difficultatéque offenſi animos deſpondeant, fiduciam ac ſpem abiiciant, demum à Deo prorſus alienẽtur. His tentationibus vtriſque, quæ vel concupiſcentia noſtra in nobis accenſæ, vel Satanæ vafritia nobis propoſitæ nobiſcum pugnant, ne cedere nos permittat, à Deo Patre noſtro precamur: verùm vt potius manu ſua nos ſuſtentet ac erigat: quò eius virtute robuſti, contra omnes maligni hoſtis inſultus firmi ſtare poſſimus, quaſcunque cogitationes animis noſtris immittat: deinde quicquid nobis in vtranque partem proponitur, in bonum vertamus. hoc eſt, ne inflemur proſperis, nec aduerſis deiiciamur. Neque tamen hîc poſtulamus ne vllas omnino tentationes ſentiamus, quibus magis excitari, pungi, vellicari, magnopere nobis opus eſt, ne nimium reſides torpeamus. Neque enim abs re Dauid tentari optabat: nec citra cauſam electos ſuos quotidie tẽtat Dominus: eos per ignominiã, paupertatem, tribulationem, & alias crucis ſpecies caſtigans. Sed aliter Deus tentat, aliter Satan: hic vt perdat, damnet, confundat, præcipitet: Deus verò, vt ſuos probando, experimentum de eorum ſinceritate ſumat, & exercẽdo robur confirmet: eorum carnẽ mortificet, excoquat, adurat, quę niſi in hunc modum coerceretur, laſciuiret, & ſupra modum exultaret. Præterea Satan inermes & imparatos adoritur, vt incautos opprimat: Deus vnà cum tentatione facit euentum, vt ſufferre ſui patienter poſſint quicquid illis immittit. Maligni nomine Diabolum an peccatum intelligamus quàmminimum refert. Satan quidem ipſe hoſtis eſt qui vitæ noſtræ inſidiatur: peccato autem armatus eſt in noſtrum exitium. Hæc igitur noſtra eſt poſtulatio, ne vllis tentationibus vincamur ac obruamur, ſed Domini virtute contra omnes aduerſas virtutes, quibus oppugnamur, fortes ſtemus, quod eſt non ſuccumbere tentationibus: vt in eius cuſtodiam ac fidem ſuſcepti, ac protectione eius ſecuri, ſupra peccatum, mortem, inferorum portas, & totum Diaboli regnum inuicti duremus: quod eſt à maligno liberari. Vbi etiam diligenter animaduertendum eſt

Iacob.1.a.2, & b.14
Mat.4.a.1.3
2.Theſ.3.b.5

Pſal.26.a.2
Gene.22.a.1
Deu.8.a.2, & 13.a.3

1.Cor.10.c.13
2.Pet.2.b.9
1.Pet.5.c.8

dum est, non nostrarum esse virium cum Diabolo tanto bellatore congredi, nec vim eius atque impetum ferre. Alioqui frustra aut per ludibrium à Deo poscereturquod domi apud nos esset. Sanè qui sui fiducia ad talem se pugnam comparant, non satis intelligunt cum quàm pugnaci atque instructo hoste sibi res sit. Nunc petimus ab eius potestate liberari, tanquam ab ore insani ac rabidi alicuius leonis, statim eius dentibus ac vnguibus discerpendi, eius faucibus deglutiendi, nisi nos Dominus è media morte eripiat: hoc tamen simul scientes quòd si Dominus aderit, ac pro nobis tacentibus pugnabit, in eius virtute faciemus virtutem. Confidant alii vt volent propriis liberi arbitrii (quas à se habere sibi videntur) facultatibus ac viribus: nobis satis sit, quòd vna Dei virtute stamus ac valemus. Plus autem ista precatio complectitur quàm prima specie præ se ferat. nam si Dei Spiritus virtus nostra est ad certamen cum Satana depugnandum, victoriam referre antè non poterimus quàm illo pleni omnem carnis nostræ infirmitatem exuerimus. A Satana igitur & peccato dum petimus liberari, nouis gratiæ Dei incrementis locupletari subinde expetimus: donec ad plenum iis referti, de omni malo triumphemus. Durum & asperum videtur quibusdam, peti à Deo ne in tentationem nos inducat, quando eius naturæ contrarium est nos tentare, teste Iacobo. Sed iam ex parte soluta quæstio est, quòd omnium tentationum quibus vincimur, concupiscentia nostra propriè causa est, ideóque culpam sustinet. Neque aliud vult Iacobus quàm frustra & iniustè in Deum vitia transcribi quæ nobis imputare cogimur: quia sumus eorum nobis conscii. Cæterùm hoc non obstat quominus nos Deus vbi ita visum est Satanæ mancipet, proiiciat in sensum reprobum fœdásque cupiditates, atque ita in tentationes inducat, iusto quidem iudicio, sæpe tamen occulto: quia sæpe hominibus abscondita est causa quæ tamen apud eum certa est. Vnde colligitur non esse impropriam loquutionem, si persuasi sumus non absque ratione ipsum toties minari, quum percutientur cæcitate & obduratione cordis reprobi, hæc certa fore vindictæ suæ documenta.

Psal.60.b.14

Iacob.1.c.13

Ibid.c.14

47 Tres istæ precationes, quibus peculiariter nos ac nostra omnia Deo commendamus, euidenter ostendunt quod antea diximus, Christianorum orationes publicas esse debere, ac in publicam Ecclesiæ ædificationem communionísque fidelium profectum spectare. Non enim sibi quisque priuatim dari quicquam postulat: verùm omnes in commune, panem nostrum, remissionem peccatorum, ne inducamur in tentationem, vt à maligno liberemur, poscimus. Causa præterea subiicitur cur tanta sit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi: quæ tametsi in Latinis exemplaribus non extat, magis tamen appositè hîc quadrat quàm vt omittenda videatur. nempe quòd eius est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum. Hæc solida tranquilláque est fidei nostræ requies. nam si nostra dignitate nostræ Deo orationes commendandæ essent, quis vel mutire coram eo auderet? Nunc, vt miserrimi simus, vt omnium indignissimi, vt omni commendatione vacui, nunquam tamen orandi nos causa deficiet, nunquam fiducia destituet: quando nec Patri nostro regnum suum, potentia, gloria eripi potest. Ad finem additur, Amen: quo ardor desiderii exprimitur obtinẽdi quæ à Deo petita sunt: & spes nostra confirmatur, huiusmodi omnia iam impetrata esse, & certò nobis concessum iri: quando à Deo promissa sunt, qui fallere non potest. Atque hoc conuenit cum illa quam prius retulimus formula, Fac Domine propter nomẽ tuum, non propter nos, aut iustitiam nostram: qua non tantùm finem votorum suorum exprimunt sancti, sed fatentur indignos se esse qui impetrent, nisi Deus causam à seipso petat: ac sibi exorandi esse fiduciam ex sola Dei natura.

48 Habemus quicquid à Deo petere debemus, ac omnino etiam possumus, descriptum hac formula, & velut orandi regula ab optimo magistro Christo tradita: quem nobis Doctorem Pater præfecit, & quem vnum auscultari voluit. Nam & æterna eius sapientia semper fuit: & homo factus, Angelus magni consilii hominibus datus est. Atque adeo numeris omnibus absoluta est hæc oratio, vt quicquid illi extraneum alienúmque additur, quod ad eam referri non possit, impium sit & indignum quod à Deo probetur. Hac enim summa præscripsit quid se dignum, quid sibi acceptum, quid necessarium nobis sit, quid denique cõcedere ipse velit. Quamobrẽ qui vltrà progredi audent, & præter hæc aliquid à Deo postulare, primùm quidem sapientiæ Dei ex suo addere volunt (quod sine insana blasphemia esse non potest) deinde sub voluntate Dei nõ se continent: sed ea contempta, longius cupiditate euagantur. Postremò nihil vnquam assequentur, quum

Mat.17.a.5

Iesa.11.a.2

Vid. Aug. de oratione ad Probam.

ſine fide orent. Quin verò omnes eiuſmodi orationes citra fidem fiant nihil eſt dubium: quia hîc abeſt verbũ Dei, quo niſi fides ſemper nititur, ſtare nullo modo poteſt. Qui verò poſthabita magiſtri regula ſuis votis indulgent, non modò verbo Dei carẽt, ſed quantum omni conatu valent aduerſantur. Eleganter ergo non minus quàm verè Tertullianus legitimam orationem nuncupauit: alias omnes exleges & illicitas eſſe tacitè indicãs.

De fuga in perſecutione.

49 Hæc ita nolumus accipi quaſi hac precandi formula aſtringamur, vt nec verbum aut ſyllabam mutare liceat. Multæ enim paſſim in Scripturis leguntur orationes, verbis ab iſta longè diuerſæ, eodem tamen Spiritu conſcriptæ, & quarum vſus valde vtilis nobis eſt. Multæ ab eodem Spiritu fidelibus aſſiduè ſuggeruntur, quæ verborum ſimilitudine non ita multum conueniunt. Id duntaxat ſic docendo agimus, nequis omnino aliud quærat, expectet, aut poſtulet, quàm quod hac oratione ſummatim cõprehenſum eſt: & verbis licet diuerſiſſimis, ſenſu tamen non variet. Quo modo omnes & quæ in Scripturis habentur, & quæ ex piis pectoribus prodeunt orationes, in hãc conferri certũ eſt. nullam ſanè reperire vſquam liceat, quæ huius perfectionem æquare, nedum ſuperare poſſit. Nihil hîc omiſſum eſt quod in Dei laudes cogitari, nihil quod homini pro ſuis cõmodis in mentem venire debeat. & adeo quidem exactè, vt omnibus meritò ſpes ablata ſit melius aliquid tentandi. In ſumma, meminerimus hanc diuinæ ſapientiæ eſſe doctrinam: quæ quod voluit, docuit: voluit autem quod neceſſe fuit.

50 Quanquam autem ſuprà iam dictum eſt, ſublatis ad Deum animis ſemper ſuſpirandum, & ſine intermiſſione orandum: quando tamen ea noſtra eſt imbecillitas quæ multis adminiculis ſuſtentari, is noſter torpor qui calcaribus excitari opus habeat: conuenit vt ſibi quiſque noſtrum exercitationis cauſa peculiares horas conſtituat quæ non ſine oratione effluant, & quæ totos animi affectus in hoc penitus occupatos habeant: nempe dum mane ſurgimus, antequam diurnam operam aggredimur, dum ad paſtum diſcumbimus, dum Dei benedictione paſti ſumus, dum ad quietem nos recipimus. Hæc modò ſit non ſuperſtitioſa horarum obſeruatio, quibus, ceu penſum Deo ſoluentes, in cæteras horas defuncti nobis videamur: ſed imbecillitatis noſtræ pædagogia, qua ſic exerceatur, & ſubinde ſtimuletur. Præſertim ſolicitè curãdum eſt, quoties aliqua rerum anguſtia aut ipſi premimur, aut premi alios videmus, vt ad eum ſtatim citatis non pedibus ſed animis recurramus: deinde nequam aut noſtram aut aliorum proſperitatem præterire ſinamus, quin laude ac gratiarum actione manum eius agnoſcere nos teſtemur. Poſtremò, hoc in omni oratione diligenter obſeruandum eſt, ne certis circũſtantiis Deum alligare velimus, nec illi præſcribere, quo quid tempore, quo loco, qua ratione facturus ſit. Qualiter hac oratione docemur nullam illi legem figere, aut conditionem imponere: ſed eius arbitrio permittere, vt quæ facturus eſt, qua ſibi ratione, quo tempore, quo loco viſum fuerit, faciat. Propterea antequam vllam pro nobis precẽ concipimus, præfamur vt eius voluntas fiat: vbi iam eius voluntati noſtram ſubiicimus. quo non ſecus ac iniecto fræno coercita, Deum in ordinem cogere ne præſumat, ſed eum votorum omnium ſuorum arbitrum ac moderatorem ſtatuat.

51 Si animis in hanc obedientiam compoſitis, prouidentiæ diuinæ legibus nos regi patimur, facilè diſcemus in oratione perſeuerare, ac ſuſpenſis deſideriis patienter expectare Dominum: certi, etiamſi minimè apparet, nobis tamen ſemper adeſſe, ſuóque tempore declaraturum quàm non habuerit ſurdas aures precibus, quæ in hominum oculis neglectæ videbantur. Erit verò iſtæc præſentiſſima conſolatio, ne deficiamus, ac deſperatione concidamus, ſiquando ad prima noſtra vota Deus non reſpondeat. Quemadmodum ſolent qui dum ſuo tantùm ardore feruntur, ſic Deum inuocant, vt niſi ad primos impetus adfuerit, ac præſentem opem attulerit, ſtatim iratum ſibi infenſúmque fingant, & omni ſpe exorandi abiecta, inuocare deſinant. Quin potius ſpem noſtram bene temperata animi æquitate differendo, in eam perſeuerantiam inſiſtamus, quæ tantopere nobis commendatur in Scripturis. Nam in Pſalmis frequenter videre licet vt Dauid & reliqui fideles, dum precando fere laſſi videntur aerem verberaſſe, quia Deo ſurdo verba ſparſerint, non tamen à precando deſiſtent: quia ſua verbo Dei authoritas non aſſeritur, niſi locatur eius fides ſupra omnes euentus. Deinde etiam ne Deũ tentemus, & noſtra improbitate fatigatum, aduerſum nos prouocemus. quod multis ſolenne eſt, qui nonniſi certa conditione cum Deo paciſcuntur, & perinde acſi ſuarum cupiditatum ſeruus eſſet, ſtipulationis ſuæ legibus adſtringũt. quibus niſi extemplo pareat, indignantur,

indignantur, fremunt, obloquuntur, murmurant, tumultuantur. Talibus ergo sæpe in furore suo iratus concedit quod aliis in misericordia propitius denegat. Documento sunt filii Israel, quibus satius fuerat non exaudiri à Domino, quàm cum carnibus eius indignationem vorare. Num.11.d.18 & g.33

52 Quòd si demum nec post longam expectationem assequatur sensus noster quid orando profectum sit, nec fructum inde vllum sentiat: fides tamē nostra, quod sensu percipi non poterit, nobis certum faciet, nos obtinuisse quod expediebat. quando toties ac tam certò sibi curæ fore molestias nostras Dominus recipit, ex quo semel in suum sinum depositæ fuerint. Atque ita efficiet vt in paupertate abundantiam, in afflictione consolationem possideamus. Nam vt deficiant omnia, Deus tamen nunquam nos destituet, qui expectationem ac patientiā suorum frustrari non potest. Erit ipse vnus nobis pro omnibus: quando bona omnia in se complectitur quæ olim nobis reuelabit in die iudicii, quo regnum suum planè manifestabit. Adde quòd etiamsi nobis annuat Deus, non tamen semper ad difertam voti formulam respondet: sed in speciē nos suspendens, modo tamen incognito preces nostras non vanas fuisse ostendit. Hoc sibi volunt Iohānis verba, Si nouimus quòd audit nos quum quid petierimus ab eo, nouimus quòd habemus petitiones quas petimus ab eo. Diluta videtur hæc verborum superfluitas: sed apprimè vtilis est declaratio, quòd scilicet Deus, etiam vbi nobis morem non gerit, precibus tamen nostris facilis est ac propitius, vt spes verbo eius innixa nunquam nos frustretur. Hac verò patientia sustentati eousque opus habent fideles, vt non diu constaturi sint nisi in eam recumberent. Non enim leuibus experimentis suos probat Dominus, nec molliter exercet: sed in extrema quæque sæpe adigit, & adactos, diu in eo luto hærere sinit, antequam gustum suæ dulcedinis aliquem illis præbeat. Atque, vt ait Hanna, Mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. Quid hîc possent nisi linqui animis, & in desperationem ruere: nisi afflictos, desolatos, & iam semimortuos hæc cogitatio erigeret, se à Deo respici, & finem præsentibus malis affore? Vtcunque tamen eius spei securitate constant, orare interea non desinunt. quandoquidem, nisi adsit in oratione perseuerandi constantia, nihil orando agimus. 1.Ioh.5.c.15 1.Sam.2.b.6

De electione æterna, qua Deus alios ad salutem, alios ad interitum prædestinauit.

CAP. XXI.

IAM verò quòd non apud omnes peræquè homines fœdus vitæ prædicatur, & apud eos quibus prædicatur, non eundem locum vel æqualiter vel perpetuò reperit: in ea diuersitate mirabilis diuini iudicii altitudo se profert. Nec enim dubium quin æternæ Dei electionis arbitrio hæc quoque varietas seruiat. Quòd si palàm est Dei nutu fieri vt aliis vltrò offeratur salus, alii ab eius aditu arceantur: hîc magnæ & arduæ protinus emergunt quæstiones, quæ aliter explicari nequeunt quàm si de electione ac prædestinatione constitutum habeant piæ mentes quod tenere conuenit. Perplexa (vt multis videtur) quæstio: quia nihil minus consentaneum putant quàm ex communi hominum turba alios ad salutem, alios ad interitum prædestinari. Vt autem perperam se ipsi impediant, ex contextu postea liquebit. Adde quòd in ipsa quæ terret caligine, non modò vtilitas huius doctrinæ, sed suauissimus quoque fructus se profert. Nunquam liquidò vt decet persuasi erimus salutem nostram ex fonte gratuitæ misericordiæ Dei fluere, donec innotuerit nobis æterna eius electio: quæ hac comparatione gratiam Dei illustrat, quòd non omnes promiscuè adoptat in spem salutis, sed dat aliis quod aliis negat. Huius principii ignorantia quantum ex gloria Dei imminuat, quantum veræ humilitati detrahat, palàm est. Atqui quod ita cognitu necessarium est, cognosci posse negat Paulus, nisi Deus, omisso prorsus operū respectu, quos apud se decreuit eligat. In hoc (inquit) tempore reliquiæ secundum electionem gratuitam salua fuerunt. Quòd si per gratiam, non iam ex operibus: quandoquidem gratia iam non esset gratia. Si ex operibus, non ex gratia: quandoquidē opus non esset opus. Si ad electionis originem reuocandi sumus, vt constet non aliunde quàm ex mera Dei liberalitate contingere nobis salutem, qui hoc extinctum volunt, malignè quantum in se est obscurāt quod magnificè ac plenis buccis celebrandum erat, & ipsam humilitatis radicem euellunt. Clarè testatur Paulus, vbi residui populi salus electioni gratuitæ ascribitur, tunc demum cognosci, Deum mero beneplacito seruare quos vult, non autem mercedem rependere, quæ nulla deberi potest. Qui fores occludunt, nequis ad gustum huius do- Rom.11.a.5

ctrinæ accedere audeat, non minorem hominibus quàm Deo faciunt iniuriam: quia neque ad nos vt par est humiliandos quicquam aliud sufficiet, nec quàm simus obstricti Deo, ex animo sentiemus. Nec verò alibi solidæ fiduciæ fultura, etiam Christo authore: qui vt nos inter tot discrimina, insidias & lethales cõflictus omni metu liberet, inuictósque reddat, saluum fore promittit quicquid à patre accepit in custodiam. Ex quo elicimus continua trepidatione miseros fore quicunque se peculium Dei esse ignorant: ac proinde eos pessimè & sibi & cunctis fidelibus consulere qui ad tres quas notauimus vtilitates cæcutiendo, salutis nostræ fundamentum è medio sublatum euerent. Quid quòd nobis inde emergit Ecclesia, quæ alioqui, vt rectè docet Bernardus, non posset inueniri, nec inter creaturas agnosci? quia miro vtroque modo latet intra gremium beatæ prædestinationis, & intra massam miseræ damnationis. Sed antequam rem ipsam ingredior, cũ duplici hominum genere mihi bifariam præfandum est. Disputationem de prædestinatione, quum per se sit aliquantum impedita, valde perplexã atque adeò periculosam reddit hominum curiositas: quæ nullis repagulis cohiberi potest quin & in vetitas ambages euagetur, & in sublime se propipiat: nihil, si liceat, arcani, quod non scrutetur atque euoluat, Deo relictura. In hanc audaciam & improbitatẽ quum multos videamus passim ruere, & in iis quosdam alioqui non malos: opportunè admonendi sunt quis sit in hac parte officii sui modus. Primùm ergo meminerint, in prædestinationem dum inquirunt, se in diuinæ sapientiæ adyta penetrare, quò siquis securè ac confidenter prorumpat, nec quo suam curiositatem satiet assequetur, & labyrinthum ingredietur cuius nullum reperiet exitum. Neque enim æquum est vt quæ in seipso abscondita esse voluit Dominus, impune homo excutiat: & sapientiæ sublimitatem (quam adorari & non apprehendi voluit, vt per ipsam quoque admirabilis nobis foret) ab ipsa æternitate euoluat. Quæ nobis patefacienda censuit voluntatis suæ arcana, ea verbo suo prodidit. Censuit autẽ, quatenus nostra interesse nobísque conducere prouidebat.

Iohã. 10. d. 25

Ser. in Cant. 28

Pro. 25. d. 27

2 Peruenimus in viam fidei, inquit Augustinus, eam constanter teneamus. Ipsa perducit ad cubiculum Regis, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi. Non enim ipse Dominus Christus suis magnis & selectissimis discipulis inuidebat quum diceret, Multa habeo vobis dicenda: sed non potestis portare nunc. Ambulandũ est, proficiendum est, crescẽdum est: vt sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modò nõ possumus. Quòd si nos vltimus dies proficientes inuenerit, ibi discemus quod hîc non potuimus. Hæc cogitatio si apud nos valeat, verbum Domini vnicam esse viam quæ ad inuestigandum quicquid de eo teneri fas est nos deducat, vnicum esse lumen quod ad perspiciendum quicquid de ipso conspici oportet nobis præluceat: facilè nos ab omni temeritate retinebit ac cohibebit. Sciemus enim, vbi primùm verbi fines excesserimus, nobis extra viam & in tenebris esse cursum, in quo errare, labi, impingere identidem, necesse sit. Sit igitur primùm nobis hoc præ oculis, aliam prædestinationis notitiam appetere quàm quæ verbo Dei explicatur, nõ minoris esse insaniæ, quàm siquis vel per inuium incedere, vel in tenebris cernere velit. Neque verò nos pudeat aliquid in ea re nescire vbi est aliqua docta ignorantia. Quin potius libenter ab eius scientiæ inquisitione abstineamus, cuius est cum stulta tum periculosa, atque adeò exitialis affectatio. Quòd si nos solicitat ingenii lasciuia, semper illud, quo retundatur, opponere expediet, sicut nimium mellis non bonum est, ita inuestigationem gloriæ non cedere curiosis in gloriã. Est enim cur ab ea audacia absterreamur quæ nihil quàm in ruinam præcipitare nos potest.

August. homil. in Iohã. 35

Iohã. 8. d. 26

3 Sunt alii, qui dum huic malo mederi volunt, tantumnon sepeliri iubent omnem prædestinationis mentionem. sanè à qualibet eius quæstione, non secus atque à scopulo, refugere docent Quorum tametsi iure in eo laudanda est moderatio, quòd tanta sobrietate delibanda censent mysteria: quia tamẽ nimis infra modum descẽdunt, parum proficiunt apud humanũ ingeniũ, quod se coerceri nõ temerè patitur. Ergo, vt hac quoque in parte legitimum finem teneamus, redeundum erit ad verbum Domini, in quo habemus certam intelligentiæ regulam. Est enim Scriptura, schola Spiritus sancti, in qua vt nihil prætermissum est scitu & necessarium & vtile, sic nihil docetur nisi quod scire conducat. Quicquid igitur de prædestinatione in Scriptura proditur, cauendum est ne ab eo fideles arceamus: ne videamur aut illos malignè fraudare Dei sui beneficio, aut Spiritum arguere ac suggillare qui ea vulgarit quæ vtile sit vllo modo supprimi. Permittamus, inquam, Christiano homini cunctis qui ad eum diriguntur, Dei sermonibus

mentem

mentem aut éſque reſerare, modò cum hac temperantia, vt quum primùm Dominus ſacrum os clauſerit, ille quoque viam ſibi ad inquirendum præcludat. Hic optimus ſobrietatis terminus erit, ſi non modò in diſcendo præeuntẽ ſemper ſequamur Deum, ſed ipſo finem docendi faciente, ſapere velle deſinamus. Neque tanti eſt quod timẽt periculum, vt à Dei oraculis auertere animos ideo debeamus. Celebre eſt Solomonis dictũ, gloriam eſſe Dei celare verbum. Sed quum de re qualibet hoc promiſcuè nõ intelligi & pietas & ſenſus communis dictet: quærẽda nobis diſtinctio eſt, ne modeſtiæ & ſobrietatis prætextu bruta inſcitia nobis placeat. Ea verò paucis à Moſe verbis dilucidè exprimitur: Arcana, inquit, ſua ſunt Deo noſtro: nobis autem & filiis noſtris hæc manifeſtauit. Videmus enim vt ſtudium doctrinæ Legis populo commendet tantùm à cæleſti decreto, quia Deo placuit eam promulgare: populum verò eundem contineat in iis cancellis, hac ſola ratione quia fas non eſt mortalibus ſe in arcana Dei ingerere. Prou.25.a.2 Deu.29.d.29

4 Arripiunt ſubitò, fateor, profani homines in prædeſtinationis materia quod vel carpant, vel cauillentur, vel allatrent, vel ſubſannent. At ſi nos abſterret eorum procacitas, celanda erunt præcipua quæque fidei dogmata, quorum ferè nullum à blaſphemia inuiolatum aut ipſi aut eorum ſimiles relinquunt. Refractarium ingenium non minus inſolenter ſe efferet quum audierit tres in Dei eſſentia ſubeſſe perſonas, quàm ſi audiat Deum præuidiſſe quid de homine futurũ eſſet quum crearet. Nec abſtinebũt à cachinnis quum intellexerint paulùm ſupra quinque annorũ millia effluxiſſe à creatione mundi. quærent enim cur tandiu otioſa fuerit ac ſopita Dei virtus. Nihil denique proferetur quod non ludibriis ſuis impetãt. Quo hæc ſacrilegia compeſcamus, an de Filii & Spiritus diuinitate tacendum? an ſilendo tranſmittenda mundi creatio? Imò verò potentior eſt & in hac parte & vbique Dei veritas quàm vt impiorum maledicẽtiam reformidet. quemadmodum & Auguſtinus in opuſculo de bono perſeuerantiæ validè contẽdit. Videmus enim pſeudoapoſtolos non potuiſſe efficere, veram Pauli doctrinam infamando ac criminãdo, vt eum ipſius puderet. Quod autem piis quoque mentibus periculoſam eſſe dicunt totam hanc diſputationem, quia ſit exhortationibus aduerſa, quia fidem quatefaciat, quia cor ipſum conturbet atque exanimet: inane eſt. Has ob cauſas redargui ſe ſolitum non diſſimulat Auguſtinus quòd prædeſtinationem nimium liberè prædicaret. ſed, quod illi prõptum erat abundè refellit. Nos autem, quia multæ & variæ huc ingeruntur abſurditates, vnamquanque ſuo loco diluendam ſeruare maluimus. Tãtum illud in vniuerſum obtinere apud eos cupio vt quæ in occulto recondita Dominus reliquit, ne ſcrutemur: quæ in apertũ protulit, ne negligamus: ne aut vna ex parte nimiæ curioſitatis: aut ex altera, ingratitudinis damnemur. Nã & illud ſcitè ab Auguſtino dictũ eſt, nos tutò Scripturã ſequi poſſe, quæ velut materno inceſſu ſubmiſſius graditur, ne infirmitatẽ noſtram deſerat. Qui verò tam cauti ſunt vel timidi vt prædeſtinationem obrutam cupiant, ne debiles animas conturbet: quonam obſecro colore tegent ſuam arrogantiã, quum obliquè Deum inſimulent ſtultæ incogitantiæ, quaſi periculum, cui prudenter occurrere ſibi videntur, non præuiderit? Quiſquis igitur prędeſtinationis doctrinam inuidia grauat, apertè maledicit Deo: acſi inconſideratè ei elapſum foret quod eſt Eccleſiæ noxium. Ca.15.vſque ad 20 Lib.5.De Gene.ad literã. De bono perſeuer. cap.14

5 Prædeſtinationem, qua Deus alios in ſpem vitæ adoptat, alios adiudicat æternæ morti, nemo, qui velit pius cenſeri, ſimpliciter negare audet: ſed eam multis cauillis inuoluunt, præſertim verò qui præſcientiam faciunt eius cauſam. Ac nos quidem vtrique in Deo ſtatuimus: ſed præpoſterè dicimus alteram alteri ſubiici. Præſcientiam quum tribuimus Deo, ſignificamus omnia ſemper fuiſſe ac perpetuò manere ſub eius oculis: vt eius notitiæ nihil futurum aut præteritũ, ſed omnia ſint præſentia. & ſic quidem præſentia, vt non ex ideis tãtùm imaginetur (qualiter nobis obuerſantur ea quorum memoriam mens noſtra retinet) ſed tanquam ante ſe poſita verè intueatur ac cernat. Atque hæc præſcientia ad vniuerſum mundi ambitum & ad omnes creaturas extenditur. Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam vel ad mortem prædeſtinatum dicimus. Hanc verò Deus non modò in ſingulis perſonis teſtatus eſt, ſed ſpecimen eius in tota Abrahe ſobole edidit, vnde palàm fieret, in eius arbitrio eſſe qualis cuiuſque gentis futura ſit conditio. Quum diuideret Altiſſimus gentes, & ſepararet filios Adam, pars eius fuit populus Deut.32.b.8

Israel,funiculus hereditatis eius.Ante omnium oculos est segregatio:in Abrahæ persona, quasi in arido trunco, populus vnus aliis reiectis peculiariter eligitur: causa verò non apparet,nisi quòd Moses, vt posteris ansam gloriandi præcidat,gratuito tantùm Dei amore excellere eos docet. Liberationis enim hanc assignat causam, quòd Deus Patres dilexerit,& elegerit semen eorum post eos. Expressius alio capite, Non quia reliquas gentes superastis numero, complacuit ei in vobis vt vos eligeret: sed quia dilexit vos. Sæpius eadem apud ipsum admonitio repetitur, En Domini Dei tui cælum est, terra, & quæcunque in ea sunt:& tantummodo complacuit sibi in patribus tuis, & amauit eos, elegitque vos semen eorum.Item illis alibi sanctificatio præcipitur, quòd electi sint in populum peculiarem.Et alibi iterum dilectio asseritur esse protectionis causa.Quod etiam fideles vna voce prædicant, Elegit nobis hereditatem nostram, gloriam Iacob quem dilexit. Dotes enim quibus ornati à Deo erant,omnes in gratuitum amorem transcribunt: non modò quia sciebant nullis eas meritis se adeptos, sed ne sanctum quidem Patriarcham ea fuisse virtute præditum vt sibi & posteris tãtam honoris prærogatiuam acquireret. Et, quo validius conterat omnem superbiam,exprobrat nihil tale fuisse promeritos,quum populus sit contumax ac duræ ceruicis. Sæpe etiam odiosè & probri loco hanc electionẽ Prophetæ Iudæis obiiciunt,quoniam ab ea turpiter desciuerant.Quicquid sit, nunc in medium prodeant qui Dei electionem volunt astringere vel dignitati hominum,vel operum meritis. Quum videant gentem vnam aliis omnibus præferri, audiant nullo respectu adductum fuisse Deum vt in paucos & ignobiles, deinde etiam prauos & immorigeros esset propensior:cum eóne litigabunt,quia tale misericordiæ documentũ proferre voluit? Atqui neque obstreperis suis vocibus opus eius impedient, nec conuiciorum lapides in cælum iactando, iustitiam eius ferient aut lædent.quin potius in eorum capita recident.Ad hoc etiam principium gratuiti fœderis reuocantur Israelitæ, vbi vel gratiæ Deo agendæ sunt, vel spes in futurum tempus erigenda. Ipse fecit nos,& non ipsi nos (inquit Propheta)populus eius, & oues pascuorum eius. Non est superuacua negatio, quæ ad nos excludendos adiicitur,vt sciant bonorum omnium, quibus excellunt, Deum non modò esse authorem, sed à seipso causam sumpsisse, quia nihil in ipsis erat tanto honore dignum. Mero etiã Dei beneplacito contentos esse iubet,his verbis,Semen Abrahæ,serui eius:filii Iacob,electi eius.Et postquam continua Dei beneficia recensuit tanquam electionis fructus,tandem concludit,ita liberaliter egisse,quia recordatus est fœderis sui. Cui doctrinæ respondet totius Ecclesiæ canticum,Dextra tua & lumen vultus tui Patribus nostris dedit terram:quia complacitum tibi est in illis.Notandũ verò est,vbi fit terræ mentio, symbolum esse visibile arcanæ segregationis,in qua continetur adoptio.Ad eandem gratitudinem populum hortatur alibi Dauid,Beata gens cuius Iehoua est Deus, populus quem elegit in hereditatem sibi.Ad bonã spem verò animat Samuel, Nõ deseret vos Deus propter magnum nomen suum:quando placuit ei vos sibi creare in populum. Quomodo & seipsum Dauid,dum impetitur eius fides,ad pugnam se armat: Beatus quem elegisti, habitabit in atriis tuis.Quia autem electio,in Deo abscondita,tam liberatione prima quàm secunda aliísque intermediis beneficiis sancita fuit, illuc transfertur verbũ eligendi apud Iesaiam.Miserebitur Deus Iacob,& eliget adhuc de Israel. quia futurũ tempus designãs, collectionem residui populi, quẽ visus fuerat abdicasse, signũ fore dicit stabilis firmæque electionis,quæ simul excidisse visa fuerat.Quum etiam alibi dicitur,Elegi te,& non abieci te:continuum insignis liberalitatis paternæ beneuolentiæ cursum commendat. Apertius apud Zachariam Angelus,Eliget adhuc Deus Ierusalem. quasi eam durius castigando reprobasset, vel exilium fuisset electionis interruptio: quæ tamen inuiolabilis manet, licet non semper appareant signa.

Deut.4. f.37
Deut.7.b.8
Deu.10.c.14
Deut.23. a.5
Psal.47.a.5
Deut.9.b.6
Psal.105. a.6
Psal.44.a.4
Psal.33.c.12
1.Sa.12.d.22
Psal.65.a.5
Iesa.14.a.1
Iesa.41.c.9
Zach.2. d.12

6 Addendus est secundus gradus restrictior, vel in quo conspicua fuit Dei gratia magis specialis:quando ex eodem genere Abrahæ alios repudiauit Deus, alios in Ecclesia fouendo,se inter filios retinere ostendit. Ismael parem initiò gradum cum fratre Isaac adeptus erat:quia spirituale fœdus in eo non minus obsignatum fuerat symbolo Circuncisionis.Exciditur ille:deinde Esau:postremò innumera multitudo & totus ferè Israel. In Isaac vocatum fuit semen: eadem vocatio in Iacob durauit. Simile exemplum edidit Deus Saulem reprobando: quod etiam in Psalmo magnificè prædicatur, Repulit tribum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda. Quod aliquoties sacra historia repetit,quo melius in ista mutatione admirabile gratiæ Dei arcanum pateat.

Psal.78.g.69

Vitio

Vitio suo & culpa, fateor, exciderunt ab adoptione Ismael, Esau, & similes: quia apposita erat conditio, vt fideliter colerēt Dei fœdus quod perfidè violarunt. Fuit tamen hoc singulare Dei beneficium, quòd eos reliquis Gētibus præferre dignatus fuerat: sicut dicitur in Psalmo, Non ita fecit aliis nationibus, nec iudicia sua manifestauit eis. Cæterùm hîc duos gradus notandos esse non temere dixi: quia iam in totius gentis electione ostendit Deus se in mera sua liberalitate nullis legibus astrictum: sed liberum esse, vt minimè ab eo exigenda sit æqualis gratiæ partitio: cuius inæqualitas ipsam verè esse gratuitam demonstrat. Ideo Malachias Israelis ingratitudinem amplificat, quòd non tantùm ex toto genere humano electi, sed etiam ex sacra domo in peculium segregati, perfidè & impiè Deum tam beneficum Patrem spernant. Nónne frater erat Esau Iacob? inquit. Atqui Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sumit enim Deus pro confesso, quum vterque esset progenitus ex sancto patre, & fœderis successor, denique ramus ex sacra radice: iam filios Iacob non fuisse vulgariter obstrictos, qui in illam dignitatem asciti fuerant. sed quum reiecto Esau primogenito, pater eorum, qui natura erat inferior, heres factus esset, bis ingratos coarguit, ac conqueritur duplici illo vinculo non fuisse retentos. Psal.147.d.20 Mala.1.d.2

7 Quanquam satis iam liquet Deum occulto cōsilio liberè quos vult eligere, aliis reiectis, nondum tamē nisi dimidia ex parte exposita est gratuita eius electio, donec ad singulas personas ventum fuerit, quibus Deus non modò salutem offert, sed ita assignat vt suspensa vel dubia non sit effectus certitudo. Hi in semine illo vnico censentur cuius meminit Paulus. nam etsi adoptio in manu Abrahæ fuit deposita, quia tamē multi ex posteris quasi putrida membra resecti sunt: vt efficax & verè stabilis sit electio, necesse est ascēdere ad caput in quo electos suos cælestis Pater inter se colligauit, & sibi insolubili nexu deuinxit. Ita in adoptione generis Abrahæ enituit quidē liberalis Dei fauor, quē aliis negauit. in Christi tamen membris longè præstantior eminet vis gratiæ: quia capiti suo insiti nunquam à salute excidunt. Scitè itaque Paulus ex Malachiæ loco quem nuper citaui ratiocinatur, vbi Deus, interposito vitæ æternæ pacto, populum quempiam ad se inuitat, specialem electionis modum in parte subesse, vt non omnes promiscua gratia efficaciter eligat. Quod dicitur, Iacob dilexi, pertinet ad totam sobolem Patriarchæ, quam Prophetа illic opponit posteris Esau. Hoc tamen non obstat quominus in persona vnius hominis specimen electionis propositum nobis fuerit, quæ effluere non potest quin ad metam suam perueniat. Hos Paulus vocari reliquias non frustra obseruat: quia experiētia ostendit ex magna multitudine plerosque dilabi & euanescere, vt sæpius maneat exigua tantùm portio. Quòd autem generalis electio populi non semper firma & rata sit, in promptu se offert ratio: quia cum quibus paciscitur Deus, non protinus eos donat spiritu regenerationis, cuius virtute vsque in finem in fœdere perseuerent: sed externa mutatio absque interiori gratiæ efficacia, quæ ad eos retinendos valida esset, mediū quiddam est inter abiectionem humani generis, & electionem exigui piorum numeri. Hereditas Dei vocatus est totus populus Israel, ex quo tamen multi fuerunt extranei: sed quia non de nihilo pepigerat Deus se patrem & redemptorem illius fore, gratuitum suum fauorem potius respicit quàm perfidam multorum defectionem: per quos etiam non abolita fuit illius veritas. quia vbi sibi residuum aliquid seruauit, vocationem eius apparuit esse absque pœnitētia. Nam quòd sibi Deus Ecclesiam subinde ex filiis Abrahæ potius quàm ex profanis gentibus collegit, rationem habuit fœderis sui: quod ab ipsa multitudine violatum ad paucos restrinxit, ne prorsus intercideret. Denique communis illa adoptio semidignatus est. Hæc ratio est cur tam sedulò discernat Paulus filios Abrahæ secundum carnem à spiritualibus, qui exemplo Isaac vocati sunt: non quòd simpliciter esse Abrahæ filium res fuerit inanis & infructuosa (quod non sine fœderis contumelia diceretur) sed quia immutabile Dei consilium, quo sibi prædestinauit quos voluit, efficax demum per se his solis posterioribus in salutem fuit. Donec autem productis Scripturæ locis quid sentiēdum sit liqueat, ne in vtranuis partem sibi præiudiciū afferant lectores moneo. Quod ergo Scriptura clarè ostendit, dicimus æterno & immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim semel assumere vellet in salutē, quos rursum exitio deuouere. hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu. quos verò damnationi addicit, his iusto quidem & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio, vitæ aditum præcludi. Iam verò in electis voca-

tionem ſtatuimus, electionis teſtimonium. Iuſtificationem deinde, alterum eius manifeſtandæ ſymbolum, donec ad gloriam in qua eius complementũ extat peruenitur. Quemadmodum autẽ vocatione & iuſtificatione electos ſuos Dominus ſignat, ita reprobos vel à notitia ſui nominis, vel à Spiritus ſui ſanctificatione excludendo, quale maneat eos iudicium iſtis veluti notis aperit. Multa hîc præteribo figmenta, quæ ad euertẽdam prædeſtinationem commenti ſunt ſtulti homines. Non enim refutatione indigent, quæ ſimul ac proferuntur, ſuam ipſa falſitatem abundè redarguunt. In ii o tantùm immorabor vel de quibus inter doctos diſceptatur, vel quæ difficultatẽ ſimplicibus adferre poſſint, vel quæ ſpecioſè ad ſuggillandam Dei iuſtitiam prætendit impietas.

Confirmatio huius doctrinæ ex Scripturæ teſtimoniis. CAP. XXII.

HÆC omnia quæ poſuimus controuerſia apud multos non carent, maximè gratuita fidelium electio: quæ tamen labefactari non poteſt. Vulgò enim exiſtimant Deũ, provt cuiuſque merita fore præuidet, ita inter homines diſcernere. quos ergo ſua gratia fore non indignos præcognoſcit, eos in filiorum locum cooptare: quorum ingenia ad malitiam & impietatem propenſura diſpicit, eos mortis damnationi deuouere. Sic interpoſito præſcientiæ velo electionem non modò obſcurant, ſed originem aliunde habere fingunt. Neque hæc vulgò recepta opinio ſolius vulgi eſt: habuit enim ſęculis omnibus magnos authores. Quod ingenuè fateor, nequis cauſæ noſtræ magnopere obfuturum confidat ſi eorum nomina contra opponãtur. Certior eſt enim hîc Dei veritas quàm vt concutiatur, clarior quàm vt obruatur hominum authoritate. Alii verò neque in Scriptura exercitati, neque vllo ſuffragio digni, maiori improbitate ſanam doctrinam lacerãt quàm vt tolerabilis ſit eorum proteruia. Quia Deus eligens ſuo arbitrio quoſdam alios præterit, litem ei intendũt. Verùm ſi res ipſa nota eſt, quid proficient contra Deum iurgãdo? Nihil docemus quod vſu compertum non ſit, Deo quibus vult gratiam ſuam erogare liberum ſemper fuiſſe. Non quæram vnde aliis poſteritas Abrahæ præcelluerit, niſi ex illa dignatione cuius extra Deum cauſa non inuenitur. Reſpondeant cur homines ſint magis quàm boues aut aſini. quum in manu Dei eſſet canes ipſos fingere, ad imaginem ſuam formauit. Concedéntne brutis animalibus de ſua ſorte cum Deo expoſtulare, quaſi iniuſtum ſit diſcrimẽ? Certè prærogatiua quam nullis meritis adepti ſunt, eos potiri nihilo æquius eſt quàm Deum ſua beneficia pro iudicii ſui menſura variè diſtribuere. Si ad perſonas tranſiliant, vbi magis odioſa illis eſt inæqualitas, ſaltem ad Chriſti exemplum debebunt expaueſcere, ne de ſublimi hoc myſterio tam ſecurè garriant. Concipitur ex ſemine Dauidis mortalis homo: quibus virtutibus promeritum fuiſſe dicent vt in ipſo vtero fieret caput Angelorum, vnigenitus Dei filius, imago & gloria Patris, lux, iuſtitia & ſalus mundi? Hoc prudenter animaduertit Auguſtinus, in ipſo Eccleſiæ capite lucidiſſimum eſſe gratuitæ electionis ſpeculum, ne in mẽbris nos conturbet, nec iuſtè viuendo factum eſſe Filium Dei, ſed gratis tãto honore fuiſſe donatum, vt alios poſtea faceret donorum ſuorum conſortes. Hîc ſiquis quærat cur non alii quod ille, vel cur ab illo nos omnes tam lõgo interuallo diſtemus, cur nos omnes corrupti, ille puritas: non modò veſaniam ſuam, ſed impudentiam ſuam quoque ſimul prodet. Quòd ſi pergunt velle Deo liberum ius eligendi ac reprobandi eripere, ſimul etiam quod datum eſt Chriſto auferant. Iam quid de vnoquoque pronuntiet ſcriptura operæpretium eſt attendere. Paulus quum docet nos in Chriſto electos fuiſſe ante mundi creationem, omnem certè dignitatis noſtræ reſpectũ tollit. perinde enim eſt acſi diceret, quoniam in vniuerſo Adæ ſemine nihil electione ſua dignũ reperiebat cæleſtis pater, in Chriſtum ſuum oculos conuertiſſe: vt tanquam ex eius corpore membra eligeret quos in vitæ conſortium ſumpturus erat. Valeat igitur apud fideles hæc ratio, ideo nos in Chriſto fuiſſe in cæleſtem hereditatem adoptatos, quia in nobis ipſis non eramus tantæ excellentiæ capaces. Quod & alibi quoque notat, quum hortatur ad gratiarum actionem Coloſſenſes, ex eo quòd diuinitus redditi fuerint idonei ad participãdam ſortem ſanctorum. Si gratiam iſtam Dei, vt idonei ad gloriam futuræ vitæ obtinendam reddamur, præcedit electio: quid iam reperiet in nobis Deus ipſe quo ad nos eligendos moueatur? Apertius etiamnum altera eius ſententia quod volo exprimetur. Elegit nos, inquit, antequam iacerentur mundi fundamenta, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, vt eſſemus ſancti & immaculati, & irreprehenſibiles in conſpectu ipſius. Vbi Dei beneplacitum quibuſlibet noſtris meritis opponit.

Auguſt. De corr. & gratia ad Valẽtinum, ca. 15

Item De bono perſeuerantiæ, cap. vltimo.

Auguſt. de verbis Apo. Serm. 8

Epheſ. 1. a. 4

Coloſ. 1. b. 12

Epheſ. 1. a. 4

2 Quo solidior sit probatio, singulas eius loci partes notare operæpretiũ est, quæ simul connexæ nihil dubitationis relinquunt. Electos nominans, minimè dubiũ est quin fideles compellet, sicuti etiam mox asserit. quare nimis fœdo commento deprauant nomen illud qui ad ætatem detorquent qua publicatum fuit Euangelium. Electos fuisse dicens ante creatum mundum, omnem dignitatis respectum tollit. Quæ enim discriminis ratio inter eos qui nondum erant, & qui deinde in Adam pares futuri erant? Iam si electi in Christo, sequitur non modò vnumquenque extra se, sed etiam alios ab aliis segregatos. quando videmus non omnes esse Christi membra. Quod additur, fuisse electos, vt essent sancti, errorem apertè refutat qui electionem ex præscientia deducit. quando reclamat Paulus, quicquid virtutis in hominibus apparet, electionis esse effectum. Iam si causa superior quæritur, respondet Paulus Deum ita prædestinasse, & quidem pro voluntatis suæ beneplacito. Quibus verbis euertit quæcunque in seipsis imaginantur homines electionis suæ media. nam & quæcunque ad spiritualem vitam beneficia confert Deus, ex hoc vno fonte manare docet, quia elegit quos voluit Deus, &, antequam nati essent, gratiam qua dignari eos volebat, seorsum illis repositam habuit.

3 Vbicunque verò regnat hoc Dei placitum, nulla in consideratione veniũt opera. Antithesin quidem hîc non prosequitur, sed subaudienda est, quali alibi explicatur ab ipsomet. Vocauit nos, inquit, vocatione sancta, nõ secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis à Christo ante tempora secularia. Et iã ostendimus in eo quod sequitur, Vt essemus sancti & immaculati, scrupulũ omnem adimi. Dic enim, Quoniam futuros præuidit sanctos, ideo elegit: & ordinem Pauli inuertes. Sic ergo colligere tutò potes, Si elegit nos vt sancti essemus, nõ elegit quia futuros tales præuidebat. Pugnant enim inter se hæc duo, habere pios ab electione vt sancti sint, & ad eam ratione operum peruenire. Neque valet hîc cauillũ quò subinde confugiunt, nullis præcedentibus meritis Dominum rependere electionis gratiam, futuris tamẽ concedere. Quum enim dicitur electos fuisse fideles vt sancti essent: simul innuitur, quæ in ipsis futura erat sanctitas, ab electione habuisse exordiũ. Et quomodo quadrabit istud verbũ, quæ ab electione deriuantur, electioni causam dedisse? Idipsum quod dixerat, videtur magis postea confirmare, vbi ait, Secundum propositum voluntatis suæ, quod proposuerat in semetipso. siquidem Deum in semetipso proposuisse, perinde valet acsi diceretur nihil extra se considerasse, cuius rationem in decernẽdo haberet. Itaque protinus subiicit huc pertinere totam electionis nostræ summam, vt simus in laudẽ diuinæ gratiæ. Certè Dei gratia non sola prædicari in electione nostra meretur, nisi hæc gratuita sit. Porrò hæc gratuita nõ erit, si in suis eligẽdis Deus ipse qualia sint futura cuiusque opera reputat. Proinde quod suis discipulis dicebat Christus, in vniuersum valere inter omnes fideles competitur, Non vos me elegistis: sed ego elegi vos. Vbi non præterita tantùm merita excludit, sed nihil habuisse in seipsis significat cur eligerentur, nisi sua misericordia anteuertisset. Quomodo & illud Pauli intelligendum, Quis prior dedit illi, & retributionem accipiet? Siquidem ostendere vult sic Dei bonitatem homines præuenire, vt nihil apud ipsos nec præteritum, nec futurum reperiat, quo ipsis concilietur.

1. Tim. 1. c. 9

Ephes. 1. a. 5

Ioh. 15. c. 16

Rom. 11. d. 35

4 Iam ad Romanos, vbi argumentum hoc & repetit altius, & fusius prosequitur, negat omnes esse Israelitas qui progeniti sunt ab Israele: quia etsi iure hereditario omnes essent benedicti, successio tamen non ad omnes peræquè trãsibat. Origo huius disputationis erat ex superbia fallacique gloriatione Iudaici populi. nam quum sibi Ecclesiæ nomen assererent, volebant à suo arbitrio pendere fidem Euangelii. Sicuti hodie libenter Papistæ fictitio hoc colore se in Dei locum substituerent. Paulus, quanuis concedat sanctam esse Abrahæ progeniem ratione fœderis, contendit tamen extraneos esse in ea plerosque: neque id modò quia degenerent, vt fiant ex legitimis adulterini: sed quia in summo fastigio emineat ac regnet specialis Dei electio, quæ sola ratam illius adoptionem facit. Si alios sua pietas stabiliret in spe salutis, alios abdicaret sola sua defectio: stultè profectò & absurdè Paulus ad arcanam vsque electionem lectores euehеret. Iam si Dei volũtas (cuius causa extra ipsum neque apparet neque quærẽda est) alios ab aliis discernit, vt non omnes filii Israel sint veri Israelitæ, frustra cuiusque conditio in seipso initiũ habere fingitur. Lõgius deinde rẽ prosequitur sub exẽplo Iacob & Esau. nã quũ ambo essent filii Abrahæ, pariter inclusi in vtero matris, primogenituræ honorẽ trãsferri ad Iacob, portẽto similis fuit mutatio qua tamẽ Paulus cõtendit testatã fuisse electionẽ vnius, & alterius repro-

Rom. 9. b. 6

bationẽ. Quæritur origo & cauſa quam præſciẽtiæ doctores in hominũ virtutibus & vitiis expoſitã eſſe volũt. Hoc enim illis facile cõpendium eſt, Deũ mõſtraſſe in perſona Iacob, ſe gratia ſua dignos eligere: in perſona Eſau, ſe repudiare quos præuidet indignos: ſiquidẽ
Ibidem, cap. 11 audacter illi. Paulus autẽ quid? quum nondũ nati eſſent, nec quippiã boni aut mali feciſſent, vt ſecundũ electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocãte dictum eſt, Maior ſeruiet minori: ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Si quid valeret præſciẽtia in hoc fratrum diſcrimine, importuna certè fieret temporis mentio. Demus Iacob fuiſſe electum, quia futuris virtutibus parta ei fuit dignitas: quorſum diceret Paulus nõdum fuiſſe natum? Iam hoc inconſideratè additum foret, nihildũ boni feciſſe: quia in promptu erit exceptio, nihil Deum latere, atque ita pietatem Iacob coram ipſo fuiſſe præſentem. Si opera conciliant gratiam, ſuum illis pretium meritò iam tunc conſtare debuit ante natum Iacob, perinde acſi adoleuiſſet. Atqui in expediendo nodo pergit Apoſtolus, docétque adoptionem Iacob, non ex operibus profectam eſſe, ſed ex vocatione Dei. In operibus futurum vel præteritum tempus non interponit: deinde præciſè ea opponit Dei vocationi, vno poſito alterum diſertè euertere volẽs. acſi diceret: conſiderandum eſſe quid Deo placuerit, non quid attulerint ex ſeipſis homines. Poſtremò certum eſt electionis & propoſiti vocibus, quaſcunque comminiſci homines ſolent cauſas extra arcanum Dei conſilium, ab hac cauſa remoueri.

5 Quidnam ad hæc obſcuranda prætexent qui operibus vel præteritis vel futuris locum aliquem in electione aſſignant? Hoc enim eſt prorſus eludere quod contendit Apoſtolus, non ex aliqua operum ratione, ſed ex mera Dei vocatione pendêre fratrum diſcrimen: quia inter nondum natos conſtitutum fuerit. Neque verò eum latuiſſet iſtorum argutia, ſiquid ſolidi habuiſſet: ſed quia optimè nouerat in homine Deum præuidere nihil boni poſſe, niſi quod electionis ſuæ beneficio iam prius largiri ſtatuerit: non confugit ad præpoſterum illum ordinem, vt opera bona cauſæ ſuæ præferat. Habemus ex verbis Apoſtoli, ſolius diuinæ electionis arbitrio fundatã eſſe fidelium ſalutem. neque illum fauorem operibus conciliari, ſed ex gratuita vocatione prouenire. Habemus & eius rei propoſitam quaſi ὑποτύπωσιν. Fratres ſunt Eſau & Iacob, iiſdem geniti parentibus, eodem adhuc vtero concluſi, nondum editi in lucem. In illis omnia paria, diuerſum tamen de illis Dei iudicium. Alterum enim aſſumit, alterũ reiicit. Sola erat primogenitura, cuius iure alter alterum præcederet. Atqui, illa quoque præterita, iuniori defertur quod negatur maiori. Imò in aliis quoque deſtinato conſilio primogenituram videtur ſemper contẽpſiſſe Deus, vt omnem gloriandi materiam carni præcideret. Repudiato Iſmaele animũ ad Iſaac adiecit. Poſtpoſito Manaſſe, Ephraim magis honorat.

6 Quòd ſi quiſpiam interpellet, ab iſtis inferioribus & minutis beneficiis non ſtatuendum eſſe de ſumma futuræ vitæ: vt qui in primogenituræ honorem euectus fuerit, ideo reputetur in cæli hereditatem cooptatus (ſunt enim plurimi qui ne Paulo quidem parcant, quaſi ad alienum ſenſum Scripturam detorſerit in his teſtimoniis citandis) Reſpondeo ſicut antehac, nec incogitantia lapſum fuiſſe Apoſtolum, nec Scripturæ teſtimoniis ſponte fuiſſe abuſum. Sed videbat (quod ipſi conſiderare non ſuſtinent) voluiſſe Deum ſpiritualem Iacob electionem, quæ apud inacceſſum eius tribunal alioqui latebat, terreno ſymbolo declarare. Niſi enim conceſſam illi primogenituram ad futurum ſeculum referimus, inanis fuerit & ridicula benedictionis ſpecies, ex qua nihil ei acceſſerit præter multiplices ærumnas, incommoda, triſte exilium multáſque triſtitiæ & curarum acerbitates. Quum ergo Paulus citra dubitationem, Deum externa benedictione teſtificatum cerneret quam in regno ſuo ſpiritualem & minimè caducam ſeruo ſuo parauerat: non dubitauit, ad hanc comprobandam, ex illa petere argumentum. Tenendum etiam illud memoria, terræ Chanaam annexum fuiſſe cæleſtis domicilii pignus: vt dubitari minimè debeat Iacob cum Angelis inſitum fuiſſe in Chriſti corpus, vt eiuſdem vitæ ſocius eſſet. Eligitur ergo Iacob, Eſau repudiato, & Dei prędeſtinatione diſcernitur, à quo nullis meritis differebat. Cauſam ſi quæres, hanc reddit Apoſtolus, Quia Moſi dictum fit,
Rom. 9. c. 15 Miſerebor cuius miſerebor: & miſeratione dignabor quemcunque miſeratione dignabor. Et quid hoc, quæſo, ſibi vult? Nempe clariſſimè Dominus pronuntiat, nullam hominibus benefaciẽdi rationem in ipſis ſe habere: ſed à ſola ſua miſericordia ſumere. ideóque ſuum eſſe opus ſuorum ſalutem. Quum tuam in ſe vno ſalutem Deus ſtatuat, cur ad teipſum deſcendes? Quum vnam tibi ſuam miſericordiam aſſignet, cur ad propria merita

merita decurres? Quum tuam cogitationem in ſua miſeratione contineat, cur ad opera tuorũ intuitum partem reflectes? Itaque ad minorem illum populum venire neceſſe eſt, quem Paulus alibi pręcognitũ fuiſſe Deo ſcribit: non, qualiter iſti imaginantur, præſcire ex otioſa ſpecula quæ non facit: ſed quo ſenſu ſæpe legitur. Nam certè quum dicit Petrus apud Lucam, Chriſtum definito conſilio & præſciẽtia Dei fuiſſe morti addictum, non ſpeculantem Deum inducit, ſed ſalutis noſtræ authorem. Sic & idem Petrus, electos iuxta præcognitionem Dei fuiſſe dicẽs fideles ad quos ſcribit, propriè exprimit arcanam illam prędeſtinationem, qua Deus filios ſibi quos voluit ſignauit. Et propoſitum quod loco ſynonymi coniungit, quum vbique fixam (vt vulgò loquuntur) determinationem exprimat, Deum haud dubiè, dum author eſt noſtræ ſalutis, nõ egredi extra ſeipſum docet. Quo ſenſu in eodem capite Chriſtum dicit agnum fuiſſe præcognitum ante mundi creationem. Quid enim inſulſius aut frigidius quàm Deum è ſublimi ſpectaſſe vnde ventura eſſet humano generi ſalus? Populus ergo præcognitus tantundem Paulo valet atque exigua portio turbæ permixta, quæ falsò Dei nomen obtendit. Alibi quoque Paulus, vt eorum iactantiam retundat qui ſibi larua tantùm obtecti, primas inter pios coram mundo arrogant, dicit Deum cognoſcere qui ſui ſint. Denique illa voce duplicem nobis populum deſignat Paulus, vnum ex toto genere Abrahæ: alterum verò inde ſegregatum, & qui ſub oculis Dei reconditus, hominum cõſpectum latet. Nec dubium eſt ſumpſiſſe hoc ex Moſe, qui Deum quibus voluerit miſericordem fore affirmat (quãuis de electo populo ſermo eſſet, cuius æqualis erat in ſpeciem conditio) perinde ac ſi diceret, in communi adoptione incluſam eſſe apud ſe ſingularem erga aliquos gratiam inſtar ſanctioris theſauri: nec obſtare commune fœdus quominus paucitas illa communi ordine eximeretur: atque huius rei liberum diſpẽſatorem & arbitrum facere ſe volens, preciſè negat ſe vni potius quàm alteri fore miſericordem niſi quia ita libuerit. quia vbi quærenti miſericordia occurrit, etſi repulſam non patitur ille quidem, fauorem tamen, cuius laudem ſibi vendicat Deus, aut præuenit, aut ex parte ſibi acquirit.

Rom.11.a.2

Act.2.d.23
1.Pet.1.a.2

2.Tim.2.c.19

7 Nunc de re tota pronuntiet ſupremus cognitor ac magiſter. Tantam in ſuis auditoribus duritiem cernens, vt apud turbam verba propè ſine fructu funderet, vt medeatur huic ſcandalo, exclamat, Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet. Hæc enim eſt voluntas Patris, vt quicquid dederit mihi non perdam ex eo quicquam. Obſerua à Patris donatione fieri initium, vt in Chriſti fidem ac clientelam tradamur. Reuoluet hîc fortè quiſpiam circulum, atque excipiet, cenſeri in Patris peculio eos duntaxat quorum voluntaria ex fide fuit deditio. Atqui in eo tantùm laborat Chriſtus, etiamſi defectiones ingentium turbarum totum mundum cõcutiant, firmum tamen cælíſque ipſis ſtabilius fore conſilium Dei ne vnquam labaſcat electio. Electi dicuntur antè fuiſſe Patris quàm eos donaret vnigenito Filio. Quæritur an natura: imò qui alieni erant, trahendo ſuos facit. Maior ineſt Chriſti verbis claritas quàm vt tergiuerſando vllis nebulis obduci queat. Nemo (inquit) poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum. Qui autem audiuit & didicit à Patre, ille ad me venit. Si promiſcuè omnes coram Chriſto genu flecterent, communis eſſet electio: nunc in paucitate credentium manifeſta apparet diuerſitas. Itaque poſtquam diſcipulos qui ſibi dati ſunt, aſſeruit Chriſtus fuiſſe Dei patris peculium, paulo pòſt addit, Non prò mũdo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Vnde fit vt totus mũdus ad ſuum creatorem non pertineat, niſi quòd à maledictione, & ira Dei ac morte æterna non multos eripit gratia, qui alioqui perituri erant: mundum autem in ſuo interitu, cui deſtinatus eſt, relinquit. Interea quanuis ſe medium Chriſtus inſerat, ſibi tamen ius eligẽdi communiter vendicat cum Patre. Non de omnibus, inquit, loquor: ſcio quos elegerim. Si quis roget vnde elegerit, alibi reſpondet, Ex mundo, quem à precibus ſuis excludit vbi diſcipulos Patri commendat. Hoc quidem tenendum eſt, vbi affirmat ſe ſcire quos elegerit, ſpeciem aliquam notari in genere humano: deinde non diſtingui qualitate ſuarum virtutũ, ſed cæleſti decreto. Vnde ſequitur, nullos proprio marte vel induſtria excellere, quando ſe Chriſtus electionis facit authorem. Nam quod alibi Iudam inter electos numerat, quum Diabolus eſſet, hõc tãtùm refertur ad munus Apoſtolicum, quod etſi illuſtre ſpeculum eſt fauoris Dei, (ſicuti in ſua perſona toties agnoſcit Paulus) non tamen ſpem in ſe continet æternæ ſalutis. Potuit ergo Iudas, quum perfidè Apoſtolatum gereret, Diabolo eſſe deterior: ſed quos inſeruit ſemel Chriſtus in corpus ſuum, eorum neminem perire ſinet: quia in conſeruanda eorum ſalute quod pollicitus eſt præſtabit: nempe exeret Dei

Iohã.6.d.37

Iohã.6.e.44

Iohã.17.b.9

Iohã.13.b.18
Iohã.15.c.19

Iohã.10.e.28

Iohã.17.b.12 potentiam quæ maior omnibus est. Nam quod alibi dicit, Pater ex his quos dedisti mihi nemo periit nisi filius perditionis, etsi καταχρηστικὴ est loquutio, nulla tamẽ ambiguitate laborat. Summa est, Deum gratuita adoptione creare quos vult habere filios: eius verò intrinsecam esse in ipso causam: quia arcano suo beneplacito contentus est.

8 At Ambrosius, Origenes, Hieronymus censuerunt, Deum suam gratiam inter homines dispensare provt ea quenque bene vsurum præuiderit. Adde & Augustinum in ea
Li. Retract. 1. cap. 11 fuisse aliquando sententia: sed quum melius in Scripturæ cognitione profeciisset, non retractauit modò vt euidenter falsam, sed fortiter confutauit. Quin & post retractationem,
Epist. ad Sixtum 106 Pelagianos præstringens, quòd in eo errore persisterent: Quis istum, inquit, acutissimum sensum Apostolo defuisse non miretur? Nam quum rem stupendam proposuisset de illis nondum natis, & deinde sibi quæstionẽ obiiceret: Quid ergo? nunquid est iniquitas apud Deum? erat locus vt responderet Deum præuidisse vtriusque merita: non tamen hoc dicit, sed ad Dei iudicia & misericordiam confugit. Et alibi, quum omnia ante electionem
Homil. in Iohan. 8 merita sustulisset: Hîc certè, inquit, vacat vana illorum ratiocinatio qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei: & ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem, quia præuiuit Deus futuros nos bonos, non seipsum nos facturum bonos. Non hoc
Iohan. 15. c. 16 dicit qui dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros præsciuerat: simul etiam præsciuisset quòd eramus eum electuri, & quæ in eam rem sequuntur. Valeat Augustini testimonium apud eos qui libenter in patrum authoritate acquiescunt. Quanquam non patitur Augustinus se à reliquis disiungi: sed claris testimoniis diuortium hoc, cuius inuidia grauabant eum Pelagiani, ostendit falsum esse. Citat enim ex Ambrosio (lib. de Præd. sanct. cap. 19.) Christus quem miseratur vocat. Item, Si voluisset, ex indeuotis fecisset deuotos. sed Deus quos dignatur vocat: & quem vult, religiosum facit. Si ex Augustino integrum volumen contexere libeat, lectoribus ostendere promptũ esset, mihi nõnisi eius verbis opus esse: sed eos prolixitate onerare nolo. Sed age, fingamus ipsos non loqui: ad rem ipsam intendamus. Difficilis quæstio mota erat, Num iustè faceret Deus, qui certos homines sua gratia dignaretur. qua se vno verbo expedire Paulus poterat, si operum respectum obtendisset. Cur ergo id non facit: quin sermonem potius continuat qui in eadem difficultate versetur? Cur, nisi quia nõ debuit? non enim obliuionis vitio laborabat Spiritus sanctus, qui per os eius loquebatur. Nullis ergo ambagibus respondet, Ideo suis electis fauere Deum, quia velit: ideo misereri, quia
Exod. 33. d. 19 velit. Perinde enim valet oraculum, Miserebor, cuius miserebor: & miseratione complectar, quem miseratione complectar: acsi diceretur, Deum non alia ratione ad misericordiam moueri, nisi quia misereri velit. Verum ergo manet illud Augustini, Gratiam Dei non inuenire eligendos, sed facere.

9 Ac ne illam quidem Thomæ argutiam moramur, præscientiam meritorum non
In 1. Sent. Tract. 25. quæst. 23 ex parte quidem actus prædestinantis esse prædestinationis causam: ex parte autem nostra, quodammodo sic vocari posse, nempe secundum particularem prædestinationis æstimationem. vt quum dicitur Deus prædestinare homini gloriam ex meritis, quia gratiam ei largiri decreuit qua gloriam mereatur. Quum enim nihil in electione nisi meram bonitatem velit nos intueri Dominus, siquis plus aliquid prospicere hîc cupiat, præposterа erit affectatio. Quòd si certare subtilitate libeat, non deest quo istam Thomæ argutiolam retundamus. Ipse contendit, gloriam electis quodammodo prædestinari ex meritis: quia gratiam illis prædestinat Deus qua gloriam mereantur. Quid si cõtrà excipiam, prædestinationem ad gratiam electioni ad vitam subseruire, essèque eius veluti pedissequam? gratiam iis prædestinari quibus gloriæ possessio iamdiu assignata sit: quia in iustificationem ex electione filios suos adducere Domino placeat? Inde enim sequetur, prædestinationem gloriæ causam potius esse prædestinationis gratiæ, quàm è conuerso. Sed valeant hæc certamina, vt sunt superuacua inter eos qui satis sapientiæ sibi in verbo Dei esse ducẽt. Verè enim illud ab Ecclesiastico scriptore olim dictum fuit, qui Dei electionem
Ambr. de vocat. Gent. li. 1. ca. 2 meritis assignant, eos plusquam oportet sapere.

10 Obiiciunt nonnulli, Deum sibi fore contrarium si vniuersaliter omnes ad se inuitet, paucos verò electos admittat. Sic promissionum vniuersitas discretionem specialis gratiæ, secundum eos, tollit. atque ita loquuntur moderati quidam homines, non tam opprimendæ veritatis causa, quàm vt spinosas quæstiones arceant, ac frænent multorum curiositatem. Laudabilis voluntas: sed consilium minimè probandum: quia nũquam excusabilis

cusabilis est tergiuersatio. Eorum verò qui proteruius insultant, nimis certè putidum cauillum, vel nimis pudendus error. Quomodo Scriptura hæc duo conciliet, externa prędicatione vocari omnes ad pœnitentiam & fidem, neque tamen omnibus dari resipiscentiæ & fidei spiritum, alibi explicui, & mox aliquid repetendum erit. Iam quod postulant illis nego, vt duobus modis falsum est. nam qui minatur, dum super vrbem vnam pluet, Amos 4.b.7 & 8.d.11
siccitatem fore super alteram: qui famem doctrinæ alibi denuntiat, non obstringit se certa lege vt æqualiter vocet omnes. Et qui Paulum verans in Asia verbum facere, & eũdem Act.16.b.6
à Bithynia auertẽs in Macedoniam trahit, sui iuris esse demonstrat, thesaurum hunc quibus visum est distribuere. Per Iesaiam tamen apertius demonstrat quomodo electis peculiariter salutis promissiones destinet. nam de illis tantùm, non autẽ indifferenter de toto Iesa.8.c.16
genere humano, prædicat sibi fore discipulos. Vnde constat perperam quibuslibet prosti-
tui salutis doctrinam vt efficaciter prosit, quæ solis Ecclesiæ filiis seorsum reposita esse dicitur. Hoc in præsentia sufficiat, quanuis generaliter omnes compellet vox Euangelii, rarum tamen esse fidei donum. Causam assignat Iesaias, quòd non omnibus patefiat bra- Iesa.53.a.1
chium Dei. Si diceret Euangelium malignè & peruersè contemni, quia audire pertinaciter multi recusant: valeret fortè hic color de vniuersali vocatione. Neque verò Prophetæ
consilium est extenuare hominum culpam, vbi cæcitatis fontem esse tradit quòd Deus non dignetur illis brachium suum patefacere: tantùm admonet, quia fides singulare donum est, externa doctrina aures frustra verberari. Scire autẽ ex doctoribus istis velim so-
lúne prædicatio filios Dei faciat, an fides. Certè quum dicitur Iohãnis primo, Quicunque Iohan.1.b.12
credunt in Filium Dei vnigenitum, filios Dei ipsos quoque fieri, non cõfusa illic ponitur congeries: sed specialis ordo datur fidelibus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt. At fidei (inquiunt) mutuus est cum verbo consensus. Nempe vbicunque est fides. sed semen inter spinas cadere, vel in locis lapidosis, nouum non est: non solùm quia maior pars contumax reipsa apparet aduersus Deum, sed quia non omnes oculis & auribus sunt præditi. Quomodo igitur conueniet, Deum ad se vocare quos scit nõ venturos? Respondeat pro me Augustinus. Disputare vis Augusti. de verb. Apost. Serm.11
mecum? Mirare mecum, & exclama, O altitudo. Ambo consentiamus in pauore, ne in errore pereamus. Adde quòd si electio, teste Paulo, fidei mater est, in eorũ caput retorqueo argumentum, ideo non esse generalem fidem, quia specialis est electio. Nam à serie causarum & effectuum facilè colligitur, vbi dicit Paulus nos esse refertos omni benedictione Ephes.1.a.3
spirituali, sicuti nos elegerat Deus ante mundi creationem: ideo non omnibus esse communes has diuitias, quia elegit Deus tãtùm quos voluit. Hæc ratio est cur alibi fidem ele- Tit.1.a.1
ctorum commendet, ne quisquam putetur fidem sibi proprio motu acquirere, sed penes Deum resideat hæc gloria, illuminari ab eo gratis quos antè elegerat. Rectè enim Bernar- Ad Thomã præpositum Bernlæ, epist.107.
dus, Amici (inquit) seorsum audiunt, quibus & loquitur, Nolite timere pusille grex: quia vobis datum est nosse mysterium regni cælorũ. Qui sunt hi? Vtique quos præsciuit & prędestinauit cõformes fieri imagini Filii sui. magnũ secretúmque innotuit cõsilium, Nouit Dominus qui sui sint: sed quod notũ erat Deo, manifestatũ est hominibus: nec alios sanè dignatur tanti participatione mysterii, nisi eos ipsos quos fore suos præsciuit & prędestinauit. Paulo pòst concludit, Misericordia Dei ab æterno vsque ad æternũ super timentes eum: ab æterno, ob prædestinationem: in æternũ, ob beatificationem: altera principiũ, altera finẽ nescions. Sed quid Bernardũ citare testem opus est, quãdo ex magistri ore audimus, nõ alios videre nisi qui sunt ex Deo? Quibus verbis significat, eos omnes qui ex Deo Iohã.6.c.46
non sunt regeniti, ad splẽdorem vultus eius obstupescere. Ac electioni quidem aptè coniungitur fides, modò secundum gradum teneat. Quem ordinem clarè exprimunt alibi Christi verba, Hæc est voluntas Patris, vt non perdam quod dedit. Hæc enim voluntas Ibidẽ, d.39
eius est vt quisquis credit in Filium, non pereat. Si omnes vellet saluos, custodem illis præficeret Filium, & omnes in eius corpus sacro fidei vinculo insereret. Nunc constat fidem singulare esse paterni amoris pignus, filiis quos adoptauit reconditum. Ideò Chri-
stus alibi dicit, oues sequi pastorem, quia nouerunt vocem eius: alienum verò non sequi, Iohã.10.a.4
quoniam non agnoscunt vocem alienorum. Vnde autem ista discretio, nisi quia diuinitus perforatæ sunt illis aures? Nemo enim se ouem facit, sed formatur cælesti gratia. Vnde Ibidem, f.29
& salutem nostram Dominus perpetuò certam & tutam fore docet: quia insuperabili Dei potentia custoditur. Proinde concludit, incredulos non esse ex ouibus suis: nempe Ibidẽ, e.26
quia non sunt ex eorum numero quos Deus sibi per Iesaiam pollicitus est fore discipulos.

Porrò quia teſtimoniis quæ citaui exprimitur perſeuerantia, inflexibilem electionis conſtantiam ſimul teſtantur.

Rom.9.c.15 11 Nunc de reprobis, quos ſimul illic coniũgit Apoſtolus. Vt enim Iacob, nihildum bonis operibus promeritus, aſſumitur in gratiam: ſic Eſau, nullo adhuc ſcelere inquinatus, odio habetur. Si ad opera conuertimus oculos, iniuriam irrogamus Apoſtolo, quaſi idipſum quod nobis perſpicuum eſt non viderit. Porrò non vidiſſe conuincitur, quando hoc nominatim vrget, quum nihildum boni aut mali deſignaſſent, alterum electum, alterum reiectum: vt probet diuinæ prædeſtinationis fundamentum in operibus non eſſe. Deinde vbi obiectionem nouit num iniquus ſit Deus, illud quod certiſſimum & apertiſſimum fuiſſet iuſtitiæ eius patrocinium, non vſurpat, Deum rependiſſe Eſau ſecundum ſuam malitiam: ſed diuerſa ſolutione contentus eſt, quòd in hunc finem excitẽtur reprobi vt Dei gloria per illos illuſtretur. Demum ſubnectit clauſulam, Deum cuius vult miſereri, & quem vult indurare. Vides vt in ſolum Dei arbitrium vtrunque conferat? Ergo ſi non poſſumus rationem aſſignare cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quàm eius voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare, vel miſericordia proſequi quem voluerit, eo admonẽtur homines nihil cauſæ quærere extra eius voluntatem.

Eidem, d.18

Refutatio calumniarum quibus hæc doctrina ſemper iniquè grauata fuit. CAP. XXIII.

HÆC verò dum audit humanum ingenium, cõtineri nequit eius proteruia quin velut ad cãticum claſſici, variè & ſupra modum tumultuetur. Ac multi quidem, acſi inuidiam à Deo repellere vellent, electionem ita fatentur vt negent quenquam reprobari. ſed inſcitè nimis & pueriliter: quando ipſa electio niſi reprobationi oppoſita non ſtaret. Dicitur ſegregare Deus quos adoptat in ſalutem: fortuitò alios adipiſci, vel ſua induſtria acquirere quod ſola electio paucis confert, pluſquã inſulſè dicetur. Quos ergo Deus præterit, reprobat: neque alia de cauſa niſi quòd ab hereditate quam filiis ſuis prædeſtinat, illos vult excludere. Nec verò tolerabilis eſt hominum proteruia, ſi Dei verbo frænari ſe non ſuſtinet, vbi agitur de incomprehenſibili eius conſilio quod Angeli ipſi adorant. Atqui nunc audiuimus indurationem nõ minus in manu Dei & arbitrio eſſe quàm miſericordiam. Nec verò Paulus, horum quos dixi exemplo, anxiè laborat vt mẽdacii patrocinio Deum excuſet: tantùm admonet figmento nefas eſſe cum fictore ſuo rixari. Iam qui nõ admittũt, vllos à Deo reprobari, quomodo ſe expedient ab illa Chriſti ſententia, Omnis arbor quam non plantauit Pater meus, eradicabitur? Apertè exitio addici & deuoueri audiunt quoſcunque cæleſtis Pater dignatus non eſt quaſi ſacras arbores in agro ſuo plãtare. Si hoc reprobationis ſignum eſſe negant, nihil eſt tam liquidum quod illis queat probari. Quòd ſi obſtrepere non deſinunt, contenta ſit fidei ſobrietas hac Pauli admonitione, non eſſe cauſam litigandi cum Deo, ſi ab vna parte volens oſtendere iram, & notam facere potẽtiam ſuam, ferat in multa tolerantia & lenitate vaſa iræ apparata in interitum: ab altera autem notas faciat diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam. Obſeruent lectores, vt anſam ſuſurris & obtrectationibus præcîdat Paulus, ſummum dare imperium irę & potentiæ Deiquia iniquum eſt calculo noſtro ſubiici profunda illa iudicia quæ ſenſus omnes noſtros abſorbent. Quod reſpondent aduerſarii friuolum eſt, Deum non prorſus reiicere quos in lenitate tolerat: ſed ſuſpenſo manere erga eos animo, ſi fortè reſipiſcant. Quaſi verò patientiam Deo tribuat Paulus, qua eorum conuerſionem expectet quos dicit aptatos eſſe ad interitum. Rectè enim Auguſtinus locum hunc explicans, vbi potentia tolerantiæ adiungitur, Deum non ſinere, ſed virtute ſua moderari. Addunt etiam non abs re vaſa iræ dici apparata ad interitum, vaſa autem miſericordiæ Deum præparaſſe: quia hoc modo ſalutis laudem Deo adſcribit & vendicat: perditionis culpam reiicit in eos qui proprio arbitrio ipſam ſibi accerſunt. Sed vt illis concedam diuerſa loquendi forma Paulum aſperitatem lenire prioris membri: minimè tamen cõſentaneum eſt, præparationem ad interitum aliò tranſferre quàm ad arcanum conſilium Dei: quod etiam paulo antè in contextu aſſeritur, Quòd Deus excitauerit Pharaonem, deinde quos vult induret. Vnde ſequitur abſconditum Dei conſilium obdurationis eſſe cauſam. Hoc ſaltem obtineo quod tradit Auguſtinus, vbi ex lupis Deus oues facit, gratia potentiore eos reformare, vt dometur eorum durities. proinde obſtinatos ideo non conuertit quia potẽtiorem illam gratiam non exerit Deus, qua non deſtituitur ſi eam proferre vellet.

Rom.9.d.20

Mat.15.b.13

Rom.9.c.22

Lib.contra Iul.5.cap.5

Lib.1.de prædeſt.Sanct. cap.2

Hæc

2 Hæc quidem piis & modestis abundè sufficerent,& qui se homines reminiscuntur. Quia tamen non vnam speciem virulenti isti canes euomunt contra Deum,ad singulas, provt res feret,respondebimus. Multis modis cum Deo litigãt stulti homines, quasi eum teneãt suis criminationibus obnoxium.Primùm ergo interrogant quo iure suis creaturis irascatur Dominus, à quibus nulla antè offensa prouocatus fuerit. nam exitio deuouere quos placuerit, tyranni magis libidini, quàm legitimæ iudicis sententiæ conuenire. Esse igitur cur cum Deo expostulent homines,si nudo eius arbitrio, citra proprium meritum in æternam mortem prædestinantur.Eiusmodi cogitationes siquando piis hominibus in mentem veniant,ad frangendos earũ impulsus,vel hoc vno satis armabuntur,si reputent quantæ sit improbitatis, causas diuinæ voluntatis duntaxat percontari: quum omnium quæ sunt,ipsa sit causa,& meritò esse debeat.Nam si vllam causãm habet,aliquid eam antecedat oportet, cui veluti alligetur: quod nefas est imaginari. Adeò enim summa est iustitiæ regula Dei voluntas,vt quicquid vult,eo ipso quòd vult,iustum habendum sit. Vbi ergo quæritur cur ita fecerit Dominus, respondendum est,Quia voluit.Quòd si vltra pergas rogando cur voluerit,maius aliquid quæris,& sublimius Dei volũtate, quod inueniri non potest.Compescat igitur se humana temeritas,& quod non est ne quærat:vt ne fortè id quod est non inueniat.Hoc,inquam,fræno bene continebitur quisquis de arcanis Dei sui cum reuerentia philosophari volet.Aduersus impiorum audaciã, qui Deo palàm maledicere nõ formidant,Dominus ipse sua iustitia,sine nostro patrocinio, satis se defendet, quum eorum conscientiis omnẽ tergiuersationem adimẽdo, conuictas stringet, reasque peraget.Neque tamen commentum ingerimus absolutæ potẽtiæ: quod sicuti profanum est,ita meritò detestabile nobis esse debet. Non fingimus Deum exlegem, qui sibiipsi lex est: quia (vt ait Plato)lege indigent homines qui cupiditatibus laborant: Dei autem voluntas non modò ab omni vitio pura,sed summa perfectionis regula,etiã legum omnium lex est. Verùm negamus obnoxium esse reddendæ rationi: negamus etiam nos esse idoneos iudices,qui proprio sensu pronuntiemus de hac causa.Quare si tẽtamus vltrà quàm licet, metum incutiat illa comminatio Psalmi, Deum fore victorem quoties ab homine mortali iudicabitur. Psalm.51.6

Hoc ex Augustino sumptum lib.1. de Gen.contra Manich. cap.3

3 Tacendo potest Deus ita compescere hostes suos. Sed ne illos sacrum nomẽ suum impune ludibrio habere patiamur, arma quoque aduersus eos nobis ex verbo suo suppeditat. Proinde siquis nos huiusmodi verbis aggrediatur, cur ab initio Deus ad mortem aliquos prædestinarit, qui quum nondum essent,mereri iudicium mortis nondum potuerant: Nos, responsionis loco,vicissim eos rogemus quid Deum homini debere existiment,si eum à natura sua æstimare velit. Qualiter peccato vitiati sumus omnes, non possumus non esse Deo odiosi, idque non tyrannica sæuitia, sed æquissima iustitiæ ratione. Quòd si iudicio mortis obnoxii sunt omnes naturali conditione,quos ad mortem Dominus prædestinat,de qua,obsecro,eius iniquitate erga se conquerantur? Veniant omnes filii Adam:cum suo creatore contendant ac disceptent,quòd æterna illius prouidentia,ante suam generationem, perpetuæ calamitati addicti fuerint. Quid obstrepere aduersus hanc defensionem poterunt,vbi Deus illos ad sui recognitionem contrà vocabit?Ex corrupta massa si desumpti sunt omnes,non mirum si damnationi subiacent.Ne ergo Deum iniquitatis insimulent si æterno eius iudicio morti destinati sint, ad quam à sua ipsorum natura sponte se perduci,velint nolint,ipsi sentiunt. Vnde apparet quàm peruersa sit obstrependi affectatio, quòd data opera supprimunt quam in se agnoscere cogũtur damnationis causam,vt Dei prætextus eos liberet. Atqui vt centies Deum esse authorem confitear, quod verissimum est, non protinus tamen crimen eluunt quod eorum conscientiis insculptum subinde eorum oculis recurrit.

4 Rursum excipiunt, Nónne ad eam quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædestinati antè fuerant? Quum ergo in sua corruptione pereunt,nihil aliud quàm pœnas luunt eius calamitatis in quam ipsius prædestinatione lapsus est Adam,ac posteros suos præcipites secum traxit. Annon itaque iniustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit? Fateor sanè in hanc qua nunc illigati sunt,conditionis miseriam, Dei voluntate deci disse vniuersos filios Adam.atque id est quod principiò dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum diuinæ voluntatis arbitrium, cuius causa sit in ipso abscondita.Sed non protinus sequitur,huic obtrectationi Deum subiacere.Occurremus enim cum Paulo in hunc modum,O homo?tu quis es qui disceptes cum Rom.9.d.20

Deo?Num figmentum dicit ei qui se finxit,Cur me finxisti sic?Annon habet potestatem figulus,vt ex eadem massa faciat vas aliud in honorem,aliud in contumeliam?Negabunt ita verè defendi Dei iustitiam,sed subterfugium captari, quale habere solent qui iusta excusatione destituuntur.Quid enim hîc aliud dici videtur quàm Deo esse potentiam quæ impediri nequeat quominus, provt libitum fuerit, quiduis agat? Verùm longè secus est. quę enim potentior afferri ratio potest quàm dum iubemur cogitare quis sit Deus?Quomodo enim vllam iniquitatem admitteret, qui iudex est orbis? Ad Dei naturã si propriè pertinet,iudicium facere,iustitiam igitur naturaliter amat, iniustitiam auersatur. Proinde non quasi deprehẽsus foret Apostolus,ad cuniculos respectauit:sed indicauit altiorem esse iustitiæ diuinæ rationem quàm vt vel humano modo metienda sit,vel ingenii humani tenuitate possit comprehendi.Fatetur quidem Apostolus, eam subesse diuinis iudiciis profunditatem,à qua mentes omnes hominum absorbendæ sint si conentur eò penetrare.Sed docet etiam quàm indignum sit ad eam legem redigere Dei opera, vt simulac eorum ratio nobis non constiterit,improbare audeamus.Notũ est dictum Solomonis(quod
Pro.26.b.10 tamen pauci dextrè intelligunt)Magnus creator omniũ mercedem reddit stulto,& mercedem trãsgressoribus. Exclamat enim de magnitudine Dei:in cuius arbitrio est pœnam sumere de stultis & transgressoribus,quanuis eos Spiritu suo non dignetur. Ac prodigiosus est hominum furor dum ita rationis suæ modulo subiicere appetunt quod immen-
1.Tim.5.d.21 sum est. Angelos qui steterunt in sua integritate,Paulus electos vocat: si eorum constantia in Dei beneplacito fundata fuit, aliorũ defectio arguit fuisse derelictos. Cuius rei causa non potest alia adduci quàm reprobatio,quæ in arcano Dei consilio abscondita est.

5 Age, adsit nunc Manichæus aliquis aut Cœlestinus, diuinæ prouidentiæ calumniator,dico cum Paulo,rationem eius non esse reddendam: quia magnitudine sua intelligentiam nostrã longè superet.Quid mirum?aut quid absurdum?velitne Dei potentiam sic limitatam esse, vt nequid plus ad agendum valeat quàm mens sua capiat? Dico cum Augustino, esse à Domino creatos, quos in exitium ituros sine dubitatione præsciebat, idque ita factum quia sic voluit.Cur autem voluerit,non esse nostrum rationem exigere, qui comprehendere non possumus: neque conuenire, vt diuina voluntas in controuersiã apud nos descendat, de qua quoties habetur sermo, sub ipsius nomine suprema iustitiæ regula nominatur. Quid ergo de iniquitate quæstio mouetur, vbi iustitia clarè appareret?Neque verò nos pudeat improborũ ora, Pauli exemplo sic obstruere:ac quoties oblatrare audebunt,idẽtidem repetere,Quinam estis miseri homines,qui Deo accusationem intentatis?& ideo intentatis,quia operum suorum magnitudinem ad ruditatem vestram non attemperat? Quasi verò ideo peruersa sint quia carni sunt occulta. Immensitas iudi-
Psal.36.a.7 ciorum Dei claris experimentis vobis nota est. Scitis vocari profundam abyssum. nunc ingenii vestri angustias consulite,an quod decreuit apud se Deus, capiant. Quid ergo iuuat vesana inquisitione vos demergere in abyssum, quam vobis exitialem fore ratio ipsa dictat?Cur non vos metus aliquis saltem cohibet quod de incomprehensibili Dei sapientia & terribili potentia tam historia Iob quàm Prophetici libri prædicant?Si tumultuatur
Aug.de ver. Apo.Ser.20 mens tua,ne pigeat Augustini consilium amplecti. Tu homo expectas à me respõsum: & ego sum homo. Itaque ambo audiamus dicentem, O homo tu qui es? melior est fidelis ignorantia quàm temeraria scientia. Quære merita:non inuenies nisi pœnam.ô altitudo! Petrus negat:latro credit.ô altitudo! Quæris tu rationem? Ego expauescam altitudinem. Tu ratiocinâre, ego mirabor:tu disputa, ego credam:altitudinem video, ad profundum non peruenio. Requieuit Paulus, quia admirationem inuenit. Vocat ille inscrutabilia Dei iudicia:& tu scrutari venisti? Ille dicit inuestigabiles eius vias: & tu vestigas? Vlterius procedendo nihil proficiemus. nam nec satisfiet eorum petulantiæ, nec alia eget defensione Dominus,quàm qua per Spiritum suum vsus est qui per os Pauli loquebatur:& ipsi dediscimus bene loqui vbi cum Deo loqui desinimus.

6 Alterum quoque obiectum ab impietate emergit, quod tamen non tam ad Dei suggillationem quàm ad peccatoris excusationem rectâ spectat. Etli, qui à Deo damnatur peccator, nonnisi cum iudicis ignominia iustificari deorum potest. Sic ergo profanæ linguæ obganniunt,Cur ea vitio Deus imputaret hominibus, quorum necessitatem sua prædestinatione imposuit? Quid enim facerent?an cum decretis eius luctarentur? At frustra id facturi sint,quum omnino facere non possint.Non ergo iure ob ea puniuntur quorum præcipua in Dei prædestinatione causa est.Hîc abstinebo à defensione ad quam ferè

scriptores

ſcriptores Eccleſiaſtici recurrunt,non impedire Dei præſcientiam quominus homo peccator reputetur:quandoquidem illius mala,non ſua Deus præuideat. Non enim hîc ſubſisteret cauillatio,ſed potius vrgeret,Deum tamen malis quæ præuiderit potuiſſe occurrere,ſi voluiſſet.quum non fecerit,deſtinato conſilio creaſſe hominem in eum finem, vt ſe in terra ita gereret. Quòd ſi Dei prouidentia in hanc conditionem homo creatus eſt, vt poſtea faceret quæcunque facit, non eſſe illi crimini vertendum quod nec effugere poſſit,& Dei voluntate conſtringatur.Ergo videamus quomodo rite nodus expediri debeat.Primum omnium conſtare inter omnes debet quod ait Solomõ,Deum omnia propter ſemetipſum condidiſſe, impium quoque ad diem malum. Ecce, quum rerum omniũ diſpoſitio in manu Dei ſit,quum penes ipſum reſideat ſalutis ac mortis arbitrium, conſilio nutúque ſuo ita ordinat,vt inter homines naſcantur, ab vtero certæ morti deuoti,qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.Siquis cauſetur,nullam eis inferri neceſſitatem ex Dei prouidentia,ſed potius ea conditione ab ipſo eſſe creatos, quoniam futuram eorũ prauitatẽ præuiderit:neque nihil dicit,neque totum.Solent quidem interdum hac ſolutione vti veteres,ſed quaſi dubitanter.Scholaſtici verò in ea quieſcunt, acſi nihil contrà opponi poſſet.Equidem præſcientiam ſolam nullam inferre neceſſitatẽ creaturis libenter conceſſero,tametſi non omnes aſſentiantur.ſunt enim qui ipſam quoque cauſam rerũ eſſe volunt.Verùm mihi acutius ac prudentius videtur perſpexiſſe Valla, homo alioqui in ſacris non admodũ exercitatus,qui ſuperuacuam eſſe hanc contentionẽ oſtendit: quoniam & vita & mors diuinæ magis voluntatis quàm præſcientiæ ſint actiones. Si hominũ euenta prę uideret Deus duntaxat,non etiam ſuo arbitrio diſponeret ac ordinaret, tum non abs re agitaretur quæſtio,ecquid ad eorum neceſſitatem valeat ipſius præuidentia.ſed quum non alia ratione quę futura ſunt præuideat,niſi quia ita vt fierent decreuit: fruſtrà de præſcientia lis mouetur,vbi cõſtat ordinatione potius & nutu omnia euenire.

Prou.16.4

7 Diſertis verbis hoc extare negant,decretum fuiſſe à Deo vt ſua defectione periret Adam.Quaſi verò idem ille Deus,quem Scriptura prædicat facere quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobiliſſimã ex ſuis creaturis.Liberi arbitrii fuiſſe dicunt vt fortunã ipſe ſibi fingeret:Deum verò nihil deſtinaſſe niſi vt pro merito eum tractaret. Tam frigidum commentum ſi recipitur,vbi erit illa Dei omnipotentia,qua ſecundum arcanũ conſilium,quod aliunde non pendet,omnia moderatur?Atqui prædeſtinatio, velint nolint, in poſteris ſe profert. Neque enim factum eſt naturaliter vt à ſalute exciderent omnes, vnius parentis culpa.Quid eos prohibet fateri de vno homine quod inuiti de toto humano genere concedunt?Quid enim tergiuerſando luderent operam?Cunctos mortales in vnius hominis perſonã morti æternæ mancipatos fuiſſe Scriptura clamat.Hoc quum naturæ adſcribi nequeat,ab admirabili Dei conſilio profectum eſſe minimè obſcurum eſt. Bonos iſtos iuſtitiæ Dei patronos perplexos hærere in feſtuca, altas verò trabes ſuperare nimis abſurdum eſt.Iterum quæro, Vnde factum eſt vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus æternæ morti inuolueret lapſus Adæ abſque remedio, niſi quia Deo ita viſum eſt:Hîc obmuteſcere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile, fateor:inficiari tamen nemo poterit quin præſciuerit Deus quem exitum eſſet habiturus homo,antequam ipſum conderet, & ideo præſciuerit quia decreto ſuo ſic ordinarat. In præſcientiam Dei ſiquis hîc inuehatur, temere & inconſultè impingit.Quid enim,quæſo,eſt cur reus agatur cæleſtis iudex quia non ignorauerit quod futurum erat?In prędeſtinationem competit ſiquid eſt vel iuſtæ vel ſpecioſæ querimoniæ. Nec abſurdum videri debet quod dico,Deum non modò primi hominis caſum,& in eo poſterorum ruinã prę uidiſſe:ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe.Vt enim ad eius ſapientiam pertinet omnium quæ futura ſunt eſſe præſcium,ſic ad potentiam,omnia manu ſua regere ac moderari. Et hanc quoque quæſtionem Auguſtinus, vt aliàs,ſcitè expedit, Saluberrimè confitemur quod rectiſſimè credimus,Deũ Dominúmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere quàm mala eſſe non ſinere:ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam,vt in ea prius oſtenderet quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium,iuſtitiæque iudicium.

Enchir.ad Laurent.

8 Hîc ad diſtinctionem voluntatis & permiſſionis recurritur,ſecundum quam obtinere volunt,permittente modò non autem volente Deo perire impios.Sed cur permittere dicemus niſi quia ita vult?Quanquam nec ipſum quidem per ſe probabile eſt, ſola Dei

permissione,nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum. Quasi verò non constituerit Deus qua conditione præcipuam ex creaturis suis esse vellet. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri,voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse quod ille voluerit:quemadmodum ea verè futura sunt quæ præuiderit. Nunc verò si pro sua & impiorum excusatione vel Pelagiani, vel Manichæi, vel Anabaptistæ, vel Epicurei (nam cum istis quatuor sectis nobis in hoc argumento negotium est)necessitatem,qua ex Dei prædestinatione constringuntur,obiiciant: nihil afferunt ad causam idoneum.Si enim prædestinatio nihil aliud est quàm diuinæ iustitiæ, occultæ quidem,sed inculpatæ,dispensatio:quia non indignos fuisse certum est qui in eam sortem prædestinarentur, iustissimum quoque esse interitum quem ex prædestinatione subeunt,æquè certum est.Ad hoc,sic ex Dei prædestinatione pendet eorum perditio, vt causa & materia in ipsis reperiatur.Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat.cur censuerit,nos latet.Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis sui gloriam inde meritò illustrari. Vbi mentionem gloriæ Dei audis, illic iustitiam cogita.Iustum enim esse oportet quod laudem meretur. Cadit igitur homo, Dei prouidentia sic ordinante:sed suo vitio cadit.Pronuntiauerat paulo antè Dominus, omnia quæ fecerat esse valde bona.Vnde ergo illa homini prauitas vt à Deo suo deficiat? Ne ex creatione esse putaretur,elogio suo approbauerat Deus quod profectum erat à seipso.Propria ergo malitia,quam acceperat à Domino puram naturam corrupit,sua ruina totam posteritatem in exitium secum attraxit.Quare in corrupta potius humani generis natura euidentẽ damnationis causam,quæ nobis propinquior est,contemplemur,quàm absconditam ac penitus incomprehensibilem inquiramus in Dei prædestinatione. Neque immensæ Dei sapientiæ submittere hucusque ingenium pigeat, vt in multis eius arcanis succumbat.Eorum enim quæ scire nec datur,nec fas est,docta est ignorantia: scientiæ appetentia,insaniæ species.

Lib.6.de Genes.ad literam,c.15.

Gene.1.d.31.

9 Dicet fortè quispiam me nondum attulisse quod sacrilegam illam excusationem compesceret. Ego verò ne id quidem effici posse fateor quin semper fremat impietas & obmurmuret,mihi tamen dixisse videor quod ad obloquendi non rationem tantùm, sed prætextum quoque adimendum sufficeret. Excusabiles peccando haberi volunt reprobi,quia euadere nequeunt peccandi necessitatem: præsertim quum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas.Nos verò inde negamus rite excusari, quandoquidẽ Dei ordinationi,qua se exitio destinatos conqueruntur,sua constet æquitas: nobis quidẽ incognita,sed illa certissima.Vnde constituimus, nihil illos sustinere mali quod non iustissimo Dei iudicio infligatur.Deinde præposterè docemus agere ipsos, qui ad quærendam suæ damnationis originem,in recondita diuini consilii adyta oculos intendant: ad naturæ corruptionem,vnde illa verè scaturit,conniueant.Hanc autem imputare ne Deo possint obstat quòd suæ creationi testimonium reddat.Tametsi enim æterna Dei prouidentia,in eam cui subiacet calamitatem conditus est homo:à seipso tamẽ eius materiam, non à Deo sumpsit.quãdo nulla alia ratione sic perditus est, nisi quia à pura Dei creatione in vitiosam & impuram peruersitatem degenerauit.

10 Iam & tertia absurditate Dei prædestinationẽ infamant eius aduersarii.quũ enim non aliò referamus quàm ad diuinæ voluntatis arbitrium, quòd vniuersali exitio eximãtur quos in regni sui heredes Deus assumit, ex eo colligunt apud ipsum ergo esse acceptionem personarũ:quod vbique Scriptura negat. Ergo vel Scripturam esse sibi dissentaneam,vel in electione Dei esse meritorũ respectum.Primùm, alio sensu negat Scriptura Deum esse personarum acceptorem,quàm quo ipsi iudicant.siquidem Personæ vocabulo non hominem significat,sed quæ in homine oculis conspicua,vel fauorem,gratiam,dignitatem conciliare,vel odium,contemptum,dedecus conflare solent.Qualia sunt, diuitiæ,opes,potentia,nobilitas,magistratus,patria,formæ elegantia,& cætera eiusmodi. Itẽ, paupertas,inopia,ignobilitas,sordes, contemptus, & similia. Sic Petrus & Paulus personarum acceptorem non esse Dominum docent, quia non discernat inter Iudæum & Græcum, quo solius gentis ratione alterum respuat, amplectatur alterum. Sic Iacobus iisdem verbis vtitur,dum vult asserere Deum in suo iudicio diuitias nihil morari. Paulus autem alio loco de Deo sic loquitur, quòd libertatis aut seruitutis in iudicando nullam habeat rationem. Proinde nihil repugnantiæ erit, si dicemus, Deum secundum beneplaciti sui arbitrium eligere in filios, nullo merito, quos visum fuerit, aliis reiectis ac reprobatos.

Act.10.c.34. Rom.2.b.10 Gala.3.d.28. Iaco.2.a.5.

Coloss.3.d.25 Ephes,6.b.9.

probatis.Res tamen ſic explicari poteſt,vt plenius ſatiſfiat.Quęrunt quî fiat vt ex duobus quos nullum meritum diſcriminat, alterum prætereat in electione ſua, alterum aſſumat Deus.Ego viciſſim rogo,puténtne in eo qui aſſumitur eſſe aliquid quod Dei animum ad ipſum inclinet.Si nihil fatebuntur (quod neceſſe eſt) ſequetur Deum non hominem intueri,ſed à ſua bonitate rationem petere cur illi benefaciat.Quòd igitur hominem vnum eligit Deus,altero reiecto,id non prouenit ab hominis reſpectu, ſed à ſola eius miſericordia:cui liberum eſſe debet proferre ſe & exerere vbi & quoties placet. Nam & alibi vidimus non multos ab initio vocatos fuiſſe nobiles,vel ſapientes,vel ſplendidos,vt Deus humiliaret carnis ſuperbiam.tantum abeſt vt perſonis deuinctus fuerit eius fauor. Vide Augu. li. ad Bonif. 2.cap.7. 1.Cor.1.d.26

11 Quare falſò & peſſimè Deum inæqualis iuſtitiæ inſimulant nonnulli quòd non eundem erga omnes tenorem in ſua prædeſtinatione ſeruat. Si omnes(inquiunt)noxios deprehendit,peræque omnes puniat: ſi inſontes, ab omnibus iudicii rigorem abſtineat. Atqui perinde cum ipſo agunt acſi vel interdicta illi foret miſericordia, vel,dum vult miſereri,cogatur in totum iudicio renuntiare. Quid eſt quod flagitant?ſi omnes ſunt noxii, vt ſimul eandem omnes luant pœnam. Fatemur communem noxam: ſed dicimus quibuſdam ſuccurrere Dei miſericordiã. Succurrat,aiunt,omnibus.Sed excipimus,æquum eſſe vt puniendo ſe quoque æquum iudicem oſtendat. Id dum non ſuſtinent,quid aliud quàm vel miſerãdi facultate Deum ſpoliare conantur, vel hac ſaltem lege ipſam permittere vt iudicio ſe prorſus abdicet?Quare pulcherrimè quadrant iſtæ Auguſtini ſententiæ, Quum in primo homine vniuerſa generis maſſa in condemnationẽ defluxerit,quę fiunt ex ea vaſa in honorem,nõ propriæ iuſtitiæ,ſed Dei miſericordiæ vaſa eſſe. Quòd verò alia fiunt in contumeliam,non iniquitati,ſed iudicio deputandum,&c. Quòd Deus iis quos reprobat,debitam pœnam rependit:iis quos vocat,immeritam gratiam largitur:ab omni accuſatione liberari,ſimilitudine creditoris,cuius in poteſtate eſt,alteri remittere,ab altero exigere. Poteſt igitur Dominus etiam dare gratiam quibus vult, quia miſericors eſt: non omnibus dare,quia iuſtus iudex.Dando quibuſdam quod non merentur,gratuitam ſuam oſtendere gratiam: non omnibus dando, quid mereantur omnes declarare. Nam quum Deum ſcribit Paulus clauſiſſe omnia ſub peccato vt omnium miſereatur, ſimul addendum eſt nemini eſſe debitorem:quia nemo illi prior dedit,vt mutuum exigat. Epiſt.106. De prædeſt. & gratia. De bono perſeu. cã.12. Rom.11.d.32

12 Hoc quoque ad euertendam prædeſtinationem exagitant, quòd ipſa ſtante concidat omnis ſolicitudo,& bene agendi ſtudium.Quis enim audiat, inquiũt, æterno & immutabili Dei decreto ſibi fixam eſſe aut vitam aut mortem, quin protinus in mẽtem veniat, nihil intereſſe quomodo ſe gerat: quando ſuo opere nihil aut impediri aut promoueri queat Dei prædeſtinatio? Ita omnes proiiciẽt ſe,& deploratum in morem, quocunque libido tulerit præcipites ibunt.Et ſanè non in vniuerſum mentiuntur.ſunt enim plęrique porci qui prædeſtinationis doctrinam impuris iſtis blaſphemiis conſpurcant,atque hoc etiam obtentu admonitiones & obiurgationes quaſlibet eludunt, Scit Deus quid de nobis agere ſemel ſtatuerit.ſi ſalutem decreuit, adducet nos ad eam ſuo tempore:ſi mortem deſtinauit,fruſtra contrà tenderemus.At Scriptura, dum præcipit quanto maiori & reuerentia & religione ſit de tanto myſterio cogitandũ,tum pios in longè diuerſum ſenſum inſtituit, tum ſceleſtam illorum intemperiem probè redarguit. Non enim prædeſtinationem eo commemorat vt in audaciam erigamur, & inacceſſa Dei ſecreta excutere nefaria temeritate tentemus:ſed potius vt humiliati ac deiecti,ad iudicium eius tremere, miſericordiam ſuſpicere diſcamus. Ad hunc ſcopum fideles collimabunt. Ille autem fœdus porcorum grunnitus à Paulo ritè compeſcitur.Securos ſe in vitiis pergere dicũt:quia ſi ſint è numero electorum, nihil obfutura ſint vitia quominus tandem ad vitam perducantur. Atqui in hunc finem electos eſſe nos Paulus admonet,vt ſanctam ac inculpatam vitam traducamus.Si electionis ſcopus eſt vitæ ſanctimonia,magis ad eam alacriter meditandam expergefacere & ſtimulare nos debet,quàm ad deſidiæ prætextum valere.Quantopere enim hæc inter ſe diſſident,à bene agẽdo ceſſare, quia electio ad ſalutem ſufficiat, & electioni propoſitum eſſe finem vt in bonorum ſtudium incumbamus?Faceſſant ergo eiuſmodi ſacrilegia quæ totam electionis ordinem perperam inuertũt. Quòd autem ſuas blaſphemias longius extendunt,dum eum qui ſit à Deo reprobatus,perditurum operam dicunt ſi innocentia & probitatẽ vitæ ſe illi approbare ſtudeat: in eo verò impudentiſſimi mendacii conuincuntur. Vnde enim tale ſtudium oriri poſſit niſi ex electione? Nam quicunque ſunt ex reproborum numero, vt ſunt vaſa in contumeliam formata, ita Ephes.1.a.4

non desinunt perpetuis flagitiis iram Dei in se prouocare,& euidẽtibus signis confirmare quod iam in se latum est Dei iudicium. tantum abest vt cum ipso frustra contendant.

13 Malignè tamen atque impudenter hanc doctrinam calumniatur alii, acsi omnes ad piè viuendum exhortationes euerteret. Qua de re magnam olim inuidiam sustinuit Augustinus, quam absterſit libro De correptione & gratia ad Valentinum: cuius lectio pios omnes & dociles facilè placabit. pauca tamen hîc libabo, quæ (vt spero) probis & non contentiosis satisfaciẽt. Quàm apertus & vocalis præco electionis gratuitæ fuerit Paulus, antè visum est: an ideo monendo & hortando frigidus? Conferant boni isti zelotę eius vehementiam cum sua, glacies in ipsis reperietur præ incredibili illius feruore. Et certè prin-
1. Thes. 4. b. 7 Ephe. 2. b. 10 cipium illud scrupulos omnes tollit, non esse nos vocatos ad immũditiem, sed vt quisque vas suum possideat in honore, &c. deinde nos esse Dei figmentum, creatos ad bona opera quæ præparauit, vt in illis ambulemus. In summa qui mediocriter exercitati sunt in Paulo, absque longa demonstratione intelligent quàm aptè conciliet quæ isti fingunt inter se pugnare. Præcipit Christus vt in se credatur: neque tamen vel falsa est eius definitio, vel
Iohã. 6. g. 61 præcepto contraria, vbi dicit, Nemo potest venire ad me nisi cui datũ fuerit à Patre meo. Cursum igitur suum habeat prędicatio, quę adducat homines ad fidem, & continuo profectu in perseuerantia contineat. Neque tamen impediatur prædestinationis cognitio, vt qui obediunt non tanquam de suo superbiant, sed in Domino glorientur. Non abs re di-
Mat. 13. b. 9 cit Christus, Qui habet aures audiendi audiat. Ergo dum exhortamur & prædicamus, qui auribus præditi sunt, libenter obediunt: qui verò carent, in illis impletur quod scriptum
Iesa. 6. c. 9 est, Vt audientes non audiant. Cur autem (inquit Augustinus) illi habeant, illi nõ? quis cognouit sensum Domini? nunquid ideo negandum est quod apertũ est, quia comprehen-
Lib. de bono perseu. cap. 15 di non potest quod occultũ est? Hæc fideliter ex Augustino retuli. sed quia plus fortè authoritatis habebũt eius verba quàm mea, agedum prodeant in medium quæ apud ipsum leguntur. Nunquid si hoc audito nonnulli in torporem segnitiémque vertãtur, & à labore procliues ad libidinem post concupiscentias eant: propterea de præscientia Dei falsum putandum est quod dictum est? Nónne si Deus illos bonos fore præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur. &, si malos fore præsciuit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter huiusmodi causas, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda? tunc scilicet quando, si non dicantur, in
Cap. 16 alios itur errores? Alia, inquit, ratio est verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum esset omnes quærere: quarum tamen est hæc vna, ne peiores fiãt qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec redduntur peiores. Quum autem res vera ita se habet, vt fiat peior, nobis eam dicentibus, qui capere non potest: nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus faciendum? nónne potius est dicendum verum, vt qui potest capere, capiat: quàm tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verumetiam qui est intelligentior, ille fit peior: qui si audiret & caperet, per eum etiam plures discerent? Et nos dicere nolumus, quod teste Scriptura dicere licebat. Timemus enim videlicet ne loquentibus nobis offendatur qui capere non potest: non autem timemus ne tacentibus nobis, qui veritatẽ potest capere, falsitate capiatur. Quam sententiam
Eiusdem lib. cap. 20 breuius tãdem perstringens, clarius etiam confirmat. Quamobrem si Apostoli & qui eos sequuti sunt Ecclesiæ doctores vtrunque fecerunt, vt de æterna Dei electione piè differerent, & sub piæ vitæ disciplina continerent fideles: quid est quòd inuicta concluſi violentia veritatis illi nostri se rectè dicere existimant, non esse populo prædicãdum, etsi verum sit, quod de prædestinatione dicitur? Imò prædicandum est prorsus: vt qui habet aures audiendi audiat. Quis autem habet, si non accepit ab eo qui se daturum promittit? Certè qui non accipit, reiiciat: dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & viuat. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ritè colatur Deus: ita & prædestinatio, vt qui habet aures audiendi, de gratia Dei in Deo, non in se glorietur.

14 Et tamen vt singulare ædificationis studium sancto viro fuit, sic docendi veri rationem tẽperat, vt prudenter caueatur quoad licet offensio. Nam quæ verè dicũtur, congruẽter simul posse dici admonet. Siquis ita plebẽ compellet, Si non creditis, ideo fit quia iam diuinitus exitio destinati estis: is non modò ignauiam fouet, sed etiam indulget malitiæ. Siquis in futurum quoque tẽpus sententiã extendat, quòd non sint crediturі qui audiunt, quia reprobati sunt: imprecatio erit magis quã doctrina. Tales itaque Augustinus non

non immeritò tãquam vel insulsos doctores, vel siniſtros & ominoſos Prophetas ab Eccleſia iubet faceſſere. Tenendum quidem verè alibi contendit, quòd tunc correctione proficit homo quum miſeretur atque adiuuat qui facit quos voluerit etiam ſine correptione proficere. Sed quare iſti ſic, illi aliter: abſit vt dicamus iudicium luti eſſe nõ figuli. Item poſtea, Quum homines per correptionem in viam iuſtitiæ ſeu veniunt ſeu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante & irrigante dat incrementum? Cui volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium. Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei (qui in cælo & in terra quæcunque voluit fecit, & qui etiam quæ futura ſunt fecit) humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult: quandoquidem de ipſis hominum voluntatibus quod vult facit. Item quum vult adducere homines, nunquid corporalibus vinculis alligat? Intus agit, intus corda tenet, intus corda mouet: eóſque voluntatibus eorum, quas in illis operatus eſt, trahit. Sed quod continuò ſubiicit, minimè omitti debet: quia neſcimus quis ad prædeſtinatorum numerum pertineat, vel non pertineat, ſic nos affici decere vt omnes velimus ſaluos fieri. Ita fiet vt quiſquis nobis occurret, eum ſtudeamus facere pacis conſortem. Sed pax noſtra ſuper filios pacis requieſcet. Ergo, quantum ad nos pertinet, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, ſalubris & ſeuera inſtar medicinę adhibenda erit correptio: Dei autem erit illis vtilẽ facere quos præſciuit & prędeſtinauit.

Electionem ſanciri Dei vocatione: reprobos autem ſibi accerſere iuſtum, cui deſtinati ſunt, interitum. CAP. XXIIII.

SED vt res melius eluceſcat, tum de electorum vocatione, tum de excæcatione & induratione impiorum agendum eſt. Et de priore quidem iam aliquid diſſerui, eorum errorem refellens quibus generalitas promiſſionum videtur æquare totum humanum genus. Atqui non abſque delectu electionẽ, quam in ſeipſo alioqui abſconditam habet, vocatione demum ſua Deus manifeſtat. quam ideo appellare propriè licet eius teſtificationem. Nam quos præſciuit, eos & præfiniuit conformes fieri imaginis Filii ſui: quos autem præfiniuit, eos & vocauit: quos vocauit, eos & iuſtificauit, vt olim glorificet. Quum ſuos eligẽdo iam in filiorum locum Dominus adoptarit: videmus tamen vt in tanti boni poſſeſſionem non veniant, niſi dum vocantur: contrà vt vocati, quadam iam fruantur electionis ſuæ communicatione. Qua ratione Spiritum, quem accipiũt, & adoptionis Spiritum, & ſigillum, & arrhabonem hereditatis futuræ vocat Paulus. quia ſcilicet eorum cordibus futuræ adoptionis certitudinem ſuo teſtimonio ſtabilit & obſignat. Nam etſi Euangelii prædicatio ex fonte electionis ſcaturit, quia tamen reprobis etiam communis eſt, non eſſet per ſe ſolida illius probatio. Deus autem efficaciter electos ſuos docet vt ad fidem adducat: ſicuti citauimus antè ex verbis Chriſti. Qui ex Deo eſt, hic vidit Patrem, non alius. Item, Manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi. Quum alibi dicat, Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum. Quem locum prudẽter expendit Auguſtinus: cuius verba ſunt, Si (vt dicit veritas) omnis qui didicit venit: quiſquis non venit, profectò nec didicit. Non eſt igitur conſequens vt qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit: ſed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed etiam venit. vbi iam & poſſibilitatis profectus, & volũtatis affectus & actionis effectus adeſt. Alibi etiam clarius, Quid eſt, Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: niſi, nullus eſt qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit, profectò omnis qui non venit, nõ audiuit à Patre nec didicit. nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docet, vt veniatur ad Filium. Paulo pòſt, Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde recipitur. ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primùm auferatur. Quando itaque Pater intus auditur, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Filios ergo ſibi deſignat, ac Patrem ſe iis deſtinat Deus quos elegit. Vocando porrò, in familiam eos ſuam aſciſcit, ac ſeipſum iis coadunat, vt ſimul vnum ſint. Quum autem electioni vocatio ſubnectitur, in eum modum Scriptura ſatis innuit, in ea nihil requiren-

Rom. 3. f. 29

Ibidem, c. 15; Epheſ. 1. c. 13; & alibi.

Iohã. 6 e 46
Iohã. 17. a. 6
Iohã. 6. e. 44
Lib. 1. De gratia Chriſti cõtra Pelag. & Cœleſt. cap. 14, & 31
Lib. De prędeſt. ſanctorum cap. 8

dum præter gratuitam Dei misericordiam. Si enim quærimus quos vocet, & qua ratione: respondet, quos elegerat. Ad electionem autem dum venitur, sola illic misericordia vn-
Rom. 9. d. 16 decunque apparet. Atque adeo verè hîc locum habet illud Pauli, Non esse volẽtis neque currentis, sed miserentis Dei. Neque id, quemadmodum vulgo accipiunt qui inter Dei gratiam, voluntatem, cursúmque hominis partiuntur. Exponunt enim, desiderium hominis ac conatum nihil per se quidem habere momenti, nisi Dei gratia prosperentur: sed quum adiuuantur illius benedictione, habere suas quoque partes in comparanda salute
Enchir. ad Laurẽt. cap. 31 contẽdunt. Quorum cauillum Augustini verbis refellere quàm meis malo. Si nihil aliud voluit Apostolus, nisi non esse solius volentis aut currentis, nisi adsit misericors Dominus: retorquere è conuerso licebit, non solius esse misericordiæ, nisi adsit voluntas & cursus. Quod si apertè impium est, non dubitemus Apostolum omnia misericordiæ Domini dare, nostris autem volũtatibus aut studiis nihil relinquere. In hanc sententiã ille sanctus vir. Nec pili æstimo quam inducunt argutiolam, non fuisse id dicturũ Paulum nisi aliquis in nobis foret conatus, & aliqua voluntas. Non enim quid esset in homine reputauit: sed quum videret quosdã salutis partem hominũ industriæ assignare, simpliciter eorum errorem damnauit priore mẽbro, deinde totã salutis summã Dei misericordiæ vendicauit. Et quid aliud agunt Prophetæ quàm vt gratuitam Dei vocationem perpetuò deprædicent?

2 Adhæc ipsa quoque vocationis natura & dispensatio perspicuè id demõstat: quæ non sola verbi prædicatione, sed & Spiritus illuminatione cõstat. Quibus offerat verbum
Iesa. 65. a. 1 suum Deus, habemus apud Prophetã, Repertus sum à non quærentibus me: palã apparui iis qui me non interrogabant. Populo qui non inuocauit nomen meũ, dixi, Ecce adsum. Ac ne Iudæi ad Gentes modò eam clementiã pertinere ducerẽt, ipsis quoque in memoriam reducit vnde assumpserit patrẽ eorum Abrahã, quum ipsum sibi cõciliare dignatus
Iosue 24. a. 3 est. nimirũ ex media idololatria, in qua cũ suis omnibus demersus erat. Verbi sui luce dũ immerentibus primùm affulget, eo gratuitæ bonitatis suę specimen satis luculentum exhibet. Hîc ergo iam se exerit immensa Dei bonitas, sed non omnibus in salutem: quia reprobos manet grauius iudicium, quòd testimonium amoris Dei repudient. Atque etiam Deus, illustrandæ gloriæ suæ causa, Spiritus sui efficaciam ab illis subducit. Interior igitur
1. Iohan. 5. d 24 hæc vocatio pignus est salutis quod fallere non potest. Quò pertinet illud Iohannis, Inde agnoscimus nos esse eius filios, ex Spiritu quem dedit nobis. Ac ne glorietur caro quòd vocanti & vltro se offerenti saltem respõderit, nullas ad audiendũ esse aures, nullos ad videndum oculos affirmat, nisi quos ipse fecerit. Facere autem non secũdum cuiusque gra-
Act. 13. g. 14 titudinem, sed pro sua electione. Cuius rei insigne habes exẽplum apud Lucam, vbi Pauli & Barnabæ concionem audiunt communiter Iudæi & Gentes. Eodem tum verbo quum edocti essent omnes, narrantur credidisse qui ad vitã ęternam erant ordinati. Qua fronte gratuitam esse vocationem negemus, in qua ad vltimã vsque partem sola regnat electio?

3 Duo autem errores hîc cauendi sunt: quia nonnulli cooperariũ Deo faciunt hominem, vt suffragio suo ratam electionem faciat. ita secundum eos voluntas hominis superior est Dei cõsilio. Quasi verò Scriptura doceat tãtũ nobis dari vt credere possim⁹, ac non potius fidem ipsam. Alii, quanquã non ita eneruãt gratiam Spiritus sancti: nescio tamen qua ratione inducti electionem à posteriori suspendunt: quasi dubia esset atque etiã ineficax, donec fide confirmetur. Equidẽ confirmari, quoad nos, minimè obscurum est: elucescere etiam arcanum Dei consilium quod latebat, antè vidimus: modò hoc verbo nihil aliud intelligas quàm comprobari quod incognitum erat, & velut sigillo consignari. Sed falsò dicitur electionem tunc esse demum efficacem postquam Euangelium amplexi sumus, suúmque inde vigorem sumere. Certitudo quidẽ eius inde nobis petenda. quia si ad ætternam Dei ordinationem penetrare tentemus, profunda illa abyssus nos ingurgitabit. Sed vbi eam nobis patefecit Deus, altius conscendere oportet, ne effectus causam obruat. Quid enim magis absurdum & indignum, quum Scriptura doceat nos esse illuminatos, sicuti nos Deus elegit, lucis huius fulgore oculos nostros perstringi, vt attẽdere ad electionẽ recusent? Neque interea inficior, vt certi de salute nostra simus, initiũ à verbo fieri debere, eóque debere fiduciam nostrã esse contentam vt Deum Patrem inuocemus. Præpo-
Deut. 30. c. 14. sterè enim quidã vt de cõsilio Dei (quod nobis propè est in ore & corde) certiores reddantur, supra nubes volitare cupiũt. Cohibẽda igitur est illa temeritas sobrietate fidei, vt Dei occultæ suæ gratiæ nobis testis sufficiat in externo verbo, modò ne impediat canalis, ex quo largè ad bibendum nobis aqua profluit, quominus scaturigo suum honorẽ obtineat.

4 Ergo

4 Ergo vt perperam faciunt qui electionis vim ſuſpendunt à fide Euangelii, qua illam ad nos ſentimus pertinere: ita optimum tenebimus ordinẽ ſi in quærenda electionis noſtræ certitudine, in iis ſignis poſterioribus, quæ ſunt certæ eius teſtificationes, hæreamus. Nulla tẽtatione vel grauius vel periculoſius fideles percellit Satan, quàm dum ipſos ſuæ electionis dubitatione inquietans, ſimul praua eius extra viam inquirendæ cupiditate ſolicitat. Extra viam inquirere voco, vbi in abditos diuinæ ſapientiæ receſſus perrumpere homuncio conatur, &, quo intelligat quid de ſe ſit conſtitutũ apud Dei tribunal, ad ſupremam vſque æternitatem penetrare. Tunc enim ſe in profundum immenſæ voraginis abſorbendum præcipitat: tunc innumeris atque inexplicabilibus laqueis ſe induit: tunc cæcæ caliginis abyſſo ſe adobruit. Sic enim æquum eſt horribili ruina ingenii humani ſtoliditatem puniri, vbi ſuopte marte aſſurgere ad diuinæ ſapientiæ altitudinem tẽtat. Eóque exitialior eſt hæc tentatio, quòd ad nullam aliam propenſiores ſimus ferè omnes. Rariſſimus enim eſt cuius non interdum animus hac cogitatione feriatur, Vnde tibi ſalus niſi ex Dei electione? Electionis porrò quæ tibi reuelatio? Quæ ſi apud quempiam ſemel inualuit, aut diris tormentis miſerum perpetuò excruciat, aut reddit penitus attonitum. Nullo ſanè certiore argumento confirmare velim quanta prauitate prædeſtinationem imaginentur huiuſmodi homines, quàm illa ipſa experientia. ſiquidem nullo peſtilentiori errore infici mens poſſit quàm qui ſua erga Deum pace ac tranquillitate cõſcientiam diruit ac deturbat. Ergo naufragium ſi timemus, ſolicitè ab hoc ſcopulo cauendum, in quem nunquam ſine exitio impingitur. Et verò licet periculoſi maris inſtar habeatur prædeſtinationis diſputatio: patet tamen in ea luſtranda, tuta & pacata, addo & iucunda nauigatio, niſi quis periclitari vltro affectet. Nam quemadmodum in exitialem abyſſum ſe ingurgitant qui vt de ſua electione fiant certiores, æternum Dei conſilium ſine verbo percontantur: ita qui rectè atque ordine ipſam inueſtigant qualiter in verbo continetur, eximiũ inde referunt conſolationis fructum. Sit igitur hæc nobis inquirendi via, vt exordium ſumamus à Dei vocatione, & in ipſam deſinamus. Quanquã hoc nõ obſtat quin fideles quæ percipiũt quotidie beneficia ex Dei manu, ſentiant ex recõdita illa adoptione deſcẽdere: ſicuti loquuntur apud Ieſaiã, Feciſti mirabilia: cogitationes tuæ antiquæ, veræ & fideles. quando ea ceu teſſera vult nobis confirmare Deus quantum de ſuo conſilio ſciri fas eſt. Ne cui autem videatur infirmum iſtud teſtimonium: reputemus quantum & claritatis & certitudinis nobis afferat. Qua de re appoſitè Bernardus. poſtquam enim de reprobis loquutus eſt, Stat (inquit) propoſitum Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum, ipſorum & diſſimulans mala, & remunerans bona: vt miro modo eis non modò bona, ſed & mala cooperentur in bonũ. Quis accuſabit electos Dei? Sufficit mihi ad omnem iuſtitiam, ſolum habere propitium cui ſoli peccaui. Omne quod mihi ipſe non imputare decreuit, ſic eſt quaſi non fuerit. Et paulo pòſt, O veræ quietis locus, & quem non immeritò cubiculi appellatione cenſuerim, in quo Deus non quaſi turbatus ira, nec velut diſtentus cura proſpicitur, ſed probatur voluntas eius in eo bona & beneplacens & perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet: inquietam curioſitatem non excitat, ſed ſedat: nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat. Hîc verè quieſcitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt. Ieſa. 25. a. 1

5 Primùm, ſi paternam Dei clementiam propitiúmque animũ quærimus, ad Chriſtum conuertendi ſunt oculi, in quo ſolo Patris anima acquieſcit. Si ſalutem, vitam, & regni cæleſtis immortalitatem, non aliò tum quoque confugiendum eſt: quando ipſe vnus & vitæ fons eſt, & ſalutis anchora, & regni cælorum heres. Iam quorſum electio pertinet niſi vt in filiorum locum à cæleſti Patre cooptati, eius fauore ſalutem & immortalitatem obtineamus? Quantumlibet reuoluas & excutias, vltimum tamen eius ſcopum non vltrà tendere intelliges. Proinde quos Deus ſibi filios aſſumpſit, nõ in ipſis eos dicitur elegiſſe, ſed in Chriſto ſuo: quia nonniſi in eo amare illos poterat, nec regni ſui hereditate honorare niſi eius cõſortes antè factos. Quòd ſi in eo ſumus electi, nõ in nobiſipſis reperiemus electionis noſtræ certitudinem: ac ne in Deo quidem Patre, ſi nudum illum abſque Filio imaginamur. Chriſtus ergo ſpeculum eſt in quo electionẽ noſtram cõtemplari conuenit, & ſine fraude licet. Quum enim is ſit cuius corpori inſerere deſtinauit Pater quos ab æterno voluit eſſe ſuos, vt pro filiis habeat quotquot inter eius membra recognoſcit, ſatis perſpicuum firmúmque teſtimonium habemus, nos in libro vitæ ſcriptos eſſe ſi cum Chriſto communicamus. Porrò ille certa ſui communione nos donauit, quum per Euangelii Mat. 3. d. 17 Epheſ. 1. a. 4

prædicationem teſtatus eſt ſe nobis à Patre datum, vt cũ ſuis omnibus bonis noſtet eſſet.
Rom.8.f.32 Illum induere dicimur,in ipſum coaleſcere vt viuamus: quia ipſe viuit. Toties repetitur
iohan.3.b.15 hæc doctrina, Filio vnigenito non pepercit Pater,vt quiſquis credit in eum, non pereat.
Iohã.5.d.24 Qui verò in eum credit,dicitur tranſiiſſe à morte in vitam.Quo ſenſu vocat ſe panem vi-
Iohã.6.d.35 tæ,quem qui comederit,nõ morietur in æternum. Ille(inquam)nobis teſtis fuit,filiorum loco habitum iri à Patre cæleſti omnes à quibus fide receptus fuerit. Siquid plus appetimus quàm vt inter Dei filios cenſeamur & heredes, ſupra Chriſtum conſcendamus licet. Si hæc ſuprema nobis eſt meta,quantopere inſanimus,extra ipſum quærendo quod & in ipſo iam conſequuti ſumus,& in ſolo ipſo inueniri poteſt? Præterea quum ſit æterna Patris ſapientia,immutabilis veritas,fixum conſilium, non eſt timendum ne quod ſuo ſermone nobis enarrat,ab illa quam quærimus Patris voluntate vel minimum variet: quin potius eam fideliter nobis aperit qualis ab initio fuit, ac ſemper futura eſt. Huius doctrinæ praxis in precibus quoque vigere debet. Nam etſi ad Dei inuocationem nos animat electionis fides: vbi tamen vota concipimus,eam obtrudere Deo præpoſterum eſſet, vel hac conditione paciſci,Domine,ſi electus ſum,me exaudias. quando ſuis promiſſionibus vult nos eſſe contentos,neque alibi quærere an futurus ſit nobis exorabilis. Hæc prudentia nos à multis laqueis expediet ſi in rectum vſum accommodare ſcimus quod rectè ſcriptum eſt:non autem inconſideratè huc illuc trahamus quod reſtringi debuerat.

6 Accedit ad ſtabiliendam fiduciam alia, quam cum vocatione noſtra coniungi diximus, electionis firmitudo. Quos enim nominis ſui cognitione illuminatos in Eccleſiæ ſuæ ſinum Chriſtus aſciſcit,eos dicitur in fidem tutelámque ſuam recipere. Quoſcun-
Iohan, 6. d. 37. 39, & 17. a.6,& b.12 que autem recipit, ei à Patre commiſſi dicuntur ac concrediti vt in vitam æternam cuſtodiantur. Quid nobis volumus? clamat alta voce Chriſtus,quotquot Pater ſaluos eſſe velit,eos ſibi in protectionem tradidiſſe. Ergo ſi reſcire libet an Deo curæ ſit noſtra ſalus, quæramus an Chriſto commendauerit:quem conſtituit vnicum ſuorum omnium ſaluatorem. Iam ſi dubitamus an ſimus à Chriſto in fidem cuſtodiámque recepti, ille dubita-
Iohã.10.b.3 tioni occurrit,dum ſe paſtorem ſponte offert, ac in ouium ſuarum numero nos fore pronuntiat ſi vocem ſuam audiamus. Chriſtum ergo benignè nobis expoſitum,& obuiam prodeuntem amplectamur:ille autem nos in grege ſuo recenſebit, & inter ſua ſepta con-
Rom.8. f.30 cluſos tenebit. At ſubit futuri ſtatus anxietas. nam vt Paulus vocari docet qui electi antè
Mat.22.b.14 fuerint:ita Chriſtus oſtendit multos eſſe vocatos, paucos verò electos. Quinetiam ipſe
1.Cor.10.c.12 quoque Paulus alibi à ſecuritate dehortatur, Qui bene ſtat, inquit, videat ne cadat.
Rom. 11. c. 20 Item, Inſertus es in populum Dei? noli ſuperbire, ſed time. poteſt enim Deus rurſum ſuccidere, vt alios inſerat. Denique ipſa experientia ſatis docemur, parui eſſe vocationem ac fidem,niſi accedat perſeuerantia,quæ non omnibus contingit. Sed enim iſta ſolicitudine liberauit nos Chriſtus. nam in poſterum certè reſpiciunt iſtæ promiſſiones:
Iohan.6.d. 37,c.40 Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venerit ad me non eiiciam foras.
Iohã.10.e.27 Item, Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris, nequid perdam ex omnibus quæ dedit mihi:ſed reſuſcitem ea in nouiſſimo die.Item,Oues meæ vocem meã audiunt,& ſequuntur me.Ego cognoſco eas,& vitam æternam do eis,nec peribunt in æternũ,neque rapiet eas quiſquam de manu mea.Pater qui dedit mihi,maior omnibus eſt:& nemo poteſt ra-
Mat.15. b. 13 pere de manu Patris mei. Iam vbi pronuntiat, Omnis arbor quam non plantauit Pater meus eradicabitur:ex oppoſito innuit nũquam poſſe à ſalute euelli qui radicem in Deo
1.Iohan. 2.c. 19 habent.Cui conſentit illud Iohannis, Si ex nobis fuiſſent, non exiiſſent vtique à nobis.
Rom.8. g.38 Hinc etiam magnifica Pauli gloriatio cõtra vitam & mortem,præſentia & futura:quam in dono perſeuerãtiæ fundatam eſſe oportet. Nec dubium eſt quin ad electos omnes ſententiam hãc dirigat. Alibi idem Paulus, Qui cœpit in vobis opus bonum,perficiet vſque
Philip.1.a.6 in diem Chriſti. Sicuti etiam Dauid,quum labaſceret eius fides, in hanc futuram recu-
Pſal 138. b.8 buit,Opus manuum tuarum nõ deſeres.Iam verò neque hoc dubium eſt,quũ orat Chri-
Luc.22.d.32 ſtus pro omnibus electis,quin idem illis precetur quod Petro,vt nunquam deficiat fides eorum.Ex quo elicimus,extra periculum defectionis eſſe,quia eorum pietati cõſtantiam poſtulans Filius Dei,repulſam paſſus non eſt. Quid hinc nos diſcere voluit Chriſtus,niſi vt confidamus perpetuò nos fore ſaluos,quia illius ſemel facti ſumus?

7 At quotidie accidit,vt qui videbantur eſſe Chriſti,rurſum deficiant ab eo, & corruant.Imò eo ipſo loco,vbi aſſerit neminem periiſſe ex iis qui ſibi à Patre dati fuerãt, ex-
Iohã.17.b.12 cipit tamen filiũ perditionis. Verum eſt id quidem:ſed æquè etiam certum,nũquam ea cordis

cordis fiducia talès Christo adhæsisse qua nobis electionis certitudinẽ stabiliri dico. Exierunt è nobis,inquit Iohānes,sed è nobis nõ erant.Si fuissent enim è nobis, permansissent vtique nobiscum. Nec inficior quin habeãt vocationis similia cum electis signa:sed illud certum electionis stabilimentum,quod fideles à verbo Euangelii petere iubeo, illis minimè concedo. Quamobrem eiusmodi exempla nequaquam nos permouea nt quominus in Domini promissionem tranquilli recumbamus, vbi pronuntiat à Patre datos esse sibi omnes à quibus vera fide recipitur:quorum nemo,se custode ac pastore,periturus sit.De Iuda mox dicetur.Paulus non simplicem securitatem Christianis dissuadet, sed supinam ac solutam carnis securitatem,quæ fastum,arrogantiam, aliorum contemptum secũ trahat,humilitatem extinguat, ac reuerentiam Dei, acceptæque gratiæ obliuionẽ inducat. Gentiles enim alloquitur,quos docet, non esse Iudæis superbè & inhumaniter insultandum ideo quia ipsis abdicatis in eorum locum substituti essent.Timorem quoque requirit,non quo consternati vacillent, sed qui ad suspiciendam humiliter Dei gratiã nos instituens, nihil ex eius fiducia diminuat : quemadmodum alibi dictum est. Adde quòd non singulos,sed generatim sectas ipsas alloquitur.Nã quum diuisa esset Ecclesia in duas partes,& æmulatio dissidium pareret,admonet Paulus Gentiles, quòd surrogati sunt in locum peculiaris & sancti populi,timoris & modestię debere illis esse causam. Atqui inter eos multi erant ventosi,quorum vtile fuit inanem iactantiam retundere. Cæterùm alibi vidimus,spem nostram in futurum tempus extendi,etiam vltra mortem, nec quicquam magis contrarium esse eius naturæ quàm ambigere quid de nobis futurum sit. 1.Iohã.2.c.19

Iohã.3.b.15, & 6.d.39.

7 Illa Christi sententia de multis vocatis, paucis autem electis,pessimè in eum modum accipitur.Nihil erit ambiguum si tenemus quod debet ex superioribus liquere, duplicem esse vocationis speciẽ. Est enim vniuersalis vocatio, qua per externam verbi prædicationem omnes pariter ad se inuitat Deus : etiã quibus eam in mortis odorem,& grauioris condemnationis materiam proponit.Est altera specialis, qua vtplurimum solos fideles dignatur : dum interiori sui Spiritus illuminatione efficit vt verbum prædicatũ eorum cordibus insideat:Interdum tamen eos quoque facit participes quos ad tẽpus duntaxat illuminat:deinde suæ ingratitudinis merito deserit,& maiori percutit cæcitate.Iam quum videret Dominus Euangelium latè longéque publicari, à plurimis cõtemptui haberi,apud paucos iusto in pretio esse:Deum sub regis persona nobis describit, qui conuiuium solenne instituens,vocatores suos circunquaque mittat, ad magnam turbam inuitandam,à paucissimis tamen impetrare queat:quia pro se quisque impedimẽta causetur. vt tandem recusantibus illis cogatur è triuiis obuium quemlibet accersere. Hactenus de externa vocatione intelligendã parabolam nemo non videt.Subiungit postea,Deum boni conuiuatoris instar agere,qui circumeat mensas,ad suos hospites cõmiter excipiendos. Quòd siquem reperiat veste nuptiali non ornatum,minimè passurum vt conuiuii festiuitatem suis sordibus dehonestet. Hoc membrum fateor intelligendum de iis qui fidei professione in Ecclesiam ingrediũtur:sed Christi sanctificatione nequaquam induti. Talia Ecclesiæ suæ dehonestamenta,& velut καρκινώματα non sustinebit perpetuò Deus : sed provt meretur eorum turpitudo,extra proiiciet.Pauci ergo electi sunt ex magno vocatorum numero:non tamen ea vocatione vnde fidelibus dicimus æstimãdam suam electionem.Illa enim impiorũ etiam communis est, hæc secum affert Spiritum regenerationis, qui est arrhabo & sigillum futuræ hereditatis, quo in diem Domini obsignantur corda nostra.In summa, quum hypocritæ non secus ac veri Dei cultores,pietatem iactent, pronuntiat Christus eiectum tandem iri ex loco quem male occupant.sicuti in Psalmo dicitur,Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Innocens manibus, & puro corde. Item alibi,Hæc est generatio quærentium Deum,quærentium faciem Dei Iacob.Atque ita ad tolerantiam hortatur Spiritus fideles, ne ægrè ferant Ismaelitas sibi misceri in Ecclesia: quoniam tandem detracta larua cum dedecore eiicientur. Mat.22.a.4

Ephe.1.c.13. 14.

Psal.15.a.1.

Psal.24.b.6.

8 Eadem est ratio exceptionis nuper adductæ, vbi ait Christus neminem periisse nisi filium perditionis.est quidem impropria loquutio,sed minimè obscura. ille enim non reputabatur inter oues Christi,quia verè esset:sed quia locum tenebat. Quod porrò ipsum alibi electum cum Apostolis à se fuisse asserit Dominus, id dũtaxat ad ministerium refertur.Duodecim,inquit,elegi,& vnus ex eis diabolus est. Nempe in Apostoli munus eum elegerat. Quum autem de electione loquitur in salutem, eum procul ab electorum numero arcet,Non de omnibus loquor:ego scio quos elegerim. Siquis vocabulum electio- Iohã.17.b.12

Iohã.6.g.70

Ioh.13.b.18.

nis vtrobique cõfundat,miserè se implicabit:si distinguat,nihil est expeditius.Pessimè ergo & pernicioſè Gregorius,dum vocationis tantùm nostræ conscios esse nos tradit, electionis incertos.vnde ad formidinẽ & trepidationẽ omnes hortatur: hanc etiam rationẽ vsurpans,quia etiamsi quales hodie simus sciamus,quales tamen simus futuri, nescimus. Verùm eo loco satis declarat quomodo in hunc scopũ impegerit.Quoniam enim ab operum meritis electionẽ suspendebat, deiiciẽdis animis plus satis illi suppetebat causæ:confirmare non poterat,qui à seipsis ad diuinæ bonitatis fiduciã non transferebat. Hinc quamcunque eius quod initio posuimus,gustum habent fideles:prædestinationẽ,si ritè cogitetur,non fidei conuulsionẽ,sed optimam potius confirmationem afferre.Neque tamẽ inficior, Spiritum ad modulum sensus nostri interdum accõmodare sermonem. Sicuti quum dicit,In arcano populi mei non erunt,& in catalogo seruorum meorum non scribentur.Acsi Deus scribere inciperet in libro vitæ quos recensetin numero suorum: quũ tamen sciamus vel teste Christo,scripta esse filiorum Dei nomina in libro vitæ ab initio. Sed simpliciter his verbis eorum abdicatio notatur qui visi sunt inter electos præcipui. sicut dicitur in Psalmo,Deleantur è libro vitæ,& cum iustis non scribantur.

Homil.38.
Ezech.13.b.9
Philip.4.a.3.
Psal.69.d.29

9 Enimuerò electi,nec statim ab vtero,nec eodem omnes tempore,sed provt visum est Deo suam illis gratiam dispensare,in ouile Christi per vocationem aggregantur.Antè verò quàm ad summum illum Pastorem colligantur,in communi deserto dissipati aberrant:nec ab aliis quicquam differunt,nisi quòd singulari Dei misericordia proteguntur, ne in vltimum mortis præcipitium ruant.In ipsos ergo si respicias,videbis Adæ progeniẽ, quæ communem massæ corruptionem redoleat.Quòd non in extremam & desperatam vsque impietatem feruntur,id non fit aliqua illis ingenita bonitate: sed quia in ipsorum salutem excubat Dei oculus,& manus extẽta est.Nam qui ab ipsa natiuitate insitum esse eorũ cordibus semen nescio quod electionis somniant, cuius virtute semper ad pietatem timorémque Dei sint inclinati,nec Scripturæ authoritate adiuuantur, & ipsa redarguuntur experientia.Exempla quidem pauca proferunt,vnde probent,electos ante illuminationem quoque,non fuisse à religione alienos: Paulum in suo Pharisaismo vixisse irreprehensibilem:Cornelium eleemosynis & orationibus fuisse acceptum Deo,& siqua sunt similia.De Paulo illis concedimus:in Cornelio dicimus hallucinari. iam enim tum illuminatum ac regeneratum fuisse apparet,vt nihil illi deesset præter perspicuam Euangelii reuelationem.Sed enim quid pauculis istis exemplis tandem extorquebunt? electósne omnes pietatis spiritu semper esse præditos? Non magis quàm siquis demonstrata Aristidis,Socratis,Xenocratis,Scipionis,Curii,Camilli,& aliorum integritate,inde colligat, omnes qui in cæcitate idololatriæ deseruntur, sanctimoniæ & probitatis fuisse studiosos. Quinetiam Scriptura non vno in loco illis palàm reclamat.Qui enim describitur à Paulo Ephesiorum status ante regenerationem,granum huius seminis nullum ostendit.Eratis, inquit,delictis & peccatis mortui,in quibus ambulastis iuxta seculum mundi huius, iuxta principem aeris, qui nunc agit in filiis contumacibus:inter quos & nos omnes versabamur aliquando in concupiscentiis carnis nostræ,facientes quæ carni & menti libebãt. Et eramus natura filii iræ,sicut & cæteri. Item,Mementote quòd sine spe aliquando fueritis,& Deo carueritis in mundo.Item,Eratis aliquando tenebræ:nunc autem lux in Domino:vt filii lucis ambulate. At ea fortè referri volent ad ignorantiam veri Dei qua electos antequam vocentur,detineri non negant.Quanquam hoc esset impudenter calumniari,quum ex illis inferat,non iam amplius esse vel mentiendũ,vel furãdum: quid tamẽ ad alios locos respondebunt?Qualis ille est ad Corinthios,vbi quum denuntiasset, neque scortatores,neque idololatras,neque adulteros, neque molles, neque pædicatores, neque fures,neque auaros regni Dei fore heredes: continuò subiungit, illos iisdem flagitiis fuisse,ante Christum cognitum,implicitos:nunc verò & sanguine eius ablutos,&Spiritu liberatos.Item alter ad Romanos, Quemadmodum præbuistis membra vestra serua immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem,nunc addicite illa in seruitutem iustitiæ. Quem enim fructum ex illis habuistis,in quibus nunc meritò erubescitis?& cætera.

Phili.3.a.5.
Act.10.a.2.
Ephes.2.a.1.
Ibidem,c.12
Ephes.5.b.8.
Ephe.4.e.18.
1.Cor.6.b.9.11.
Rom.6.d.19

11 Quale tunc amabò,electionis semen in iis germinabat,qui tota vita multifariam contaminati, quasi desperata nequitia, volutabantur in flagitio omnium maximè nefando,& execrabili?Secundũ eos si loqui voluisset,debuerat ostendere quantum Dei beneficentiæ deberent,per quam conseruati essent ne in tantas fœditates prolaberentur. Sic & Petrus debuisset suos hortari ad gratitudinem,ob semen electionis perpetuum. Contrà

trà autem admonet,ſuffeciſſe præteritum tempus Gentium libidinibus conſummandis. 1.Pet.4.a.3
Quid ſi venitur ad exempla? Quale iuſtitiæ germen in Rahab meretrice ante fidem? in Ioſue 2.a.1
Menaſſe,quum Ieruſalem intingeretur,& propè immergeretur ſanguine Prophetarum? 2.Re.21.c.16
In latrone,qui inter vltimos tandem ſpiritus,de reſipiſcẽtia cogitauit?Faceſſant ergo hæc Luc.32.f.42
argumẽta, quæ ſibiipſis homines curioſuli temere ſine Scriptura excogitant. Maneat autem nobis quod habet Scriptura, Omnes pariter ouiũ perditarũ inſtar aberraſſe, vnumquenque declinaſſe in viam ſuam,hoc eſt perditionem.Hoc perditionis gurgite quos aliquando eruere Dominus ſtatuit,eos in ſuam opportunitatem differt:tantùm conſeruat, in blaſphemiam irremiſſibilem ne deuoluantur. Iesa.53.b,6

12 Quemadmodum ſuæ erga electos vocationis efficacia, ſalutem, ad quã eos æterno cõſilio deſtinarat,perficit Deus:ita ſua habet aduerſus reprobos iudicia,quibus conſilium de illis ſuum exequatur. Quos ergo in vitæ cõtumeliam & mortis exitium creauit, vt iræ ſuæ organa forent, & ſeueritatis exempla: eos, vt in finem ſuum perueniant, nunc audiendi verbi ſui facultate priuat: nunc eius prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.Prioris membri quum innumera ſint exempla, vnum tamẽ, quod eſt præ aliis illuſtre ac notabile, eligamus. Quatuor circiter annorum millia ante Chriſti adventum effluxerunt, quibus ſalutiferæ doctrinæ lucem cunctis gentibus occultauit. Siquis reſpondeat, tanti beneficii compotes ideo non feciſſe quia indignos iudicarit: nihilo erunt digniores poſteri.cuius rei præter experientiã teſtis locuples eſt Malachias,qui incredulitatẽ craſſis Mala.4.a.1
blaſphemiis permiſtam coarguens,venturum tamen redemptorem denuntiat. Cur ergo his potius quàm illis datur? fruſtra ſe torqueat qui hîc cauſam requirat arcano & inſcrutabili Dei conſilio altiorem. Nec eſt timẽdum nequis Porphyrii diſcipulus Dei iuſtitiam impunè arrodat,nobis pro ea nihil reſpondentibus. Quum enim aſſerimus nullos perire immerentes,gratuitæ eſſe beneficẽtiæ Dei quòd nonnulli liberãtur,abũdè pro illuſtranda eius gloria dictũ eſt,vt noſtra tergiuerſatione nequaquã indigeat. Prædeſtinationi igitur ſuæ viam facit ſummus ille arbiter, vbi quos ſemel reprobauit, lucis ſuæ communicatione orbatos deſerit in cæcitate. Alterius membri cum extant quotidiana documenta, tum multa in Scripturis continentur. Apud centum eadem ferè habetur concio, viginti prompta fidei obedientia ſuſcipiunt:alii vel nullius pẽſi habent, vel rident, vel explodũt, vel abominantur.Siquis reſpondeat, diuerſitatẽ ex corũ prouenire malitia & peruerſitate,nondũ ſatiſfactũ fuerit:quia & illorum ingeniũ eadem malitia occuparetur, niſi Deus ſua bonitate corrigeret.Ideóque ſemper implicabimur,niſi ſuccurrat illud Pauli,Quis te 1.Cor.4.b.7
diſcernit:Quo ſignificat non propria virtute,ſed ſola Dei gratia alios aliis præcellere.

13 Cur ergo gratiam illis largiando,hos prætermittit? De illis cauſam reddit Lucas, Quia ad vitam ſunt ordinati. De iis ergo quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam? Quare ne cum Auguſtino loqui nos pigeat, Poſſet (inquit ille) Deus malorũ voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non facit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Debemus enim nõ plus ſapere quàm oportet. multóque id ſatius eſt,quàm tergiuerſari cum Chryſoſtomo, Quòd volentem trahat & manum porrigentem, ne diſcrimen in Dei iudicio, ſed ſolo hominum arbitrio ſitum videatur.Adeò quidem non ſitum eſt in proprio hominis motu accedere,vt piis quoque & Deum timẽtibus ſingulari adhuc inſtinctu Spiritus opus ſit. Lydia purpuraria Deum timebat,& tamen cor eius aperiri oportuit,vt attenderet doctrinæ Pauli & in ea proficeret.Hoc non de vna muliere dictum eſt,ſed vt ſciamus profectũ cuiuſque in pietate,opus eſſe arcanum Spiritus. Iſtud quidem in quæſtionẽ trahi non poteſt,multis verbũ ſuũ Dominum mittere, quorum cæcitatem magis velit aggrauari. Quorſum enim tot mandata deferri iubet ad Pharaonẽ? an quia ſæpius repetitis legationibus mitigatum iri ſperabat? Imò antequam inciperet exitum & nouerat & prædixerat. Ito (dicebat Moſi) & expone Exod.4.c.21
illi voluntatem meam. ego autem indurabo cor eius ne obtemperet. Sic quum Ezechielem ſuſcitat, præmonet ſe mittere ad populum rebellem & contumacem: ne terreatur ſi ſurdis ſe canere videat. Sic Ieremiæ prædicit,futuram eius doctrinam in ignem, vt populũ inſtar ſtipulæ perdat & diſſipet. Sed magis etiamnũ premit Ieſaiæ prophetia. ſic enim à Domino dimittitur, Vade,& dic filiis Iſrael, Audiendo audite,& ne intelligatis. Vidẽdo videte,& neſciatis.Obſtina cor populi huius,& aures eius aggraua, & oculos eius obline: vt ne fortè videat oculis ſuis, & audiat auribus ſuis, & corde intelligat, quo conuerſus ſanetur. Ecce,vocem ad eos dirigit,ſed vt magis obſurdeſcant: lucem accendit,ſed vt red- Eze.2.b.3,& 12.a.2 Iere.1.b.10 Ieſa.6.c.9

dantur cæciores:doctrinam profert,ſed qua magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed
Iohã.12. f.39 ne ſanentur. Atque hanc prophetiã adducens Iohãnes,Iudæos Chriſti doctrinæ non potuiſſe credere aſſerit quia in eos incũberet hæc Dei maledictio. Neque hoc quoque controuerti poteſt,quos Deus illuminatos non vult,illis doctrinam ſuam enigmatibus inuolutam tradere:nequid inde proficiat,niſi vt in maiorem hebetudinem tradantur. Teſta-
Mat.13.b. 11 tur enim Chriſtus ſe ideo ſolis Apoſtolis ediſſerere parabolas,in quibus apud multitudinem loquutus erat:quia his datum ſit noſſe myſteria regni Dei, vulgo non item. Quid,inquies,ſibi vult Dominus eos docendo,à quibus ne intelligatur curat? Conſidera vnde vitium,& deſines interrogare. In verbo enim qualiſcunque ſit obſcuritas,ſatis tamen ſemper eſt lucis ad conuincendam impiorum conſcientiam.

14 Reſtat nunc vt videamus cur id Dominus faciat quod eum facere palàm eſt. Si reſpõdeatur, ſic fieri quia id impietate, nequitia, ingratitudine ſua meriti ſunt homines: bene id quidem & verè dicetur:ſed quia nondum patet iſtius varietatis ratio,cur aliis in obedientiam flexis,iſti obdurati perſiſtant:in ea excutienda,neceſſariò ad illud quod ex
Rom.9.d.17 Moſe annotauit Paulus tranſeundum erit:nempe quòd ab initio eos excitarit Dominus vt oſtenderet nomen ſuum in vniuerſa terra. Quòd igitur ſibi patefacto Dei verbo non obtemperant reprobi, probè id in malitiã prauitatémque cordis eorum reiicietur, modò ſimul adiiciatur,ideo in hanc prauitatem addictos quia iuſto, ſed inſcrutabili Dei iudicio ſuſcitati ſunt, ad gloriam eius ſua damnatione illuſtrandam. Similiter quum de fi-
1.Sam.2.e.25 liis Heli narratur, quòd non auſcultarũt ſalutaribus monitis, quia voluerit Dominus occidere eos: non negatur contumaciam à propria ipſorum nequitia profectã eſſe: verùm ſimul notatur cur in contumacia deſerti fuerint,quum potuerit eorum corda Dominus emollire: quia ſcilicet eos ſemel exitio deſtinaſſet immutabile eius decretum. Eodẽ per-
Iohã.12. f.38 tinet illud Iohannis,Quum tãta ſigna feciſſet,nemo credidit in eum: vt ſermo Ieſaiæ impleretur,Domine,quis credidit auditui noſtro? Etſi enim à culpa nõ liberat peruicaces, contentus eſt tamen illa ratione, quòd inſipida ſit hominibus Dei gratia,donec Spiritus
Iohã.6.e. 45 ſanctus ſaporem afferat. Et Chriſtus Ieſaiæ vaticinium citans,Erunt omnes docti à Deo, non aliò tẽdit niſi Iudæos eſſe reprobos & ab Eccleſia extraneos:quia ſunt indociles,nec aliam cauſam affert niſi quòd ad eos non pertineat Dei promiſſio. Quod confirmat il-
1.Cor.1.d.23 lud Pauli,Chriſtum,qui Iudæis eſt ſcandalum, & Gẽtibus ſtultitia, eſſe vocatis virtutem & ſapientiam Dei. Nam vbi dixit quid ferè contingat quoties prædicatur Euangelium, nempe vt alios exaſperet,ab aliis ſpernatur,dicit apud ſolos vocatos eſſe in pretio. Paulò antè quidem nominauerat credentes,ſed gratiæ Dei, quæ fidẽ præcedit,noluit gradum ſuum negare: quin potius hoc ſecũdum correctionis vice addidit,vt Dei vocationi fidei ſuæ laudem adſcriberent qui Euangelium amplexi fuerant. Sicuti etiam paulo pòſt docet à Deo electos eſſe. Hæc dum impii audiunt, quiritantur Deum miſeris ſuis creaturis inordinata potentia in ſæuitiæ ſuæ ludum abuti. Sed nos,qui cunctos homines tot nominibus Dei tribunali obnoxios nouimus vt de mille interrogati ne in vno quidem ſatisfacere queant, confitemur nihil pati reprobos quod non iuſtiſſimo Dei iudicio cõueniat. Quòd rationem ad liquidum non aſſequimur, aliquid neſcire nõ recuſemus, vbi ſe Dei ſapientia in ſuam ſublimitatem attollit.

15 At quoniam obiici ſolent pauci Scripturæ loci, quibus videtur negare Deus ſua ordinatione fieri vt iniqui pereant,niſi quo ad ſe reclamante ipſi mortem ſponte ſibi acceſſunt:eos breuiter explicando demonſtremus nihil ſuperiori ſententiæ aduerſari. Pro-
Eze.34.c.11 fertur Ezechielis locus,quòd Deus nolit mortem peccatoris,ſed magis vt conuertatur & viuat. Si hoc ad totum humanum genus extẽdere placet, cur plurimos ad reſipiſcentiam non ſolicitat, quorum animi ad obedientiam magis ſunt flexibiles quàm eorum qui ad
Mat.13. c.23 quotidianas eius inuitationes magis ac magis obdureſcunt? Apud Niniuitas & Sodomitas teſte Chriſto, Euangelii prædicatio & miracula plus fructus attuliſſent quàm in Iudæa. Quî fit ergo,ſi vult Deus omnes ſaluos fieri, vt miſeris, qui ad gratiam recipiendam paratiores eſſent,ianuam pœnitentiæ non aperiat? Hinc videmus violenter torqueri locũ,ſi Dei voluntas, cuius meminit Propheta,opponitur æterno eius conſilio, quo electos diſcreuit à reprobis. Nunc ſi quæritur genuinus Propheræ ſenſus,tãtùm ſpem veniæ reſipiſcentibus facere vult. Atque hæc ſumma eſt, non eſſe dubitandum quin Deus paratus ſit ignoſcere, ſimulac conuerſus fuerit peccator. Ergo eius mortẽ non vult,quatenus vult pœnitentiam. Experientia autem docet,ita velle reſipiſcere quos ad ſe inuitat, vt non tangar

gat omnium corda. Neque tamen ideo dicendum est fallaciter ipsum agere: quia etsi vox externa tantùm inexcusabiles reddit qui eam audiunt, neque obsequuntur, verè tamen censetur testimonium gratiæ Dei quo sibi reconciliat homines. Teneamus ergo Prophetæ consilium, non placere Deo mortem peccatoris: vt confidant pii, simulac pœnitentia tacti fuerint, sibi paratam esse apud Deum veniam: impii verò sentiant duplicari crimen suum, quòd tantæ Dei clementiæ & facilitati non respondent. Pœnitentiæ igitur semper obuia Dei misericordia occurret: sed pœnitentia quibus detur tã omnes Prophetæ quàm Apostoli atque ipse Ezechiel clarè docẽt. Adducitur secũdò Pauli locus, vbi tradit Deum velle omnes saluos fieri: cuius etsi diuersa est quàm superioris ratio, aliquid tamen est commune. Respondeo, primùm ex cõtextu palàm fieri quomodo velit. vtrunque enim copulat Paulus, quòd velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Si hoc æterno Dei consilio fixum esse volunt, vt salutis doctrinam percipiãt: quid sibi vult illud Mosis, Quæ gens est tam inclyta, vt ad eam appropinquet Deus sicut ad te? Quî factum est vt priuauerit Deus Euangelii luce multos populos, qua alii fruebantur? Quî factum est vt nunquam pura doctrinæ pietatis cognitio ad quosdam peruenerit, alii vix obscura quædam rudimenta gustauerint? Hinc iam elicere promptum erit quorsum tendat Paulus. Præceperat Timotheo solennes in Ecclesia precationes pro regibus & principibus concipere. quum autem absurdum nonnihil videretur orationes ad Deum fundi pro genere hominum propè deplorato (quia non tantùm à Christi corpore alieni omnes erant, sed ad regnum eius opprimendum totis viribus enitebantur) subiicit, acceptum id esse Deo, qui velit omnes homines saluos fieri. Quo nihil aliud profectò significat quàm nulli hominum ordini viam ad salutem præclusisse: quin potius misericordiam suam sic effudisse vt nullum eius expertem esse velit. Aliæ sententiæ non declarant quid de omnibus occulto suo iudicio Dominus statuerit: sed paratam denuntiant omnibus peccatoribus veniam, qui modò se ad eam requirendam conuertunt. Nam si tenacius vrgeant quòd dicitur velle misereri omnium, ego contrà excipiam quod alibi scribitur, Deum nostrum esse in cælo, vbi faciat quæcunque velit. Sic ergo exponendum erit hoc verbum, vt cum altero conueniat, Miserebor cuius miserebor, & commiserabor quem fuero miseratus. Qui deligit quos misericordia prosequi debeat, eam nõ omnibus impertitur. Sed vbi clarè apparet non de singulis hominibus, sed de hominũ ordinibus illic agi, facessat longior disputatio. Quanquam simul notandum est, Paulum nõ asserere quid semper & vbique & in omnibus faciat Deus: sed liberum ei relinquere vt reges tãdem & magistratus participes faciat cælestis doctrinæ, quanuis aduersus eam pro cæcitate sua insaniant. Videntur fortius vrgere obiecto Petri loco, Deum neminẽ velle perire, sed omnes recipere ad pœnitentiã. Verùm nodi solutio iam mox in secũdo verbo occurrit: quia voluntas recipiendi ad pœnitentiã non alia intelligi potest nisi quæ passim traditur. Sanè conuersio in Dei manu est. an velit omnes conuertere, interrogetur ipse: dum paucis quibusdam se datarum promittit cor carneum, aliis cor lapideum relinquendo. Verum quidem est, nisi recipere paratus esset qui eius misericordiam implorant, concidere illam sententiam, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. sed dico neminem mortalium ad Deum accedere nisi qui diuinitus præuenitur. Ac, si in hominis arbitrio esset pœnitentia, nõ diceret Paulus, Si fortè det illis pœnitentiam. imò nisi idem Deus qui ad pœnitentiam omnes vocat hortatur, arcano Spiritus motu electos adduceret, non diceret Ieremias, Conuerte me Domine, & conuertar: vbi enim conuertisti me, egi pœnitentiam.

1. Tim. 2. d. 4
Deut. 4. b. 7
Exo. 33. d. 19
Psal. 115. a. 3
Exo. 33. d. 19
Eze. 36. f. 26
Zach. 1. a. 3
2. Tim. 2. d. 25
Iere. 31. c. 18

16 Sed enim (inquies) si ita est, parũ erit fidei promissionibus Euangelicis, quæ quum de voluntate Dei testantur, eum velle asserunt quod inuiolabili eius decreto aduersetur. Minimè verò. quamlibet enim vniuersales sint salutis promissiones, nihil tamen à reproborum prædestinatione discrepant: modò in earum effectum mentem dirigamus. Efficaces nobis tum esse demum promissiones scimus vbi eas fide recipimus: vbi contrà exinanita est fides, simul abolita est promissio. Ea si est natura ipsarum, videamus iam nunquid inter se hæc dissideant, quòd dicitur ab æterno Deus ordinasse quos amore complecti, in quos iram exercere velit: & quòd salutẽ omnibus indiscriminatim denuntiat. Equidem dico optimè conuenire. sic enim promittendo, nihil aliud vult quàm omnibus exposita esse suam misericordiam, qui modò eam expetunt atque implorant. quod non alii faciũt nisi quos illuminauit. Porrò illuminat quos prædestinauit ad salutẽ. His (inquam) constat certa & incõcussa promissionum veritas, vt dici nequeat aliquid esse dissensionis

inter æternam Dei electionem, & quod fidelibus offert gratiæ suæ testimonium. Sed cur omnes nominat? Nempe quo tutius piorum conscientiæ acquiescant, dum intelligunt nullam esse peccatorum differentiam, modò adsit fides: impii autem non causentur sibi deesse asylum, quò se à peccati seruitute recipiãt, dum oblatum sibi ingratitudine sua respuunt. Ergo quum vtriusque Dei misericordia per Euangelium offeratur: fides est, hoc est Dei illuminatio, quæ inter pios & impios distinguit: vt Euangelii efficaciam illi sentiant, hi verò nullum inde fructum consequantur. Illuminatio quoque ipsa electionem Dei
Mat.23.d.37 æternam pro regula habet. Querimonia Christi quam citant, Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare pulios tuos, & noluisti? nihil illis suffragatur. Fateor Christum non tantùm in persona hominis loqui, sed exprobrare quòd seculis omnibus repudiauerint suam gratiam. Sed definienda est illa Dei voluntas de qua agitur. neque enim obscurum est quàm sedulò incubuerit Deus ad retinendum illum populum, & quanta peruicacia à primis ad vltimos vagis suis cupiditatibus dediti collectionem respuerint: sed inde nõ sequitur irritum fuisse consilium Dei hominum malitia. Excipiunt, nihil minus esse consentaneum Dei naturæ quàm vt sit duplex in eo voluntas. Quod ego illis concedo, modò dextri sint interpretes. Sed cur nõ considerãt tot testimonia, vbi Deus humanos affe-
Iesa.65.a.2 ctus induens, infra suam maiestatem descendit? Dicit se protensis brachiis rebellem populum vocasse, manè & serò dedisse operam vt eum ad se reduceret. Hæc omnia si Deo aptare volent, ac figuram negligere, multæ superuacuæ contentiones emergẽt: quas vna hæc solutio componit, quod humanum est ad Deum transferri. Quanquam solutio alibi à nobis adducta abundè sufficit, quanuis multiplex sit Dei voluntas quo ad sensum nostrũ, non tamen eum hoc & illud in se velle, sed pro sapientia sua variè multiplici (vt eam
Ephe.3.b.10 Paulus vocat) attonitos reddere sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle quod nunc videtur esse voluntati eius aduersum. Cauillis etiam ludunt, quum Deus omnium sit pater, iniustum esse vt quenquam abdicet nisi qui sua culpa pœnam hanc antè fuerit promeritus. Quasi verò non vsque ad porcos & canes pateat Dei liberalitas. Quòd si de humano genere agitur, respondeant cur Deus sese deuinxerit vni populo, vt eius esset pater: cur etiam exiguum inde numerum quasi florem decerpserit. Sed conuitiatores istos impedit sua maledicendi libido ne considerent Deum ita so-
Mat.5.g.45 lem suũ producere super bonos & malos vt paucis reposita sit hereditas, quibus olim di-
Mat.25.c.34 cetur, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, &c. Obiiciunt etiam, Deum nihil odisse eorum quæ fecit. quod vt illis concedam, saluum tamen manet quod doceo, reprobos Deo exosos esse, & quidem optimo iure: quia eius Spiritu destituti nihil proferre queunt quàm maledictionis causam. Addunt non esse discrimen Iudæi & Gentilis, ideóque indiscriminatim omnibus proponi Dei gratiam: nempe modò admittant (sicuti de-
Rom.9.e.24 finit Paulus) tam ex Iudæis quàm ex Gentibus Deum pro suo beneplacito vocare, ita vt
Rom.11.d.22 nemini sit obstrictus. Hoc etiam modo quod ex alio loco obtẽdunt diluitur, Deum clausisse omnia sub peccato, vt omnium misereatur: nempe quia omnium qui salui fiunt salutem misericordiæ suæ vult adscribi: quanuis non omnibus sit commune hoc beneficium. Porrò vbi multa vltrò citróque adducta fuerint, sit hæc nobis clausula, ad tantam profunditatem cum Paulo expauescere: quòd si obstrepant petulantes linguæ, non pu-
Rom.9.d.20 De prædest. & grat.ca.2 defieri in hac eius exclamatione, O homo, tu quis es qui litigas cum Deo? Verè enim Augustinus peruersè facere contendit qui iustitiæ humanæ modo diuinam metiuntur.

De resurrectione vltima. CAP. XXV.

2.Tim.1.c.10 Iohã.5.d.24 Ephe.2.d.19, & 2.b.6 Rom.8.c.28 Hebr.11.a.1 2.Cor.5.b.6 Colos.3.a.3 Tit.2.c.12

TSI Christus, sol iustitiæ, morte deuicta per Euangelium illucens, vitam nobis illuminauit, teste Paulo, vnde & credendo dicimur transiisse à morte in vitam, non iam peregrini & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei, qui nos cum ipso vnigenito sedere fecit in cælestibus, vt ad plenam fœlicitatem nihil desit: ne tamen molestum sit nobis exerceri adhuc sub dura militia, ac si nullus victoriæ à Christo partæ fructus constaret, tenendum est quod alibi docetur de spei natura. Quoniam enim speramus quæ non apparent, atque, vt alibi dicitur, fides est demonstratio rerũ inuisibilium: quandiu carnis ergastulo sumus inclusi, peregrinamur à Domino. Qua ratione alibi dicit idem Paulus nos esse mortuos, & vitã nostram cum Christo absconditam esse in Deo: & quum ipse, qui vita nostra est, apparuerit, tunc & nos cum ipso apparituros in gloria. Hæc igitur nostra conditio est, vt sobriè & iustè & piè viuendo in hoc seculo, expectemus beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, &

Seruatoris

Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hîc patientia non vulgari opus eſt, ne defatigati vel retro-
flectamus curſum, vel ſtationem noſtram deſeramus. Itaque quicquid hactenus de ſalute
noſtra expoſitum fuit, mentes in cælum erectas flagitat, vt Chriſtum, quem non vidimus,
diligamus, & in eum credentes exultemus lætitia inenarrabili & glorioſa, donec reporte- 1.Pet.1.b.8
mus finem fidei noſtræ, vt Petrus admonet. Qua ratione Paulus fidem & charitatem pio- Colo.1.a.5
rum reſpicere dicit ad ſpem quæ in cælo eſt repoſita. Quum ita oculis in Chriſtũ defixis
è cælo pendemus, nec quicquam eos moratur in terra quo minus ad promiſſam beatitu-
dinem nos ferant, impletur verè illud, cor noſtrũ eſſe vbi eſt theſaurus noſter. Hinc tam Mat.6.c.21
rara in mundo fides, quòd tarditati noſtræ nihil magis difficile eſt quàm per innumera
obſtacula tranſcendere pergendo ad palmam ſupernæ vocationis. Ad ingentem miſeria-
rum cumulum, quo ferè obruimur, accedunt profanorum hominum ludibria, quibus
impetitur noſtra ſimplicitas: dum bonorum præſentium illecebris ſponte renuntiantes,
videmur beatitudinem, quæ nos latet, quaſi fugitantem vmbram captare. Denique ſur-
ſum & deorſum, à fronte & à tergo violentæ nos tentationes obſident, quibus ſuſtinen-
dis longè eſſent animi noſtri impares, niſi expliciti rebus terrenis, cæleſti vitæ, quæ in ſpe-
ciem procul remota eſt, deuincti eſſent. Quare ille demũ ſolidè in Euangelio profecit qui
ad continuam beatæ reſurrectionis meditationem aſſuefactus eſt.

2 De ſummo fine bonorum anxiè diſputarunt olim philoſophi, atque etiam inter ſe
certarunt: nemo tamen, excepto Platone, agnouit ſummum hominis bonum eſſe eius
coniunctionem cum Deo. qualis autem hæc eſſet, ne obſcuro quidem guſtu ſentire po-
tuit. nec mirũ, vt qui de ſacro illius vinculo nihil didicerat. Nobis vnica & perfecta fœlici-
tas in hac quoque terrena peregrinatione nota eſt: ſed quę ſui deſiderio corda noſtra ma
gis ac magis quotidie accendit, donec plena fruitio nos ſatiet. Ideo dixi ex Chriſti benefi-
ciis fructum non percipere niſi qui ad reſurrectionem animos attollunt. Sicuti hunc ſco-
pum præfigit Paulus fidelibus, ad quem ſe eniti dicit, & omnia obliuiſci, donec eò perue- Philip.3.b.8
niat. Quo nos quoque alacrius eodem cõtendere oportet, ne ſi mundus hic nos occupet
triſtes deſidiæ noſtræ pœnas demus. Proinde alibi fideles inſignit hac nota, quòd eorum Ibidẽ,d.20
conuerſatio in cælis ſit, vnde & ſeruatorem ſuum expectant. Ac ne flacceſcant animis in
hoc curſu, idem illis omnes creaturas adiungit ſocias. Nam quia vbique deformes conſpi-
ciuntur ruinæ, dicit quæcunque in cælo & terra ſunt eniti ad renouationem. Nam quum
Adam ſuo lapſu diſſipauerit integrum naturæ ordinẽ, ſua creaturis ſeruitus, cui propter Rom.8.d.19
hominis peccatum ſubiectæ ſunt, moleſta & grauis eſt: nõ quòd præditæ ſint aliquo ſen-
ſu, ſed quia integrum ſtatum à quo exciderunt, naturaliter appetunt. Gemitum ergo &
parturitionis dolorem illis attribuit Paulus, vt nos, qui primitiis Spiritus donati ſumus,
pudeat in noſtra corruptione tabeſcere, ac non imitari ſaltem mortua elementa, quæ
alieni peccati pœnam ſuſtinent. Quo autem acrius nos pungat, vltimum Chriſti aduen-
tum vocat noſtram redemptionem. Verum quidem eſt, iam completos eſſe omnes reſur-
rectionis noſtræ numeros: ſed quia Chriſtus ſemel oblatus eſt pro peccatis, iterũ abſque Heb.10.c.12
peccato conſpicietur in ſalutem. Quibuſlibet ærumnis præmamur, hæc nos redemptio
ad ſuum vſque effectum ſuſtineat.

3 Studium noſtrum acuet ipſum rei pondus. nec enim Paulus abs re contendit, niſi 1.Cor.15.b.14
mortui reſurgant, totum Euangelium inane & fallax eſſe: quia miſerior eſſet noſtra
quàm aliorum mortalium conditio, vtpote qui multorum odiis & probris expoſiti, in
ſingulas horas periclitamur, imò ſumus quaſi oues mactationi deſtinatæ. ac proinde con-
cideret eius authoritas non vna in parte duntaxat, ſed in tota ſumma, quam & adoptio
& ſalutis noſtræ effectus complectitur. Atque ita in rem maximè omnium ſeriam ſi-
mus attenti vt nulla diuturnitas laſſitudinem afferat. Quo conſilio etiam in hunc locum
diſtuli quod de ea breuiter tractandum erat, vt diſcant lectores, vbi Chriſtum receperint
perfectæ ſalutis authorem, altius aſſurgere, ſciántque cæleſti immortalitate & gloria ve-
ſtitum, vt totum corpus capiti conforme reddatur. Quemadmodum etiam in eius per-
ſona Spiritus ſanctus reſurrectionis exemplum ſubinde proponit. Res eſt creditu diffici-
lis, vbi putredine conſumpta fuerint corpora, tandem ſuo tempore reſurrectura eſſe. Ita-
que quum multi ex philoſophis aſſeuerint immortales eſſe animas, carnis reſurrectio à
paucis probata fuit. in quo etſi nulla fuit excuſatio, inde tamẽ monemur rem eſſe magis
arduam quàm vt hominum ſenſus ad ſe trahat. Quo tantum obſtaculum ſuperet fides,
duo adminicula Scriptura ſuppeditat: alterum eſt in Chriſti ſimilitudine, alterum verò

in Dei omnipotentia. Iam quoties de resurrectione agitur, occurrat Christi imago, qui in
2.Cor.4.c.10 natura quam à nobis sumpserat sic peregit cursum mortalis vitæ vt nunc immortalitatem adeptus, sit nobis pignus futuræ resurrectionis. Nam in miseriis quibus obsidemur mortificationem eius circunferimus in carne nostra, vt vita eius manifestetur in nobis. Et separare eum à nobis non licet, ac ne possibile quidem est quin laceretur. Vnde illa Pauli
1.Cor.15.b.13 ratiocinatio, Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: quia scilicet confessum illud principium sumit, Christum non sibi priuatim morti fuisse subiectum, vel de morte adeptum esse victoriam resurgẽdo, sed inchoatum fuisse in capite quod impleri in omnibus membris necesse est, secundum cuiusque gradum & ordinem. Nam ei per omnia
Psal.16.b.10 æquari ne rectum quidem esset. Dicitur in Psalmo, Non permittes manſuetum tuum videre corruptionem. Huius fiduciæ portio etsi ad nos pertinet secundum mensuram donationis, solidus tamẽ effectus nonnisi in Christo apparuit, qui immunis ab omni putredine, integrum corpus recepit. Iam ne ambigua sit nobis beatæ cum Christo resurrectio-
Philip.3.d.21 nis societas, vt hoc pignore simus contenti, disertè affirmat Paulus ideo sedere in cælis & venturum vltimo die iudicem, vt corpus nostrum humile & abiectum configuret corpori suo glorioso. Alibi etiam docet, Deum non suscitasse Filium à morte, vt specimẽ vnum ederet suæ virtutis: sed vt eandem erga nos fideles Spiritus efficaciam exerat: quem ideo vitam appellat, dum habitat in nobis, quia in hunc finẽ datus est vt quod in nobis mortale est viuificet. Compendio perstringo quæ & vberius tractari possent, & merentur splendidius ornari: & tamen in paucis verbis satis materiæ pios lectores reperturos confido quod ad fidem eorum ædificandam sufficiat. Resurrexit ergo Christus vt nos haberet socios futuræ vitæ. Suscitatus est à Patre, quatenus erat Ecclesiæ caput, à qua nullo modo patitur diuelli. Suscitatus est virtute Spiritus, qui nobis ad viuificandi munus communis est. Denique suscitatus est vt esset resurrectio & vita. Sicut autem diximus in hoc speculo conspicuam nobis esse viuam resurrectionis imaginem, ita sit nobis ad fulciẽdos animos nostros firma hypostasis, modò ne longioris moræ nos tædeat vel pigeat: quia nostrum non est proprio arbitrio temporum articulos metiri, sed patienter quiescere, dum pro sua
1.Cor.15.d.23 opportunitate Deus regnum suum instauret. Quò spectat illa Pauli exhortatio, Primitiæ Christus: deinde qui Christi sunt: quisque suo ordine. Cæterùm nequa de Christi resurrectione, in qua fundata est nostra omniũ, moueretur quæstio, videmus quot & quàm variis modis illam nobis testatam fecerit. Ridebunt nasuti homines quasi puerile ludicrum, quæ ab Euangelistis refertur historiam. Cuius enim momenti erit nuntius quem pauidæ mulierculæ perferunt, & deinde confirmant discipuli ferè exanimes? Cur non potius in medio templo & foro illustria victoriæ suæ trophæa Christus statuit? Cur non formidabilis prodit in conspectum Pilati? Cur non etiam rediuiuum se sacerdotibus & toti Hierosolymæ probat? Testes verò quos seligit vix idoneos esse concedẽt homines profani. Respondeo, quanquam in illis exordiis contemptibilis fuerit eius infirmitas, admirabili tamen Dei prouidentia hoc totum fuisse gubernatum: vt qui nuper metu exanimati fuerant, eos partim amor Christi & pietatis zelus, partim sua incredulitas ad sepulchrum raperet: non tantùm vt oculati essent rei testes, sed vt audirent idem ex Angelis quod oculis cernebant. Quomodo suspecta erit nobis eorum fides qui fabulam esse putarunt quod audierant ex mulieribus, donec in rem præsentem sunt adducti? Totũ verò populum, & ipsum præsidem, postquam satis supérque conuicti fuerant, nihil mirum est tam Christi
Mat.27.g.66,& 28.b.11 aspectu quàm aliis signis fuisse priuatos. Obsignatur sepulchrum, custodes excubias agũt, non reperitur tertio die corpus. Pecunia corrupti milites rumorẽ spargunt fuisse à discipulis subreptum. Quasi verò vel turmæ cogendæ facultas esset, vel arma suppeterent, vel etiam ad tale facinus audendum exercitati essent. Quòd si militibus satis non erat animi ad illos abigendos, cur non persequuti sunt, vt ope plebis adiuti aliquos deprehenderẽt? Verè ergo annulo suo Pilatus Christi resurrectionem obsignauit: & qui appositi fuerunt ad sepulchrum custodes, tacendo vel mentiendo eiusdem resurrectionis præcones facti
Luc.24.a.6 sunt. Interea personuit vox Angelorum, Surrexit: non est hîc. Splendor cælestis non ho-
Ibidem,f.38 mines sed Angelos esse palàm ostẽdit. Postea Christus ipse quid dubitationis adhuc hęrebat, sustulit. Viderunt eum non semel discipuli, atque etiam pedes & manus palparũt,
Act.1.a.3,& b.9 & eorum incredulitas non parum ad confirmandam fidem nostram profuit. Differuit interea eos de mysteriis regni Dei, tandem ipsis videntibus ascendit in cælum: nec vndecim
1.Cor.15.a.6 modò Apostolis exhibitum fuit hoc spectaculum, sed plusquam quingẽtis fratribus simul

visus

visus est. Iam misso Spiritu sancto certum documentum edidit non tãtùm vitæ, sed etiam summi imperii: sicuti prædixerat, Expedit vobis vt abeam, alioqui Spiritus sanctus nõ veniet. Iam verò Paulus non mortui virtute prostratus est in itinere, sed eum quem oppugnabat, summa potentia pollere sensit. Stephano apparuit in alium finem, vt vitæ certitudine mortis timorem vinceret. Tot ac tam authẽticis testimoniis fidem derogare, non diffidentiæ est, sed prauæ adeóque furiosæ obstinationis. Iohã.16.a.7 Act.9.a.4 Act.7.g.55

4 Quod diximus in probanda resurrectione sensus nostros oportere dirigi ad immensam Dei potẽtiam, hoc breuiter docet Paulus, Vt corpus nostrum abiectum (inquit) conforme reddat corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua potest sibi subiicere omnia. Quare nihil minus consentaneum quàm hîc respicere quid naturaliter fieri possit, vbi inæstimabile miraculum nobis proponitur, quod sensus nostros sua magnitudine absorbet. Paulus tamen, proposito naturæ documento, socordiam eorum coarguit qui resurrectionem negant. Stulte (inquit) quod seminas nõ vegetatur, nisi prius moriatur, &c. In semente resurrectionis speciem cerni dicit, quia ex putredine nascitur seges. Nec verò res tam difficilis esset creditu si ad miracula quæ se per omnes mũdi plagas oculis nostris ingerunt, attenti vt par est essemus. Cæterum meminerimus, neminem de futura resurrectione verè esse persuasum nisi qui in admirationem raptus, Dei virtuti suam dat gloriam. Hãc fiducia elatus Iesaias exclamat, Viuent mortui tui: cadauer meum resurget. Expergiscimini & laudate habitatores pulueris. Rebus desperatis sese attollit ad Deum vitæ authorem, penes quem sunt exitus mortis, vt dicitur in Psalmo. Iob etiam cadaueri similior quàm homini, fretus Dei potentia, non dubitat quasi integer ad diem illum se attollere, Scio quod redemptor meus viuit: & in nouissimo die surget super pulueren (nempe vt suam potentiam illic exerat) & rursum, circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, visurus sum ipse, & non alius. nam etsi quidam subtilius detorquent locos istos, acsi de resurrectione exponi non deberent, confirmant tamen quod euertere cupiunt: quia non aliunde sancti viri solatium petunt in suis malis quàm ex resurrectionis similitudine. Quod melius ex loco Ezechielis cognoscitur. nam quum promissionem reditus Iudæi respuerẽt, ac obiicerent, nihilo magis esse probabile sibi aperiri viam quàm mortuos exire è sepulchro, visio Prophetæ offertur campi pleni ossibus aridis: ea iubet Deus carnem & neruos recipere. Quãquam sub figura illa populum ad spem reditus erigit, materiam tamen sperandi sumit ex resurrectione: sicuti nobis præcipuum est exemplar liberationum omnium quas sentiunt fideles in hoc mundo. Sic Christus, postquam vocem Euangelii viuificam esse docuit: quia hoc non recipiebant Iudæi, mox addit, Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui sunt in monumentis, audient vocem Filii Dei, & prodibunt. Ergo exemplo Pauli alacriter iam triumphemus inter medias pugnas, quòd potẽs sit qui nobis promisit futuram vitam, seruare depositum: atque ita gloriemur repositam esse nobis coronam iustitiæ, quam reddet nobis iustus iudex. Sic fiet vt quicquid molestiarum perpetimur, ostensio nobis sit futuræ vitæ, quia Dei naturæ conuenit rependere afflictionem impiis qui nos affligunt, nobis verò qui iniustè affligimur, requiem, in manifestatione Christi cum Angelis potentiæ suæ, in flamma ignis. Sed tenendum est quod paulo pòst adiungit, venturum vt glorificetur in sanctis suis, & admirabilis fiat in omnibus qui crediderunt, quia fides habita fuerit Euangelio. Phili.3.d.20 Eze.37.b.2 Iohã.5.c.28 2.Tim.4.b.8

5 Etsi autem hominum mẽtes in hoc studio assiduè occupari decebat: quasi tamen data opera abolere vellent omnem resurrectionis memoriam, mortem vocarunt lineam rerum omnium, & interitum hominis. Nam certè de communi & recepta opinione loquitur Solomo, quum dicit canem viuum meliorem esse mortuo leone. Et alibi, Quis scit an hominis anima ascendat sursum, & anima iumenti descendat deorsum? Omnibus autem seculis grassatus est hic brutus stupor, adeóque in ipsam Ecclesiã perrupit: quia palàm ausi sunt profiteri Sadducæi nullam esse resurrectionem, imò animas esse mortales. Sed nequem leuaret crassa hæc ignorantia, ipso naturæ instinctu increduli semper effugiem resurrectionis habuerunt ante oculos. Quorsum enim sacer & inuiolabilis mos sepeliendi, nisi vt arrha esset nouæ vitæ? Neque excipere licet, ex errore hoc esse natum: quia & sepulturæ religio apud sanctos Patres semper viguit, & Deus apud Gentes manere voluit eundem morem, vt obiecta resurrectionis effigies, earum torporem expergefaceret. Quanuis autem profectu caruerit ceremonia illa, vtilis tamen nobis est si prudenter finẽ spectamus: quia non leuis est incredulitatis refutatio, omnes simul professos esse Eccles.9.b.4 Eccle.3.d.21 Mar.12.b.18 luc.20.e.27 act.2.b.8

quod nemo credebat. Atqui non modò obstupefecit Satã hominum sensus, vt sepelirent vnà cum corporibus resurrectionis memoriam: sed partem hanc doctrinæ variis figmentis corrumpere molitus est, vt tandem intercideret. Omitto quòd iam Pauli tẽpore eam conuellere cœpit: sed paulo pòst sequuti sunt Chiliastæ, qui mille annis finierunt Christi regnum. Ac eorum quidem commẽtum puerilius est quàm vt refutatione vel indigeat,
Apo.20. a.4 vel dignum sit. Nec illis suffragatur Apocalypsis, ex qua errori suo colorẽ induxisse certum est: quando in millenario numero non agitur de æterna Ecclesiæ beatitudine, sed tantùm de variis agitationibus quæ Ecclesiam adhuc in terris laborantẽ manebant. Cæterùm tota Scriptura clamat finem nullum fore nec electorum beatitudini nec reproborum supplicio. Omnium porrò rerum quæ & conspectum nostrũ fugiunt, & mentis captum longè superant, aut fides ex certis Dei oraculis petenda est, aut prorsus abiicienda. Qui mille annos assignant filiis Dei, ad futuræ vitæ hereditatem fruendam, non animaduertunt quantam contumeliã inurant & Christo & eius regno. Nã si immortalitate non induentur, ergo nec Christus ipse, ad cuius gloriam transformabuntur, in gloriã immortalem receptus est. si aliquem habebit finem eorum beatitudo, ergo regnum Christi, cuius soliditati innititur, temporarium est. Denique aut imperitissimi sunt rerum omnium diuinarum, aut obliqua malignitate totam Dei gratiam Christique virtutem labefactare moliuntur: quarum complementum nõ aliter constat nisi obliterato peccato, & absorpta morte, vita æterna ad plenum instauretur. Quàm verò stolidè ineptiant qui timent nimiam Deo sæuitiam adscribere si æternis pœnis reprobi addicantur, vel cæcis perspicuum est. Scilicet iniurius erit Dominus, si regno suo priuauerit qui eo se indignos per ingratitudinem reddiderint. At peccata eorum temporaria sunt. Fateor. sed Dei maiestas atque etiam iustitia, quam peccando violarunt, æterna est. Meritò igitur nõ perit iniquitatis memoria. At ita pœna modum excedet delicti. Hæc verò est nõ ferenda blasphemia, dum tam paruo æstimatur Dei maiestas, dum non pluris fit eius contemptus quàm animæ vnius exitium. Sed omittamus nugatores istos, ne contrà quàm præfati sumus, videamur eorum deliramenta refutatione digna iudicare.

6 Duo præter hæc deliria inuecta sunt ab hominibus perperam curiosis. Alii putarũt, quasi totus homo intereat, animas resurrecturas cum corporibus: alii, quum immortales esse spiritus concedant, nouis corporibus indutum iri: quo negãt carnis resurrectionem. De priore quoniam aliquid attigi in creatione hominis, satis mihi erit monere iterum lectores quàm beluinus sit error, ex spiritu ad imaginem Dei formato flatum euanidum facere, qui in hac tantùm caduca vita corpus vegetet: & templum Spiritus sancti redigere in nihilum: eam denique partem nostri, in qua maximè refulget diuinitas, & insignes sunt immortalitatis notæ, hac dote spoliare: vt melior atque excellentior sit corporis conditio quàm animæ. Longè aliter Scriptura, quæ corpus tugurio comparat ex quo nos migrare dicit quum morimur: quia ab ea parte nos æstimat quæ nos à brutis animali-
2.Pet.1.c.14 bus discernit. Sic Petrus morti propinquus dicit tempus venisse quo tabernaculũ suum
2.Cor.5.a.1 deponat. Paulus verò de fidelibus loquens, postquam dixit, Vbi terrestris domus nostra dissoluta fuerit, nobis esse ædificium in cælis: adiungit nos peregrinari à Domino quãdiu manemus in corpore, sed expetere Dei præsentiam in absentia corporis. Nisi superstites essent animæ corporibus, quid est quod habet Deum præsentem vbi est à corpore separatum? Dubitationẽ verò tollit Apostolus, dum tradit nos esse aggregatos ad spiritus iu-
Heb.12.f.23 storum. quibus verbis intelligit, nos sociari sanctis Patribus, qui etiam mortui eandẽ pietatem nobiscum colunt, vt non possimus esse Christi mẽbra nisi cum ipsis coalescamus. Nisi etiam animæ corporibus exutæ retinerent suam essentiam, ac beatæ gloriæ capaces
Luc.23.f.43 essent, nõ dixisset Christus latroni, Hodie mecum eris in paradiso. Tam claris testimoniis
Ibidem,46 freti, ne dubitemus, Christi exemplo, morientes Deo commendare animas nostras: vel,
Act.7.g.59 exemplo Stephani, tradere Christo in custodiam, qui non temere vocatur fidelis earum
1.Pet.2. d.25 pastor & episcopus. Porrò de intermedio earum statu curiosius inquirere neque fas est, neque expedit. Valde se torquent multi disputando quem locum occupent, & an cælesti gloria iam fruantur nécne. Atqui stultum & temerariũ est de rebus incognitis altius in-
Mat.5.a.8. d.26 quirere quàm Deus nobis scire permittat. Scriptura, vbi dixit Christum illis præsentem
Iohã.12.e.32 esse, & eas recipere in paradisum, vt consolationem percipiant, reproborum verò animas cruciatus quales meritæ sunt perpeti, nõ vltrà progreditur. quis iam doctor aut magister quod Deus celauit nobis patefaciet? De loco nõ minus inepta & futilis est quæstio: quãdo scimus

ſcimus non eam eſſe animæ dimenſionem quam corporis. Quòd ſinus Abrahæ dicitur beata ſanctorum ſpirituũ collectio, nobis abundè eſt ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium Patre, vt nobiſcum fidei ſuæ fructum cõmunicet. Interea quùm Scriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Chriſti, & gloriæ coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis: animas piorũ militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum fœlici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant: atque ita omnia teneri ſuſpenſa donec Chriſtus appareat redemptor. Reprobis verò eandem eſſe ſortem dubium non eſt quam Iudas Diabolis aſſignat, vinctos catenis teneri, donec ad ſupplicium cui addicti ſunt trahantur. Iudæ 2.6

7 Æquè prodigioſus eſt eorum error qui animas nõ recepturas quibus nunc induitæ ſunt corpora, ſed nouis & aliis præditas fore imaginantur. Ac Manichæorum quidem perquàm futilis ratio fuit, minimè conſentaneum eſſe vt caro quæ immũda eſt, reſurgat. Quaſi verò nulla ſit animarum immundities: quas tamen à ſpe cæleſtis vitæ non arcebant. Perinde igitur fuit acſi dicerẽt, purgari diuinitus non poſſe quod peccati labe infectum eſt. nam illud delirium, quòd naturaliter immunda eſſet caro, quia à Diabolo creata, nunc prætereo. Tantùm oſtendo, quicquid nunc cælo indignum in nobis eſt, reſurrectioni non obſtare. Atqui primò quum iubeat Paulus fideles ſe mundare ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, inde ſequitur quod alibi denuntiat iudicium, vt reportet vnuſquiſque per corpus ſiue bonum ſiue malum. Cui conſentit quod ſcribit ad Corinthios, vt vita Ieſu Chriſti manifeſtetur in carne noſtra mortali. Qua ratione alibi non minus precatur vt Deus integra corpora conſeruet vſque ad diem Chriſti, quàm animas & ſpiritus. Nec mirum: quia corpora quæ ſibi in templa dicauit Deus, in putredinem ſine ſpe reſurrectionis decidere, abſurdiſſimum eſſet. Quid quòd etiam membra ſunt Chriſti? Quid quòd ſingulas eorum partes ſibi Deus ſanctificari præcipit? quòd vult linguis nomen ſuum celebrari, tolli ad ſe puras manus, ſacrificia offerri? Quam igitur hominis partem tam præclaro honore dignatur cæleſtis iudex, cuius amentiæ eſt ab homine mortali in puluerem redigi abſque vlla ſpe inſtaurationis? Similiter Paulus, quum nos ad ferendum Dominum hortatur tam in corpore, quàm in anima, quia vtrũque Dei eſt: non patitur certè quod Deo tanquam ſacrum vendicat, æternæ putredini adiudicari. Nec verò vlla de re clarior ſuppetit Scripturæ definitio, quàm de carnis quam geſtamus reſurrectione. Oportet, inquit Paulus, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Si noua corpora formaret Deus, vbi hæc qualitatis mutatio? Si dictum eſſet, oportere nos renouari, ambigua loquutio fortè occaſionem cauillo dediſſet: nunc vbi corpora, quibus ſumus circundati, digito monſtrans, incorruptionẽ illis promittit, noua fabricari ſatis apertè negat. Imò magis expreſſè (inquit Tertullianus) non poterat loqui, niſi cutem ſuam manibus teneret. Nec vllo cauillo effugient quod alibi Chriſtum fore mundi iudicem dicens, Ieſaiæ teſtimonium citat, Viuo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu: quando apertè obnoxios ad rationem vitæ reddẽdam quos alloquitur fore denuntiat. Quod non quadraret ſi noua corpora ad tribunal ſiſterentur. Porrò in verbis Danielis nihil eſt perplexũ, Multíque dormientium in terra pulueris expergiſcentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobria, & ad contemptum ſempiternum: quando non ex quatuor elementis nouã materiam ad conflãdos homines, ſed ex ſepulchris mortuos euocat. Atque hoc dictat aperta ratio. Nã ſi mors, quæ originem habet à lapſu hominis, accidentalis eſt: inſtauratio, quam attulit Chriſtus, ad idem illud corpus pertinet quod mortale eſſe cœpit. Et ſanè quòd rident Atheniẽſes dum aſſeritur à Paulo reſurrectio, hinc colligere licet qualis eius prædicatio fuerit: ac omnino riſus ille non parum ad confirmandam fidem noſtram valet. Digna etiam obſeruatu eſt Chriſti ſententia, Nolite metuere eos qui occidunt corpus, animã occidere non poſſunt: ſed eum metuite qui poteſt & animã & corpus perdere in gehennã ignis. Neq; enim timẽdi cauſa, niſi ſupplicio obnoxium eſſet quod nũc geſtamus corpus. Nec verò obſcurior eſt altera eiuſdẽ Chriſti ſententia, Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocẽ Filii Dei: & prodibunt qui bona fecerũt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionẽ iudicii. An dicemus animas in ſepulchris quieſcere, vt illinc Chriſtum exaudiant? ac non potius ad eius imperiũ corpora in vigorem à quo exciderant reditura? Adhæc ſi nouis corporibus donandi ſumus, vbi capitis & membrorum conformitas? Reſurrexit Chriſtus: an nouũ ſibi corpus fingẽdo? imò, vt prædixerat, Deſtruite tem- Rom.14.b.11 Ieſa.49.e.18 Dan.12.a.2 Mat.10.c.28 Ioha.5.e.28 Ioha.2.c.19

plum hoc,& triduo erigam illud.Quod prius gestauerat mortale corpus,iterum recepit. neque enim multum nobis profuisset,subrogato nouo corpore,aboleri illud quod in sacrificium expiationis oblatum fuerat. Tenenda est etiam illa societas quam prædicat
1.Cor.15.b.12 Apostolus,Nos resurgere,quia Christus resurrexit.quia nihil minus probabile quàm vt priuetur Christi resurrectione caro nostra, in qua circũferimus mortificationem ipsius
Mat.27.f.52 Christi. Quod quidem illustri documẽto patuit, dum resurgente Christo multa corpora Sanctorum exierunt è sepulchris.Neque enim negari potest,hoc vltimæ quam speramus resurrectionis præludium fuisse, vel potius arrham: qualis antè in Henoch & Elia iam extabat:quos Tertullianus resurrectionis cãdidatos vocat:quia corpore & anima à corruptione exempti,in Dei custodiam recepti fuerint.

8 Pudet me in re tam clara tantum verborum consumere:sed hanc molestiam placidè mecum vorabunt lectores, nequa rima ad decipiendos simplices peruersis & audacibus ingeniis pateat.Cerebri sui commentum proferunt volatici spiritus quibuscum nũc disputo: in resurrectione nouorum corporum fore creationem.Qua ratione impulsi ita sentiunt, nisi quia incredibile illis videtur, cadauer tam longa putredine consumptum posse in pristinum statum redire? Ergo sola illis incredulitas huius sententiæ est mater. Nos contrà Spiritus Dei ad sperandam carnis nostræ resurrectionem in Scriptura passim
Colos.2.b.12 hortatur.Hac ratione Baptismus,teste Paulo, sigillũ nobis est futuræ resurrectionis: nec minus sacra Cœna ad eius fiduciam nos inuitat, dum symbola Spiritualis gratiæ ore per-
2.Co.6.a.4.7 cipimus.Et certè tota Pauli exhortatio,Vt membra nostra exhibeamus arma in obedien-
Rom.8.c.11 tiam iustitiæ,frigeret,nisi accederet quod postea subiungit,Qui suscitauit Christũ à mortuis,viuificabit & mortalia corpora vestra. Quid enim iuuaret, applicare pedes, manus, oculos & linguas in obsequium Dei,nisi fructus & mercedis essent participes? Quod suis
1.Cor.6.c.13, d.15.19 verbis apertè confirmat Paulus, Corpus non scortationi,sed Domino: & Dominus corpori. Qui verò suscitauit Christum, & nos suscitabit per virtutem suam. Clariora sunt quæ sequuntur, ea esse templa Spiritus sancti & membra Christi. Interea videmus vt resurrectionem cum castitate & sanctimonia coniungat: sicuti paulo pòst pretium re-
Gal.6.d.17 demptionis ad corpora extendit. Iam rationi consentaneum non esset, Pauli corpus, in quo stigmata Christi portauit, & in quo magnificè Christum glorificauit, orbari coro-
Phili. 3. d.21 næ præmio. Vnde & illa gloriatio,Expectamus redemptorem è cęlis,qui corpus nostrum abiectum, conforme reddet corpori claritatis suæ.Ac si verum est illud, per multas afflic-
Act.14. d.22 tiones oportere nos ingredi in regnum Dei, ab hoc ingressu corpora prohibere nulla ratio sustinet, quæ & sub crucis vexillo exercet Deus, & victoriæ laude ornat. Itaque nulla eius rei dubitatio inter Sanctos orta est quin se Christi comites fore sperarent: qui omnes quibus probamur afflictiones in personam suam transfert,vt viuificas esse doceat. Imò & sanctos Patres sub Lege, externa ceremonia Deus in hac fide exercuit. Quorsum enim sepeliendi ritus, sicuti antè visum est, nisi vt reconditis corporibus scirent paratam esse nouam vitam? Huc aromata quoque, aliáque immortalitatis symbola spectarunt,quibus sub Lege adiuta fuit non aliter quàm sacrificiis, doctrinæ obscuritas. Nec morem illum peperit superstitio: quando videmus Spiritum in narrandis sepulturis non minus diligenter insistere quàm in præcipuis fidei mysteriis. Et Christus offi-
Mat.26.a.10 cium hoc tanquam non vulgare commendat, non alia certè de causa nisi quia à sepulchri, quod omnia corrumpit & abolet, intuitu in spectaculum renouationis oculos attollit. Præterea tam sedula obseruatio ceremoniæ quæ laudatur in Patribus, satis cõprobat rarum illis fuisse & pretiosum fidei adminiculum. Neque enim adeò solicitè curas-
Gen.23.a.4, & d.19 set Abraham vxoris sepulchrum, nisi religio illi proposita fuisset ante oculos, & vtilitas mundo superior,nempe vt mortuum vxoris corpus insignibus resurrectionis exornans, suam & familiæ fidem confirmaret. Clarior verò huius rei probatio eminet in exemplo
Ge.47.g.30 Iacob, qui vt posteris testetur ne morte quidem spem terræ promissæ animo suo excidisse, iubet ossa sua illuc referri. Quæso, si nouo corpore induendus erat,nónne ridiculum dedisset mandatum de puluere in nihilum redigendo? Quare siqua apud nos viget Scripturæ authoritas, nullius doctrinæ clarior vel certior deriderari potest probatio. Hoc ipsum pueris sonãt resurrectionis & suscitãdi voces.neque enim resurgere dicemus quod
Iohã.6. d.39 nunc primùm creatur: nec staret illud Christi, Quicquid dedit mihi Pater non peribit, sed suscitabo illud in nouissimo die. Eódem tendit dormiendi verbum, quod nonnisi in corpora cõpetit. Vnde & cœmeteriis nomen impositum. Superest vt de resurrectionis

modo

modo aliquid delibem. Hoc verbo vtor: quia Paulus myſterium vocans, ad ſobrietatem nos hortatur,& liberius argutiúſque philoſophandi licentiam frænat. Primò tenendum eſt quod diximus,nos in eadem quam geſtamus carne reſurrecturos quoad ſubſtantiam: ſed qualitatem aliam fore. ſicuti quum eadem Chriſti caro quæ in victimam oblata fuerat,ſuſcitata fuerit,aliis tamẽ dotibus excelluit acſi alia prorſus foret. Quod Paulus familiaribus exemplis declarat. Nam ſicut humanæ & belluinæ carnis eadem eſt ſubſtantia, non qualitas:ſtellis omnibus eadem eſt materia,claritas diuerſa: ita quanquam retinebimus ſubſtantiam corporis,mutationẽ fore docet:vt longè præſtantior ſit conditio. Corpus ergo corruptibile, vt ſuſcitemur,non peribit nec euaneſcet: ſed induet,depoſita corruptione, incorruptionem. Quoniam verò elementa Deus omnia præſto habet ad ſuum nutũ,nulla eum difficultas impediet quominus & terræ & aquis & igni imperet,vt quod videtur ab illis conſumptum reddant. Quod etiam, licet non abſque figura,Ieſaias teſtatur,Ecce Dominus egredietur de loco ſuo vt viſitet iniquitatem terræ: & terra diſcoperiet ſanguinem ſuum,neque teget amplius interfectos ſuos. Sed notandum eſt diſcrimen inter eos qui pridem mortui fuerint, & quos dies ille ſuperſtites reperiet. Neque enim omnes dormiemus(teſte Paulo)ſed omnes immutabimur: hoc eſt,neceſſe non erit diſtãtiam temporis inter mortem & initium ſecundæ vitæ intercedere: quia in puncto temporis & nictu oculi penetrabit clãgor tubæ qui mortuos excitet incorruptibiles, & viuos ſubita mutatione reformet in eandem gloriam. Sic alibi fideles quibus mors obeunda eſt conſolatur: quia non præuenient mortuos qui tunc erunt ſuperſtites, quin potius reſurgent priores qui dormierunt in Chriſto.Siquis obiiciat illud Apoſtoli,ſtatutum eſſe cunctis mortalibus ſemel mori:facilis ſolutio eſt,vbi mutatur naturæ ſtatus,ſpeciem eſſe mortis, & appoſitè ſic nominari: ac proinde hæc inter ſe conueniunt, morte renouatum iri omnes dum exuent mortale corpus: non fore tamen neceſſarium corporis & animæ diſſidium vbi erit ſubita immutatio.

Ibidẽ,c.39

Ieſa.26.d.21

1.Cor.15.g.51

1.The.4.d.15

Heb.9.g.27

9 Sed hîc difficilior quæſtio exoritur, Quo iure cõmunis ſit impiis & à Deo maledictis reſurrectio,quæ ſingulare eſt Chriſti beneficium.Scimus omnes in Adam morti fuiſſe addictos:venit Chriſtus reſurrectio & vita:an vt promiſcuè totum genus humanum viuificet:Sed quid minus cõſentaneum quàm eos in obſtinata ſua cæcitate conſequi, quod ſola fide recuperant pii Dei cultores? Manet tamen illud fixum, aliam fore iudicii, aliam vitæ reſurrectionem, & Chriſtũ venturum vt ſegreget agnos ab hœdis. Reſpondeo, non debere videri tam inſolitum, cuius ſimilitudinem in quotidiano vſu cernimus. Nos totius mundi hereditate ſcimus in Adã fuiſſe priuatos: nec minus æqua ratione ab alimentis communibus nos arceri,quàm ab eſu arboris vitæ. Vnde igitur fit vt Deus non ſolùm oriri faciat ſolem ſuum ſuper bonos & malos,ſed quoad præſentis vitæ vſus,inæſtimabilis eius liberalitas larga copia aſſiduè profluat? Hinc certè cognoſcimus, quæ propria ſunt Chriſti & membrorum eius,ad impios quoque exũdare: non vt legitima ſit poſſeſſio,ſed quo magis reddantur inexcuſabiles. Sic Deum impii ſæpe experiuntur beneficum, non vulgaribus documentis,ſed quæ omnes piorum benedictiones interdum obſcurent, illis tamen cedant in maiorem damnationem. Siquis excipiat, caducis & terrenis beneficiis reſurrectionem non aptè conferri:hîc quoque reſpõdeo,vbi primùm alienati ſunt à Deo vitæ fonte, Diaboli interitum fuiſſe promeritos quo prorſus abolerentur: admirabili tamen Dei conſilio repertum fuiſſe medium ſtatum,vt extra vitam in morte viuerent. Nihilo abſurdius videri debet,ſi accidentalis eſt impiis reſurrectio quæ inuitos trahat ad tribunal Chriſti,quem nunc audire magiſtrum & doctorem recuſant.Leuis enim eſſet pœna,morte abſumi,niſi pœnas ſuæ contumaciæ daturi coram iudice ſiſterentur,cuius in ſe vindictam ſine fine & modo prouocarunt. Cæterùm quanquam tenendum quod diximus, & quod celebris illa Pauli cõfeſſio apud Felicem continet,ſe futuram expectare reſurrectionem iuſtorum & impiorum:ſæpius tamen Scriptura reſurrectionem ſolis Dei filiis vnà cum cæleſti gloria proponit: quia non venit propriè Chriſtus in mundi exitium, ſed in ſalutem. Ideo & in ſymbolo ſola fit mentio beatæ vitæ.

Mat.25.d.32

Mat.5.g.45

Act.24.d.15

10 Quoniam autem tum demum implebitur Prophetia de abſorpta per victoriam morte,ſemper nobis in mentem veniat æterna fœlicitas, reſurrectionis finis: de cuius excellentia ſi omnia dicta fuerint quibus omnium hominum linguæ ſufficiant, vix tamen infima eius particula delibata fuerit.Nam vtcunque verè audiamus,regnũ Dei claritate, gaudio,fœlicitate,gloria fore refertum:illa tamen quæ nominantur,à ſenſu noſtro remo-

Oſe.13.d.14
1.cor.15.g.44

tissima & quasi ænigmatibus inuoluta manent, donec venerit dies ille, quo nobis suam
1.Ioh.3.a.2 gloriam ipse facie ad faciem conspiciendam exhibebit. Scimus nos esse Dei filios(inquit Iohannes)sed nondum apparuit. Vbi autem similes ei erimus,videbimus eum qualis est. Quamobrem Prophetæ, quia spiritualem illam beatitudinem in seipsa nullis verbis exprimere poterant,sub rebus corporeis eam ferè delinearunt.Quia tamen rursum aliquo suauitatis illius gustu accendi in nobis desiderii feruorem oportet,in hoc præcipuè cogitando immoremur,Si Deus bonorum omnium plenitudinẽ,ceu fons quidam inexhaustus,in se continet: nihil vltra eum expetendum iis qui ad summum bonũ & omnes fœ-
Gen.15.a.2 licitatis numeros contendunt.sicuti pluribus locis docemur. Abraham,ego merces tua
Psal.16.b.6 magna valde.Cui sententiæ succinit Dauid,Portio mea Iehoua: sors mihi præclarè ceci-
Psal.17.d.15 dit.Item alibi,Satiabor vultu tuo. Atqui Petrus denuntiat in hoc vocatos fideles vt diui-
2.Pet.1.a.4 næ fiant cõsortes naturæ:Quomodo istud?Quia glorificabitur in omnibus sanctis suis,& admirabilis fiet in iis qui crediderunt.Si Dominus gloriam, virtutem, iustitiam suã cum electis participabit, imò seipsum illis fruendũ dabit,& quod præstantius,quodammodo in vnũ cũ ipsis coalescet: meminerimus sub hoc beneficio omne fœlicitatis genus contineri. Et quum multum in hac meditatione profecerimus, recognoscamus tamen nos in imis adhuc radicibus subsidere,si mentis nostræ conceptio cum mysterii huius sublimitate conferatur. Quo nobis in hac parte magis colẽda est sobrietas, ne moduli nostri immemores, quo maiore audacia in sublime transuolabimus, fulgor cælestis gloriæ nos obruat.Sentimus etiam vti immodica cupido plusquam fas est sciendi nos titillet.vnde subinde & friuolæ & noxiæ quæstiones scaturiunt. friuolas voco, ex quibus nulla potest elici vtilitas.Sed hoc secundum deterius,quòd qui sibi in illis indulgent,pernicios speculationibus sese implicant.quamobrem voco noxias. Quod scripturæ docent,ab omni controuersia exemptum apud nos esse debet: nempe sicuti variè Deus sua dona Sanctis in hoc mundo distribuens eos inæqualiter irradiat, ita nõ foret æqualem gloriæ modum in cælis, vbi dona sua coronabit Deus. Neque enim cõpetit indifferẽter in omnes quod dicit Paulus,Vos estis gloria mea & corona in die Christi.Et illud Christi ad Apostolos,
1.Thes.2.d.19 Sedebitis iudicantes duodecim tribus Israel.Sed Paulus (qui sciebat, provt sanctos locu-
Mat.19.d.28 pletat Deus spiritualibus donis in terra,ita in cælo gloria decorare)peculiarem sibi coronam pro laborum ratione repositam esse non dubitat.Christus autẽ, vt Apostolis dignitatem muneris quo præditi erant commẽdet, fructum eius admonet in cælo esse reconDan.12.a.3 ditum.Sic & Daniel, Intelligentes autem fulgebunt vt splendor firmamẽti:& iustificantes multos,tanquam stellæ in seculum & in æternum. Ac siquis attentè Scripturas consideret:non modò vitam æternam promittunt fidelibus,sed specialẽ cuique mercedem.
2.Tim.4.b.14 Vnde & illud Pauli, Rependat illi Deus in illa die. Quod promissio Christi confirmat,
Mat.19.c.29 Centuplum recipietis in vita æterna. Denique sicuti corporis sui gloriam multiplici donorum varietate inchoat Christus in mundo, & amplificat per suos gradus:ita etiam in cælo perficiet.

11 Quemadmodum autem hoc vno consensu recipient omnes pii, quia verbo Dei satis testatum est: sic rursum spinosis quæstionibus,quas sibi obstaculo esse cognoscent, valere iussis, metas sibi propositas non transilient. Quantum ad me spectat, non solùm priuatim mihi à superuacua rerum inutilium inuestigatione tempero: sed cauẽdum mihi arbitror ne aliorum leuitatem respondendo foueam. Scisitantur vanæ scientiæ ieiuni homines quanta inter Prophetas & Apostolos, rursus inter Apostolos & Martyres futura sit distantia:quot gradibus differant à coniugatis virgines: denique nullum cæli angulum ab excutiendo intactum relinquunt. Deinde subit illis in mentem quorsum pertineat orbis reparatio:quando ex tanta & incomparabili copia nullius rei indigi erunt filii Dei: sed erunt similes Angelis,quorum inedia æternæ beatitudinis symbolum est.Ego autem respondeo,in ipso aspectu tantam fore amœnitatem, tantam sine vsu suauitatẽ in sola notitia, vt hæc fœlicitas omnia quibus nunc iuuamur adminicula longè exuperet. Fingamus in opulentissima & vbi nulla nos voluptas deficiat, mundi plaga esse positos: quem non sui morbi ab vsu beneficiorum Dei subinde impediunt ac prohibent?cui non sua intemperies cursum sepæ abrumpit?Vnde consequitur liquidam & purã ab omni vitio fruitionem,quanuis nullus sit corruptibilis vitæ vsus,fœlicitatis esse cumulum.Alii se transferunt longius, & quærunt annõ scoria & aliæ corruptelæ in metallis procul à restitutione absint,& ab ea dissideant.Quod vt illis aliquatenus concedã,expecto cum Paulo

vitiorum

vitiorum reparationem quæ initium sumpserũt à peccato, ad quã gemunt & parturiunt. Rom 8.d.22
Longius iterum progrediuntur, quænam melior conditio maneat genus humanum, quum sobolis benedictio finem tunc sumptura sit. Facilis est illius quoque nodi solutio. Quòd tam magnificè eam commendat Scriptura, ad incrementa pertinet quibus Deus assiduè naturæ ordinem prouehit ad suam metã: in perfectione verò ipsa aliam rationem esse notum est. Sed quia incautos statim captãt illecebræ, & labyrinthus deinde profundius trahit, tandem, vbi sua cuique placita arrident, nullus est concertationũ modus: hoc fit nobis viæ compendium, contentos esse speculo & ænigmate donec cernemus facie ad faciem. Nam pauci ex ingenti multitudine quâ in cælos eũdum sit curant: omnes autem quid illic agatur scire ante tempus appetunt. Omnes ferè ad obeundum certamina pigri & lenti, triumphos imaginarios sibi iam depingunt.

12 Porrò quia diuinæ in reprobos vltionis grauitatem nulla descriptio æquare potest, per res corporeas eorum tormenta & cruciatus nobis figurantur: nẽpe per tenebras, Mat.8.b.12 & 22.b.13
fletum, & stridorem dentium, ignem inextinguibilem, vermem sine fine cor arrodẽtem. Ibidẽ, 3.c.12
Talibus enim loquendi modis certum est Spiritum sanctum voluisse sensus omnes hor- Marc.9.g.43
rore conturbare: vt quum dicitur præparatam esse ab æterno gehẽnam profundam, nu- Iesa.66.g.24
trimenta eius esse ignem & ligna multa: flatum Domini, ceu torrentẽ sulphuris, eam suc- Iesa.30.g.33
cendere. Quibus vt nos adiuuari oportet ad concipiendam vteũque impiorum miseram sortem: ita nos in eo potissimum defigere cogitationem oportet, quàm sit calamitosum alienari ab omni Dei societate. neque id modò: sed maiestatem Dei ita sentire tibi aduersam, vt effugere nequeas quin ab ipsa vrgearis. Nam primùm eius indignatio instar ignis est violentissimi, cuius attactu omnia deuorentur & absorbeãtur. Deinde illi ad exercendum iudicium sic seruiunt omnes creaturæ, vt cælum, terrã, mare, animalia, & quicquid est, velut dira indignatione aduersum se inflammata & in perniciem suam armata sensuri sint: quibus iram suam ita Dominus palàm faciet. Quare non vulgare aliquid pronuntiauit Apostolus, quum dicit infideles daturos pœnas interitu æternas à facie Domini, & 1.Thes.1.c.9
à gloria virtutis eius. Et quoties metum corporeis figuris incutiunt Prophetæ, quanuis nihil pro tarditate nostra hyperbolicum afferant, præludia tamen admiscent futuri iudicii in sole & luna totóque mundi opificio. Quare nullam requiem inueniunt infœlices conscientiæ, quin diro turbine vexentur ac dissipentur, quin ab infesto Deo se discerpi sentiant, & confixæ mortiferis aculeis lancinentur, quin ad Dei fulmen expaueſcant, & conterantur onere manus eius: vt abyssos & voragines quaslibet subire leuius sit quàm in illis terroribus stare ad momentum. quale hoc & quantum est, æterna & nusquam desitura illius obsidione vrgeri? Qua de re Psalmus nonagesimus continet memorabilem sententiam. quanuis solo aspectu cunctos mortales dissipet ac in nihilum redigat, cultores tamen suos, quo magis sunt timidi in hoc mundo, vrgere, vt cruce oneratos ad properandum incitet, donec sit ipse omnia in omnibus.

INSTITVTIONIS CHRI
ſtianæ religionis Lib. IIII.

DE EXTERNIS MEDIIS VEL ADminiculis, quibus Deus in Chriſti ſocietatem nos inuitat, & in ea retinet.

De vera Eccleſia, cum qua nobis colenda eſt vnitas: quia piorum omnium mater eſt. CAP. I.

IDE Euangelii Chriſtum fieri noſtrum, & allatæ ab eo ſalutis æternæque beatitudinis nos fieri participes, proximo libro expoſitum fuit. Quia autẽ ruditas noſtra & ſegnities (addo etiam ingenii vanitatẽ) externis ſubſidiis indigent, quibus fides in nobis & gignatur & augeſcat, & ſuos faciat progreſſus vſque ad metam: ea quoque Deus addidit, quo infirmitati noſtræ conſuleret. atque vt vigeret Euangelii prædicatio, theſaurum hunc apud Eccleſiam depoſuit. Paſtores inſtituit ac doctores, quorum ore ſuos doceret: eos authoritate inſtruxit. nihil denique omiſit quod ad ſanctum fidei conſenſum & rectum ordinem faceret. In primis ſacramenta inſtituit, quæ nos experimento ſentimus pluſquam vtilia eſſe adiumenta ad fouendam & confirmandam fidem. Nam quia ergaſtulo carnis noſtræ incluſi ad gradum Angelicum nondum peruenimus, Deus ſe ad captum noſtrum accõmodans, pro admirabili ſua prouidentia modum præſcripſit quo procul diſiuncti ad eum accederemus. Quare poſtulat docendi ratio vt nunc de Eccleſia eiúſque regimine, ordinibus, poteſtate, item de ſacramẽtis tractemus, & poſtremò de politico etiam ordine: ac ſimul pios lectores reuocemus à corruptelis quibus Satan in Papatu adulterauit quæcunque Deus in ſalutem noſtram deſtinauerat. Incipiam autem ab Eccleſia: in cuius ſinum aggregari vult Deus filios ſuos, non modò vt eius opera & miniſterio alantur quandiu infantes ſunt ac pueri, ſed cura etiam materna regantur donec adoleſcant, ac tandem perueniant ad fidei metam. Hæc enim quæ Deus cõiunxit ſeparari fas non eſt, vt quibus ipſe eſt Pater, Eccleſia etiam mater ſit: neque id ſub Lege modò, ſed etiam poſt Chriſti aduentum, teſte Paulo, qui nouæ & cæleſtis Hieroſolymæ nos eſſe filios docet.

Ephes. 4. c. 11

Marc. 10. b. 9

Gala. 4. d. 26

2 In Symbolo, vbi profitemur nos credere Eccleſiam, id non ſolùm ad viſibilem, de qua nunc agimus, refertur, ſed ad omnes quoque electos Dei, in quorũ numero comprehenduntur etiam qui morte defuncti ſunt. Ideo & credendi verbũ ponitur: quia nullum ſæpe diſcrimen inter filios Dei & profanos, inter proprium eius gregem & fera animalia notari poteſt. Nam quòd particula IN à multis interponitur, probabili ratione caret. Fateor quidem eſſe vſitatius, & vetuſtatis etiã ſuffragio non deſtitui: quando & ſymbolum Nicenum, qualiter in Eccleſiaſtica hiſtoria recitatur, præpoſitionem addit. Simul tamen exſcriptis veterum animaduertere licet, fuiſſe olim citra controuerſiã receptum vt dicerent ſe Eccleſiam credere, non in Eccleſiam. Non enim ſic modò loquuntur Auguſtinus & quiſquis ille eſt vetuſtus ſcriptor cuius opuſculũ extat ſub nomine Cypriani, De ſymboli expoſitione: ſed diſertè quoque annotant loquutionem fore impropriam ſi præpoſitio attexatur: ac ſuam ſententiam ratione non friuola cõfirmant. Ideo enim credere in Deum nos teſtamur, quòd & in ipſum vt veracem animus noſter ſe reclinat, & fiducia noſtra in ipſo acquieſcit. quod in Eccleſiã non ita cõueniret, quemadmodum nec In remiſſionem peccatorum, aut carnis reſurrectionem. Itaque tametſi nolim de verbis litigare, malim tamen loquendi proprietatem ſequi, quæ aptior ſit rei exprimendæ: quàm formulas affectare quibus res ſine cauſa obſcuretur. Finis autem eſt, vt ſciamus, quanuis ad diruendam Chriſti gratiam omnes lapides moueat Diabolus, & eodem etiam ferantur veſano impetu Dei hoſtes: non poſſe tamen extingui, nec ſterilem poſſe reddi Chriſti ſanguinẽ, quin fructum aliquẽ producat. Ita & arcana electio Dei & interior vocatio ſpectanda

ctãda est:quia solus nouit qui sui sint,& sub signaculo (vt loquitur Paulus)inclusos tenet: nisi quòd insignia eius gestant, quibus dignoscantur à reprobis. Sed quia exiguus numerus & contemptibilis latet sub ingenti turba, & grana tritici pauca tegũtur paleæ congetie,soli Deo permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cuius fundamentum est arcana illius electio.Nec verò satis est electorum turbam cogitatione animóque complecti, nisi talem Ecclesiæ vnitatem cogitemus in quam nos esse insitos verè simus persuasi. Nisi enim sub capite nostro Christo coadunati simus reliquis omnibus membris, nulla nos manet spes hereditatis futuræ.Ideo catholica dicitur,seu vniuersalis:quia non duas aut tres inuenire liceat quin discerpatur Christus:quod fieri nõ potest. Quin sic electi Dei omnes in Christo sunt connexi,vt quemadmodũ ab vno capite pendent,ita in vnum velut corpus coalescant,ea inter se compage cohærentes qua eiusdem corporis membra: verè vnum facti, qui vna fide,spe, charitate, eodem Dei Spiritu simul viuunt, non in eandem modò vitæ æternæ hereditatem, sed in vnius Dei ac Christi participationem etiam vocati. Quanuis ergo tristis vastitas, quæ nobis vndique occurrit, nihil Ecclesiæ residuum esse clamet, sciamus fructuosam esse Christi mortem, Deúmque mirabiliter Ecclesiam suam quasi in latebris seruare. Sicuti Eliæ dictum est, Seruaui mihi septem millia virorum qui non flexerunt genu coram Baal. Ephe.1.c.13 1.Reg.19.d.18

3 Quanquam articulus symboli ad externam quoque Ecclesiam aliquatenus pertinet,vt se quisque nostrûm in fraterno consensu cum omnibus Dei filiis contineat:Ecclesiæ deferat quam meretur authoritatẽ. denique se ità gerat vt ouis ex grege.Atque ideo adiungitur sanctorum cõmunicatio. quæ particula licet à veteribus ferè prætermissa sit, non tamen negligenda est:quia Ecclesiæ qualitatem optimè exprimit.quasi dictum esset hac lege aggregari sanctos in societatẽ Christi, vt quæcunque in eos beneficia Deus confert, inter se mutuò communicent. Quo tamen non tollitur gratiarum diuersitas: sicuti scimus variè distribui Spiritus dona:neque etiam cõuellitur ordo politicus, quo suas vnicuique facultates priuatim possidere licet,vt necesse est, pacis inter homines conseruandæ causa, rerum dominia inter ipsos propria & distincta esse. Sed asseritur communitas qualem Lucas describit,quòd multitudinis credentium esset cor vnum & anima vna: & Paulus, quum hortatur Ephesios vt sint vnum corpus, vnus spiritus, sicuti vocati sunt in vna spe. Neque enim fieri potest, si verè persuasi sint Deum communem sibi omnibus patrem esse,& Christum commune caput, quin fraterno inter se amore coniuncti, vltrò citróque sua communicent.Iam plurimum nostra interest scire quis inde ad nos fructus redeat. Hac enim lege credimus Ecclesiam, vt certò persuasi simus nos esse eius mẽbra. Hoc enim modo nititur salus nostra certis solidísque fulcris, vt etiamsi tota orbis machina labefactetur,corruere ipsa & concidere nequeat. Primùm stat cum Dei electione,nec nisi cum æterna illius prouidentia variare aut deficere potest. Deinde quodãmodo coniuncta est cum firmitudine Christi: qui non magis patietur à se diuelli suos fideles,quàm mẽbra sua discerpi ac dilaniari. Accedit quòd veritatẽ, dum in Ecclesiæ sinu cõtinemur, semper nobis constaturam securi sumus. Postremò quòd promissiones istas sentimus ad nos pertinere,Salus erit in Sion:Deus in æternum commorabitur in medio Ierusalem,ne vnquam commoueatur. Tantũ potest Ecclesiæ participatio vt nos in Dei societate contineat.In ipso quoque nomine communionis plurimum est consolationis: quòd dum ad nos pertinere fixum est quicquid mẽbris suis ac nostris largitur Dominus, omnibus eorum bonis spes nostra confirmatur.Cæterùm ad amplexandam eo modo Ecclesiæ vnitatem,nihil(vt diximus)opus est Ecclesiam ipsam oculis cernere,vel manibus palpare:quin potius eo quòd in fide sita est admonemur nihilo minus cogitandam esse, dum intelligentiam nostram præterit,quàm si palàm appareat. Neque ideo deterior est fides nostra quòd incognitam apprehendit: quando hîc non iubemur reprobos ab electis discernere (quod Dei est solius non nostrum)sed certò statuere in animis nostris,omnes eos qui Dei Patris clementia per Spiritus sancti efficaciam in Christi participationem venerunt, in Dei peculium ac propriam possessionem segregatos, ac, quum simus in eorum numero, tantæ gratiæ nos esse consortes. Act.4.f.32 Ephe.4.a.4

4 Verùm quia nunc de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel vno matris elogio quã vtilis sit nobis eius cognitio,imò necessaria:quando non alius est in vitam ingressus nisi nos ipsa cõcipiat in vtero,nisi pariat,nisi nos alat suis vberibus,denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Ioel.2.g.32 Abd.f.17 Psal.46.a.6 Mat.22.c.30

Angelis. Neque enim patitur noſtra infirmitas à ſchola nos dimitti donec toto vitæ curſu diſcipuli fuerimus. Adde quòd extra eius gremiũ nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec vlla ſalus, teſte Ieſaia & Ioele. quibus ſubſcribit Ezechiel, quum denuntiat in catalogo populi Dei nõ fore quos à cæleſti vita abdicat. Sicuti ex oppoſito dicuntur nomen ſuum inſcribere inter ciues Hieroſolymæ, qui ſe ad veræ pietatis cultũ conuertunt.

Ieſa.37.f.32
Ioel.2.g.32
Eze.13.a.9

Pſal.106.a.4 Qua ratione & alio Pſalmo dicitur, Memẽto mei Iehoua in beneplacito populi tui: viſita me in ſalute tua, vt videam beneficẽtiam electorum tuorum, læter in lætitia gentis tuæ, gaudeam cum hereditate tua. Quibus verbis paternus Dei fauor & peculiare ſpiritualis vitæ teſtimonium ad gregem eius reſtringitur: vt ſemper exitialis ſit ab Eccleſia diſceſſio.

Epheſ.4.c.11 5 Cæterùm quod huius loci propriũ eſt exequi pergamus. Scribit Paulus Chriſtũ, vt impleret omnia, dediſſe alios quidẽ Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autẽ Euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti: donec perueniamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti. Videmus vt Deus, qui poſſet momento ſuos perficere, nolit tamen eos adoleſcere in virilem ætatem niſi educatione Eccleſiæ. Videmus modum exprimi: quia paſtoribus iniuncta eſt cæleſtis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes ad vnum cogi in eundem ordinem, vt manſueto & docili ſpiritu regendos ſe doctoribus in hunc vſum creatis permittant. Et

Ieſa.59.d.21 hac nota pridem regnum Chriſti inſignierat Ieſaias, Spiritus meus qui in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo, nunquam diſcedent neque ex ore tuo, neque ex ore ſeminis tui & nepotum. Vnde ſequitur dignos eſſe qui fame & inedia pereant, quicunque ſpiritualem animæ cibum diuinitus ſibi per manus Eccleſiæ porrectum reſpuunt. Fidem nobis Deus

Rom.10.c.17 inſpirat, ſed Euãgelii ſui organo. ſicuti admonet Paulus fidem eſſe ex auditu. Sicuti etiam penes Deum ſua reſidet potentia ad ſeruandum: ſed eam in Euangelii prædicatione (eodem Paulo teſte) depromit atque explicat. Hoc conſilio voluit olim ſacros haberi cõuentus ad ſanctuarium, vt fidei conſenſum aleret doctrina per os ſacerdotis prolata. Nec aliò

Pſal.132.d.14 ſpectant magnifici illi tituli, vbi templum vocatur requies Dei, ſanctuarium eius domicilium, vbi dicitur ſedere inter Cherubim: quàm vt pretium, amorem, reuerentiam ac di-

Pſal.80.a.2 gnitatem cæleſtis doctrinæ miniſterio concilient: quibus alioqui non parum derogaret

2.Cor.4.b.7 mortalis & contempti hominis aſpectus. Ergo vt ſciamus ex vaſis teſtaceis nobis proferri inæſtimabilem theſaurum, Deus ipſe in medium prodit, & quatenus huius ordinis au-

Leui.19.f.31 thor eſt, vult ſe præſentem in ſua inſtitutione agnoſci. Itaque poſtquam auguriis, diuinationibus, artibus magicis, necromãtiæ aliiſque ſuperſtitionibus ſuos vetuit dare operam, ſubiicit ſe daturum quod pro omnibus ſufficere debeat, nempe Prophetis nunquam deſtitutum iri. Sicuti autem veterem populum non ablegauit ad Angelos, ſed doctores excitauit è terra, qui verè præſtarent munus Angelicũ: ita & nos hodie humanitus vt docere. Ac ſicut olim nõ cõtentus fuit ſola Lege, ſed ſacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus inquireret verum illius ſenſum: ita hodie non tantùm vult nos eſſe lectioni attentos, ſed magiſtros etiam præficit quorum opera adiuuemur. Cuius rei duplex eſt vtilitas. nam ab vna parte optimo examine obedientiam noſtram probat, vbi eius miniſtros, non ſecus atque ipſum, loquentes audimus: ex oppoſito etiam noſtræ infirmitati cõſulit, dum per interpretes humano more nos mauult alloqui, vt ad ſe alliciat, quàm tonando à ſe abigere. Et certè quàm nobis expediat hæc familiaris docendi ratio, ſentiunt omnes pii ex formidine qua meritò illos conſternat Dei maieſtas. Quibus autem videtur ex hominum, qui ad docendum vocati ſunt, contemptu exinaniri doctrinæ authoritas, hi ingratitudinem ſuam prodũt: quia inter tot præclaras dotes quibus ornauit Deus humanum genus, hæc prærogatiua ſingularis eſt, quòd dignatur ora & linguas hominũ ſibi conſecrare, vt in illis ſua vox perſonet. Quare ne viciſſim & nos obedienter amplecti pigeat ſalutis doctrinam eius mandato & ore propoſitam: quia etſi externis mediis alligata non eſt Dei virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligauit: quem dum recuſant tenere fanatici homines, multis ſe exitialibus laqueis inuoluunt. Multos impellit vel ſuperbia, vel faſtidium, vel æmulatio, vt ſibi perſuadeant priuatim legendo & meditando ſe poſſe ſatis proficere, atque ita contemnant publicos cœtus, & prædicationem ſuperuacuam ducant. Quoniam autem ſacrum vnitatis vinculum quantum in ſe eſt ſoluunt vel abrumpunt: nemo iuſtam impii huius diuortii pœnam effugit quin ſe peſtiferis erroribus ac teterrimis deliriis faſcinet. Quare vt vigeat apud nos pura fidei ſimplicitas, ne vti

grauemur,

grauemur hoc pietatis exercitio, quod Deus nobis sua institutione monstrauit esse necessarium, & tantopere cõmendat. Deo qui aures diceret claudẽdas esse nemo vnquam vel ex petulantissimis canibus inuentus est: sed omnibus seculis difficile fuit certamen Prophetis & piis doctoribus contra impios, quorum peruicacia nunquam iugum hoc subire potest vt ore & ministerio hominum doceantur. Quod perinde est ac Dei faciem, quæ nobis in doctrina affulget, delere. Neque enim fideles olim alia de causa faciem Dei in sanctuario quærere iussi sunt, idque toties repetitur in Lege, nisi quia Legis doctrina & Propheticæ exhortationes erãt illis viua Dei imago. sicuti Paulus in sua prædicatione lucere asserit gloriam Dei in facie Christi. Quo magis detestabiles sunt apostatæ, qui scindendis Ecclesiis inhiant, perinde ac si oues abigerent à caulis, ac proiicerent in fauces luporum. Nobis verò quod ex Paulo citauimus tenendum est, Ecclesiam non aliter ædificari quàm externa prædicatione, nec alio vinculo inter se retineri sanctos, nisi dum vno consensu discendo & proficiendo ordinem Ecclesiæ à Deo præscriptum colunt. In hunc præcipuè finem, vt dixi, iussi sunt olim fideles sub Lege confluere ad sanctuarium: quia dum Moses de habitaculo Dei loquitur, simul locũ nominis Dei appellat vbi Deus memoriam nominis sui posuit. Quo apertè docet nullũ sine pietatis doctrina esse illius vsum. Nec dubium est quin eadem etiam ratione Dauid ingenti spiritus amaritudine queratur se tyrannica hostium sæuitia prohiberi tabernaculi ingressu. Multis ferè videtur puerilis lamentatio, quòd minimum iacturæ fieret, non multum etiam voluptatis periret carere templi atrio, modò suppeterent aliæ deliciæ. Hac tamen vna molestia, anxietate & mœstitia se vri & cruciari & propè absumi deplorat: nempe quòd fidelibus nihil pluris est hoc adminiculo, quo Deus suos gradatim in sublime attollit. Nam & hoc notandũ est, Deum in speculo suæ doctrinæ ita semper se ostendisse sanctis Patribus, vt spiritualis esset cognitio. Vnde & templum non modò facies eius, sed (omnis superstitionis tollendę causa) scabellum pedum vocatur. Atque hic est fœlix ille occursus in vnitatem fidei, dum à summo vsque ad infimum omnes ad caput adspirant. Quicquid templorum alio cõsilio ædificarunt Deo Gentes, mera fuit cultus eius profanatio: ad quam etsi non pari crassitie, aliquatenus tamen prolapsi sunt Iudæi. quod illis ex ore Iesaię Stephanus exprobrat, Deum scilicet non habitare in templis manufactis, &c. Quia solus Deus templa sibi suo sermone in legitimum vsum sanctificat. Et siquid temere tentamus eius iniussu, protinus malo principio adhærescunt aduentitia figmenta, quibus malum sine modo propagatur. Inconsideratè tamen Xerxes, dum consilio magorum omnia Græciæ templa exussit, vel diruit: quòd absurdum putaret deos, quibus omnia liberè patere debent, parietibus & tegulis includi. Quasi verò non sit in Dei potestate, vt nobis propinquus sit, quodammodo ad nos descendere: & tamen neque mutare locum, neque nos affigere terrenis mediis: sed potius vehiculis quibusdam nos sursum efferre ad cælestem suam gloriam, quæ sua immensitate omnia replet, tum verò cælos altitudine superat.

Pſal.105.a.4
2.Cor.4.b.6
Exo.20.d.24
Pſal.84.a.1
Pſal.132.b.7
Pſal.99.a.5
1.Paral.28. a.2
Act.7.f.48

6 Porrò quia hoc tempore magna fuit concertatio de efficacia ministerii, dum eius dignitatem hyperbolicè amplificant alii, alii contendunt perperã transferri ad hominem mortalem quod proprium est Spiritus, si ministros & doctores censemus penetrare ad mentes & corda, vt tam illarum cæcitatem quàm horum duritiem corrigant: recta huius controuersiæ definitio tradẽda est. Quod vtrinque disceptãt, nullo negotio facilè transigetur, locos diserte obseruando, vbi Deus author prædicationis Spiritum suum cum ea coniungens, fructum inde promittit. vel rursum vbi se ab externis subsidiis separans, tam initia fidei quàm totum cursum sibi vni vendicat. Officium secundi Eliæ fuit, teste Malachia, illuminare mentes, & conuertere corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Christus se Apostolos mittere pronuntiat, vt fructum afferant ex labore suo. quis autem sit fructus ille breuiter definit Petrus, nos regigni dicens semine incorruptibili. Itaque gloriatur Paulus se per Euangelium genuisse Corinthios, eósque apostolatus sui sigillum esse: imò se non esse literalem ministrum, qui tantùm sonitu vocis aures percusserit, sed datã sibi efficaciam Spiritus, ne inutilis sit doctrina. Quo sensu etiam alibi Euangelium suum fuisse negat tantùm in sermone, sed in virtute. Affirmat etiam Galatas ex auditu fidei Spiritum accepisse. Denique pluribus locis non modò se cooperariũ Dei facit, sed partes sibi assignat conferendæ salutis. Hæc certè omnia nũquam eo protulit vt vel tantillum sibi seorsum à Deo tribueret. sicuti breuiter alibi exponit, Labor noster non fuit inutilis in Domino secundum potentiam eius potenter in me efficacem. Item alibi,

Malach.4. a.6
Ioh.15.c.16
1.Pet.1.1.d. 23
1.Cor.4.c.15
1.Cor.9.a.2
2.Cor.3.b.6
1.Cor.2.a.4
Galat.3.a.2
1.Cor.3.b.9
1.Theſ.3.b.5

Galat. 2. b. 8 Qui efficax fuit in Petro erga Circunciſionem, in me etiam efficax fuit apud Gentes. Cæterùm quàm nihil ſeparatim miniſtris reſiduum faciat, ex aliis locis patet, Qui plantat 2. Cor. 3. b. 7 nihil eſt, & qui rigat nihil eſt: ſed Deus qui dat incrementum. Item, Plus omnibus laborauí: non ego, ſed gratia Dei quæ mihi aderat. Et certè retinere ſententias illas oportet, vbi Deus ſibi aſcribens mentis illuminationem & renouationem cordis, ſacrilegium eſſe admonet ſiquam vtriuſque partem homo ſibi arrogat. Interim ſi miniſtris, quos Deus præficit, ſe quiſque docilem offerat, ex fructu cognoſcet non fruſtra placuiſſe Deo hunc docendi modum, nec fruſtra etiam fidelibus iugum hoc modeſtiæ impoſitum eſſe.

7 Enimuero de Eccleſia viſibili, & quæ ſub cognitionem noſtram cadit, quale iudicium facere conueniat, ex ſuperioribus iam liquere exiſtimo. Diximus enim bifariam de Eccleſia ſacras literas loqui. Interdum quum Eccleſiam nominant, eam intelligunt quæ re vera eſt coram Deo, in quam nulli recipiuntur niſi qui & adoptionis gratia filii Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione, vera Chriſti membra. Ac tunc quidem non tantùm ſanctos qui in terra habitant comprehendit, ſed electos omnes qui ab origine mũdi fuerunt. Sæpe autem Eccleſiæ nomine vniuerſam hominum multitudinem in orbe diffuſam deſignat, quæ vnum ſe Deum & Chriſtum colere profitetur: Baptiſmo initiatur in eius fidem: Cœnæ participatione vnitatem in vera doctrina & charitate teſtatur: cõſenſionem habet in verbo Domini, atque ad eius prædicationem miniſterium conſeruat à Chriſto inſtitutum. In hac autem plurimi ſunt permixti hypocritæ, qui nihil Chriſti habent præter titulum & ſpeciem: plurimi ambitioſi, auari, inuidi, maledici, aliqui impurioris vitæ, qui ad tempus tolerãtur: vel quia legitimo iudicio conuinci nequeunt, vel quia non ſemper ea viget diſciplinæ ſeueritas quæ debebat. Quemadmodum ergo nobis inuiſibilem, ſolius Dei oculis conſpicuam Eccleſiam credere neceſſe eſt, ita hanc, quæ reſpectu hominum Eccleſia dicitur, obſeruare eiúſque communionem colere iubemur.

8 Proinde, quatenus eam agnoſcere noſtra intererat, Dominus certis notis & quaſi 2. Tim. 2. c. 19 ſymbolis nobis deſignauit. Hæc quidem ſingularis eſt Dei ipſius prærogatiua, noſſe qui ſui ſint, vt ſuprà citauimus ex Paulo. Et certè ne hominum temeritas eò ſe proriperet prouiſum eſt, ipſo quotidie euentu admonente quàm longè ſenſum noſtrum ſuperent arcana illius iudicia. Nam & qui perditiſſimi videbantur, planéque deplorati fuerant, eius bonitate in viam reuocantur: & qui præ aliis ſtare videbantur, ſæpe corruunt. Itaque, ſecundum occultam Dei prædeſtinationem (vt inquit Auguſtinus) plurimæ ſunt foris oues, Homil. in Iohan. 45 plurimi lupi intus. Nouit enim ac ſignatos habet qui nec eum nec ſe norũt. Ex iis autem qui palàm eius ferunt ſignum, ipſius vnius oculi vident qui & ſine fictione ſancti ſint, & in finem vſque perſeueraturi: quod demum eſt ſalutis caput. Rurſum tamen, quia aliquatenus expedire prouidebat vt ſciremus qui nobis habẽdi pro ipſius filiis eſſent, hac in parte ſe captui noſtro accommodauit. Et quoniam fidei certitudo neceſſaria non erat, quoddam charitatis iudicium eius loco ſubſtituit: quo pro Eccleſiæ membris agnoſcamus qui & fidei confeſſione, & vitæ exemplo, & ſacramentorum participatione eundẽ nobiſcum Deum ac Chriſtum profitentur. Ipſius autem corporis notitiam quo magis ſaluti noſtræ neceſſariam eſſe nouerat, eo certioribus notis commendauit.

9 Hinc naſcitur nobis & emergit conſpicua oculis noſtris Eccleſiæ facies. Vbi enim cunque Dei verbum ſyncerè prædicari atque audiri, vbi ſacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam nullo modo ambigendum eſt: Mat. 18. c. 20 quando eius promiſſio fallere non poteſt, Vbicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Sed vt ſummam huius rei liquidò teneamus, his veluti gradibus progrediendum eſt: Eccleſiam vniuerſalem, eſſe collectam ex quibuſcunque gentibus multitudinem, quæ interuallis locorum diſſita & diſperſa, in vnam tamen diuinæ doctrinæ veritatem conſentit, & eiuſdem religionis vinculo colligata eſt. Sub hac ita comprehendi ſingulas Eccleſias, quæ oppidatim & vicatim pro neceſſitatis humanæ ratione diſpoſitæ ſunt, vt vnaquæque nomen & authoritatem Eccleſiæ, iure obtineat. ſingulos homines, qui pietatis profeſſione inter Eccleſias eiuſmodi cenſentur, etiamſi ab Eccleſia ſint reuera extranei, ad ipſam tamen quodammodo pertinere, donec publico iudicio exterminati fuerint. Quanquam paulò diuerſa eſt in priuatis hominibus atque in Eccleſiis æſtimandis ratio. Vſu enim venire poteſt vt quos non omnino putabimus dignos eſſe piorum conſortio, tractare tamen inſtar fratrum, & fidelium loco habere debeamus, propter communem Eccleſiæ conſenſum, quo feruntur & tolerantur in Chriſti

corpore.

corpore. Tales ſuffragio noſtro non approbamus eſſe Eccleſiæ membra: ſed quem in populo Dei locum tenent, illis relinquimus, donec legitimo iure adimatur. At de ipſa multitudine aliter ſentiendum eſt: quæ ſi miniſterium habet verbi, & honorat, ſi ſacramentorum adminiſtrationem: Eccleſia proculdubio haberi & cenſeri meretur: quia ſine fructu illa non eſſe certum eſt. Ita & Eccleſiæ vniuerſali ſuam ſeruamus vnitatem, quam diſſecare ſemper ſtuduerunt diabolici ſpiritus: nec conuentus legitimos, qui pro locorum opportunitate diſtributi ſunt, ſua authoritate fraudamus.

10 Symbola Eccleſiæ dignoſcendæ, verbi prædicationem, ſacramentorúmque obſeruationem poſuimus. Nam hæc nuſquam eſſe poſſunt quin fructificẽt, & Dei benedictione proſperentur. Non dico, vbicunque prædicatur verbum, illic fructum mox exoriri: ſed nullibi recipi & ſtatam habere ſedem, niſi vt ſuam efficaciam proferat. Vtcunque, vbi reuerenter auditur Euangelii prædicatio, neque ſacramenta negligũtur, illic pro eo tempore neque fallax neque ambigua Eccleſiæ apparet facies: cuius vel authoritatem ſpernere, vel monita reſpuere, vel conſiliis refragari, vel caſtigationes ludere, nemini impune licet: multo minus ab ea deficere, ac eius abrumpere vnitatem. Tanti enim Eccleſiæ ſuæ communionem facit Dominus, vt pro tranſſuga & deſertore religionis habeat, quicunque ſe à qualibet Chriſtiana ſocietate, quæ modò verum verbi ac ſacramentorum miniſterium colat, contumaciter alienarit. Sic eius authoritatem commendat, vt dum illa violatur, ſuam ipſius imminutam cenſeat. Neque enim parui momẽti eſt, quòd vocatur columna & firmamentum veritatis, & domus Dei. Quibus verbis ſignificat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Eccleſiam eſſe fidam eius cuſtodem: quia eius miniſterio & opera voluit Deus puram verbi ſui prædicationem conſeruari, & ſe nobis oſtendere patremfamiliâs, dum nos Spiritualibus alimentis paſcit, & quæcũque ad ſalutem noſtram faciunt procurat. Non vulgaris etiam laus, quòd electa ſegregatáque dicitur à Chriſto in ſponſam, quæ eſſet ſine ruga & macula, corpus & plenitudo eius. Vnde ſequitur, diſceſſionem ab Eccleſia, Dei & Chriſti abnegationem eſſe: quo magis à tam ſcelerato diſſidio cauendum eſt: quia dum veritatis Dei ruinam, quantum in nobis eſt, molimur, digni ſumus ad quos conterendos toto iræ ſuæ impetu fulminet. Nec vllum atrocius fingi crimen poteſt, quàm ſacrilega perfidia violare coniugium quod nobiſcum vnigenitus Dei filius contrahere dignatus eſt.

1. Tim. 3. d. 15

Epheſ. 5. f. 27
Epheſ. 1. d. 23

11 Quare notas illas diligenter animis impreſſas teneamus, & pro Domini arbitrio æſtimemus. Nihil eſt enim quod magis Satã moliatur quàm iſtorũ alterutrum vel vtrunque tollere & abolere: nunc vt notis iſtis abolitis & deletis, veram germanámque tollat Eccleſiæ diſtinctionem: nunc vt iniecto earum contemptu, manifeſta defectione nos ab Eccleſia abripiat. Eius arte factum eſt vt pura verbi prædicatio aliquot ſeculis euanuerit: & nunc eadem improbitate incumbit ad labefactandum miniſterium: quod tamen ſic in Eccleſia Chriſtus ordinauit, vt illo ſublato, huius ædificatio pereat. Iam verò quàm periculoſa, imò quàm exitialis tentatio eſt, vbi vel in mẽtem venit diſceſſionem facere ab ea congregatione in qua ſigna conſpiciuntur, ac teſſeræ quibus ſufficienter Eccleſiam deſcriptam Dominus putauit? Videmus quanta vtrinque adhibẽda ſit cautio. Nam ne ſub Eccleſiæ titulo impoſtura nobis fiat, ad illam probationem, ceu ad Lydium lapidem, exigenda eſt omnis congregatio quæ Eccleſiæ nomen obtendit. Si ordinem habet in verbo & ſacramentis à Domino commendatũ, non fallet: ſecurè illi honorem Eccleſiis debitum deferamus. rurſum verò ſi abſque verbo & ſacramentis ſe venditat, à talibus præſtigiis non minus religioſè cauendum, quàm in altera parte temeritas ſuperbiáque fugienda.

12 Quòd dicimus purum verbi miniſterium & purum in celebrandis ſacramentis ritum, idoneum eſſe pignus & arrhabonem, vt tutò poſſimus ſocietatem in qua vtrũque extiterit, pro Eccleſia amplexari, vſque eò valet vt nuſquam abiicienda ſit quandiu in illis perſtiterit, etiamſi multis alioqui vitiis ſcateat. Quinetiam poterit vel in doctrinę vel in ſacramẽtorum adminiſtratione vitii quidpiam obrepere, quod alienare nos ab eius communione non debeat. Non enim vnius ſunt formæ omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ita neceſſaria cognitu vt fixa eſſe & indubitata omnibus oporteat, ceu propria religionis placita. qualia ſunt, Vnum eſſe Deum: Chriſtum Deum eſſe, ac Dei Filium: In Dei miſericordia ſalutem nobis conſiſtere, & ſimilia. Sunt alia, quæ inter Eccleſias controuerſa, fidei tamen vnitatem non dirimãt. Quę enim ob hoc vnum Eccleſiæ diſſideant, ſi altera citra contentionis libidinem, citra peruicaciam aſſerendi, animas à corporibus

demigrantes in cælum conuolare putet: altera nihil ausit definire de loco, cæterùm viue-
Philip.3.c.15 re tamen Domino certò statuat? Verba sunt Apostoli, Quicunque perfecti sumus, idem sentiamus: siquid aliter sapitis, hoc quoque vobis Dominus reuelabit. Annon satis indicat, dissensionem de rebus istis non ita necessariis, dissidii materiam esse non debere inter Christianos? Primum quidem est vt per omnia consentiamus: sed quoniam nemo est qui non aliqua ignorantiæ nubecula obuolutus sit: aut nullam relinquamus Ecclesiam oportet, aut hallucinationem condonemus in iis rebus, quæ & inuiolata religionis summa & citra salutis iacturam ignorari possint. Hîc autem patrocinari erroribus vel minutissimis nolim, vt blandiendo & conniuendo censeã fouendos: sed dico, non temere ob quaslibet dissensiunculas deserendam nobis Ecclesiam, in qua duntaxat ea salua & illibata doctrina retineatur qua constat incolumitas pietatis, & sacramentorum vsus à Domino institutus custodiatur. Interim si nitimur emendare quod displicet, facimus id ex officio
1.Cor.14.f.30 nostro. Et huc pertinet illud Pauli, Si melius quid sedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Vnde constat singulis Ecclesiæ membris demandatum publicæ ædificationis studium pro mensura gratiæ suæ, modò decenter & secundum ordinem: hoc est, ne vel Ecclesiæ communionem renuntiemus, vel in ea permanentes pacem & disciplinam rite compositam turbemus.

13 In vitæ autem imperfectione toleranda multò longius procedere indulgentia nostra debet. hîc enim valde lubricus est lapsus: neque vulgaribus machinamentis hîc Satan nobis insidiatur. Fuerunt enim semper qui falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tanquam aerii quidam dæmones iam facti essent, omnium hominum cõsortium aspernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatistæ. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli, qui supra alios volunt videri profeciisse. Alii sunt qui inconsiderato magis iustitiæ zelo quàm insana illa superbia peccant. Dum enim apud eos quibus Euangelium annuntiatur, eius doctrinæ non respondere vitæ fructum vident, nullã illic esse Ecclesiam statim iudicant. Iustissima quidem est offensio, & cui plus satis occasionis hoc miserrimo seculo præbemus. nec excusare licet maledictã nostram ignauiam, quam Dominus impunitam non sinet: vt iam grauibus flagellis castigare incipit. Væ ergo nobis, qui tam dissoluta flagitiorum licentia committimus vt propter nos vulnerentur imbecilles consciẽtiæ. Sed in hoc vicissim peccant illi quos diximus, quòd offensioni suæ modum statuere nesciunt. Nam vbi Dominus clementiam exigit, omissa illa, totos se immoderatæ seueritati tradunt. Quia enim non putant esse Ecclesiam vbi non est solida vitæ puritas & integritas, scelerum odio à legitima Ecclesia discedunt, dum à factione improborum declinare se putant. Allegant, Ecclesiam Christi sanctam esse. Verùm, vt simul in-
Mat.13.f.47 telligant esse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiãt, in qua
Ibidem,c.24 reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neque seliguntur donec in litore sint expositi. Audiant agri esse similem, qui bona fruge consitus, zizaniis, inimici fraude inficitur: quibus non expurgatur, donec in aream aduecta fuerit messis. Audiãt denique
Mat.3.c.12 aream esse, in qua sic collectum est triticum vt sub palea delitescat, donec vanno & cribro repurgatum, in horreum tandem reconditur. Quòd si hoc malo ad diem vsque iudicii laboraturam Ecclesiam pronuntiat Dominus, vt improborum permixtione oneretur, frustra nullo nævo inspersam quærunt.

14 Sed enim rem intolerabilem esse clamant, quòd vitiorum pestis ita passim grassatur. Quid si Apostoli sententia hîc quoque occurrit? Inter Corinthios non pauculi erraverant, sed totum propè corpus labes occuparat: non una erat peccati species, sed plurimæ: neque leuia erant errata, sed horrenda quædam flagitia: non sola erat morum corruptio, sed doctrinæ. Quid hîc sanctus Apostolus? hoc est, cælestis Spiritus organum, cuius testimonio stat & cadit Ecclesia? an diuisionem ab illis quærit? an eos à Christi regno abdicat? an vltimo anathematis fulmine ferit? Non modò nihil horum agit: sed Ecclesiam Christi sanctorúmque societatem & agnoscit & prædicat. Si inter Corinthios ma-
1.Cor.1.b.11, & 3.a.3, & 5, a.1, & 6.b.7, & 9.a.1, & 15 b.12 net Ecclesia, vbi ferunt contentiones, sectæ, æmulationes, vbi lites vigẽt & iurgia, cum habendi cupiditate: vbi palàm approbatur scelus quod Gentibus ipsis foret execrabile: vbi petulanter proscinditur Pauli nomen, quem ceu patrem colere debuerant: vbi quidam mortuorum resurrectionem ludibrio habent, cum cuius ruina totum corruit Euangelium: vbi Dei gratiæ ambitioni non charitati seruiunt: vbi permulta indecenter & inordinatè

ordinatè geruntur: & ideo manet quòd ministerium verbi & sacramentorum illic non repudiatur: quis audeat Ecclesiæ titulum eripere iis quibus decima pars istorum criminum impingi nequeat? Qui tanta morositate sæuiunt in præsentes Ecclesias, quid quæso Galatis fecissent tantumnon Euangelii desertoribus: apud quos tamen idem Apostolus Ecclesias reperiebat? In principio epist.

15 Obiiciunt etiam quòd Paulus grauiter Corinthios obiurgat, quia flagitiosum hominem in suo contubernio ferant: deinde generalem sententiam ponit, qua nefas esse pronuntiat cum homine probrosæ vitæ vel panem comedere. Hîc exclamant, Si vulgarem panem comedere non licet, panem Domini comedere quî liceat? Fateor certè magnum probrum esse si inter filios Dei locum habeant porci & canes: multo etiam maius si illis prostituatur sacrosanctum Christi corpus. Neque verò, si bene moratæ erunt Ecclesiæ, sceleratos in sinu suo ferēt: nec ad sacrum illud epulum dignos simul ac indignos promiscuè admittent. Verùm quia non ita sedulò semper aduigilant pastores, interdum etiam indulgentiores sunt quàm oporteat, vel impediuntur quominus eam quam vellent seueritatem exercere possint: fit vt non semper submoueantur etiam palàm mali à sanctorum contubernio. Hoc vitium esse fateor: neque extenuare volo, quum Paulus acriter in Corinthiis reprehendat. Verùm etiamsi Ecclesia in officio cesset, non ideo protinus vniuscuiusque priuati erit iudicium separationis sibi sumere. Non equidem nego quin pii hominis sit ab omni priuata improborum consuetudine se subducere, nulla se voluntaria cum ipsis necessitudine implicare. sed aliud est malorum fugere contubernium: aliud, ipsorum odio, Ecclesiæ communionem renūtiare. Quòd autem sacrilegium esse putant participare cum illis panem Domini, in eo rigidiores multò sunt quàm Paulus. Nam quum ad sanctam & puram participationem nos hortatur, non exigit vt vnus alium examinet, aut vnusquisque totam Ecclesiam: sed vt singuli se probent. Si cum indigno communicare nefas esset, iuberet certè Paulus nos circunspicere annon aliquis in multitudine esset cuius immunditia pollueremur. nunc quum probationem suiipsorum solùm à singulis requirit, ostendit minimè nobis obesse si qui indigni se nobiscum ingerant. Nec aliò spectat quod postea subiicit, Qui indignè manducat, iudicium sibi manducat & bibit. Non dicit aliis, sed sibi. Et meritò: neque enim in singulorum arbitrio situm esse debet qui recipiendi & qui repellendi sint. Totius Ecclesiæ hæc cognitio est, quæ exerceri sine legitimo ordine non potest, vt fusius postea dicetur. Iniquum ergo erit priuatum aliquem alterius indignitate pollui, quem arcere ab accessu nec potest nec debet. 1. Cor. 5. a. 2. 1. Cor. 11. f. 28 Ibidem, g. 29

16 Quanquam autem ex inconsiderato iustitiæ zelo hęc tentatio bonis etiam interdum oboritur: hoc tamen reperiemus, nimiam morositatem ex superbia magis & fastu falsáque sanctitatis opinione, quàm ex vera sanctitate veróque eius studio nasci. Itaque qui ad faciendam ab Ecclesia defectionem sunt aliis audaciores, & quasi antesignani, ii vtplurimum nihil aliud causæ habent nisi vt omnium contemptu ostentent se aliis esse meliores. Bene ergo & prudenter Augustinus, Quum pia (inquit) ratio & modus Ecclesiasticæ disciplinę vnitatem Spiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri: quod Apostolus sufferendo inuicē præcipit custodiri, &, quo non custodito, medicinæ vindicta non tantùm superflua, sed etiam perniciosa, & propterea iam nec medicina esse conuincitur: illi filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes, iactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant, superbia tumidi, peruicacia vesani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere ostendantur, vmbram rigidæ seueritatis obtendunt: & quæ in Scripturis sanctis, salua dilectionis sinceritate, & custodita pacis vnitate, ad corrigēda fraterna vitia, moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & occasionem præcisionis vsurpant. Piis autem & placidis hominibus hoc consilium dat, vt misericorditer corripiant quod possunt: quod non possunt, patienter ferant, & cum dilectione gemant atque lugeant: donec aut emendet Deus ac corrigat, aut in messe eradicet zizania, & paleas ventilet. His armis præmunire se pii omnes studeāt, ne, dum strenui & animosi iustitiæ vindices sibi videntur, à regno cælorum, (quod est vnicum iustitiæ regnum) desciscant. Nam quia in hac externa societate, Ecclesiæ suæ communionem Deus coli voluit: qui odio improborum tesseram eius societatis frangit, viam ingreditur qua procliuis est à sanctorum communione lapsus. Cogitent, in magna multitudine complures esse verè sanctos & innocentes coram oculis Domini, qui aspectum suum fugiant. Cogitent, & ex Lib. 3. cōtra Parm. cap. 1. Eiusdem libri cap. 2

iis qui morbidi videntur, multos esse qui in vitiis suis nequaquam sibi placent aut blandiuntur, sed serio timore Domini identidem expergefacti, ad integritatem maiorem adspirant. Cogitent non ferendum esse de homine iudicium ab vno facto: quando sanctissimi interdum grauissimo casu excidunt. Cogitent plus subesse ad colligendam Ecclesiam momenti, tum verbi ministerio, tum sacrorum mysteriorum participationi, quàm vt quorundam impiorum culpa, vis illa tota euanescere queat. Postremò reputent, in cẽsenda Ecclesia pluris esse diuinum quàm humanum iudicium.

17 Quod etiam obtendunt non abs re sanctam vocari Ecclesiam, perpendere conuenit qua excellat sanctitate: ne, si Ecclesiam nolimus admittere nisi numeris omnibus
Ephes.5.e.25 absolutam, nullam relinquamus. Verum quidem est quod ait Paulus, Christum seipsum tradidisse pro Ecclesia, vt illam sanctificaret: mundasse lauacro aquæ in verbo vitæ, vt sibi exhiberet gloriosam sponsam, non habentem maculam aut rugam, &c. Nihilo tamen & istud verius est, Dominum quotidie operari in rugis eius expoliendis, maculisque abstergendis. Vnde sequitur, nondum peractam esse eius sanctitatem. Sic ergo sancta est Ecclesia vt quotidie proficiat, nondum perfecta sit: quotidie procedat, nondum peruenerit ad sanctitatis metam: quemadmodum alibi quoque fusius explicabitur. Quòd ergo sanctam
Ioel.3.d.17 fore Ierusalem vaticinantur Prophetæ, per quam alieni non sint transituri: sacrosanctum
Iesa.35.c.8 templum, quò impuri non sint ingressuri: non accipiamns perinde acsi nullus in Ecclesię membris næuus resideret. sed quia toto studio ad sanctimoniam & solidam puritatem adspirant, mundities illis quam nondum plenè consequuti sunt, Dei benignitate tribuitur. Et quanquam rara sæpius indicia eiusmodi sanctificationis extant inter homines, statuendum tamen est, nullum fuisse ab orbe cõdito tempus quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit: nullum etiam fore ad consummationem vsque seculi, quo non sit habiturus. Nam etsi statim à principio vniuersum genus hominum Adæ peccato corruptum ac vitiatum est: ex hac tamen ceu polluta massa semper vasa aliqua in honorem sanctificat: ne vlla sit ætas quæ non suam misericordiam experiatur. Quod certis promissionibus te-
Psal.89.a.4 statum fecit, quales sunt istæ, Ordinaui testamẽtum electis meis: iuraui Dauid seruo meo, Vsque in æternum propagabo semen tuum: in generatione & generatione ædificabo se-
Psal.132.c.13 dem tuam. Item, Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. hæc requies mea
Iere.31.f.35 in seculum seculi, &c. Itẽ, Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumen diei, lunam & stellas in lumen noctis. Si defecerint leges istæ coram me, tunc & semen Israel deficiet.

18 Huius rei Christus ipse, Apostoli, & fere omnes Prophetæ exemplum nobis præbuerunt. Horrendæ sunt illæ descriptiones quibus Iesaias, Ieremias, Ioel, Habacuc, & alii Ecclesiæ Ierosolymitanę morbos deplorãt. In plebe, in magistratu, in sacerdotibus omnia
Iesa.1.b.10 vsqueadeo corrupta erant, vt non dubitet Iesaias æquare Ierosolymã Sodomę & Gomorrhæ. Religio partim contempta, partim contaminata: in moribus passim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & similia scelera. Neque tamen propterea aut nouas sibi Ecclesias erigebant, aut noua altaria extruebant Prophetæ, in quibus separata sacrificia haberent: sed qualescunque essent homines, quia tamen reputabant Dominum apud eos verbum suum deposuisse, & ceremonias instituisse quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad illum extendebãt. Certè si putassent aliquid inde contagionis se contrahere, centies potius mortui fuissent quàm passi fuissent illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat quominus discessionem facerent, quàm seruandæ vnitatis studium. Quòd si religio sanctis Prophetis fuit, ob plurima & maxima scelera non vnius aut alterius hominis, sed propemodum totius populi, se ab Ecclesia alienare: nimium nobis arrogamus, si protinus audemus ab Ecclesiæ communione deficere vbi non omnium mores vel nostro iudicio vel Christianæ etiam professioni satisfaciunt.

19 Iam Christi & Apostolorum seculum quale fuit? Neque tamen impedire potuit desperata illa Pharisęorum impietas, & quæ tunc passim regnabat dissoluta viuẽdi licentia, quin iisdem sacris cum populo vterentur, & in vnum cum reliquis templum ad publica religionis exercitia conuenirent. Vnde id, nisi quia sciebant malorum societate minimè pollui qui pura conscientia iisdem sacris communicarent? Siquem parum mouent
Lib.3.Epi.5 Prophetæ & Apostoli, ille saltem Christi authoritati acquiescat. Bene ergo Cyprianus, Etsi videntur (inquit) in Ecclesia zizania, aut vasa impura, non est tamen cur ipsi de Ecclesia recedamus: nobis modò laborandum vt frumentum esse possimus: nobis danda opera & quantum licet innitendum vt vas aureum vel argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confrin-

sa confringere,solius Domini est,cui & virga ferrea data est:nec quisquam sibi quod proprium est soli Filio,vendicet,vt ad aream ventilandam & purgandam paleam sufficiat,zizaniáque omnia humano iudicio segreganda.Superba est ista obstinatio,& sacrilega præsumptio,quam sibi furor prauus assumit,&c.Fixum igitur vtrunque istorum maneat, nihil excusationis eum habere qui externam Ecclesiæ communionem sponte deserit, vbi Dei verbũ prædicatur,& sacramẽta administrantur:deinde nihil obstare vel paucorũ vel multorũ vitia quominus illic rite ceremoniis à Deo institutis fidem nostrã profiteamur: quia nec alterius siue pastoris siue priuati indignitate læditur pia conscientia, nec minus pura sunt ac salutaria mysteria homini sancto & recto, quia simul ab impuris attrectẽtur.

20 Vltrà etiam progreditur eorum morositas & fastus:quia Ecclesiã non agnoscunt nisi minimis quibusque næuis puram,imò probis doctoribus succensent: quia fideles ad profectum hortando,tota vita sub vitiorum onere gemere doceant,& ad veniã confugere.Hoc enim modo iactãt à perfectione abduci. Fateor quidem in vrgẽda perfectione nõ lentè vel frigidè laborandũ,ac multo minus cessandum esse:sed eius fiducia,dũ adhuc in curtu sumus,imbuere animos,diabolicum esse cõmentum dico.Itaque in symbolo Ecclesiæ peccatorũ remissio appositè subnectitur, hãc enim non cõsequuntur nisi soli illius ciues ac domestici,quemadmodũ legitur apud Prophetã.Præcedere ergo debet ædificatio cælestis Ierusalẽ,in qua deinde indulgẽtia hæc Dei locum habeat, vt quicunque ad eam cõcesserint,eorũ deleatur iniquitas. Dico autẽ ædificari primùm oportere,non quòd Ecclesia sine peccatorum remissione vlla esse queat: sed quia misericordiã suam Dominus non promisit nisi in sanctorũ communione.Est ergo primus nobis in Ecclesiam ac regnũ Dei ingressus,peccatorum remissio:sine qua nihil est nobis cum Deo fœderis aut coniunctionis. Sic enim per Prophetam loquitur, In illa die percutiam vobis fœdus cum bestia agri,cum volucre cæli & reptili terrę. Arcum,gladium & bellum conterã de terra,& dormire faciã homines absque terrore.Desponsabo vos mihi in sempiternũ.Desponsabo(inquã)in iustitia,in iudicio,in misericordia & miserationibus. Videmus qualiter per suã misericordiam nos sibi Dominus reconciliet. Sic & alibi, dum prædicit recolligendum populum, quẽ in ira dissipauerat, Mundabo (inquit) eos ab omni iniquitate qua peccarunt mihi.Quare in Ecclesiæ societatẽ ablutionis signo initiamur: quo doceamur non patere nobis in Dei familiam aditum nisi primùm eius bonitate sordes nostræ abstergantur.

Iesa.33.b.14

Oseæ 2.d.18

Iere. 33.a.8

21 Neque verò per peccatorum remissionem nos in Ecclesiam modò semel recipit & cooptat Dominus,sed per eandem nos in ipsa conseruat ac tuetur. Quorsum enim attineret,veniam nobis fieri quæ nulli vsui futura esset? Irritam autem & delusoriam fore Domini misericordiam, si semel duntaxat obtingeret, vnusquisque piorum sibi testis est:quia nemo non sibi conscius est per totam vitam multarum infirmitatũ,quę Dei misericordia indigent. Et sanè non frustra suis domesticis peculiariter hanc gratiam Deus promittit,nec frustra quotidie eundem reconciliationis nuntium illis deferri iubet. Itaque vt per totam vitam peccati reliquias circunferimus, nisi assidua in remittendis delictis Domini gratia sustentemur,momentum vnum in Ecclesia vix persistemus. Vocauit autẽ suos Dominus in æternam salutem. suis ergo illi peccatis veniam semper paratam esse cogitare debent.Quare certò statuendum, diuina liberalitate, intercedente Christi merito,per Spiritus sanctificationem,peccatorum gratiam nobis factam esse ac quotidie fieri,qui in Ecclesiæ corpus asciti & inserti sumus.

22 Ad hoc bonum nobis impartiendum claues Ecclesiæ datæ sunt. Nõ enim quum Apostolis mandatum dedit Christus,& potestatem contulit remittẽdi peccata, hoc tantùm voluit vt eos soluerent à peccatis qui ab impietate ad Christi fidem conuerterentur: sed magis vt hoc officio fungerentur perpetuò inter fideles. Quod Paulus docet, quum scribit legationem reconciliationis depositam esse apud Ecclesiæ ministros, quo subinde populum nomine Christi exhortentur ad se reconciliandũ Deo.Ergo in sanctorum communione,ipsius Ecclesiæ ministerio nobis assiduè remittuntur peccata,quum Presbyteri vel Episcopi,quibus hoc munus commissum est, pias conscientias Euãgelicis promissionibus in spe veniæ & remissionis confirmant. idque tam publicè quàm priuatim, prout necessitas postulat. Sunt enim permulti, qui pro sua infirmitate, singulari pacificatione indigent.Et Paulus non tantùm pro communi concione, sed etiam per domos testificatum se refert fidem in Christum, & vnumquenque sigillatim admonuisse de salutis doctrina. Tria igitur hîc nobis obseruanda sunt: Primùm,quantalibet sanctitate polleant fi-

Mat.16.c.19 & 18.c.18 Ioh. 20. e.23

2.Co.5.d.20

Act.20.d.20

lii Dei,hac tamen conditione ſemper eſſe, quandiu in mortali corpore habitant, vt ſine peccatorum remiſſione conſiſtere nequeant coram Deo. Deinde, hoc beneficium ſic eſſe Eccleſiæ proprium,vt non aliter eo fruamur quàm ſi permanemus in illius communione. Tertiò,per Eccleſiæ miniſtros & paſtores nobis diſpenſari, vel Euangelii prædicatione,vel Sacramẽtorum adminiſtratione. atque hac in parte maximè eminere clauium poteſtatem quam Dominus fidelium ſocietati contulit. Proinde vnuſquiſque noſtrũ hoc officii ſui eſſe cogitet, non alibi quærere remiſſionem peccatorum quàm vbi Dominus eam poſuit. De publica reconciliatione,quæ ad diſciplinam ſpectat,ſuo loco dicetur.

23 Quoniam autem phrenetici illi quos dixi ſpiritus hanc vnicam ſalutis anchoram eripere Eccleſiæ conãtur: aduerſus tam peſtilentem opinionem fortius roborandæ ſunt conſcientiæ. Nouatiani olim iſto dogmate Eccleſias exagitarunt:ſed Nouatianis nõ multum diſſimiles noſtrum quoque ſeculum habet quoſdam ex Anabaptiſtis, qui ad eadem deliramenta relãbuntur. Fingunt enim regenerari Dei populum in Baptiſmo in puram & Angelicam vitam, quæ nullis carnis ſordibus vitietur. Quòd ſi poſt Baptiſma quis delinquat, nihil præter inexorabile Dei iudicium illi relinquunt. Breuiter, peccatori poſt acceptam gratiam lapſo ſpem veniæ nullam faciunt:quia non aliam agnoſcunt peccatorum remiſſionem niſi qua primùm regeneramur. Etſi autem mendacium nullum à Scriptura clarius refutatur: quia tamen reperiunt iſti quibus imponant (quemadmodum & Nouatus olim plurimos habuit ſectatores) breuiter oſtẽdamus quantopere in ſuam aliorũmque perniciem inſaniant. Principiò,quũ Domini iuſſu quotidie ſancti repetant hanc
Mat.6.b.12 precem, Remitte nobis debita noſtra,ſe nimirum debitores confitentur. Neque fruſtra petunt. quia Dominus non aliud vbique petendum præſcripſit quàm quod ipſe daturus eſſet. Imò quum totam orationem exauditum iri à Patre ſit teſtatus, hanc tamen abſolutionem peculiari etiamnum promiſſione obſignauit. Quid vltrà volumus? peccatorum confeſſionem à ſanctis,& eam quidem aſſiduam,tota vita requirit Dominus, & veniam pollicetur. Quæ audacia eſt aut à peccato illos eximere: aut, ſi impegerint, à gratia prorſus excludere?
Mat.18. c.22 Iam quibus vult nos cõdonare ſeptuageſies ſepties?annon fratribus? Quorſum præcepit niſi vt ſuam clementiam imitemur?Condonat igitur non ſemel aut bis:ſed quoties delictorum agnitione conſternati,ad eum ſuſpirant.

24 Atque (vt ab ipſis penè incunabulis Eccleſiæ ordiamur) Patriarchæ circuncili
Gen.37. d.18 erant, in fœderis participationem allecti, edocti haud dubiè patris diligentia iuſtitiam & integritatem, quum in fratricidium conſpirarunt. ſcelus erat vel perditiſſimis latronibus abominandum. Tandem manſuefacti Iudæ monitionibus,vendiderunt.hæc quo-
Ibidem, f.28 que intolerabilis fuit immanitas. Simeon & Leui, nefaria vltione & patris quoque iu-
Ibid.34. d.25 dicio damnata, in Sichimitas ſæuierunt. Ruben cubile paternum ſpurciſſima libidine
Ibid.35. d.22 contaminauit. Iudas dum ſcortationi vult indulgere præter naturæ legem, ad nurum
Ibid.38. d.16 ingreditur. Atqui tantum abeſt quin expungantur è populo electo, vt potius in capita erigantur. Quid porrò Dauid?quum præſes eſſet iuſtitiæ, quanto cum flagitio, per in-
2.Sam.11.a. 4,& c.15 nocentis ſanguinis effuſionem, viam cæcæ libidini patefecit?Iam regeneratus erat,ac in-
Ibidé,12.c.13 ter regeneratos inſignibus elogiis Domini ornatus. quod tamen vel inter Gentes horribile eſt flagitiũ perpetrauit: & veniam tamen eſt cõſequutus. Et(ne ſingularibus exemplis immoremur) quot in Lege & Prophetis erga Iſraelitas extant diuinæ miſericordiæ promiſſiones, toties cõprobatur Dominus ſe placabilem exhibere populi ſui offenſis. Quid enim Moſes promittit fore vbi populus in apoſtaſiam prolapſus redierit ad Dominum?
Deut.30. a.3 Reducet te Deus è captiuitate, & miſerebitur tui, & congregabit te ex populis ad quos fueris diſperſus. Si ad cardines cæli fueris diſſipatus,inde ego te recolligam.

25 Sed nolo enumerationem inchoare quæ nunquã finienda eſſet.pleni enim ſunt Prophetæ eiuſmodi promiſſionibus,quæ populo infinitis ſceleribus cooperto miſericordiam tamen offerãt. Quod grauius eſt flagitium rebellione?diuortium enim inter Deum & Eccleſiam vocatur. at hoc Dei bonitate ſuperatur. Quis eſt vir (inquit per Ieremiam)
Iere.3.a.1,& d.12 cuius ſi vxor corpus ſuum adulteris proſtituerit,cum ea redire in grariam ſuſtineat? Tuis autem ſcortationibus omnes vię pollutę ſunt Iuda,repleta fuit terra fœdis amoribus tuis. Reuertere tamen ad me,& ego te ſuſpiciam. Reuertere auerſatrix,nõ auertam à te faciem meam:quia ſanctus ſum,& non iraſcor in perpetuum. Et ſanè non alius eſſe affectus eius
Eze.18. a.23. & g.32 poteſt,qui affirmat ſe nolle mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Ideo quum templum Solomon dedicaret, in hunc quoque vſum deſtinabat, vt orationes pro impetranda

impetranda peccatorum venia factæ inde exaudirentur. Si peccauerint, dicebat, tibi filii tui (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & egerint pœnitentiam in corde suo & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicētes, Peccauimus, iniquè egimus: & orauerint versus terram quam dedisti patribus eorum, & versus templum hoc sanctum: exaudies in cœlo preces eorū, & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi, & omnibus iniquitatibns eorum quibus præuaricati sunt in te. Nec frustra in Lege, quotidiana pro peccatis sacrificia Dominus ordinauit. nisi enim assiduis peccatorum morbis populum suum laborare Dominus præuidisset, nunquam illi constituisset hæc remedia. 1.Reg.8.c.46 Num.28.a.3

26 An aduentu Christi, quo plenitudo gratiæ exerta fuit, hoc ademptum est fidelibus beneficium, ne pro delictorum venia audeant supplicare? ne, si Dominū offenderint, vllam misericordiam consequantur? Quid hoc erit aliud quàm Christum dicere in suorum perniciem venisse, non salutem, si quæ in Veteri testamento assiduè sanctis parata erat Dei indulgentia in peccatis condonandis, nunc è medio sublata dicitur? Quòd si Scripturis fidem habemus, disertè clamantibus, in Christo demum gratiam & humanitatem Domini ad plenum apparuisse, effusam misericordiæ opulentiam, reconciliationem Dei & hominum adimpletam: ne dubitemus quin multo benignior nobis clementia cælestis Patris exuberet potius quàm abscissa aut decurtata fuerit. Neque verò desunt illius documenta. Petrus, qui audierat abnegatum iri coram Angelis Dei qui apud homines nomē Christi non esset confessus, ter vna nocte, nec sine execratione, abnegauit: non tamen à venia depellitur. Qui inordinatè viuebant apud Thessalonicenses, sic castigantur vt inuitentur ad pœnitentiam. Ne ipsi quidem Simoni mago desperatio iniicitur, quin potius iubetur bene sperare, quum ad preces confugere suadet illi Petrus. Tit.1.c.9, & 3.d.4 2.Tim.1.c.9 Mat.10.d.33 Mar.6.d.38 Mat.26.g.39 2.Thes.3.b.6 Act.8.d.22

27 Quid quòd totas interdum Ecclesias grauissima peccata occuparunt, à quibus tamen eas Paulus clementer potius extricauit quàm earum capita deuoueret? Galatarum defectio non mediocre erat delictum: Corinthii eo minus illis erāt excusabiles, quòd pluribus neque leuioribus flagitiis abundabant: neutri tamen à misericordia Domini excluduntur. Imò illi ipsi qui præ aliis immunditia, fornicatione & impudicitia deliquerant, nominatim inuitantur ad pœnitentiam. Manet enim æternúmque manebit inuiolabile pactum Domini, quod solenniter cum Christo vero Solomone, eiúsque membris sanciuit his verbis, Si dereliquerint filii eius Legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: si iustitias meas profanarint, mandata mea nō custodierint, visitabo in virga iniquitates eorū, in verberibus peccata eorū: misericordiam autē meam nō auferam ab eo. Denique ipsa symboli dispositione admonemur perpetuā residere in Ecclesia Christi delictorum gratiam: quòd Ecclesia velut constituta remissio peccatorum adhuc subiungitur. Gal.1.a.6, & 3.a.1, & 4.b.9 1.Cor.12.g.21 Psal.89.c.31

28 Quidam aliquanto prudētiores, vbi vident tanta Scripturæ perspicuitate Nouati dogma refutari, non quodlibet delictum irremissibile faciunt, sed voluntariam Legis transgressionem, in quam sciens quis ac volens impegerit. Porrò sic loquentes peccatum nullum venia dignantur, nisi ficubi aberratum ignorantia fuerit. Verùm quum Dominus in Lege, alia pro expiandis fidelium voluntariis peccatis, alia pro ignorantiis redimendis mandarit offerri sacrificia: quantæ est improbitatis voluntario peccato nullum concedere piaculum? Dico nihil esse apertius quàm vnicum Christi sacrificium valere ad remittenda sanctorum voluntaria peccata: quando Dominus carnalibus hostiis, veluti signacu lis, id testatum fecit. Deinde quis ab ignorantia Dauidem excuset, quem tantopere constat fuisse in Lege eruditum? An nesciebat Dauid quantum foret adulterii & homicidii crimen, qui quotidie ipsum in aliis puniebat? An fratricidium res legitima Patriarchis videbatur? An ita malè profecerant Corinthii, vt lasciuiam, impuritatem, scortationem, odia, contentiones placere Deo putarent? An Petrus tam diligenter admonitus ignorabat quanti esset magistrum eiurare? Ergo Dei misericordiæ tam benignè se exerenti viam nostra malignitate ne præcludamus. Leuit.4

29 Equidem non me latet veteres scriptores peccata quæ quotidie remittuntur fidelibus interpretatos esse quæ ex infirmitate carnis obrepunt leuiora errata: pœnitētiam verò solennem, quæ pro grauioribus flagitiis tum exigebatur, illis visam esse non magis iterandam quàm Baptismum. quæ sententia non ita est accipienda quasi aut præcipitare in desperationem voluerint qui à prima pœnitentia iterum recidissent, aut illa errata eleuare, perinde atque coram Deo exilia. Sciebant enim infidelitate sæpius titubare san-

ctos, iuramenta ſuperuacua illis interdum excidere, in iram nonnunquam efferuere, imò prorumpere ad manifeſta vſque cõuitia, aliis præterea malis laborare quæ Dominus non leuiter abominatur: ſed ita vocabant, vt diſtinguerent à publicis criminibus, quæ cum magno offendiculo in Eccleſiæ cognitionem veniebant. Quòd autem adeò difficulter ignoſcebant iis qui dignum aliquid animaduerſione Eccleſiaſtica perpetrarant, non ideò fiebat quòd difficilem illis apud Dominum veniam putarent: ſed hac ſeueritate volebant alios deterrere ne temere proruerent in flagitia, quorum merito ab Eccleſiæ communione alienarentur. Quanquam verbum Domini, quod hîc pro vnica regula nobis eſſe debet, maiorem certè moderationem præſcribit. Siquidem eouſque intendendum docet diſciplinæ rigorem, ne abſorbeatur à triſtitia is cui præcipuè conſultum oportet: vt fuſius ſuprà diſſeruimus.

Comparatio falſæ Eccleſiæ cum vera. CAP. II.

QVANTI apud nos valere verbi & ſacramentorum miniſterium, & quouſque procedere eius reuerentia debeat, vt ſit nobis perpetua teſſera dignoſcẽdæ Eccleſiæ, explicatum eſt. Nempe vbicunque integrum extat & illibatum, nullis morum vitiis aut morbis impediri quominus Eccleſiæ nomen ſuſtineat. Deinde, illud ipſum leuiuſculis erroribus non vitiari quominus legitimum æſtimetur. Porrò errores quibus talis debeatur venia, eos eſſe indicatum eſt quibus præcipua religionis doctrina non lædatur, quibus non opprimantur quæ inter fideles omnes conuenire debent religionis capita: in ſacramentis verò, qui legitimam authoris inſtitutionem non abolent nec labefactent. Atqui, ſimul ac in arcem religionis mendacium irrupit, ſumma neceſſariæ doctrinæ inuerſa eſt, ſacramẽtorum vſus corruit: certe Eccleſiæ interitus conſequitur. perinde atque de vita hominis actum eſt, iugulo tranſſixo, vel præcordiis lethaliter ſauciatis. Atque id ex Pauli verbis liquidò euincitur, quum docet Eccleſiam fundatam eſſe ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo Chriſto ſummo angulari lapide. Si Eccleſiæ fundamentum eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, qua ſalutem ſuam in vno Chriſto reponere fideles iubentur, illam doctrinam tolle, quomodo amplius ædificium conſtabit? Corruat ergo Eccleſia neceſſe eſt vbi intercidit illa religionis ſumma quæ ſola ſuſtinere eam poteſt. Deinde ſi vera Eccleſia columna eſt ac firmamentum veritatis, certum eſt non eſſe Eccleſiam vbi regnum occupauit mendacium & falſitas.

Ephe.2.d.20

1.Tim.3.d.15

2 In eum modum quum res habeat ſub Papiſmo, intelligere licet quid Eccleſiæ illic ſuperſit. Pro verbi miniſterio peruerſa & mendaciis conflata illic regnat gubernatio, quę puram lucem partim extinguit, partim ſuffocat. In locum Cœnæ Domini, fœdiſſimum ſacrilegium ſubiit: cultus Dei varia & non ferenda ſuperſtitionum congerie deformatus: doctrina (citra quam Chriſtianiſmus non cõſtat) tota ſepulta & exploſa: publici conuentus, idololatriæ & impietatis ſcholæ. Quare nullum eſt periculum ne ab exitiali tot flagitiorũ participatione deſciſcendo, ab Eccleſia Chriſti diuellamur. Eccleſiæ communio nõ ea lege inſtituta eſt vt vinculum ſit quo idololatria, impietate, ignorantia Dei aliiſque malorum generibus irretiamur: ſed potius, quo in timore Dei, & veritatis obedientia retineamur. Magnificè illi quidem ſuam nobis Eccleſiam commendant, nequa alia in mundo eſſe videatur: poſtea, quaſi re confecta, omnes ſchiſmaticos eſſe conſtituunt qui ab eius quam pingunt Eccleſiæ obedientia ſubducere ſe: omnes hæreticos, qui contra eius doctrinam mutire audent. Sed quibus rationibus veram ſe Eccleſiam habere confirmant? Allegãt ex vetuſtis annalibus quid olim in Italia, in Gallia, in Hiſpania fuerit. A ſanctis illis viris qui ſana doctrina fundarũt excitarúntque Eccleſias, doctrinámque ipſam & Eccleſiæ ædificationem ſuo ſanguine ſtabilierunt, ſe originem ducere. Eccleſiam verò ſic & ſpiritualibus donis, & Martyrum ſanguine apud ſe conſecratam, perpetua Epiſcoporum ſucceſſione conſeruatã fuiſſe ne intercideret. Commemorãt quanti hanc ſucceſſionẽ fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alii. Quã friuola ſint iſta & planè ludicra, faciã vt nullo negotio intelligãt ii qui mecũ ea paululũ expẽdere volẽt. Equidem eos quoque hortarer vt huc animũ ſeriò aduerterent, ſiquid docendo proficere me apud eos poſſe confiderẽ. ſed quando illis, omiſſa veritatis ratione, hoc vnũ propoſitũ eſt quacunque poſſunt via rẽ ſuã agere, pauca tantùm dicam quibus ſeſe boni viri & veri ſtudioſi ab eorum captionibus expedire queant. Primùm ab illis quæro cur non Aphricam citent, Ægyptum, & totam Aſiam. Nempe quia in omnibus illis regionibus deſiit ſacra

hæc

hæc Episcoporum successio,cuius beneficio se Ecclesias retinuisse gloriãtur. Eò igitur recidunt,se ideo verã habere Ecclesiam,quia ex quo esse cœpit,nõ fuerit Episcopis destituta:perpetua enim serie alios aliis successisse.Sed quid si Græciam illis regeram?Quæro igitur iterum ab ipsis cur apud Græcos periisse Ecclesiam dicãt,apud quos nunquã interrupta fuit illaEpiscoporum successio,vnica,eorum opinione,Ecclesiæ custos & cõseruatrix. Græcos faciunt schismaticos.quo iure?quia à sede Apostolica desciscendo,priuilegiũ perdiderunt. Quid? annon multo magis perdere merentur qui à Christo ipso deficiunt? Sequitur ergo euanidum esse prætextum successionis, nisi Christi veritatem, quam à patribus per manum acceperint, saluam & incorruptam posteri retineãt, ac in ea permaneãt.

3 Ergo non aliud hodie prætendunt Romanenses quàm Iudæos olim obtẽdisse apparet, quum cæcitatis, impietatis, idololatriæ à Prophetis Domini arguerentur. Nam vt illi templum, ceremonias, sacerdotia glorioſè iactabant,quibus rebus Ecclesiam,magno, vt sibi videbantur, argumento metiebantur:ita pro Ecclesia externæ quædam laruæ ab his opponuntur, quæ longè sæpe absunt ab Ecclesia, & citra quas Ecclesia optimè constare potest.Quare neque alio argumento refutandi nobis sunt,quàm quo aduersus stultam illam Iudæorum confidentiam pugnabat Ieremias. nempe ne glorientur in verbis mendacibus,dicentes,Templum Domini,templum Domini,templũ Domini est.Quando nihil Dominus vspiam suum agnoscit nisi vbi verbum suum auditur, ac religioſè obseruatur.Ita quum gloria Dei inter Cherubim in sanctuario sederet, eámque sedem sibi stãtam fore pollicitus esset ipsis: vbi cultum eius prauis superstitionibus corrumpunt sacerdotes, aliò transmigrat,& locum sine vlla sanctitate relinquit. Si templum illud quod videbatur perpetuæ Dei habitationi consecratum, derelinqui à Deo ac profanescere potuit, non est quòd nobis isti fingant Deum ita personis aut locis alligatum, & affixum externis obseruationibus, vt manere apud eos oporteat qui titulum modò & speciem Ecclesiæ habent. Atque hæc est contentio quam habet Paulus in Epistola ad Romanos, à nono capite vsque ad duodecimum.Hoc enim vehementer turbabat infirmas cõscientias,quòd quum viderentur esse populus Dei, Euangelii doctrinam non modò respuebant, sed etiam persequebantur.Postquam ergo doctrinam exposuit, hanc difficultatem remouet: ac negat Iudæos illos, veritatis hostes, esse Ecclesiam: vtcunque nihil eis deesset quod posset ad externam Ecclesiæ formam aliàs desiderari. Ideóque negat,quia Christum non amplecterentur. Aliquanto etiam expressius in Epistola ad Galatas: vbi Ismaelem cum Isaac comparando, multos dicit in Ecclesia tenere locum ad quos non pertinet hæreditas: quia progeniti non sunt ex libera matre. Vnde etiam ad comparationem duplicis Ierosolymæ descendit: quia sicuti in monte Sina Lex est lata, Euangelium verò ex Ierusalem prodiit: sic multi seruiliter nati & educati, filios Dei & Ecclesiæ se esse non dubitanter iactant: imò superbè despiciunt genuinos Dei filios, quum sint ipsi degeneres. Nos quoque ex opposito, dum audimus semel è cælo pronuntiatum esse, Eiice ancillam & filium eius, hoc inuiolabili decreto freti fortiter spernamus insipidas eorum iactantias. Nam si externa professione superbiunt, Ismael quoque circuncisus erat: si antiquitate pugnant, ille erat primogenitus, videmus tamen abdicari. Si causa quæritur, eam Paulus assignat, non censeri inter filios nisi qui geniti sunt ex puro & legitimo doctrinæ semine. Secundum hanc rationem negat se Deus impiis Sacerdotibus obstrictum esse,quia pepigerit cum patre eorum Leui ipsum sibi Angelum vel interpretem fore: imò in eos retorquet falsam eorum gloriationem, qua solebant insurgere contra Prophetas:quòd scilicet dignitas sacerdotii in singulari pretio habenda foret.Hoc ipse libenter admittit, & hac conditione cum ipsis disceptat, quia pactum seruare paratus sit.dum autem ipsi mutuò non respõdent,repudiari merentur. En quid valeat successio, nisi imitatio etiam coniuncta sit atque æquabilis tenor:nempe vt posteri,simulac cõuicti fuerint desciuisse à sua origine,omni honore priuentur.Nisi fortè quia Caiphas multis piisSacerdotibus successit (imò ab Aarone vsque ad illum continua fuit series) ideò sceleratus ille cœtus Ecclesiæ titulo dignus fuit. Atqui ne in terrenis quidem imperiis hoc ferri posset, vt verus Reipublicæ status dicatur tyrannis Caligulæ,Neronis,Heliogabali,& similium, quia Brutis,Scipionibus,& Camillis successerint.Præsertim verò in Ecclesiæ regimine nihil magis friuolum,quàm omissa doctrina successionem in ipsis personis locare.Nec verò quicquam minus Sanctis doctoribus,quos falsò nobis obtrudunt,propositum fuit, quàm præcisè quasi hæreditario iure probare,esse Ecclesias vbicũque Episcopi alii aliis subroga-

Iere.7.a.4

Ezech.10.a.

Gal.4.c.22

Gene.21.a.10

Rom.9.b.6

ti fuerant. Sed quum extra controuerſiam eſſet, nihil à principio vſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina, ſumebant quod omnibus nouis erroribus conficiendis ſufficeret, illis oppugnari doctrinam ab ipſis vſque Apoſtolis conſtanter & vnanimi conſenſu retētam. Non eſt igitur cur fucum amplius facere pergant ex Eccleſiæ nomine, quam nos vt decet reuerenter colimus: ſed vbi ad definitionem ventum eſt, non modò aqua (vt dicitur) illis hæret, ſed hærent in ſuo luto: quia fœtidam meretricem ſubſtituunt pro ſacra Chriſti ſponſa. Quæ ſuppoſitio ne nos fallat, præter alias admonitiones hæc quoque Auguſtini nobis ſuccurrat. nam de Eccleſia loquens, Ipſa eſt, inquit, quæ aliquando obſcratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum: aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet: aliquando tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Exempla profert, quòd ſæpius firmiſſimæ columnę vel pro fide exularent fortiter, vel toto orbe latitarent.

Ad Vincent. epiſt. 48

4 In hunc modum hodie nos vexant Romanenſes, ac ímperítos terrefaciunt Eccleſiæ nomine, quum capitales ſint Chriſti aduerſarii. Quãuis igitur templum, ſacerdotium, & reliquas huiuſmodi laruas obtendant, minimè permouere nos debet inanis hic fulgor quo ſimplicium oculi perſtringuntur, vt Eccleſiam eſſe recipiamus vbi verbum Dei non apparet. Hæc enim perpetua eſt nota, qua ſignauit ſuos Dominus noſter, Qui eſt ex veritate, inquit, audit vocem meam. Item, Ego ſum paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Paulo autem antè dixerat, Oues paſtorem ſuum ſequi, quia nouerũt vocem eius: alienum autem non ſequi, ſed effugere ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Quid igitur ſponte in cenſenda Eccleſia inſanimus, quum eam minimè dubio ſymbolo deſignarit Chriſtus, quod vbicunque ſpectatur, fallere non poteſt quin illic Eccleſiã certò oſtendat: vbi verò abeſt, nihil reſtat quod veram Eccleſiæ ſignificationem dare poſſit? Non enim ſuper hominum iudicia, non ſuper ſacerdotia fundatam eſſe Eccleſiam, ſed ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, commemorat Paulus. Quin potius Ieruſalem à Babylone, Chriſti Eccleſia à Satanæ coniuratione hoc diſcrimine dignoſcẽda eſt quo eas inter ſe Chriſtus diſtinxit: Qui ex Deo eſt, inquit, verba Dei audit. Propterea non auditis quia ex Deo non eſtis. In ſumma, quum Eccleſia regnum ſit Chriſti, regnet autẽ ille nonniſi per verbum ſuum: an vllis iam obſcurum erit quin illa mendacii verba ſint, quibus Chriſti regnum abſque eius ſceptro (id eſt ſacroſancto ipſius verbo) eſſe fingitur?

Iohan. 18. g. 37
Iohan. 10. b. 14
Ibidem, a. 4
Ephe. 2. d. 20
Iohã. 8. f. 47

5 Iam verò quòd reos ſchiſmatis & hæreſeos nos agunt quia & diſſimilem prædicemus doctrinam, & ſuis legibus non pareamus, & ſeorſum conuentus ad preces, ad Baptiſmum, ad Cœnæ adminiſtrationem, aliáſque ſacras actiones habeamus: grauiſſima quidem eſt accuſatio, ſed quæ nequaquam longa aut laborioſa defenſione opus habet. Hæretici & ſchiſmatici vocantur, qui diſſidio facto Eccleſiæ communionem dirimũt. Hæc porrò duobus vinculis continetur, ſanę doctrinę conſenſione, & fraterna charitate. Vnde inter hæreticos & ſchiſmaticos hoc diſcriminis ponit Auguſtinus, quòd illi quidem falſis dogmatibus fidei ſynceritatem corrumpant: hi autem interdum etiam in fidei ſimilitudine, ſocietatis vinculum diſrumpant. Verùm id quoque notandũ eſt, hanc charitatis coniunctionem ſic à fidei vnitate pendere, vt hæc illius initium, finis, vnica denique regula eſſe debeat. Meminerimus ergo, quoties Eccleſiaſtica vnitas nobis commendatur, hoc quæri vt dum mentes in Chriſto conſentiunt, voluntates etiam noſtræ mutua in Chriſto beneuolentia inter ſe coniunctæ ſint. Itaque Paulus, dum ad illam nos hortatur, pro fundamento ſumit, vnum eſſe Deum, vnam fidem, & vnum Baptiſmum. Imò vbicũque nos idem ſentire & idem velle docet, continuò addit, In Chriſto, vel, ſecundum Chriſtum: ſignificans impiorum eſſe factionem, non conſpirationem fidelium, quæ fit extra verbum Domini.

Lib. quæſt. Euang. ſec. Matth.
Epheſ. 4. a. 5
Philip. 2. a. 2 & 5

6 Paulum quoque ſequutus Cyprianus totius Eccleſiaſticæ concordiæ fontem ab vnico Chriſti epiſcopatu ducit, poſtea ſubiicit, Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quo modo ſolis radii multi, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte vno rui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exuberantis copiæ largitate, vnitas tamen manet in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per totũ orbem porrigitur: vnum tamen lumen

De ſimplicitate Prælatorum.

lumen est quod vbique diffunditur. Nihil elegantius dici potuit ad exprimendam indiuiduam illam connexionem quam habent inter se omnia Christi membra. Videmus vt ad caput ipsum perpetuò nos reuocet. Proinde hæreses & schismata inde oriri pronuntiat, quòd ad veritatis originem nõ reditur, nec caput quæritur, nec cælestis magistri doctrina seruatur. Eant nunc, & clamitẽt hæreticos nos esse qui ab ipsorum Ecclesia recesserimus: quum nulla alienationis causa fuerit nisi hæc vna, quòd puram veritatis professionem nullo modo ferre possunt. Taceo autem quòd anathematibus & diris nos expulerunt. Quod tamen ipsum satis supérque nos absoluit, nisi Apostolos quoque schismatis damnare velint, quibuscum similem habemus causam. Prædixit, inquam, Christus Apostolis suis, fore vt à synagogis propter nomen suum eiicerentur. Illæ porrò synagogę de quibus loquitur, tunc habebantur legitimæ Ecclesiæ. Quum ergo eiectos esse nos cõstet, idque propter Christi nomen fuisse factum parati simus ostendere, de causa certè prius quærendum est quàm aliquid de nobis in hanc vel illam partem definiatur. Sed hoc illis, si ita volunt, sponte remitto. abundè enim mihi est, oportuisse nos ab ipsis recedere vt ad Christum accederemus. Iohan. 16. a. 2

7 Sed apparebit etiamnum certius quo loco nobis esse debeãt Ecclesiæ omnes quas Romani illius idoli tyrannis occupauit, si cum Israelitica illa veteri, qualis apud Prophetas delineata est, conferatur. Vera tum extabat apud Iudæos & Israelitas Ecclesia, quum in fœderis legibus perstarent: ea scilicet obtinentes Dei beneficio quibus Ecclesia cõtinetur. Doctrinam veritatis habebant in Lege, eius ministeriũ penes sacerdotes erat & Prophetas: Circuncisionis symbolo in religionem initiabantur, aliis sacramentis exercebantur ad fidei confirmationem. Non dubium quin competerent in eorum societatem elogia quibus Ecclesiam Dominus honorauit. Postquam deserta Lege Domini, degenerarunt ad idololatriam & superstitionem, illa prærogatiua pro parte exciderunt. Quis enim ausit Ecclesiæ titulum iis præripere apud quos verbi sui prædicationem, & mysteriorum obseruationem deposuit Deus? Rursum, quis ausit eum cœtum nulla cum exceptione Ecclesiam appellare, vbi verbum Domini palàm & impune conculcatur? vbi eius ministerium, præcipuus neruus, atque adeo anima Ecclesiæ, dissipatur?

8 Quid ergo? (dicet quispiam) nullane igitur reliqua erat in Iudæis Ecclesiæ particula ex quo ad idololatriam defecerunt? Facilis est responsio. Primùm dico in ipsa defectione fuisse gradus quosdam, neque enim dicemus eundem fuisse lapsum Iudæ & Israelis, quo primùm tempore vterque à puro Dei cultu deflexit. Iarobeam, quum vitulos fabricaret contra apertam Dei prohibitionem, & adorationi locum non licitum dedicaret, religionẽ prorsus corrupit, Iudæi prius se impiis moribus & superstitiosis inquinarũt quàm statum in externa religionis forma perperam mutarent. Quanquam enim sub Rechabeã multas iam peruersas ceremonias vulgò sibi asciuerant, quia tamen Ierosolymis manebant & Legis doctrina & sacerdotium, & ritus quales Deus instituerat: habebant illic pii tolerabilem Ecclesiæ statum. Apud Israelitas, vsque ad regnum Achab res minimè in melius restitutæ, tunc verò etiam in deterius prolapsæ sunt. Qui postea successerunt, vsque ad interitum regni, partim eius fuerunt similes, partim (quum aliquando meliores esse vellent) exemplum Iarobeam sequuti sunt, omnes autem ad vnum impii & idololatræ. In Iudæa variæ subinde mutationes fuerunt, dum alii reges cultum Dei falsis & commentitiis superstitionibus peruertunt, alii dissipatam religionem instaurãt: donec ipsi quoque sacerdotes templum Dei profanis abominandísque ritibus polluerunt.

9 Age nunc, negent Papistæ si possunt, vt sua vitia maximè extenuent, religionis statum ita apud se corruptum vitiatúmque esse vt fuit in regno Israelitico sub Iarobeam. At qui idololatriam habẽt crassiorem: neque in doctrina, guttula vna sunt puriores: nisi fortè in hac quoque ipsa magis sint impuri. Deus, imò quicunque mediocri iudicio præditi sunt, mihi erũt testes, & res etiam ipsa declarat quàm nihil hîc amplificem. Iam quum ad Ecclesiæ suæ communionem adigere nos volunt, duo postulant à nobis: primùm vt precibus, sacrísque, & ceremoniis suis omnibus communicemus: deinde vt quicquid honoris, potestatis, iurisdictionis Ecclesiæ suæ tribuit Christus, id Ecclesiæ suæ deferamus. Quod ad primum attinet, fateor Prophetas omnes qui Hierosolymis fuerunt, quum res illic essent admodum corruptæ, nec seorsum sacrificasse, nec separatos habuisse ab aliis ad orandum cœtus. Habebant enim Dei mandatum, quo in templum Solomonis conuenire iubebantur: sacerdotes Leuiticos, quos, quia sacrorum antistites ordinati erant à Domino, Exod. 29. b. 9

necdum abdicati, vtcũque indigni eo honore essent, locum illum iure adhuc tenere nouerant. Quod verò caput est totius quæstionis, ad nullum superstitiosum cultum adigebantur: imò nihil suscipiebant quod non esset à Deo institutum. Apud hos autem, Papistas dico, quid simile? Vix enim vllum cum ipsis conuentum possumus habere in quo nõ aperta idololatria nos polluamus. Certè præcipuum communionis vinculum in Missa est, quam nos vt maximum sacrilegiũ abominamur. Atque id meritò an temere à nobis fiat, alibi videbitur. Nunc satis est ostẽdere aliam in hac parte causam nostram esse quàm fuerit Prophetarum, qui vt impiorum sacris interessent, nullas ceremonias vel spectare vel vsurpare cogebantur nisi à Deo institutas. Ac, si exemplum omnino simile habere libet, sumamus ex regno Israelitico. Secundũ institutum Iarobeam manebat circoncisio, fiebant sacrificia, Lex sancta habebatur, inuocabatur Deus ille quẽ à Patribus acceperant: sed propter commẽtitios ac vetitos cultus, quicquid illic agebatur, Deus improbabat ac damnabat. Cedò mihi Prophetam vnum, vel pium aliquem virum, qui semel adorauerit in Bethel, aut sacrum fecerit. Nouerant enim se id non facturos quin aliquo sacrilegio se contaminarent. Habemus ergo, non eousque valere apud pios debere Ecclesiæ communionem, vt si illa ad profanos pollutósque ritus degeneraret, sequi protinus necesse sit.

1.Reg.12.g. 31

10 Verùm de altera parte magis etiamnum contendimus. nam si Ecclesia secũdum eum modum cõsideratur, cuius reuereri iudicium, cuius authoritati deferre, cuius monitionibus parêre, cuius castigationibus cõmoueri, cuius cõmunionẽ religiosè in omnibus colere oporteat: Ecclesiã illis concedere non possumus quin subiectionis & obedientiæ necessitas nos maneat. Libenter tamen eis concedemus quod Iudæis & Israelitis sui seculi dederunt Prophetæ, quum res aut in pari statu aut etiam meliore illic essent. Videmus autem vt passim clament profana esse conuenticula, quibus non magis consentire liceat quàm Deum abnegare. Et certè si illæ Ecclesiæ fuerunt, sequitur ab Ecclesia Dei alienos fuisse, in Israele quidem Heliã, Micheam, & similes: in Iuda autẽ Iesaiam, Ieremiã, Oseam, & reliquos eius notæ, quos peius quibusuis incircuncisis oderant & execrabãtur sui seculi Prophetæ, Sacerdotes, & populus. Si illæ Ecclesiæ, ergo Ecclesia non columna veritatis, sed firmamentum mendacii: non tabernaculum Dei viuentis, sed idolorum receptaculũ. Necesse igitur habebant ab eorũ cœtuũ cõsensione desciscere, quæ nihil aliud erat quàm impia aduersus Deũ conspiratio. Eadem ratione siquis præsentes cœtus idololatria, superstitione, impia doctrina contaminatos pro Ecclesiis agnoscat, in quarũ plena cõmunione perstandum sit homini Christiano vsque ad doctrinæ cõsensionem, valde errabit. Nam si Ecclesiæ sunt, potestas clauium penes ipsas est. atqui claues indiuiduũ habent nexũ cum verbo, quod illinc profligatũ est. Deinde si Ecclesiæ sunt, valet apud eas Christi promissio, Quodcunque ligaueritis, &c. Contrà autẽ, abdicãt à sua cõmunione quicunque se Christi seruos non fictè profitentur. Ergo aut euanida est Christi promissio, aut non sunt, hoc saltem intuitu, Ecclesiæ. Denique pro verbi ministerio habent scholas impietatis & errorum omne genus sentinam. Proinde aut Ecclesiæ, secundum hanc rationem, nõ sunt: aut nullum restabit symbolum quo legitimi fidelium cœtus à Turcarum conuentibus discernantur.

1.Tim.3.d.15

Mat.16.c.19, & 18.c.18

Iohan.20. c. 23.

11 Vt tamen manebãt olim inter Iudæos peculiares quædam Ecclesiæ prærogatiuæ, ita nec hodie Papistis adimimus quæ supereſſe ex dissipatione vestigia Ecclesiæ inter eos Dominus voluit. Cum illis fœdus suum semel pepigerat Deus, id sua magis ipsius firmitate subnixum contra eorum impietatem eluctando persistebat, quàm ab illis conseruabatur. Quæ itaque certitudo est ac constantia diuinæ bonitatis, residebat illic fœdus Domini: nec obliterari illorum perfidia poterat eius fides: nec impuris eorum manibus profanari ita Circuncisio poterat, quin simul verum esset signum & sacramentum eius fœderis. Vnde liberos qui illis nascebãtur, suos Dominus vocabat: qui nisi speciali benedictione, nihil ad eum pertinerent. Sic quum fœdus suum in Gallia, Italia, Germania, Hispania, Anglia deposuerit: vbi illæ prouinciæ Antichristi tyrãnide oppressæ sunt, quo tamen fœdus suum inuiolabile maneret, Baptismum primò illic conseruauit, fœderis testimonium, qui eius ore cõsecratus, inuita humana impietate vim suam retinet: deinde sua prouidentia effecit vt aliæ quoque reliquiæ extarent, ne Ecclesia prorsus interiret. Ac quemadmodum ita sæpe diruuntur ædificia vt fundamenta & ruinæ maneant, ita non passus est Ecclesiam suam ab Antichristo vel à fundamento subuerti, vel solo æquari (vtcunque ad puniendam hominum ingratitudinem, qui verbum suum contempserant, horribilem quassa-

Ezec.16.c.20

Iesa.1.d.14

quaſſationem ac diſiectionem fieri permiſerit) ſed ab ipſa quoque vaſtatione ſemirutum ædificium ſupereſſe voluit.

12 Quum ergo Eccleſiæ titulum non ſimpliciter volumus concedere Papiſtis, non ideo Eccleſias apud eos eſſe inficiamur: ſed tantùm litigamus de vera & legitima Eccleſię conſtitutione, quæ in communione cum ſacrorum, quæ ſigna ſint profeſſionis, tum verò potiſſimùm doctrinæ requiritur. Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum prædixerunt Daniel & Paulus: Illius ſcelerati & abominandi regni ducem & anteſignanum apud nos facimus Romanum Pontificem. Quòd ſedes eius in templo Dei collocatur, ita innuitur, tale fore eius regnũ quod nec Chriſti nec Eccleſiæ nomen aboleat. Hinc igitur patet, nos minimè negare quin ſub eius quoque tyrannide Eccleſiæ maneant: ſed quas ſacrilega impietate profanarit, quas immani dominatione afflixerit, quas malis & exitialibus doctrinis, ceu venenatis potionibus, corruperit, & propemodũ enecarit: in quibus ſemiſepultus lateat Chriſtus, obrutum Euangelium, profligata pietas, cultus Dei ferè abolitus: in quibus denique omnia ſic ſint conturbata, vt Babylonis potius quàm ciuitatis Dei ſanctæ facies illic appareat. In ſumma, Eccleſias eſſe dico quatenus populi ſui reliquias, vtcunque miſerè diſperſas ac diſiectas, illic mirabiliter Dominus conſeruat, quatenus permanent aliquot Eccleſiæ ſymbola: atque ea præſertim quorum efficaciam nec Diaboli aſtutia nec humana prauitas deſtruere poteſt. Sed quia è conuerſo deletæ ſunt illic notæ quas præcipuè in hac diſputatione reſpicere debemus, dico vnumquenque cœtum & totum corpus carere legitima Eccleſiæ forma.

Dan. 9. g. 27
2. Theſſal. 2. b. 4

De Eccleſiæ doctoribus & miniſtris, eorum electione & officio. CAP. III.

IAM de ordine dicendum eſt quo Eccleſiam ſuam gubernari voluit Dominus. Tametſi enim ſolum ipſum regere ac regnare in Eccleſia, in ea quoque præeſſe vel eminere, & imperium hoc ſolo eius verbo exerceri atque adminiſtrari oportet: quia tamen viſibili præſentia inter nos non habitat, vt voluntatem nobis ſuam ore coràm declaret, hominum miniſterium in hoc adhibere diximus, & quaſi vicariam operam, non ad eos ius ſuum honorémque tranſferendo, ſed tantùm vt per os ipſorum ſuum ipſe opus agat. qualiter ad opus quoque faciẽdum inſtrumento vtitur artifex. Quæ iam antè expoſui, iterum repetere cogor. Poſſet id quidem vel per ſeipſum ſine alio quouis aut adminiculo aut organo, vel etiam per Angelos facere: ſed complures ſunt cauſæ cur per homines malit. Hoc enim modo primùm dignationem erga nos ſuam declarat, quum ex hominibus ſumit qui pro ſe in mundo legationẽ fungantur, qui arcanę ſuæ voluntatis ſint interpretes, qui perſonam denique ſuam repræſentent. Sicque experimẽto comprobat non vanum eſſe quòd paſſim nos vocat temꝑla ſua, dum ex ore hominum, velut ex ſanctuario, reſpõſa hominibus reddit. Deinde hoc optimum ac vtiliſſimum ad humilitatem exercitium eſt, dum nos ad obediendum verbo ſuo aſſuefacit, vtcunque per homines ſimiles nobis, interdum etiam dignitate inferiores, prædicetur. Si de cælo ipſe loqueretur, nihil mirum foret ſi ſacra eius oracula omnium auribus atque animis reuerenter ſine mora exciperentur. Quis enim præſentem eius poteſtatem non horreret? quis non ad primum tãtæ maieſtatis aſpectum proſterneretur? quis non immenſo illo fulgore confunderetur? Verùm vbi homuncio quiſpiam ex puluere emerſus in nomine Dei loquitur, hîc noſtram erga Deum ipſum pietatem & obſeruantiam optimo teſtimonio declaramus, ſi dociles nos exhibemus eius miniſtro, quum nulla tamen in re nos excellat. Hac igitur etiam cauſa cæleſtis ſuæ ſapientiæ theſaurum in vaſis fragilibus ac luteis abſcondit, quo certius experimentum capiat quanti à nobis fiat. Adhæc nihil ad fouendam mutuam charitatem aptius erat quàm hoc vinculo homines inter ſe colligari, dum vnus conſtituitur paſtor qui reliquos ſimul doceat: qui verò diſcipuli eſſe iubentur, communem ex vno ore doctrinam excipiunt. Si enim ſibi quiſque ſufficeret, nec indigeret alterius opera (quæ ſuperbia eſt humani ingenii) contemneret quiſque alios, & ab illis contemneretur. Quem igitur firmiſſimum retinendę vnitatis nodum fore prouidit Dominus, eo Eccleſiam ſuam adſtrinxit, dum ſalutis ac vitæ æternæ doctrinam apud homines depoſuit, vt per eorum manus reliquis communicaret. Huc reſpexit Paulus, quum Epheſiis ſcriberet, Vnum corpus, vnus Spiritus, quemadmodum & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna Fides, vnũ Baptiſma. Vnus Deus & Pater omniũ, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Verùm vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Quapropter dicit, Quum

Matth. 26. a. 11

Lege Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana.

2. Cor. 4. b. 7

Epheſ. 4. a. 4

ascendisset in altum,captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus.Qui descēdit, idem ille est qui ascendit vt impleret omnia.Et idem dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas,alios autem Euangelistas,alios Pastores ac Doctores, ad instaurationem sanctorum,in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi:donec peruenia-mus omnes in vnitatem fidei,& agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ:vt non amplius simus pueri,qui circunferamur omni vento doctrinę: sed veritatem sectantes in charitate, adolescamus in illum per omnia,qui est caput,nem-pe Christum, in quo totum corpus coagmentatum & compactum per omnem commis-suram subministrationis, iuxta actum in mensura vniuscuiusque partis, incrementum corporis facit,in ædificationem suiipsius per charitatem.

2 His verbis illud ostendit hominum ministerium,quo Deus in gubernanda Ecclesia vtitur, præcipuum esse neruum quo fideles in vno corpore cohæreant: tum verò etiam indicat, non aliter incolumem seruari Ecclesiam posse quàm si his præsidiis fulciatur in
Ephe.4.b.10 quibus salutem eius reponere Domino placuit. Ascendit Christus in altum (inquit) vt omnia impleret.Hæc autem implendi ratio,quòd per ministros,quibus officiū hoc man-dauit,& muneris obeundi gratiam contulit,sua dona dispensat ac distribuit Ecclesiæ: sé-que adeo ipsum præsentem quodammodo exhibet,Spiritus sui virtutem in sua hac insti-tutione exerendo,ne inanis sit vel otiosa. Sic instauratio sanctorum peragitur:sic ædifica-
Ibidem, c.12 tur corpus Christi:sic adolescimus per omnia in eum qui est caput, & inter nos coalesci-mus:sic redigimur omnes in vnitatē Christi, si prophetia inter nos viget, si Apostolos re-cipimus,si doctrinam nobis administratam nō aspernamur. Ecclesiæ ergo dissipationem, vel ruinam potius & exitium molitur quisquis ordinem hunc de quo disputamus, & hoc genus regiminis vel abolere studet, vel quasi minus necessarium eleuat. Neque enim vel solis lumen ac calor, vel cibus ac potus tam sunt præsenti vitæ fouendæ ac sustinendę ne-cessaria,quàm est conseruandæ in terris Ecclesiæ Apostolicum ac pastorale munus.

3 Proinde suprà admonui, Deum quibus potuit elogiis eius dignitatē nobis sæpe cō-mendasse:vt in summo honore ac pretio,tanquam res omnium præstantissima,apud nos esset. Singulare beneficium se hominibus largiri,Doctores eis excitando,testatur, vbi iu-
Iesa.52.b.7 ber Prophetam exclamare, pulchros esse pedes,& beatum aduentum annuntiātium pa-
Mat.5.b.13. 14 cem:quū Apostolos lucem mundi & salem terræ nominat.Nec splēdidius ornari poterat
Luc.10.c.16 hoc officium quàm quum dixit,Qui vos audit,me audit:qui vos spernit,me spernit. Sed
2.Cor.4.b.6 nullus est illustrior locus quàm apud Paulum in secunda ad Corinthios, vbi hanc quæ-
2.Cor.3.c.9 stionem velut ex professo tractat. Contendit ergo nihil Euangelii ministerio in Ecclesia magis præclarum aut glorioſum esse, quum sit administratio Spiritus & iustitiæ & vitæ æternæ.Hæc & similia eò pertinent ne illa gubernādæ ac retinendæ per ministros Eccle-siæ ratio,quam Dominus in perpetuum sanciuit, apud nos vilescat, ac ipso tandem con-temptu obsoleſcat. Ac eius quidem necessitas quanta sit, non verbis modò, sed exemplis
Act.10.a.3 quoque declarauit. Cornelio quum plenius affulgere vellet veritatis suæ luce, Angelum
Act.9.a.6 è cælo misit qui ad eum Petrum amandaret.Paulum quum ad notitiam sui vocare, ac in Ecclesiam inserere vellet, non sua ipsius voce alloquitur, sed ad hominem remittit à quo & salutis doctrinam & Baptismi sanctificationem percipiat. Si non temere fit quòd Angelus,qui Dei est interpres,ab enarranda Dei voluntate ipse abstinet, hominem verò iubet accersiri qui eam enarret: quòd Christus vnicus fidelium magister,hominis magi-
2.Cor.12.a.2 sterio Paulum committit,& Paulum illum quem in tertium cælum rapere & mirifica re-rum ineffabilium reuelatione dignari constituerat: quis nunc contemnere ministerium illud audeat,vel quasi superuacuum præterire, cuius vsum talibus documentis testatum facere Deus voluit?

4 Qui Ecclesiæ regimini secundum Christi institutionem præsunt, nominantur à
Ephes.4.b.11 Paulo primùm Apostoli,deinde Prophetæ,tertiò Euangelistæ,quartò Pastores,postremò Doctores. Ex quibus duo tantùm vltimi ordinarium in Ecclesia munus habent:alios tres initio regni sui Dominus excitauit: & suscitat enim interdum, provt temporum necessi-
Marc.16.c.15 tas postulat. Quæ sit Apostolica functio ex mandato illo constat, Ite, prædicate Euange-lium omni creaturæ.Non attribuuntur illis certi fines:sed totus orbis assignatur redigen-dus in obedientiam Christi: vt Euangelium vbicunque gentium poterunt spargendo, regnum eius vbique erigant. Proinde Paulus, quum suum Apostolatum approbare
Rom.15.d. 9,& c.20 vellet, se non vnam aliquam vrbem Christo acquisiuisse, sed longè latéque propagasse

Euangelium

Euangelium commemorat: neque alienis fundamentis appoſuiſſe manus, ſed vbi inauditum fuerat Domini nomen, Eccleſias plantaſſe. Miſſi ergo ſunt Apoſtoli qui orbem à defectione in veram Dei obedientiã reducerent, regnúmque eius vbique Euangelii prædicatione conſtituerent: vel, ſi mauis, qui tanquam primi Eccleſiæ architecti, eius fundamenta in toto mundo iácerent. Prophetas vocat, non quoſlibet diuinæ voluntatis interpretes, ſed qui ſingulari reuelatione excellebant: quales nunc vel nulli extant, vel minus ſunt conſpicui. Per Euangeliſtas, eos intelligo qui quum dignitate eſſent Apoſtolis minores, officio tamen proximi erant, adeóque vices eorum gerebant. Quales fuerunt, Lucas, Timotheus, Titus, & reliqui ſimiles: ac fortaſſis etiam ſeptuaginta diſcipuli, quos ſecundo ab Apoſtolis loco Chriſtus deſignauit. Secundum hanc interpretationem (quæ mihi & verbis & ſententiæ Pauli conſentanea videtur) tres illæ functiones non ideò inſtitutæ in Eccleſia fuerunt vt perpetuæ forẽt, ſed ad id modò tempus quo erigendæ erant Eccleſiæ vbi nullæ antè fuerant, vel certè à Moſe ad Chriſtum traducendæ. Quanquam non nego quin Apoſtolos poſtea quoque, vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas interdum excitarit Deus, vt noſtro tempore factum eſt. Talibus enim qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent, opus fuit. Munus tamen ipſum nihilominus extraordinarium appello, quia in Eccleſiis rite conſtitutis locum non habet. Sequuntur paſtores ac doctores, quibus carere nunquam poteſt Eccleſia: inter quos hoc diſcriminis eſſe puto quòd doctores nec diſciplinæ, nec ſacramentorum adminiſtrationi, nec monitionibus aut exhortationibus præſunt, ſed Scripturæ tantùm interpretationi: vt ſyncera ſanáque doctrina inter fideles retineatur. Paſtorale autem munus hæc omnia in ſe continet.

Ephe.4.b.11

Luc.10.a.1

5 Habemus quæ in Eccleſiæ regimine tẽporaria miniſteria fuerint, & quæ ideo inſtituta vt perpetuò durent. Quòd ſi Euangeliſtas Apoſtolis iungamus, reſtabunt nobis duo paria quodammodo inter ſe reſpondentia. Quam enim ſimilitudinem habent noſtri doctores cum veteribus Prophetis, eam habent cum Apoſtolis paſtores. Excellentius fuit propheticum munus, propter ſingulare reuelationis donum quo pollebant: ſed doctorum officium ſimilem ferè rationem & vnum prorſus finem habet. Ita duodecim illi quos Dominus elegit, vt nouam Euãgelii prædicationẽ orbi promulgarent, ordine & dignitate cæteros anteceſſerũt. Tametſi enim ex ratione & etymo verbi rite Apoſtoli poſſunt vocari omnes miniſtri Eccleſiaſtici, quia à Domino omnes mittuntur, eiúſque ſunt nuntii: quia tamen magni referebat, certam haberi de eorum miſſione notitiam, qui rem nouam & inauditam afferrent, duodecim illos (quorum numero poſtea acceſſit Paulus) peculiari titulo ante alios inſigniri oportuit. Hoc nomen tribuit quidem alicubi Paulus ipſe Andronico & Iuniæ, quos dicit fuiſſe inſignes inter Apoſtolos: ſed quum propriè loqui vult, nonniſi ad primariũ illum ordinem refert. Atque hic eſt communis Scripturæ vſus. Paſtores tamẽ (excepto quòd certas ſinguli Eccleſias ſibi attributas regunt) eãdem ſuſtinent cum Apoſtolis prouinciam. Porrò quale illud ſit, clarius adhuc audiamus.

Luc.6.b.13
Galat.1.a.1

Rom.16.a.7

Mat.10.a.1

6 Dominus, quum Apoſtolos mitteret, mandatum illis dedit (ſicut dictum eſt nuper) de prædicando Euangelio, & baptizandis credentibus in remiſſionem peccatorum. Antea autem mandauerat vt ſacra ſymbola corporis & ſanguinis ſui ad exemplum ſuum diſtribuerẽt. En ſanctam, inuiolabilem, perpetuámque legem impoſitam iis qui in Apoſtolorum locum ſuccedunt, qua mandatum accipiunt de Euangelii prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione. Vnde colligimus, eos qui vtrunque iſtorum negligunt, falſò prætexere Apoſtolorum perſonam. Quid autem paſtores? Paulus non de ſeipſo tantùm, ſed de omnibus illis loquitur, quũ inquit, Sic nos æſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Item alibi, Oportet Epiſcopum tenacem eſſe eius qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis: vt potens ſit exhortari per doctrinam ſanã, & contradicentes refellere. Ex his & ſimilibus locis qui paſſim occurrunt, colligere licet, in paſtorum quoque functione has eſſe duas præcipuas partes, Euangelium annuntiare, & ſacramenta adminiſtrare. Docendi autem ratio non in publicis tantùm concionibus conſiſtit, ſed ad priuatas etiam admonitiones pertinet. Ita Paulus teſtes citat Epheſios, quòd nihil ſuffugerit eorum quæ in rem ipſorum erant, quin annũciaret ac doceret eos publicè & per ſingulas domos, teſtificans Iudæis ſimul ac Græcis pœnitentiam & fidem in Chriſtum. Item paulo pòſt, Quòd non deſtiterit cum lachrymis monere vnumquemque eorum. Neque tamẽ præſentis inſtituti eſt ſingulas boni paſtoris dotes perſequi, ſed tantùm indicare quid profiteantur qui ſe paſtores appellant: nempe ita ſe præeſſe Eccle-

Luc.22.b.19

1.Cor.4.a.1

Tit.1.c.9

Act.20.d.20

Ibidem, f.31

siæ non vt otiosam habeant dignitatem, sed vt Christi doctrina populum ad veram pietatem instituant, sacra mysteria administrent, rectam disciplinam cõseruent atque exerceant. Quicunque enim speculatores positi sunt in Ecclesia, illis Dominus annuntiat, si quis per ignorantiam, eorum negligentia pereat, sanguinem se de ipsorum manibus requisiturum. In eos quoque omnes competit quod de se ait Paulus, Væ mihi, nisi euangelizem, quum dispensatio mihi sit commissa. Denique, quod orbi vniuerso præstiterunt Apostoli, id gregi suo, cui destinatus est, debet pastor vnusquisque.

Eze.13.d.17

1.Cor.9.c.16

7 Etsi dum singulis assignamus suas Ecclesias, interim non negamus quin alias Ecclesias iuuare is possit qui vni est alligatus, siue quid inciderit turbarũ, quod eius præsentiam requirat: siue ab ipso petatur de re aliqua obscuriore consilium. Sed quia ad retinendam Ecclesiæ pacem necessaria est ista politia, vnicuique esse propositum quod agat, ne simul omnes tumultuentur, sine vocatione incerti discurrant, in vnum omnes locum temere confluant, & ne vacuas Ecclesias pro libidine deserant, qui de sua commoditate magis quàm de Ecclesiæ ædificatione sunt soliciti: hæc distributio quoad licet obseruari communiter debet, vt suis quisque finibus contẽtus in alienam prouinciam non irrumpat. Nec humanum est inuentum, sed Dei ipsius institutum. Legimus enim, Paulum & Barnabam creasse per singulas Listrensium, Antiochenorum, Iconium Ecclesias, Presbyteros: & Paulus ipse Tito præcipit vt oppidatim Presbyteros constituat. Sic alibi Philippensium Episcopos, & alibi Archippum Colossensium Episcopum commemorat. Et extat insignis eius concio apud Lucam, ad Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ. Quisquis ergo Ecclesiæ vnius regimen ac curam susceperit, huic diuinæ vocationis legi obligatum se esse sciat: non quòd veluti glebæ addictus (vt Iurisconsulti dicunt) id est mancipatus & quasi affixus, pedem inde mouere nequeat, si ita publica vtilitas postularit, modò id rite & ordine fiat. sed is qui in vnum locum vocatus est, non debet ipse de migratione cogitare, nec, provt sibi commodum putarit, quærere liberationem. Deinde, siquem expediat aliò transferri, non tamen debet hoc priuato consilio tentare, sed expectare publicam authoritatem.

Act.14.d.22

Tit.1.b.5
Philip.1.a.1
Colo.4.d.17
Act.20.d.18

8 Cæterùm quòd Episcopos, & presbyteros, & pastores, & ministros promiscuè vocaui qui Ecclesias regunt: id feci ex Scripturæ vsu, quæ vocabula ista confundit. quicunque enim verbi ministerio funguntur, iis titulum Episcoporum tribuit. Sic apud Paulum vbi iussus est Titus constituere Presbyteros oppidatim, cõtinuò subiicitur, Oportet enim Episcopum esse inculpabilem, &c. Sic alibi plures in vna Ecclesia Episcopos salutat. Et in Actis refertur conuocasse Presbyteros Ephesinos, quos ipse Episcopos sua oratione nominat. Hîc iam obseruandum est, nos hactenus nonnisi ea officia recensuisse, quæ in verbi ministerio consistũt. nec de aliis Paulus meminit illo quarto ad Ephesios capite quod citauimus. Verùm in epistola ad Romanos, & priore ad Corinthios, alia enumerat, vt potestates, donum sanationum, interpretationem, gubernationem, pauperum curationem. Ex quibus quæ temporaria fuerũt omitto: quia nullum operæpretium est in iis immorari. Duo autem sunt quæ perpetuò manẽt: gubernatio, & cura pauperum. Gubernatores fuisse existimo seniores è plebe delectos, qui censuræ morum & exercendæ disciplinæ vnà cum Episcopis præessent. Neque enim secus interpretari queas quod dicit, Qui præest, id faciat in solicitudine. Habuit igitur ab initio vnaquæque Ecclesia suum Senatum, conscriptum ex viris piis, grauibus & sanctis: penes quem erat illa, de qua postea loquemur, iurisdictio in corrigẽdis vitiis. Porrò eiusmodi ordinẽ nõ vnius seculi fuisse, experiẽtia ipsa declarat. Est igitur & hoc gubernationis munus seculis omnibus necessarium,

Tit.1.b.5

Phil.1.a.1

Act.20.d.17

Rom.12.b.7
1.Co.12.d.28

Rom.12.b.8

9 Cura pauperum diaconis mandata fuit. Quanquam ad Romanos duo ponuntur genera. Qui largitur (inquit illic Paulus) id faciat in simplicitate: qui miseretur, in hilaritate, quũ de publicis Ecclesiæ muneribus eum loqui certum sit, oportet duos fuisse gradus distinctos. Nisi me fallit iudiciũ, priore membro diaconos designat, qui eleemosynas administrabant. Altero autẽ eos qui pauperibus & ægrotis curandis sese dedicauerãt. quales erant viduæ, quarum mentionem facit ad Timotheum. Nullum enim aliud publicum officium obire mulieres poterãt, quàm si in obsequium pauperum se darent. Si hoc recipimus (vt omnino recipiendum est) duo erunt genera Diaconorum: quorum alteri in rebus pauperum administrandis, alteri in pauperibus ipsis curandis Ecclesiæ seruient. Tametsi autem nomen ipsum διακονίας latius patet, hos specialiter tamen diaconos Scriptura nuncupat quos eleemosynis dispensandis gerendæque pauperum curæ præficit

Ibidem.

1.Tim.5.b.10

Ecclesia,

Ecclesia & velut publici pauperũ ærarii œconomos constituit: quorum origo, institutio ac functio à Luca in Actis describitur. Quum enim murmur à Græcis excitatum esset, quòd in pauperum ministerio eorum viduæ negligerentur, Apostoli excusantes se non posse sufficere vtrique muneri, & prædicationi verbi & mensarum ministerio, petierunt à multitudine vt eligerentur viri probi septem, quibus id operæ demandarent. En quales habuerit diaconos Apostolica Ecclesia, quales ad eius exemplum habere nos conueniat. Act.6.a.3.

10 Iam verò quum ordine omnia & decenter in sacro cœtu gerenda sint, nihil est in quo id seruari diligentius oporteat, quàm in constituenda gubernatione: quia nusquam maius periculum est siquid inordinatè geritur. Itaque, ne homines inquieti ac turbulenti (quod aliàs futurum erat) temere se ad docendum vel regendum ingererent, nominatim cautum est nequis sine vocatione publicum in Ecclesia munus sibi sumat. Ergo vt quis censeatur verus Ecclesiæ minister, primò rite vocatus sit oportet: deinde vt suæ vocationi respõdeat, id est iniunctas sibi partes suscipiat & exequatur. Hoc apud Paulum animaduertere sæpius licet: qui vbi suum Apostolatum vult approbare, cum sua in munere obeundo fidelitate vocationem semper ferè allegat? Si tãtus Christi minister authoritatem sibi arrogare non audet vt in Ecclesia audiatur, nisi quia & Domini mandato in hoc est constitutus, & fideliter peragit quod sibi commissum est: quanta impudentia erit si quispiam mortalium, vtroque vel altero istorum destitutus, eiusmodi honorem sibi postulet? Verùm quia de obeundi muneris necessitate superius attigimus, nunc de vocatione tantùm agamus. 1.Co.14.g.40.

11 Eius autem tractatio in quatuor versatur: vt sciamus quales & qualiter & à quibus instituendi sint ministri, & quo ritu quáve ceremonia initiandi. De externa & solenni vocatione loquor quæ ad publicum Ecclesiæ ordinem spectat: arcanam verò illam, cuius sibi quisque minister corã Deo cõscius est, Ecclesiam testẽ non habet, omitto. Est autem bonum cordis nostri testimonium, quòd neque ambitione, neque auaritia, neque vlla alia cupiditate, sed syncero Dei timore, & ædificandæ Ecclesiæ studio oblatum munus recipiamus. Id quidem vnicuique nostrûm (vt dixi) si volumus ministerium nostrũ Deo approbare, necessarium est. Coram Ecclesia tamen ritè nihilominus vocatus est qui mala conscientia eò accesit, modò non sit aperta eius nequitia. Solẽt etiam dicere ad ministerium vocatos etiam priuatos homines, quos aptos & idoneos ad id obeundum vident: quia scilicet eruditio coniuncta cum pietate & reliquis boni pastoris dotibus, quædam sit ad ipsum præparatio. Quos enim tanto muneri destinauit Dominus, eos prius iis armis instruit quæ ad implendum requiruntur, ne inanes & imparati veniant. Vnde & Paulus ad Corinthios, quum de ipsis officiis vellet disputare, dona prius recensuit quibus pollere debent qui officiis funguntur. Sed quia hoc est primum ex quatuor capitibus quæ posui, eò iam pergamus. 1.Cor.12.a.7

12 Quales eligere Episcopos deceat, Paulus duobus locis copiosè exequitur. summa tamen huc redit, non esse eligendos nisi qui sint sanæ doctrinæ, & sanctæ vitæ, nec ali quo vitio notabiles, quod & illis adimat authoritatem, & ministerio ignominiam afferat. De diaconis & senioribus similis prorsus est ratio. Videndum semper ne ad onus quod illis imponitur, sustinẽdum, impares sint aut inepti, hoc est vt instructi sint iis facultatibus quæ ad implendum suum munus erunt necessariæ. Sic Christus, quum Apostolos misisset, eos armis & instrumentis quibus carere non poterant exornauit. Et Paulus, depicta boni ac viri Episcopi imagine, Timotheum admonet nequem ab ea alienũ eligendo seipsum contaminet. Particulam Qualiter non ad ritum eligẽdi, verùm ad religiosum timorem, qui in electione seruãdus est, refero. Hinc ieiunia & orationes, quibus vsos fuisse fideles narrat Lucas quum Presbyteros crearent. Nam quum intelligerent se rem agere omnium maximè seriam, nihil tentare audebant nisi cum summa reuerentia & solicitudine. Potissimùm verò incubuerunt in preces, quibus Spiritum consilii & discretionis à Deo peterent. Tit.1.b.9. 2.Tim.3.a.1. Luc.21.c.15 & 24.g.49. Marc.16.c.15 Act.1.b.8. 1.Ti.5.d.22.

13 Tertium quod in partitione posuimus, erat, A quibus eligendi sint ministri. Huius autem rei certa regula ex Apostolorum institutione peti non potest, quæ nõnihil habuit à communi reliquorum vocatione dissimile. Quia enim extraordinarium ministerium erat, vt aliqua insigniori nota conspicuum redderetur, ipsius Domini ore vocari & constitui oportuit qui ipso fungerentur. Illi ergo nulla humana electione, sed solo Dei

& Christi mandato instructi, se ad opus accinxerunt. Hinc est quòd quum alium substi-
Act.1.d.23 tuere in locum Iudæ volunt Apostoli, non audent vnum aliquem certò nominare, sed duos in medium producunt, vt Dominus sorte declaret vtrum ex iis velit succedere. In
Gal.1.b.12 hunc quoque modum accipere cõuenit, quòd negat Paulus se ab hominibus vel per hominem creatum fuisse Apostolum, sed per Christum & Deum Patrem. Prius illud scilicet, Ab hominibus, cum piis omnibus verbi ministris commune habuit. neque enim potuit quispiam hãc administrationem rite sustinere nisi qui esset à Deo vocatus. Alterum autem proprium & singulare illi fuit. Hoc ergo dum gloriatur, non tantùm se habere iactat quod vero ac legitimo pastori cõueniat, sed insignia quoque sui Apostolatus profert. Quum enim essent apud Galatas qui eius authoritatem studentes eleuare, gregarium aliquem discipulum ipsum facerent à primariis Apostolis subrogatum: quo saluam prædicationi suæ dignitatem vendicaret, cui insidias istas intentari nouerat, omni ex parte nihilo se reliquis Apostolis inferiorem ostẽdere necesse habuit. Proinde se non hominum iudicio, instar vulgaris vnius Episcopi, delectum esse affirmat, sed ipsius Domini ore & manifesto oraculo.

14 At verò vt ab hominibus designentur Episcopi, omnino ex ordine legitimæ vocationis esse, nemo sobrius inficiabitur: quando in hanc rem extãt tot Scripturæ testimo-
Gal.1.a.1 nia. Nec reclamat illud Pauli, vt dictum est, se nõ ab hominibus neque per homines fuisse missum: quum de ordinaria ministrorum electione illic non loquatur, sed quod erat speciale Apostolis sibi asserat. Quanquam sic Paulum quoque singulari prærogatiua Dominus per seipsum designauit vt disciplina Ecclesiasticæ vocationis interim vteretur. sic
Act.13.a.2 enim refert Lucas, Ieiunantibus & orantibus Apostolis, dicit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabã in opus ad quod selegi eos. Quorsum isthæc segregatio & manuum impositio, postquam suam electionem testatus est Spiritus sanctus, nisi vt Ecclesiastica disciplina in designandis per homines ministris cõseruaretur? Nullo igitur illustriore documento eiusmodi ordinem approbare Deus potuit, quàm dum Paulum Gentibus Apostolum se destinasse præfatus, eum tamen ab Ecclesia vult designari. Quod ipsum in
Act.1.d.23. Matthiæ electione cernere licet. Nam quia tanti erat munus Apostolicum vt vnum aliquem suo iudicio in eum gradum cooptare non ausint, duos in medio constituunt, quorum in alterum sors casura sit. vt ita & electio cõpertum è cælo testimonium habeat, neque tamen omnino prætereatur Ecclesiæ politia.

15 Quæritur nunc à totáne Ecclesia eligi debeat minister, an à collegis tantùm & senioribus qui censuræ præsunt, an verò vnius authoritate cõstitui possit. Qui hoc ius ad
Tit.1.b.5 vnum hominem deferunt, citant quod ait Paulus ad Titum, Propterea reliqui te in Cre-
1.Tim.5.d. 22. ta, vt constituas oppidatim Presbyteros. Item ad Timotheum, Manus nemini citò imposueris. Sed falluntur, si putant vel Timotheum Ephesi, vel Titum in Creta regnum exercuisse, vt suo vterque arbitrio omnia disponeret. Præfuerunt enim tãtùm vt bonis & salutaribus consiliis populo præirent: non vt soli, exclusis aliis omnibus, agerent quod placeret. Ac nequid fingere videar, planum id faciam simili exemplo. Refert enim Lucas
Act.14.d.23 constitutos esse per Ecclesias Presbyteros à Paulo & Barnaba: sed rationem vel modum simul notat, quum dicit factũ id esse suffragiis. Χειροτονήσαντες, inquit, πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Creabant ergo ipsi duo: sed tota multitudo, vt mos Græcorum in electionibus erat, manibus sublatis declarabat quem habere vellet. Nempe sic Romani historici non rarò loquuntur, Consulem, qui comitia habuerit, creasse nouos magistratus, non aliam ob causam nisi quia suffragia receperit, & populum moderatus sit in eligẽdo. Non est certè credibile Paulum plus concessisse Timotheo & Tito quàm sibi ipse sumpserit. Videmus autem ipsum ex populi suffragiis Episcopos creare solitum. Sic ergo intelligendi sunt supe-
Lib.1.epist.3 riores loci, nequid de communi Ecclesiæ iure ac libertate imminuãt. Bene ergo Cyprianus, dum contendit ex diuina authoritate descendere vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio com-
Leuit.8.a.6 num.20.d. 26. probetur. Siquidem hoc videmus iussu Domini in sacerdotibus Leuiticis fuisse obseruatum, vt ante consecrationem in conspectum populi producerentur. Non aliter ascribitur
Act.1.c.15,& 6.a.2 Matthias Apostolorum collegio, nec aliter septem Diaconi creantur quàm populo videnti & approbante. Hæc exempla, inquit Cyprianus, ostendunt sacerdotis ordinationem nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: vt sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium testimonio fuerit examinata. Habemus ergo, esse hanc ex verbo Dei legitimam

legitimam miniſtri vocationem, vbi ex populi conſenſu & approbatione creãtur qui viſi fuerint idonei. Præeſſe autem electione debere alios paſtores, nequid per leuitatẽ, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.

16 Supereſt ritus ordinandi, cui vltimum locum in vocatione dedimus. Cõſtat autem Apoſtolos non alia ceremonia vſos eſſe, quum aliquẽ miniſterio admouebãt, quàm manuum impoſitione. Hunc autem ritum fluxiſſe arbitror ab Hebræorum more, qui quod benedictum ac conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo quaſi repręſentabant. Sic Iacob benedicturus Ephraim & Manaſſe, eorum capitibus manus impoſuit. Gen.48. c.14
Quod ſequutus eſt Dominus noſter, quum ſuper infantes precationem faceret. Eodem Mat.19. b.15
(vt arbitror) ſignificatu Iudæi ex Legis præſcripto ſuis ſacrificiis manus imponebãt. Qua re Apoſtoli per manuum impoſitionem eum ſe Deo offerre ſignificabãt quem initiabãt Act.19.a.6.
in miniſterium. Quanquam vſi ſunt etiam ſuper eos quibus viſibiles Spiritus gratias conferebant. Vtcunque ſit, fuit hic ſolennis ritus, quoties ad miniſterium Eccleſiaſticum aliquem vocabant. Sic paſtores & doctores, ſic diaconos conſecrabant. Licet autẽ nullum extet certum præceptum de manuum impoſitione: quia tamen fuiſſe in perpetuo vſu Apoſtolis videmus, illa tam accurata eorum obſeruatio præcepti vice nobis eſſe debet. Et certè vtile eſt eiuſmodi ſymbolo cum miniſterii dignitatẽ populo commẽdari, tum eum qui ordinatur admoneri, ipſum iam non eſſe ſui iuris, ſed Deo & Eccleſiæ in ſeruitutem addictum. Præterea non erit inane ſignum, ſi in germanam ſuam originem reſtitutũ fuerit. Nam ſi nihil fruſtra Spiritus Dei in Eccleſia inſtituit, hanc ceremoniam, quum ab eo profecta ſit, ſentiemus non eſſe inutilem, modò in ſuperſtitioſum abuſum non vertatur. Hoc poſtremò habendum eſt, non vniuerſam multitudinem manus impoſuiſſe ſuis miniſtris ſed ſolos paſtores. Quanquam incertum eſt an plures ſemper manus impoſuerint nécne. Illud quidem in diaconis Paulo & Barnaba, & paucis quibuſdam aliis factum fuiſſe conſtat. Sed Paulus ipſe alibi ſe, non alios cõplures, Timotheo manus impoſuiſſe com memorat. Admoneo te (inquit) vt gratiam ſuſcites quę in te eſt per impoſitionẽ manuum mearum. Nam quod in altera Epiſtola de impoſitione manuum preſbyterii dicitur, non ita accipio quaſi Paulus de ſeniorum collegio loquatur: ſed hoc nomine ordinationem ipſam intelligo: quaſi diceret, Fac vt gratia quam per manuum impoſitionem recipiſti, quum te Preſbyterum crearem, non ſit irrita. Act.6.b.6, & 13.a.5 2.Tim.1.b.6 1.Tim.4.d. 14.

De ſtatu veteris Eccleſiæ & ratione gubernandi quæ in vſu fuit ante Papatum. CAP. IIII.

HACTENVS de ordine gubernandæ Eccleſiæ, vt nobis ex puro Dei verbo traditus eſt, & de miniſteriis, vt ſunt à Chriſto inſtituta, diſſeruimus. Nunc quo iſta omnia clarius ac familiarius pateſiant, ac melius etiam in animis noſtris figantur, vtile erit in iis rebus veteris Eccleſiæ formam recognoſcere, quæ nobis diuinæ inſtitutionis imaginem quandam oculis repræſentabit. Tametſi enim multos Canones ediderunt illorum temporum Epiſcopi, quibus plus viderentur exprimere quàm Sacris literis expreſſum eſſet: ea tamen cautione totam ſuam œconomiam compoſuerunt ad vnicam illam verbi Dei normam, vt facilè videas nihil ferè hac parte habuiſſe à verbo Dei alienum. Verùm etiam ſiquid poſſit in ipſorum inſtitutis deſiderari, quia tamen ſincero ſtudio conati ſunt Dei inſtitutionem conſeruare, & ab ea non multum aberrarunt, plurimum conducet hîc breuiter colligere qualem obſeruationem habuerint. Quemadmodum tradidimus triplices miniſtros nobis commendari in Scriptura, ita quicquid miniſtrorum habuit vetus Eccleſia, in tres ordines diſtinxit. nam ex ordine Preſbyterorum partim eligebantur Paſtores ac Doctores: reliqua pars cenſuræ morum & correctionibus præerat. Diaconis commiſſa erat cura pauperum & eleemoſynarum diſpenſatio. Lectores autem & Acoluthi nomina non erant certorum munerum: verùm quos clericos vocabant, eos ab aduleſcentia certis exercitiis aſſuefaciebant ad ſeruiendum Eccleſiæ, quo melius intelligerent quorſum eſſent deſtinati, & paratiores in tempore ad officium accederent: vt copioſius mox oſtendam. Itaque Hieronymus, vbi quinque propoſuit Eccleſiæ ordines, enumerat Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos: reliquo clero & monachis locum prorium nullum tribuit. In Ieſaiam. cap.9.

2 Quibus ergo docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Preſbyteros. Illi ex ſuo numero in ſingulis ciuitatibus vnũ elegebãt, cui ſpecialiter dabãt titulum

Episcopi: ne ex æqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus vt dominium in collegas haberet: sed quas partes habet Consul in Senatu, vt referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando, aliis præeat, authoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit exequatur: id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu. Atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum fatentur ipsi veteres. Ita Hieronymus in epistolam ad Titum, Idem (inquit) Presbyter qui Episcopus. Et antequam diaboli instinctu dissidia in religione fierent, & in populis diceretur, Ego Pauli, ego Cephæ, communi consilio Presbyterorum Ecclesiæ gubernabantur. Postea, vt dissensionum semina euellerentur, ad vnum omnis solicitudo est delata. Sicut ergo Presbyteri sciunt se, ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui præest subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quàm Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Alibi tamen docet quàm fuerit antiquum institutum. dicit enim Alexandriæ, à Marco Euangelista vsque ad Heraclã & Dionysium, Presbyteros semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocasse, quem Episcopum nominabant. Habebant ergo singulæ ciuitates Presbyterorum collegium, qui Pastores erãt ac Doctores. Nam & apud populum munus docendi, exhortandi & corrigendi, quod Paulus Episcopis iniungit, omnes obibant: &, quo semen post se relinquerent, iunioribus qui sacræ militiæ nomen dederant erudiendis nauabant operam. Vnicuique ciuitati erat attributa certa regio, quæ Presbyteros inde sumeret, & velut corpori Ecclesiæ illius accenseretur. Singula (vt dixi) collegia politiæ tantùm & pacis conseruandæ gratia vni Episcopo suberant: qui sic alios dignitate antecedebat vt fratrum cœtui subiiceretur. Quòd si amplior erat ager qui sub eius episcopatu erat quàm vt sufficere omnibus Episcopi muniis vbique posset, per ipsum agrum designabantur certis locis Presbyteri, qui in minoribus negotiis eius vices obirẽt. Eos vocabant Chorepiscopos, quòd per ipsam prouinciam Episcopum repræsentabant.

Epist. ad Euagrium.

Tit. 1. c. 9

3 Sed quantum ad officium attinet de quo nunc agimus, tam Episcopum quàm Presbyteros verbi & sacramentorum dispensationi incumbere oportuit. Nam Alexandriæ tantùm (quoniam illic Arrius Ecclesiam turbauerat) institutum fuit ne Presbyter concionem ad populum haberet, vt ait Socrates libro 9 Tripertitæ historiæ. Quod tamen ipsum Hieronymus sibi displicere non dissimulat. Certè instar portenti habitum esset, si quis se pro Episcopo venditasset, qui non etiam re ipsa exhibuisset verum Episcopum. Ea igitur fuit temporum illorum seueritas, vt ministri omnes ad implendum munus, quale ab ipsis Dominus requirit, adigerentur. Nec vnius tãtùm ætatis morem refero: siquidem ne Gregorii quidem tempore, quo Ecclesia iam ferè collapsa erat (certè multum ab antiqua puritate degenerauerat) tolerabile fuisset Episcopum aliquem à concionibus abstinere. Sacerdos (inquit ipse alicubi) moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Et alibi, Quum testatur Paulus se mundum esse à sanguine omnium, in hac voce nos conuincimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Tacentes se & alios vocat, quia minus assidui essent in opere quàm conueniret. Quum ne iis quidem parcat qui officium dimidia ex parte agebant: quid facturum fuisse putas siquis in totum cessasset? Valuit ergo diu illud in Ecclesia, vt primæ Episcopi partes essent, populum verbo Dei pascere, seu ædificare Ecclesiam publicè ac priuatim sana doctrina.

Epist. ad Euagrium.

Epist. 24

Homil. in Ezech. 11

Act. 20. c. 16

4 Quòd autem singulæ prouinciæ vnum habebant inter Episcopos Archiepiscopum: quòd item in Nicena synodo constituti sunt Patriarchæ, qui essent ordine & dignitate Archiepiscopis superiores, id ad disciplinæ conseruationem pertinebat. Quanquam in hac disputatione præteriri non potest quod rarissimi erat vsus. Ob hanc igitur causam potissimũ instituti sunt illi gradus, vt siquid in Ecclesia qualibet incideret quod non posset bene à paucis expediri, ad synodum prouincialem referretur. Si magnitudo aut difficultas causæ maiorem quoque discussionem postularet, adhibebantur Patriarchæ vnà cum synodis, à quibus non esset prouocatio nisi ad vniuersale concilium. Gubernationem sic constitutam nonnulli hierarchiam vocarunt, nomine (vt mihi videtur) improprio: certè Scripturis inusitato. Cauere enim voluit Spiritus sanctus nequis princi-

patum aut dominationem somniaret, quum de Ecclesiæ gubernatione agitur. Verùm si rem omisso vocabulo intuemur, reperiemus veteres Episcopos non aliam regẽdæ Ecclesiæ formam voluisse fingere ab ea quam Deus verbo suo præscripsit.

5 Nec alia tunc fuit Diaconorum ratio quàm sub Apostolis. Oblationes enim fidelium quotidianas & annuos Ecclesię prouentus recipiebant, vt conferrent in veros vsus, id est, partim ministris, partim pauperibus alendis distribuerent: Episcopi tamen arbitrio, cui & œconomiæ suæ rationes quotannis reddebant. Nam quòd Canones Episcopum vbique faciunt bonorum omnium Ecclesiæ dispensatorem, non ita intelligendum est quasi ipse per se eam solicitudinem gesserit: sed quia ipsius erat præscribere Diacono qui in publicam Ecclesiæ alimoniam recipiendi essent, de eo quod residuum erat, quibus & quantum cuique erogandum esset: quia inspectionem habebat an hic fideliter exequeretur quod officii sui esset. sic enim in Canonibus quos Apostolis adscribunt, legitur, Præcipimus vt in sua potestate res Ecclesię habeat Episcopus. Sic enim animæ hominum precioſiores illi creditæ sunt, multò magis decet eum curam de pecuniis agere: ita vt eius potestate omnia pauperibus dispensentur per Presbyteros & Diaconos: vt cum timore & omni solicitudine ministrentur. Et in concilio Antiocheno decretum est vt coerceantur Episcopi, qui sine Presbyterorum & Diaconorum conscientia res Ecclesiæ pertractant. Sed de eo non est longius disputandum, quum ex plurimis Gregorii epistolis constet, illo quoque tempore quo aliàs Ecclesiasticæ ordinationes multum vitiatæ erant, hanc tamen obseruationem durasse, vt Diaconi sub Episcopo pauperum essent œconomi. Hypodiaconos verisimile est fuisse initio Diaconis attributos, vt eorum opera circa pauperes vterentur: sed illud discrimen paulatim confusum fuit. Archidiaconi autem creari tunc cœperunt quum amplitudo facultatum nouam & exactiorem administrandi rationem postularet: quanquam Hieronymus iam ætate sua fuisse commemorat. Erat autem penes eos summa reddituum, possessionum, supellectilis, & quotidianarum oblationum procuratio. Vnde Gregorius Salonitano Archidiacono denũtiat reatu constrictum teneri ipsum, siquid ex bonis Ecclesiæ vel negligentia vel vllius fraude deperierit. Quòd autem Euangelii ad populum lectio illis dabatur, & exhortatio ad precandum: quòd item ad porrigendum in sacra Cœna calicem adhibebantur: id muneris ornandi causa fiebat, quo maiori religione ipsum obirent, quum admonerentur talibus symbolis non esse profanam aliquam villicationem quam gererent, sed spirituale & Deo dicatam functionem.

Cap. 35

Epist. ad Nepotianum. Epist. 10. li. 1.

6 Hinc etiam iudicare licet quis bonorum Ecclesiasticorum vsus fuerit, & qualis dispẽsatio. Passim tum in synodorum decretis, tum apud vetustos scriptores reperias, quicquid possidet Ecclesia vel in fundis, vel in pecunia, pauperum esse patrimonium. Itaque subinde illic hæc cantilena Episcopis & Diaconis canitur, vt meminerint se non proprias opes sed pauperum necessitati destinatas attrectare: quas si mala fide supprimãt aut dilapident, rei sanguinis futuri sint. Vnde admonentur cum summo tremore & reuerentia, velut in conspectu Dei, sine personarum acceptione, eas distribuere quibus debentur. Hinc & illæ apud Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, & alios similes Episcopos, graues obtestationes, quibus suam integritatem apud populum asseuerant. Quum autem æquum sit, & Domini etiam Lege sancitum, vt qui suam Ecclesiæ operam impendunt, publicis Ecclesiæ sumptibus alantur, & nonnulli etiam eo seculo Presbyteri patrimoniis suis Deo consecratis, voluntarii pauperes facti essent: talis erat distributio vt nec ministris deessent alimenta, & pauperes non negligerentur. Cauebatur tamen interim ne ministri ipsi, qui frugalitatis exemplum dare aliis debẽt, tantum haberent vnde ad luxum aut delicias abuterentur: sed duntaxat quo suam inopiam sustinerent. Qui enim bonis parentum sustentari possunt clerici, inquit Hieronymus, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium committunt: & per abusionem eiusmodi, iudicium sibi manducant & bibunt.

Refert cap. Clericos. 1. & 2.

7 Principiò libera & voluntaria fuit administratio, quum spõte fideles essent Episcopi ac Diaconi, & conscientiæ integritas vitæque innocentia pro legibus foret. Deinde quum ex quorundam cupiditatibus vel prauis studiis nascerentur mala exempla: ad hæc vitia corrigenda compositi sunt Canones, qui Ecclesiæ reditus in quatuor partes diuiserunt, quarum vnam assignarunt clericis, alteram pauperibus, tertiam sacris ædibus &

aliis ædificiis sartis tectis tuendis, quartam verò aduenis pauperibus. Nam quòd hanc postremam Episcopo attribuunt alii Canones, id nihil variat ab ea quam dixi partitione. Neque enim propriam eius esse volunt, vt vel solus ipse ingurgitet, vel quò libuerit profundat, sed vt hospitalitati, quam ab ordine ille Paulus exigit, sufficiat. Atque ita interpretantur Gelasius & Gregorius. non enim aliâ ratione adducit Gelasius cur sibi quicquam Episcopus vendicet, nisi vt captiuis & peregrinis largiri queat. Et clarius etiamnum loquitur Gregorius, Mos est, inquit, Apostolicæ sedis, ordinato Episcopo præcepta dare, vt de omni stipẽdio quod prouenit quatuor fiãt portiones: vna videlicet Episcopo & familiæ eius, propter hospitalitatem atque susceptionem: altera clero: tertia pauperibus: quarta reparãdis Ecclesiis. Nihil ergo Episcopo in suum vsum capere licuit, nisi quod ad moderatum frugalémque victũ ac vestitum satis esset. Quod siquis insolescere cœpisset, vel luxu, vel ostentatione ac pompa, statim à collegis reprimebatur: nisi paruisset, honore abdicabatur.

1.Tim.3.a.2

Cap. Præsulũ.16.quæst. 3.Refert.ca. Mos est,12. quæst.12.

8 Porrò quod in ornatum sacrorum conferebant, perquam exiguum primò erat: deinde quum paulo ditior Ecclesia facta esset, seruarunt tamen ea in re mediocritatem. Et tamen quicquid pecuniæ illic collocabatur, saluum pauperibus manebat, siqua maior necessitas incidisset. Ita Cyrillus, quum fames Hierosolymorum prouinciam occupasset, nec posset aliter inopiæ subueniri, vasa & vestes distraxit, ac insumpsit in pauperum alimoniam. Similiter Acatius Amidæ Episcopus, quum magna Persarum multitudo fame propemodum interiret, conuocatis clericis, & habita præclara illa oratione, Deus noster neque discis neque calicibus opus habet, quia neque comedit neque bibit: vasa conflauit vnde miseris & cibum & redemptionis pretium conficeret. Hieronymus quoque, dum in nimium templorum splendorem inuehitur, honoris causa Exuperium Tholosæ Episcopum sui temporis refert, qui corpus Domini in canistro vimine o portabat, & sanguinem in vitro: nullum verò pauperem esurire patiebatur. Id quod nuper de Acatio dixi, Ambrosius de seipso recitat. nam quum illum grauarent Arriani, quòd in redemptionem captiuorum sacra vasa confregisset, pulcherrima hac excusatione vsus est, Qui sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregauit. Aurum habet Ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus est custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniã pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus asport at hostis? Nónne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame emori? & certè habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiui abducti sunt, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat vt vasa viuentium seruares quàm metallorum. His non poteris respõsum dare. quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Respõderet, Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. In summa, videmus verissimum fuisse quod idem alibi dicit, quicquid tùnc Ecclesia possideret, sumptum fuisse egenorum. Item, Nihil Episcopum habere quod pauperum non esset.

Tripart.hist lib.5. Lib.11.ca.16.

Ad Nepotianum.

Lib.2.De offic.cap.28

Lib.5.epist. 31.& 33

9 Hæc quæ recensuimus, veteris Ecclesiæ ministeria fuerunt. Alia enim, de quibus mentionem faciunt Ecclesiastici scriptores, magis exercitia fuerunt & quædam præparationes, quàm certa munera. Nam sancti illi viri, vt Ecclesiæ seminarium post se relinquerent, adulescẽtes, qui ex parentum consensu & authoritate, militiæ spirituali nomen dabant, recipiebant in suam fidem ac tutelam, atque etiã disciplinam: eósque sic formabãt à tenera ætate, ne rudes ac noui ad obeũdum munus accederent. Omnes autẽ qui eiusmodi tyrociniis imbuebantur, generali nomine vocabãtur Clerici. Vellem quidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse. hæc enim appellatio ex errore, vel certè praua affectione nata est: quum tota Ecclesia clerus, hoc est hæreditas Domini, à Petro dicatur. Ipsum tamen institutum sanctum ac salutare imprimis fuit, vt qui se ac suam operam Ecclesiæ consecrare vellent, ita sub Episcopi custodia educarentur, nequis, nisi bene præformatus, Ecclesiæ ministraret, & qui à prima adulescentia tum sanctam doctrinam imbibisset, tum ex seueriore disciplina, grauitatis sanctioríque vitæ habitum quẽdam induisset, tum à curis profanis fuisset alienus, curísque ac studiis spiritualibus assuefactus. Quemadmodum autem militiæ tyrones vmbratilibus pugnis instituuntur ad verum seriúmque certamen, sic erant certa rudimenta quibus exercebantur in clericatu, priusquam ad ipsa munia

1.Pet.5.a.3

munia promouerentur. Illis ergo primùm aperiendi claudendíque templi curam mandabant, ac eos nominabant Ostiarios. Postea vocabant Acoluthos, qui Episcopo in domesticis obsequiis adessent, eúmque perpetuò comitarentur, primùm honoris causa, deinde nequa suspicio nasceretur. Præterea vt sensim populo innotescerent, & commendationem sibi acquirerent: simul vt discerent ferre omnium conspectum, & coram omnibus loqui: ne Presbyteri facti, quum ad docendum prodirent, pudore confunderentur, locus legendi ipsis dabatur in suggestu. In hunc modum gradatim promouebantur, vt suam sedulitatem in singulis exercitiis approbarẽt, donec hypodiaconi fiebant. Hoc tantùm volo, fuisse hæc tyronum rudimẽta magis, quàm functiones, quæ veris Ecclesiæ ministeriis accenserentur.

10 Quod primum & secundum in ministrorum vocatione esse diximus, quales eligere, & quantam religionem in ea re adhibere oporteat: in eo Pauli præscriptum & Apostolorum exempla vetus Ecclesia sequuta est. Solebant enim ad eligendos pastores cum summa reuerentia ac solicita nominis Dei inuocatione conuenire. Ad hæc formulam examinis habebant, qua eligendorum vitam & doctrinam ad illam Pauli amussim exigebant. Tantùm peccarunt hic nonnihil immodica seueritate, quòd plus requirere voluerunt in Episcopo quàm Paulus requirat: ac præsertim successu temporis cælibatum. Verùm in cæteris consentanea fuit ipsorum obseruatio cum Pauli descriptione. In eo autem quod tertio loco posuimus, quinam scilicet ministros instituere debeant, non vnum semper tenuerunt ordinem. Antiquitus ne in clericorum quidem cœtum recipiebatur quispiam sine consensu totius plebis, vt Cyprianus diligenter excusat quòd Aurelium quendam inconsulta Ecclesia lectorem constituerit: quia id præter morem, tametsi non sine ratione factum fuerat. Sic autem præfatur, In ordinandis clericis, fratres charissimi, solemus vos antè consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Verùm quia in minoribus illis exercitiis non multum erat periculi: quòd ad diuturnam probationem & non magnam functionem assumerentur, rogari consensus plebis desiit. Postea in reliquis quoque ordinibus, excepto Episcopatu, plebs Episcopo ac Presbyteris iudicium delectúmque ferè permisit, vt cognoscerent quinam idonei ac digni forent: nisi fortè quum parochiis noui Presbyteri destinabantur. tunc enim loci multitudinem nominatim consentire oportuit. Nec mirum est quòd retinendo suo iure populus hac in parte minus solicitus fuerit. nemo enim Hypodiaconus fiebat qui non longum sui experimentum in clericatu, sub ea quæ tunc erat disciplinæ seueritate, dedisset. Postquam in eo gradu probatus fuerat, diaconus constituebatur: inde ad presbyterii honorem perueniebat, si fideliter se gessisset. Ita nullus promouebatur de quo non re vera multis annis habitum esset sub populi oculis examen. Et erant multi Canones ad punienda eorum vitia: vt Ecclesia malis Presbyteris aut Diaconis non grauaretur, nisi remedia negligeret. Quanquam in Presbyteris quoque semper exigebatur ciuium consensus. quod etiam testatur Canõ primus distin. 67. qui Anacleto tribuitur. Denique omnes ordinationes ideo statis anni temporibus fiebant, nequis clanculum sine fidelium consensu obreperet, aut nimia facilitate absque testibus promoueretur.

1.Tim.3.a.1.

Lib.2.epist.5

11 In eligendis Episcopis diu sua populo libertas fuit conseruata, nequis obtruderetur qui non omnibus acceptus esset. Hoc igitur in concilio Antiocheno vetitum est, nequis inuitis ingeratur. Quod & Leo primus diligenter confirmat. Hinc istæ sententiæ, Is eligatur quem clerus & plebs aut maior numerus postularint. Item, Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Qui enim ignotus & non examinatus præficitur, necesse est vt per vim intrudatur. Item, Is eligatur qui à clericis electus, à plebe expetitus fuerit: & à prouincialibus cum metropolitani iudicio consecretur. Adeò autem cauerunt sancti patres ne vllo pacto imminueretur hæc populi libertas, vt quũ synodus vniuersalis Constantinopoli congregata Nectarium ordinaret, id facere noluerit sine totius cleri & populi approbatione: vt sua ad synodum Romanam epistola testata est. Proinde quum Episcopus quispiam successorem sibi designaret, non aliter ratum erat quàm si totus populus scisceret. Cuius rei non modò exemplum, sed formulam quoque habes apud Augustinum in nominatione Eradii. Et Theodoritus, quum refert Petrum ab Athanasio successorem nominatum, continuò adiungit, sacerdotalem ordinem ratum id habuisse, magistratum & primores populúmque vniuersum sua acclamatione approbasse.

Epist.90. capite 2.

Epist.110. Habetur apud Theodoritum, li. 4.cap.20.

12 Est quidem & illud (fateor) optima ratione sancitum in Laodicensi concilio, ne Cap.13.

turbis electio permittatur. Vix enim vnquam euenit tot capita vno ſenſu rẽ aliquam bene componant.& ferè illud verum eſt,Incertum ſcindi ſtudia in cõtraria vulgus. Verùm huic periculo adhibitum erat optimum remedium. Primùm enim ſoli clerici eligebant. quem elegerant,offerebãt magiſtratui,vel ſenatui ac primoribus. Illi,habita deliberatione,electionem,ſi iuſta videbatur,conſignabant: ſin minus, eligebant alium quem magis probarent, tum ad multitudinem res deferebatur, quæ tametſi præiudiciis illis non alligaretur, minus tamen tumultuari poterat. Aut ſi à multitudine incipiebatur,tantùm id fiebat vt ſciretur quem potiſſimum expeteret. auditis populariũ votis, clerici demum eligebant. Ita nec clericis licebat quem vellent præficere, nec tamen ſtultis populi deſyderiis obſequi neceſſe habebant. Hunc ordinem ponit alibi Leo, quum dicit,Expectanda ſunt vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum.Item, Teneatur honoratorum teſtimonium, ſubſcriptio clericorum, ordinis conſenſus ac plebis. aliter(inquit) fieri nulla ratio ſinit. Nec aliud ſibi vult illud decretum ſynodi Laodicenſis, quàm ne ab inconſiderata multitudine patiantur ſe abripi clerici & primores: ſed potius ſua prudentia & grauitate ſtultas eius cupiditates, ſiquando opus fuerit,reprimant.

Epiſt.87

13 Hæc eligendi ratio adhuc ætate Gregorii valebat, & veriſimile eſt diu poſtea duraſſe. Extant apud eum plurimæ epiſtolæ quæ luculentum huius rei teſtimonium dant. quoties enim de creãdo alicubi nouo Epiſcopo agitur, ſcribere ſolet ad clerum,ordinem & plebem,interdum etiam ad ducem,prout eſt regimen ciuitatis conſtitutum. Quòd ſi ob incompoſitum Eccleſiæ ſtatum vicino alicui Epiſcopo inſpectionẽ in electione mandat,ſemper tamen requirit ſolenne decretum,omniũ ſubſcriptionibus roboratũ.Quinetiam quum creatus Mediolani Epiſcopus eſſet Conſtantius quidam, & ob incurſiones barbarorum multi Mediolanenſium Genuam confugiſſent:non aliter fore legitimam electionem putat quàm ſi ipſi quoque in commune conuocati aſſenſi fuerint. Imò nondum anni quingenti effluxerunt ex quo Nicolaus Papa de Romani Pontificis electione in hunc modum ſtatuit, vt præirẽt Cardinales Epiſcopi,deinde reliquum clerum ſibi adiungerent, poſtremò plebis conſenſu electio firma eſſet. Et in fine recitat illud quod nuper citaui Leonis decretum,ac in poſterum valere præcipit.Quòd ſi ita inualuerit improborum malitia vt clerici ad puram electionem faciendam vrbe egredi cogãtur:aliquos tamen è populo ſimul adeſſe iubet. Imperatoris verò ſuffragium, quãtum intelligere licet, in duabus tantùm Eccleſiis requirebatur, Romana & Conſtantinopolitana: quòd illic duæ imperii ſedes eſſent. Nam quòd Mediolanum ad gubernandam noui Epiſcopi electionem miſſus fuit Ambroſius cum poteſtate à Valentiniano, id propter graues factiones quibus inter ſe ciues flagrabant,extraordinarium fuit.Romæ autem tantum olim valuit Imperatoris authoritas in Epiſcopo creando, vt Gregorius ſe ipſius iuſſu in Eccleſiæ gubernaculis conſtitutum eſſe dicat:quum tamen ſolenni ritu à populo fuiſſet expetitus. Hoc autem moris fuit vt quum aliquem deſignaſſent ordo clerus ac populus, ad Imperatorem ſtatim referret ille, vt vel ſciſceret electionem ſua approbatione, vel improbando abrogaret.Neque huic conſuetudini repugnant decreta quæ à Gratiano colliguntur,vbi nihil aliud dicitur quàm nullo modo ferẽdum eſſe vt ſublata canonica electione, rex pro ſua libidine Epiſcopum conſtituat,& à Metropolitis non eſſe conſecrandum qui per violẽta imperia ſic fuerit promotus.Aliud enim eſt, ſpoliare Eccleſiam iure ſuo, vt totum ad vnius hominis libidinem transferatur: aliud hoc honoris regi aut imperatori dare, vt ſua authoritate legitimam electionem confirmet.

Epiſt.5.lib.1.

14 Sequitur iam vt tractemus quo ritu poſt electionem initiarẽtur veteris Eccleſiæ miniſtri in ſuum officium.Hanc Latini ordinationem vel cõſecrationẽ, Græci χειροτονίαν interdum etiam χειροθεσίαν vocarũt: licet χειροτονία id genus electionis propriè dicatur vbi declarantur ſuffragia manuum eleuatione. Extat autem decretum Niceni concilii, vt Metropolites cum omnibus prouinciæ Epiſcopis cõueniat ad eum qui electus fuerit ordinandum. Si autem itineris longitudine, aut valetudine, aut alia neceſſitate pars impediatur,vt tamen tres minimum conueniant:qui autem abſunt,ſuam conſenſionem per literas teſtentur.Atque hic Canon quum deſuetudine obſoleſceret,pluribus deinde ſynodis renouatus fuit. Omnes autem,aut ſaltem quicunque excuſationem non haberent, ideo adeſſe iubebantur quo grauius de doctrina & moribus ordinãdi haberetur examen. neque enim ſine examine res peragebatur. Et apparet ex Cypriani verbis, non poſt electionem

Id quoque epiſt cõplu-ribus.

Lib.2. epiſt. 69.

Diſtinct.23. capite, In nomine.

ctionem vocari,sed electioni interesse olim solitos: atqué in eum finẽ vt essent quasi moderatores,nequid in ipsa turba fieret turbulenti. Vbi enim dixit plebi esse potestatem vel dignos eligendi sacerdotes,vel indignos recusandi:aliquanto pòst subiũgit,Propter quod diligenter de traditione diuina atque Apostolica seruandum est & tenendũ (quod apud nos quoque & ferè per prouincias vniuersas tenetur) vt ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant,& Episcopus deligatur plebe præsente. Sed quum tardius interdum cogerentur,& periculum esset ne illa mora abuterentur quidam ad ambiendi occasionem, satis fore visum est si designatione facta ipsi accederent, ac legitima inquisitione probatum consecrarent. Epist.4.lib.1

15 Hoc quum vbique sine exceptione fieret,paulatim mos diuersus inoleuit,vt metropolim ad petendam ordinationem electi concederent.Quod ambitione magis & veteris instituti deprauatione factum est,quàm bona aliqua ratione. Nec multo pòst, aucta iam Romanæ sedis authoritate, obtinuit altera adhuc deterior consuetudo, vt totius ferè Italiæ Episcopi consecrationem inde peterent. Quod animaduertere licet ex epistolis Gregorii.Paucis tantùm ciuitatibus, quæ non ita facilè cesserãt, antiquum ius seruatum erat.vt de Mediolano exemplũ illic habetur. Fortassis solæ metropoles retinuerunt suum priuilegium. Solebant enim ad Archiepiscopum consecrandum omnes prouinciales Episcopi cõuenire in ipsam primariam ciuitatem.Cæterùm ritus erat manuum impositio. Nihil enim præterea ceremoniarũ adhibitum lego:nisi quòd aliquem ornatum in solẽni cœtu habebant Episcopi,quo à reliquis presbyteris distinguerentur. Presbyteros quoque & diaconos sola manuũ impositione ordinabant:sed suos presbyteros quisque Episcopus cum presbyterorum collegio ordinabat. Quanquam autem idem agebãt omnes:quia tamẽ præibat Episcopus, & quasi eius auspiciis res gerebatur, ideo ipsius dicebatur ordinatio. Vnde veteres hoc sæpe habent,non differre alia re ab Episcopo presbyterum nisi quia ordinandi potestatem non habeat. Lib.2.Epist.69,& 76

Antiquam regiminis formam omnino pessundatam fuisse tyrannide Papatus.

CAP. V.

NVNC ordinem gubernandæ Ecclesiæ, quem hodie tenet Romana sedes ac omnes eius satellites, totámque hierarchiæ illius quam perpetuò in ore habent imaginem ob oculos ponere operæpretium est, ac cum illo quem descripsimus,primę ac veteris Ecclesiæ conferre:quo ex comparatione eluceat qualem Ecclesiam habeant qui hoc solo titulo ad nos grauandos vel potius obruẽdos ferociunt.Præstat autẽ à vocatione incipere, vt videamus qui & quales & qua ratione vocentur ad hoc ministerium. Tum deinde considerabimus quàm fideliter munus suum impleant.Dabimus autem primũ locum Episcopis:quibus vtinam hoc honori esse posset, in hac disputatione primum tenere ordinem. Sed res ipsa non patitur me vel leuiter attingere hoc argumentum sine summo ipsorum dedecore. Et tamen meminero in quo scripti genere nũc versẽr:nec orationem meam,quæ ad simplicem doctrinã composita esse debet,vltra suas metas diffluere patiar.Sed tamen respondeat mihi quispiã eorum qui non prorsus frontem perdiderunt,quales hodie Episcopi passim eligantur. Sanè examen haberi de doctrina nimis obsoletum est.quòd siquis habetur doctrinæ respectus, iurisconsultum aliquem deligũt,qui in foro magis litigare nouerit quàm in Ecclesia concionari. Hoc constat,à centum annis vix centesimum quenque fuisse electum qui sacræ doctrinæ aliquid teneret. Superioribus seculis non ideo parco, quòd multo meliora fuerint,sed quòd de præsenti modo Ecclesia nobis quæstio est.Si de moribus fiat cẽsura,paucos aut propemodũ nullos fuisse reperiemus quos non indignos veteres Canones iudicassent.Qui nõ fuit ebriosus,fuit scortator: qui ab hoc quoque scelere purus fuit,aut aleo fuit,aut venator,aut in aliqua parte vitæ dissolutus.Sunt enim leuiora vitia quæ secundũ vetustos Canones hominem ab Episcopatu excludunt. Hoc verò longè absurdissimum, quòd pueri quoque vix decennes,Papæ concessione, Episcopi sunt facti. Eò impudentiæ ac stuporis prouecti sunt vt nec illud quidem extremum & adeò prodigiosum flagitium horrerẽt, quòd ab ipso naturæ sensu penitus abhorret. Hinc apparet quàm religiosæ fuerint electiones, vbi tam supina negligentia fuit.

2 Iam in eligendo totum illud ius populi sublatum est. Vota,assensus,subscriptiones & omnia eiusmodi euanuerunt. Ad solos Canonicos integra potestas translata est. Illi

in quem volunt, conferunt Episcopatum, eum mox in conspectum plebis producunt: sed adorandum, non examinandum. Atqui reclamat Leo, nullam rationem id finere, ac violentam impositionem esse pronuntiat. Cyprianus quum fluere ex iure diuino testatur ne fiat nisi ex consensu populi, pugnare diuersum morem cum verbo Dei ostendit. Tot synodorum decreta ne secus fiat seueriſſimè prohibent: ac, si factum sit, iubent esse irritum. Si hæc vera sunt, nulla hodie neque diuino neque Ecclesiastico iure Canonica electio in toto Papatu supereſt. Verùm etiamsi nihil aliud mali foret, quî tamen hoc excusare poterunt quod ita spoliauerint suo iure Ecclesiam? Atqui ita, inquiunt, exigebat temporum corruptio, vt quoniam apud plebem & magistratus plus valebant odia & studia in assumendis Episcopis, quàm rectum sanúmque iudicium, eius rei arbitrium paucis deferretur. Fuerit sanè hoc extremum mali in rebus deploratis remedium. Verùm vbi medicina morbo ipso nocentior apparuit, cur non & nouo huic malo succurritur? Sed est, inquiunt, ipsis Canonicis exactè præscriptum quid sequi in electione debeant. Sed an dubitamus quin sanctissimis legibus olim plebs se astringi intelligeret, quum videret sibi regulam è verbo Dei propositam, dum ad Episcopum eligendum conueniret? Siquidem illa vna vox Dei qua describit veram Episcopi effigiem, meritò pluris esse debebat quàm infinitæ Canonum myriades. Sed nihilominus, pessimo affectu corrupta, nullam habebat legis aut æquitatis rationem. Sic hodie etsi optimæ scriptæ sunt leges, manent tamen in chartis sepultæ. Interim vtplurimum moribus receptum est, & (quasi ratione fiat) etiam approbatum, vt ebriosi, scortatores, aleones passim ad hunc honorem promoueantur. parum dico: vt Episcopatus adulteriorum & lenociniorum sint præmia. Nam quum venatoribus & aucupibus dantur, præclarè res cecidisse existimanda est. Tantam indignitatem vllo modo excusare, nimis improbum est. Habebat, inquam, olim optimum canonem populus, cui præscribebat Dei verbum, oportere
1. Tim. 1. a. 1 Episcopum esse irreprehensibilem, doctorem, non pugnacem, &c. Cur ergo eligendi prouincia à paulo ad istos translata est? Quia scilicet inter populi tumultus & factiones verbum Dei non exaudiebatur. Et cur hodie ab istis rursum non trãsferatur, qui non modò leges omnes violant, sed abiecto pudore, libidinosè, auarè, ambitiosè humana diuinis commiscent & confundunt?

3 Sed mentiuntur quum aiunt hoc remedii loco fuisse inuentum. Sæpe in Episcopis eligendis tumultuatas olim fuisse vrbes legimus: nemo tamen vnquam de auferendo ciuibus iure cogitare ausus est. Alias enim habebant vias quibus vel obuiarent his vitiis, vel iam admissa corrigerent. Verùm dicam quid sit. Quum populus in delectu habendo negligentior esse cœpisset, & hanc curam, quasi minus sibi congruentem, in presbyteros reiiceret, illi hac occasione ad tyrannidem sibi vsurpandã abusi sunt: quam postea nouis canonibus editis stabilierunt. Ordinatio autẽ nihil aliud est quàm merũ ludibrium. Species enim examinis, quam illic ostentant, adeò inanis est & ieiuna, vt omni etiam fuco careat. Itaque quòd alicubi pactione impetrarunt principes à Romanis Pontificibus, vt nominarent ipsi Episcopos, in eo nihil noui damni fecit Ecclesia: quia canonicis duntaxat electio, quam nullo iure rapuerant, vel certè furati erant, adempta est. Est hoc sanè fœdissimum exemplum, qnòd ex aula mittuntur Episcopi ad occupandas Ecclesias, & piorum principum esset à tali corruptela abstinere. Est enim impia Ecclesiæ spoliatio, quoties alicui populo ingeritur Episcopus quem non petierit, vel saltem libera voce approbarit. Verùm inordinatus ille mos qui in Ecclesiis iampridẽ fuit, occasionem principibus dedit vt præsentationem Episcoporum sibi sumerent. Maluerunt enim suum esse beneficium, quàm eorum in quos nihilo plus id competebat, & qui non minus perperam eo abutebantur.

4 En præclara vocatio, cuius causa Episcopi Apostolorum successores se esse iactãt. Presbyteros autem creandi ius sibi solis competere dicunt. Sed in hoc pessimè corrumpunt vetus institutum, quòd non Presbyteros sua ordinatione creant qui populum regãt ac pascant, sed Sacerdotes qui sacrificent. Similiter quum Diaconos cõsecrant, nihil agũt de vero ac proprio ipsorum officio: sed ad certas modò cæremonias circa calicem & patinam ordinant. At in Synodo Chalcedonensi contrà sancitum est, ne fiant absolutæ ordi-
Distinct. 70 cap. 1 nationes, hoc est, quin locus simul assignetur ordinatis vbi munus suũ exerceant. Hoc decretum duplici nomine vtilissimum est, Ne onerentur Ecclesiæ superuacuo sumptu, & in homines otiosos expendatur quod erogari pauperibus debet. Deinde vt ii qui ordinantur,

ordinantur, cogitent non se ad honorem promoueri, sed munus sibi mandari ad quod obeundum solenni testificatione obligentur. At Romanenses magistri (qui nihil in religione curandum putant præter ventrem) primò titulum interpretantur reditum qui ad alimoniam sufficiat: siue ex patrimonio sit, siue ex sacerdotio. Itaque quum Diaconum vel Presbyterum ordinant, nihil soliciti vbi debeant ministrare, ordinem illis conferunt, si modò satis diuites sint ad se alendos. Verùm quis hominũ hoc recipiat, vt titulus quem requirit concilii decretum, sit annuus prouentus ad alimoniam? Iam verò quia recentiores Canones episcopos damnabant eorum alimonia, quos sine idoneo titulo ordinassent, quo sic reprimerent nimiam eorum facilitatem, etiam cautio excogitata est qua eluderent pœnam. Nam qui ordinatur, nominato qualicũque titulo promittit eo se fore contentum. Eo pacto ab alimentorum actione depellitur. Taceo mille fraudes quæ hîc fiunt. vt quum alii inanes sacerdotiorum titulos mentiuntur, vnde quinque asses annuatim conficere nequeant. alii sub arcana stipulatione sacerdotia commodatò accipiunt, quæ statim reddituros se pollicentur, sed interdum non reddunt. Et alia eius generis mysteria.

5 Verùm etiamsi illi abusus crassiores tollerentur, annon illud semper absurdum est, Presbyterum constituere cui locum nullum assignes? neminem enim ordinant nisi ad sacrificandum. Atqui legitima Presbyteri ordinatio est, ad Ecclesiæ gubernationem: Diaconi, ad eleemosynæ procurationem vocari. Multis quidem pompis adumbrant id quod agunt: quo specie ipsa venerationem apud simplices habeat. sed apud sanos quid valere possunt istæ laruæ, vbi nihil solidi aut veri subest? Nam ceremonias adhibent vel ex Iudaismo accersitas, vel ex seipsis confictas: quibus abstinere satius foret. De vero autem examine (vmbram enim illam quam retinent nihil moror) de populi consensu, de aliis rebus necessariis, nulla mentio. Vmbram voco ridiculas illas gesticulationes, ad ineptam ac frigidam vetustatis imitationem compositas. Habent Episcopi suos vicarios, qui ante ordinationem de doctrina inquirant. Sed quid? an legere suas missas possint: an vulgare aliquod nomẽ, quod in lectione occurret, declinare, an coniugare verbum, an vocis vnius significationem, nouerint. neque enim necesse est vt vel vnius versiculi sensum reddere sciant. Neque tamen adhuc sacerdotio repelluntur qui in his quoque puerilibus elementis deficiunt, modò aliquam pecuniæ vel gratiæ commendationem attulerint. Eiusdem farinæ est quòd quum ad altare admouentur ordinandi, quæritur ter voce non intellecta, sintne digni honore. Respondet vnus (qui eos nunquam vidit, sed nequid formulæ desit, has partes habet in fabula) Digni sunt. Quid in venerandis istis Patribus accuses, nisi quòd in tam apertis sacrilegiis ludendo, Deum & homines nullo pudore rident? At quia in diuturna eius rei possessione sunt, putant id sibi iam licere. Quisquis enim contra hæc tam clara támque atrocia flagitia hiscere audet, quasi qui sacra Cereris in apertum olim protulerat, ad capitale iudicium ab ipsis rapitur. An hoc facerent si quem putarent esse Deum?

6 Iam in beneficiorum collationibus (quæ res olim coniuncta erat cum ordinatione, nunc prorsus est separata) quanto melius se gerunt? Est autem apud eos multiplex ratio. neque enim soli Episcopi conferunt sacerdotia. & in his etiam quorum vocantur collatores, non semper plenum ius habent: sed alii præsentationem habent, ipsi autem collationis titulum retinent, honoris causa. Accedunt etiam nominationes ex scholis, resignationes, vel simplices, vel permutationis causa factæ: rescripta commẽdatitia, præuentiones, & quicquid tale est. Verùm ita se omnes gerunt vt nullus eorũ possit alteri quippiam exprobrare. Sic contendo: vix centesimum quodque beneficium hodie in Papatu sine simonia conferri: qualiter simoniam veteres definierunt. Non dico omnes numerato pretio emere: sed cedo mihi vnum ex viginti qui nulla obliqua commendatione ad sacerdotium perueniat. Alios cognatio vel affinitas promouet, alios parentum authoritas: alii obsequiis fauorem sibi conciliant. Denique in hunc finẽ cõferuntur sacerdotia, non vt Ecclesiis sit prospectum, sed iis qui accipiunt. Itaque beneficia appellant, quo nomine satis declarant se non alio loco ea habere quàm principum donatiua, quibus vel cõciliant fauorem militum, vel eorum labores remunerantur. Omitto quòd in tonsores, coquos, mulliones, atque eius fæcis homines hæc præmia conferuntur. Iam verò nullis ferè litibus magis hodie perstrepunt iudicia quàm ob sacerdotia: vt dicas nihil aliud quàm prædam esse canibus obiectã ad venationẽ. An hoc vel auditu tolerabile est, Pastores vocari

qui in Ecclesiæ possessionem, quasi in hostile prædium irruperint? qui forensibus iurgiis euicerint? qui pretio redemerint? qui sordidis obsequiis emeruerint? qui pueri vix dum balbutientes, eam, ceu hæreditariam à patruis & cognatis, interdum etiam à patribus spurii creuerint?

7 An vnquam eò progressa esset populi, quantumuis corrupti & exlegis, licẽtia? Sed hoc quoque maius portentum est, quòd vnus homo (non dico qualis, certè qui seipsum regere non potest) quinque aut sex Ecclesiis gubernandis præficitur. Videre est hodie in aulis Principum adulescentes ter Abbates, bis Episcopos, semel Archiepiscopos. Passim verò sunt Canonici, quinque, sex, septem sacerdotiis onusti: quorum nullam prorsus nisi in recipiendo prouentu curam habent. Non obiiciam, verbum Dei vbique reclamare: quod iampridem desiit apud eos habere tantillum momenti. Non obiiciam, multas seueriſſimas sanctiones in pluribus Conciliis contra hanc improbitatem esse factas. nam has quoque quoties libet, fortiter contẽnunt. Sed dico vtrunque esse prodigiosum flagitium, quod Deo, naturæ, & Ecclesiastico regimini prorsus aduersetur, vt vnus prædo pluribus simul Ecclesiis incubet: vt Pastor nominetur, qui gregi suo adesse, etiamsi velit, nequeat: & tamen (qua sunt impudentia) tam abominandas fœditates Ecclesiæ nomine prætexũt, quo ab omni reprehensione eximant. Quinetiam, si Deo placet, in istis nequitiis cõtinetur sacrosancta illa successio, cuius merito effectum esse iactant ne Ecclesia periret.

8 Nunc (quæ secunda nota est in æstimando legitimo Pastore) videamus quàm fideliter munus suum exerceant. Ex sacerdotibus, qui illic creantur, alii sunt Monachi, alii quos vocant Seculares. Prior ille grex incognitus fuit veteri Ecclesiæ. & habere talem in Ecclesia locum, adeò cum monastica professione pugnat, vt quum olim ex monasteriis in clerum cooptarentur, monachi esse desinerent. Atque adeò Gregorius, cuius tempus Epist. 11. lib. 3 multum fæcis habuit, hanc tamen confusionem fieri passus non est. Vult enim clericatu abdicari qui Abbates facti fuerint: quòd monachus simul esse & clericus ritè nemo queat: quum alterum alteri sit impedimento. Nunc si interrogem quomodo munus suum bene impleat quem Canones non esse idoneum declarãt: quid, obsecro, respondebunt mihi scilicet abortiua illa decreta Innocẽtii & Bonifacii, quibus monachi ad sacerdotii honorem & potestatem sic recipiuntur, vt in monasteriis suis maneant. Sed quę ista est ratio, vt indoctus quiuis asinus, simulac Romanam sedem occupauerit, totã antiquitatem verbulo vno euertat? Verùm de hac re postea. Istud nunc sufficiat, pro magna absurditate habitum esse in Ecclesia puriori, si monachus sacerdotio fungeretur. Nam Hieronymus se officium sacerdotis agere negat, quum inter monachos degit: séque vnum ex plebe facit qui à sacerdotibus regatur. Verũ vt hoc illis demus, quid tamen officii faciunt? Ex mendicantibus nonnulli concionãtur: reliqui omnes monachi vel cantillant vel demurmurant Missas in suis latibulis. Quasi ad hoc fieri Presbyteros, aut Christus voluerit, aut muneris natura patiatur. Quum scriptura palàm testetur, Presbyteri esse propriam Act. 10. f. 28 Ecclesiam regere, annon impia est profanatio, aliò transferre, imò penitus immutare sacrum Dei institutum? Nam quum ordinantur, nominatim vetantur facere quæ Deus Presbyteris omnibus iniungit. Siquidem illis hæc cantilena canitur, Monachus suo claustro contentus, nec sacramenta administrare, nec aliud quippiam publici muneris gerere præsumat. Negent, si poterunt, apertum esse Dei ludibrium, in hoc aliquem Presbyterum fieri, vt à verò & germano officio abstineat, & eum qui nomen habet, rem non posse habere.

9 Venio ad seculares: qui partim beneficiarii sunt (vt loquuntur) id est, habent sacerdotia quibus alantur: partim quotidianas operas locant missando vel canendo, & quasi collecta inde stipe victitant. Beneficia aut curam animarum habent, vt Episcopatus & parochiæ: aut stipendia sunt hominum delicatorum, qui cantillando victum acquirunt: vt præbendæ, canonicatus, personatus, ac dignitates, capellaniæ, & similia. Quanquam, rebus sursum deorsum iam conuersis, Abbatiæ & Prioratus non tantùm secularibus Presbyteris, sed pueris quoque (priuilegio, id est vulgari & vsitata consuetudine) conferũtur. Quantum ad mercenarios attinet, qui in diem victum quærunt, quid aliud facerẽt quàm quod faciunt? nempe vt illiberali ac pudendo modo sese prostituant ad quæstum: præsertim in tanta multitudine quanta nunc orbis scatet. Itaque quum palàm mendicare non audeant, vel hac via reputent se parum profecturos, velut canes famelici circumeunt, & sua importunitate non secus ac latratu extorquẽt ab inuitis hominibus quod in aridum

ventrem

ventrem ingerant. Hîc si verbis persequi coner quantum sit dedecus Ecclesiæ, eò rediisse honorẽ & munus Presbyterii, nullus erit finis. Non est igitur cur à me expectent lectores orationem quæ tam flagitiosæ indignitati respondeat. Breuiter dico, Si Presbyteri officium est (quod & verbum Dei prescribit, & vetusti Canones requirunt) Ecclesiam pascere, & spirituale Christi regnum administrare: tales omnes sacrifici qui nullum nisi in Missarum nundinatione opus aut stipendium habent, non modò cessant in officio, sed nullum quod exerceant legitimum habent officium. Locus enim docendi illis nullus datur: nullam plebem habent quam gubernent. Denique nihil illis reliquum est præter altare in quo Christum sacrificent. quod non est Deo, sed dæmoniis litare, vt alibi videbimus. 1.Cor.4.2.1

10 Non attingo hîc extranea vitia, sed duntaxat intestinum malum, quod in ipsorum institutione radicitus hæret. Addam vocem, quæ malè sonabit in eorum auribus: sed quia vera est, dicere oportet, eodem loco habendos esse Canonicos, Decanos, Capellanos, Præpositos, & quicunque otiosis sacerdotiis aluntur. Quale enim Ecclesiæ ministerium præstare queunt? Nam verbi prædicationem, curam disciplinæ, & sacramentorum administrationem, tanquam onera nimis molesta à se depulerunt. Quid ergo habent reliquum quo se veros Presbyteros esse iactent? Cantum scilicet & ceremoniarum pompam. At quid hoc ad rem? Si consuetudinem, si vsum, si longi temporis præscriptionem allegant: ego contrà Christi definitionem regero, qua & veros Presbyteros nobis expressit, & quid habere debeant qui tales haberi volunt. Quòd si tam duram legem ferre nequeunt vt se Christi regulæ subiiciant, patiantur saltem hanc causam ex authoritate primæ Ecclesiæ decidi. At nihilo melior erit ipsorum conditio, si ex vetustis Canonibus de eorum statu iudicetur. Qui in Canonicos degenerarunt, Presbyteri esse debuerãt, vt fuerunt olim, qui ecclesiam cum Episcopo in commune regerent, & veluti collegæ eius essent in munere pastorali. Dignitates illæ capitulares quas vocant, nihil prorsus spectant ad veram Ecclesiæ gubernationem: multo minus Capellaniæ, & reliqua fæx talium nomi num. Quo igitur loco eos omnes habebimus? Certè & verbum Christi, & veteris Ecclesiæ obseruatio eos à presbyterii honore excludit. Presbyteros tamen se esse contendunt: sed detrahenda est larua: sic reperiemus, totam eorum professionem alieniſſimam esse ac remotissimam ab illo munere Presbyterorum quod & Apostoli nobis describunt, & in prima Ecclesia requisitum fuit. Omnes ergo eiusmodi ordines quibuscunque titulis insigniantur, nouitii quum sint, certè nec Dei institutione, nec antiqua Ecclesiæ obseruatione suffulti, locum nullum habere debent in descriptione regiminis spiritualis, quod ore Domini ipsius consecratum Ecclesia recepit. Aut (si rudius ac crassius me loqui malunt) quando Capellani, Canonici, Decani, Præpositi, & eius farinæ otiosi ventres ne minimo quidem digito particulam vllam attingunt eius officii quod in Presbyteris necessariò requiritur, non est ferendum vt falsò sibi honorem vsurpando, sanctam Christi institutionem violent.

11 Supersunt Episcopi & parochiarum rectores: qui vtinam de retinẽdo officio contenderent. Libenter enim illis cõcederemus, eos habere pium & eximium munus, si quidem eo defungerentur: sed quum Ecclesias sibi commissas deserendo, earúmque curam in alios reiiciendo haberi pastores volunt, perinde faciunt acsi munus pastoris esset nihil agere. Siquis fœnerator, qui nunquam pedem vrbe moueret, aratorem se aut vinitorem esse profiteretur: si miles, qui assiduus fuisset in acie & castris, forum aut libros nunquam vidisset, pro iurisconsulto se venditaret, quis ferret tam putidas ineptias? Atqui aliquanto absurdius isti faciunt, qui videri volunt & nominari legitimi Ecclesiæ pastores, & tamen esse nolũt. Quotus enim quisque est qui vel in speciem Ecclesiæ suæ regimen obeat? Plurimi Ecclesiarum reditus tota vita deuorant, ad quas ne inspiciendi quidẽ causa vnquam accedunt. Alii semel quotannis aut veniunt ipsi, aut œconomum mittunt, nequid in locatione depereat. Quum hæc corruptela primùm obreperet, priuilegiis se eximebant qui frui volebant hoc genere vacationis: nũc rarum exemplum est vt quis in Ecclesia sua residеat. æstimant enim non secus ac villas, quibus vicarios suos tanquam villicos aut colonos præficiunt. Atqui hoc ipse quoque naturæ sensus repudiat, pastorem esse gregis, qui ouem ex eo nullam vnquam viderit.

12 Iam ætate Gregorii apparet quædam huius mali semina extitisse, vt Ecclesiarum rectores negligentiores in docendo esse inciperent: quia id grauiter alicubi conque- Homil.17

ritur. Mundus (inquit) sacerdotibus plenus est: sed tamen in messe rarus inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Item, Quia charitatis viscera non habent, domini videri volũt: patres se minimè recognoscũt. Humilitatis locum in elationem dominationis mutant. Item, Sed nos, ô Pastores, quid agimus, qui mercedem consequimur, & operarii non sumus? Ad exteriora negotia delapsi sumus: & aliud suscipimus, aliud præstamus. Ministerium prædicationis relinquimus: & ad pœnam nostrã, vt video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen nõ virtutis tenemus. Quum tãta verborũ asperitate vtatur aduersus eos qui tãtùm erant in officio minus assidui vel seduli, quid, quæso, dicturus esset si videret ex Episcopis ferè nullũ, aut certè paucissimos, ex reliquis vix centesimum quenque suggestum semel tota vita conscendere? Nam eò furoris ventum est vt vulgò existimetur res Episcopali dignitate inferior, cõcionem ad populum habere. Tempore Bernardi res aliquanto magis prolapsæ erant: sed videmus etiam quàm acerbis obiurgationibus inuehatur in totum ordinem: quem tamen credibile est fuisse tunc non paulo integriorem quàm nunc sit.

13 Quòd siquis totam hanc gubernationis Ecclesiasticæ faciem quæ hodie sub Papismo est, rite perpendat ac excutiat, reperiet nullum esse spoliarium, in quo licentiosius sine lege & modo latrones grassentur. Certè omnia illic à Christi institutione adeò dissimilia sunt, imò aliena, adeò ab antiquis Ecclesiæ institutis ac moribus degenerarũt, adeò cum natura & ratione pugnant, vt nulla maior Christo fieri iniuria possit quàm dum eius nomen ad defensionem tam ordinati regiminis obtẽdunt. Nos (inquiunt) sumus Ecclesiæ columnæ, religionis antistites, Christi vicarii, fidelium capita: quia potestas Apostolica per successionem ad nos peruenit. Quasi apud stipites loquantur, istis ineptiis perpetuò superbiunt. Quoties verò istuc iactabunt, quæram ab iis vicissim quid habeant cum Apostolis commune. Non enim de hæreditario aliquo honore agitur, qui dormientibus deferri queat: sed de prædicationis munere, quod ipsi tantopere defugiunt. Similiter quum ipsorum regnum tyrannidem Antichristi esse asserimus, continuò excipiunt, esse venerabilem illam toties à magnis & sanctis viris laudatam hierarchiam. Quasi verò sancti Patres, quum Ecclesiasticam hierarchiam aut spirituale regimen, vt ipsis per manus ab Apostolis traditum erat, commendarent, hoc deforme & vastitatis plenum chaos somniarent, vbi Episcopi vel rudes vtplurimum asini sunt, qui ne prima quidem & plebeia fidei rudimenta tenent: aut interdum pueri à nutrice adhuc recentes: & siqui doctiores sunt (quod tamen rarum est exemplum) Episcopatum nihil aliud esse putant quàm splendoris & magnificentiæ titulum: vbi Ecclesiarum rectores non magis de pascendo grege cogitant quàm sutor de arando: vbi omnia plusquam Babylonica dissipatione sic confusa sunt, vt nullum integrum vestigium paternæ illius ordinationis amplius appareat.

14 Quid si ad mores descendamus? vbi erit illa lux mũdi quam Christus requirit? vbi
Mat.5.b.14 sal terræ? vbi illa sanctitas quæ velut perpetua censura esse possit? Nullus hodie est hominũ ordo magis infamis luxu, mollitie, deliciis, omni denique genere libidinum. nullo ex ordine aptiores aut peritiores omnis impostura, fraudis, proditionis, perfidiæ magistri. nusquam tãtum ad nocendum vel solertiæ, vel audaciæ. Taceo fastum, superbiam, rapacitatem, sæuitiam. Taceo dissolutam in omnibus vitæ partibus licentiam. Quibus ferẽdis ita fatigatus est mundus vt verendum non sit nequid nimium exaggerare videar. Vnum dico quod inficiari ne ipsi quidem poterũt. Ex Episcopis ferè nullum: ex parochiarum præfectis non esse centesimum quenque, cuius si de moribus ferenda sit secundum veteres Canones sententia, non sit vel excommunicandus, vel minimum à munere abdicandus. Videor aliquid incredibile dicere, adeò prisca illa disciplina, quæ exactiorem censuram de moribus cleri fieri præcipiebat, obsoleuit: sed omnino ita res habet. Eant nunc qui sub Romanæ sedis vexillis & auspiciis militant, & de sacerdotali apud se ordine glorientur. Certè quem habent, neque à Christo, neque ab eius Apostolis, neque à Patribus, neque ab Ecclesia veteri esse constat.

15 Prodeant nunc in medium Diaconi, & illa sanctissima, quam habent bonorum Ecclesiasticorum distributio. Quanquam Diaconos suos ad eam rem minimè iam creãt. nihil enim aliud ipsis iniungunt nisi vt ministrent ad altare, Euangelium recitent aut canant, & nescio quas agant nugas. Nihil de eleemosynis, nihil de cura pauperum, nihil de tota illa functione quam olim gerebant. De ipsa institutione loquor. nam si spectemus

mus quod faciunt,re ipsa non munus illis est,sed gradus duntaxat ad presbyterium. Vna in re,qui locum Diaconi in Missa tenent,inane simulachrum antiquitatis repræsentant. recipiunt enim oblationes ante cõsecrationem. Fuit autem id antiqui moris vt ante Cœnæ communionem se mutuò oscularentur fideles, & eleemosynas ad altare offerrent: ita symbolo prius,deinde ipsa benedictentia charitatem suam declarabãt.Diaconus,qui œconomus erat pauperum, recipiebat quod dabatur, vt distribueret. Nunc ex illis eleemosynis nihilo plus peruenit ad pauperes quàm si in mare proiicerentur. Ludunt ergo Ecclesiam cum isto mẽdacii diaconatu.Certè in eo nec cum Apostolica institutione, nec cum veteri obseruatione simile quippiam habent. Ipsam verò bonorum dispensationem aliò transtulerunt:& ita composuerunt vt nihil fingi queat magis inordinatum.Quemadmodum enim latrones,iugulatis hominibus, prædam inter se diuidũt: ita isti post extinctum verbi Dei lumen, quasi iugulata Ecclesia, putarunt expositum esse prædæ ac direptioni quicquid in sanctos vsus dicatum erat. Itaque facta diuisione, rapuit ad se quisque quantum potuit.

16 Hîc totæ illæ veteres rationes quas exposuimus,non tantùm cõturbatæ,sed prorsus expunctæ & inductæ sunt.Potissimam partem Episcopi & Presbyteri vrbani,qui facti hac præda diuites,versi sunt in canonicos,inter se diripuerunt. Partitionem tamen fuisse tumultuariam ex eo apparet,quòd de finibus ad hunc vsque diem litigant. Quicquid sit, hac decisione prouisum est ne obolus vnus ex omnibus Ecclesiæ bonis ad pauperes rediret, quorum dimidia saltem ex parte fuerant. Nominatim enim quartam partem canones illis attribuunt: alteram verò quartam, ideo destinant Episcopis,vt in hospitalitatem & alia benignitatis officia erogent. Taceo quid sua portione facere clerici, & quem in vsum illam conferre debuerint. nam reliquum quod templis, ædificiis, & aliis sumptibus deputatur,debere pauperibus in necessitate patere,satis demõstratum est.Quæso,si scintillam vnam timoris Dei in corde haberent,sustinerẽntne hanc cõscientiam, quòd quicquid comedunt ac vestiuntur, ex furto, imò ex sacrilegio prouenit? Sed quia Dei iudicio parum commouentur,saltem cogitarent homines esse,sensu & ratione præditos, quibus persuadere volunt se habere tam pulchros & dispositos in Ecclesia sua ordines quàm iactare solent.Respondeant mihi breuiter an Diaconia sit furandi ac latrocinandi licentia. Hoc si negant,fateri etiam cogentur, nullam se Diaconiam reliquam habere: quando apud eos tota opum Ecclesiasticarum administratio in sacrilegam depredationem palàm conuersa est.

17 Sed hîc vtuntur pulcherrimo colore. dicunt enim Ecclesiæ dignitatem non indecenter hac magnificentia sustineri. Et habent ex sua secta quosdam ita impudentes vt audeant palàm iactare, sic demum adimpleri vaticinia illa quibus splẽdorem regni Christi describunt veteres Prophetæ vbi regius ille apparatus in ordine sacerdotali visitur. Nõ frustra,inquiunt,hæc Deus Ecclesiæ suæ promisit: Venient Reges, adorabunt in conspectu tuo,tibi afferent munera. Consurge consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem. Omnes de Saba venient,aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi. In hac improbitate confutanda si multum insistam,vereor ne ineptus videar.Proinde verba temerè perdere non libet.Quæro tamen,Siquis Iudæus istis testimoniis abuteretur,quam solutionẽ daturi essent? Nempe reprehenderent eius stuporem, quòd quæ de spirituali Christi regno spiritualiter dicta sunt, ad carnem & mundum transferret. Scimus enim Prophetas sub imagine rerum terrestrium, cælestem Dei gloriam, quæ lucere in Ecclesia debet, nobis delineasse. His enim benedictionibus, quas exprimunt eorum verba, nũquam minus abundauit Ecclesia, quàm sub Apostolis: & tamen vim regni Christi tunc maximè effloruisse omnes fatentur. Quid ergo sibi volunt illæ sententiæ? Quicquid vspiam est pretiosum,sublime,præclarum,id oportere Domino subiici. Quod autem nominatim de Regibus dicitur,fasces submissuros Christo,diademata sua proiecturos ad eius pedes,opes suas consecraturos Ecclesiæ, quando verius ac plenius exhibitum fuisse dicent, quàm quum Theodosius, abiecta purpura,relictis imperii insignibus,tanquam vnus quilibet ex plebe coram Deo & Ecclesia se ad solennem pœnitentiam submisit? quàm quum ipse & alii similes pii Principes sua studia & suas curas ad puram in Ecclesia doctrinam conseruãdam, ad fouendos & protegendos sanos Doctores contulerunt? At verò quàm non luxuriarint tunc superuacuis opibus Sacerdotes, vna illa vox Synodi Aquileiensis, cui præerat Am-

Psal.72. c.10
Iesa.52.a.1, & 60.a.6

brosius,satis declarat,Glorioſa in Sacerdotibus Domini paupertas. Habebant certè tunc Epiſcopi nonnullas facultates, quibus conſpicuum Eccleſiæ decus reddere poterant, ſi putaſſent hæc eſſe vera Eccleſiæ ornamenta. Sed quum ſcirent Paſtorum officio nihil eſſe magis aduerſum,quàm menſarum deliciis,veſtium nitore, magno famulitio, magnificis palatiis ſplendere ac ſuperbire, humilitatem ac modeſtiam, imò paupertatem ipſam quam Chriſtus inter ſuos miniſtros conſecrauit,ſequebantur & colebant.

18 Verùm ne hîc ſimus longiores,iterum in breuem ſummã colligamus,quàm procul abſit ea quæ nunc eſt opum Eccleſiaſticarum vel diſpẽſatio,vel diſſipatio,à vera Diaconia quam & verbum Dei nobis commendat, & vetus Eccleſia obſeruauit. Quod in templorum ornatum confertur,perperam collocari dico,ſi nõ adhibeatur is modus quẽ & ipſa natura ſacrorum præſcribit,& Apoſtoli aliíque ſancti Patres,tum doctrina tum exemplis præſcripſerunt. At quid tale hodie in templis conſpicitur? Quicquid,non dico ad priſcam illam frugalitatem,ſed ad honeſtam aliquam mediocritatem eſt compoſitum, reſpuitur. Nihil omnino placet,niſi quod luxum & temporum corruptelam ſapiat. Interim tantum abeſt vt viuorum templorum iuſtam habeant curam,vt potius multa pauperum millia fame perire paſſuri ſint, quàm minimum calicem aut vrceolum cõfringant ad inopiam eorum ſubleuandam. Nequid grauius à meipſo pronuntiem, hoc tantùm pios lectores cogitare velim,ſi nunc Exuperium illum Tholoſæ Epiſcopum, quem retulimus,ſi Acatium,ſi Ambroſium,aut ſimilem quempiam excitari à mortuis contingat, quidnam ſint dicturi. Certè non probabunt,in tanta pauperum neceſſitate,quaſi ſuperfluas opes aliò tranſferri. Vt taceam,hos vſus quibus impenduntur (etiamſi nulli ſint pauperes) multis modis noxios: vtiles verò nulla ex parte eſſe. Sed homines omitto. Bona hæc Chriſto ſunt dicata. eius itaque arbitrio diſpenſanda ſunt. Fruſtra autem partem hanc impenſam Chriſto ferent,quam præter eius mandatum profuderunt. Quanquam (vt verum fatear) non multũ de ordinario Eccleſiæ reditu his ſumptibus deciditur. Nulli enim ſunt tam opulenti Epiſcopatus, nullæ tam opimæ Abbatiæ, nulla denique neque tam multa neque tam ampla ſacerdotia,quæ ad explendam ſacerdotum ingluuiem ſufficiant. Verùm dum ſibi volunt parcere, populum ſuperſtitione inducunt vt quod erat in pauperes erogandum,ad extruenda templa,ad erigendas ſtatuas,ad emenda vaſa,ad pretioſas veſtes comparandas conuertant. Ita hoc gurgite quotidianæ eleemoſynæ abſumuntur.

19 De reditu quẽ ex agris & poſſeſſionibus percipiũt, quid aliud dicam quàm quod iam dixi,& eſt ante omnium oculos? Maximã portionem videmus qua fide adminiſtrent qui Epiſcopi vocantur & Abbates. Quæ inſania eſt Eccleſiaſticum ordinem hîc quærere? An in ſatellitii numero,ædium ſplendore, veſtitus & epularum deliciis, principum lautitias æmulari eos decebat,quorum vitam oportuerat ſingulare frugalitatis,modeſtiæ,continentiæ, humilitatis eſſe exemplar? Quantum & hoc ab eorum officio abhorrebat quos æternum inuiolabiléque Dei edictum turpis lucri appetentes eſſe vetat,& ſimplici victu contentos eſſe iubet, non modò vicis & arcibus manum iniicere, ſed in ampliſſimas ſatrapias inuolare,demum imperia ipſa occupare? Si verbum Dei contemnunt,quid reſpõdebunt ad vetuſta illa Synodorum decreta? quibus ſtatuitur vt Epiſcopus non procul ab Eccleſia hoſpitiolum habeat, vilem menſam, & ſupellectilem. Quid ad illud Synodi Aquileienſis elogium,quo in ſacerdotibus Domini glorioſa paupertas prædicatur? Nam illud fortè quod Hieronymus Nepotiano præcipit, vt menſulam eius pauperes & peregrini & cum illis Chriſtus conuiuia nouerit, tanquam nimis auſterum repudiabũt. Verùm quod ſtatim ſubiicit pudebit eos diffiteri,Gloriam eſſe Epiſcopi,pauperum opibus prouidere: ignominiam omnium ſacerdotum,propriis ſtudere diuitiis. Hoc autẽ recipere nequeunt quin ſe omnes ignominiæ condamnent. Sed non eſt neceſſe durius hîc eos perſequi, quum nihil aliud voluerim quàm demonſtrare ſublatum eſſe iampridem de medio apud ipſos legitimum Diaconatus ordinem: ne amplius hoc titulo ad Eccleſiæ ſuæ commendationem ſuperbiant. Quod me abunde feciſſe exiſtimo.

Tit.1.b.7

Concil.Carthag.4.cap. 34.& 15

De primatu Romanæ ſedis. CAP. VI.

HACTENVS eos recenſuimus Eccleſiæ ordines qui in veteris Eccleſiæ gubernatione fuerunt: ſed poſtea temporibus corrupti, magis deinde ac magis vitiati,nunc in Eccleſia Papali titulum duntaxat retinent,re vera nihil aliud ſunt quàm laruæ. vt ex comparatione iudicaret pius lectór qualem habeant Eccleſiam Romanenſes, in cuius gratiam reos ſchiſmatis nos faciunt,quoniam ab ea diſceſſerimus

ceſſerimus. Caput autem ac faſtigium totius ordinis, hoc eſt primatum Romanæ ſedis, vnde probare contendunt penes ſe ſolos eſſe Catholicam Eccleſiam, non attigimus. quia neque ex Chriſti inſtituto, neque ex Eccleſiæ veteris vſu ſumpſit originem, vt illæ ſuperiores partes: quas oſtendimus ita ab antiquitate ortas eſſe, vt temporum vitio prorſus degenerauerint, imò prorſus nouam formam induerint. Et tamen perſuadere mundo conantur, hoc eſſe præcipuum ac propè vnicum Eccleſiaſticæ vnitatis vinculum, ſi Romanæ ſedi adhæreamus, ac in eius obedientia perſeueremus. Hac, inquã, fultura potiſſimùm nituntur, quum nobis Eccleſiam adimere & ſibi vendicare volunt, quòd retinent caput ex quo pendet Eccleſiæ vnitas, & ſine quo diſſilire eam ac diſrumpi neceſſe eſt. Sic enim exiſtimant, Eccleſiam corpus eſſe quodammodo mutilum ac truncum, niſi Romanæ ſedi, tanquam capiti, ſit ſubiecta. Itaque quum de hierarchia ſua diſputant, ab hoc ſemper axiomate ſumunt exordium: Romanum pontificem (tanquam Chriſti, qui caput eſt Eccleſiæ, vicarium) eius loco Eccleſiæ vniuerſali præſidere: nec aliter bene conſtitutam Eccleſiam, niſi ſedes illa ſuper alias omnes primatum teneat. Quamobrẽ hoc quoque quale ſit excutiendum eſt: nequid omittamus quod ad iuſtum Eccleſiæ regimen pertineat.

2 Hic igitur ſit quæſtionis ſtatus, Vtrum ad veram hierarchiæ (vt vocant) ſeu Eccleſiaſtici ordinis rationem neceſſe ſit ſedem vnã inter alias & dignitate & poteſtate eminere, vt ſit totius corporis caput. Nos verò nimis iniquis legibus ſubiicimus Eccleſiam, ſi hãc ei neceſſitatem ſine verbo Dei iniicimus. Ergo ſi volunt euincere aduerſarii quod poſtulant, oſtendere eos primùm oportet œconomiam hanc à Chriſto eſſe inſtitutam. In hanc rem citãt ex Lege ſummum ſacerdotium, ſummum item iudicium, quod Deus Hieroſolymis inſtituit. At facilis eſt ſolutio, eáque multiplex, ſi quidem vna illis non ſatisfaciat. Primùm, quod in natione vna fuit vtile, id in vniuerſum orbem extendere nulla ratio cogit. imò gentis vnius & totius orbis longè diuerſa erit ratio. Quia vndique ab idololatris ſepti erant Iudæi, ne religionum varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem in medio terræ ſinu Deus collocauit. illic vnum antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerẽt, quo melius in vnitate continerentur. Nunc vbi vera religio in totum orbem diffuſa eſt, vni dari Orientis & Occidentis moderationem, quis non videat eſſe prorſus abſurdum? Perinde enim eſt ac ſiquis contendat totum mundum à præfecto vno debere regi, quia ager vnus non plures præfectos habeat. Sed eſt altera etiamnum ratio cur illud in imitationem trahi nõ debeat. Summum illum Pontificem typum fuiſſe Chriſti nemo ignorat. nunc trãſlato ſacerdotio, ius illud tranſferri conuenit. Ad quem porrò tranſlatum eſt? Non ad Papam ſanè (vt ipſe impudenter iactare audet) quum hoc ad ſe elogium trahit: ſed ad Chriſtum, qui vt ſolus munus ipſum ſine vicario aut ſucceſſore ſuſtinet, ita honorem alteri nemini reſignat. Non enim in doctrina modò, ſed in propitiatione Dei, quam morte ſua peregit Chriſtus, & illa interceſſione qua nunc apud Patrem fungitur, conſiſtit hoc ſacerdotium. Heb.7.b.11

3 Non eſt igitur quòd exemplo iſto, quod temporarium fuiſſe videmus, quaſi perpetua lege, nos obſtringant. Ex Nouo teſtamento nihil habent quod in ſentẽtiæ ſuæ confirmationem proferant niſi quòd vni dictum eſt, Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Item, Petre amas me? paſce oues meas. Verum vt firmæ ſint iſtæ probationes, oſtendant in primis oportet, ei mandari poteſtatem in omnes Eccleſias qui paſcere Chriſti gregem iubetur: nec aliud eſſe ligare & ſoluere, quàm toti mundo præſidere. Atqui vt mandatum Petrus à Domino acceperat, ita alios omnes Presbyteros hortatur vt paſcant Eccleſiam. Hinc colligere licet aut illa Chriſti voce nihil præ aliis datum eſſe Petro: aut Petrum, ius quod acceperat, cum aliis ex æquo communicaſſe. Verùm, ne fruſtra litigemus, habemus alibi claram ex ore Chriſti expoſitionem, quid ſit ligare & ſoluere: nempe retinere & remittere peccata. Modum verò ligandi & ſoluendi cum Scriptura tota paſſim oſtendit, tum Paulus optimè declarat, quum dicit Euangelii miniſtros habere mandatum reconciliandi homines Deo, & ſimul poteſtatem habere exercendæ vindictæ in eos qui beneficium hoc reſpuerint. Mat.16.c.18 Iohã.21.c.15 1.Pet.5.a.2 Iohã.20.e.23 2.Cor.5.d. 18,& 10.b.16

4 Quàm indignè torqueant locos illos qui ligandi & ſoluendi mentionem faciunt, cum alibi perſtrinxi, tum fuſius Paulo pòſt explicandum erit. Nunc tantùm quid ex celebri illo Chriſti ad Petrum reſponſo eliciant, videre operæpretium eſt. Promiſit ei claues regni cælorum: dixit, quodcunque ligaret in terra, ligatum fore in cælis. Si de clauium vo- Mat.16.c.19.
e & ligandi modo inter nos conueniat, ſtatim ceſſabit omnis contentio. Nam & Papa li-

benter iunctam Apostolis prouinciam omittet, quæ laboris & molestiæ plena suas ei delicias absque lucro excuteret. Quoniam Euangelii doctrina nobis cæli aperiuntur, eleganti metaphora insignitur clauium nomine. Iam non alio modo ligantur & soluuntur homines nisi dum fides alios reconciliat Deo, alios sua incredulitas magis constringit. Si hoc tantùm sibi sumeret Papa, neminem fore puto qui vel inuideat vel certamẽ moueat. Sed quia hæc successio laboriosa & minimè lucrosa nequaquam Papæ arridet, iam inde nascitur litis principiũ, quid Petro Christus promiserit. Ego ex reipsa colligo nonnisi muneris Apostolici dignitatem notari, quæ ab onere disiungi non potest. Nam si recipitur illa quam posui definitio (quæ nonnisi impudenter reiici potest) nihil Petro hîc datur quod non fuerit collegis etiam commune. quia alioqui non modò personis fieret iniuria, sed claudicaret ipsa doctrinæ maiestas. Reclamant illi: sed quid iuuat, obsecro, ad hanc rupem impingere? Neque enim efficient quin sicuti omnibus Apostolis eiusdem Euangelii iuncta fuit prædicatio, ita etiam communiter ligandi & soluendi potestate instructi fuerint. Christus (inquiunt) Petrum Ecclesiæ vniuersæ principem constituit, quum daturum se illi promisit claues. Atqui quod vni tunc promisit, alibi reliquis simul omnibus confert, & quasi in manum tradit. Si idem iuris concessum est omnibus quod vni promissum, qua in re erit ille collegis superior? In eo, inquiunt, excellit, quòd & communiter & seorsum accipit: quod aliis non datur nisi in commune. Quid si cum Cypriano & Augustino respondeam, non ideo id fecisse Christum vt hominem vnum aliis præferret, sed vt Ecclesiæ vnitatem sic commendaret? Sic enim loquitur Cyprianus, In persona vnius hominis Dominum dedisse omnibus claues, vt omnium vnitatem denotaret. hoc itaque fuisse reliquos quod erat Petrus: pari consortio præditos & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate fieri, vt Ecclesia Christi vna monstretur. Augustinus verò, Si in Petro non esset Ecclesiæ mysterium, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues. si enim hoc Petro dictum est, non habet Ecclesia: si autem Ecclesia habet, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam totam designauit. Et alibi, Quum interrogati essent omnes, solus Petrus respondet, Tu es Christus: & ei dicitur, Tibi dabo claues, quasi ligandi & soluendi solus acceperit potestatem: quum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius vnitatis, acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus.

Mat. 18. c. 20
Iohã. 20. e. 23
De simpli. Prælat.
Homil. in Iohan. 50.
Homil. 11 Repetit. Homil. 124

5 At illud, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, nusquam alteri dictum legitur. Quasi verò aliud de Petro illic Christus prædicet quàm quod Paulus & Petrus ipse de omnibus Christianis. Ille enim Christum lapidem summum & angularem facit, in quo superstruantur qui crescunt in templum sanctum Dominó: hic autem nos lapides viuos esse iubet, qui illo electo & pretioso lapide fundati, hac iunctura & compagine cum Deo nostro & inter nos cohæreamus. Ille (inquiunt) præ aliis: quia peculiariter nomen habet. Hunc certè honorem Petro libenter cõcedo, vt in ædificio Ecclesiæ inter primos collocetur: vel (si hoc quoque velint) primus omnium fidelium: verùm vt primatum in alios eum habere ex eo deducant, non permittam. Quæ enim est ista hæc ratio colligendi? Alios feruore studii, doctrina, animi magnitudine præcedit: ergo potestatem in eos habet. Quasi verò nõ meliori prætextu colligere liceat, Andream esse ordine priorem Petro, quia tempore ipsum antecessit, & Christo adduxit. sed hoc omitto. Priores sanè habeat Petrus: multum tamen interest inter honorem ordinis & potestatem. Videmus Apostolos hoc ferè Petro detulisse vt in cœtu verba faceret, & quodammodo præiret, referendo, hortando, monendo: sed de potestate nihil omnino legimus.

Matth. 16. c. 18
Ephes. 2. d. 20
1. Pet. 2. a. 5.
Iohan. 1. f. 40 & 41

6 Quanquam nondum in ea disputatione sumus, tantùm hoc in præsentia habere volo, nimis futiliter eos argumentari, quum ex solo Petri nomine imperium in Ecclesiam vniuersam struere volunt. Nam illæ veteres ineptiæ, quibus fucum initiò facere tentarunt, relatu quoque, nedum refutatione, indignæ sunt, In Petro fundatam esse Ecclesiam: quia dictum sit, Super hanc Petram, &c. At nonnulli ex Patribus sic exposuerunt. Sed quum reclamet tota Scriptura, quid eorum authoritas aduersus Deum prætenditur? Imò quid de verborum istorum sensu, quasi obscurus sit aut ambiguus, certamus: quum nihil dici queat magis liquidum nec certum? Confessus erat Petrus suo & fratrum nomine Christum esse Filium Dei. Super hãc petram ædificat suam Ecclesiam Christus: quia vnicum est, vt ait Paulus, fundamentum, præter quod statui aliud non potest. Neque hîc Patrum authoritatem ideo repudio quia eorum testimoniis destituar ad probandum

Matth. 16. c. 16.
1. Cor. 3. b. 11

quod

quod dico, si citare libeat: sed, quemadmodũ dixi, nolo de re tam clara disceptãdo frustra molestus esse lectoribus: præsertim quum hæc res à nostris hominibus satis diligenter pridem tractata & explicata fuerit.

7 Et tamen reuera nullus quæstionem hanc soluere melius potest quàm Scriptura ipsa, si locos omnes conferamus vbi docet quid muneris & potestatis habuerit Petrus inter Apostolos, qualiter se gesserit, qualiter etiam fuerit ab ipsis acceptus. Percurre quicquid extat: nihil aliud reperies quàm fuisse vnum ex numero duodecim, parem reliquis, & socium, non dominum. Refert quidem ad concilium siquid faciendum est, & quid facto opus sit admonet: sed alios simul audit, nec locum tantùm concedit dicendæ sententiæ, sed arbitrium illis permittit: vbi statuerunt, sequitur & obtemperat. Quum ad Pastores scribit, non mandat ex imperio, quasi superior: sed collegas suos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri solet. Quum accusatur quòd ad Gentes ingressus fuerit, etiamsi id fit immeritò, respondet tamen & sese purgat. Iussus à collegis ire cum Iohanne in Samariam, nõ detrectat. Quòd eum mittunt Apostoli, eo declarant se minimè eum habere pro superiori: quòd obsequitur & legationem sibi mandatam suscipit, eo fatetur sibi cum illis esse societatem, non aduersus eos imperium. Quòd si nihil istorum extaret, vna tamẽ epistola ad Galatas omnem dubitationem eximere nobis facilè potest: vbi duobus ferè capitibus nihil aliud contẽdit Paulus quàm se honore Apostolatus Petro esse parem. Hinc commemorat se ad Petrum venisse, non vt subiectionem profiteretur, sed tantùm vt testatam omnibus faceret doctrinæ consensionem. Petrum quoque ipsum nihil tale postulasse, sed dedisse sibi dexteram societatis, vt communiter in vinea Domini laborarent. Sibi non minorem gratiam collatam esse inter Gentes quàm Petro inter Iudæos. Denique quum minus fideliter ageret Petrus, fuisse à se correctum, & reprehensioni paruisse. Hæc omnia palàm faciunt aut fuisse æqualitatem inter Paulum & Petrũ, aut certè nihilo plus potestatis fuisse Petro in reliquos quàm ipsi in illum habuerint. Atqui id, sicuti iam dixi, ex professo agit Paulus, nequis sibi in Apostolatu vel Petrum vel Iohannem anteferat, qui collegæ erant, non domini.

Act.15.b.5

1.Pet.5.a.1

Act.11.a.3

Ibidẽ, 8.c.14

Galat.1.d.18, & 2.b.8

8 Verùm vt de Petro illis concedam quod petunt, fuisse scilicet Apostolorum principem, & dignitate reliquos antecelluisse: non est tamen causa cur ex singulari exemplo vniuersalem faciant regulam, & quod semel factum fuit, ad perpetuitatem trahãt: quum longè diuersa sit ratio. Vnus inter Apostolos summus fuit: nempe quia pauci erant numero. Si vnus duodecim hominibus præfuit, an propterea consequetur, vnum debere centum millibus hominum præfici? Quòd duodecim vnum habuerint inter se qui omnes regeret, nihil mirum. Hoc enim fert natura, hoc hominum ingenium postulat, vt in quouis cœtu, etiamsi æquales sint omnes potestate, vnus tamen sit veluti moderator, in quem alii respiciant. Nulla est curia sine consule, nullus consessus iudicum sine prætore seu quæsitore, collegium nullum sine præfecto, nulla sine magistro societas. Sic nihil absurdi esset si fateremur Apostolos detulisse Petro talem primatum. Sed quod inter paucos valet, nõ protinus trahendum est ad vniuersum orbem terrarum, ad quem regendum nemo vnus sufficit. Atqui illud (inquiunt) non minus in naturæ vniuersitate quàm in singulis partibus locum habet, vt sit vnum summum omnium caput. Et huius rei, si Deo placet, probationem sumunt à gruibus & apibus, quæ sibi ducem vnum semper eligunt, non plures. Recipio sanè quæ proferunt exempla: sed an ex toto orbe confluunt apes vt regem vnum eligant? suis aluearibus contenti sunt reges singuli. Ita in gruibus vnaquæque caterua proprium regem habet. Quid inde aliud euincent quàm singulis Ecclesiis debere suos Episcopos attribui? Ad ciuilia deinde exempla nos vocant. citant Homericum illud, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, & quæ eodem sensu in monarchiæ commendationem leguntur apud profanos scriptores. Facilis est responsio. nõ enim hoc sensu vel ab Homerico Vlysse vel ab aliis laudatur monarchia, quasi vnus debeat totum orbem imperio regere: sed indicare volunt, regnum duos non capere: & potestatem (vt ait ille) impatientem esse consortis.

9 Verùm sit sanè, vt volunt, bonum atque vtile orbem totum monarchia contineri: quod est tamen absurdissimum. sed ita sit: non tamen propterea concedam, idipsum in Ecclesiæ gubernatione valere. Habet enim illa Christum vnicum suum caput, sub cuius principatu omnes inter nos cohæremus, secũdum eum ordinem & eam politiæ formam quam ipse præscripsit. Insignem itaque iniuriam Christo faciunt quum eo prætextu vo-

lunt hominem vnum præesse Ecclesiæ vniuersæ, quia hæc capite carere non possit. Chri-
Ephes.4.d.15 stus enim caput est, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctu-
ram subministrationis, secundum operationem in mensura cuiusque membri, augmen-
tum corporis facit. Vides vt omnes mortales sine exceptione in corpore collocet, hono-
rem & nomen capitis relinquat vni Christo? Vides vt singulis membris tribuat certam
mensuram, & finitam ac limitatam functionem: quo tum gratiæ perfectio tum summa
gubernandi potestas penes Christum vnum resideat? Nec me latet quid cauillari soleant
quum hoc illis obiicitur, Christum scilicet propriè vocari vnicum caput, quia sua autho-
ritate suóque nomine solus regnet: sed istud nihil obstare quominus sub ipso sit alterum
caput ministeriale (vt loquuntur) quod eius vices in terris gerat. Verùm hoc cauillo nihil
Ibidem,d.1. proficiunt, nisi prius ostenderint hoc ministerium à Christo esse ordinatum. Apostolus
enim totam subministrationem per membra diffusam esse docet, virtutem ab vno illo cæ
Ephes.1.d. 22,& 4.d.15, & 5.c.23 coloss.1.c.18, & 2.b.10 lesti capite fluere. Aut, siquid volunt apertius, quum Scriptura testetur Christum esse ca-
put, & hunc ei soli honorem vindicet, non debet, in alium transferri nisi quem Christus ip-
se vicarium suum fecerit. Atqui non modò id nusquam legitur, sed refelli abundè ex
multis locis potest.

10 Aliquoties viuam Ecclesiæ imaginem nobis Paulus depingit. De vno capite nul-
la illic mentio. Quin potius ex eius descriptione colligere licet à Christi institutione id es-
Ephe.4.b.10 se alienum. Christus ascensu suo visibilem sui præsentiam nobis abstulit: ascendit tamen
vt impleret omnia. nunc igitur ipsum adhuc præsentem habet Ecclesia, & semper habitu-
ra est. Rationem qua se exhibet dum vult Paulus ostendere, ad ministeria quibus vtitur
Ibidē,7 & 11 nos reuocat. In omnibus nobis (inquit) est Dominus, secundum mensuram gratiæ quam
vnicuique membro contulit. Ideo constituit alios quidem Apostolos, alios verò Pastores,
alios Euangelistas, alios Doctores, &c. Cur non dicit, vnum omnibus præfeciisse qui vices
suas gereret? Id enim locus maximè postulabat, nec vllo modo debuit omitti, si verum es-
set. Christus (inquit) nobis adest. Quomodo? Per ministerium hominum, quos guberna-
dæ Ecclesiæ præfecit. Cur non potius, per caput ministeriale, cui vices suas mandauit? V-
nitatem nominat: sed in Deo & in Christi fide. Hominibus nihil tribuit nisi commune
ministerium, & vnicuique modum particularem. Cur in illa commendatione vnitatis,
Ibidē,4.a.4 postquam dixerat vnum corpus, vnum Spiritum, vnam spem vocationis, vnum Deum, v-
nam fidem, vnum Baptisma, non etiam continuò addidit, vnum summum Pontificem,
qui Ecclesiam in vnitate contineat? Nihil enim aptius dici poterat, si quidem ita res ha-
beret. Expendatur diligenter locus ille. non dubium quin repræsentare illic penitus vo-
luerit sacrum & spirituale Ecclesiæ regimen, quod posteri hierarchiam dixerunt. Monar-
chiam inter ministros non modò nullam ponit, sed etiam indicat nullam esse. Non du-
bium est etiam quin modum coniunctionis exprimere voluerit, quo fideles cum Christo
capite cohærent. Illic non modò nullum ministeriale caput commemorat, sed operatio-
nem singulis membris particularem attribuit, pro modo gratiæ vnicuique distributæ.
Nec est quòd de comparatione cælestis & terrenæ hierarchiæ subtiliter philosophentur.
nam nec de illa tutum est vltra modum sapere: & in hac constituenda non alium typum
sequi oportet quàm Dominus ipse suo verbo delineauit.

11 Iam vt alterum illis largiar, quod nunquam apud sanos homines obtinebunt, sic
constitutum in Petro Ecclesiæ primatum, vt perpetua successione semper maneret: vn-
de tamen euincent, sedem Romæ ita collocatam, vt quicunque sit vrbis illius Episcopus,
orbi vniuerso præsideat? Quo iure hanc loco dignitatem alligant, quæ sine loci mentione
data est? Petrus, inquiunt, Romæ vixit, & mortuus est. Quid Christus ipse? nónne Hiero-
solymis functus est Episcopatu dum vixit, & moriendo sacerdotii munus impleuit? Prin-
ceps pastorum, summus Episcopus, caput Ecclesiæ, non potuit honorem loco acquirere?
Petrus longe ipso inferior potuit? Nónne sunt ineptiæ istæ magis quàm pueriles? Christus
honorem primatus contulit Petro: Petrus Romæ sedit: Ergo illic collocauit sedem pri-
matus. Nempe hac ratione sedem primatus debuerunt olim Israelitæ constituere in de-
Deut.34.a.5 serto, vbi Moses summus doctor & princeps Prophetarum ministerio suo functus erat, &
mortuus.

12 Videamus tamen quàm eleganter ratiocinentur. Petrus, inquiunt, principatum
habuit inter Apostolos. Ergo Ecclesia in qua sedit hoc priuilegii habere debet. Vbi au-
tem primùm sedit? Antiochiæ, inquiunt. Ergo Antiochena Ecclesia primatū sibi iure ven-
dicat.

dicat. Fatentur fuisse olim primam: sed Petrum, inde migrando, Romã transtulisse quem secum honorem attulerat. Extat enim sub nomine Marcelli Papæ ad Presbyteros Antiochenos epistola, vbi sic loquitur, Petri sedes initio apud vos fuit, quæ postea, iubente Domino, huc trãslata est. Sic Antiochena Ecclesia, quę olim prima erat, Romanæ cessit sedi. Verùm quo oraculo habuerat bonus ille vir, Dominum sic iussisse? Nam si iure definienda sit hæc causa, necesse est respondeant, velintne priuilegium hoc personale esse, an reale, an mixtum. Vnum enim ex his tribus esse oportet. Si dixerint personale, nihil igitur ad locum: sin reale, ergo vbi semel datum est loco, nõ adimitur propter personę vel mortem, vel discessum. Superest igitur vt mixtum esse dicant. tunc autem non simplex erit loci cõsideratio, nisi persona simul respondeat. Eligant quicquid volent, protinus inferam, & facilè euincam, Romam nulla ratione primatum sibi arrogare. 12. quæst. 1. cap. Rogamus.

13 Esto tamen: translatus fuerit (vt nugantur) primatus Antiochia Romam. Cur tamen non retinuit Antiochia secundum locum? Nam si ideo primas habet Roma, quòd illic vsque ad extremum vitæ sedit Petrus: cui secundæ potius dabuntur quàm vbi sedem primam habuerat? Quî factum est igitur vt Antiochiam Alexandria præcederet? Quî cõuenit discipuli vnius Eccclesiam superiorem esse sede Petri? Si cuique Ecclesiæ pro fundatoris sui dignitate honor debetur, quid de reliquis etiam Ecclesiis dicemus? Paulus nominat tres qui videbantur columnæ esse, Iacobum, Petrum & Iohannem. si in honorem Petri Romanæ sedi primus locus tribuitur, nónne proximum & tertium merentur Ephesina & Hierosolymitana, vbi sederunt Iohannes & Iacobus? Atqui inter Patriarchias vltimum locum habuit olim Hierosolyma. Ephesus ne vltimo quidem angulo hęrere potuit. Præteritæ sunt & aliæ Ecclesiæ, tum quascunque fundauit Paulus, tum quibus alii Apostoli præfuerunt. Sedes Marci, qui vnus tantùm ex discipulis fuit, honorẽ adepta est. Aut præposterum illum ordinem fateantur fuisse: aut nobis concedant, non esse hoc perpetuum, vt cuique Ecclesiæ debeatur honoris gradus quem quisque fundator habuit. Galat. 2. b. 9

14 Quanquam quod de sessione Petri in Romana Ecclesia referunt, non video quid fidei habere debeat. Certè quod est apud Eusebium, præfuisse illic 25 annos, nullo negotio refellitur. Constat enim ex primo & secundo capite ad Galatas, circiter viginti annos à Christi morte fuisse Hierosolymis, venisse deinde Antiochiam: vbi quandiu fuerit incertum est. Gregorius septem, Eusebius autem 25 annos numerat. Atqui à morte Christi vsque ad finem imperii Neronis (sub quo ipsum cæsum fuisse memorant) reperientur tantùm triginta septem anni. Passus enim est Dominus sub Tiberio, anno imperii eius decimo octauo. Si viginti annos decidas, quibus habitasse Petrum Hierosolymis testis est Paulus, restabunt septemdecim ad summum: quos nunc inter duos Episcopatus partiri oportet. Si diu Antiochiæ moratus est, non potuit Romæ sedere, nisi per exiguum tempus. Quod ipsum clarius adhuc demonstrare licet. Scripsit Paulus Romanis ex itinere, quum Hierosolymam proficisceretur, vbi captus fuit & Romam adductus. Verisimile ergo est, epistolam hanc quadriennio antè scriptam esse quàm Romam veniret. Illic nulla adhuc Petri mentio: quæ minimè omittenda erat, si Ecclesiam illam rexisset. Quinetiam in fine, dum longum piorum catalogum recitat quos salutari iubet, vbi scilicet omnes sibi notos colligit, de Petro prorsus adhuc silet. Neque hîc lõga aut subtili demonstratione opus est apud sanioris iudicii homines. res enim ipsa & totum epistolæ argumentum clamat, non debuisse Petrum præterire, si Romæ fuisset. Galat. 1. d. 18 Galat. 2. a. 1 Rom. 15. f. 15 Rom. 16. a. 3

15 Adducitur deinde vinctus Romam. Exceptum fuisse à fratribus narrat Lucas. De Petro nihil. Scribit illinc ad multas Ecclesias. Alicubi etiam quorundam nomine salutationes adscribit. non vno verbo indicat, Petrum illic tunc fuisse. Cui obsecro credibile erit, silere potuisse, si adfuisset? Imò ad Philippenses, vbi dixit neminem se habere qui ita fideliter curet opus Domini vt Timotheus, conqueritur omnes quęrere quæ sua sunt. Et ad eundem Timotheũ grauior est querimonia, quòd nullus illi adfuerit in prima defensione, sed omnes eum dereliquerint. Vbi tunc igitur Petrus? Nam si Romæ fuisse aiũt, quantam illi ignominiam inurit Paulus, quòd desertor fuerit Euangelii? Siquidem de fidelibus loquitur: quia subiungit, Deus illis non imputet. Quandiu igitur & quo tempore sedem illam tenuit Petrus? At constans est scriptorum opinio, vsque ad mortem Ecclesiam illam gubernasse. At inter ipsos scriptores non constat quis fuerit successor: quia alii Linum, alii Clementem faciunt. Et multas absurdas fabulas narrãt de disputatione inter eum & Simonem magum habita. Nec dissimulat Augustinus, de superstitionibus dispu- Act. vlt. d. 18 Philip. 2. c. 20 2. Tim. 4. c. 16 Epist. 2. ad Ianuar.

tans, ex opinione temere concepta morem Romæ inoleuisse, ne eo die ieiunarent quo palmam retulerat Petrus de Simone magò. Denique res illius temporis ita sunt opinionum varietate implicitæ vt non temere adhibenda sit fides, vbi aliquid scriptum legimus. Et tamen propter hunc scriptorum consensum, non pugno quin illic mortuus fuerit: sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo. Neque id etiam multum moror: quando testatur Paulus Petri Apostolatum peculiariter ad Iudæos pertinere, suum verò ad nos. Proinde vt societas illa quam inter se pacti sunt, rata apud nos sit, imò, vt Spiritus sancti ordinatio firma apud nos habeatur, in Pauli Apostolatum magis quàm Petri respicere nos conuenit. siquidem ita inter eos prouincias diuisit Spiritus sanctus, vt Petrum Iudæis, nobis Paulum destinaret. Nunc itaque suum primatum alibi quærant Romanenses quàm in verbo Dei, vbi minimè fundatus inuenitur.

16 Veniamus nunc ad Ecclesiam veterem, vt palàm quoque fiat, eius suffragio non minus temere & falsò superbire nostros aduersarios, quàm testimonio verbi Dei. Quum itaque suum illud axioma iactant, non aliter contineri Ecclesiæ vnitatem posse quàm si vnum sit in terris supremum caput, cui membra omnia pareant: ideóque Dominum Petro, & deinde successionis iure sedi Romanæ dedisse primatum, vt in ea vsque ad finem resideat: asserunt id fuisse ab initio semper obseruatum. Quoniam autem multa testimonia perperam detorquent, hoc primùm præfari volo, me non negare quin magnum Romanæ Ecclesiæ honorem vbique deferant veteres, reuerentérque de ea loquãtur. Quod tribus maximè de causis fieri arbitror. Opinio enim illa, quæ nescio quomodo inualuerat, fundatam & constitutam eam fuisse Petri ministerio, ad conciliandam gratiam & authoritatem plurimum valebat. itaque in Occidente sedes Apostolica, honoris causa vocabatur. Deinde quum illic esset caput imperii, & hac ratione credibile esset, præstantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum vsu, viros illic esse quàm alibi vsquam: eius rei meritò habebatur ratio, ne & vrbis nobilitas & alia etiã Dei dona multo excellentiora contemni viderentur. Accessit ad hæc & tertium, quòd quum Orientales & Græcæ Ecclesiæ, Africanæ etiam, multis opinionum dissensionibus inter se tumultuarentur, hæc sedatior aliis & minus turbulenta fuerit. Ita factum est vt pii & sancti Episcopi, sedibus suis pulsi, illuc se veluti in asylum aut portum quendam sæpe reciperent. Nam quo minus acuto & celeri ingenio sunt Occidentales Asiaticis & Afris, eo etiam sunt rerum nouarum minus cupidi. Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimum addidit authoritatis, quòd non ita dubiis illis temporibus tumultuata est vt reliquæ, ac doctrinæ semel traditæ fuit aliis omnibus tenacior. quemadmodum melius statim explicabimus. Has inquam tres ob causas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum testimoniis commendata.

17 Verùm quum primatum inde & summam in alias Ecclesias potestatẽ ei astruere volunt nostri aduersarii, nimis perperam (vt dixi) faciunt. Quod vt melius constet, primùm breuiter ostendam quid de hac, quam tantopere vrgent, vnitate senserint veteres. Hieronymus ad Nepotianum, postquam multa vnitatis exempla recensuit, descendit tandem ad Ecclesiasticam hierarchiam. Singuli, inquit, Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. Hic lòquitur Romanus presbyter, vnitatem in ordine Ecclesiastico commendat. cur non commemorat, vno capite, tanquam vinculo, omnes inter se Ecclesias esse colligatas? Nihil erat quod præsenti causæ magis seruiret: nec dici potest obliuione factum vt præterierit. nihil enim feciſſet libentius si res passa esset. Vidit itaque proculdubio, illam esse veram vnitatis rationem quam Cyprianus pulcherrimè describit his verbis, Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: & Ecclesia vna est, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur. Quo modo multi radii sunt Solis, & lumen vnum: & rami arboris multi, robur autem unum, radice tenaci fundatum: & quo modo de fonte vno riui plurimi defluũt, & numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur integra in origine: sic & Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, vnum lumen tamen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corpotis separatur: ramos suos per vniuersum orbem extendit, perfluentes largitur riuos: vnum tamen caput est & vna origo, &c. Deinde, adulterari non potest sponsa Christi: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Vides vt Christi vnius Episcopatum vniuersalem faciat, qui totam sub se Ecclesiam

De simplic. Prælatorum

siam capiat: illius partes in solidum ab omnibus teneri dicat qui sub hoc capite Episcopatu funguntur. Vbi primatus sedis Romanæ, si penes Christum solum integer residet Episcopatus, à singulis pars eius in solidum tenetur? Hæc eò pertinent vt obiter intelligat lector, axioma illud quod Romanenses pro confesso & indubio sumunt, de vnitate terreni capitis in hierarchia, veteribus fuisse prorsus ignotum.

De exordio & incrementis Romani Papatus, donec se in hanc altitudinem extulit qua & Ecclesiæ libertas oppressa, & omnis moderatio euersa fuit. CAP. VII.

QVANTVM ad primatus sedis Romanæ vetustatem, nihil ad eam stabiliendam habetur antiquius decreto illo Synodi Nicenæ, quo & primus inter Patriarchas tribuitur locus Romano Episcopo, & suburbanas Ecclesias iubetur curare. Vbi Concilium sic inter ipsum & alios Patriarchas diuidit, vt singulis suos fines assignet: certè non eum constituit omnium caput, sed vnum ex præcipuis facit. Aderant Vitus & Vincentius Iulii nomine, qui Romanam Ecclesiam tunc gubernabat. iis datus est quartus locus. Obsecro si caput Ecclesiæ agnosceretur Iulius, an in quartam sedem reiicerentur eius legati? An præsideret Athanasius in concilio, vbi maximè elucere debet effigies ordinis hierarchici? In Synodo Ephesina apparet Cœlestinum, (qui tunc pontifex erat Romanus) obliquo artificio vsum esse vt sedis suæ dignitati caueret. Nam quum mitteret illuc suos, Cyrillo Alexandrino, qui alioqui præfuturus erat, vices suas mandauit. Quorsum istud mandatum, nisi vt quouis modo nomen suum in prima sede hæreret? Sedent enim eius legati loco inferiore, sententiam inter alios rogantur, suo ordine subscribunt: interim Alexandrinus Patriarcha nomen eius suo admiscet. Quid dicam de concilio Ephesino secundo: vbi quum adessent Leonis legati, Alexandrinus tamen Patriarcha Dioscorus velut suo iure præsidebat? Excipient non fuisse orthodoxum Concilium à quo & sanctus vir Flauianus damnatus, & Eutyches absolutus, eiúsque impietas comprobata. At quum Synodus cogeretur, quum sessiones inter se Episcopi distribuerent: illic certè inter alios Romanæ Ecclesiæ legati non aliter quàm in sancto & legitimo Concilio sedebant. Non contendunt tamen de primo loco, sed eum alteri cedunt: nequaquam id facturi si suum iure esse crederent. Nunquam enim puduit Romanos Episcopos maximas quasque contentiones pro suis honoribus suscipere, & hanc solam ob causam multis sæpe & pernicioſis certaminibus vexare & turbare Ecclesiam. sed quia videbat Leo nimis improbum fore postulatum si legatis suis primam sedem ambiret, eo supersedit.

2 Sequutum est Chalcedonense concilium, in quo primam sedem Imperatoris concessione occuparunt Romanæ Ecclesiæ legati. Sed hoc fuisse extraordinarium priuilegiũ Leo ipse confitetur. nam quum id petit à Marciano Imperatore, & Pulcheria Augusta, non contendit sibi deberi, sed tantùm prætexit, Orientales, qui Ephesino cõcilio præfuerant, turbasse tunc omnia, & sua potestate malè abusos. Quum itaque graui moderatore opus esset, nec esset verisimile, eos qui tam leues & tumultuarii semel fuissent, ad hanc rem fore idoneos, rogat vt propter aliorum vitium & ineptitudinem, gubernandi vices ad se transferantur. Quod singulari priuilegio & extra ordinem petitur, non est certè ex communi lege. Vbi hoc tantùm prætexitur, opus esse nouo alio præside, quia se malè gesserant priores: constat neque antè fuisse factum, neque perpetuum esse debere: sed præsentis duntaxat periculi intuitu fieri. Primum igitur locum habet in Chalcedonensi concilio Pontifex Romanus, non quòd sedi hoc debeatur, sed quia synodus graui & apto moderatore destituitur, dum ii quos præesse decuerat, per suam intemperiem & libidinem sese loco excludũt. Atque id quod dico successor Leonis re ipsa comprobauit. Siquidem quum ad quintam synodum Constantinopolitanam, quæ longo pòst tempore est habita, legatos suos mitteret, non rixatus est de prima sede, sed Mennam Patriarcham Constantinopolitanum præsidere facilè passus est. Ita in concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus, videmus non legatos Rom. sedis, sed Aurelium loci Archiepiscopum præfuisse: quum tamen lis esset de Rom. Pontificis authoritate. Quinetiam habitum in ipsa Italia fuit concilium vniuersale, cui Romanus Episcopus non interfuit. Præerat Ambrosius, qui tunc insigni authoritate pollebat apud Cæsarem. nulla illic Pontificis Romani fit mentio. Ergo tunc Ambrosii dignitate factum est vt illustrior esset Mediolanensis sedes quàm Romana. Aquileiense concilium.

3 Quantum ad ipsum titulum primatus, & alios superbiæ titulos, quibus nũc mira-

Lib.Epist.2. epist.2.& li. 4.epist.6. biliter se iactat,non est difficile iudicare quando & qualiter obrepserint. Cyprianus sæpe meminit Cornelii.non alio nomine ipsum insignit quàm fratris,aut coepiscopi, aut collegæ.Ad Stephanum verò quum scribit,Cornelii successorem,non modò eum sibi & reliquis æqualem facit, sed durius etiam compellat, nunc arrogantiam, nunc inscitiam ei obiiciens.Post Cyprianum habemus quid de ea re censuerit tota Ecclesia Africana. Vetuit enim concilium Carthaginense nequis Princeps Sacerdotum vocaretur,aut primus Episcopus:sed tantùm primæ sedis Episcopus.Quòd si vetustiora monumenta quis euoluat, reperiet communi fratris appellatione contentum tunc fuisse Rom. Episcopum. Certè quandiu durauit Ecclesiæ vera & pura & facies,ista omnia superbiæ nomina, quibus insolescere postea cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita.quid esset summus Pontifex,& vnicum Ecclesiæ in terris caput,nesciebatur.Quòd si tale quid sumere sibi ausus fuisset Romanus Episcopus, erant cordati viri qui mox eius stultitiam reprimerent.Hieronymus, quum Romanus esset Presbyter, non malignus fuit in prædicanda Ecclesiæ suæ dignitate, quantum res & temporum status patiebantur: videmus tamen qualiter ipsam quoque in ordinem redigat. Si authoritas quæritur (inquit) orbis maior est vrbe.Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubii,siue Constantinopoli, siue Rhegii, eiusdem meriti est & eiusdem sacerdotii.Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas superiorem vel inferiorem Episcopum non facit.

Cap.47

In epist.ad Euagrium

4 De titulo vniuersalis Episcopi, Gregorii demum tempore exorta est contentio: cui occasionem præbuit ambitio Iohannis Constantinopolitani. Ille enim (quod nemo vnquam alius tentauerat)sese volebat facere vniuersalem.In ea contentione non causatur Gregorius sibi ius adimi quod in se competeret:sed fortiter reclamat, appellationem esse profanam,imò sacrilegam,imò Antichristi prænuntiam.Corruit vniuersa Ecclesia à statu suo(inquit)si is qui vniuersalis dicitur cadit.Alibi,Triste valde est patienter ferre, vt omnibus despectis,frater & coepiscopus noster solus nominetur Episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam esse Antichristi tempora designatur? Quia illum videlicet imitatur qui spreta Angelorum societate, ascendere conatus est culmen singularitatis.Alibi Eulolio Alexandrino,& Anastasio Antiocheno,Nullus vnquam decessorum meorum hoc profano vocabulo vti voluit:quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à Christiana mente,id sibi velle quempiam arrogare, vnde fratrum suorum honorem ex quantulacunque parte imminuat.In isto scelesto vocabulo consentire, nihil aliud quàm fidem perdere est.Aliud est,inquit,quod conseruandæ vnitati fidei, aliud quod debemus comprimendæ elationi.Ego autem fidenter dico quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat,vel vocari desiderat,in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris præponit.Item, rursum Anastasio Alexandrino, Dixi pacem nobiscum habere non posse,nisi elationẽ superstitiosi ac superbi vocabuli corrigeret, quã primus apostata inuenit.atque(vt de honoris vestri iniuria taceam)si vnus Episcopus vocatur vniuersalis vniuersa Ecclesia corruit vbi ille vniuersus cadit. Quòd autẽ scribit,oblatum fuisseLeoni hunc honorem in synodo Chalcedonensi, nullam habet veri speciem. nec enim tale quippiam in actis illius Synodi legitur. Et Leo ipse, qui multis epistolis decretum illic in honorem Constantinopolitanæ sedis factum impugnat, non præteriisset proculdubio hoc argumentum quod erat omnium maximè plausibile, si verum fuisset ipsum repudiasse quod sibi dabatur:& homo alioqui honoris plus satis cupidus non libenter omisisset quod ad suam laudem faceret.Falsus est igitur in eo Gregorius quòd titulum illum putauit sedi Romanæ fuisse delatum à SynodoChalcedonensi.vt taceam ridiculum esse quod à sancta Synodo profectum testatur,& simul scelestum,profanum, nefandum, superbum & sacrilegum nuncupat:imò à diabolo excogitatum, & ab Antichristi præcone publicatum. Et tamen subiungit, præcessorem suum recusasse, nedum priuatim aliquid daretur vni, sacerdotes honore debito priuarentur vniuersi. Alibi, Nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit,nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit:ne si in Pontificatus gradu sibi gloriam singularitatis arriperet, hanc fratribus omnibus denegasse videretur.

Lib.4. epist. 76 Mauricio Augusst.

Constantiæ Augusst.epi. 78.eiusdem lib.

Eiusdem li. epist.80

Auiano Dia. epi.78. eiusdem lib.

Mauricio Augu.epist. 194.lib.7.

Lib.6.epis. 188

Lib.4. epis. 76.ad Maur.

Eulolio, suprà.& epis. 79.lib.7.

Euseb. Epis Thessaloni.

5 Venio nunc ad iurisdictionẽ quam sine controuersia se habere in omnesEcclesias Pontifex

Pontifex Romanus asserit. Scio quantæ fuerint olim de hac disceptationes. nullum enim fuit tempus quo non Romana sedes imperium in alias Ecclesias appetiuerit. Atque hoc loco non erit intempestiuum, quibus modis sensim tunc emerserit ad aliquam potẽtiam, iuuestigare. Nondum de hoc infinito imperio loquor, quod non ita pridem sibi arripuit. nam id in suum locum differemus. verùm hîc paucis indicare operæpretium est qualiter olim & quibus rationibus sese extulerit, vt aliquid iuris sibi in alias Ecclesias sumeret. Quum Orientales Ecclesiæ diuisæ essent ac turbatæ Arrianorũ factionibus, sub Constantio & Constante Cæsaribus Constantini magni filiis, ac sede sua pulsus esset Athanasius fidei orthodoxæ præcipuus illic defensor: eiusmodi calamitas ipsum Romam venire coegit, vt Romanæ sedis authoritate tum hostium suorum rabiem vtcũque reprimeret, tum pios laborantes confirmaret. Susceptus est ipse honorificè à Iulio tunc Episcopo, ac obtinuit vt causæ suæ defensionem Occidentales susciperent. Quum ergo pii externo præsidio magnopere indigerent, in Romana autem Ecclesia cernerent sibi optimum esse præsidium, libenter ei deferebant quàm plurimum poterant authoritatis. Verùm id totũ nihil aliud erat nisi vt magni æstimaretur eius communio, ab ea autem excõmunicari ignominiosum duceretur. Postea mali & improbi multum ipsi quoque addiderũt. nam vt legitima iudicia effugerent, ad hoc asylum se conferebant. Itaque siquis Presbyter à suo Episcopo, siquis Episcopus à Synodo suæ prouinciæ dãnatus erat, statim prouocabant Romam. Et has appellationes Romani Episcopi cupidius quàm par erat recipiebãt: quòd videbatur esse species extraordinariæ potestatis, se longè latéque ita negotiis interponere. Sic quum Eutyches à Flauiano Constantinopolitano damnatus esset, apud Leonem conquestus est factam sibi esse iniuriam. Ille nihil moratus, patrocinium malæ causæ non minus temere quàm subitò suscepit. in Flauianum grauiter inuectus est, quasi incognita causa hominem innoxium damnasset. atque hac sua ambitione effecit vt Eutychiana impietas spatio temporis se confirmaret. In Africa id sæpius accidisse constat. simul enim ac nebulo quispiam in ordinario iudicio succubuerat, aduolabat Romam, multis calumniis suos grauabat: Romana autem sedes interponere se semper erat parata. Quæ improbitas coegit Africanos Episcopos sancire nequis sub pœna excommunicationis vltra mare prouocaret.

6 Quicquid tamen fuerit, inspiciamus quid iuris aut potestatis habuerit tunc Romana sedes. Continetur autem potestas Ecclesiastica his quatuor capitibus, Ordinatione Episcoporum, Conciliorum indictione, Audiendis appellationibus, aut iurisdictione, Monitionibus castigatoriis, aut censuris. Ordinari Episcopos à suis Metropolitis iubẽt omnes veteres Synodi. nusquam aduocari Romanum Episcopum iubent nisi in sua Patriarchia. Sensim autem mos obtinuit vt Italici Episcopi ad petendam consecrationem omnes Romam venirent: exceptis Metropolitis, qui se in hanc seruitutem redigi passi non sunt: sed quum ordinandus erat aliquis Metropolita, mittebat illuc vnum ex suis presbyteris Romanus Episcopus, qui tantùm adesset, non autem præesset. Cuius rei exemplum extat apud Gregorium in cõsecratione Constantii Mediolanensis, post Laurentii obitũ. Quanquam non puto illud fuisse vetustissimum institutum: sed quum honoris & beneuolẽtiæ causa initiò mitterent vltro & citro legatos, qui testes forent ordinationis, ad communionem testandam: quod voluntarium erat, pro necessario habẽri postea cœpit. Vtcũque sit, constat ordinandi potestatem non fuisse olim Romano Episcopo nisi in prouincia suæ Patriarchiæ, hoc est in Ecclesiis suburbicariis, vt canon Synodi Nicenæ loquitur. Ordinationi annexa erat epistolæ synodicæ missio, in qua nihilo superior erat aliis. Solebant Patriarchæ statim post suam consecrationem solenni scripto fidem suam consignare, quo profitebantur se sanctis & orthodoxis conciliis subscribere. Ita, reddita fidei suæ ratione, mutuò se alii aliis approbabant. Si hanc confessionem recepisset ab aliis Romanus Episcopus, non dedisset, eo fuisset agnitus superior, sed quum oportuerit non minus dare quàm ab aliis exigere, & communi legi esse subiectum: certè societatis signum id fuit, non dominii. Eius rei exemplum habetur in epistola Gregorii ad Anastasium & Cyriacum Constantinopolitanum, & alibi ad omnes simul Patriarchas.

Lib. 2. epist. 68, & 70

Anast. lib. 1. epist. 25 Cyriaco, lib. 6. epist. 169 Ad Patriar. lib. 1. epi. 24

7 Sequuntur admonitiones vel censuræ, quibus vt olim vsi sunt Romani Episcopi erga alios, sic eas vicissim pertulerunt. Irenæus Victorem grauiter corripuit, quòd temere ob rem nihili pernicioso dissidio turbaret Ecclesiam. Paruit ille, non reclamauit. Ea libertas tunc vsitata fuit sanctis Episcopis, vt fraterno iure verterentur in Romanum Præsulem,

admonendo & caſtigando, ſi quãdo peccaret. Ille viciſſim, vbi res poſtulabat, alios admonebat officii, & ſi quid erat vitii reprehendebat. Nam Cyprianus, quum Stephanum hortatur vt moneat Galliæ Epiſcopos, non ſumit argumentum ex ampliori poteſtate, ſed ex communi iure quod habent inter ſe ſacerdotes. Quæſo, ſi Galliæ tunc præfuiſſet Stephanus, annõ dicturus erat Cyprianus, Coerceas iſtos, quia tui ſunt? ſed longè aliter loquitur, Hoc fraterna (inquit) ſocietas, qua inter nos deuincti ſumus, requirit, vt mutuò moneamus. Et videmus etiam quanta verborum acerbitate vir alioqui mãſueti ingenii in ipſum Stephanum inuehatur, vbi nimis eum inſoleſcere exiſtimat. Ergo hac etiam in parte nõdum apparet vlla iuriſdictione præditum fuiſſe Romanum Epiſcopum aduerſus eos qui ſuæ prouinciæ non eſſent.

Epiſt. 13. li. 3

Ad Põpeiũ contra epi. Stephani.

8 Quantum ad ſynodos conuocandas, hoc erat Metropolitæ cuiuſque officium, vt prouincialem ſynodum ſtatis temporibus cogeret. Illic nihil iuris habuit Romanus Epiſcopus. vniuerſale autem cõcilium indicere ſolus imperator poterat. Siquis enim Epiſcoporum hoc tentaſſet, non modò vocationi non paruiſſent qui extra prouinciam erãt, ſed tumultus ſtatim exortus eſſet. Ergo imperator omnibus ex æquo vt adeſſent denũtiabat. Refert quidem Socrates Iuliam cum Orientalibus Epiſcopis expoſtulaſſe quòd ſe ad Synodum Antiochenam hon vocaſſent, quum vetitum eſſet canonibus ſine Romani Pontificis conſcientia quidpiam decerni. Sed quis non videt hoc de iis decretis intelligẽdum quæ vniuerſam Eccleſiam obſtringũt? Porrò nihil mirum ſi cum vrbis antiquitati & amplitudini, tum ſedis dignitati id datur, ne abſente Romano Epiſcopo vniuerſale de religione decretum fiat, ſi quidem intereſſe non recuſet. Verùm quid hoc ad totius Eccleſiæ dominium? Neque enim vnum ex præcipuis fuiſſe negamus: ſed recipere nolumus quod nunc contendunt Romanenſes, habuiſſe in omnes imperium.

Tripart. hiſt lib. 4

9 Supereſt quarta ſpecies poteſtatis, quæ appellationibus conſtat. Summum imperium penes eum eſſe conſtat ad cuius tribunal prouocatur. Multi ſæpe Romanum Põtificem appellarunt. ipſe quoque cauſarum cognitionẽ ad ſe trahere conatus eſt: ſed ſemper fuit deriſus, quoties ſuos fines exceſſit. Nihil dicam de Oriente aut Græcia: ſed cõſtat Galliæ Epiſcopos fortiter reſtitiſſe quum ſibi imperium in eos ſumere videretur. In Africa diu fuit de ea re diſceptatum. nam quum in Mileuitano Concilio, vbi aderat Auguſtinus, excommunicati eſſent qui prouocarent vltra mare, conatus eſt Romanus Pontifex efficere vt id decretum corrigeretur. Legatos miſit qui id priuilegii ſibi à Niceno Concilio datum eſſe oſtenderent. Proferebant Legati acta Niceni Concilii, quæ ex Eccleſiæ ſuæ armario ſumpſerãt. Reſtiterunt Africani, negarúntque fidem Romano Epiſcopo habendam eſſe in cauſa propria: proinde ſe Conſtãtinopolim miſſuros, & in alias Græciæ vrbes, vbi exemplaria minus ſuſpecta haberentur. Compertum eſt nihil illic tale ſcriptum quale obtenderant Romani. Ita ratum fuit decretum illud quod Romano Põtifici ſummam cognitionem abrogauerat. Qua in re flagitioſa ipſius Romani Pontificis impudentia apparuit. nam quum fraude Sardicenſem Synodum pro Nicena ſuppoſuiſſet, turpiter in manifeſta falſitate deprehenſus fuit. Sed maior etiamnum ac impudentior fuit eorum nequitia qui fictitiam epiſtolam ad Concilium addiderunt, qua neſcio quis Epiſcopus Carthaginenſis, Aurelii deceſſoris ſui arrogantiam damnans quòd à ſedis Apoſtolicæ obedientia ſubducere ſe auſus eſſet, ac ſui ſuæque Eccleſiæ deditionem faciens, ſupplicíter veniam precatur. Hæc ſunt egregia vetuſtatis monumenta, quibus fundata eſt Romanæ ſedis maieſtas: dum ita pueriliter ſub prætextu antiquitatis mentiuntur vt vel cæci palpare queant. Aurelius (inquit) diabolica audacia & contumacia elatus, Chriſto & ſancto Petro rebellis fuit. proinde anathemate damnandus. Quid Auguſtinus? quid verò tot Patres qui Mileuitano Concilio interfuerũt? Sed quid opus eſt inſulſum illud ſcriptũ multis verbis refellere, quod ne ipſi quidem Romanenſes, ſiquid frontis habẽt reliquum, ſine magno pudore inſpicere poſſint? Sic Gratianus, malitiáne an inſcitia neſcio, vbi decretum illud retulit, Vt communione priuentur qui trans mare prouocauerint, adiungit exceptionem, Niſi fortè Romanam ſedem appellarint. Quid facias iſtis beſtiis, quæ adeò ſenſu communi carent, vt illud vnum à lege excipiãt cuius cauſa legem eſſe politam nemo non videt? Siquidem Concilium, quum tranſmarinas appellationes damnat, hoc tantùm prohibet nequis Romam prouocet. Hic bonus interpres Romam à communi lege excipit.

Hæc habẽtur 1. volum concil.

2. quæſt. 4 cap. Placuit.

10 Verùm (vt ſemel quæſtionem hanc finiamus) qualis olim fuerit Romani Epiſcopi iuriſdictio,

iurisdictio, vna historia palàm faciet. Accusauerat Cæcilianum Carthaginensem Episcopum Donatus à casis nigris. Damnatus fuerat reus indicta causa. Nam quum sciret coniurationem contra se ab Episcopis factam, comparere noluit. Ventum inde est ad Constantinum Imperatorem. Ille quum vellet causam Ecclesiastico iudicio finiri, cognitionem mandauit Melciadi Romano Episcopo, cui addidit collegas nonnullos ex Italia, ex Gallia, ex Hispania Episcopos. Si id erat ex ordinaria Romanæ sedis iurisdictione, audire appellationem in causa Ecclesiastica, cur alios sibi adiungi patitur Imperatoris arbitrio? imò cur ipse iussu magis Imperatoris quàm ex officio suo suscipit iudiciũ? Sed audiamus quid postea contigerit. Vincit illic Cæcilianus, Donatus à casis nigris cadit actione calumnia. prouocat. Constantinus appellationis iudicium demandat Episcopo Arelatensi, sedet ille iudex, vt post Romanum Pontificem quod visum fuerit pronuntiet. Si Romana sedes summam habet potestatem sine prouocatione: cur sibi tam insignem ignominiam irrogari patitur Melciades, vt sibi Episcopus Arelatensis præferatur? Et quis Imperator hoc facit? Cõstantinus scilicet, quem iactant non modò omne suum studium, sed omnes ferè Imperii opes contulisse ad amplificãdam sedis suæ dignitatem. Videmus ergo iam quantum modis omnibus abfuerit tunc Romanus Pontifex ab illa suprema dominatione quã sibi in omnes Ecclesias datam esse à Christo asserit, & quam seculis omnibus se totius orbis consensu obtinuisse mentitur.

Aug. epi. 162 in breui. collat. cõtra Donat. & alibi.

11 Scio quàm multæ sint epistole, quàm multa rescripta & edicta, quibus Pontifices ei nihil non tribuunt & confidenter vendicant. Sed hoc quoque omnes, qui vel minimũ habent ingenii & doctrinæ, sciunt ita insulsa esse pleraque ex ipsis vt primo gustu facile sit deprehendere ex qua officina prodierint. Quis enim sanus ac sobrius Anacleti esse putet egregiam illam interpretationem, quæ sub Anacleti nomine in Gratiano refertur, nempe quòd Cephas sit caput? Plurimis eius farinæ nugis, quas sine iudicio consarcinauit Gratianus, Romanenses hodie contra nos abutuntur ad sedis suæ defensionem: & tales fumos, quibus imperitos olim in tenebris ludebant, adhuc in tanta luce vendere volunt. Sed ego multum operæ ponere in iis refellendis nolo, quę seipsa propter nimiam insulsitatem palàm refellunt. Fateor extare etiam veras epistolas priscorum Põtificum, quibus sedis suæ amplitudinem magnificis elogiis venditant: quales sunt aliquæ Leonis. Fuit enim vir ille, vt eruditus ac facundus, ita gloriæ & dominationis supra modum cupidus: sed an Ecclesiæ fidem tũc habuerint eius testimonio, dum ita se extollit, id verò est quod quæritur. Apparet autem multos eius ambitione offensos, eius quoque cupiditati restitisse. Alicubi vices suas Thessalonicensi Episcopo demandat per Græciam & alias regiones vicinas: alibi Arelatensi, aut alteri cuipiam per Gallias. Sic Hormisdam Episcopum Hispalensem vicarium suum per Hispanias constituit: sed vbique excipit, ea lege se dare eiusmodi mandata vt salua & integra maneãt antiqua priuilegia Metropolitis. Atqui hoc vnum esse ex illis priuilegiis declarat Leo ipse, vt siqua de re inciderit dubitatio, Metropolitanus primo loco consulatur. Hac ergo conditione erant istæ vices, ne aut Episcopus quispiam in ordinaria sua iurisdictione, aut Metropolita in cognoscendis appellationibus, aut prouinciale Concilium in cõstituendis Ecclesiis impediretur. Hoc autem quid aliud erat quàm omni iurisdictione abstinere: sed se ad sedandas discordias interponere, dunтaxat quantum fert lex & natura Ecclesiasticæ communionis?

Distiin. 22. cap. Sacrosancta.

Vide epist. & Epist. 83

Epist. 89.

12 Gregorii tempore iam multum mutata erat prisca illa ratio. Conuulso enim ac lacerato imperio, quum Galliæ & Hispaniæ multis subinde acceptis cladibus afflictæ essent, vastatum Illyricum, vexata esset Italia, Africa verò assiduis calamitatibus ferè perdita: quo in tanta rerum ciuium conuulsione fidei saltem integritas maneret, aut certè non prorsus interiret, omnes vndique Episcopi se ad Romanum Pontificem magis adiunxerunt. Eo factum est vt sedis non modò dignitas, sed etiam potentia vehementer creseceret. Quanquam non adeò moror quibus rationibus id factum sit. Maiorem certè tunc fuisse constat quàm superioribus seculis. Et tamen multum interest quin fuerit effrænis dominatio, vt imperare vnus aliis pro sua libidine potuerit. Sed hanc reuerentiam habebat sedes Romana vt improbos & contumaces, qui à suis collegis in officio contineri non poterant, sua authoritate compesceret ac reprimeret. siquidem hoc diligenter subinde testatur Gregorius: se non minus fideliter seruare aliis eorum iura, quàm ab illis ipse sua requirat. Nec vllis, inquit, quod sui iuris est, ambitu stimulãte derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio. Nulla est vox in eius scriptis, qua superbi iactet primatus sui

Ad Mediolan. clerũ, epist. 68. lib. 1. Ad Dominicũ Carthag.

Episcopum, epis. vlt.li.2 Epis.64. li.7

amplitudinem quàm ista,Nescio quis Episcopus non subiectus sit sedi Apostolicæ, vbi in culpa inuenitur.Continuò tamen subiungit,Vbi culpa non exigit,omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt. Tribuit sibi ius corrigendi eos qui peccarunt: si omnes faciunt officium,aliis se parem facit.Atque ipse quidem id iuris sibi tribuit.assentiebantur autem qui volebant: aliis autem quibus non placebat, licebat impune reclamare.quod feciſſe etiam plerosque notum est.Adde quod illic de Primate Byzanceno loquitur:qui quum esset à prouinciali Synodo damnatus, repudiauerat totum iudicium. Hanc hominis contumaciam ad Imperatorem detulerant eius collegæ.Imperator Gregorium cognitorem esse voluerat. Videmus ergo eum nec tentare aliquid,quo violet ordinariam iurisdictionem, & idipsum quod facit, vt aliis sit subsidio, non nisi mandato Imperatoris facere.

13 Hæc igitur tunc tota fuit Romani Episcopi potestas, opponere se præfractis & indomitis capitibus,vbi extraordinario aliquo remedio opus erat:idque vt adiuuaret alios Episcopos,non impediret.Itaque nihilo sibi plus in alios sumit quàm omnibus in se

Lib.2.epi.37 Epis.16

alibi concedit,quum fatetur se paratum ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari. Sic alibi Aquileiensem Episcopum iubet quidem Romam venire, ad causam dicendam in controuersia fidei quæ inter ipsum & alios exorta erat: non tamen ex sua potestate iubet,sed quia id Imperator mandauerat.Neque se solum iudicem fore denuntiat: sed Synodum se coacturum promittit,à qua negotium totum iudicetur.Quanquam autem ea adhuc erat moderatio,vt suos certos fines haberet potestas Romanæ sedis,quos excedere non liceret,atque ipse Romanus Episcopus non magis præesset aliis, quàm subesset:

Theotistæ,epis.5.lib.1

apparet tamen quantopere Gregorio displicuerit eiusmodi status:subinde enim conqueritur,se sub colore Episcopatus ad seculum fuisse reductum:séque magis implicitum esse

Anas. Antioche.epi.7,& 25.lib.1

curis terrenis,quàm in vita laica vnquam fuisset:premi se in illo honore tumultu seculorium negotiorum.Alibi:Tanta me, inquit, occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenus erigatur.Multis causarum fluctibus quatior: & post illa quietis otia,tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor:ita vt rectè dicam, Veni in altitudinem maris,& tempestas demersit me.Hinc collige quid dicturus fuerit si in hæc tempora incidisset.Officium Pastoris si non explebat,faciebat tamen.Ab imperii ciuilis gubernatione abstinebat:ac se vnà cum aliis fatebatur Imperatori subiectum.In curam aliarum Ecclesiarum non se ingerebat nisi necessitate coactus.Et tamen sibi in labyrintho videtur esse,quia simpliciter Episcopi officio totus vacare nequit.

14 Litigabat eo tempore de primatu Constantinopolitanus Episcopus cum Romano,vt iam dictum est.Postquam enim Imperii sedes Constantinopoli firmata fuit, id postulare visa est Imperii maiestas, vt Ecclesia quoque illa secundum à Romana honoris locum haberet.Et certè initio nihil magis valuerat ad primatum Romæ deferendum, nisi quòd tunc illic erat Imperii caput.Extat apud Gratianum rescriptum sub nomine

Distinct. 80

Lucini Papæ,vbi dicit non aliter distinctas esse vrbes,vbi Metropolitæ & Primates præsidere debeant,quàm ex ratione ciuilis gubernationis, quæ antè fuerat. Alterum etiam simile sub nomine Clementis Papæ, vbi dicit,In iis vrbibus quæ olim primos flamines habuerant,fuisse constitutos Patriarchas. Quod tametsi vanum est, tamen ex vero est sumptum.Constat enim,quo minimum fieret mutationis,pro statu rerum qui tunc erat,distributas fuisse prouincias, Primatésque & Metropolitas in iis vrbibus collocatos

Cap.1

quæ honoribus & potestate reliquas antecedebant. Itaque in Concilio Taurinensi decretum fuit,vt quæ in ciuili gubernatione primæ vrbes essent cuiusque prouinciæ, primæ essent Episcoporum sedes.Quòd si honorem ciuilis regiminis ex vna vrbe in alteram transferri contigisset, vt ius Metropoleos vnà illuc transferretur. Innocentius verò Romanus Pontifex, quum antiquam vrbis dignitatem obsoleſcere videret ex quo sedes Imperii Constantinopolim translata erat,sedi suæ metuens,contrariam legem sanciuit: in qua negat necesse esse Metropoles Ecclesiasticas mutari prout Imperatoriæ Metropoles mutantur. Verùm meritò Synodi authoritas, vnius hominis sententiæ præferenda est.tum suspectus esse nobis debet Innocentius ipse in propria causa. Vtcunque sit, suà tamen cautione ostendit,ab initio sic fuisse comparatum, vt secundum externum Imperii ordinem Metropoles disponerentur.

Socrat.hist. trip.lib.9. cap.13

15 Ex hoc veteri instituto sancitum est in Synodo Constantinopolitana prima, vt ciuitatis illius Episcopus honoris priuilegia haberet post Romanum Pontificem, eo quòd

quòd esset noua Roma. Atqui longo pòst tempore, quum simile decretum Chalcedone factum esset, Leo acriter reclamauit. Nec modò sibi permisit pro nihilo ducere quod sexcenti Episcopi aut suprà decreuerant: sed grauibus etiam conuitiis eos exagitauit, quòd aliis sedibus derogassent id honoris quod in Constantinopolitanam Ecclesiam conferre ausi essent. Obsecro, quid aliud hominem incitare potuit ad turbandum orbẽ pro re tantula, nisi mera ambitio? Ait inuiolabile esse oportere quod semel sanciuit Nicena Synod⁹. Quasi verò periclitetur fides Christiana si vna Ecclesia alteri præferatur, aut quasi in aliũ finem distinctæ illic essent Patriarchiæ quàm politiæ causa. Scimus autem politiam pro varietate tẽporum recipere, imò exigere varias mutationes. Futile igitur est quod obtendit Leo, non esse deferendum honorem Constãtinopolitanæ sedi qui Synodi Nicenæ authoritate, Alexandrinæ datus foret. Hoc enim dictat cõmunis sensus, fuisse eiusmodi decretum quod pro temporum ratione tolli posset. Quid quòd Oriẽtalium nemo repugnabat, quorum intererat id maximé? Aderat certe Proterius, quem Alexandriæ in locum Dioscori præfecerant: aderant alii Patriachæ, quorum honor imminuebatur. Illorum erat intercedere, non Leonis, qui suo loco integer manebat. Quum verò tacẽt illi omnes, imò quum assentiuntur, vnus Romanus resistit: promptum est iudicare quidnã eum moueat: scilicet prouidebat quod non multo pòst accidit, decrescẽte veteris Romæ gloria, fore vt Constantinopolis, secundo loco non contẽta, de primatu cum ea litigaret. Neque tamen clamando tantum profecit quin ratum esset Concilii decretum. Itaque successores eius, quum fractos se viderent, ab illa peruicacia placidè destiterunt. tulerunt enim vt secũdus Patriarcha haberetur.

Item in Decret. 22. distinct. cap. Constantinopol.

16 Verùm paulo pòst eousque erupit Ioannes, qui Gregorii tempore Constantinopolitanam Ecclesiam regebat, vt se vniuersalem Patriarcham diceret. Hîc Gregorius, ne in optima causa, sedis suæ defensioni deesset, constanter se opposuit. Et erat certè intolerabilis cum superbia tum insania Iohannis, qui Episcopatus sui fines æquare Imperii finibus volebat. Neque tamen quod alteri negat Gregorius, sibi ipsi vẽdicat: sed vocem illam à quocunque tandem vsurpetur, vt scelestàm, & impiam, & nefandã abominatur. Quinetiam Eulolio Alexandrino Episcopo alicubi succensет, à quo fuerat eiusmodi titulo honoratus. Ecce, inquit, in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, Papam me vniuersalem appellando, imprimere curastis. Quod peto, sanctitas vestra vlterius nõ faciat: quia vobis subtrahitur, quod alteri pluſquã exigit ratio datur. Ego honorem non deputo, in quo fratrum meorũ honorem minui video. Meus enim honor est honor vniuersalis Ecclesiæ, fratrúmque meorũ solidus vigor. Si autem vniuersalem me Papam sanctitas vestra dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Bona quidem erat & honesta Gregorii causa: sed Iohannes, Mauritii Imperatoris fauore adiutus, dimoueri à proposito non potuit. Cyriacus quoque eius successor nunquam de ea re passus est se exorari.

Lib. 7. epi. 30

17 Tandem Phocas, qui cæso Mauritio in eius locum suffectus est (nescio qua de causa Romanis amicior, imò quia illic absque certamine coronatus fuerat) Bonifacio tertio concessit quod minime postulabat Gregorius, vt Roma caput esset omniũ Ecclesiarum. In hunc modum dirempta est controuersia. Neque tamen adeò profuisset hoc Imperatoris beneficiũ sedi Romanæ, nisi alia deinde accessissent. Nam Græcia, & tota Asia paulo pòst ab eius communione abscissæ sunt. Gallia sic ipsum reuerebatur, vt non parêret ni si quoad libebat. Tunc verò primùm in seruitutem redacta est vbi Pipinus regnum occupauit. Nam quum Zacharias Põtifex Romanus, ei adiutor fuisset ad perfidiam ac latrocinium, vt pulso legitimo Rege regnum quasi prædæ expositum raperet: hoc mercedis tulit, vt in Ecclesias Gallicanas iurisdictionẽ haberet Romana sedes. Quemadmodũ prædones commune spolium solent partiendo diripere, ita boni isti viri inter se comparatũt vt; Pipino quidem cederet terrenum ac ciuile dominium, spoliato vero Rege: Zacharias autem caput fieret omnium Episcoporum, ac spiritualem potestatem haberet: quæ quum initio infirma foret, (vt solet vsu venire in rebus nouis) Caroli inde authoritate confirmata fuit, simili ferè de causa. erat enim ipse quoque Romano Pontifici obnoxius, quòd eius studio ad honorem Imperii peruenerat. Quanquam autem credibile est, prius valde deformatas fuisse vbique Ecclesias, constat tamen veterem Ecclesiæ formã tunc demum in Gallia & Germania fuisse prorsus obliteratã. Extant adhuc in archiuis Curiæ Parisien- s breues illorum temporum commentarii, qui, vbi de rebus Ecclesiasticis agitur, men-

tionem pactionum faciunt tum Pipini tum Caroli cum Romano Pontifice. Inde colligere licet, factam tunc fuisse veteris status mutationem.

18 Ex eo tempore quum res passim in deterius quotidie prolaberẽtur, stabilita quoque subinde & aucta est Romanæ sedis tyrannis: idque Episcoporum partim inscitia, partim ignauia. Nam quum vnus omnia sibi sumeret, ac sine modo se contra ius & fas extollere magis magisque pergeret: nec zelo quo debuerant, incubuerunt Episcopi ad arcẽdam eius libidinem: atque vt animus non debuisset, destituebantur tamen vera doctrina & peritia: vt ad tantam rem tentandam essent minimè idonei. Itaque videmus qualis fuerit & quàm prodigiosa Romæ omnium sacrorum profanatio, & totius Ecclesiastici ordinis dissipatio Bernardi ætate. Conqueritur ex toto orbe Romam confluere ambitiosos, auaros, simoniacos, sacrilegos, concubinarios, incestuosos, & quæque istiusmodi monstra, vt Apostolica authoritate vel obtinerẽt honores Ecclesiasticos, vel retinerẽt: fraudem, & circunuentionem, & violentiam inualuisse. Eum iudicandi modum qui tunc vsitatus erat, execrabilem esse dicit: nec modò Ecclesiæ, sed foro indecorum. Clamat plenam esse ambitiosis Ecclesiam: nec esse qui magis exhorreat flagitia perpetrare quàm latrones in spelunca quum spolia viatorum distribuunt. Pauci (inquit) ad os legislatoris: ad manus omnes respiciunt. Non immeritò tamẽ. Omne Papale negotiũ illæ agunt. Quale est quòd de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt tibi, Euge, euge? Pauperum vita in plateis diuitum seminatur: argentum micat in luto: accurritur vndique: tollit illud non pauperior, sed fortior: aut qui fortè citius præcurrit. A te tamẽ mos iste, vel potius mors ista, non venit. vtinam in te desinat. Inter hæc tu pastor procedis, multo & pretioso circundatus ornatu. Si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium pascua hęc. Scilicet sic factitabat Petrus: sic Paulus ludebat. Curia tua recipere bonos magis quàm facere consueuit. Mali enim illic non proficiunt, sed boni deficiunt. Iam quos appellationum abusus refert, nemo pius sine magno horrore legat. Tandem sic de effræni illa Romanæ sedis cupiditate in iurisdictione vsurpanda concludit, Murmur loquor & querimoniam communem Ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari. Vel nullæ vel paucæ admodum sunt quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, &c. Mirum si excusari hoc queat. Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis: sed iustitiæ nõ ita. Facitis hoc quia potestis, sed vtrum etiam debeatis quæstio est. Ad honorem quibusque suum gradúmque conseruandum positi estis, non inuidendum. Hæc pauca ex multis referre libuit, vt partim videant lectores quàm grauiter tunc Ecclesia concidisset, partim etiam vt agnoscant quanto in mœrore ac gemitu pios omnes tenuerit istæc calamitas.

Lib. 1. De cõside. ad Eugenium. Circa finem libri 4.

19 Iam verò vt Romano Pontifici hodie concedamus eminentiam illam & iurisdictionis amplitudinem quam mediis temporibus, vt Leonis & Gregorii, habuit hæc sedes: quid hoc ad præsentem Papatum? Nondum loquor de terreno dominio, nec de ciuili potestate, de quibus postea suo loco videbimus: sed ipsum spirituale regimen quod iactant, quid simile cum illorum temporum conditione habet? Papam enim non aliter definiunt quàm summum in terris Ecclesiæ caput, & vniuersalem totius orbis Episcopum. Ipsi verò Pontifices, quum de sua authoritate loquuntur, magno supercilio pronuntiant penes se esse imperandi potestatem, alios manere obediendi necessitatem: sic sanctiones omnes suas habendas esse quasi diuina Petri voce firmatas: prouinciales synodos, quia Papæ non habeant præsentiam, vigore carere: se posse de qualibet Ecclesia clericos ordinare: & quicunque fuerint ordinati, eos posse ad sedem suam vocare. Innumera eius generis habentur in farragine Gratiani, quæ non recẽseo, ne nimis molestus sim lectoribus. Summa tamen huc redit, penes vnum Pontificem Romanum esse supremam Ecclesiasticarum omnium causarum cognitionem, siue in diiudicandis definiendisque doctrinis, siue in ferendis legibus, siue in constituenda disciplina, siue in exercendis iudiciis. Priuilegia quoque quæ sibi sumunt in reseruationibus (vt vocant) & longum esset recensere & superuacuum. Quod autem omnium maximè intolerabile est, nullum in terris iudicium relinquunt coercendæ ac refrænandæ suæ libidini, si tam immensa potestate abutantur. Nemini (inquiunt) iudicium sedis huius liceat refractare, propter Romanæ Ecclesiæ primatum. Itẽ, Neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni clero, neque à populo iudex iudicabitur. Id quidem plus satis imperiosè, quòd vnus homo omnium se iudicem constituit, nullius autem iudicio parêre sustinet. Sed quid si tyrannidẽ in populũ Dei

Lib. 3

Nicolaus, cuius sentẽtia hęc in Decretis 17. quæst. 3. c. Nemini.

Dei exerceat? si dissipet ac vastet regnum Christi? si totam Ecclesiam conturbet? si munus pastorale in latrocinium conuertat? Imò vt sit sceleratissimus, se ad reddẽdam rationem astringi negat. Sunt enim istæ Pontificum voces, Aliorum hominum causas voluit Deus per homines terminare, sed sedis huius Præsulẽ suo sine quæstione seruauit arbitrio. Item, Facta subditorum iudicantur à nobis: nostra autem à solo Deo.

Innocẽtii 9. quæst. 3. c. Nemo. Symmach. 9 quæst. 3 c. Aliorum. Anthe rius ibidem, c. Facta.

20 Ac quo eiusmodi edicta plus haberent ponderis, falsò suppositerũt veterum Pontificum nomina, quasi res à primordio sic fuissent institutæ: quũ certo certius sit nouum esse & nuper fabricatum quicquid Romano Põtifici plus tribuit quàm ei à vetustis Conciliis datum fuisse retulimus. Quinetiam eò impudentiæ venerunt vt rescriptum ediderint sub nomine Anastasii Patriarchæ Constãtinopolitani, in quo testatur antiquis regulis fuisse sancitũ, nequid vel in remotissimis prouinciis ageretur quod non ad Romanam sedem prius relatum foret. Præterquam quod vanissimum id esse constat, cui hominum credibile erit, tale Romanæ sedis elogium ab aduersario & honoris dignitatísque æmulo profectum esse? Sed oportuit scilicet eò dementiæ ac cæcitatis prouehi istos Antichristos, vt omnibus sanæ mentis hominibus, qui modò oculos aperire volũt, conspicua esset ipsorum nequitia. Decretales autem epistolæ à Gregorio nono congestæ: item, Clementinæ, & Extrauagantes Martini, apertius adhuc & plenioribus buccis immanem ferociam, & veluti Barbarorum regũ tyrannidẽ vbique spirant. Atqui hæc sunt oracula ex quibus volunt Romanenses Papatum suũ æstimari. Hinc orta sunt pręclara illa axiomata, quæ vim oraculorum passim hodie in Papatu obtinent, Papam errare non posse, Papam esse superiorem Conciliis, Papam esse vniuersalem omnium Ecclesiarum Episcopũ, & summum in terris Ecclesiæ caput. Taceo ineptias multo adsurdiores, quas stulti canonistæ in scholis suis deblaterant: quibus tamen Romanenses theologi non modò assentiũtur, sed etiam applaudunt vt idolo suo adulentur.

Ibidem, c. Antiquis.

21 Non agam cum illis summo iure. Hic tantæ insolentiæ opponeret quispiam alius Cypriani sententiam, quæ visus est apud Episcopos quorum cõcilio præsidebat, Nemo nostrũm Episcopum se Episcoporum dicit, aut tyrannico terrore collegas ad obsequendi necessitatem adigit. Obiiceret quod aliquãto pòst Carthagine decretum fuit, Nequis vocaretur princeps Sacerdotum, aut primus Episcopus. Colligeret ex historiis multa testimonia, ex Synodis canones, ex veterũ libris multas sententias, quibus Romanus Pontifex in ordinem cogeretur. Sed ego istis supersedeo, ne videar nimis præcisè eos vrgere. Respondeant tamen mihi optimi patroni Romanæ sedis: qua frõte titulum vniuersalis Episcopi defendere audeant: quem vident toties anathemate damnari à Gregorio. Si valere debet Gregorii testimoniũ, eo declarãt Antichristum esse suum Pontificẽ quòd eum vniuersalem faciunt. Nomen etiam Capitis nihilo magis fuit vsitatum. Sic enim alicubi loquitur, Petrus præcipuum in corpore mẽbrum, Iohannes, Andreas, Iacobus particuliarium plebium capita. Omnes tamen sub vno capite mẽbra Ecclesiæ sunt. imò sancti ante Legem, sancti sub Lege, sancti in gratia, omnes perficientes corpus Domini, in mẽbris sunt constituti: & nemo se vnquam vniuersalem dici voluit. Quòd autem iubẽdi potestatem sibi arrogat Pontifex, parum consentaneum est cum eo quod alibi dicit Gregorius. Nam quum Eulolius Alexandrinus Episcopus se ab eo iussum dixisset, respondet in hunc modũ, Hoc verbũ iussionis, peto, à meo auditu remouete. scio enim qui sim, & qui sitis: loco mihi fratres estis, moribꝰ patres. Nõ ergo iussi: sed quę vtilia visa sunt, indicare curaui. Quod iurisdictionem suam ita sine fine extendit, in eo grauem & atrocem facit iniuriam non tantùm reliquis Episcopis, sed etiam singulis Ecclesiis: quas eo modo discerpit ac lacerat, vt ex earum ruinis sedem suam ædificet. Quòd autem omnibus se iudiciis eximit, ac tyrannico more sic vult regnare, vt suam vnius libidinem pro lege habeat, id certè magis indignum est, & alienum ab Ecclesiastica ratione quàm vt sustineri vllo modo queat. Prorsus enim abhorret non modò à sensu pietatis, sed etiam humanitatis.

Epist. 92. lib. 4. ad Iohan. Cõstantino pol. Lib. 7. epist. 28.

22 Verùm ne singula persequi & excutere cogar, iterum istos appello qui hodie Romanæ sedis patroni & optimi & fideliſſimi haberi volũt, ecquid pudeat ipsos præsentem statum Papatus defendere: quem constat centuplo corruptiorem esse quàm Gregorii & Bernardi seculis fuerit: qui tamen tunc sanctis illis viris tantopere displicebat. Conqueritur passim Gregorius, se alienis occupationibus supramodum distrahi: se sub colore Episcopatus ad seculum esse reductum: vbi tantis terræ curis inseruiret quantis se nunquam in vita laica deseruiisse reminiscereturꝰ se premi tumultu secularium negotiorum, vt

Epist. 5. lib. 1. ad Theotist. Epist. 7. ad Anastasium, item 25, & alibi.

vt ad ſuperna animus nullatenus erigatur: ſe multis cauſarum fluctibus quati, & tumultuoſæ vitæ tempeſtatibus affligi: vt meritò dicat, Veni in altitudinem maris. Certè inter illas terrenas occupationes poterat tamen plebem pro concionibus docere, priuatim admonere, & corrigere quos oportebat, Eccleſiam ordinare, collegis dare cõſilium, cóſque ad officium hortari: ſuper hæc, reſtabat aliquid temporis ad ſcribẽdum: & tamen calamitatem ſuã deplorat, quòd ſit in profundiſſimo mari demerſus. Si adminiſtratio illius temporis mare fuit: quid de præſenti Papatu dicendum erit? Quid enim ſimile inter ſe habẽt? Hîc nullæ ſunt conciones, nulla diſciplinæ cura, nullum Eccleſiarum ſtudium, nulla ſpiritualis functio: nihil denique niſi mũdus. Perinde tamen laudatur hic labyrinthus quaſi nihil inueniri queat magis ordinatum ac diſpoſitum. Bernardus verò quas fundit querimonias, quos edit gemitus dum ſuæ ætatis vitia intuetur? Quid igitur, ſi hoc noſtrum ferreum ſeculum, & ſiquid eſt ferro deterius, inſpiceret? Quæ iſta eſt improbitas, non modò pertinaciter tueri velut ſacroſanctum ac diuinum, quod vno ore ſancti omnes ſemper improbarunt: ſed eorum quoque teſtimonio abuti ad defenſionẽ Papatus, quem conſtat fuiſſe illis prorſus incognitum? Quanquam de tempore Bernardi fateor tantam fuiſſe tũc corruptionem rerum omnium, vt non fuerit multum noſtro diſſimile. Verùm omni pudore carent qui ex medio illo ſeculo, Leonis ſcilicet & Gregorii & ſimilium, prætextum aliquem petunt. perinde enim faciunt acſi quis ad ſtabiliendam Cæſarum monarchiam, antiquum Romani Imperii ſtatum laudaret: hoc eſt libertatis laudes ad ornãdam tyrannidem mutuaretur.

23 Poſtremò, etiamſi hæc darentur omnia, exoritur tamen illis nouum de integro certamen, quũ negamus eſſe Romæ Eccleſiã, in qua eiuſmodi beneficia reſidere queant: quum negamus eſſe Epiſcopum qui hæc dignitatis priuilegia ſuſtineat. Sint igitur vera illa omnia (quæ tamen illis iam extorſimus) Petrum voce Chriſti conſtitutum fuiſſe vniuerſæ Eccleſiæ caput: ipſúmque honorem ſibi collatum in Romana ſede depoſuiſſe: id veteris Eccleſiæ authoritate fuiſſe ſancitum, longo vſu confirmatũ: Romano Pontifici ſummam poteſtatem fuiſſe ſemper vno conſenſu ab omnibus delatam: ipſum fuiſſe omnium & cauſarum, & hominum iudicem, nullius iudicio ſubiectum fuiſſe. habeant etiam plura ſi velint: reſpondeo tamen vno verbo, nihil iſtorum valere niſi Romæ ſit Eccleſia & Epiſcopus. Hoc mihi concedent neceſſe eſt, non poſſe Eccleſiarum matrẽ eſſe, quæ ipſa non ſit Eccleſia: non poſſe Epiſcoporum eſſe principem, qui ipſe non ſit Epiſcopus. Volunt igitur ſedem Apoſtolicam habere Romæ? Dent mihi verum & legitimum Apoſtolatum. Volunt habere ſummũ Põtificem? Dent mihi Epiſcopum. Quid autẽ? vbi vllam Eccleſiæ faciẽ nobis oſtẽdent? Nominant quidẽ, & ſubinde in ore habẽt. Certè Eccleſia ſuis certis notis cognoſcitur: & Epiſcopatus, nomẽ officii eſt. Hîc non de populo loquor: ſed de ipſo regimine, quod lucere in Eccleſia perpetuò debet. Vbi illic miniſterium, quale requirit Chriſti inſtitutio? Meminerimus quod de Preſbyterorum & Epiſcopi officio antè dictum eſt. Si ad regulam illam exigemus officiũ Cardinalium, fatebimur nihil minus eſſe quàm Preſbyteros. Ipſe verò Pontifex quid omnino habeat Epiſcopale ſcire velim. Primùm in munere Epiſcopi caput eſt, plebem Dei verbo docere: Alterum & proximum huic ſacramenta adminiſtrare: Tertium, monere & hortari, corrigere etiam eos qui peccant, ac in ſancta diſciplina populum continere. Quid iſtorum facit: imò quid facere ſe ſimulat? Dicant igitur qua ratione velint haberi Epiſcopum, qui nullam officii partem minimo digito vel in ſpeciem ſaltem attingit.

24 Non ita de Epiſcopo eſt vt de Rege. hic enim, etſi nõ exequatur quod proprium eſt Regis, honorem nihilominus ac titulum retinet. At in Epiſcopo diiudicando reſpicitur Chriſti mandatum, quod ſemper in Eccleſia valere debet. Hũc ergo nodum mihi ſoluant Romanenſes. Nego ipſorum Pontificem, eſſe Epiſcoporum principem, quum non ſit Epiſcopus. Iſtud proximum neceſſe eſt probent falſum eſſe, ſi vincere in illo priore volent. Quid quòd non modò nihil habet Epiſcopi proprium, ſed omnia potius contraria? Sed hic, ô Deus, vnde incipiam? à doctrinane, an à moribus? Quid dicam, aut quid tacebo? vbi deſinam? Hoc dico: quum mundus hodie tot peruerſis impiiſque doctrinis refertus ſit: tot ſuperſtitionum generibus plenus, tot erroribus excæcatus, in tanta idololatria demerſus: nihil vſpiam iſtorum eſſe quod non illinc vel emanarit, vel ſaltem fuerit confirmatum. Nec alia eſt cauſa cur tanta rabie ferantur Pontifices in renaſcentem Euangelii doctrinam, ad eam opprimendam neruos omnes ſuos intendant, Reges omnes ac

ac principes ad sæuitiam accendant,nisi quòd collabi ac corruere totum suum regnum vident vbi primum Christi Euangelium obtinuerit.Crudelis fuit Leo:sanguinarius Clemens:truculentus est Paulus.Sed non tam natura eos ad impugnandam veritatem impulit,quàm quòd vna hæc illis ratio erat tuendæ suæ potẽtiæ.Salui igitur quum esse non possint nisi profligato Christo,non aliter laborant in hac causa quàm si pro aris ac focis, suísque ipsorum capitibus pugnarent.Quid ergo? num illic nobis erit sedes Apostolica vbi nihil cernimus nisi horrendam apostasiam? Erit Christi vicarius, qui furiosis conatibus Euangelium persequendo,Antichristum se esse palàm profitetur? Erit Petri successor,qui ad demoliendum quicquid ædificauit Petrus, ferro & igni grassatur? Erit caput Ecclesiæ,qui Ecclesiam à Christo solo vero capite rescissam ac truncatã, in seipsa discerpit ac lacerat?Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater: verùm ex quo Antichristi sedes fieri cœpit,desiit esse id quod erat.

25 Videmur nonnullis nimis maledici ac petulantes,quum Romanum Pontificem vocamus Antichristum.Sed qui hoc sentiunt,non intelligunt se Paulum immodestiæ insimulare,post quem nos loquimur:imò ex cuius ore sic loquimur.Ac nequis obiiciat,nos Pauli verba,quæ aliò pertineant,perperam torquere in Romanum Pontificem, breuiter ostendam non aliter quàm de Papatu posse intelligi.Antichristum in templo Dei sessurum Paulus scribit.Alibi quoque Spiritus describens eius imaginem in Antiochi persona,ostendit regnum eius in magniloquentia & Dei blasphemiis situm fore. Hinc colligimus tyrannidem esse in animas magis quàm in corpora: quæ aduersus spirituale Christi regnum erigatur.Deinde talem esse quæ nec Christi nec Ecclesiæ nomen aboleat: sed potius Christi prætextu abutatur, & sub Ecclesiæ titulo velut larua delitescat. Tametsi autem omnes quæ ab initio extiterunt hæreses ac sectæ ad regnũ Antichristi pertineant: quum tamen prædicit Paulus venturam defectionem,hac descriptione significat,sedem illam abominationis tunc erigendam vbi vniuersalis quædam defectio Ecclesiam occuparit:vtcunque multa Ecclesię membra in vera fidei vnitate sparsim perseuerent. Quum verò addit suo tempore cœpisse moliri in mysterio opus iniquitatis, quod postea palàm facturus esset:ex eo intelligimus,calamitatem hanc,neque per vnum hominem fuisse inferendam,neque in vno homine finiendam.Porrò quum hac nota designet Antichristum,quòd suum Deo honorem præreturus sit vt sibi sumat:hoc præcipuum indicium est quod sequi debemus in quærendo Antichristo: præsertim vbi eiusmodi superbia ad publicam vsque Ecclesiæ dissipationem procedit. Quum ergo constet, Pontificem Romanum impudenter ad se transtulisse quod Dei vnius & Christi maximè proprium erat, dubitandum non est quin impii & abominandi regni dux sit & antesignanus.

2. The.2.b.4

Dan.7.g.25

26 Eant nunc Romanenses,& antiquitatem nobis opponant.Quasi in tanta rerum omnium cõuersione sedis honor stare possit vbi nulla est sedes.Narrat Eusebius, Deum, vt vindictæ suæ locus fieret,Ecclesiam quæ Hierosolymis erat, Pellam transtulisse. Quod semel factum fuisse audimus,fieri sæpius potuit. Proinde sic loco alligare honorem primatus,vt qui re vera infestissimus est hostis Christi,summus Euangelii aduersarius, maximus Ecclesiæ vastator ac dissipator, crudelissimus sanctorũ omnium mactator & carnifex, vicarius nihilominus Christi, Petri successor, primus Ecclesiæ antistes habeatur, tantummodo quia sedem occupat quæ olim prima omniũ fuit: id verò nimis ridiculum est ac ineptum. Taceo quantum sit discriminis inter Papæ cancellariam,& bene compositum Ecclesiæ ordinem.Quanquam hæc vna res omnem de hac quæstione dubitationem potest optimè tollere.Nemo enim sanæ mẽtis Episcopatum in plumbo & bullis includet:multo minus in illo captionum omnium ac circunscriptionum magisterio, quibus rebus censetur spirituale Papæ regimen.Eleganter igitur à quodam dictum est, illam quæ iactatur,Romanam Ecclesiam pridem conuersam fuisse in curiam, quæ sola nunc Romæ visitur.Neque hîc accuso hominum vitia:sed Papatum ipsum ex diametro cum Ecclesiastica ratione pugnare demonstro.

Euseb.lib.3 cap.5

27 Ad homines autem si veniamus,satis scitur quales reperturi simus Christi vicarios:Iulius scilicet,& Leo,& Clemens,& Paulus Christianæ fidei columnæ erunt, primique religionis interpretes,qui nihil aliud de Christo tenuerunt nisi quod didicerant in schola Luciani.Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero? Quasi verò dubium sit qualem religionis speciem professi sint iampridem Põtifices cum toto Cardinaliũ collegio,& hodie profiteantur.Primùm enim arcanæ illius Theologiæ quæ inter eos regnat,

caput est, Nullum esse Deum. Alterum, Quæcunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & impostura. Tertium, Doctrinam de futura vita & vltima resurrectione, meras esse fabulas. Non omnes ita sentiunt, & pauci ita loquuntur. fateor. iampridem tamen hæc ordinaria esse cœpit Pontificum religio. hoc quum sit notissimum omnibus qui Romam nouerunt, non cessant tamen Romanenses theologi iactare, Christi priuilegio cautum esse ne Papa errare possit, quia Petro dictum sit, Oraui pro te, ne deficiat fides tua. Quid obsecro, tam impudēter ludendo proficiunt, nisi vt totus mundus intelligat, eos ita ad extremum improbitatis veniisse, vt neque Deum timeant, neque homines reuereantur?

Luc.22.d.32

28 Sed fingamus latere eorum quos dixi Pontificum impietatem, quòd eam neque concionibus neque scriptis publicarint: sed in mensa duntaxat, & cubiculo, aut saltem inter parietes prodiderint. Atqui si priuilegium quod obtendunt, ratum esse velint, expungant è numero Pontificum oportet Iohannem vicesimum secundum, qui palàm asseruit, animas esse mortales, vnáque cum corporibus interire vsque ad diē resurrectionis. Atque vt videas totam sedem cum præcipuis suis fulturis tunc prorsus concidisse: nemo Cardinalium huic se tantæ insaniæ opposuit, sed schola Parisiensis Regem Galliæ impulit vt ad palinodiam hominem cogeret. Rex eius communionem suis interdixit, nisi mox resipisceret: idque de more publicauit per præconem. Hac necessitate adactus ille, errorē abiurauit. Hoc exemplum facit ne me oporteat cum aduersariis amplius de eo disputare quod dicunt, sedem Romanam eiúsque Pontifices labi in fide non posse, quia Petro dictum sit, Oraui pro te, ne deficiat fides tua. Certè ille tam fœdo lapsus genere à recta fide excidit, vt sit insigne posteris documentum, non omnes esse Petros qui Petro in Episcopatum succedunt. Quanquam istud quoque magis per se puerile est quàm vt responsione egeat. nam si volunt ad Petri successores trahere quicquid Petro dictum est, sequetur omnes illos esse satanas, quum istud quoque Petro dixerit Dominus, Vade retro Satan: quia offendiculum es mihi. Tam enim facile nobis erit retorquere hoc posterius, quàm illis alterum obiicere.

Testis Iohānes Gerson qui tunc viuebat.

Luc.22. d.32

Mat. 16.d.23

29 Verùm certare ineptiendo non libet: redeo igitur vnde digressus eram. Sic alligare locum & Christum & Spiritum sanctum, & Ecclesiam, vt quicunque illic præsideat, etiam si sit diabolus, Christi tamen vicarius & caput Ecclesiæ cēseatur, quia fuerit olim Petri sedes: non modò impium & Christo contumeliosum, sed nimis absurdum, & à sensu communi alienum esse dico. Iam pridem Romani Pontifices aut omni prorsus carent religione, aut maximi sunt religionis hostes. Nihilo igitur magis fiunt, ob sedem quam occupant, Christi vicarii, quàm idolum, vbi in templo Dei collocatur, pro Deo habendum est. Iam si de moribus fiat censura: ipsi pro se Pontifices respondeant quid omnino sit in quo Episcopi agnosci queant. Primùm, quòd Romæ sic viuitur, ipsis non modo cōniuentibus, ac tacentibus, sed tacito etiam quasi nutu approbantibus, id prorsus indignum est Episcopis: quorum officium est plebis licentiā disciplinę seueritate coercere. Sed ego tam rigidus in eos non ero vt alienis delictis ipsos grauem. Quòd autem ipsi cum sua familia, cum toto ferè Cardinalium collegio, cum toto cleri sui grege, ad omnē nequitiam, obscœnitatem, spurcitiam, ad omne scelerum & flagitiorum genus adeò sunt prostituti, vt monstra referant magis quàm homines: in eo sanè prodūt se nihil minus esse quàm Episcopos. Neque tamen veriri debent ne suam turpitudinem vlterius detegam. Nam & in tam putido cœno versari piget: & parcendum est pudicis auribus: & mihi videor satis ac super demonstrasse quod volebam: etiam si caput Ecclesiarum olim fuisset Roma, non tamen hodie esse dignam quæ in minimis pedum digitis censeatur.

1.Thes.2.a 4

30 Quantum ad Cardinales (quos vocant) attinet, nescio quid factum sit vt ita subitò in tantam amplitudinē emerserint. Hic titulus Gregorii ætate in solos Episcopos competebat. nam quoties meminit Cardinalium, non Romanæ Ecclesiæ, sed aliis quibuslibet eos attribuit. vt in summa, nihil aliud sit Sacerdos Cardinalis, quàm Episcopus. Apud superioris seculi scriptores nomen hoc non reperio. Video tamen fuisse tunc Episcopis minores, quos nūc longe antecellunt. Notum est illud Augustini, Quanquam secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. Hîc certè Romanæ Ecclesiæ Presbyterum ab aliis minimè discernit: sed omnes ex æquo postponit Episcopis. Idque eousque fuit obseruatum, vt in Concilio Carthaginensi, quum duo adessent Legati

Epist.15, & 77,& 79 Lib.2.Epis.6 25. & multis aliis.

Epist.19.ad Hieronymū

Romanę

Romanæ ſedis, vnus Epiſcopus, ſecundus Presbyter: hic in vltimum locum reiectus fuerit. Verùm ne nimis vetera perſequamur, extat Cõcilium ſub Gregorio habitum Romæ, in quo Presbyteri vltimo loco ſedent, & ſeorſum ſubſcribunt: Diaconi locum nullum in ſubſcriptione habent. Et ſanè nihil officii tunc habebant, niſi vt in doctrinæ & ſacramentorum adminiſtratione Epiſcopo adeſſent ac ſubeſſent. Nunc adeò mutata ſors eſt, vt facti ſint Regum & Cæſarum cognati. Nec dubium eſt quin vnà cum ſuo capite ſenſim creuerint, donec ad hoc dignitatis faſtigium euecti fuerunt. Verùm hoc quoque paucis verbis quaſi obiter attingere placuit, quo melius intelligerent lectores, ſedem Romanã, qualis hodie eſt, plurimũ differre ab illa veteri, cuius prætextu hæc ſe tuetur ac defendit. Verùm qualeſcunque fuerint olim, quando nihil habent veri ac legitimi in Eccleſia muneris, fucum duntaxat & inanem laruam retinent: imò quando omnia habent penitus contraria, neceſſe fuit illis euenire quod tam ſæpe ſcribit Gregorius. Flẽs, inquit, dico, gemẽs denuntio: quia quum Sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Quin potius impleri in illis oportuit quod de talibus ait Malachias, Vos receſſiſtis de via, & offendere feciſtis in Lege plurimos. Itaque irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus. Propterea ecce ego dedi vos contemptibiles ac viles omni populo. Iam relinquo piis omnibus cogitãdum quale ſupremum ſit Romanæ hierarchiæ faſtigium: cui ipſum quoque Dei verbum, quod cælo & terræ, hominibus & Angelis venerabile ac ſacroſanctum eſſe oportuerat, ſubiicere nefaria impudentia Papiſtæ non dubitant.

Lib. 4. regiſt.

Lib. 4. epiſt. 25, & 55. Lib. 5. Epiſt. 7, & alibi.

Malac. 2. b. 8

De poteſtate Eccleſiæ quoad fidei dogmata: & quàm effræni licentia ad vitiandam omnem doctrinæ puritatem tracta fuerit in Papatu.

CAP. VIII.

SEQVITVR nunc tertius locus, de Eccleſiæ poteſtate, quæ partim in Epiſcopis ſingulis, partim in Conciliis, & iis vel prouincialibus, vel generalibus ſpectatur. De ſpirituali tantùm poteſtate loquar, quæ propria eſt Eccleſiæ. Ea autem conſiſtit vel in doctrina, vel in iuriſdictione, vel in legibus ferendis. Locus de doctrina duas habet partes: authoritatem dogmatum tradendorum, & eorum explicationem. Antequam incipimus de ſingulis in ſpecie differere, pios lectores volumus admonitos, vt quicquid de Eccleſiæ poteſtate docetur, meminerint ad eum finem referre, in quem, teſte Paulo, data eſt: nempe ad ædificationem, & nõ in deſtructionem: qua qui legitimè vtuntur, nihil plus ſe eſſe exiſtimãt quàm miniſtros Chriſti, ſimúlque miniſtros populi in Chriſto. Porrò ædificandæ Eccleſiæ vna hæc ratio eſt, ſi miniſtri ipſi ſuam Chriſto authoritatem conſeruare ſtudent, quæ ſalua aliter eſſe nõ poteſt quàm ſi id ei relinquatur quod à Patre accepit: nempe vt ſit vnicus Eccleſiæ magiſter. Non enim de alio quopiam, ſed de ipſo ſolo ſcriptum eſt, Ipſum audite. Eſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas non malignè quidem ornanda, ſed tamen includenda certis finibus: ne pro hominum libidine huc atque illuc trahatur. Ad id plurimum proderit obſeruare qualiter à Prophetis & Apoſtolis deſcribatur. Nam ſi ſimpliciter hominibus concedimus quam ſunimere ipſis viſum fuerit poteſtatem, omnibus in promptu eſt, quàm ſit procliuis in tyrannidem lapſus, quæ procul à Chriſti Eccleſia abeſſe debet.

2. Cor. 10. b. 8, & 13. c. 10

Mat. 17. a. 5

2 Proinde hîc meminiſſe oportet, quicquid authoritatis ac dignitatis Spiritus in Scriptura, ſiue Sacerdotibus, ſiue Prophetis, ſiue Apoſtolis, ſiue Apoſtolorum ſucceſſoribus defert, id totum non propriè hominibus ipſis, ſed miniſterio cui præfecti ſunt dari: vel (vt expeditius loquamur) verbo, cuius miniſterium illis eſt commiſſum. Vt enim ordine omnes perſequamur, non reperiemus, vlla docendi aut reſpondendi authoritate fuiſſe prædítos, niſi in nomine & verbo Domini. Vbi enim vocantur ad munus, ſimul illis iniungitur nequid afferant ex ſeipſis: ſed loquantur ex ore Domini. Nec eos antè producit ipſe in medium vt à populo audiantur, quàm præceperit quidnam loqui debeant: nequid prẽter verbum ſuum loquantur. Moſes ipſe, Prophetarum omnium princeps, audiendus præ aliis fuit: ſed antè inſtruitur ſuis mandatis, nequid omnino nuntiare queat niſi à Domino. Itaque populus, doctrinam eius amplexus, in Deum & in eius ſeruum Moſen dicitur credidiſſe. Sacerdotum quoque authoritas ne contemptui foret, grauiſſimis pœnis ſancita eſt. Verùm ſimul oſtendit Dominus qua lege audiendi eſſent, quum dicit ſe percuſſiſſe fœdus ſuum cum Leui, vt Lex veritatis eſſet in ore eius. Et paulo pòſt addit, Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Ergo ſi audiri velit Sacerdos, præſtet ſe Dei nuntium: id eſt, mandata quæ ab authore ſuo accepit, fideliter referat. Atque vbi de iis audiendis

Exod. 3. a. 4

Ibidẽ. 14. g. 31

Deut. 17. b. 9

Malach. 2. a. 4, & b. 6

Deu. 17. b. 10

Deu.17.b.10 agitur,nominatim hoc ponitur,Vt ſecundum Legem Dei reſpondeant.

3 Prophetarum qualis in vniuerſum fuerit poteſtas,eleganter apud Ezechielem de-
Ezech.3.d.17 ſcribitur:Fili hominis,ait Dominus,ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.audies igitur ex o-
re meo verbum,& annũtiabis illis ex me.Qui audire iubetur ex ore Domini,nónne quic-
quam ex ſe cõminiſci prohibetur?Quid verò eſt,nuntiare à Domino niſi ſic loqui vt con-
fidenter iactare auſit,non ſuum eſſe ſed Domini verbum quod attulerit?Tantundem eſt
Ier.23.f.28 apud Ieremiam aliis verbis. Propheta, inquit,apud quem eſt ſomnium,narret ſomnium:
& qui habet verbum meum,loquatur verbum meum verum .Certè illis vniuerſis legem
dicit.Eſt autem eiuſmodi, quòd non patitur quẽpiam plus docere quàm iuſſus fuerit.Et
poſtea paleam vocat quicquid à ſe vno profectum non eſt.Itaque nemo ex ipſis Prophe-
tis os aperuit,niſi Domino verba præeunte.Vnde illa toties apud eos occurrunt, Verbum
Ieſa.6.b.5 Domini,Onus Domini,Sic ait Dominus,Os Domini loquutum eſt.Et meritò:exclama-
Ier.1.b.6 bat enim Ieſaias,polluta ſibi eſſe labia:Ieremias ſe neſcire loqui fatebatur, quia puer eſſet.
Quid ab illius polluto, ab huius fatuo ore prodire poterat niſi immundum aut inſulſum,
ſi ſuum ipſi ſermonem loquuti eſſent? Sancta verò & pura illis labia fuerunt quum Spiri-
tus ſancti cœperunt eſſe organa. Vbi hac religione obſtricti ſunt Prophetæ nequid tradãt
Ibidem,b.10 niſi quod acceperint,tũc inſigni poteſtate ac eximiis titulis ornantur.Nã quũ Dominus
teſtatur ſe præfeciſſe illos Gentibus ac regnis,vt euellãt & extirpẽt,perdãt & deſtruãt,æ-
dificent ac plantent:continuò ſubiungit cauſam,Quia verba ſua in eorum ore poſuerit.

Matt.5.b.13 4 Iam ſi in Apoſtolos reſpicias: multis quidem & inſignibus elogiis commẽdantur,
Luc.10.c.16 quòd lux ſint mundi, & ſal terræ : quòd pro Chriſto audiendi:quòd quæcunque in terra
Iohã.20.e.23 ligauerint aut ſoluerint ligata erunt aut ſoluta in cælo . Verùm ſuo nomine præ ſe ferunt
quantum ſibi in ſuo munere permiſſum ſit: nempe ſi Apoſtoli ſunt, ne garriãt quicquid
collibitum fuerit:ſed mandata eius à quo miſſi ſunt,bona fide perferãt. Et ſatis clara ſunt
Mat.28. c.19 Chriſti verba,quibus eorum legationem terminauit:quum mandauit illis vt irent ac do-
cerent omnes gentes,quæcunque præceperat.Quin ipſe quoque hanc in ſe legem(necui
Iohan.7.c.16 eam detrectare fas eſſet)recepit,ſibique impoſuit. Doctrina,inquit,mea non eſt mea:ſed
eius qui me miſit,Patris.Is qui vnicus ac æternus Patris conciliarius ſemper fuit, quique
Dominus ac Magiſter omnium eſt conſtitutus à Patre, quia tamen docendi miniſterio
fungitur miniſtris omnibus ſuo exemplo præſcribit quam in docendo regulam ſequi
debeant . Non eſt igitur Eccleſiæ poteſtas infinita , ſed ſubiecta verbo Domini , & in eo
quaſi incluſa.

5 Atqui quum hoc ab initio in Eccleſia valuerit,hodiéque valere debeat nequid do
ceant ſerui Dei quòd non ab ipſo didicerint:pro temporum tamen varietate diuerſas ha-
buerunt diſcendi rationes.Ea verò quæ nunc eſt,plurimum à ſuperioribus differt.Princi-
Matt.11.d.17 piò, ſi verum eſt quod ait Chriſtus, quòd nemo Patrem viderit niſi Filius, & cui voluerit
Filius reuelare: oportuit certè ab æterna illa Sapientia ſemper dirigi qui ad Dei notitiam
peruenire vellent. Quomodo enim Dei myſteria aut animo comprehendiſſent, aut elo-
quuti eſſent,niſi docente eo cui ſoli patent arcana Patris?Deum igitur non aliter cogno-
uerunt olim ſancti homines,quàm ipſum in Filio,velut in ſpeculo,intuiti. Hoc quum di-
co,intelligo Deum nõ alia ſe vnquam ratione manifeſtaſſe hominibus quàm per Filium,
hoc eſt vnicam ſuam ſapientiam,lucem ac veritatem.Ex hoc fonte hauſerunt Adã, Noe,
Abraham,Iſaac,Iacob & alii,quicquid habuerunt cæleſtis doctrinæ. Ex eodem Prophe-
tæ omnes hauſerunt & ipſi quoque quicquid cæleſtium oraculorum ediderunt . Enim-
uero hæc Sapientia non vno modo ſemper ſe exeruit . Apud Patriarchas arcanis reue-
lationibus eſt vſus : ſed ſimul ad eas confirmandas eiuſmodi ſigna adhibuit , vt minimè
dubium illis eſſe poſſet , Deum eſſe qui loquebatur . Patriarchæ quod acceperant , ad
poſteros per manus tranſmiſerunt . ea enim lege apud ipſos depoſuerat Deus vt ita pro-
pagarent . Filii verò ac nepotes , Deo intus dictante , ſciebant è cælo eſſe , non ex terra,
quod audiebant.

6 Vbi autem Deo viſum eſt illuſtriorem Eccleſiæ formam excitare , verbum ſuum
mandari ſcripto ac conſignari voluit,vt inde peterent Sacerdotes quod populo traderẽt,
vtque ad eam regulam omnis quæ traderetur doctrina exigeretur . Itaque poſt Legis
Malac.2.b.7 promulgationem quum iubentur Sacerdotes docere ex ore Domini , ſenſus eſt , nequid
extraneum aut alienum ab eo doctrinæ genere doceant quod Deus in Lege compre-
henderet : addere verò ac minuere nefas illis fuit . Sequuti ſunt deinde Prophetæ : per
quos

quos noua quidem oracula publicauit Deus quæ ad Legem adderentur: non sic tamen noua quin ex Lege manarent, & in ipsam respicerent. Quantum enim ad doctrinam, Legis duntaxat interpretes fuerunt: nec aliquid ad eam addiderunt nisi vaticinia de rebus futuris. His exceptis, nihil aliud prodiderunt quàm puram Legis explicationem. Verùm quia Domino placebat illustriorem extare doctrinam & ampliorem, quo melius infirmis conscientiis satisfieret: Prophetias quoque scriptis mandari præcepit, & haberi verbi sui partem. His simul accesserunt Historiæ, quæ & ipsæ Prophetarum sunt lucubrationes, sed dictante Spiritu sancto compositæ. Psalmos Prophetiis adnumero: quando his commune est quod illis tribuimus. Totũ ergo illud corpus ex Lege, Prophetiis, Psalmis, & Historiis compactum, verbum Domini fuit veteri populo, ad cuius regulã Sacerdotes & Doctores vsque ad Christi aduentum, suam doctrinam exigere debuerunt: nec fas illis fuit vel ad dexteram, vel ad sinistram deflectere: quia totum ipsorum munus his finibus inclusum erat, vt ex ore Dei populo respõderent. Quod ex insigni loco Malachiæ colligitur, vbi iubet memores esse Legis, & ad eam attendere vsque ad Euangelii prædicationem. Nam ita eos arcet ab omnibus aduentitiis doctrinis, nec cõcedit vel tantillum à via deflectere quam Moses fideliter illis monstrauerat. Atque hæc ratio est cur tam magnificè prædicet Dauid Legis excellentiam, tótque eius encomia recensеat: ne scilicet Iudæi quicquam appeterent extraneum, quum tota perfectio illic inclusa esset. Malac.4.a.4

7 Verùm vbi demum in carne manifestata est Dei Sapientia, quicquid humana mente de Patre cælesti comprehendi potest, & cogitari debet, pleno ore nobis edisseruit. Nunc itaque, ex quo illuxit sol iustitiæ Christus, perfectum habemus diuinæ veritatis fulgorem, qualis in meridie claritas esse solet, quum antè subobscura lux fuerit. Nõ enim profectò vulgare aliquid prædicare voluit Apostolus, quũ scripsit, Deum olim multifariam multisque modis Patribus loquutum esse per Prophetas: at extremis his diebus nobis per dilectum Filium loqui cœpisse. significat enim, imò apertè declarat, Deũ non posthac, vt antea, per alios subinde atque alios loquuturum: nec prophetias additurum prophetiis, aut reuelationes reuelationibus: sed sic omnes docendi partes in Filio compleuisse, vt hoc vltimum æternúmque ab eo habendum sit testimonium. Qua ratione totum hoc Noui testamenti tempus, ex quo cum Euangelii sui prædicatione nobis apparuit Christus ad diem vsque iudicii, per Horam nouissimam, Nouissima tempora, Nouissimos dies designatur: quo scilicet doctrinæ Christi perfectione contenti, discamus nullam vltrà nouam aut nobis fingere, aut ab aliis confictam admittere. Itaque non temere Filium singulari prærogatiua nobis doctorẽ Pater ordinauit: ipsum, non hominum quempiam præcipiens audiri. Paucis quidem verbis, eius nobis mágisterium commendauit, quum dicit, Ipsum audite: sed quibus inest plus quiddã ponderis ac energiæ quàm vulgò existimetur. perinde enim est acsi ab omnibus hominum doctrinis abductos, huic vni nos sisteret: ab vno omnem salutis doctrinam petere iuberet: ab vno pendêre, in vno hærere: denique (quod verba sonant) vnius voci auscultare. Et sanè quid iam ab homine aut expectari aut expeti debeat, vbi Verbum ipsum vitæ familiariter se nobis ac coràm explicauit? Quin omniũ hominũ ora clausa esse cõuenit postquã semel loquutus est ille in quo cælestis Pater omnes scientiæ & sapientiæ thesauros voluit esse absconditos, & sic quidem loquutus est, vt & Dei sapientiã (quæ nulla in parte hiulca est) & Messiam (à quo omnium reuelatio sperabatur) decebat: hoc est, vt post se nihil aliis dicendum reliquerit. Matt. 17.a.5 Coloss.2.d.3 Iohã.4.d.25

8 Esto igitur hoc firmum axioma, Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod Lege primùm & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse rite docendi in Ecclesia modum nisi ex eius verbi præscripto & norma. Hinc etiam colligimus, non aliud permissum fuisse Apostolis quàm quod olim habuerant Prophetæ: nempe vt veterem Scripturam exponerent, ac ostenderent in Christo completa esse quæ illic traduntur: idipsum tamen non facerent nisi ex Domino, hoc est, præeunte & verba quodammodo dictante Christi Spiritu. Hac enim lege eorum legationem definiuit Christus, quum iussit vt irent ac docerent; non quæ temere ipsi effent fabricati, sed quæcunque ipsis præceperat. Et nihil apertius dici poterat quàm quod alibi dicit, Vos autem nolite vocari Rabbi. vnus enim magister vester, Christus. Deinde quò altius hoc eorum animis infigeret, bis eodem loco repetit. Et quia quæ audierant ac didicerant ex ore magistri, capere pro sua ruditate non poterant, Spiritus veritatis illis promittitur, à quo dirigantur in verã omnium intelligẽtiam. Illa enim restrictio attentè Matt. 28. d. 20 Matt. 23.a.8 Iohan. 14.d. 26, & 16.b.13

notanda, vbi partes Spiritui ſancto aſſignat, ſuggerere quæcunque antè ore docuit.

1.Pet.4.c.11 9 Proinde nihil aliud vel ſibi vel aliis reliquum facit Petrus, optimè à Magiſtro edoctus quantum ſibi liceret, niſi vt traditam à Deo doctrinam diſpenſet. Qui loquitur (inquit) loquatur tanquam ſermones Dei. hoc eſt, non dubitanter, vt trepidare ſolent ſibi malè conſcii, ſed alta confidentia, quæ ſeruum Dei certis mandatis inſtructum decet. Quid hoc aliud eſt quàm omnes humanæ mentis inuentiones (à quocunque tandem capite profectæ ſint) arcere, vt purus Dei ſermo in fidelium Eccleſia doceatur ac diſcatur? omnium hominum (cuiuſcunque ſint ordinis) placita vel potius figmenta tollere, vt ſo-
2.Cor.10.a.4 lius Dei decreta rata maneant? Hæc ſunt arma illa ſpiritualia potẽtia Deo ad demolitionem munitionum: quibus conſilia demoliantur fidi Dei milites, & omnem celſitudinem quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei: & captiuam ducant omnem cognitionem ad obediendum Chriſto. En ſummam poteſtatem, qua Eccleſiæ Paſtores, quocunque demũ nomine vocentur, præditos eſſe conuenit, nempe vt verbo Dei confidenter omnia audeant: eius maieſtati omnem mundi virtutem, gloriam, ſapientiam, altitudinem cedere atque obedire cogant: eius potentia fulti, omnibus à ſummo vſque ad nouiſſimum imperent: Chriſti domum ædificent, Satanę ſubuertant: oues paſcant, lupos profligent: dociles inſtituant & exhortentur: rebelles & peruicaces arguant, increpent, ſubigant: ligent ac ſoluant: fulgurent denique, ſi opus eſt, ac fulminent: ſed omnia in verbo Dei. Quanquam inter Apoſtolos & eorũ ſucceſſores hoc, vt dixi, intereſt, quòd illi fuerunt certi & authentici Spiritus ſancti amanuenſes: & ideo eorum ſcripta pro Dei oraculis habenda ſunt: alii autem non aliud habent officii niſi vt doceant quod ſacris Scripturis proditum eſt ac cõſignatum. Conſtituimus igitur, non eſſe iam fidelibus miniſtris relictũ vt nouum aliquod dogma excudant, ſed ſimpliciter inhærendum eſſe doctrinæ cui Deus omnes ſine exceptione ſubiecit. Hoc quum dico, non tantùm oſtendere volo quid ſingulis hominibus liceat, ſed quid etiam vniuerſæ Eccleſiæ. Quantum ad ſingulos attinet, Paulus certè Co-
2.Cor.1.d.24 rinthiis ordinatus erat à Domino Apoſtolus: fidei tamen eorum dominari ſe negat. Quis iam dominium ſibi arrogare audeat quod ſibi non competere teſtatur Paulus? Quòd ſi hanc docendi licentiam agnouiſſet, vt quicquid tradiderit Paſtor, in eo certam ſibi fidem
2.Cor.14.1.19 haberi iure poſtulet: nunquam hanc diſciplinam tradidiſſet iiſdem Corinthiis, vt loquentibus Prophetis duobus vel tribus, cæteri diiudicarent: quòd ſi alicui ſedenti reuelatum eſſet, primus taceret. Sic enim nemini pepercit, cuius authoritatem, verbi Dei cenſuræ nõ
Rom.10.c.17 ſubiiceret. At de vniuerſa Eccleſia, dicet quiſpiam, alia ratio eſt. Reſpondeo, Paulum huic quoque dubitationi alibi occurrere, quum dicit fidem eſſe ex auditu, auditum autem ex verbo Dei. Scilicet ſi à ſolo Dei verbo pendet fides, ſi in illud ſolum reſpicit & recumbit, quis iam totius mundi verbo locus relinquitur? Neque hîc hæſitare poterit quicunque bene nouerit quid ſit fides. ea enim firmitudine ſubnixam eſſe oportet, qua aduerſus Satanam & omnes inferorum machinas, totúmque mundum inuicta & intrepida cõſiſtat. Hanc firmitudinem nonniſi in vno Dei verbo reperiemus. Deinde vniuerſalis eſt ratio, quam hîc reſpicere conuenit: Deum idcirco adimere hominibus proferendi noui dogmatis facultatem, vt ſolus ipſe nobis ſit in ſpirituali doctrina magiſter: vt ſolus eſt verax qui nec mentiri nec fallere poteſt. Hæc ratio nõ minus ad totam Eccleſiam, quàm ad vnumquenque fidelium pertinet.

10 Iſthæc verò quam diximus Eccleſiæ poteſtas, ſi cum ea conferatur qua ſe aliquot iam ſeculis in populo Dei venditarunt Spirituales tyranni, qui Epiſcopos ſe & religionis Præſules falſò vocarunt, nihilo melior erit conſenſus quàm Chriſto cum Belial. Neque hîc mihi propoſitum eſt exponere qualiter & quàm indignis modis ſuam tyrannidem exercuerint: tantùm referam doctrinam, quam ſcriptis primùm, deinde ferro & igni hodie tuentur. Quoniam pro confeſſo ſumunt, vniuerſale Concilium eſſe veram Eccleſiæ imaginem, hoc principio ſumpto, ſimul abſque dubio ſtatuunt, regi immediatè à Spiritu ſancto eiuſmodi Concilia, ideoque errare non poſſe. Quum verò ipſi Concilia regant, imò conſtituant, re vera ſibi vendicant quicquid contendunt deberi Conciliis. Fidem igitur noſtram ſuo arbitrio ſtare volunt & cadere, vt quicquid ipſi vtranque in partem conſtituerint, firmum animis noſtris ſtatúmque ſit: vt ſiue quid probauerint, ipſum nobis nulla dubitatione probari: ſiue quid damnauerint, id quoque pro damnato eſſe oporteat. Interim ſua libidine contemptóque Dei verbo, cudunt dogmata, quibus poſtea fidem hac ratione haberi poſtulant. Nec enim Chriſtianum eſſe, niſi qui in omnia ſua dogmata, tam

affirmatiua quàm negatiua certò consentiat: si non explicita fide, tamen implicita: quia penes Ecclesiam sit, condere nouos fidei articulos.

11 Primùm audiamus quibus argumentis hanc Ecclesiæ datam authoritatem confirment: deinde videbimus quantum eos iuuet quod de Ecclesia allegant. Præclaras, inquiunt, promissiones habet Ecclesia, quòd nunquam à sponso suo Christo sit deserenda quin eius Spiritu ducatur in omnem veritatem. At verò ex promissionibus quas allegare solent, multæ non minus fidelibus singulis, quàm toti Ecclesiæ datæ sunt. Nam tametsi duodecim Apostolis loquebatur Dominus, quũ dicebat, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Item, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum scilicet veritatis, non tantùm numero duodenario id promtttebat, sed illis quoque singulis: imò aliis similiter discipulis vel quos iam assumpserat, vel qui postea accessuri erant. Quum autem eiusmodi promissiones, eximiæ consolationis plenas sic interpretantur, quasi nemini Christianorum datæ sint, sed vniuersæ simul Ecclesiæ: quid aliud quàm Christianis omnibus fiduciam tollunt quæ inde ad ipsos animandos redire debuerat? Neque hîc nego quin tota fidelium societas multiplici donorum varietate instructa, longè ampliori & vberiori cælestis sapientiæ thesauro prædita sit, quàm seorsum singuli: neque hoc ita fidelibus communiter dictum esse volo quasi Spiritu intelligentiæ & doctrinæ ex æquo omnes polleant: sed quia concedendum non est aduersariis Christi, vt ad defensionem malæ causæ Scripturam in alienum sensum detorqueant. Verùm hoc omisso, simpliciter fateor id quod res habet, Dominum perpetuò suis adesse, & eos Spiritu suo regere. Hunc Spiritum non esse erroris, ignorantiæ, mendacii aut tenebrarum: sed certæ reuelationis, sapiẽtiæ, veritatis, ac lucis, à quo non fallaciter discant quæ sibi donata sint: hoc est, quæ sit spes vocationis suæ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis Dei in sanctis. Verũ quum primitias, & quendam duntaxat gustum eius Spiritus percipiant in hac carne fideles, etiam qui excellentioribus gratiis præ aliis donati sunt: nihil illis potius restat quàm imbecillitatis suæ conscios, sese intra verbi Dei fines solicitè continere: ne si proprio sensu longius euagentur, à recta via protinus aberrẽt, quatenus scilicet Spiritu illo adhuc vacui sunt, quo solo docente, verum à falso discernitur. Omnes enim cum Paulo fatentur, se nondum ad metam pertigisse. Itaque ad quotidianum profectum magis contendunt quàm perfectione gloriantur.

Mat. 28. d. 20
Iohã. 14. b. 16
1. Cor. 2. c. 12
Ephes. 1. d. 18
Philip. 3. c. 12

12 Sed excipient, quicquid partim sanctorum vnicuique tribuitur, id penitus & ad plenum competere in ipsam Ecclesiam. Hoc tametsi habet nonnullam veri speciem, verum tamen esse nego. Sic quidem singulis membris distribuit Deus dona Spiritus sui ad mensuram, vt corpori vniuerso nihil desit necessarium, vbi dona ipsa in commune conferuntur. Verùm tales sunt semper Ecclesiæ diuitiæ, vt multum desit ad summam illam perfectionem quam aduersarii nostri iactant. Nec ideo vlla in parte destituitur Ecclesia quin semper habeat quantum satis sit: nouit enim Dominus quid eius necessitas requirat. Verùm vt eam sub humilitate & pia modestia contineat, non plus ei largitur quàm nouit expedire. Scio quid hîc quoque obiectare solent, Ecclesiam scilicet mundatam esse lauacro aquæ in verbo vitæ, vt esset sine ruga & macula: & ideo alibi vocari columnam & firmamentum veritatis. Verùm priore loco magis docetur quid quotidie operetur in ea Christus, quàm quid iam perfecerit. Nam si omnes suos in dies sanctificat, expurgat, expolit, maculis abstergit: certè adhuc næuis ac rugis quibusdam aspersos esse, eorúmque sanctificationi deesse nonnihil constat. Ecclesiam verò sanctam & immaculatam iam penitus ac omni ex parte censere, cuius membra omnia maculosa & nonnihil impura sint, quàm inane ac fabulosum est? Verum est igitur, sanctificatam esse Ecclesiam à Christo. at eius sanctificationis initium hîc duntaxat visitur: finis verò & solidum complementum extabit quum Sanctus sanctorum Christus sua eam sanctitate verè & in solidũ implebit. Verum est etiam deletas esse eius maculas & rugas: sed ita vt quotidie adhuc deleantur, donec suo aduentu Christus quicquid residuum est, penitus auferat. Nisi enim hoc recipimus, necesse erit vt cum Pelagianis asseramus, perfectam esse fidelium iustitiam in hac vita: cum Catharis & Donatistis nullam in Ecclesia infirmitatem feramus. Alter locus, vt alibi vidimus, prorsus alium habet sensum quàm intendunt. Vbi enim Timotheum instituit Paulus, & ad verum Episcopi officium formauit, dicit se ideo fecisse, vt sciat qualiter oporteat ipsum versari in Ecclesia. Ac quo maiori religione & studio in eam rem intentus esset, subiungit Ecclesiã ipsam esse columnam ac stabilimentũ veritatis. Quid autem

Ephes. 5. f. 25
1. Tim. 3. d. 15

Ephes.4.b.11 aliud sibi volunt hæc verba, quam in Ecclesia conseruari Dei veritatem, prædicationis scilicet ministerio? Quemadmodum alibi docet, Christum dedisse Apostolos, Pastores, atque Doctores, ne amplius circunferamur quolibet vento doctrinæ, aut ab hominibus deludamur: sed vera Filii Dei cognitione illuminati, omnes simul occurramus in fidei vnitatem. Quòd ergo non extinguitur in mũdo veritas, sed salua perstat, id fit quòd fidam habet custodem Ecclesiam, cuius opera & ministerio sustinetur. Atqui si hæc custodia in ministerio Prophetico & Apostolico sita est, sequitur totam inde pendere, si verbum Domini fideliter conseruetur, suámque puritatem retineat.

13 Atque vt melius intelligant lectores, in quo potissimùm cardine versetur hæc quæstio, quid postulent nostri aduersarii, & in quo ipsis resistamus, paucis exponam. Quòd illi negant errare posse Ecclesiam, huc spectat, atque ita interpretantur, Quando Spiritu Dei gubernatur, tutò incedere sine verbo posse: quocunque pergat, non posse sentire aut loqui nisi verum. proinde siquid extra aut præter Dei verbum statuerit, id habendum esse non alio loco, quàm certum Dei oraculum. Nos si demus illud primum, errare non posse Ecclesiam in rebus ad salutem necessariis: hic sensus noster est, ideo hoc esse quòd abdicata omni sua sapientia, à Spiritu sancto doceri se per verbum Dei patitur. Hoc igitur est discrimen. Illi Ecclesiæ authoritatem extra verbum Dei collocant: nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Et quid mirum, si sponsa ac discipula Christi suo sponso magistróque subiicitur, vt ab eius ore assiduè ac sedulò pendeat? Hæc enim est domus bene compositæ ratio, vt mariti imperio vxor obtemperet: hæc scholæ bene moratæ regula, vt magistri solius doctrina illic audiatur. Quamobrem non ex se sapiat Ecclesia, non ex se cogitet quicquam: sed sapientiæ suæ terminum statuat vbi loquendi finem ille fecerit. In hunc modum & omnibus rationis suæ inuentis diffidet: in quibus autem verbo Dei nititur, nulla diffidentia aut hæsitatione vacillabit, sed magna certitudine firmáque constantia conquiescet. Sic etiam earum quas habet, promissionum amplitudine confisa, habebit vnde fidem suam præclarè sustineat: vt nihil addubitet, Spiritum sanctum sibi semper adesse, optimum rectæ viæ ducem: sed memoria simul tenebit quem è suo Spiritu vsum percipi Deus velit. Spiritus, inquit, quem à Patre mittam, ducet vos in omnem veritatem. Sed quomodo? Quia suggeret, inquit, omnia quæ dixi vobis. Nihil ergo plus ex suo Spiritu denuntiat expectandum, quàm vt mentes nostras illuminet, ad percipiendam doctrinæ suæ veritatem. Proinde scitissimè Chrysostomus, Multi, inquit, Spiritum sanctum iactant: sed qui propria loquuntur, fallò illum prætendunt. Vt Christus non à seipso loqui se testabatur, quia ex Lege loquebatur & Prophetis: ita siquid præter Euangelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus. Quia sicut Christus Legis & Prophetarum impletio est: ita Spiritus Euangelii. Hæc ille. Iam colligere in promptu est quàm perperã faciãt nostri aduersarii, qui non alio fine iactant Spiritũ sanctũ, nisi vt peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas eius titulo commendent: quũ ipse indiuiduo nexu cũ verbo Dei coniunctus esse velit, idque de eo profiteatur Christus dũ Ecclesiæ suæ eũ promittit. Sic est sanè. Quã sobrietatẽ semel Ecclesiæ suæ præscripsit Dominus, eã perpetuò vult obseruari. Vetuit autẽ nequid verbo suo adderet, nequid ex eo detraheret. Hoc inuiolabile est Dei ac Spiritus sancti decretum, quod abrogare conantur nostri aduersarii quum Ecclesiam sine verbo regi à Spiritu fingunt.

Iohan.16.a.7,& b.13

Serm.de sancto & adorãdo Spiritu.

Iohã.12.g.50 & 14.b.10

Rom.10.a.4

14 Hic iterum obmurmurant, oportuisse Ecclesiam nonnulla addere scriptis Apostolorum, vel illos ipsos supplere postea viua voce quod minus clarè tradidissent: nempe quum illis dixerit Christus, Multa habeo vobis dicenda, quæ non potestis portare modò. atque hæc esse placita, quæ sine Scriptura, vsu duntaxat & moribus recepta fuerunt. At quænam isthæc est impudentia? Rudes adhuc, fateor, & propè indociles erãt discipuli quum istud à Domino audirent: verùm hácne tarditate tum etiam tenebantur, quum doctrinam suam scriptis commendarent, vt postea viua voce supplere necesse haberent quod in scriptis suis ignorãtiæ vitio omiserãt? Si verò iam à Spiritu veritatis ducti in omnem veritatẽ, sua scripta ediderunt, quid obfuit quominus perfectam Euangelicæ doctrinæ cognitionem complexi sint illic, consignatámque reliquerint? Sed age, demus illis quod petunt: designẽt modò ea quæ reuelari sine scripto debuerunt. id si tentare audeant, agam cũ ipsis Augustini verbis, hoc est, Quum Dominus tacuerit, quis nostrũ dicat, Illa vel illa sunt? aut si dicere audeat, vnde probat? Sed quid de re superuacua cõtẽdo? Nam vel puero notum est, in scriptis Apostolicis quæ isti mutila quodammodo & dimi-

Iohã.16.b.12

Homil.in Iohan.96

dia faciunt,fructum extare eius reuelationis quam tunc eis Dominus promittebat.

15 Quid? inquiunt, annon extra controuersiam posuit Christus quicquid docet ac decernit Ecclesia, quum iubet haberi pro ethnico & publicano qui contradicere audeat? Mat.18. c.17 Primùm illic non fit doctrinæ mentio,sed tantùm censuris asseritur sua authoritas ad corrigenda vitia,ne se eius iudicio opponãt qui admoniti vel obiurgati fuerint. At hoc omisso,valde mirum est,tam nihil esse frontis istis nebulonibus vt ferocire inde non dubitent. Quid enim tandem obtinebunt,nisi non spernendũ Ecclesiæ cõsensum, quæ nunquam nisi in veritatem verbi Dei cõsentit?Ecclesia audienda est,inquiunt.Quis negat?quãdoquidem nihil pronunciat nisi ex verbo Domini.Si plus aliquid postulant,sciant nihil sibi in eo suffragari hæc Christi verba. Nec videri debeo nimis contẽtiosus quòd adeò vehemẽter in hoc insisto, Non licere Ecclesiæ condere vllam nouam doctrinam, hoc est,plus docere,& pro oraculo tradere,quàm quod Dominus verbo suo reuelauit. Vidẽt enim sani homines quantum sit periculum si hominibus semel concessum fuerit tantum iuris. Vident etiam quanta fenestra aperiatur impiorum sannis & cauillis , si dicamus id pro oraculo habendum esse inter Christianos quod homines censuerint. Adde,quòd pro tempore sui ratione loquens Christus, synedrio tribuit hoc nomen, vt postea discipuli sui sacros Ecclesiæ cõuentus reuereri discant.Ita fieret vt singulis vrbibus & pagis par esset in dogmatibus cudendis libertas.

16 Exempla quibus vtuntur,nihil eos iuuant. Aiunt pædobaptismum non tam ex aperto Scripturæ mandato,quàm ex Ecclesiæ decreto emanasse.At miserrimum asylum foret si pro defensione pædobaptismi ad nudam Ecclesiæ authoritatem suffugere cogeremur:verùm satis alibi patebit,longè secus esse.Similiter,quòd obiiciunt nusquam haberi in Scripturis quod in Synodo Nicena pronunciatum fuit, Filium esse consubstãtialem Patri:eo grauem faciunt Patribus iniuriam,quasi temere damnarint Arrium quòd in sua verba iurare noluerit,quum totam eam doctrinam profiteretur quæ Propheticis & Apostolicis scriptis est comprehẽsa. Non extat,fateor,hoc vocabulum in Scriptura:sed quum illic toties asseratur vnum esse Deum , rursum toties vocetur Christus verus & æternus Deus,vnus cum Patre:quid aliud faciunt Patres Niceni,quum declarant esse vnius essentiæ,nisi quòd natiuum Scripturæ sensum simpliciter enarrant? Atque hac præfatione in eorum cœtu vsum fuisse Constantinum refert Theodoritus, In disputationibus, inquit, Lib.1.cap.5 hist.Eccles. rerum diuinarum,habetur præscripta Spiritus sancti doctrina:Euangelici & Apostolici libri,cum Prophetarum oraculis,plenè nobis ostendunt sensum numinis. Proinde discordia posita,sumamus ex verbis Spiritus quæstionum explicationes. His sanctis monitionibus nemo tunc fuit qui refragaretur. Nemo excepit, Ecclesiam aliquid adiicere posse de suo:Spiritũ non omnia reuelasse Apostolis, vel saltem ad posteros non prodidisse, aut tale aliquid.Si verum est quod volunt nostri aduersarii, primùm perperam egit Constantinus,qui Ecclesiæ suam potestatẽ eripuit: deinde quòd nemo Episcoporum tum surrexit, vt eam contrà vindicaret, hoc silentium perfidia non carebat. sic enim erant proditores iuris Ecclesiastici. Sed quum Theodoritus referat libenter amplexos esse quod dicebat Imperator,constat nouum hoc dogma tunc fuisse omnino incognitum.

De Conciliis,eorúmque authoritate. CAP. IX.

NVNC vt omnia illis de Ecclesia concedam : pro sua tamen intentione ne sic quidem multum adhuc profecerint. Nam quicquid de Ecclesia dicitur, id mox ad Concilia transferunt, quum eorum opinione Ecclesiam repræsentent. Imò quòd tam pertinaciter contendunt de Ecclesiæ potestate, non alio consilio faciunt, nisi vt Romano Pontifici, & eius satellitio totum deferant quod extorserint. Antequam verò hanc quæstionem expedire incipiam, duo hîc mihi breuiter præfari necesse est. Quòd hîc rigidior sum futurus , non ideo esse quòd vetusta Concilia minoris faciam quàm decet. Veneror enim ea ex animo, suóque in honore apud omnes esse cupio . Sed hîc est aliquis modus : vt nihil scilicet Christo derogetur. Porrò hoc est Christi ius , vt Conciliis omnibus præsideat , nec socium habeat hominem in ista dignitate . Tunc autem demum præsidere dico , vbi totum concessum verbo & Spiritu suo moderatur . Deinde quòd minus Conciliis tribuo quàm aduersarii petunt, non ea causa facere quòd à Conciliis metuam , quasi illorum causæ suffragentur , nostræ verò sint contrariæ . Nam sicuti ad plenam doctrinæ nostræ approbationem , & potius Papismi euersionem abunde verbo Domini instructi sumus , vt nihil præterea

requirere magnopere opus sit: ita si res flagitet, magna ex parte quod satis sit ad vtrunque vetera Concilia nobis subministrant.

2 Iam de re ipsa loquamur. Si ex Scripturis quæ sit Conciliorum authoritas quæritur, nulla extat illustrior promissio quàm in hac Christi sententia, Vbi duo aut tres cõgregati in nomine meo fuerint, illic in medio eorum sum. Verùm id nihilominus in particularem quemuis cœtum competit quàm in Concilium vniuersale. Neque tamen in eo hæret quæstionis nodus: sed quòd addita est conditio, ita demum fore Christum in medio Concilii, si in suo nomine congregetur. Quare vt milies Episcoporum Concilia nominẽt aduersarii, parum promouebunt: nec antè efficient vt credamus quod contendunt, regi à Spiritu sancto, quàm fidem fecerint, congregari in Christi nomine. Siquidem tam possunt impii improbique Episcopi aduersus Christum conspirare, quàm boni & probi in eius nomine coire. Huius rei luculento nobis documẽto sunt plurima decreta quæ à talibus Cõciliis prodiere. Sed hoc postea videbitur. Nunc tantùm vno verbo respõdeo, Christũ nihil polliceri nisi iis qui in suo nomine congregantur. Quid ergo illud sit definiamus.

Mat. 18. c. 20

Deut. 4. a. 2 apoc. 22. d. 18

Nego in Christi nomine congregari eos qui abiecto Dei mandato, quo vetat quicquam addi verbo suo aut detrahi, proprio arbitrio quiduis statuunt: qui non contenti Scripturæ oraculis, hoc est vnica perfectæ sapientiæ regula, de suo capite nouum aliquid comminiscuntur. Certè quum non Conciliis quibuslibet se adfuturum promiserit Christus, sed peculiarem notam apposuerit qua vera & legitima ab aliis discerneret: nos hanc discretionẽ minimè negligere conuenit. Hoc est pactũ quod olim cum Leuiticis Sacerdotibus Deus pepigit: vt docerent ex ore suo. Hoc semper à Prophetis requisiuit: hãc quoque legem videmus Apostolis fuisse impositam. Qui hoc pactum violant, eos nec honore sacerdotii, nec vlla authoritate dignatur Deus. Hunc nodum mihi soluãt aduersarii, si velint fidem meam hominum placitis citra Dei verbum mancipare.

Malac. 2. b. 7

3 Nam quòd in Ecclesia remanere veritatem non putant nisi inter Pastores cõstet, nec Ecclesiam ipsam consistere nisi in Conciliis generalibus emineat: multum abest quin id verum semper fuerit, si vera de suis temporibus testimonia nobis reliquerunt Prophetæ. Erat Iesaiæ tempore Ecclesia Hierosolymis, quam Deus nondum deseruerat. De Pastoribus verò sic loquitur, Speculatores eius cæci omnes, neque quicquam nouerunt. Omnes canes muti, nec valent latrare. Iacentes dormiunt, & amant dormitionem: & Pastores ipsi nihil sciunt nec intelligunt: & in vniuersum respiciunt ad vias suas. In eundem modum Oseas, Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei. Vbi ironicè eos Deo coniungens, euanidum sacerdotii prætextum esse docet. Durabat quoque Ecclesia ad tempus Ieremiæ. Audiamus quid de Pastoribus dicat, A Propheta vsque ad Sacerdotem quisque sectatur mendacium. Item, Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo: quum ego nõ miserim eos, neque præceperim eis. Ac ne prolixi nimium in recitandis eius verbis simus, legantur quæ toto vicesimotertio capite & quadragesimo scripsit. Tunc ex altera parte nihilo mitius in eosdem inuehebatur Ezechiel. Coniuratio (inquit) Prophetarum in medio eius sicut leo rugiens & qui rapit prædam. Sacerdotes eius violauerunt Legem meam, & profanauerunt sancta mea: nec discrimen fecerunt inter sanctum & profanum. & cætera quæ subiungit in eum sensum. Similes querimoniæ passim extant in Prophetis: vt nihil illic frequentius recurrat.

Ioel. 9. b. 8

Iere. 6. c. 13

Idem 14. c. 14

Ezech. 22. c. 25

4 Sedenim id fortè inter Iudæos valuerit: nostrum verò seculum à tanto malo immune est. Vtinam quidem esset: verùm aliter fore Spiritus sanctus denuntiauit. clara enim sunt Petri verba, Quemadmodum (inquit) fuerunt in populo veteri pseudoprophetæ: sic & inter vos erunt falsi doctores, sectas perditionis insinuantes. Vidén' vt non à plebeiis imminere periculum prædicat, sed ab iis qui Doctorum & Pastorum titulo se venditabunt? Præterea quoties à Christo & eius Apostolis est prædictum vt à Pastoribus summa Ecclesiæ pericula impenderent? Imò palàm ostendit Paulus, non alibi sessurum Antichristum quàm in templo Dei. Quo significat, non aliunde venturam horrendam illam calamitatem, de qua ibi loquitur, nisi ab iis qui pro Pastoribus in Ecclesia sedebunt. Et alibi, tanti mali exordia iam propè instare demonstrat. Nam dum Ephesinos Episcopos alloquitur, Scio (inquit) quòd post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis erunt qui loquantur peruersa, vt abducant discipulos post se. Quantum inter Pastores afferre corruptionis potuit longa annorum series, quum tantulo temporis spatio degenerare sic potuerint? Ac ne enumerando multum chartarum impleam:

2. Pet. 2. a. 1

Mat. 24. a. 11, & b. 24.

2. The. 2. a. 4

Act. 20. f. 29

impleam:omnium ferè ſeculorum exemplis monemur,nec veritatem ſemper in ſinu Paſtorum ali, nec Eccleſiæ incolumitatem ab eorum ſtatu pendêre. Decebat quidem illos Eccleſiaſticæ pacis ac ſalutis,cui conſeruandę deſtinati ſunt, præſides eſſe ac cuſtodes:ſed aliud eſt,præſtare quod debeas:aliud,debere quod non præſtes.

5 Neque tamẽ noſtra iſta verba in eam partem quis accipiat quaſi Paſtorum authoritatem paſſim ac temere,nullóque delectu labefactare velim. Tantùm inter eos ipſos delectum habendum eſſe moneo,ne qui dicuntur,eſſe quoque Paſtores continuò exiſtimemus. At Papa cum toto Epiſcoporum ſuorum grege, non alia ratione niſi quia Paſtores nuncupantur,excuſſa verbi Dei obedientia,voluunt omnia,verſántque pro libidine: interim perſuadere contendunt,ſeſe luce veritatis deſtitui nõ poſſe: Spiritum Dei perpetuò in ſe reſidere:Eccleſiam in ſe ſubſiſtere,& ſecum emori. Quaſi verò iam nulla ſint Domini iudicia: vt eodem pœnæ genere in mundum hodie animaduertat quo populi veteris ingratitudinem aliquando vltus eſt:nempe vtPaſtores percutiat cæcitate & ſtupore.Nec intelligunt ſtolidiſſimi homines, eandem ſe canere cantilenam quam canebant olim illi qui cum verbo Dei belligerabantur. Sic enim ſeſe contra veritatem inſtruebant hoſtes Ieremiæ, Venite,& cogitabimus contra Ieremiam cogitationes:quandoquidem non peribit lex à Sacerdote,nec conſilium à ſapiente,nec verbum à Propheta. Zach.12.b.4 Iere.18.c.18

6 Hinc facile eſt reſpondere ad illud alterum de Conciliis generalibus. Quin Iudæi veram Eccleſiam ſub Prophetis habuerint,negari non poteſt. Quòd ſi generale Conciliũ tunc ex Sacerdotibus coactum fuiſſet, qualis apparuiſſet Eccleſiæ facies? Audimus quid Deus non vni aut alteri eorum,ſed ordini vniuerſo denuntiet,Obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ terrebuntur.Item,Lex peribit à Sacerdote,& conſilium à Senioribus. Item, Nox vobis pro viſione erit,& tenebræ pro diuinatione:& occumbet ſol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies,&c. Age,ſi coacti in vnum tunc fuiſſent omnes eiuſmodi,quis ſpiritus in eorum cœtu præfuiſſet? Eius rei inſigne ſpecimen habemus in eo Concilio quod conuocauit Achab.Aderant quadringenti Prophetæ.Sed quia non alio animo conuenerant niſi vt Regi impio adularentur: mittitur à Domino Satan, qui ſit ſpiritus mendax in ore omnium. Illic omnium ſuffragiis damnatur veritas: Micha pro hæretico damnatur,percutitur,coniicitur in carcerem.Sic Ieremiæ factum eſt:ſic aliis Prophetis. Ierem.4.c.9 Eze.7.g.26 Mich.3.b.6 1.Reg.22.a.5,& d.22

7 Sed vnum exemplum, quod eſt præ aliis memorabile,pro omnibus ſufficiat.In eo Concilio quod collegerunt Pontifices & Phariſæi Hieroſolymis aduerſus Chriſtum,quid deſideres quod quidem ad externam ſpeciem attinet? Niſi enim tunc fuiſſet Hieroſolymis Eccleſia, nunquam ſacrificiis aliiſque ceremoniis communicaſſet Chriſtus. Fit ſolennis conuocatio: præibat ſummus Pontifex: totus ordo Sacerdotalis aſſidebat: damnatur tamen illic Chriſtus,& eius doctrina è medio profligatur. Hoc facinus documento eſt, incluſam minimè fuiſſe in illo Concilio Eccleſiam. At non eſt periculum nequid tale nobis eueniat. Quis nobis fidem fecit? Nam in re tanta nimis ſecuros eſſe, ſocordiæ culpa non caret. Quin vbi diſertis verbis vaticinatur Spiritus per os Pauli, venturam defectionem(quæ venire non poteſt quin Paſtores Deum primi derelinquant)quid ſponte hîc in exitium noſtrum cæcutimus? Quare nullo modo concedendum eſt, Eccleſiam in Paſtorum cœtu conſiſtere, quos Dominus nuſquam recepit bonos perpetuò fore, malos autem interdum fore pronuntiauit. Vbi autem de periculo admonet, ideo facit vt nos cautiores reddat. Iohã.11. f.49 2.Theſ.2.a.3

8 Quid ergo? inquies, nullane erit in definiendo Conciliorum authoritas? Imò verò.neque enim hîc omnia Concilia damnanda, aut omnium acta reſcindenda, & (quod dicitur) vna litura eſſe inducenda diſputo. At cogis tamen (inquies) omnia in ordinem: vt cuilibet in medio poſitum ſit recipere vel repudiare quod ſtatuerint Concilia. Minimè verò. ſedenim quoties Concilii alicuius decretum profertur, expendi primùm diligenter velim quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipſum de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari: idque in eum modum vt Concilii definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar prælo iudicii: neque tamen examen, quod dixi, impediat. Vtinam eum omnes modum ſeruarent quem præſcribit Auguſtinus libro aduerſus Maximinum tertio. Nam quum hunc hæreticum de Synodorum decretis litigãtem breuiter vult compeſcere,Nec ego (inquit) Nicenam Synodum tibi,nec tu mihi Ariminenſem debes tanquam præiudicaturus obiicere.Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, nõ

quorunque propriis,ſed quæ vtriſque ſunt communes, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certet. Sic fieret vt Conciliis ſua eſſet quæ eſſe debet maieſtas: interim tamen ſuperiore loco emineret Scriptura,nequid eſſet quod non illius regulæ ſubiiceretur.Sic priſcas illas Synodos, vt Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem ac ſimiles,quæ confutandis erroribus habitæ ſunt, libenter amplectimur,reuerem úrque vt ſacroſanctas,quantum attinet ad fidei dogmata.nihil enim continent quàm puram & natiuam Scripturæ interpretationem, quam ſancti Patres ſpirituali prudentia,ad frangendos religionis hoſtes qui tunc emerſerant, accommodarunt. In poſterioribus quoque nonnullis videmus elucere verum pietatis ſtudium, notas adhæc ingenii,doctrinæ,prudentiæ non obſcuras.Sed quemadmodum ſolent res in deterius ferè prolabi,ex recentioribus Conciliis videre eſt quantum ſubinde Eccleſia à puritate illius aurei ſeculi degenerauerit.Nec dubito quin iſtis quoque corruptioribus ſeculis habuerint Concilia ſuos melioris notæ Epiſcopos. Sed in his accidit quod in Romanis ſenatuſconſultis non rectè fieri olim conquerebantur ipſi Senatores.Dum enim numerantur,non appenduntur ſententiæ,meliorem partem à maiore vinci ſæpius neceſſe fuit.Certè multas impias ſententias protulerunt.Neque hic opus eſt ſpecies colligere: vel quòd nimis longum foret, vel quòd hoc alii fecerunt diligentius quàm vt multum addere liceat.

9 Porrò quid Concilia cum Conciliis pugnantia recenſeam? Nec eſt quòd mihi quiſpiam obmurmuret,ex his quę pugnant,alterutrum non eſſe legitimum. Vnde enim id æſtimabimus? Nempe ex eo,niſi fallor,quòd ex Scripturis iudicabimus, nõ eſſe orthodoxa illius decreta.Hæc enim vna eſt certa lex diſcretionis. Iam nongenti circiter anni ſunt quum Synodus Conſtantinopolitana ſub Leone Imperatore congregata, ſubuertendas & confringendas imagines in templis collocatas,cenſuit.Paulo pòſt Concilium Nicenum,quod in eius inuidiam Irene coegit,reſtituendas decreuit. Vtrum ex duobus agnoſcemus pro legitimo? Vulgò obtinuit hoc poſterius, quod in tẽplis locum imaginibus dedit. At Auguſtinus id fieri poſſe negat ſine præſentiſſimo idololatrię periculo.Epiphanius ætate ſuperior aſperius multo loquitur.nefas enim & abominationẽ eſſe tradit, aſpici in templo Chriſtianorum,imagines.Qui ſic loquuntur, an approbarent Concilii illud ſi hodie eſſent ſuperſtites? Quòd ſi & vera narrant Hiſtorici, & actis ipſis creditur, non imagines tantùm ipſæ,ſed earum cultus illic receptus fuit. Tale verò placitũ palàm eſt à Satana manaſſe. Quid quòd totam Scripturam deprauando & lacerando, ludibrio eam ſibi fuiſſe demonſtrant? Quod ego ſuperius abundè planum feci. Quicquid ſit, non aliter diſcernere inter contrarias & diſſentientes Synodos, quæ multæ fuerunt, poterimus,niſi omnes illa quam dixi omnium hominũ & Angelorum ſtatera,id eſt verbo Domini examinemus.Sic Chalcedonenſem amplectimur,repudiata Epheſina ſecũda,quòd in hac Eutychiana impietas cõfirmata fuit,quam illa altera damnauit. Eius rei iudicium nonniſi ex Scripturis fecerunt ſancti viri,quos ſic in iudicando ſequimur vt Dei verbũ, quod illis præluxit,nobis nunc quoque præluceat.Eant nunc Romanẽſes, & affixum alligatúmque ſuis Conciliis Spiritum ſanctum pro more iactent.

10 Quanquam in illis quoque antiquis & purioribus eſt quod iure deſyderes, vel quòd eruditi alioqui & prudentes viri qui tũ aderant,præſentibus negotiis diſtricti,multa alia non proſpiciebant:vel quòd grauioribus & magis ſeriis occupatos, nõnulla leuioris momenti ſubterfugiebant:vel quòd ſimpliciter, vt homines, imperitia falli poterant: vel quòd nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur. Huius poſtremi (quod omnium duriſſimum videtur)exemplum illuſtre extitit in Nicena Synodo:cuius dignitas omnium conſenſu ſumma veneratione, vt merebatur,excepta eſt.Nam quũ primarium fidei noſtræ caput illic periclitaretur,adeſſet hoſtis Arrius in procinctu, quocum manus conſerendæ eſſent,ſummum verò momentum in eorum concordia eſſet qui ad oppugnandum Arrii errorem parati venerant:ipſi nihilominus tantorum diſcriminũ ſecuri, imò velut grauitatis,modeſtiæ, & omnis humanitatis obliti, omiſſo quod in manibus erat certamine,(quaſi ex deſtinato,Arrio gratificaturi,eò conceſſiſſent) inteſtinis diſſidiis ſeſe proſcindere cœperunt: ſtylum qui in Arrium ſtringendus erat, in ſeipſos dirigere. Fœdæ criminationes audiebantur: libelli accuſatorii volitabant: nec contentionum finis vllus factus eſſet donec mutuis vulneribus ſe confodiſſent, niſi Imperator Conſtantinus occurriſſet, qui inquiſitionem in eorum vitam, rem eſſe ſupra ſuam cognitionem profeſſus,

professus, talem intemperiem laude magis quàm obiurgatione castigauit. Quàm multis partibus & alia quæ deinde sequuta sunt Concilia lapsa fuisse verisimile est? Nec lõga demonstratione opus hæc res habet. si quis enim acta perlegat, multas illic infirmitates animaduertet: nequid dicam grauius.

11 Et Leo Romanus Pontifex non dubitat Synodo Chalcedonẽsi, quam in dogmatibus orthodoxam fatetur, ambitionem & incõsultam temeritatem obiicere. Legitimam quidem esse nõ negat: sed errare potuisse palàm asserit. Ineptus fortè alicui videar qui de commonstrandis huiusmodi erroribus laborem: quum fateantur aduersarii, errare Concilia posse in iis quæ ad salutem non sunt necessaria. Sed neque superuacuus est hic labor. Tametsi enim coacti, verbo quidem id fatentur: quum tamen omnium Cõciliorum determinationem, in re qualibet, nullo discrimine, pro Spiritus sancti oraculo nobis obtrudant, plus exigunt quàm initio sumpserant. Quid sic agendo cõtendunt, nisi errare non posse Concilia: aut si errant, nefas esse tamen verum cernere, aut non assentari erroribus? Neque aliud intẽdo, quàm inde posse colligi, Spiritum sanctum sic pias alioqui & sanctas Synodos gubernasse, vt interim aliquid eis humanitus accidere sineret, ne nimium hominibus confideremus. Hęc multò melior est sententia, quàm illa Gregorii Naziãzeni, Nullius vnquam Cõcilii se vidisse bonum finem. Nam qui asserit omnia sine exceptione malè desiisse, non multũ authoritatis illis relinquit. De prouincialibus Conciliis mentionem seorsum facere, nihil iam necesse est: quando ex generalibus æstimare prõptum est quantum authoritatis ad condendos fidei articulos, & quodcunque visum fuerit doctrinæ genus recipiendum habeant.

12 At nostri Romanenses, vbi in causæ suæ defensione omnia rationis præsidia labascere sibi vident, ad extremum illud miserúmque suffugium concedunt, Etiamsi mẽte & consilio stupidi ipsi sint, animo verò & voluntate nequissimi: manere tamen verbum Domini, quod Præpositis obedire iubet. Itáne verò? quid si Præpositos esse negem qui tales sunt? Nõ enim plus sibi arrogare debẽt quàm habuerit Iosue, qui & Propheta Domini fuit, & eximius pastor. Audiamus autem quibus verbis inauguretur in suum munus à Domino: Non recedat, inquit, volumen Legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Neque ad dexteram neque ad siniſtram declinabis: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Illi igitur spirituales nobis erunt Prẹfecti qui à Lege Domini neque huc neque illuc deflectent. Quòd si nulla hæsitatione accipienda est quorumuis Pastorum doctrina, quorsũ attinebat toties támq; solicitè Domini voce nos admoneri, ne pseudoprophetarũ sermoni auscultemus? Nolite (inquit per Ieremiam) audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis. Vanitatem enim vos docent, & non ex ore Domini. Item, Cauete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Frustra & Iohannes nos hortaretur vt probemus spiritus nunquid ex Deo sint. Cui iudicio ne Angeli quidem eximuntur, nedũ Satan cum suis mendaciis. Quid autem istud, Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadẽt? ánnon satis declarat multũ interesse quales Pastores audiantur, nec temerè omnes audiendos? Quare non est quòd suis nos tutulis absterreãt, quo in participationem trahant suæ cæcitatis: quũ videamus contrà, singularem Domino curam fuisse absterrẽdi, ne alieno errore duci nos pateremur, sub quacunque nominis larua lateat. Nam si verum est Christi respõsum, cæci quique duces, siue Antistites, siue Præsules, siue Pontifices dicantur, nihil possunt quàm suos consortes in idem rapere præcipitium. Quare nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporũ nomina (quæ tam falsò obtendi quàm verè vsurpari possunt) nos impediant quominus & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus num ex Deo sint.

Iosue 1.b. 7.8.

Ier.23.d.16

Mat.7.b.15

1.Iohã.4.a.1.

Mat.15.b.10

13 Quoniam probauimus non esse datam Ecclesiæ potestatem erigendæ nouæ doctrinæ, dicamus nunc de potestate quam illi tribuunt in Scripturæ interpretatione. Nos certè libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disceptatio, nullum esse nec melius nec certius remedium, quàm si verorum Episcoporum synodus conueniat, vbi controuersum dogma excutiatur. Multo enim plus põderis habebit eiusmodi definitio in quam communiter Ecclesiarum Pastores, inuocato Christi Spiritu, consenserint, quàm si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines priuatim eam confficerent. Deinde vbi collecti in vnum sunt Episcopi, commodius in commune deliberant quid sibi & qua forma docendum sit, ne diuersitas offendiculum pariat. Tertiò,

hanc rationem præscribit Paulus in diiudicandis doctrinis. Nam quum singulis Ecclesiis attribuat diiudicationem, ostendit quis in grauioribus causis sit ordo agendi: nempe vt Ecclesiæ inter se communem cognitionem suscipiant. Atque ita nos ipse pietatis sensus instituit, vt siquis turbet Ecclesiam dogmate inusitato, atque eò res perueniat vt sit periculum à grauiore dissidio, conueniant primùm Ecclesiæ: quæstionem propositam examinent: demum, iusta discussione habita, definitionem ex Scriptura sumptam proferant, quæ & dubitationē in plebe tollat, & os obstruat improbis & cupidis hominibus, ne pergere amplius audeant. Sic exorto Arrio coacta est Nicena Synodus, quæ sua authoritate & sceleratos impii hominis conatus fregit, & pacem restituit Ecclesiis quas vexauerat, & æternam Christi diuinitatem contra sacrilegum eius dogma asseruit. Quum deinde nouas turbas mouerent Eunomius & Macedonius, simili remedio eorum insanię occursum est per Constātinopolitanam Synodum. Ephesino Cōcilio profligata est Nestorii impietas. Hæc denique ab initio fuit ordinaria in Ecclesia, ratio conseruandæ vnitatis, quoties Satan aliquid machinari cœperat. Sed meminerimus, non omnibus seculis vel locis haberi Athanasios, Basilios, Cyrillos, & similes veræ doctrinæ vindices, quos tunc Dominus excitauit. Imò cogitemus quid Ephesi secunda Synodo acciderit, vbi Eutychiana hæresis obtinuit: sanctæ memoriæ vir Flauianus, in exilium eiectus cum aliquot piis viris: multa eiusmodi flagitia designata. nempe quia illic Dioscorus, homo factiosus & pessimi animi, non autem Spiritus Domini præsidebat. At nō erat illic Ecclesia. Fateor. Sic enim omnino statuo, Non ideo interire in Ecclesia veritatem, etiamsi ab vno Concilio opprimatur: sed mirabiliter à Domino seruari, vt iterum suo tempore emergat & superet. Hoc autem perpetuum esse nego, vt vera sit & certa Scripturæ interpretatio quæ Concilii suffragiis fuerit recepta.

1.Cor.14.f. 29.

14 Verùm aliò spectant Romanenses, quum potestatem interpretandi Scripturam penes Concilia esse tradunt, & eam sine prouocatione. Hoc enim colore abutuntur, vt Scripturæ interpretationem vocent quicquid in Cōciliis statuum sit. De purgatorio, de Sanctorum intercessione, de confessione auriculari, & similibus, non reperietur vna syllaba in Scripturis. Verùm quia Ecclesiæ authoritate sancita sunt hæc omnia, hoc est (vt verius loquamur) opinione & vsu recepta: pro Scripturæ interpretatione vnumquodque habendum erit. Neque id modò: sed siquid reclamante Scriptura statuerit Concilium, interpretationis habebit nomen. Iubet Christus omnes de calice quem in Cœna porrigit, bibere: Constantiense Concilium vetuit ne plebi daretur, sed solum Sacerdotem bibere voluit. Quod sic ex diametro pugnat cum institutione Christi, pro eius interpretatione haberi volunt. Paulus coniugii prohibitionem vocat hypocrisin dæmoniorum: Sanctum verò in omnibus coniugium & honorabile Spiritus alibi pronuntiat. Quòd postea Sacerdotibus interdixerunt coniugium, id veram & natiuam Scripturæ interpretationem haberi postulant: quum nihil magis alienum fingi queat. Siquis hiscere contrà ausit, hæreticus iudicabitur: quando sine prouocatione est Ecclesiæ determinatio: & de eius interpretatione, quin vera sit, dubitari nefas est. Tantam impudentiam quid insecter? demonstrasse enim, vicisse est. Quod de potestate approbandæ Scripturæ docent, prudens omitto. Subiicere enim in eum modum Dei oracula hominum censuræ, vt ideo rata sint quia placuerint hominibus, blasphemia indigna est quæ commemoretur: & ego iam superius hoc ipsum attigi. Vnum tamen eos rogabo, Si in Ecclesiæ approbatione fundata est Scripturæ authoritas, cuius Concilii citabunt de ea re decretum? Nullum, opinor, habent. Cur igitur Niceæ vinci se patiebatur Arrius testimoniis ex Iohannis Euangelio adductis? Erat enim, secundum istos, liberum repudiare: quando nulla vniuersalis Concilii præcesserat approbatio. Allegant veterem catalogum, qui Canon vocatur: quem dicunt ex Ecclesiæ diiudicatione manasse. Sed rogo iterum, quo in Concilio Canon ille editus fuerit. Hîc obmutescant oportet. Quanquam scire præterea cupio, qualem esse illum Canonem arbitrantur. Video enim inter veteres id parum constitisse. Et si valere debet quod ait Hieronymus, libri Machabæorum, Tobias, Ecclesiasticus, & similes in ordinem apocryphorum reiicientur: quod isti nullo modo facere sustinent.

Mat 26.c.26

1. Tim.4 a.1 Heb.13.a.4

De

De potestate in legibus ferendis, in qua sæuissimam tyrannidem in animas & carnificinam exercuit Papa cum suis.

CAP. X.

SEQVITVR pars secunda, quam in legibus ferendis sitam esse volunt: ex qua scaturigine ortæ sunt innumeræ traditiones humanæ, totidem ad strangulandas miseras animas laquei. Neque enim maior illis religio fuit quàm Scribis & Pharisæis, imponere aliorum humeris onera quæ digito noluissent attingere. Alibi docui quàm crudelis sit carnificina quod de auriculari confessione præcipiunt. In aliis legibus tanta violentia non apparet: sed quæ videntur omnium maximè tolerabiles tyrannicè conscientias premunt. Taceo quòd adulterant cultum Dei, & Deum ipsum, qui vnicus est Legislator, suo iure spoliant. Hæc potestas tractanda nunc est, an Ecclesiæ liceat conscientias obstringere suis legibus. In qua disputatione non attingitur ordo politicus, sed tantùm hoc agitur vt rite colatur Deus secundum præscriptam à se regulam: & spiritualis libertas, quæ Deum respicit, salua nobis maneat. Vsus obtinuit vt traditiones humanæ vocentur quæcunque de cultu Dei præter eius verbum profecta sunt ab hominibus edicta. Contra has nobis est certamen, non contra sanctas & vtiles Ecclesiæ constitutiones, quæ vel ad disciplinam vel honestatem vel pacem conseruandam faciunt. Finis autem certandi, vt coerceatur immensum & barbarum imperium, quod sibi vsurpant in animas qui Pastores Ecclesiæ haberi volunt, re autem vera sæuissimi sunt carnifices. Quas enim leges condunt, spirituales esse aiunt, ad animam pertinentes, & eas ad vitam æternam necessarias affirmant. Sic autem regnum Christi, vt nuper attigi, inuaditur: sic libertas, ab ipso fidelium conscientiis data, opprimitur penitus ac disiicitur. Taceo nunc quanta impietate legum suarum obseruationem sanciant, dum ex ipsa & peccatorum remissionem, & iustitiam, & salutem quærere docent, dum totam religionis & pietatis summam in ipsa statuunt. Hoc vnum contendo, necessitatem impo ni conscientiis non debere in quibus rebus à Christo liberãtur, nec nisi liberatæ, vt antea docuimus, quiescere apud Deum possunt. Vnicum Regem agnoscant, suum liberatorem Christum: & vna libertatis lege. nempe sacro Euãgelii verbo regantur oportet, si gratiam quam in Christo semel obtinuerunt, retinere volunt: nulla seruitute teneãtur, nullis vinculis astringantur. Mat.13.24.

2 Fingunt quidem Solones isti, suas constitutiones leges esse libertatis, suaue iugum, onus leue: sed mera esse mendacia quis non videat? Nullam ipsi quidem legum suarum grauitatem sentiunt, qui abiecto Dei timore tam suas quàm diuinas leges securè ac strenuè negligunt. Qui verò aliqua salutis suæ cura tanguntur, plurimum abest quin se liberos existimẽt quandiu his laqueis implicantur. Videmus quanta cautione versatus sit in hac parte Paulus, vt ne vna quidem in re laqueũ iniicere ausus fuerit. neque id nulla causa. prospiciebat certè quantum vulnus infligeretur conscientiis, si earum rerum necessitas illis imponeretur quarum relicta esset à Domino libertas. Cõtrà numerari vix possunt constitutiones quas isti grauissimè æternæ mortis denuntiatione sanxerunt, quas seuerissimè exigunt tanquam ad salutem necessarias. Et in his permultæ sunt obseruatu difficillimæ: omnes verò (si in turbam suam congerantur) impossibiles: tantus est aceruus. Quî ergo fieri poterit vt non extrema anxietate & terrore perplexi vrantur quibus tanta difficultatis moles incumbit? Huius generis ergo constitutiones hîc impugnare animus est: quæ in hoc feruntur vt animas intus coram Deo ligent, & religionem iniiciant, acsi de rebus ad salutem necessariis præciperent. 1.Cor.7.f.35

3 Hæc quæstio plerosque ideo impedit quòd inter externum (vt vacant) & cõscientiæ forum non satis subtiliter discernunt. Præterea difficultatem auget quòd Paulus obediendum esse Magistratui præcipit, non pœnæ solùm metu, sed propter conscientiam. Vnde sequitur, politicis quoque legibus obstringi conscientias. Quòd si ita esset, caderet quicquid proximo capite diximus, ac iam dicturi sumus de spirituali regimine. Vt hic nodus soluatur, primò operæpretium est tenere quid sit conscientia. Ac definitio quidem ex etymo vocis petenda est. nam sicuti quum mente intelligentiáque homines apprehendunt rerum notitiam, ex eo dicuntur scire, vnde & scientiæ nomen ducitur: ita quum sensum habent diuini iudicii quasi sibi adiunctum testem, qui sua peccata eos occultare non sinit quin ad iudicis tribunal rei pertrahantur, sensus ille vocatur conscientia. Est enim quiddam inter Deum & hominem medium: quia hominem non patitur in seipso supprimere quod nouit, sed eousque persequitur donec ad reatum Rom.13.a.1

Rom.2.c.15 adducat.Hoc eſt quod intelligit Paulus,quum tradit conſcientiam ſimul atteſtari hominibus,vbi cogitationes eos accuſant vel abſoluunt in iudicio Dei. Simplex notitia in hominibus reſidere poſſet veluti incluſa.Ergo ſenſus hic qui hominẽ ſiſtit ad Dei iudicium, eſt quaſi appoſitus homini cuſtos, qui omnia eius arcana obſeruet ac ſpeculetur, nequid in tenebris ſepultum maneat.Vnde & vetus illud prouerbiũ,Conſcientia mille teſtes.Eadem ratione & Petrus bonæ erga Deum conſcientię interrogationẽ poſuit pro tranquillitate animi,quum perſuaſi de Chriſti gratia, nos intrepidè coram Deo offerimus. Et au-

1.Pet.3.d.21

Heb.10.a.2 thor epiſtolæ ad Hebræos, non habere amplius cõſcientiam peccati, pro liberatos vel abſolutos eſſe,vt peccatum non amplius nos arguat.

4 Itaque ſicut opera reſpectum ad homines habent, ita conſcientia ad Deum refertur : vt conſcientia bona nihil aliud ſit quàm interior cordis integritas. In quem ſenſum

1.Tim.1.a.5 Paulus ſcribit, complementum Legis eſſe charitatem , ex pura conſcientia & fide non ficta.Poſtea etiam eodem capite quantum ab intelligẽtia differat,oſtẽdit,dicens quoſdam à fide naufragium feciſſe , quia bonam conſcientiam dereliquerant . His enim verbis viuum eſſe colẽdi Dei affectum, ſincerúmque piè & ſanctè viuendi ſtudium indicat. Inter-

Act. 24.d.16 dum quidem ad homines quoque extenditur,vt quum teſtatur apud Lucã idem Paulus, ſe operam dediſſe vt bona conſciẽtia ambularet erga Deum & homines. Sed hoc ideo dictum eſt quòd bonæ conſcientiæ fructus ad homines vſque manant ac perueniunt. Propriè autem loquendo,ſolum Deum reſpicit,vt iam dixi.Hinc fit vt obſtringere conſcientiam lex dicatur quæ ſimpliciter hominem ligat , ſine hominum intuitu, vel non habita eorum ratione. Exempli gratia, Non modò caſtum ſeruare animum purúmque ab omni libidine Deus præcipit , ſed quamlibet verborum obſcœnitatem & externam laſciuiam prohibet.Huius legis obſeruationi,etiamſi nullus in mũdo homo viueret,cõſcientia mea ſubiicitur.Ita ſe intemperanter gerit,non eo tãtùm peccat quòd malum exemplum præ-

1.Cor.10.f. 28. bet fratribus:ſed conſcientiam reatu obſtrictam habet apud Deũ.Alia in rebus per ſe mediis eſt ratio. Abſtinere enim debemus ſiquod pariant offendiculum:ſed libera cõſciẽtia. Ita de carne idolis conſecrata Paulus loquitur, Siquis iniiciat ſcrupulum (inquit) noli attingere, propter conſcientiam.dico autem conſciẽtiam,non tuam, ſed alterius. Peccaret homo fidelis,qui prius admonitus, eiuſmodi carnem nihilominus ederet. Sed vtcunque fratris reſpectu neceſſaria illi ſit abſtinentia vt à Deo præſcribitur, non tamen conſcientiæ libertatem retinere deſinit. Videmus vt lex iſta externum opus ligans , conſcientiam ſolutam relinquat.

5 Nunc ad humanas leges redeamus. Si in hũc finem latæ ſint vt religionem nobis iniiciant, quaſi per ſe neceſſaria ſit earum obſeruatio, dicimus conſcientiæ imponi quod fas non erat.Neque enim cum hominibus,ſed cum vno Deo negotiũ eſt conſcientiis noſtris.Quò pertinet illud vulgare diſcrimen,inter terrenum & conſcientiæ forum. Quum totus orbis denſiſſima ignorantiæ caligine obuolutus eſſet , hæc tamen exigua lucis ſcintilla reſidua manſit , vt humanis omnibus iudiciis ſuperiorem eſſe hominis cõſcientiam agnoſcerent. Quanquam quod vno verbo fatebantur,poſtea reipſa labefactabant: voluit tamen Deus teſtimonium aliquod Chriſtianæ libertatis tunc quoque extare quod ab hominum tyrannide conſcientias eximeret.Sed nondum expedita eſt illa difficultas quę ex Pauli verbis naſcitur.Nam ſi principibus obediendum eſt non pœnæ tantùm,ſed cõſcientiæ cauſa,inde cõſequi videtur, in conſcientiam quoque dominari principũ leges. Quod ſi verum eſt,idem & de Eccleſiaſticis dicendum erit.Reſpondeo,primùm inter genus & ſpeciem hîc eſſe diſtinguendum.Nam etſi leges ſingulæ conſcientiam non attingant,generali tamen præcepto Dei tenemur,quod magiſtratuum authoritatem nobis commen-

Rom.13.a.1 dat.Atque in hoc cardine verſatur Pauli diſputatio,Magiſtratus,quoniam à Deo ſint ordinati , honore proſequendos eſſe. Interea minimè docet , quæ ab illis ſcribuntur leges, ad interiorem animæ gubernationem pertinere : quum vbique & Dei cultum , & ſpiritualem iuſtè viuendi regulam ſupra quælibet hominum placita extollat. Alterum quoque notatu dignum eſt (quod tamen ex ſuperioribus pendet) leges humanas , ſiue à magiſtratu,ſiue ab Eccleſia ferantur,tametſi ſint obſeruatu neceſſariæ (de probis & iuſtis loquor) ideo tamen non ligare per ſe conſcientiam , quia tota obſeruandi neceſſitas ad generalem finem reſpicit , non autem conſiſtit in rebus præceptis. Ab hoc ordine procul diſtant quæ & nouam formam præſcribunt colendi Dei,& neceſſitatem conſtituunt in rebus liberis.

6 Tales

6 Tales autem sunt quæ hodie vocantur Ecclesiasticæ cõstitutiones in Papatu, quæ pro vero ac necessario Dei cultu ingeruntur. Atque vt sunt innumeræ, ita infinita sunt ad captandas illaqueandásque animas vincula. Etsi autem in Legis expositione nonnihil attigimus: quia tamen iustæ tractationi hîc opportunior erat locus, nunc studebo totam summam quo potero optimo ordine colligere. Et quia de tyrannide quam sibi in licentia docendi quicquid libuerit arrogant pseudoepiscopi, nuper differuimus quantum satis esse videbatur, totam illam partem omittam: in explicanda tantùm quam se habere dicunt legum ferendarum potestate, hîc immorabor. Hoc igitur prætextu pseudoepiscopi nostri conscientias nouis legibus onerant, quòd sint spirituales legislatores à Domino constituti, ex quo illis commissa est Ecclesiæ gubernatio. Itaque quicquid iubent ac prę-scribunt, id necessariò obseruandum esse contendunt à populo Christiano: qui violauerit, eum duplicis inobedientiæ reum esse, quòd Deo & Ecclesiæ sit rebellis. Sanè si veri episcopi essent, aliquid eis in hac parte authoritatis tribuerem, non quantum sibi postulant, sed quantum ad politiam Ecclesiæ rite ordinandam requiritur. nũc quum nihil minus sint quàm quod haberi volunt, non possunt tantillum sibi sumere quin modum excedant. Sed quia hoc quoque alibi visum est, demus eis in præsentia, quicquid potestatis habent veri Episcopi, id iure in eos competere. Nego tamen, propterea legislatores esse fidelibus impositos, qui præscribere à seipsis possint viuendi regulã, vel ad sua placita plebem sibi commissam adigere. Quum hoc dico, intelligo ipsis minimè licere, quod ipsi à se absque Dei verbo excogitauerint, Ecclesiæ obseruandum pro necessario mandare. Id ius quum & Apostolis fuerit incognitum, & toties Ecclesiæ ministris ore Domini ademptũ: miror quinam præter Apostolorum exẽplum, & contra manifestam Dei prohibitionem arripere ausi fuerint, & hodie defendere audeant.

7 Quod ad perfectam bene viuendi regulam pertinebat, id totum sic complexus est Dominus Lege sua, vt nihil hominibus reliquerit quod ad summam illam adderent. Idque eo affecit primùm, vt, quia tota viuendi rectitudo in hoc sita est, si omnia nostra opera ad eius voluntatem (tanquam ad normam exigantur) vnicus vitæ magister ac director à nobis haberetur: deinde vt testatum faceret, se à nobis nihil magis requirere quàm obedientiam. Hac ratione Iacobus, Qui iudicat fratrem, inquit, iudicat Legem. qui Legem iudicat, non est obseruator Legis, sed iudex. Vnus autem Legislator, qui potest seruare & perdere. Audimus, Deum hoc sibi vni velut proprium asserere, vt verbi sui imperio ac legibus nos regat. Atque idipsum antè ab Iesaia dictum fuerat, quanuis paulò obscurius, Dominus Rex noster, Dominus Legislator noster, Dominus Iudex noster, ipse saluabit nos. Vtroque sanè loco ostenditur vitæ & mortis ei esse arbitrium qui ius habet in animam. Imò Iacobus hoc clarè pronuntiat. Id porrò sibi nemo hominum sumere potest. Deum igitur vnicum animarum Regem agnosci oportet, penes quem vnũ seruandi perdendíque potestas est, vt illa Iesaiæ verba sonant: & regem & iudicem & legislatorem & seruatorem. Itaque Petrus, dum pastores officii sui admonet, sic gregem pascant hortatur ne dominium exerceant aduersus cleros: quo nomine hæreditatem Dei, hoc est fidelium populum, significat. Id si rite expendimus, nefas esse ad hominem transferri quod Deus suum vnius facit: intelligemus ita præcisum quicquid sibi potestatis vendicant qui se ad aliquid in Ecclesia iubendum sine verbo Dei efferre volunt.

Iacob.4.c.11

Iesa.33.d.22

1.Pet.5.a.2

8 Porrò quoniam tota causa inde pendet, si Deus est vnicus Legislator, non licere hominibus id sibi honoris sumere: simul duas illas rationes quas posuimus memoria tenere conuenit, cur hoc sibi vni Dominus asserat. Prior autem est, vt eius voluntas perfecta sit nobis omnis iustitiæ & sanctitatis regula: atque ita in eius cognitione perfecta sit bene viuendi scientia. Altera, vt ipse vnus (vbi eius rite probéque colendi quæritur modus) imperium habeat in animas nostras, cui parêre & à cuius nutu pendêre debeamus. His duabus rationibus obseruatis, facilis erit diiudicatio quæ hominum constitutiones sint verbo Domini contrariæ: Sunt autem eius generis omnes quæ ad verum Dei cultũ necessariæ essent. Hac ergo lance meminerimus ponderandas esse omnes humanas leges, si volumus habere certum examen, quod nusquam aberrare nos sinat. Priore contendit Paulus in Epistola ad Colossenses, aduersus pseudoapostolos qui nouis oneribus premere Ecclesias tentabant. Secũda magis vtitur in Galatis, in simili causa. Hoc ergo in Epistola ad Colossenses exequitur, nõ esse de vero Dei cultu petendã ab hominibus do-

Coloss.2.b.8

ctrinam: quia Dominus fideliter nos & ad plenum instituit qualiter sit colendus. Quo hoc demonstret, primo capite dicit in Euangelio contineri omnem sapientiam, qua perfectus reddatur homo Dei in Christo. Initio secundi dicit omnes sapientiæ & intelligentiæ thesauros in Christo esse absconditos: inde postea concludit, caueant fideles ne per inanem philosophiam abducantur à grege Christi, secundum constitutiones hominum. In fine autem capitis maiore adhuc fiducia damnat omnes ἐθελοθρησκείας, hoc est fictitios cultus, quos homines sibi ipsi comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcunque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent. Habemus ergo, impias esse omnes constitutio-
Galat.5.a.1. nes, in quarum obseruatione cultus Dei situs esse fingitur. Loci verò quibus in Galatis vrget non esse laqueos conscientiis induendos (quas à solo Deo regi conuenit) satis sunt aperti: præsertim capite quinto. Ideo sufficiat annotasse.

9 Sed quia exemplis res tota melius patefiet, antequam vltrà progredimur, operæpretium est hanc doctrinam ad nostra tempora accommodare. Constitutiones quas vocãt Ecclesiasticas, quibus Papa cum suis onerat Ecclesiam, dicimus pernicioſas esse & impias: aduersarii nostri sanctas esse & salutares defendunt. Sunt autem duo earum genera: nam aliæ sunt de ceremoniis & ritibus, aliæ ad disciplinam magis spectant. Estne igitur iusta causa quæ nos ad vtrasque impugnandas moueat? Iustior certè quàm vellemus. Primum nónne authores ipsi clara voce definiunt, ipsissimum (vt ita loquar) Dei cultum in ipsis contineri? In quem finem conferunt suas ceremonias, nisi vt per illas Deus colatur? Neque id fit solo errore imperitæ multitudinis: sed eorum approbatione qui locum docendi habent. Nondum crassas abominationes attingo, quibus totã pietatem moliti sunt pessundare: sed apud eos non tam atrox fingeretur crimen, in minima quaque traditiuncula esse lapsum, nisi Dei cultum suis commentis subiicerent. Quod ergo tolerabile non esse docuit Paulus, legitimum colendi Dei ritum ad hominum arbitrium redigi, si hodie ferre non possumus, quid peccamus? præsertim verò quum secundum elementa mundi
Coloss.2.d.20 huius colere præcipiunt, quod Paulus aduersari Christo testatur. Rursum quàm præcisa necessitate astringant conscientias ad seruandum quicquid iubẽt, non est ignotum. Hîc
Galat.5.a.1 dum reclamamus, causam habemus cum Paulo communem, qui nullo modo patitur fideles conscientias in hominum seruitutem redigi.

10 Porrò istud pessimum accedit, quòd vbi talibus vanis figmentis definiri religio semel cœpta est, peruersitatem illam perpetuò sequitur & altera execrabilis prauitas, quã Pharisæis exprobrabat Christus, vt irritum fiat præceptum Dei propter hominum traditiones. Nolo contra præsentes nostros nomothetas verbis meis pugnare. vicerint sanè, si quo modo ab hac Christi accusatione purgare se poterunt. Sed quomodo excusarẽt, quũ immenso apud eos sceleratius sit auricularem confessionem vertente anno prætermisisse, quàm nequissimam vitam in solidum annum produxisse? linguam die Veneris infecisse modico carnis gustu, quàm totum corpus diebus omnibus scortãdo fœdasse? manum, die sanctulis nescio quibus consecrato, admouisse honesto operi, quàm pessimis facinoribus assiduè membra omnia exercuisse? sacrificum legitimo vno connubio copulari, quàm illigari mille adulteriis? votiuam peregrinationem non persoluisse, quàm in promissis omnibus fidem fallere? in prodigiosos nec minus superuacuos ac inutiles templorum luxus non aliquid profudisse, quàm defuisse vltimis pauperum necessitatibus? idolum sine
Matt.15.a.3 honore præteriisse, quàm hominum omne genus contumelioſè tractasse? non demurmurasse certis horis longa sine sensu verba, quàm legitimam orationem animo nũquam concepisse? Quid est irritum facere propter suas traditiones Dei præceptum, nisi hoc est? quum obseruationes mandatorum Dei frigidè tantùm & defunctoriè commendantes, suorum exactam obedientiam nihilominus studioſè & anxiè vrgent quàm si totam pietatis vim in se continerẽt? quum diuinæ Legis transgressionem leuibus satisfactionum mulctis vlciscentes, vnius suí decreti vel minimam offensionem nulla leuiore pœna plectunt quàm carcere, exilio, incendio, aut gladio. In Dei contemptores non ita asperi & inexorabiles, suos contemptores implacabili odio ad extremum persequuntur: ac eos omnes sic instituunt, quorum simplicitatem captiuam tenent, vt æquiore animo vniuersam Dei Legem subuersam visuri sint quàm apiculum in præceptis (vt vocãt) Ecclesiæ violatum. Primùm grauiter in eo delinquitur quòd ob res leuiculas, &, (si Dei iudicio staretur) liberas, alter alterum contemnit, iudicat, abiicit. Nunc verò quasi id parum mali esset, pluris
Galat.4.b.9 appenduntur friuola illa huius mundi elementa (vt Paulus Galatis scribens nuncupat) quàm

quàm cæleſtia Dei oracula. Et qui propè in adulterio abſoluitur, iudicatur in cibo: cui ſcortum permittitur, interdicitur vxor. Hoc ſcilicet præuaricatrice illa obedientia proficitur, qui tantum à Deo auertitur quantum ad homines inclinat. Cal.4.b.9

11 Sunt alia quoque duo non leuia vitia, quæ in iiſdem conſtitutionibus improbamus. Primùm quòd magna ex parte inutiles, interdum etiam ineptas obſeruationes præſcribunt: deinde quòd immenſa earum multitudine opprimuntur piæ conſcientiæ, & in Iudaiſmum quendam reuolutæ, vmbris ſic adhæreſcunt vt ad Chriſtum nequeãt peruenire. Ineptas quòd dico & inutiles, ſcio carnis prudentiæ credibile non futurum: cui tantopere arrident vt Eccleſiam prorſus deformari putet vbi auferuntur. Sed hoc eſt quod Paulus ſcribit, habere ſpeciem ſapientię in commentitio cultu, in humilitate, & eo quòd auſteritate ſua valere ad domãdam carnem videntur. Saluberrima certè admonitio, quę excidere nobis nunquam debet. Fallũt, inquit, humanæ traditiones ſub ſpecie ſapientiæ. Vnde hunc colorem habent? Nempe quia confictæ ſunt ab hominibus, humanum ingenium quod ſuum eſt illic recognoſcit, & recognitum libentius amplectitur, quàm optimum aliquid quod ſuæ vanitati minus conueniret. Deinde quia videntur apta eſſe rudimenta ad humilitatẽ quòd hominum mentes iugo ſuo deprẽſas humi detinent, hinc alteram habent commendationem. Poſtremò quia videntur eò ſpectare vt carnis delicias cohibeant, & abſtinẽtiæ rigore illam ſubiugant, ideo vidẽtur prudẽter excogitatæ. Quid autẽ ad hæc Paulus? num laruas illas excutit, ne falſo prætextu ſimplices deludãtur? Quoniam hoc ſatis ad refellendum eſſe cenſuerat, quòd dixerat eſſe hominum cõmenta, hæc omnia, tanquã pro nihilo habeat, ſine refutatione præterit. Imò quia nouerat in Eccleſia omnes cõmentitios cultus eſſe damnatos, & eo magis ſuſpectos eſſe fidelibus quo humanum ingenium magis oblectant: quia nouerat falſam illam externæ humilitatis imaginem à vera humilitate tãtum diſtare vt facilè diſcerneretur: quia denique nouerat illam pædagogiam non pluris æſtimari quàm corporis exercitationem: ea ipſa pro humanarum traditionum refutatione voluit eſſe fidelibus, quorum gratia illæ apud imperitos commendabantur. Col.2.d.23

12 Sic hodie ceremoniarum ſpectaculo non modò vulgus indoctum, ſed vt quiſque mũdana prudẽtia maximè inflatus eſt, mirificè capitur. Hypocritæ verò & fatuæ mulierculæ nihil nec ſpecioſius nec melius cogitari poſſe exiſtimant. At qui penitius diſcutiunt & verius expendunt ſecundum pietatis regulam quid tot ac tales ceremonię valeant, intelligunt primùm nugas eſſe, quòd nihil vtilitatis habeãt: deinde præſtigias, quòd ſpectantium oculos inani pompa deludunt. De iis ceremoniis loquor quibus ſubeſſe magna myſteria volunt Romanẽſes magiſtri: nos nihil quàm mera ludibria experimur. Nec mirum eſt, earum authores eò delapſos eſſe vt friuolis ineptiis & ſe & alios luderent: quia partim ex Gentium deliriis exemplar ſibi ſumpſerũt, partim ſimiarum more temerè imitati ſunt veteres Moſaicæ Legis ritus, qui nihilo magis ad nos pertinebant quàm pecudũ victimæ, & reliqua his ſimilia. Sanè etiamſi nullum aliud ſit argumentum, tamẽ ex farragine tam malè conſuta nemo ſanus aliquid boni ſperabit. Et res ipſa palàm demonſtrat, plurimas ceremonias non aliũ habere vſum niſi vt populum obſtupefaciant magis quàm doceant. Sic & in nouitiis iſtis Canonibus, qui diſciplinã inuertunt magis quàm conſeruant, multum momenti reponunt hypocritæ. ſiquis introſpiciat melius, reperiet nihil eſſe præter vmbratile & euanidum diſciplinæ ſpectrum.

13 Iam verò (vt ad alterum veniam) quis non videt traditiones, alias aliis coarcerles? Hinc factum eſt vt in ceremoniis appareat Iudaiſmus neſcio quis, aliæ obſeruationes grauem piis animis carnificinam afferant. Conquerebatur Auguſtinus quòd ſuo tempore, neglectis Dei præceptis, tam multis præſumptionibus plena eſſent omnia, vt grauius corriperetur qui per octauas ſuas terram nudo pede tetigerat quàm qui mentem vinolentia ſepelierat. Conquerebatur, Eccleſiam quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſic premi vt tolerabilior fuerit Iudæorum conditio. Si in ſeculum noſtrum incidiſſet ſanctus ille vir, quibus querelis deploraſſet eam quæ nunc eſt, ſeruitutem? Nam & numerus eſt decuplo maior, & ſinguli apices centuplo rigidius quàm tunc, exigũtur. Ita fieri ſolet: vbi ſemel peruerſi iſti legiſlatores imperium occuparunt, nullum finem iubendi & vetandi faciunt, donec ad extremum moroſitatis perueniant. Quod Paulus etiã eleganter indicauit his verbis, Si mortui eſtis mundo, quid quaſi viuentes decretis tene- Ad Ianuar. epiſt.119 Col.2.d.20

mini? Ne manducâris,ne guſtaueris,ne attrectâris. Nam quum verbum ἅπτεσθαι & mãducare & tãgere ſignificet, in priore ſignificatu hîc proculdubio accipitur, ne ſuperuacua ſit repetitio. Hîc ergo pſeudoapoſtolorũ progreſſus pulcherrimè deſcribit. Initiũ à ſuperſtitione eſt, quòd non tantùm edere vetant, ſed etiam tenuiter eſitare. vbi hoc obtinuerunt, iam guſtare etiam prohibent. Poſtquam hoc quoque illis conceſſum eſt, ne digito quidem contrectare fas eſſe ducunt.

14 Hanc tyrannidem in humanis conſtitutionibus meritò hodie reprehendimus, qua factum eſt vt innumeris edictis & immodica eorum exactione miſeræ conſcientiæ miſerabiliter torqueantur. De Canonibus ad diſciplinam pertinentibus, alibi dictum eſt. De ceremoniis quid dicam, quibus hoc perfectum eſt vt ſemiſepulto Chriſto ad Iudaicas figuras redierimus? Domin⁹ noſter Chriſtus, inquit Auguſtinus, Sacramẽtis numero pauciſſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, obſeruatione facillimis, noui populi ſocietatem colligauit. Ab hac ſimplicitate quantum abſit rituũ multitudo & varietas quibus hodie implicari Eccleſiam cernimus, ſatis enarrari non poteſt. Scio quo artificio nonnulli acuti homines hanc peruerſitatem excuſent: Aiunt inter nos eſſe plurimos peræque rudes atque fuerũt in populo Iſraelitico. Illorum cauſa inſtitutam eſſe eiuſmodi pædagogiam, qua tametſi firmiores carere poſſunt, negligere tamen eam non debẽt, quum videant infirmis fratribus eſſe vtilem. Reſpondeo, nos non neſcire quid fratrum infirmitati debeatur: ſed ex aduerſo excipimus, non eſſe hanc rationẽ qua conſulatur infirmis, vt magnis ceremoniarum aceruis obruantur. Non fruſtra hoc diſcrimen poſuit Deus inter nos & veterem populũ quòd illum voluit pueriliter erudire ſignis & figuris, nos ſimplicius, ſine tãto externo apparatu. Quemadmodũ, inquit Paulus, puer à pædagogo pro ætatis captu regitur, & ſub cuſtodia continetur: ita ſub Lege cuſtodiebãtur Iudæi. Nos autẽ adultis ſimiles ſumus, qui à tutela & curatione liberati, puerilibus rudimentis opus non habent. Dominus certè quale futurum eſſet in Eccleſia ſua vulgus prouidebat, & qualiter regendum foret. Hoc tamen quo dictum eſt modo inter nos & Iudæos diſcreuit. Stulta igitur ratio eſt ſi volumus imperitis conſulere, Iudaiſmum à Chriſto abrogatum erigendo. Hanc quoque diſſimilitudinem veteris & noui populi notauit Chriſtus ſuis verbis, quum diceret mulieri Samaritanæ, veniſſe tempus quo veri cultores adorarent Deum in ſpiritu & veritate. Hoc profectò ſemper factũ fuerat. ſed in hoc differunt noui cultores à veteribus, quòd ſub Moſe ſpiritualis Dei adoratio multis ceremoniis adumbrata & quodammodo implicita erat, quibus abolitis nunc ſimplicius adoratur. Proinde qui hanc diſſimilitudinẽ confundũt, ordinem euertunt à Chriſto inſtitutum & ſancitum. Ergóne (inquies) nihil ceremoniarũ rudioribus dabitur ad iuuandam eorum imperitiam? Id ego non dico. omnino enim vtile illis eſſe ſentio hoc genus adminiculi. Tãtùm hic cõtendo vt is modus adhibeatur qui Chriſtum illuſtret, nõ obſcuret. Ceremoniæ ideo nobis diuinitus paucæ datæ ſunt, & minimè labrioſæ, quo præſentem Chriſtum demõſtrent. Iudæis plures datæ ſunt, quò eſſent abſentis imagines. Abſentem autem fuiſſe dico, non virtute, ſed ſignificãdi modo. Proinde modus vt retineatur, illam in numero paucitatẽ, in obſeruatione facilitatem, in ſignificatione dignitatem quæ etiam claritate conſtat, retinere neceſſe eſt. Id non eſſe factum quid attinet dicere? res enim eſt in omnium oculis.

Epiſt. 118. ad Ianuar.

Gal. 4. a. 1

Iohan. 4. c. 23

15 Hîc prætereo quàm perniciosis opinionibus imbuantur hominum mentes, ſacrificia eſſe quibus rite litetur Deo, quibus expientur peccata, quibus iuſtitia & ſalus comparetur. Negabunt extraneis eiuſmodi erroribus vitiari res bonas: quum in operibus quoque à Deo præceptis hac parte non minus peccari queat. Hoc tamen plus indignitatis habet, operibus temere humano arbitrio confictis tantum honoris tribui vt meritoria vitæ æternæ credantur. Ideo enim opera à Deo mandata remunerationem habẽt, quòd Legiſlator ipſe obedientiæ reſpectu ea accepta habet. Non igitur à propria dignitate proprióve merito pretium accipiunt: ſed quòd Deus obedientiam erga ſe noſtram tanti æſtimat. De ea operum perfectione hîc loquor quæ à Deo mandatur, non ab hominibus præſtatur. Ideo enim nec opera Legis quæ facimus, niſi ex gratuita Dei benignitate gratiam habent, quia in ipſis infirma & mutila obedientia eſt. Sed quia hîc non diſputatur quid opera ſine Chriſto valeant, quæſtionem illam omittamus. Quod præſentis argumẽti proprium eſt iterum repeto, quicquid in ſe commẽdationis habẽt opera, habere obedientiæ intuitu, quã ſolam Deus reſpicit, vt teſtatur per Prophetam, Non præcepi de ſacrificiis & victimis: ſed tantùm vt audiendo audiatis vocem meam. De fictitiis autem operibus

Ier. 7. c. 22

operibus alibi loquitur, Appenditis argentum veſtrum, & non in panibus. Item, Fruſtra me colunt præceptis hominum. Hoc itaque nullo modo excuſabunt, quòd patiũtur miſeram plebem in externis illis nugis iuſtitiam, quam Deo opponant, & qua ſe ante cæleſte tribunal ſuſtineant, quærere. Præterea ánnon hoc dignum inſectatione vitium eſt, quòd non intellectas ceremonias, velut hiſtrionicam ſcenam aut magicam incantationem, oſtentant? Certum enim eſt ceremonias omnes corruptas eſſe & noxias, niſi per eas homines ad Chriſtum dirigantur. Quæ autem in vſu ſunt ceremoniæ ſub Papatu, à doctrina ſeparantur, vt homines ſignis omni ſignificatione carentibus retineant. Poſtremò (vt ingenioſus artifex eſt venter) apparet multas ab auaris ſacrificulis inuentas eſſe, vt eſſent captandæ pecuniæ aucupia. Quamcunque autem habeãt originem, ſic omnes ſunt ad fœdum quæſtum proſtitutæ vt bonã partem reſcindere neceſſe ſit ſi efficere volumus quominus profana & ſacrilega nundinatio in Eccleſia exerceatur.

Ieſa. 55. a. 2. & 29, & 13

Matt. 15. a. 9

16 Tametſi videor non perpetuam doctrinam de humanis conſtitutionibus tradere, quòd ætati noſtræ prorſus accommodata eſt hæc oratio: nihil tamen dictum eſt quod non ſit omnibus ſeculis futurum vtile. Nam quoties obrepit hæc ſuperſtitio vt Deũ ſuis figmentis colere homines velint, quæcunque in eum finẽ ferantur leges, ſtatim ad craſſos iſtos abuſus degenerant. Hanc enim maledictionem non vni aut alteri ætati, ſed omnibus ſeculis minatur Deus, quòd cæcitate & ſtupore percutiet eos à quibus colitur doctrinis hominum. Hæc excæcatio perpetuò facit vt nullum abſurditatis genus fugiãt qui contemptis tot Dei monitis, ſponte ſe in exitiales iſtos laqueos induunt. Quòd ſi remotis circunſtantiis, ſimpliciter habere libet quæ ſint omnium temporum humanæ traditiones, quas ab Eccleſia repudiari & à piis omnibus improbari conuenit: erit illa, quam ſuperius poſuimus, certa & clara definitio, Eſſe omnes leges ſine Dei verbo in hunc finem ab hominibus poſitas vt vel modum colendi Dei præſcribant, vel conſcientias religione obſtringant, quaſi de rebus præcipiant ad ſalutem neceſſariis. Si ad alterum vel ad vtrunque iſtorum accedunt alia vitia, quòd ſua multitudine Euangelii claritatem obſcurent: quòd nihil ædificent, ſed inutiles ſint ac luſoriæ occupationes potius quàm vera pietatis exercitia: quòd ſint ad ſordes ac turpem quæſtum expoſitæ: quòd ſint obſeruatu nimium difficiles: quòd ſint malis ſuperſtitionibus inquinatæ: hæc erunt adiumẽta vt facilius deprehendamus quantum ſit in ipſis mali.

Ieſa. 19. d. 13

17 Audio quid ipſi pro ſe reſpondeant, ſuas traditiones non à ſe ſed à Deo eſſe. Eccleſiam enim, ne errare poſſit, à Spiritu ſancto regi: eius verò authoritatem penes ſe reſidere. Hoc impetrato, ſimul cõficitur, eorum traditiones Spiritus ſancti eſſe reuelationes, quæ niſi impiè ac contempto Deo contemni nequeant. Et nequid tentaſſe ſine magnis authoribus videantur, bonam ſuarum obſeruationum partem fluxiſſe ab Apoſtolis credi volunt. & ſatis vno exemplo oſtendi contendunt quid in aliis fecerint Apoſtoli: quando in vnum Concilium coacti, ex Concilii ſententia Gentibus omnibus denuntiarunt vt ſe ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato abſtinerent. Iam alibi expoſuimus quàm falſò ad ſe venditandos ementiantur Eccleſiæ titulum. Quantum intereſt preſentis cauſæ, ſi detractis laruis ac fucis omnibus, id verè quod nobis curæ in primis eſſe debet, ac noſtra etiam potiſſimum refert, intuemur, qualem ſcilicet Eccleſiã habere velit Chriſtus, vt ad ipſius regulam nos formemus ac comparemus: facilè nobis conſtabit, Eccleſiam non eſſe quæ præteritis verbi Dei finibus, ferendis nouis legibus laſciuit ac luxuriat. Annon enim illa ſemel Eccleſiæ dicta lex æterna manet? Quod præcipio tibi, hoc obſeruabis vt facias: non addes quicquam nec detrahes. Et alibi, Non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo: ne te fortè arguat, inueniariſque mendax. Id quum Eccleſiæ dictum negare non poſſint, quid aliud quàm ipſius contumaciam prædicant, quam poſt talia interdicta addere nihilominus & admiſcere de ſuo doctrinæ Dei auſam fuiſſe iactant? Abſit autem vt eorum mendaciis aſſentiamur, quibus tantam Eccleſiæ contumeliam irrogant: ſed falſò Eccleſiæ nomen prætendi intelligamus, quoties de iſta humanæ temeritatis libidine agitatur quæ ſeſe intra Dei præſcripta continere non poteſt quin procaciter exultet, ac in ſuas inuentiones excurrat. Nihil in verbis iſtis inuolutum, nihil obſcurum, nihil ambiguum: quibus addere verbo Dei aut detrahere quicquam vetatur Eccleſia vniuerſa, quum de Domini cultu & ſalutaribus præceptis agitur. Verùm de Lege ſola id dictum fuit, quam ſubſequutæ ſunt Prophetiæ & tota Euangelii adminiſtratio. Fateor certè: & ſimul addo, quæ Legis complementa ſunt potius quàm vel additamẽta, vel

Act. 15. d. 20. & f. 29

Deu. 12. d. 32. Prou. 30. b. 6

defectiones. Quòd si verò Dominus ministerio Mosis plurimis inuolucris, vt ita dicam, obscuro, nihil tamen addi nec detrahi sustinet, donec per seruos suos Prophetas, ac tandem per dilectum Filium clariorem doctrinam administret: cur non multo nobis seuerius vetitum arbitremur nequid Legi, Prophetis, Psalmis, Euangelio addamus? Non à semetipso degenerauit Dominus, qui nulla re tantopere se offendi iampridem declarauit, quàm dum humanis inuentionibus colitur. Vnde illæ apud Prophetas præclaræ voces, quæ auribus nostris continẽter insonare debuerant, Non sum loquutus Patribus vestris,
Iere.7.e.22 quo die eduxi eos ex Ægypto, verba de sacrificio & holocausto. Sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audiendo audite vocem meam: & ero vobis Deus, & eritis mihi populus, &
Idem 11.a.7 ambulabitis in omni via quam mandauero vobis. Item, Contestando contestatus sum Patres vestros, Audite vocem meam. Aliæque eiusdẽ generis: sed hæc præ aliis insignis, Nun quid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci suæ? Melior enim est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.
1.Sam 15.e. 22 Quoniam quasi peccatum ariolandi, repugnare: & quasi idololatriæ iniquitas, nõ acquiescere. Quicquid igitur humanarum inuentionum hac in parte Ecclesiæ authoritate defenditur, quum ab impietatis crimine excusari nequeat, falsò Ecclesiæ id imputari, arguere promptum est.

18 Hac ratione in istam humanarum traditionum tyrannidem, quæ sub Ecclesiæ titulo supercilioſè nobis ingeritur, liberè inuehimur. Neque enim (quod nostri aduersarii ad faciendam nobis inuidiam iniquè mentiuntur) Ecclesiam ludibrio habemus: sed obedientiæ laudem qua maiorem nullam agnoscit, illi tribuimus. Ipsi potius vehemẽter sunt Ecclesiæ iniurii, qui aduersus Dominum suum contumacem illam faciunt, dum vltrà progressam fingunt quàm per verbum Dei licuerit. vt taceam insignem esse impudentiã cum pari malitia coniunctam, assiduè de Ecclesiæ potestate vociferari: interim & quid illi à Domino mandatum sit, & quam Domini mandato obedientiam debeat, dissimulare. At si nobis, vt par est, animus fuerit cum Ecclesia consentire, hoc magis ad rem pertinet, spectare ac meminisse quid nobis ac Ecclesiæ à Domino præcipiatur, vt illi vno consensu obediamus. Non enim dubium est quin cum Ecclesia optimè consensuri simus si nos Domino per omnia obedientes præstemus. Iam verò referre ad Apostolos traditionum originem quibus hactenus oppressa est Ecclesia, meræ fuit impostura: quãdo tota in hoc incumbit Apostolorum doctrina ne nouis obseruationibus onerentur cõscientiæ, aut Dei cultus nostris inuentionibus contaminetur. Deinde siqua historiis vetustisque monumentis inest fides, Apostolis non ignotum modò, sed inauditum fuit quod illis tribuunt. Nec garriant, pleraque eorum placita vsu & moribus recepta fuisse quæ scriptis tradita non fuerunt. Illa scilicet quæ Christo adhuc viuente intelligere non poterant: post eius autem ascensum Spiritus sancti reuelatione didicerint. De eius loci interpretatione alibi visum est. Quod ad præsentem causam satis est, ridiculos profectò se faciunt, quum ingentia illa mysteria, quæ tanto tempore Apostolis incomperta fuerint, partim obseruationes esse constet aut Iudaicas aut Gentiles (quarum illæ inter Iudæos, hæ verò apud Gentes omnes promulgatæ multo antè fuerant) partim ineptas gesticulationes & inanes ceremoniolas, quas insulsi sacrificuli, qui nec nare sciunt, nec literas, perquam rite peragunt: imò quas pueri & moriones adeò appositè effingunt vt videri possit nullos esse magis idoneos talium sacrorum antistites. Si nullæ essent historiæ, ex re tamen ipsa æstimarent sani homines, non subitò erupisse in Ecclesiam tantam rituum & obseruationum congeriem, sed sensim obrepsisse. Nam quum sanctiores illi Episcopi, qui Apostolis ætate proximi fuerunt, nonnulla instituissent quæ ad ordinem ac disciplinam pertinebant: subsequuti postea sunt homines, alii post alios, neque satis considerati & nimis curiosi ac cupidi: quorum vt quisque posterior erat, ita stulta æmulatione cum suis decessoribus certauit ne rerum nouarum inuentione cederet. Et quia periculum erat ne breui obsolescerẽt sua inuenta, ex quibus laudem ad posteros affectabant, in exigenda eorum obseruatione erant multo rigidiores. Hæc καινοζηλία bonam istorum rituum partem nobis peperit quos isti pro Apostolicis nobis venditant. Atque id quoque historiæ testantur.

19 Ne omnium catalogum texendo simus nimium prolixi, vno exemplo contenti erimus. In Cœna Domini administranda fuit sub Apostolis magna simplicitas. Proximi successores ad ornandam mysterii dignitatem aliquid addiderunt quod non esset improbandum. Sed postea superuenerunt stulti illi imitatores, qui varia frustula subinde consuendo,

consuendo, hunc quem in Missa videmus sacerdotis vestitum, hæc altaris ornamenta, has gesticulationes & totam rerum inutilium supellectilem nobis composuerunt. Atqui obiiciunt fuisse hanc olim persuasionem, quæ in Ecclesia vniuersa vno consensu fierent, ab ipsis Apostolis prodiisse. Cuius rei Augustinum citant testem. Ego verò non aliunde quàm ex ipsius Augustini verbis solutionem afferam. Quæ toto (inquit) terrarum orbe seruantur, vel ab ipsis Apostolis, vel Conciliis generalibus, quorum est saluberrima in Ecclesia authoritas, statuta esse intelligere licet: sicuti quòd Domini passio, & resurrectio & in cælum ascensus, & aduentus Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Et siquid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersa, quacunque se diffundit, Ecclesia. Quum tam pauca enumeret exempla, quis non videat eum ad authores fide & reuerentia dignos referre voluisse vsitatas tunc obseruationes, nonnisi simplices illas & raras & sobrias quibus Ecclesiæ ordinem contineri vtile est? Quantum autem hoc ab eo distat quod Romanenses magistri extorquere volunt, vt nulla sit apud eos ceremoniola quæ non pro Apostolica censeatur? Epist.118

20 Ne longior sim, vnum tantùm exemplum proferam. Siquis eos interroget vnde aquam suam lustralem habeant, protinus respondent, Ab Apostolis. Quasi non hanc inuentionem nescio cui Romano Episcopo tribuant historiæ, qui si Apostolos adhibuisset in consilium, nunquam profectò contaminasset Baptismum alieno & intempestiuo symbolo. Etsi nec mihi verisimile est, tam vetustam esse eius consecrationis originem quàm illic scribitur. Quod enim dicit Augustinus quasdam suo tempore Ecclesias solẽnem Christi imitationem in lotione pedum refugisse, ne ad Baptismum ritus ille pertinere videretur, subindicat nullum fuisse lotionis genus quod cum Baptismo vllam haberet similitudinem. Quicquid sit, hoc à spiritu Apostolico profectum fuisse minimè concedam, vt dum quotidiano signo Baptismus in memoriam reducitur, quodammodo repetatur. Nec moror quòd alibi ipse idem Augustinus alia quoque Apostolis adscribit. Nam quum nihil præter coniecturas habeat, non debet ab ipsis de re tanta iudicium fieri. Postremò, vt etiam demus, illa quæ commemorat ab ætate Apostolorum fluxisse, multum tamen interest instituásne aliquod pietatis exercitium quo libera conscientia vtãtur fideles: si autẽ non erit illis vtilis vsus, abstineant: an legem feras quæ conscientias seruitute illaqueet. Nunc verò à quocunque authore emanarint, postquam videmus in tãtum abusum prolapsas esse, nihil obstat quominus sine vlla eius contumelia abrogemus: quando nunquam ita sunt commendatæ vt perpetuò immobiles esse oporteat. Epist.118. ad Ianuar.

21 Nec magnopere eos iuuat quòd ad excusandam suam tyrannidem prætexunt Apostolorum exemplum. Apostoli, inquiunt, & Seniores primæ Ecclesiæ decretum præter Christi mandatum sanxerunt, quo præcipiebant Gentibus omnibus, se abstinere ab idolothytis, suffocato, & sanguine. Id si illis licuit, cur non & successoribus, quoties ita res postulat, idem imitari liceat? Vtinam verò cum semper aliàs, tum in hac re eos imitarentur. Nam (quod valida ratione confirmare promptum est) Apostolos nouum illic quicquam instituisse aut decreuisse nego. Siquidem quum in eo concilio Petrus tẽtari Deum pronuntiet si iugum imponitur ceruicibus discipulorum, suam ipse sententiam subuertit si iugum postea aliquod consentit imponi. Imponitur autem, si sua authoritate decernant Apostoli, prohibendum Gentibus ne idolothyta, sanguinem & suffocatum attingant. Manet quidem adhuc scrupulus, quòd nihilo minus videantur prohibere. Atqui facilè dissoluetur siquis propius decreti ipsius sensum animaduertat: cuius primum ordine, & momento præcipuum caput est, relinquendam esse Gentibus suam libertatem, nec illis obturbandum esse, aut de Legis obseruationibus exhibendam molestiam. Hactenus nobis egregiè patrocinatur. Quæ autem proximè sequitur exceptio, nec noua lex est ab Apostolis lata, sed diuinum æternúmque Dei mandatum de non violanda charitate. nec punctum ex illa libertate delibat: sed Gentes duntaxat admonet qua ratione sese fratribus attemperent, ne sua libertate in eorum offensionem abutantur. Sit hoc igitur secundum caput, vt innoxia libertate vtanturGentes, ac citra fratrum offensionem. At certum tamen aliquid præscribunt: nempe quatenus pro tempore expediebat, docent ac designant quibus rebus in fratrum offensionem possint incurrere, quo ab illis caueant: nihil tamen nouum ad æternam Dei Legem, quæ fratrum offensionem prohibet, de suo afferunt. Act.15.d.20

22 Quemadmodum siqui Ecclesiis nondum bene constitutis præsunt fideles pastores, omnibus suis edicãt ne, donec imbecilles quibuscũ viuunt adolescant, palã die vene-

ris carnibus veſcantur,aut feriis in publico laborent,aut ſimile quidpiam.Hæc enim tametſi,ſepoſita ſuperſtitione,indifferentia per ſe ſint:vbi tamen accedit fratrum offenſio, ſine delicto admitti nequeunt.Sic autem ſunt tempora,vt ſpectaculum hoc infirmis fratribus proponere non poſſint fideles quin eorum conſcientias grauiſſimè vulnerent. Quis,niſi calumniator,ſic nouam ferri ab iis legem dicat,quos conſtat duntaxat ſcandalis occurrere,quæ ſunt à Domino ſatis diſertè prohibita?Nihilo autem magis & de Apoſtolis dici poteſt, quibus nihil aliud propoſitum erat, offenſionum materiam tollendo, quàm diuinam vrgere Legem de vitanda offenſione.acſi dixiſſent, Præceptum Domini eſt ne fratrem infirmum lædatis.quæ idolis oblata ſunt,ſuffocatum, & ſanguinem manducare non poteſtis quin offendantur infirmi fratres.Edicimus igitur vobis in verbo Domini,ne cum ſcandalo manducetis.Idque ipſum ſpectaſſe Apoſtolos,Paulus optimus eſt teſtis,qui certè nonniſi ex Concilii ſententia ſic ſcribit,De eſcis quæ idolis immolantur, 1. Cor.8.a.1 ſcimus quia ſimulachrum nihil eſt. Quidam autem cum conſcientia idoli, quaſi idolis immolatum,manducant:& conſcientia eorum infirma quum ſit,polluitur. Videte ne facultas veſtra offendiculum fiat infirmis.Cui iſthæc probè perpenſa fuerint, ei poſthac fucus non fiet,qualem faciunt qui ſuæ tyrannidi Apoſtolos prætexunt, acſi Eccleſiæ libertatem ſuo decreto infringere cœpiſſent. Verùm,vt effugere nequeant quin ſua etiam confeſſione ſolutionem hanc approbent,reſpondeant mihi quo iure illud ipſum decretum auſi ſint abrogare.Nempe quia ab illis offenſionibus ac diſſidiis, quibus occurrere voluerant Apoſtoli,nihil amplius periculi erat:legem verò à ſuo fine æſtimandam nouerant.Quum igitur lex iſta reſpectu charitatis lata ſit,in ea nihil præſcribitur niſi quantum charitatis intereſt.Quum fatentur nihil aliud eſſe legis huius tranſgreſſionem quàm violationem charitatis,nónne ſimul agnoſcunt non commentitiũ aliquod eſſe additamentum ad Legem Dei,ſed germanam ſimplicémque accommodationem ad tempora & mores quibus deſtinabatur?

23 At verò vt iniquæ centies ſint nobis & iniuriæ eiuſmodi leges, eſſe tamen ſine exceptione audiendas contendunt.non enim hîc agi,vt erroribus cõſentiamus: ſed tantùm vt dura præfectorum imperia ſubditi perferamus,quæ detrectare non eſt noſtrum. Verùm hîc quoque optimè verbi ſui veritate occurrit Dominus, nóſque à tali ſeruitute in libertatem vendicat quam ſacro ſuo ſanguine nobis acquiſiuit:cuius beneficium verbo ſuo non ſemel obſignauit.Non enim(quod malitioſè fingunt)id ſolùm agitur vt grauem aliquam oppreſſionem in corpore noſtro perferamus, ſed vt conſcientiæ libertate ſua,hoc eſt ſanguinis Chriſti beneficio ſpoliatæ ſeruiliter crucientur.Quanquam iſtud etiam,acſi parum ad rem faceret,omittamus.At quanti putamus referre, ſuum Domino regnum eripi,quod tanta ſeueritiate ſibi aſſerit?Eripitur autem quoties humanarum inuentionum legibus colitur:quũ ſolus ipſe cultus ſui velit haberi legislator.Ac ne rem eſſe nihili quis exiſtimet,audiamus quanti reputetur à Domino.Quoniam,inquit,timuit me Iesa.29.d.13 populus iſte mandato & doctrinis hominum,ecce ego ſtupefaciam eum miraculo grãdi & ſtupẽdo.peribit enim ſapiẽtia à ſapientibus eius,& intelligẽtia à ſenioribus recedet.A- Matt.15.a.9 libi,Fruſtra me colũt,docẽtes doctrinas,præcepta hominũ.Et ſanè quòd ſe filii Iſrael pluribus idololatriis inquinarunt, totius mali cauſa adſcribitur impuræ huic mixturæ, quòd 2. Re.17.d. trãſgreſſi Dei mãdata,cultus nouos fabricarint.Ideóque refert Sacra hiſtoria nouos adue 24.f.32 nas qui ad incolendã Samariã traducti fuerãt à Rege Babylonio,fuiſſe diſcerptos & consumptos à feris beſtiis,eo quòd neſcirẽt iudiciavel ſtatuta Dei terræ illius.Quãuis in cerẽmoniis nihil peccaſſent,nõ tamẽ probata fuiſſet Deo inanis põpa: ſed interim cultus ſui violationem,quòd homines aliena à verbo ſuo cõmenta ingererent, vlciſci non deſtitit. Vnde poſtea dicitur,pœna illa territos,ritus in Lege præſcriptos ſuſcepiſſe:ſed quia nondum purè colebant verũ Deum,bis repetitur,timuiſſe ipſum & non timuiſſe. Vnde colligimus,partem reuerẽtiæ quæ illi defertur,in eo eſſe poſitã dum in illo colẽdo ſimpliciter 2. Reg.22.a. quod mãdat,nullas noſtras inuẽtiones miſcẽdo ſequimur.Atque ideo ſæpius laudantur 1,& alibi. pii Reges,quòd fecerint ſecundum omnia præcepta,nec declinauerint vel ad dexteram vel ad ſiniſtrã. Vltrà progredior,etiamſi in cõmentitio aliquo cultu palàm non apparet 2.R.16.b.10 impietas:ſeuerè tamẽ à Spiritu dãnatur,ex quo à Dei præcepto diſceſſum eſt. Altare Achaz,cuius exemplar è Samaria illatum erat,videri potuit augere templi ornatum,quum eius conſilium eſſet ſoli Deo illic ſacrificia offerre,quod ſplẽdidius facturus erat quàm in primo & vetuſto altari.videmus tamẽ vt Spiritus audaciam illam deteſtetur non alia de

cauſa

cauſa niſi quòd hominum inuenta in Dei cultu impuræ ſunt corruptelæ. Et quo nobis clarius patefacta eſt Dei voluntas, minus excuſabilis, quicquam tentandi proteruia. Ac proinde meritò aggrauatur hac circunſtantia crimen Manaſſe, quòd altare nouum extruxeritin Ieruſalem: de qua pronuntiauerat Deus, Ponam illic nomen meum: quia nunc quaſi ex profeſſo reſpuitur Dei authoritas. 2. Re. 21.a.3

24 Mirantur plerique cur adeò acriter interminetur Dominus ſe facturum ſtupenda populo à quo mandatis hominum colebatur, & ſe fruſtra coli pronuntiet hominum præceptis. At ſi ſpectarent quid ſit in religionis (hoc eſt cæleſtis ſapiẽtiæ cauſa) ab vno Dei ore pendere, ſimul viderent non leuem eſſe rationem cur peruerſa huiuſmodi obſequia ſic abominetur Dominus, quę pro humani ingenii libidine ſibi præſtantur. Nam tametſi ſpeciem habent quandam humilitatis in ſua hac obedientia, qui eiuſmodi legibus in Dei cultum parent: minimè tamen ſunt coram Deo humiles, cui eaſdẽ præſcribũt leges quas ipſi ſeruant. Hæc verò ratio eſt cur nos tam diligenter cauere vult Paulus ne decipiamur per traditiones hominum, & illam quam vocat ἐθελοθρησκείαν, id eſt voluntarium cultum, & præter Dei doctrinam ab hominibus excogitatum. Sic eſt profectò: ſtulteſcere & noſtram nobis ipſis & omnium hominum ſapientiam oportet, quo ſolum illum ſapere permittemus. Quam viam minimè tenent qui confictis hominum arbitrio obſeruatiũculis, illi ſe approbare meditantur, & quaſi inuito præuaricatricem erga eum obedientiam, quę hominibus defertur, obtrudunt. Qualiter & aliquot antè ſeculis & noſtra memoria factum eſt, & fit hodie quoque in iis locis in quibus creaturæ pluris eſt quàm Creatoris imperium: vbi religio (ſi tamen religio vocari ea meretur) pluribus magiſque inſulſis ſuperſtitionibus conſpurcata eſt quàm vlla vnquam paganitas. Quid enim poſſet parere hominum ſenſus quàm carnalia fatuáque omnia, & quæ ſuos authores verè referant? Colo 2.32.4

25 Quod etiam obtendunt ſuperſtitionum patroni, Samuelem ſacrificaſſe in Rama tha, &, quanuis præter Legem id fieret, placuiſſe tamen Deo: facilis ſolutio eſt, non fuiſſe ſecundum aliquod altare quod vnico opponeret: ſed quia nondum arcæ fœderis deſtinatus erat locus, oppidum vbi habitabat ſacrificiis deſtinaſſe tanquam maximè cõmodum. Certè animus ſancti Prophetæ non fuit quicquam nouare in ſacris, vbi Deus tam arctè vetabat addi vel minui. Quod ad exemplum Menoha ſpectat, extraordinarium & ſingulare fuiſſe dico. Obtulit ille Deo ſacrificium homo priuatus, nec ſine Dei approbatione: nempe quia non temerario animi ſui motu, ſed cæleſti inſtinctu hoc ſuſcepit. Quantopere autem abominetur Deus quæ mortales ex ſeipſis excogitant ad eum colendum alter non inferior Menoha Gedeon inſigni documento eſt, cuius ephod non modò ei & famiIudic.8.f.27 liæ, ſed toti populo ceſſit in ruinam. Denique aduentitia quælibet inuentio, qua Deum homines colere appetunt, nihil aliud eſt quàm veræ ſanctimoniæ pollutio. 1.Sam.7.d.17 Iudic.13.d.19

26 Cur igitur, inquiunt, ferri voluit Chriſtus onera illa importabilia quæ alligabant Scribæ & Phariſæi? Imò cur alibi idem Chriſtus caueri voluit à fermẽto Phariſæorum? fermentum (interprete Matthæo Euangeliſta) appellans quicquid propriæ doctrinæ verbi Dei puritati admiſcerent. Quid apertius volumus, quàm quòd totam earum doctrinam iubemur fugere & cauere? Vnde nobis certiſſimum fit, neque altero loco Dominum voluiſſe ſuorum cõſcientias propriis Phariſæorum traditionibus vexari. Et uerba ipſa, ſi modò non torqueantur, nihil tale ſonant. Illic ſiquidem Dominus acerbè in Phariſæorũ mores inuehi inſtituens, ſimpliciter ſuos auditores antè erudiebat, vt quãquam nihil in illorum vita cernerent quod ſequerentur, non tamen ea facere deſinerent quæ verbo docebant, quum in cathedra Moſis (hoc eſt, ad enarrandam Legem) ſederent. Non ergo aliud voluit quàm præcauere ne malis docentium exemplis plebs ad contemptum doctrinę in duceretur. Verùm quia nonnulli rationibus minimè permouẽtur, authoritatem ſemper requirunt, ſubiiciam Auguſtini verba, quibus idem prorſus dicitur, Habet ouile Domini præpoſitos partim fidos, partim mercenarios. Præpoſiti qui fidi ſunt, veri ſunt Paſtores. audite tamen, quòd & mercenarii neceſſarii ſunt. Multi quippe in Eccleſia, cõmoda terrena ſectantes, Chriſtum prædicant, & per eos vox Chriſti auditur: & ſequũtur oues non mercenarium, ſed Paſtorem per mercenarium. Audite mercenarios ab ipſo Domino demonſtratos. Scribæ, inquit, & Phariſæi cathedram Moſis inſident. quæ dicunt, facite: quæ autem faciũt, facere nolite. Quid aliud dixit, niſi per mercenarios vocem Paſtoris audite? Sedendo enim in cathedra, Legem Dei docent. ergo per illos Deus docet. ſua verò ſi illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Hæc Auguſtinus. Aug.in Iohan.tract.46

27 Quando verò imperiti plerique, dum humanis traditionibus impiè ligari hominum conſcientias, & fruſtra Deum coli audiunt, eadem litura leges omnes inducũt quibus Eccleſiæ ordo conſtituitur: illorum quoque errori commodùm hic occurrẽdum eſt. Falli ſanè perquam eſt lubricum: quia non prima ſtatim facie apparet quãtum inter illas & has interſit. Sed ego ita dilucidè rem totã paucis expediam, necui imponat ſimilitudo. Hoc primùm habeamus, ſi in omni hominum ſocietate neceſſariã eſſe politiam aliquam videmus, quæ ad alendam communem pacem, & retinendam cõcordiam valeat: ſi in rebus agendis vigere ſemper aliquem ritum, quem non reſpui publicæ honeſtatis intereſt, atque adeò humanitatis ipſius: id in Eccleſiis præſertim obſeruãdum eſſe, quæ cum bene compoſita rerum omnium conſtitutione optimè ſuſtinentur, tum verò ſine concordia nullę ſunt prorſus. Quamobrem ſi Eccleſię incolumitati bene proſpectum volumus, dili-
1.Cor.14.g. 40. genter omnino curandum eſt quod Paulus iubet, vt decenter omnia & ſecundum ordinem fiant. At quum in hominum moribus tanta inſit diuerſitas, tãta in animis varietas, tãta in iudiciis ingeniiſque pugna: neque politia vlla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta: nec ſine ſtata quadã forma ſeruari ritus quiſpiam poteſt. Huc ergo quæ conducũt leges, tantum abeſt vt damnemus, vt his ablatis, diſſolui ſuis neruis Eccleſias, totáſque deformari ac diſſipari cõtendamus. Neque enim haberi poteſt quod Paulus exigit, vt decẽter omnia & ordine fiãt: niſi additis obſeruationibus, tanquam vinculis quibuſdam, ordo ipſe & decorum conſiſtat. Id tantùm ſemper in iſtis obſeruationibus excipiendum eſt, ne aut ad ſalutem credantur neceſſariæ, atque ita conſcientias religione obſtringant: aut ad Dei cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.

28 Habemus ergo optimam & fideliſſimam notam quæ inter impias illas conſtitutiones diſtinguat (quibus veram obſcurari religionem & cõſcientias ſubuerti dictum eſt) & legitimas Eccleſiæ obſeruationes: ſi his meminerimus alterum ſemper ex duobus eſſe propoſitum, aut vtrunque ſimul, vt in ſacro fidelium cœtu decenter peragãtur omnia, & qua conuenit dignitate: vt ipſa hominum communitas velut quibuſdam humanitatis & moderationis vinculis in ordine retineatur. Vbi enim ſemel publicæ honeſtatis cauſa poſita lex intelligitur, iam ſublata eſt ſuperſtitio, in quã incidunt qui humanis inuentis Dei cultũ metiuntur. Rurſum vbi ad communem vſum ſpectare cognoſcitur, euerſa eſt falſa illa obligationis & neceſſitatis opinio, quæ ingẽtem terrorẽ conſcientiis iniiciebat, quum putarentur traditiones ad ſalutem neceſſariæ. Siquidem hîc nihil quæritur niſi vt cõmuni officio alatur inter nos charitas. Sed operæpretium eſt clarius adhuc definire quid ſub illo decoro quod Paulus commendat, quid item ſub ordine comprehendatur. Ac decori quidem finis eſt, partim vt dum adhibentur ritus qui veneratione rebus ſacris conciliẽt, talibus adminiculis ad pietatem excitemur: partim etiam vt modeſtia & grauitas, quæ in omnibus honeſtis actionibus ſpectari debet, illic maximè eluceat. In ordine hoc primum eſt, vt qui præſunt, regulam ac legem bene regendi nouerint: plebs verò quæ regitur, ad obedientiam Dei rectámque diſciplinam aſſuefiat. Deinde vt bene compoſito Eccleſiæ ſtatu, paci & tranquillitati conſulatur.

29 Decorum ergo non vocabimus in quo nihil præter inane oblectamẽtum inerit: quale exemplũ videmus in illo theatrico apparatu quo vtuntur Papiſtæ in ſuis ſacris: vbi nihil quàm inutilis elegantiæ larua, & luxus ſine fructu apparet. Sed illud nobis decorum erit, quod ita erit ad ſacrorum myſteriorum reuerentiam aptum vt ſit idoneum ad pietatem exercitium: vel ſaltem quod ad ornatum faciet actioni congruentem: neque idipſum ſine fructu: ſed vt fideles admoneat quanta modeſtia, religione, obſeruantia, ſacra tractare debeant. Porrò vt pietatis exercitia ſint ceremoniæ, ad Chriſtum rectà nos deducant neceſſe eſt. Similiter ordinem non conſtituemus in illis nugatoriis pompis quæ nihil habẽt præter euanidum ſplendorem, ſed in ea compoſitione quæ omnem confuſionem, barbariem, contumaciam, turbas omnes & diſſidia tollat. Prioris generis exempla ſunt apud
1.Cor.11.d. 21, & a.5 Paulum, Vt ne prophana ſympoſia cum ſacra Domini Cœna commiſceantur: Ne mulieres in publicum niſi velatæ procedant: & alia plurima in quotidiano vſu habemus: quale eſt Quòd flexis genibus nudóque capite oramus: Quòd Domini Sacramenta non forditè, ſed cum aliqua dignitate adminiſtramus: Quòd in ſepeliendis mortuis quandam honeſtatem adhibemus, & quæ alia eodem pertinent. In altero genere ſunt horæ publicis precationibus, concionibus & myſticis actionibus deſtinatæ: in ipſis concionibus quies ac ſilentium, loca deſtinata, hymnorum concentus, dies cælebrandæ Domini

Cœnæ

Cœnæ præfixi, quòd Paulus vetat ne mulieres in Ecclesia doceant, & siqua sunt similia. 1.Cor.14.g. 34
In primis verò quæ disciplinam conseruant, vt catechesis,censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio,ieiunia,& quæ in eundem catalogum referri possunt.Ita omnesEcclesiasticas constitutiones, quas pro sanctis & salutaribus recipimus,in duo capita referre licet: alteræ enim ad ritus & ceremonias,alteræ ad disciplinam & pacem respiciunt.

30 Sed quia hîc periculum est ne ab vna parte pseudoepiscopi prætextum inde captent ad impias suas & tyrannicas leges excusandas, ab altera sint quidam nimis meticulosi,qui superioribus malis admoniti,nullum quamlibet sanctis legibus locum relinquãt: hîc testari operæpretium est, eas demum humanas cõstitutiones me probare quæ & Dei authoritate fundatæ,& ex Scriptura desumptæ,adeóque prorsus diuinæ sint. Exemplum sit in geniculatione quæ fit dum solennes habentur precationes. Quæritur sitne humana traditio, quam repudiare vel negligere cuiuis liceat. Dico sic esse humanam vt simul sit diuina.Dei est quatenus pars est decoris illius cuius cura & obseruatio nobis per Apo- 1.Cor.14.g. 40
stolum commendatur:hominum autem, quatenus specialiter designat quod in genere fuerat indicatum magis quàm expositum. Ab hoc vno exẽplo æstimare licet quid de toto hoc genere sit sentiendum: nempe quia Dominus & totam veræ iustitiæ summam, & omnes cultus numinis sui partes,& quicquid ad salutem necessarium erat,sacris suis oraculis tum fideliter complexus est,tũ perspicuè enarrauit: in his solus Magister est audiendus.Quia autẽ in externa disciplina & ceremoniis non voluit sigillatim præscribere quid sequi debeamus(quòd istud pendêre à temporum conditione præuideret, neque iudicaret vnã seculis omnibus formã conuenire)confugere hîc oportet ad generales quas dedit regulas,vt ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi necessitas Ecclesiæ postulabit. Postremò quia ideo nihil expressum tradidit quia nec ad salutem hæc necessaria sunt, & pro moribus vniuscuiusque gentis ac seculi variè accommodari debẽt ad Ecclesiæ ædificationem:prout Ecclesiæ vtilitas requiret, tam vsitatas mutare & abrogare quàm nouas instituere conueniet.Fateor equidem,non temerè,nec subinde,nec leuibus de causis ad nouationem esse decurrendum. Sed quid noceat vel ædificet, charitas optimè iudicabit:quam si moderatricem esse patiemur,salua erunt omnia.

31 Iam verò Christiani populi officium est, quæ secundum hunc canonem fuerint instituta, libera quidem conscientia, nullâque superstitione, pia tamen & facili ad obsequendum propensione seruare,non contemptim habere, non supina negligentia præterire: tantum abest vt per fastum & contumaciam violare apertè debeat.Qualis (inquies) in tanta obseruantia & cautione conscientię libertas esse poterit?Imò verò præclarè constabit vbi reputabimus, nõ fixas esse & perpetuas sanctiones quibus astricti simus, sed externa humanæ infirmitatis rudimenta: quibus tametsi non indigemus omnes, tamen omnes vtimur:quia alii aliis ad fouẽdam inter nos charitatem mutuò sumus obnoxii. Hoc in exemplis superius positis recognoscere licet. Quid? an in mulieris carbaso sita religio est,vt nudo capite egredi sit nefas? An sanctum de eius silentio decretum, quod violari sine summo scelere non possit? An aliquid in genuflexione, in humando cadauere mysterium, quod præteriri sine piaculo non possit? Minimè. Nam si tali festinatione opus sit mulieri in iuuando proximo quæ velare caput non sinat, nihil delinquit si aperto capite accurrat.Et est vbi loqui non minus opportunum illi sit quàm alibi tacere. Stantem quoque orare qui morbo impeditus curuare genua nequit,nihil vetat.Denique satius est maturè humare mortuum,quàm vbi linteum deest,vbi non adsunt qui deducant,expectare dum inhumatus putrescat. Sed est nihilominus in istis rebus quod agendum aut cauendum mos regionis,instituta,ipsa denique humanitas & modestiæ regula dictet: vbi si imprudentia & obliuione quid erratum fuerit, nullum admissum crimen est:sin cõtemptu, improbanda est contumacia.Similiter dies ipsi qui sint, & horæ, quæ locorum structura, qui quo die canantur Psalmi,nihil interest. Verùm & certos dies & statas esse horas conuenit,& locum recipiendis omnibus idoneum,siqua seruandæ pacis ratio habetur.Nam quantarum rixarum semen futura sit earum rerum confusio, si prout cuique libitum sit, mutare liceat quæ ad communem statum pertinent? quando nunquam futurum est vt omnibus idem placeat, si res velut in medio positæ, singulorum arbitrio relictæ fuerint. Quòd siquis obstrepat & plus sapere hîc velit quàm oportet, viderit ipse qua morositatem suam ratione Domino approbet.Nobis tamen istud Pauli satisfacere debet, nos con- 1.Cor.11.c.16
tendendi morem non habere,neque Ecclesias Dei.

32 Porrò ſumma diligentia incumbẽdum eſt nequis irrepat error, qui purum hunc vſum vel inficiat vel obſcuret. Quod quidem obtinebitur ſi quæcunque erunt obſeruationes manifeſtam vtilitatem præ ſe ferant, ſi parciſſimæ admittantur: potiſſimum verò ſi accedat fidelis Paſtoris doctrina, quæ prauis opinionibus viam præcludat. Hæc autem cognitio facit vt ſua cuique in his rebus omnibus libertas conſtet, & quandam nihilominus ſuæ quiſque libertati neceſſitatem vltro imponat, quatenus aut illud quod diximus τὸ πρέπον, aut charitatis ratio exiget. Deinde vt & in earum rerum obſeruatione nulla ſuperſtitione verſemur ipſi, nec moroſè nimium ipſam ab aliis requiramus, ne potiorẽ Dei cultum ceremoniarum multitudine æſtimemus, ne Eccleſia Eccleſiam ob externæ diſciplinæ varietatem contemnat. Poſtremò vt nullam hîc perpetuam legem nobis ſtatuentes, totum obſeruationum vſum & finem ad Eccleſiæ ædificationem referamus: quæ poſtulante, non modò mutari aliquid, ſed quicquid antè in vſu nobis obſeruationum fuerit, inuerti nulla offenſione feramus. Hoc enim ferre temporum rationem vt ritus quoſdam, non impios alioqui nec indecoros, pro rei opportunitate abrogari conueniat, præſenti experimento eſt hæc ætas. Nam (quæ ſuperiorum temporũ cæcitas fuit & ignorantia) tam corrupta opinione tãmque pertinaci ſtudio antehac in ceremoniis hæſerunt Eccleſiæ, vt vix ſatis repurgari à prodigioſis ſuperſtitionibus queant, quin multæ ceremonię tollantur nec abs re olim fortè inſtitutæ, & nulla per ſe impietate notabiles.

De Eccleſiæ iuriſdictione, eiúſque abuſu, qualis cernitur in Papatu. CAP. XI.

RESTAT tertia pars, & quidem in ſtatu bene compoſito præcipua, Eccleſiaſticæ poteſtatis, quam in iuriſdictione poſitam eſſe diximus. Tota autem Eccleſiæ iuriſdictio pertinet ad morum diſciplinam, de qua mox tractãdum erit. Quemadmodum enim nulla vrbs nullúſve pagus ſine magiſtratu & politia ſtare poteſt: ſic Eccleſia Dei (quod iam docui, ſed nunc iterum cogor repetere) ſua quadam ſpirituali politia indiget: quę tamen à ciuili prorſus diſtincta eſt, eámque adeò nihil impedit aut imminuit, vt potius multum iuuet ac promoueat. Iſta igitur iuriſdictionis poteſtas nihil aliud erit in ſumma quàm ordo comparatus ad ſpiritualis politiæ conſeruationem. In hunc finem fuerunt ab initio conſtituta in Eccleſiis iudicia quæ cenſuram de moribus agerent, animaduerterent in vitia, & exercendo clauium officio
1. Cor. 12. d. 28 præeſſent. Hunc ordinem deſignat Paulus in epiſtola ad Corinthios, quum gubernationes nominat. Item ad Romanos, quum dicit, Qui præeſt, in ſolicitudine præſit. Nõ enim
Rom. 12. b. 8 alloquitur magiſtratus (qui nulli tunc erant Chriſtiani) ſed eos qui ad ſpirituale Eccleſiæ
1. Tim. 5. c. 17 regimen erant adiuncti Paſtoribus. Ad Timotheum quoque duplices facit Presbyteros: alios qui laborant in verbo, alios qui verbi prædicatione non funguntur, & tamen bene præſunt. Hoc poſteriore genere non dubium eſt quin eos intelligat qui ad inſpectionem morum & totum clauium vſum conſtituti erant. Nam poteſtas hæc, de qua loquimur, tota pendet à clauibus quas Chriſtus Eccleſiæ contulit, Matthæi decimooctauo capite: vbi iubet grauiter publico nomine admoneri eos qui priuatas monitiones contẽpſerint: quòd ſi in ſua contumacia pergant, à ſocietate fidelium abdicandos docet. Porrò monitiones iſtæ & correctiones ſine cauſæ cognitione fieri nequeunt. proinde opus eſt & iudicio & ordine aliquo. Quamobrem niſi velimus irritam facere clauium promiſſionem, & excommunicationem, ſolennes monitiones, & quicquid tale eſt de medio tollere: aliquã Eccleſiæ iuriſdictionem demus neceſſe eſt. Obſeruent lectores non agi illo loco de generali doctrinę authoritate, ſicuti Matthæi cap. 16, & Iohannis 21: ſed ius ſynedrii in poſterũ tranſferri ad Chriſti gregem. Ad illum vſque diem Iudæis ſua fuerat gubernãdi ratio, quã in Eccleſia ſua ſtabilit Chriſtus quoad puram inſtitutionem, atque id graui ſanctione. Sic enim oportuit, quum Eccleſiæ ignobilis & contemptæ iudicium à temerariis & faſtuoſis hominibus ſperni alioqui poſſet. Ac ne lectores impediat quòd Chriſtus iiſdẽ verbis res aliquantulum inter ſe diuerſas notat, hunc nodum ſoluere vtile erit. Duo igitur ſunt loci qui de ligando & ſoluẽdo loquuntur. Alter eſt Matthæi decimoſexto, vbi Chriſtus, poſtquam ſe claues regni cælorũ Petro daturum promiſit, continuò ſubiungit, Quodcunque ipſe in terra ligauerit aut ſoluerit, ratum in cælo fore. Quibus verbis nihil aliud ſignificat quàm aliis quæ habentur apud Iohannẽ, quũ diſcipulos miſſurus ad prædicandum, poſt-
Ioh. 20. c. 23 quam inſufflauit in eos, Quorũ, inquit, remiſeritis peccata, remiſſa erunt: & quorum retineritis, retenta erũt in cælo. Adferam interpretationem non argutam, non coactã, non detortam: ſed germanam, fluentem, obuiam. Hoc de remittendis & retinendis peccatis mandatum

mandatum & illa de ligando & soluendo Petro facta promissio non aliò debent referri quàm ad verbi ministerium, quod dũ Apostolis cõmittebat Dominus, simul & hoc soluendi ligandíque munere ipsos instruebat. Quæ enim est summa Euangelii, nisi quòd omnes serui peccati & mortis soluimur ac liberamur per redemptionem quæ est in Christo Iesu? qui verò Christum liberatorem ac redemptorem non suscipiunt nec agnoscunt, eos æternis vinculis damnatos addictósque esse? Hanc legationem quum Apostolis suis in omnes nationes perferẽdam traderet Dominus, vt suam esse & à se profectã approbaret, hoc præclaro testimonio eam honorauit: idque in eximiã confirmationem tum Apostolorum ipsorum, tum eorũ quoque omnium ad quos peruentura erat. Referebat vt Apostoli constantem ac solidam suæ prædicationis certitudinem haberent: quam non modò infinitis laboribus, curis, molestiis, periculis obituri erãt, sed suo demũ sanguine obsignaturi. Ipsam, inquam, vt scirent non vanam esse nec inanem, sed potentiæ plenã ac virtutis: referebat vt in tanta anxietate & rerũ difficultate tãtísque discriminibus, Dei se negotiũ agere persuasi essent: vt toto mũdo aduersante & repugnãte, Deum pro se stare cognoscerent: vt Christum doctrinæ suæ authorẽ, aspectu in terra præsentem non habẽtes, ipsum esse in cælo intelligerent, ad firmandam eius quam sibi tradiderat doctrinæ veritatem. Oportebat rursum & auditoribus certissimè testificatũ esse, illam Euangelii doctrinam Apostolorum esse sermonem, sed Dei ipsius: nõ vocem in terra natã, sed è cælo delapsam. Non enim in hominis potestate hæc esse possunt, peccatorũ remissio, promissio vitæ æternæ, salutis nuntium. Testificatus est ergo Christus nihil in Euangelii prædicatione Apostolorũ esse præter ministerium: se esse qui per eorum ora, velut per organa, loqueretur omnia & promitteret. Itaque peccatorum remissionem quam annuntiarent, veram esse Dei promissionem: damnationem quam pronuntiarent, certum esse Dei iudicium. Hæc autem testificatio seculis omnibus data est, firmáque manet, quæ certiores omnes securóque reddat, Euangelii verbum, à quocunque tandem homine prædicetur, ipsissimam esse Dei sententiam, apud summum tribunal promulgatam, in libro vitæ scriptam, in cælo ratam, firmam, ac fixam. Habemus, potestatem clauium esse simpliciter in illis locis Euangelii prædicationem: nec tam potestatem esse quàm ministerium, si ad homines respicimus. Non enim hominibus hãc potestatem propriè Christus dedit, sed verbo suo, cuius homines ministros fecit. Mat.16. c.19

2 Alter, quem de ligandi & soluendi potestate extare diximus, locus Matthæi 18. habetur: vbi ait Christus, Si frater aliquis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: quęcunque solueritis, soluta erũt. Hic locus non omnino est priori similis, sed paulo in diuersam partem intelligendus est. Non autem sic diuersos facio vt non multam habeãt inter se affinitatẽ. Hoc primum vbique simile est, quòd vtraque est generalis sentẽtia, eadem semper ligandi soluendíque potestas (nẽpe per verbũ Dei) idẽ mandatũ, eadem promissio. Eo autẽ differũt, quòd prior locus peculiariter de prædicatione est qua verbi ministri funguntur: hic ad disciplinam excõmunicationis pertinet, quæ Ecclesiæ permissa est. Ligat autem Ecclesia quem excommunicat: non quòd in perpetuam ruinam ac desperationem coniiciat, sed quia eius vitã ac mores damnat, ac, nisi resipuerit, iam eum suæ damnationis admonet. Soluit quem in cõmunionem recipit: quia velut participem eum facit vnitatis quam habet in Christo Iesu. Nequis ergo contumaciter Ecclesiæ iudiciũ contemnat, aut parui faciat se fidelium suffragiis damnatum: testatur Dominus tale fidelium iudicium non aliud esse quàm sententiæ suæ promulgationem, ratúmque haberi in cælis quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Dei, quo peruersos damnent: habent verbum, quo resipiscentes in gratiam recipiant. Errare autẽ non possunt, nec à Dei iudicio dissentire, quia nonnisi ex Lege Dei iudicant, quæ non incerta est aut terrena opinio, sed sancta Dei voluntas, & cæleste oraculũ. Ex istis duobus locis, quos vt breuiter, ita & familiariter & verè enarrasse mihi videor, furiosi illi, nullo discrimine, prout sua vertigine feruntur, nunc confessionẽ, nunc excõmunicationem, nunc iurisdictionem, nunc ius condendi leges, nunc indulgentias statuere conantur. Priorem verò ad astruẽdum Romanæ sedis primatum allegant. ita norunt claues suas quibus visum est aptare seris & ostiis: vt dicas tota vita eos artem fabrilem exercuisse. Mat.18. c.17

3 Nam quòd nonnulli omnia illa temporaria fuisse imaginantur: quum magistratus à religionis nostræ professione alieni adhuc forent: in eo falluntur, quòd non ani-

maduertunt quantum sit discrimen & qualis dissimilitudo Ecclesiasticæ & ciuilis potestatis. Neque enim ius gladii habet Ecclesia quo puniat vel coerceat, nõ imperium vt cogat, non carcerẽ, non pœnas alias quæ solẽt infligi à magistratu. Deinde non hoc agit vt qui peccauit, inuitus plectatur: sed vt voluntaria castigatione pœnitẽtiam profiteatur. Est igitur longè diuersa ratio: quia nec quicquam sibi sumit Ecclesia quod sit proprium magistratus, neque hoc efficere potest magistratus quod ab Ecclesia peragitur. Exẽplo fiet hoc facilius. Inebriatus est aliquis? in vrbe bene constituta, pœna erit carcer. scortatus est? aut similis, aut potius maior. Ita erit satisfactum & legibus, & magistratui, & externo iudicio. At fieri poterit vt nullam det pœnitentiæ significationem, quin potius vt obmurmuret vel fremat. An illic cessabit Ecclesia? At recipi ad Cœnã tales nequeunt quin fiat & Christo & sacræ eius institutioni iniuria. Et hoc postulat ratio, vt qui Ecclesiam offendit malo exemplo, solenni pœnitentiæ declaratione offendiculum, quod excitauit, tollat. Ratio quam adducunt illi qui contrà sentiunt, nimis est frigida. Mandabat, inquiunt, Christus has partes Ecclesiæ, quum nõ esset magistratus qui exequeretur. Sed accidit sæpenumero vt sit negligentior magistratus: imò nonnunquã fortè vt sit ipsemet castigandus: quod & Theodosio Cæsari contigit. Adhæc tantundem dici poterit de toto ferè verbi ministerio. Nũc ergo secundum eos desinant reprehendere Pastores manifesta flagitia: desinant obiurgare, arguere, increpare. Sũt enim Christiani magistratus, qui legibus & gladio debent hæc corrigere. At quemadmodum magistratus, puniendo, & manu coercendo, purgare debet Ecclesiã offẽdiculis: ita verbi minister vicissim subleuare debet magistratum, ne tam multi peccent. Sic coniunctæ debent esse operæ vt altera sit adiumento alteri, non impedimento.

4 Et sanè siquis propius expẽdat Christi verba facilè perspiciet, statũ & perpetuum Ecclesiæ ordinem, non temporarium illic describi. Neque enim cõsentaneum est, vt qui monitionibus nostris obtemperare noluerint, eos ad magistratum deferamus. quod tamen necesse foret si in vicem Ecclesiæ ille succederet. Quid ista promissio, an vnius anni dicenda erit, vel paucorum, Amen, amen dico vobis: quicquid ligaueritis in terra? Præterea Christus nihil hîc nouum instituit: sed cõsuetudinem in veteri gẽtis suæ Ecclesia sem per obseruatam, sequutus est: quo significauit, non posse carere Ecclesiam spirituali iurisdictione, quæ ab initio fuisset. Atque id omnium temporum consensu fuit confirmatum. Neque enim vbi cœperunt Imperatores & magistratus Christo nomen dare, protinus abrogata est spiritualis iurisdictio: sed ita duntaxat ordinata nequid ciuili derogaret, aut cum ea confunderetur. Et meritó. non enim magistratus, si pius est, eximere se volet communi filiorum Dei subiectione, cuius non postrema pars est, Ecclesiæ ex verbo Dei iudicanti se subiicere: tantum abest vt iudicium illud tollere debeat. Quid enim honorificentius (inquit Ambrosius) quàm vt Ecclesiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Quare illi qui vt magistratum ornent, Ecclesiam spoliant hac potestate, non modò falsa interpretatione corrumpunt Christi sententiam, sed sanctos omnes Episcopos, qui tam multi à tempore Apostolorum extiterunt, non leuiter damnant, quòd honorem officiúmque magistratus falso prætextu sibi vsurpauerint.

Epist. 32. ad Valẽtianũ.

5 Sed hoc quoque exaduerso operæpretium est videre, quis fuerit olim verus vsus Ecclesiasticæ iurisdictionis, & quantus abusus obrepserit: vt sciamus quid abrogandũ sit, & quid ex antiquitate restituẽdum, si volumus, euerso regno Antichristi, verum Christi regnum iterum erigere. Primùm hic scopus est, vt scandalis obuiam eatur: quòd siquid scandali exortum sit, aboleatur. In vsu duo sunt consideranda: Vt à iure gladii prorsus seponatur hæc spiritualis potestas: deinde ne vnius arbitrio, sed per legitimum consessum administretur. Vtrũque in puriore Ecclesia obseruatum fuit. Neque enim vel mulctis, vel carceribus, vel aliis ciuilibus pœnis potestatem suam exercuerunt sancti Episcopi: sed solo Domini verbo, vt decebat, vsi sunt. Seuerissima enim Ecclesiæ vindicta, & quasi vltimum fulmen, est excommunicatio, quæ nonnisi in necessitate adhibetur. Illa porrò nec vim, nec manum desyderat, sed verbi Dei potentia contenta est. Denique veteris Ecclesiæ iurisdictio nihil aliud fuit quàm practica (vt ita loquar) declaratio eius quod docet Paulus de spirituali Pastorum potestate. Data est, inquit, nobis potestas, qua demoliamur munitiones, qua humiliemus omnem altitudinem quæ se extollit aduersus cognitionem Dei, qua subigamus omnem cogitationem, & captiuam ducamus in obedientiam Christi, in promptu

1. Cor. 6. a. 4

2. Cor. 10. a. 4.

promptu verò habemus vindictam aduersus omnem inobedientiam. Quemadmodum hoc fit prædicatione doctrinæ Christi: ita, ne doctrina sit ludibrio, secundum idipsum quod docetur iudicari debent qui se profitentur fidei domesticos. Id porrò fieri nequit nisi vnà cum ministerio coniunctum sit ius vocandi eos qui priuatim monendi sunt, vel acrius corrigendi, ius etiam arcendi eos à Cœnæ communione qui recipi sine tanti mysterii profanatione nequeunt. Itaque dum alibi negat non esse nostrum extraneos iudicare, filios Ecclesiæ censuris subiicit quæ eorum vitia castigent, ac tunc viguisse iudicia innuit à quibus nemo fidelium esset immunis. 1.Cor.5. d.12

6 Eiusmodi verò potestas (vt proposuimus) non penes vnum erat, vt pro sua libidine quiduis ageret: sed penes consessum Seniorum, qui erat in Ecclesia quod in vrbe est Senatus. Cyprianus, quum meminit per quos suo tempore exerceretur, adiungere solet totum clerum Episcopo. Sed alibi quoque demonstrat, sic præfuisse clerum ipsum vt plebs interim à cognitione non excluderetur. sic enim scribit, Ab initio Episcopatus mei statui sine cleri concilio, & plebis consensu, nihil agere. Verùm hæc erat communis & vsitata ratio, vt per senatum Presbyterorum Ecclesię iurisdictio exerceretur: quorum duo (vt dixi) erãt genera. Alii enim ad docendum erant ordinati, alii morum censores duntaxat erãt. Paulatim degenerauit hoc institutum à suo primordio: vt iam Ambrosii seculo soli clerici in iudiciis Ecclesiasticis essent cognitores. Quod ipse conqueritur his verbis, Synagoga vetus, inquit, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur: quod qua negligentia obsoleuerit nescio, nisi fortè doctorum desidia, vel magis superbia: dum soli volunt aliquid videri. Videmus quãtopere sanctus vir indignetur aliquid de meliore statu concidisse: quum tamen adhuc illis staret ordo saltem tolerabilis. Quid igitur si has deformes ruinas intueretur quæ nullum propè vestigium referunt vetusti ædificii? qua deploratione vteretur? Principiò contra ius & fas, quod Ecclesiæ datum erat, sibi vni vendicauit Episcopus. Perinde enim est acsi Senatu expulso Consul imperium solus occuparet. Atqui, vt est reliquis honore superior, ita in ipso collegio plus est authoritatis quàm in vno homine. Fuit igitur facinus nimis improbum, quòd vnus homo, trãslata ad se communi potestate, & tyrannicæ libidini patefecit aditum, & Ecclesiæ quod suum erat eripuit, & consessum à Christi Spiritu ordinatum suppressit & abdicauit. Epist.14. lib.3, & eiusdem lib.epist.19, & alibi Epist.10.lib.3 In 5.cap.1.ad Timoth.

7 Verùm (vt aliud malum semper ex alio nascitur) Episcopi velut rem sua cura indignam fastidientes, ad alios ablegarunt. Inde creati Officiales, qui locum illum sustinerẽt: nondum dico quale genus hominum, hoc tantùm dico, nihil differre à profanis iudicibus. Et tamen spiritualem iurisdictionem adhuc vocant, vbi nonnisi de rebus terrenis litigatur. Vt nihil sit aliud mali, forum litigiosum qua fronte vocare audent iudicium Ecclesiæ? At illic sunt monitiones, est excommunicatio. Scilicet ita cum Deo luditur. Debet pauperculus aliquis pecuniam? Citatur. si cõparet, damnatur. Damnatus nisi satisfaciat, monetur: à monitione secũda gradus fit ad excommunicationem. si non comparet, monetur vt se sistat iudicio. si moram facit, monetur, & mox excommunicatur. Quæso, quid omnino simile vel cum instituto Christi, vel cum more prisco, vel cum ratione Ecclesiastica? At fit etiam illic de vitiis censura. Nempe scortationes, lasciuias, ebrietates & eius generis flagitia non tantùm tolerant, sed tacita quodammodo approbatione fouent ac confirmant: neque id in plebe modò, sed in ipsis quoque clericis. Ex multis paucos ad se vocant, vel ne videantur nimis socordes in conniuendo, vel vt pecuniam emulgeant. Taceo prædas, rapinas, peculatus, sacrilegia, quæ inde colliguntur. Taceo quales vt plurimum deligãtur ad hoc munus. Hoc satis supérque est, quòd quum iurisdictionem suam spiritualem iactant Romanenses, ostendere promptum est institutæ à Christo rationi nihil esse magis contrarium: cum prisca verò consuetudine nihilo plus habere similitudinis quàm tenebras cum luce.

8 Tametsi non omnia diximus quæ huc adferri poterant, & ea quoque ipsa quæ diximus, paucis perstricta sunt: sic tamen debellatum esse confido vt nihil iam sit cur quisquam ambigat, spiritualem potestatem, qua Papa cum toto suo regno superbit, impiam esse contra Dei verbum ac iniustam in eius populum tyrannidem, Aç spiritualis quidem potestatis nomine tum audaciam complector in fabricandis nouis doctrinis, quibus miseram plebem à germana verbi Dei puritate auerterunt, tum iniquas traditiones quibus ipsam illaquearunt, tum speudoecclesiasticam iurisdictionem, quam per suffraganeos & officiales exercent. Nã si Christo regnũ inter nos permittimus, fieri nõ potest quin totũ

istud dominationis genus extemplo prosternatur ac corruat. Ius autem gladii quod sibi quoque tribuunt, quia in conscientias non exercetur, tractare præsentis negotii non est. Qua tamẽ etiam in parte animaduertere operæpretium est, sui semper esse similes: nihil scilicet minus quàm quod haberi volunt, Ecclesiæ pastores. Nec peculiaria hominum vitia, sed commune totius ordinis scelus, adeóque ipsam ordinis pestem arguo: quando mutilus ille fore creditur, nisi opulẽtia & superbis titulis spectabilis fuerit. Si hac de re Christi authoritatẽ quærimus, non dubiũ quin verbi sui ministros à ciuili dominatione ac terreno imperio arcere voluerit, quum diceret, Reges Gentiũ dominãtur illis: vos autẽ non sic. Significat enim nõ modò pastoris officiũ distinctũ esse ab officio principis: sed res esse magis separatas quàm vt in vnũ hominem coire queãt. Nam quòd Moses vtrũque simul sustinuit, primùm raro id miraculo factum est: deinde fuit tẽporarium, donec res melius componerentur, Vbi autem certa forma à Domino præscribitur, ciuilis gubernatio ei relinquitur: sacerdotium iubetur fratri resignare. & meritó. est enim supra naturam vt vnus homo vtrique oneri sufficiat. idque fuit seculis omnibus diligenter in Ecclesia obseruatũ. Nec quisquã extitit Episcoporum, quandiu durauit vera aliqua Ecclesiæ facies, qui de vsurpando iure gladii co[illegible]ret: vt istud esset vulgare prouerbium Ambrosii ætate, Imperatores magis sacerdotio [illegible]ptasse quàm imperium Sacerdotes. Erat enim in omniũ mentibus infixũ quod postea dicit, Ad Imperatorẽ pertinere palatia, ad Sacerdotẽ Ecclesias.

Mat. 20. d. 25
Luc. 22. c. 25
Exo. 18. c. 16
Refert hoc homil. de basilic. tradendis.

9 Posteaquam verò excogitata fuit ratio qua Episcopi titulum, honorẽ, opes sui muneris tenerent sine onere ac solicitudine: ne otiosi prorsus relinquerentur, ius illis gladii datum est, vel potius ipsi sibi vsurparunt. Hanc impudẽtiam quo tandẽ prætextu defendent? An iudiciorum cognitionibus, ciuitatúmque & prouinciarum administrationibus sese inuoluere, & occupationes à se tam alienas latissimè amplecti, id Episcoporum erat? quibus tantum in suo munere operæ ac negotii est, vt si illic toti assiduíque sint, nec vllis auocamentis distrahantur, vix tamen sufficere queant. At verò, qua sunt peruicacia, iactare non dubitant, sic pro dignitate florere gloriam regni Christi, nec se interim nimium abstrahi à vocationis suæ partibus. Quantum ad prius illud attinet, si hoc decorum est sacri muneris ornamentum, eò fastigii euectos esse vt summis quibusque monarchis sint formidabiles: est cur cum Christo expostulent, à quo grauiter eo modo læsus est eorum honor. Quid enim contumeliosius, eorum quidem opinione, dici poterat istis verbis? Reges Gentium & Principes dominantur illis: vos autem non sic. Nec tamen duriorem legem seruis suis imponit quàm ipse primus sibi tulit ac recepit. Quis me (inquit) iudicem constituit aut diuisorem inter vos? Videmus iudicandi munus simpliciter à se reiicere, quod non faceret si res esset suo muneri consentanea. In ordinem cui se Dominus subiecit, non patientur serui se cogi? Alterum vellem tam experimento probarent quàm dictitare facile est. Atqui quum Apostolis visum non fuerit, derelicto Dei sermone, ministrare mensis: ex eo quia doceri nolunt, conuincuntur, non eiusdem esse & bonum Episcopum præstare & bonum Principem. Nam si illi qui pro donorum quibus prædicti erant amplitudine, pluribus longè & grauioribus curis sufficere poterant quàm vllí post eos nati homines, confessi sunt tamen se verbi & mensarum ministerio incumbere simul non posse quin oneri succumberent: quomodo isti præ Apostolis nihili homunciones possent eorum industriam centuplo superare? Id quidem tentare impudentissimæ nimiúmque audacis confidentiæ fuit. Sed tamen factum videmus. quo successu, palàm est. neque enim aliter euenire poterat quàm vt deserta sua functione in aliena castra commigrarent.

Mat. 20. d. 25.
Luc. 22. c. 15
Luc. 12. b. 14
Act. 6. a 2.

10 Nec dubiũ quin ex tenuibus initiis paulatim tantos progressus fecerint. Neque enim primo passu hucusque poterant cõscendere: sed nunc vafritie & obliquis artibus sese clanculum extulerunt, ita vt nemo futurum prospiceret, donec factum esset: nunc per occasionem, terrore & minis extorserunt à Principibus aliquod potentiæ suæ auctarium: nunc quum viderent Principes ad largiendum non difficiles, stulta & inconsiderata eorum facilitate sunt abusi. Olim pii, siquid controuersiæ inciderat, vt litigãdi necessitatem effugerent, Episcopo mandabant arbitrium: quòd de eius integritate non dubitabãt. Talibus arbitriis sæpe implicabantur veteres Episcopi, quod ipsis quidem summopere displicebat (quemadmodum alicubi testatur Augustinus) sed ne partes ad contentiosum iudicium prosilirent, hanc molestiam inuiti obibant. Isti ex voluntariis arbitriis, quæ prorsus à forensi strepitu abhorrebant, fecerunt ordinariam iurisdictionem. Quum vrbes ac

ac regiones aliquanto post tempore variis difficultatibus premerentur, ad Episcoporum patrocinium se contulerunt, vt ipsorum fide protegerentur: isti miro artificio ex patronis dominos se fecerunt. Quin violentis factionibus bonam partem occuparint negari non potest. Qui verò Episcopis iurisdictionem sponte contulerunt Principes, variis ad id studiis impulsi sunt. Verùm vt aliquam pietatis speciem habuerit ipsorum indulgentia, non optimè tamen hac præpostera sua largitate consuluerunt Ecclesię commodis, cuius antiquam verámque disciplinam sic corruperunt: imò, vt verè dicam, penitus aboleuerunt. Qui verò tali Principum bonitate abusi sunt in suum commodum Episcopi, hoc vno specimine edito, satis supérque testati sunt, se minimè esse Episcopos. Nam siquam scintillam habuissent Apostolici Spiritus, respondissent proculdubio ex ore Pauli, Arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia sunt. Verùm cæca cupiditate rapti, & se & posteros & Ecclesiam perdiderunt. 2. Cor. 18. a. 4

11 Tandem Romanus Pontifex mediocribus satrapiis non contentus, regnis primùm, deinde imperio quoque manum iniecit. Atque vt possessionem mero latrocinio occupatam, qualicunque colore retineat, nũc iure diuino se habere gloriatur, nunc Constantini donationem, nunc alium titulum prætendit. Primùm cum Bernardo respõdeo, Esto vt alia quacunque ratione hoc sibi vendicet, non tamen Apostolico iure. Neque enim Petrus quod non habuit dare potuit: sed dedit successoribus quod habebat, solicitudinem Ecclesiarum. Quum uerò dicat Dominus ac Magister, se non esse constitutum inter duos iudicem, non debet seruo ac discipulo indignum videri si non iudicet vniuersos. Loquitur autem Bernardus de iudiciis ciuilibus: subiũgit enim, Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, non propter has accepistis claues regni cælorum. Quænam tibi videtur maior dignitas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? Nulla comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? &c. Item, Factus es superior (Eugenium Papam alloquitur) ad quid? Non enim ad dominandum, opinor. Nos igitur, vt multum sentiamus de nobis, meminerimus impositum ministerium, non dominium datum. Discat sarculo tibi opus esse, nou sceptro, vt opus facias Prophetæ. Item, Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Et continuo pòst, Forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur: indicitur ministratio. Hæc quum ab homine sic dicta sint vt ipsam veritatem loqui omnibus palàm sit, imò quum sine vllis verbis res ipsa pateat: nihil tamen puduit Romanum Pontificem in Concilio Arelatensi decernere, supremum ius vtriusque gladii sibi competere iure diuino. Lib. De consider. 25. Luc. 12. b. 14 Lib. De consider. 2.

12 Quantum ad Constantini donationem pertinet, qui mediocriter in illorũ temporum historiis versati sunt, non opus habent doceri quàm sit hoc nõ modò fabulosum, sed etiam ridiculum. Sed vt omittamus historias, vnus Gregorius huius rei & idoneus & locupletissimus est testis. Nam quoties de Imperatore loquitur, sereniſſimum dominum vocat: & se indignum eius seruum. Item alibi, Sacerdotibus autem non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur: sed excellenti consideratione, propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur vt etiam debitam reuerentiam impẽdat. Videmus vt in subiectione communi velit haberi tanquam vnus è populo. Non enim alterius cuiusquam, sed suam illic causam agit. Alibi, In omnipotenti Deo cõfido quòd longam piis dominis vitam tribuet, & nos sub manu vestra secundum suam misericordiam disponet. Neque hæc ideo adduxi quòd mihi propositum sit hanc de Cõstantini donatione quæstionem penitus excutere: sed tantùm vt obiter videant lectores quàm pueriliter mentiantur Romanenses, quum terrenum imperium suo Pontifici asserere conantur. Quo fœdior Augustini Steuchi impudentia fuit, qui in causa tam deplorata operam suam & linguã Romano Pontifici vẽditare ausus est. Valla quod homini docto & acris ingenii difficile non erat, validè refutauerat fabulam illam. Neque tamen (vt homo parum in rebus Ecclesiasticis exercitatus) omnia dixerat quæ ad rem factura erant. Irrumpit Steuchus, ac putidas nænias spargit ad claram lucem obruendam. Et certè non minus frigidè domini sui causam agit quàm si facetus quispiam idem se agere simulans, Vallæ suffragaretur: sed digna est causa scilicet cui tales patronos mercede redimat Papa: æquè autem digni conductitii rabulæ quos spes lucri frustretur, sicuti Eugubino contigit. Epist. 5. lib. 2 Epist. 20. li. 3 Epist. 61. li. 2 Epist. 31. li. 4 Epist. 34. li. 4

13 Cæterùm siquis tempus requirat ex quo commentitium hoc imperium cœpit

emergere, nondum elapſi ſunt anni quingenti quum in ſubiectione Principum adhuc manebant Pontifices, nec Pontifex ſine Imperatoris authoritate creabatur. Huius ordinis nouandi occaſionem præbuit Gregorio ſeptimo Imperator Henrichus, eius nominis quartus, homo leuis & temerarius, nullius cõſilii, magnæ audaciæ, & vitæ diſſolutæ. Nam quum Epiſcopatus totius Germaniæ haberet in aula ſua partim venales, partim prædæ expoſitos, Hildebrandus, qui laceſſitus ab eo fuerat, plauſibilem prætextum arripuit quo ſe vindicaret. Quia autem videbatur bonam & piam cauſam agere, multorum fauore adiuuabatur. Et erat alioqui Henrichus, propter inſolentiorẽ adminiſtrandi rationem, pleriſque Principum exoſus. Tandem Hildebrandus, qui ſe Gregorium ſeptimum vocabat, vt erat homo impurus & nequam, animi ſui malitiam prodidit. quæ cauſa fuit vt à multis qui cum eo conſpirauerãt, deſtitueretur. Hoc tamen profecit vt impune liceret ſucceſſoribus non modò iugum excutere, ſed Imperatores quoque obnoxios ſibi facere. Huc acceſſit quòd multi deinde fuerunt Imperatores Henricho ſimiliores quàm Iulio Cæſari: quos ſubigere non fuit difficile, quum domi rerum omnium ſecuri & ignaui deſiderent, vbi maximè opus erat Pontificum cupiditatem virtute & legitimis modis reprimere. Videmus quo colore prætexta ſit egregia illa donatio Conſtantini qua imperium Occidentale Papa traditum ſibi fingit.

14 Interea temporis non ceſſarunt Pontifices, nunc fraude, nunc perfidia, nunc armis, in alienas ditiones inuadere: vrbem quoque ipſam, quæ tunc libera erat, ante annos centum circiter & triginta in poteſtatem ſuam redegerunt: donec in eam potentiam venerunt quam hodie obtinent: & pro qua vel retinenda vel augenda Chriſtianum orbem ita ducentis annis (cœperant enim antequam ſibi raperent vrbis dominatum) turbarunt vt propemodum perdiderint. Olim quum ſub Gregorio bonorum Eccleſiaſticorum cuſtodes manum iniicerent prædiis quæ cenſebant Eccleſiæ eſſe, ac fiſcali more titulos imprimerent in ſignum vendicationis, Gregorius coacto Epiſcoporum concilio, grauiter in morem illum profanum inuectus, rogauit annon pro anathemate haberent clericum qui ſua ſponte inſcriptione tituli poſſeſſionem aliquam occupare tentaret: ſimiliter Epiſcopum, qui id vel fieri præciperet, vel ſuo iniuſſu factum non plecteret. Omnes pronuntiarunt, Anathema. Si tituli inſcriptione fundum vendicare, facinus eſt anathemate dignum in Clerico: vbi totos ducentos annos nihil aliud meditantur Pontifices quàm prælia, ſanguinis effuſionem, exercituum interitus, vrbium direptiones, aliarum excidia, gentium clades, vaſtationes regnorum, tantummodo vt alienis dominiis manum iniiciant: quæ talibus exemplis puniendis ſufficere poſſunt anathemata? Certè nihil eos minus quærere quàm Chriſti gloriam minimè obſcurum eſt. Nã ſi in vniuerſum quicquid habent ſecularis poteſtatis ſponte reſignent, nullum gloriæ Dei, nullum ſanæ doctrinæ, nullum Eccleſiaſticæ ſalutis periculum vertitur. ſed vna dominandi cupiditate cæci ac præcipites feruntur: quia nihil ſaluum eſſe putant niſi cum auſteritate (vt Prophera ait) & cum potentia imperent.

Haberur li. 4. Regiſtr. cap. 88.

Ezec. 34. a. 4

15 Iuriſdictioni annexa eſt immunitas quam ſibi ſumunt Clerici Romanenſes. Rem enim indignam eſſe putant ſi in cauſis perſonalibus coram ciuili iudice reſpondeant: atque in eo poſitam eſſe arbitrantur Eccleſiæ tum libertatem tum dignitatem, ſi communibus iudiciis ac legibus eximantur. Atqui veteres Epiſcopi, qui aliàs in aſſerendo Eccleſiæ iure rigidiſſimi erant, nihil lædi ſe ac ſuum ordinem iudicarunt ſi ſubiicerentur. Pij quoque Imperatores, nullo reclamante, ad ſua tribunalia, quoties opus erat, Clericos ſemper vocarunt. Sic enim loquitur Conſtantinus in Epiſtola ad Nicomedenſes, Siquis Epiſcoporum inconſultè tumultuatus ſit, miniſtri Dei, hoc eſt, mea executione, illius audacia coercebitur. Et Valentianus, Boni Epiſcopi potentiæ Imperatoris non obloquuntur: ſed ſyncerè, & Dei magni Regis mandata cuſtodiunt, & noſtris legibus parent. Hoc ſine vlla controuerſia tunc erat omnibus perſuaſum. Eccleſiaſticæ quidem cauſæ ad Epiſcopale iudicium referebantur. Quemadmodum ſiquis Clericus nihil in leges deliquiſſet, Canonibus tantum reus agebatur: non citabatur ad commune tribunal: ſed Epiſcopum habebat in ea cauſa iudicem. Similiter ſi fidei quæſtio agitabatur, aut quæ ad Eccleſiam propriè pertineret, cognitio deferebatur Eccleſiæ. Sic intelligendum eſt quod ſcribit Ambroſius ad Valentinianum: Auguſtæ memoriæ pater tuus non modò ſermone reſpondit, ſed legibus quoque ſanxit, in cauſa fidei eum iudicare debere qui nec munere ſit impar, nec iure diſſimilis. Itẽ, Si Scripturas aut vetera exempla intuemur, quis eſt qui abnuat,

Referturlib. 1. Theodori. cap. 20. lib. 4 Theodorit. cap. 8.

Epiſt. 32.

abnuat,in cauſa fidei,in cauſa(inquam) fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Item: Veniſſem,Imperator,ad conſiſtorium tuum,ſi me vel Epiſcopi,vel populus ire paſſus foret:dicentes,cauſam fidei in Eccleſia coram populo debere tractari.Contendit quidem ſpiritualem cauſam,hoc eſt,religionis, ad ciuile forum non eſſe trahendam vbi profanæ controuerſiæ agitantur. Meritò in hac re eius conſtantiam laudant omnes. Et tamen in bona cauſa eò vſque progreditur, vt ſi ad vim & manum ventum fuerit,ceſſurum ſe dicat. Volēs, inquit,locum mihi commiſſum non deſeram: coactus repugnare non noui, arma enim noſtra preces ſunt & lachrymæ. Obſeruemus ſingularem ſancti hominis moderationem ac prudentiam cum animi magnitudine fiduciáque coniunctam. Iuſtina Imperatoris mater, quia in partes Arrianorum pertrahere eum non poterat, expellere ab Eccleſiæ gubernatione moliebatur. Atque id futurum erat ſi in palatium ad cauſam dicendam vocatus veniſſet. Negat igitur Imperatorem idoneum eſſe cognitorem tantæ controuerſiæ. Id quod & illius temporis neceſſitas poſtulabat, & ipſa etiam perpetua rei natura. Moriendum enim ſibi potius iudicabat quàm vt tale exemplum ad poſteros,ſe conſentiente, tranſmitteretur: & tamen ſi vis afferatur,de reſiſtendo non cogitat. Negat enim id epiſcopale eſſe, fidem & Eccleſiæ ius armis tueri. Cæterùm in aliis cauſis quiduis ſe facere paratum oſtendit quod iuſſerit Imperator. Si tributum petit,non negamus, inquit:agri Eccleſiæ tributum ſoluunt. Si agros petit,poteſtatem habet vendicandi:nemo noſtrûm interuenit. In eum modum loquitur & Gregorius, Sereniſſimi, inquit, domini animum non ignoro, quòd ſe in cauſis Sacerdotalibus miſcere non ſoleat:ne noſtris in aliquo peccatis grauetur. Non generaliter à Sacerdotibus iudicandis excludit Imperatorem:ſed certas cauſas eſſe dicit quas Eccleſiaſtico iudicio relinquere debeat.

Homil.de baſilic.tradendis.

Lib.3.epi.20

16 Atque adeò hac ipſa exceptione nihil aliud quæſierunt ſancti viri,quàm ne Principes minus religioſi tyrannica violentia & libidine Eccleſiam in ſuo munere peragendo impedirent. Neque enim improbabant ſiquando ſuam authoritatem interponerēt Principes in rebus Eccleſiaſticis,modò conſeruando Eccleſiæ ordini, non turbando, diſciplinæque ſtabiliendæ, non diſſoluendæ, hoc fieret. Nam quum Eccleſia cogendi non habeat poteſtatem,neque expetere debeat(de ciuili coercitione loquor)piorum Regum ac Principum partes ſunt, legibus,edictis,iudiciis religionem ſuſtinere. Hac ratione, quum Mauricius Imperator Epiſcopis quibuſdam mandaſſet vt vicinos collegas à Barbaris expulſos ſuſciperent: eam iuſſionem confirmat Gregorius, hortatúrque ipſos vt pareant. Ipſe verò ab eodem admonitus vt cum Iohanne Epiſcopo Conſtantinopolitano rediret in gratiam,rationem quidem reddit cur non debeat culpari:non tamen fori ſecularis immunitatem iactat, quin potius ſe obſequentem fore promittit, quoad licebit per cōſcientiam:& ſimul hoc dicit feciſſe Mauricium quod religioſum Principem deceret,quum talia Sacerdotibus præceperat.

Lib.1.epiſ. 43

Lib.4. epiſt. 32,& 34

Lib.7.epi.39

De Eccleſiæ diſciplina,cuius præcipuus vſus in cenſuris & excommunicatione. CAP. XII.

DISCIPLINA Eccleſiæ, cuius tractationem in hūc vſque locum diſtulimus, paucis expedienda eſt:vt aliquando ad reliqua tranſeamus. Ea autem maxima ex parte à poteſtate clauium & ſpirituali iuriſdictione pendet. Quod vt facilius intelligatur, diuidamus Eccleſiam in duos ordines præcipuos: clerum ſcilicet & plebem. Clericos appello vſitato nomine qui publico miniſterio in Eccleſia funguntur.Loquemur primùm de communi diſciplina,cui ſubeſſe omnes debent: deinde veniemus ad clerum, qui præter illam communem, ſuam propriam habet. Sed quia nonnulli, in odium diſciplinæ, ab ipſo quoque nomine abhorrent, hi ſic habeant: Si nulla ſocietas, imò nulla domus quæ vel modicam familiam habeat, conſiſteri in recto ſtatu ſine diſciplina poteſt: eam eſſe multo magis neceſſariam in Eccleſia, cuius ſtatum quàm ordinatiſſimum eſſe decet. Proinde quemadmodum ſaluifica Chriſti doctrina anima eſt Eccleſiæ, ita illic diſciplina pro neruis eſt: qua fit vt membra corporis, ſuo quodque loco inter ſe cohæreant. Quamobrem quicunque vel ſublatam diſciplinam cupiunt, vel eius impediunt reſtitutionem, ſiue hoc faciant data opera, ſiue per incogitātiam, Eccleſiæ certè extremam diſſipationem quærunt.Quid enim futurum eſt ſi vnicuique liceat quod libuerit? Atqui id fieret, niſi ad doctrinæ prædicationem accederent priuatæ monitiones, correctiones & alia eiuſmodi adminicula quæ doctrinam

ſuſtinent & otioſam eſſe non ſinunt. Diſciplina igitur veluti frænum eſt quo retineantur & dom'entur qui aduerſus Chriſti doctrinam ferociunt: vel tanquam ſtimulus quo excitentur parum voluntarii: interdum etiam velut paterna ferula, qua clementer & pro Spiritus Chriſti manſuetudine caſtigentur qui grauius lapſi ſunt. Quum ergo iam imminere cernamus initia quædam horrendæ in Eccleſia vaſtitatis, ex eo quòd nulla eſt cura nec ratio continendi populi, ipſa neceſſitas clamat remedio opus eſſe. Porrò hoc vnicum eſt remedium quod & Chriſtus præcipit, & ſemper vſitatum inter pios fuit.

2 Primum diſciplinæ fundamentum eſt, vt priuatæ monitiones locum habeant: hoc eſt, ſiquis officium ſponte non faciat, aut inſolenter ſe gerat, aut minus honeſtè viuat, aut aliquid admiſerit reprehẽſione dignum, vt patiatur ſe moneri: atque vt quiſque fratrem ſuum, dum res poſtulabit, monere ſtudeat. Præſertim verò in hoc aduigilent Paſtores ac Preſbyteri, quorum partes ſunt non modò concionari ad populum, ſed per ſingulas domos monere & exhortari, ſicubi vniuerſali doctrina non ſatis profecerint. quemadmodum docet Paulus, quum refert ſe docuiſſe priuatim & per domos: & ſe mundum à ſanAct.20.d.20 & c.26 guine omniũ atteſtatur, quia non ceſſauerit cum lachrymis nocte & die monere vnumquemque. Tunc enim vim ac authoritatem obtinet doctrina vbi miniſter non tantùm omnibus ſimul exponit quid Chriſto debeant, ſed ius & rationem habet idipſum exigendi ab iis quos vel parũ doctrinæ obſequẽtes, vel ſegniores animaduerterit. Siquis eiuſmodi monitiones vel peruicaciter reſpuat, vel pergendo in ſuis vitiis contemnere ſe oſtendat: vbi ſecundò teſtibus adhibitis monitus fuerit, ad Eccleſiæ iudicium, qui eſt Senio-
Mat.18.b.15 & c.17 rum conceſſus, vocari Chriſtus præcipit: illic grauius admoneri, quaſi publica authoritate, vt ſi reuereatur Eccleſiam, ſubiiciat ſe & pareat. Sine ſic quidem frangatur, ſed in ſua nequitia perſeueret, tum iubet, tanquam Eccleſiæ contemptorem, à ſocietate fidelium abdicari.

3 Verùm quia de occultis modò vitiis illic loquitur, ponenda eſt iſta diuiſio: Peccata
Mat.18.b.15 eſſe alia priuata, alia publica vel palam manifeſta. De prioribus dicit Chriſtus vnicuique priuato, Argue inter te & ipſum ſolum. De manifeſtis dicit Paulus Timotheo, Coram o-
1.Tim.5.d. 20. mnibus argue: vt reliqui timorem habeant. Nam prædixerat Chriſtus, Si frater tuus in te peccauerit. Quam particulam aliter (niſi eontẽtioſus eſſe velis) accipere non potes, quàm Sub tua conſcientia: ita vt non ſint plures conſcii. Quod autẽ Timotheo præcipit Apoſto-
Gal.2.c.14 lus de arguẽdis palàm iis qui palàm peccant, ipſe in Petro ſequutus eſt. nam quum illead publicum vſque offendiculum peccaret, non monuit ſeorſum, ſed in cõſpectum Eccleſię produxit. Erit igitur hæc legitima agendi ſeries, ſi in occultis corrigendis progrediamur ſecundum illos gradus à Chriſto poſitos: in manifeſtis ſtatim procedamus ad ſolenné Eccleſiæ correptionem, ſi quidem offendiculum ſit publicum.

4 Sit altera quoque diſtinctio: Ex peccatis alia eſſe delicta, alia ſcelera vel flagitia. His poſterioribus corrigendis non tantùm adhibenda eſt admonitio vel obiurgatio, ſed ſeue-
1.Cor.5.b.4 rius remedium: quemadmodum demonſtrat Paulus, qui Corinthium inceſtum non modò verbis caſtigat, ſed excommunicatione punit, ſimulatque de ſcelere factus eſt certior. Nũc ergo melius incipimus cernere quomodo ſpiritualis Eccleſiæ iuriſdictio, quæ ex verbo Domini in peccata animaduertit, optimum ſit & ſanitatis ſubſidium, & fundamentũ ordinis, & vinculum vnitatis. Ergo dum Eccleſia manifeſtos adulteros, ſcortatores, fures, prædones ſeditioſos, periuros, falſos teſtes, & eius generis reliquos, item contumaces (qui de leuioribus etiam vitiis ritè admoniti, Deum & eius iudiciũ ludibrio habent, è conſortio ſuo exterminat: nihil ſibi præter rationem vſurpat, ſed iuriſdictione ſibi à Domino delata fungitur. Porrò, nequis tale Eccleſiæ iudicium ſperna, aut parui æſtimet ſe fidelium ſuffragiis damnatum, teſtatus eſt Dominus, iſtud ipſum nihil aliud eſſe quàm ſententiæ
Mat.16. c.19 & 18.c.18 Iohã.20.c.23 ſuæ promulgationem, ratúmque haberi in cælis quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Domini quo peruerſos damnent: habent verbum quo reſipiſcentes in gratiam recipiant. Sine hoc, inquam, diſciplinæ vinculo qui diu ſtare poſſe Eccleſias confidunt, opinione falluntur: niſi fortè carere impunè poſſimus eo adminiculo, quod Dominus fore nobis neceſſàrium prouidit. Et ſanè, quanta ſit eius neceſſitas, ex multiplici vſu melius perſpicietur.

Epheſ.5. f.25 5 Sunt autem tres fines quos ſpectat Eccleſia in eiuſmodi correctionibus & excommunicatione. Primus eſt, ne cum Dei contumelia inter Chriſtianos nominẽtur qui turpem ac flagitioſam vitam agunt, acſi ſancta eius Eccleſia foret improborum & ſceleratorum

torum hominum coniuratio.Nam quum ipsa Christi sit corpus,eiusmodi fœtidis & putridis membris inquinari non potest quin aliqua ignomina in caput recidat. Nequid ergo tale extet in Ecclesia vnde probrum sacrosancto eius nomini inuratur, abigendi sunt ex eius familia quorum ex turpitudine ad Christianum nomen infamia redundaret. Atque hîc quoque habenda est Cœnæ Dominicæ ratio,ne promiscua exhibitione profanetur.Verissimum est enim,eum,cui commissa est dispẽsatio, si sciens ac volens indignum admiserit quem repellere iure poterat,perinde reum esse sacrilegii acsi corpus Domini canibus prostitueret.Quamobrem Chrysostomus grauiter inuehitur in Sacerdotes, qui dum magnorum potentiam formidant, neminem audent arcere.Sanguis, inquit, è manibus vestris requiretur.Si hominem timetis,ille vos deridebit.sin Deum, eritis hominibus quoque ipsis venerabiles. Non fasces horreamus, non purpuram, non diademata. maior hîc est nobis potestas.Ego certè corpus meum potius tradam in mortem, ac sanguinem meum fundi patiar,quàm pollutionis istius fiam particeps.Ergo, ne sacratissimũ hoc mysterium afficiatur ignominia,in eo dispensando magnopere delectus requiritur: qui tamen haberi nequit nisi per Ecclesiæ iurisdictionem.Alter finis est,ne assidua malorum consuetudine,vt fieri solet,boni corrumpantur.Nam(quæ nostra est ad deuiãdum procliuitas)nihil facilius est quàm vt malis exemplis á recto vitæ cursu abducamur.Hunc vsum notauit Apostolus,quum incestum à consortio suo amandare Corinthiis præciperet.Modicum,inquit,fermentum totam massam corrumpit.Ac tantum hîc periculum prospiciebat vt vel ab omni sodalitate interdiceret.Siquis,ait,frater inter vos nominatur vel scortator,vel auarus,vel idolorum cultor,vel ebriosus,vel maledicus,cum huiusmodi nec cibum sumere permitto.Tertius,vt eos ipsos pudore confusos suæ turpitudinis pœnitere incipiat.Ita conducit & illis suam nequitiam castigari, quo expergefiant sensu ferulæ qui indulgentia obstinatiores futuri erant.Id significat Apostolus quũ in hunc modum loquitur,Siquis non obedit doctrinæ nostræ,hunc notate:& ne cõmisceamini cum illo,vt pudore suffundatur.Item alibi,quum se tradidisse scribit Corinthium Satanæ, vt spiritus saluus fieret in die Domini.hoc est(vt ego quidẽ interpretor)concessisse in damnationem temporaneam,vt æternùm saluus fieret.Ideo autem Satanę tradere dicit,quia extra Ecclesiam Diabolus est,quemadmodum in Ecclesia Christus.Nam quòd quidam ad certam carnis vexationem referunt,mihi videtur incertissimum.

Colos.1.d.24

Homil.in Matth.3 Ezech.3.d.18 & 33.c.10.

1.Cor.5.b.6. & d.11

2. Thes.3.d. 14 1.Cor.5.b.5

6 His finibus propositis,superest videre qualiter hanc partem disciplinæ, quæ in iurisdictione posita est,Ecclesia exequatur.Principiò retineamus illam partitionem superius positam,peccatorum alia esse publica,alia priuata vel occultiora. Publica sunt quæ non vnum vel alterum modò testem habent:sed palàm & cum totius Ecclesiæ offensione designantur.Occulta voco, non quæ homines prorsus latent, qualia sunt hypocritarum (nam illa sub Ecclesiæ iudicium non cadunt) sed medii generis, quæ scilicet testibus non carent: neque tamen sunt publica. Prior species non requirit gradus illos quos Christus enumerat.sed Ecclesia, vbi tale quid emergit, facere officium suum debet in vocando peccatore, & corrigendo pro modo delicti. In secundo genere non venitur ad Ecclesiam donec accesserit contumacia,secundũ illam Christi regulam.Vbi ad cognitionem ventum est,tunc obseruãda est altera diuisio inter scelera & delicta.Neque enim in leuioribus peccatis adhibenda est tanta seueritas,sed sufficit verborũ castigatio: eáque lenis & paterna,quæ non exasperet peccatorem nec cõfundat, sed reducat ad sepsum:vt magis gaudeat se correctum,quàm tristetur.Flagitia autem acriore remedio castigari conuenit.neque enim satis est si is qui edito mali exempli facinore,grauiter Ecclesiam læsit,verbis tantùm castigetur:sed priuari ad tempus Cœnæ cõmunione debet, donec resipiscentiæ suę fidem fecerit.Neque enim Paulus in Corinthium verborum modò obiurgatione vtitur,sed ab Ecclesia eliminat,reprehẽditque Corinthios quòd tandiu eũ tulissent.Hãc rationem tenuit vetus ac melior Ecclesia,quum vigeret legitima gubernatio.Siquis enim flagitium aliquod perpetrauerat vnde exortum esset offendiculum, primùm à sacræ Cœnæ participatione abstinere,deinde & corã Deo sese humiliare, & corã Ecclesia pœnitentiam testari iubebatur.Erant autem solennes ritus qui iniungi lapsis solebant,vt essent pœnitentiæ indicia.Vbi sic defunctus erat vt satisfactum Ecclesiæ foret, tum per manuum impositionẽ recipiebatur in gratiam,quæ receptio sæpius à Cypriano pax vocatur,qui etiã eiusmodi ritũ breuiter describit.Pœnitentiã,inquit,agũt iusto tẽpore:deinde ad exomologesin veniũt, & per manuũ impositionẽ Episcopi & cleri ius com-

1.Cor.5.b.5

Augusti. De verb.Apost. Serm.68

Epist.2.lib.1 Epist.14. lib. 3, & eiusdẽ lib.epist.26

munionis accipiunt. Quanquam ſic præerat reconciliationi Epiſcopus cum ſuo clero, vt ſimul plebis conſenſum requireret: quemadmodum alibi tradit.

7 Hac diſciplina adeò nemo eximebatur, vt Principes quoque vnà cum plebeiis ſe ad eam ferendam ſubiicerent. Et meritò: quum Chriſti eſſe conſtaret, cui omnia Regum ſceptra & diademata ſubmitti æquum eſt. Sic Theodoſius, quum ab Ambroſio ob cædem Theſſalonicæ perpetratam iure communionis priuatus eſſet, ſtrauit omne quo circundatus erat inſigne regium: defleuit in Eccleſia publicè peccatum ſuum, quod aliorum fraude obrepſerat: gemitu & lachrymis orauit veniam. Neque enim dedecori id ſibi eſſe debent iudicare magni Reges, ſi coram Chriſto Rege regum ſuppliciter ſe proſternant, nec illis diſplicere debet quòd per Eccleſiam iudicentur. Nam quum in aula ſua nihil ferè audiant præter meras aſſentationes, pluſquam neceſſarium illis eſt per os Sacerdotum à Domino corripi. Quin potius optare debẽt ne ſibi Sacerdotes parcant, quo parcat Dominus. Hoc loco prætereo per quos exercẽda iſthæc iuriſdictio ſit: quia alibi dictum eſt. Hoc tantùm addo, illam eſſe legitimam in excommunicando homine progreſſionem, quam demonſtrat Paulus, ſi non ſoli Seniores ſeorſum id faciant, ſed conſcia & approbante Eccleſia: in eum ſcilicet modum vt plebis multitudo nõ regat actionem, ſed obſeruet vt teſtis & cuſtos, nequid per libidinem à paucis geratur. Tota verò actionis ſeries, præter nominis Dei inuocationem, eam grauitatem habere debet quæ Chriſti præſentiam præ ſe ferat: vt dubium non ſit quin ipſe ſuo iudicio præſideat.

Ambr. lib. 1. epiſt. 3. in orat. habita in funere Theodoſii.

8 Hoc tamen præteriri non debet, talem ſeueritatem decere Eccleſiam quæ cum ſpiritu manſuetudinis coniuncta ſit. Semper enim diligenter cauendum eſt, quemadmodum præcipit Paulus, ne abſorbeatur à triſtitia is in quem animaduertitur. ſic enim ex remedio fieret exitium. Verùm ex fine melius ſumi poterit moderationis regula. nam quum hoc in excommunicatione quæratur vt ad pœnitentiam perducatur peccator, & mala exempla tollantur è medio, ne vel malè audiat Chriſti nomen, vel ad imitationem alii prouocentur, hæc ſi intuebimur, licebit facilè iudicare quouſque progredi & vbi deſinere debeat ſeueritas. Ergo vbi pœnitentiæ ſuæ teſtimonium Eccleſiæ dat peccator, & hoc teſtimonio ſcandalum, quantum in ſe eſt, obliterat: nequaquam vltrà vrgendus eſt. quòd ſi vrgetur, modum iam excedit rigor. Qua in parte excuſari nullo modo poteſt immodica veterum auſteritas, quæ & prorſus à Domini præſcripto diſſidebat, & erat mirum in modum periculoſa. Nam quum peccatori pœnitẽtiam ſolennem & priuationem à ſacra communione nunc in ſeptem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent: quid inde ſequi potuit niſi vel magna hypocriſis, vel maxima deſperatio? Similiter quòd nemo qui iterum lapſus eſſet, ad ſecundam pœnitentiam admitteretur, ſed vſque ad finem vitæ eiiceretur ab Eccleſia, id nec vtile erat, nec rationi conſentaneum. Quicunque igitur ſano iudicio rem æſtimabit, deſiderabit hîc eorum prudentiam. Quanquam publicum hîc potius morẽ improbo quàm eos omnes accuſo qui eo vſi ſunt, quorum nonnullis diſplicuiſſe certum eſt: ſed ideo ferebant quia non poterant corrigere. Certè Cyprianus declarat quàm non ſponte fuerit tam rigidus. Patientia (inquit) & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi: opto omnes cõmilitones noſtros intra Chriſti caſtra & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo: ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quę in Deum commiſſa ſunt, non pleno iudicio examino: delictis pluſquam oportet remittendis penè ipſe delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pœnitẽtia reuertentes, peccatum ſuum ſatiſfactione humili & ſimplici confitentes. Chryſoſtomus aliquanto durior, ſic tamen loquitur, Si Deus tam benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus vult videri? Scimus præterea qua facilitate vſus ſit Auguſtinus erga Donatiſtas, vt non dubitauerit in Epiſcopatum recipere qui à ſchiſmate redierant, idque ſtatim poſt reſipiſcentiam. Verùm quia contraria ratio inualuerat, coacti ſunt proprio iudicio cedere vt eam ſequerentur.

2. Cor. 2. b. 7

9 Quemadmodum autem in toto Eccleſiæ corpore hæc manſuetudo requiritur, vt clementer nec vſque ad ſummum rigorem animaduertat in lapſos, ſed potius, ſecundum Pauli præceptum, charitatem in eos confirmet: ita pro ſe quiſque priuatus ad hanc clementiam & humanitatem attemperare ſe debet. Non ergo noſtrum eſt, tales qui ab Eccleſia ſunt expulſi expungere ex electorum numero, aut deſperare quaſi iam perditos. Alienos quidẽ ab Eccleſia iudicare fas eſt, & proinde à Chriſto: ſed pro eo tẽpore quo in

Ad Cornelium epiſt. 3. lib. 1.

diuortio

diuortio manent. Quòd si tum quoque maiorem peruicaciæ quàm humanitatis speciem præferunt, eos tamen iudicio Domini commendemus, meliora de iis in posterum speran tes quàm videmus in præsens: nec propterea desinamus pro iis Deum precari. Et (vt verbo vno complectar) non personam ipsam, quæ in manu atque arbitrio Dei solius est, in mortem addicamus: sed tantùm qualia sint cuiusque opera æstimemus ex Lege Domini. Quam regulam dũ sequimur, stamus potius diuino iudicio quàm nostrum proferimus. Plus licentiæ ne nobis in iudicando arrogemus, nisi volumus Dei virtutem limitare, ac misericordiæ eius legem dicere: cui quoties visum est, pessimi in optimos mutantur, alieni inseruntur, extranei cooptantur in Ecclesiam. Idque Dominus agit vt sic hominum opinionem eludat, & temeritatem retundat: quæ nisi coerceatur, sibi iudicandi ius suprà quàm decet vsurpare audet. Mat.18.c.18

10 Nam quòd promittit Christus ligatum in cælo fore quod sui in terra ligauerint, ligandi vim ad Ecclesiæ censuram limitat: qua non coniiciuntur in perpetuam ruinam ac damnationem qui excommunicantur, sed vitam morésque suos damnari audientes, suæ etiam ipsorum perpetuæ damnationis, nisi resipuerint, certi fiunt. Siquidem hoc differt ab anathemate excommunicatio, quòd illud, adempta omni venia, hominem deuouet & addicit æterno exitio: hæc in mores magis vindicat atque animaduertit. Et quanquam plectit etiam ipsa hominem: sic tamen plectit vt futuræ suæ dãnationis ipsum prænonendo, in salutem reuocet. Quod si obtineatur, parata est reconciliatio & in communionem restitutio. Anathematis porrò aut perquam rarus aut nullus omnino vsus est. Proinde tametsi familiarius versari aut interiorem consuetudinem habere cum excommunicatis non liceat per Ecclesiasticam disciplinam: debemus tamen contendere, quibus possumus modis, vt ad meliorem frugem conuersi, in societatem ac vnitatem Ecclesiæ se recipiãt. Quemadmodum Apostolus quoque docet, Nolite (inquit) existimare quasi inimicos, sed corripite vt fratres. Hæc humanitas nisi tam priuatim quàm communiter seruetur, periculum est ne ex disciplina mox delabamur ad carnificinam. 2.The.3.d.15

11 Hoc quoque ad disciplinæ moderationem in primis requiritur quod Augustinus contra Donatistas disputat, ne vel priuati homines, si viderint minus diligenter à seniorum Concilio vitia corrigi, discessionem propterea continuò ab Ecclesia faciant: aut ipsi Pastores, si nequeant ex animi sui voto omnia repurgare quæ correctione indigent, ideo abiiciant ministerium, vel inusitata asperitate totam Ecclesiam perturbent. Est enim verissimum quod scribit, Nempe quisquis vel quod potest, arguendo corrigit: vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat: hunc à maledictione liberum ac solutum esse. Rationem alibi reddit, quia omnis pia ratio, & modus Ecclesiasticæ disciplinæ, vnitatem Spiritus in vinculo pacis intueri semper debet: quod Apostolus sufferendo nos inuicem præcipit custodiri: & quo non custodito, vindictæ medicina non tantùm superuacua, sed etiam pernicioſa esse incipit: ideóque medicina esse definit. Hęc (inquit) qui diligenter cogitat, nec in conseruatione vnitatis negligit disciplinæ seueritatem, nec interpetie correctionis disrumpit vinculum societatis. Fatetur quidem non Pastores modò debere in hanc partem incumbere nequid in Ecclesia vitii remaneat, sed vnicuique eodem enitendum pro sua virili: nec dissimulat, eum qui malos monere, arguere, corrigere negligit, etiamsi iis non faueat, nec cum iis peccet, reum esse coram Domino: quòd si talem gerit personam vt etiam à Sacramentorum participatione possit separare, & non facit, iam non alieno malo peccare, sed suo. Tantùm id fieri vult adhibita prudentia quam Dominus quoque requirit, ne dum eradicantur zizania, frumenta lædantur. Inde colligit ex Cypriano, Misericorditer igitur corripiat homo quod potest: quod autem non potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat. Lib.2. cõtra Parme.cap.1 Lib.3. cap.1. Cap.2. Cap.1. Mat.13. d.29

12 Hoc autem dicit propter Donatistarum morositatem, qui quum cernerent in Ecclesiis vitia quæ verbis quidem reprehenderent Episcopi, sed excommunicatione non plecterent, (quia non putabant se hac via quicquam profecturos) in Episcopos atrociter inuehebantur tanquam disciplinæ proditores: & à Christi grege, impio schismate se diuidebant. Qualiter hodie faciunt Anabaptistæ, qui dum nullum cœtum Christi esse agnoscunt nisi Angelica perfectione omni ex parte conspicuum, sub prætextu sui zeli quicquid est ædificationis subuertunt. Tales (inquit Augustinus) non odio iniquitatis alienæ, sed studio suarum contentionum, infirmas plebis iactantia sui nominis irretitas, vel totas Cap.1.

trahere,vel certè diuidere affectãt:ſuperbia tumidi,peruicacia veſani,calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti,ne luce veritatis carere eos pateat,vmbram rigidæ ſeueritatis obtendunt:& quæ in Scripturis ſalua dilectionis ſinceritate, & cuſtodita pacis vnitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri iubentur,ad ſacrilegium ſchiſmatis
2. Cor. 11.d. 34 & occaſionem præciſionis vſurpant.Ita ſe tranſſigurat Satan in Angelum lucis, dum per occaſionem quaſi iuſtæ ſeueritatis crudelem ſæuitiam perſuadet, nihil aliud appetẽs niſi vt corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & vnitatis: quo firmo inter Chriſtianos vires eius omnes inualidæ fiunt ad nocendum, muſcipulæ inſidiarum comminuuntur, & conſilia euerſionis euaneſcunt.

13 Vnum iſtud præcipuè commendat,ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit,viuidæ diſciplinæ ſeueram miſericordiam eſſe neceſſariam.Nam & conſilia(inquit)ſeparationis inania ſunt,ac pernicioſa,ac ſacrilega:quia impia atque ſuperba fiunt: & plus perturbant infirmos bonos quàm corrigant animoſos malos.Ac quod aliis ibi præcipit,
Epiſt.64. ipſe quoque fideliter ſequutus eſt.Nam Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi ſcribens, conqueritur ebrietatem impune graſſari in Africa, quæ adeò grauiter in Scripturis damnatur:ſuadétque vt coacto Epiſcoporum Concilio remedium adhibeatur. Subiungit deinde,Non aſperè,quantum exiſtimo,non duriter,non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo quàm iubendo,magis monendo quàm minãdo.Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium.Seueritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Neque tamen intelligit conniuendum propterea aut tacendum Epiſcopis, quòd ſeuerius puni-
Cap.2.lib.3. cõtra Parm. re publica flagitia nequeant:quemadmodum ipſe poſtea exponit.Sed corrigẽdi modum ita vult temperari,vt quoad licet ſanitatem potius quàm exitium corpori afferat. Atque
1. Cor. 5.c.7 ideo ſic tandem concludit,Quamobrem & illud præceptum Apoſtoli nullo modo negligendum eſt,de malis ſegregãdis, quum ſine periculo violandæ pacis fieri poteſt:quia nec
Epheſ.4. a.2 aliter fieri voluit:& iſtud quoque ſeruandum eſt,vt ſufferentes inuicem ſtudeamus ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.

14 Reliqua pars diſciplinæ,quæ clauium poteſtate propriè non continetur,in eo eſt vt pro temporum neceſſitate plebem exhortentur Paſtores vel ad ieiunia vel ad ſolennes ſupplicationes,vel ad alia humilitatis,pœnitentiæ,ac fidei exercitia:quorum nec tempus nec modus nec forma præſcribitur verbo Dei,ſed in Eccleſiæ iudicio relinquitur. Huius quoque partis obſeruatio,ſicuti eſt vtilis,ita veteri Eccleſiæ ab ipſis vſque Apoſtolis ſemper fuit vſitata.Quanquam ne ipſi quidem Apoſtoli primi fuerunt authores, ſed exemplum ſumpſerunt ex Lege & Prophetis.Videmus enim illic quoties graue aliquod incidebat negotium,conuocatam fuiſſe plebem,ſupplicationes indictas,indictum ieiunium. Id ergo ſequuti ſunt Apoſtoli quod & populo Dei nouum non erat, & vtile fore prę-debant.Similis eſt ratio de aliis exercitiis quibus plebs,vel ad officium excitari, vel in officio ac obedientia contineri poteſt.Exempla paſſim extant in Sacris hiſtoriis, quæ non opus eſt colligere.Sic in ſumma habendum eſt:quoties de religione incidit controuerſia quam vel Synodo,vel Eccleſiaſtico iudicio finire oportet, quoties de eligendo Miniſtro agitur,quoties denique tractatur res aliqua difficilis ac magni momenti:rurſum quũ apparent iudicia iræ Domini,vt ſunt peſtilentia,& bellum & fames,hoc ſanctum eſſe,& ſeculis omnibus ſalutare inſtitutum,vt Paſtores ad publicum ieiunium & extraordinarias preces plebẽ hortentur.Siquis teſtimonia quę ex Veteri teſtamento adduci poſſunt,non recipiat,quaſi Chriſtianæ Eccleſiæ minus conueniant,conſtat Apoſtolos quoque ſic feciſſe.Tametſi de precibus vix puto reperietur aliquis qui moueat quæſtionẽ. De ieiunio ergo dicamus nonnihil:quia plurimi dum non intelligunt quid vtilitatis habeat,nõ adeò neceſſarium eſſe iudicant:alii etiam vt ſuperuacuum,prorſus reiiciunt: & vſu eius nõ bene cognito,facilis eſt in ſuperſtitionem lapſus.

15 Sanctum ac legitimum ieiunium tres habet fines.Eo enim vtimur, vel ad macerandam ac ſubigendam carnem, ne laſciuiat, vel vt ad preces ac ſanctas meditationes melius ſimus comparati, vel vt teſtimonium ſit noſtræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum noſtrum coram ipſo confiteri. Primus finis, non ita ſæpe locum habet in publico ieiunio: quòd non vna eſt omnibus corporis conſtitutio, non vna valetudo.priuato itaque ieiunio magis conuenit. Secundus, vtriuſque communis eſt.tam enim vniuerſa Eccleſia eiuſmodi præparatione ad preces opus habet, quã priuatim fidelium vnuſquiſque.Tertius quoque ſimiliter. Fiet enim interdum vt bello, vel peſte, vel çalami-

calamitate aliqua gẽtem vnam percutiat Deus. In hac communi ferula reã ſe tota plebs faciat oportet,ac reatum profiteatur.Siquẽ verò priuatum feriat manus Domini,idipſum faciat vel ſolus vel cum ſua familia. Id quidem præcipuè ſitum eſt in animi affectu.Sed enim vbi animus afficitur vt debet,fieri vix poteſt quin erumpat in externam teſtificationem: idque tum maximè ſi in communem ædificationem cedit, vt omnes ſimul, peccatum ſuum palàm confitendo,laudem iuſtitiæ Deo reddant,& ſe mutuò ſinguli exemplo ſuo cohortentur.

16 Vnde ieiunium,vt eſt ſignum humiliationis,frequentiorem vſum habet in publico,quàm inter homines priuatos: vtcũque ſit commune,vt dictũ eſt.Quod ergo ad diſciplinam,de qua nunc tractamus,pertinet:quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum eſt, ieiunium vnà cum oratione indicere expediret. Sic quum Paulo & Barnabæ manus imponunt Antiochæni, quo eorum miniſterium, quod tanti momenti erat, melius Deo commendent,orationi ieiuniũ coniungũt.Sic ambo ipſi poſtea quum miniſtros præficerent Eccleſiis,ſoliti ſunt orare cum ieiunio. In genere hoc ieiunii non aliud ſpectarũt niſi vt redderentur alacriores & magis expediti ad precandum.Hoc certè experimur,ventre pleno mẽtem non ita eſſe in Deum erectam, vt & ſerio ardentíque affectu ferri in precationem,& in ea perſeuerare poſſit.Sic intelligendum eſt quod refert Lucas de Anna,eam ſeruiiſſe Domino ieiuniis & obſecrationibus . Neque enim cultũ Dei reponit in ieiunio: ſed ſignificat ſanctam mulierem ſe hoc modo exercuiſſe ad precandi aſſiduitatem . Tale fuit ieiunium Nehemiæ,quum intentiore ſtudio Deum pro liberatione populi ſui precaretur.Hanc ob cauſam dicit Paulus fideles rectè facere ſi ad tẽpus abſtineant à thoro coniugali, vt liberius vacent orationi & ieiunio: vbi ieiunium precationi vice adminiculi coniungens, nullius per ſe momenti eſſe admonet niſi quatenus refertur in hunc finem . Deinde quum præcipiat eo loco coniugibus, vt alii aliis mutuam beneuolentiam reddant, clarum eſt non de quotidianis precibus eum loqui , ſed quæ attentionem magis ſeriam exigunt.

Act.13.a.3
Ibid.14. d.23
Luc.2.e.37
Nehe.1. b.4
1.Cor.7.a.5
Ibidem a.3

17 Rurſum ſi graſſari incipit vel peſtilentia,vel fames,vel bellum,aut ſiqua clades imminere aliâs regioni ac populo videtur : Paſtorum tũc quoque officium eſt hortari ad ieiunium Eccleſiam, quo ſuppliciter iram Domini deprecetur. Se enim ad vltionem apparari & quodammodo armari denuntiat,vbi periculum apparere facit. Qualiter igitur promiſſa barba,impexo capillo, pulla veſte , ſuppliciter ſe olim demittere rei ſolebant ad conciliandam iudicis miſericordiam: ita nos,quum rei agimur coram Dei tribunali,eius ſeueritatem miſerabili habitu deprecari,tum eius glorię intereſt ac publicę ędificationis, tum nobis quoque ipſis vtile eſt ac ſalutare . Atque id quidem vſitatum fuiſſe in populo Iſraelitico,ex verbis Ioelis colligere promptum eſt. nam quum iubet cani tuba,conuocari cœtum,indici ieiunium,& ea quæ ſequuntur,loquitur vt de rebus communi conſuetudine receptis.Paulo antè dixerat,de flagitiis populi conſtitutam eſſe quæſtionem,ac iam imminere iudicii diem nuntiauerat, reóſque citauerat ad dicendam cauſam. deinde vociferatur vt properent ad ſaccum & cinerem , ad fletum & ieiunium:hoc eſt , vt externis quoque teſtificationibus ſe coram Domino proſternãt. Cinis quidem & ſaccus illis forte tẽporibus magis conueniebant : ſed cõuocatio & fletus & ieiunium,& quæ ſunt his ſimilia , non dubium quin ad noſtram quoque ætatem ſimiliter pertineant , quoties ita rerum noſtrarum conditio poſtulat . Nam quum ſanctum ſit exercitium cum ad humiliandos homines,tum ad humilitatem confitendam:cur eo minus vtamur quàm veteres in ſimili neceſſitate? Legimus ieiunaſſe in ſignum mœſtitiæ nõ modò Iſraeliticam Eccleſiam,verbo Dei formatam ac conſtitutam,ſed Niniuitas quoque,qui nihil doctrinæ præter vnicam Ionæ prædicationem habebant.Quid cauſæ eſt igitur cur non idem agamus? At externa eſt ceremonia,quæ finem in Chriſto vnà cũ aliis accepit. Imò hodiéque optimum fidelibus adminiculum eſt(vt ſemper fuit)& vtilis admonitio, ad ſeipſos excitãdos, ne ſua nimia ſecuritate & ſocordia Deum magis ac magis prouocent , dum eius flagellis caſtigantur.Proinde Chriſtus,quum Apoſtolos ſuos excuſat quòd non ieiunẽt,non dicit abrogatum eſſe ieiuniũ:ſed calamitoſis tẽporibus ipſum deſtinat,& coniungit cum luctu, Veniet,inquit,tempus,quum auferetur ab illis ſponſus.

1.Sam.7.b.6 & 31.d.13
2.Reg.1.b. 12.
Ionæ 3.b.5
Mat.9.b.15
Luc.5.g.34

18 Ne quis autem error ſit in nomine:definiamus quid ſit ieiunium. non enim ſimpliciter continentiam ac parſimoniam in victu hîc intelligimus, ſed quiddam aliud. Piorum quidem vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet , vt quandam ieiunii ſpe-

ciem, quoad fieri poteſt, toto ſuo decurſu præ ſe ferat. Sed eſt præterea ieiunium aliud tẽporale, quum aliquid ex cõſueta viuendi ratione retrahimus: vel ad diem vnum, vel ad certum tempus, & nobis continentiam indicimus in victu ordinaria illa arctiorem ac ſeueriorem. Hoc in tribus ſitum eſt, in tempore, in ciborum qualitate, & parſimonia. Tempus dico, vt ieiuni defungamur iis actionibus quarum cauſa inſtituitur ieiuniũ. Quemadmodum, exempli cauſa, ſi ob ſolennem precationẽ quis ieiunet, vt eò impranſus accedat. Qualitas in eo ſita eſt vt abſint omnes lautitiæ, ac plebeiis vilioribúſque cibis cõtenti, palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ratio in hoc eſt, vt parcius ac leuius ſolito veſcamur: tantùm ad neceſſitatem, non etiam ad voluptatem.

19 At verò ſemper in primis cauendum nequid obrepat ſuperſtitionis, quemadmodum antehac magno Eccleſiæ malo accidit. Multo enim ſatius fuerit nullum prorſus eſſe ieiuniorum vſum quàm diligenter obſeruari, & interim corruptum eſſe falſis perniciosíſque opinionibus, ad quas mundus ſubinde delabitur, niſi ſumma fide ac prudentia obuiam eant Paſtores. Primum eſt vt ſemper vrgeant quod docet Ioel, ſcindẽda eſſe corda, non veſtimenta: hoc eſt, admoneant plebem, non magni per ſe æſtimari à Deo ieiunium niſi adſit interior cordis affectus, vera peccati & ſuiipſius diſplicẽtia, vera humiliatio, veríſque dolor ex timore Dei. Imò ieiunium non aliam ob cauſam vtile eſſe niſi quòd iſtis accedit velut inferius adminiculum. Nihil enim magis execratur Deus quàm dum homines ſigna & externam ſpeciem pro cordis innocentia obiiciendo, fucũ ſibi facere conantur. Itaque in hanc hypocriſin ſeueriſſimè inuehitur Ieſaias, quòd Iudæi ſatisfactum Deo putarent vbi ieiunauerant duntaxat, vtcunque impietatem & impuras cogitationes in animo fouerent. Nunquid tale eſt (inquit) ieiunium quod Dominus elegit? & quę ſequuntur. Non igitur inutilis modò ac ſuperuacua fatigatio eſt hypocritarum ieiuniũ, ſed maxima abominatio. Alterum malum huic affine ſummopere cauendũ eſt, ne pro opere meritorio aut ſpecie diuini cultus cenſeatur. Nam quum ſit res per ſe media, nec quicquam habeat momẽti niſi propter eos fines in quos reſpicere debet, pernicioſiſſima ſuperſtitio eſt, confundere cum operibus à Deo mandatis, & per ſe neceſſariis non alio reſpectu. Tale fuit olim delirium Manichęorum: quos dum refellit Auguſtinus, ſatis clarè docet, ieiunium non niſi ab iis quos dixi finibus æſtimandum, nec Deo aliter probari niſi eò referatur. Tertius error non adeò quidem impius, periculoſus tamen: tanquam vnum ex pręcipuis officiis moroſius ac rigidi⁹ exigere, ac immodicis encomiis ſic extollere vt homines ſe aliquid eximium feciſſe putent quum ieiunauerint. Qua in parte non in totum excuſare audeo veteres quin & ſuperſtitionis quædam ſemina iecerint, & occaſionẽ præbuerint tyrannidi quæ poſtea exorta eſt. Occurrunt quidem interdum ſanæ ac prudentes de ieiunio ſententiæ: ſed poſtea occurrunt ſubinde immodicæ ieiunii laudes, quæ ipſum inter præcipuas virtutes extollunt.

Ioel.2.c.13

Ieſa.58.b.5

Li.2. De mo rib. Manich cap.13. & li. 30. contra Fauſtum.

20 Et tunc paſſim inualuerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſeruatio: quia & vulgus eximium aliquod obſequium Deo ſe in ea præſtare exiſtimabat, & Paſtores eam cõmendabant pro ſancta Chriſti imitatione: quum planum ſit non ideo ieiunaſſe Chriſtum vt aliis exemplum præſcriberet, ſed vt Euangelii prædicationem ſic auſpicando, non humanam doctrinam eſſe, ſed è cælo profectã re ipſa comprobaret. Ac mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti iudicii obrepere potuiſſe, quæ tot ac tam claris rationibus refellitur. Non enim ſæpius ieiunat Chriſtus (quod fieri oportuit ſi anniuerſarii ieiunii legem tradere vellẽt) ſed ſemel tantùm, quum ſe ad Euangelii promulgationem accingit. Nec ieiunat humano more, vt par erat ſi homines ad imitationẽ prouocare vellet: ſed magis exẽplum deſignat quo in ſui potius admirationem omnes rapiat quàm ad ęmuli landi ſtudium excitet. Denique non alia eſt iſtius ieiunii ratio quàm eius quo defunctus erat Moſes, quum Legem è manu Domini acciperet. Nam quum illud in Moſe editum eſſet miraculum ad ſtabiliendam Legis authoritatem, non debuit in Chriſto prætermitti: ne Legi Euangelium cedere videretur. Atqui ab eo tempore nemini vnquam venit in mentem, prætextu imitationis Moſis, talem ieiunii formam in populo Iſraelitico erigere. Nec vllus ex ſanctis Prophetis ac Patribus id ſequutus eſt, quũ tamen ad omnes pias exercitationes ſatis animi ac zeli haberent. Nam quod de Elia habetur, eum ſine cibo & potu quadraginta dies tranſegiſſe, non aliò pertinebat quàm vt populus agnoſceret eum excitatum eſſe Legis vindicẽ, à qua vulgò propè totus deſciuerat. Fuit igitur mera κακοζηλία, & ſuperſtitionis plena, quòd titulo ac colore imitationis Chriſti, ieiunium ornabant.

Exo 24.d.18 & 34.d.28

1. Reg.19.b. 8.

Quanquam

Quanquam in modo ieiunii mira tunc erat diuersitas, vt refert Cassiodorus ex Socrate, historiæ suæ libro nono. Romani enim (inquit) non nisi tres habebant septimanas: sed illis continuum erat ieiunium, excepto die Dominico & Sabbato. Illyrici & Græci sex: alii septem: sed ieiunium per interualla. Nec minus in ciborum discrimine diffidebãt. alii non nisi pane & aqua vescebantur, alii addebant olera: piscibus alii & volatilibus non abhorrebant: alii nullum habebant in cibis discrimen. Huius etiam differentiæ meminit Augustinus, posteriore epistola ad Ianuarium.

21 Sequuta sunt deinde deteriora tempora, & ad præposterum vulgi studium accessit Episcoporum tum inscitia & ruditas, tum libido dominandi & tyrannicus rigor. Latæ sunt impiæ leges quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus carnium esus quasi hominem contaminaret. Additæ sacrilegæ opiniones aliæ super alias, donec in profundum omnium errorum ventum est. Ac nequid prauitatis omitteretur, ineptissimo abstinentiæ prætextu cum Deo ludere cœperunt. Nam in exquisitissimis quibusque deliciis laus ieiunii quæritur. nullæ tunc lautitiæ sufficiunt. nunquam maior ciborum vel copia, vel varietas, vel suauitas. In tali ac tã splendido apparatu putant se rite seruire Deo. Taceo quòd nunquam fœdius se ingurgitant qui volunt haberi sanctissimi. In summa, his summus est Dei cultus, à carnibus abstinere, & illis exceptis affluere omni genere lautiarum. Rursum hæc vltima est impietas, & vix morte expiabilis, si quis minimum lardi aut rãcidæ carnis cum pane cibario gustauerit. Narrat Hieronymus, iam suo seculo quosdam extitisse qui talibus ineptiis cum Deo luderent: qui, ne oleo vescerentur, cibos delicatissimos vndique aduehi sibi curabant: imò vt naturæ vim inferrẽt, ab aquæ potu abstinebant: sed suaues pretiosásque sorbitiunculas fieri sibi curabant: quas non ex calice hauriebant, sed concha. Quod vitium tunc in paucis erat, hodie vulgare est inter omnes diuites: vt scilicet non alio fine ieiunẽt nisi vt lautius nitidiúsque epulentur. Sed nolo multum verborum profundere in re non adeò dubia. Hoc tantùm dico, cum in ieiuniis tum in omnibus aliis disciplinæ partibus adeò nihil recti, nihil sinceri, nihil bene compositi ac ordinati habere Papistas, vt superbiendi occasionem vllam habeant, quasi aliquid reliquum sit apud eos laude dignum. Ad Nepotianum.

22 Sequitur altera pars disciplinæ, quæ ad clerum peculiariter pertinet. Ea Canonibus continetur quos sibi veteres Episcopi suóque ordini imposuerunt. Quales sunt, Nequis clericus venationi, nequis aleæ, nequis comessationibus vacaret: nequis exerceret fœnus aut mercaturam: nequis lasciuis saltationibus interesset: aliíque eius generis. Adiiciebantur & pœnæ, quibus ipsa Canonum authoritas sanciebatur, nequis eos impune violaret. In hunc finem vnicuique Episcopo committebatur cleri sui gubernatio, vt secũdum Canones, suos clericos regeret, ac in officio retineret. In hunc finem instituta erant annuæ inspectiones ac Synodi, vt si quis foret in officio negligentior, admoneretur: si quis peccasset, pro modo delicti in eum animaduerteretur. Ipsi quoque Episcopi quotannis suas habebant prouinciales Synodos, antiquitus etiam binas, à quibus iudicabãtur si quid præter officium admiserant. Nam si quis Episcopus durior erat aut violentior in suum clerum, illuc erat prouocatio, etiamsi vnus tantùm conquerebatur. Animaduersio seuerissima erat, vt deponeretur ab officio qui peccauerat, ac communione ad tempus priuaretur. Quia autem erat ille perpetuus ordo, Synodum dimittere nunquam solebant quin locum ac tempus proximæ indicerent. Nam vniuersale cogere Concilium solius erat Imperatoris, quemadmodum testantur omnes vetustæ indictiones. Quandiu vigebat hæc seueritas, non plus verbo exigebant clerici à plebe quàm exemplo & opere præstarent. Quin multo rigidiores erant in seipsos quàm in vulgus. Et sanè ita decet vt humaniore & laxiore (vt ita loquar) disciplina plebs regatur: clerici inter se acriores exerceant censuras, minúsque longè sibi quàm aliis indulgeant. Istud totum vt obsoleuerit nihil opus est referre, quum nihil hodie fingi queat hoc ordine magis effræne ac dissolutũ: ac eò licentiæ prorupit vt totus orbis vociferetur. Ne apud ipsos videatur prorsus sepulta esse omnis antiquitas, vmbris, fateor, quibusdam decipiunt simplicium oculos, sed quæ ad vetustos mores nihilo propius accedunt quàm simiæ æmulatio ad id quod ratione & consilio faciunt homines. Memorabilis est apud Xenophontem locus, vbi docet, quum turpiter degenerassent Persæ à maiorum institutis, & ab austero viuendi genere ad mollitiem & delicias prolapsi essent, vt tamen dedecus hoc tegerent, priscos ritus sedulò seruasse. Nam quum Cyri tempore eousque vigeret sobrietas & temperantia vt emungi opus non esset, atque Lib. 8. Pæd. Cyri.

etiam probri loco duceretur:apud posteros durauit religio nequis mucum è naribus traheret,sorbere verò & intus alere ad putredinem vsque fœtidos humores quos ex ingluuie contraxerant,permissum.Ita ex vetere præcepto vrceos adferre ad mẽsam nefas:merum ingurgitare,vt ebrios auferri necesse foret,tolerabile.Semel comedere pręscriptum: hoc non abrogauerant boni isti successores, sed vt à meridie vsque ad medium noctem continuarent suas crapulas.Conficere diurnum iter ieiunos, quia lex iubebat, perpetui apud eos moris fuit:sed lassitudinis vitandæ causa,iter ad duas horas contrahere,liberum & vsitatum ex consuetudine fuit.Quoties degeneres suas regulas obtendent Papistæ, vt se ostendant affines esse sanctis Patribus:ridiculam eorum imitationem hoc exemplum satis coarguet,vt nullus pictor magis ad viuum possit exprimere.

23 Vna in re plusquam rigidi sunt & inexorabiles,ne coniugium Sacerdotibus permittant.Quanta apud eos scortandi grassetur impunitas dicere nihil attinet.ac fœtido suo cęlibatu freti occaluerunt ad omnia flagitia.hæc tamẽ prohibitio clarè ostẽdit quàm pestiferæ sint omnes traditiones:vtpote quæ non solùm orbauit Ecclesiam probis & idoneis Pastoribus,sed horrendam inuexit scelerum colluuiem,multásque animas in gurgitem desperationis proiecit.Certè quòd sacerdotibus interdictum fuit coniugium, id factum est impia tyrannide,non modò contra verbum Dei,sed etiam contra omnẽ æquitatem.Primùm vetare quod Dominus liberum reliquisset, nulla ratione hominibus licuit.Deinde nominatim Deũ cauisse verbo suo ne hæc libertas infringeretur, clarius est quàm vt longa demõstratione vti necesse sit.Omitto quòd Paulus pluribus locis Episcopum vult esse vnius vxoris virum.sed quid potuit vehementius dici quàm vbi ex Spiritu sancto denuntiat,fore nouissimis temporibus homines impios qui coniugiũ prohibeant: eósque non modò impostores nuncupat,sed dæmones?Hoc igitur vaticinium,hoc sacrũ oraculum est Spiritus sancti,quo Ecclesiam ab initio præmunire aduersus pericula voluit,Doctrinam dæmoniorum esse coniugii prohibitionem.Verùm bellè se elapsos esse putant quum hanc sententiam detorquent ad Montanũ, Tatianos, Encratitas,alióque veteres hæreticos.Illi(inquiunt)soli matrimonium damnarũt: nos minimè damnamus, sed Ecclesiasticum ordinem tantùm ab eo arcemus, cui putamus non satis conuenire. Quasi verò etiamsi in illis superioribus completum sit primo loco hoc vaticinium,nõ in istos etiam competat:aut quasi auditu digna sit puerilis ista argutiola,quòd prohibere se negant,quia non omnibus prohibent.Perinde enim est acsi tyrannus iniquam non esse legem contendat,cuius iniquitate pars duntaxat ciuitatis prematur.

1.Tim. 3.2.2 tit.1.b.6

1.Tim.4.2.3

24 Obiiciunt,aliqua nota differre oportere à plebe Sacerdotem. Quasi non prouiderit hoc quoque Dominus quibus ornamentis excellere deberent Sacerdotes.Ita Apostolum perturbati ordinis confusíque decoris Ecclesiastici insimulant,qui quum absolutam boni Episcopi ideam delinearet,inter reliquas dotes quas in eo requirebat, ausus sit coniugium ponere.Scio qualiter hoc interpretentur,nempe eligendum non esse qui secundam habuerit vxorem.Atque hanc interpretationem non esse nouam concedo:sed falsam esse ex ipso contextu palàm est:quia statim præscribit quales Episcoporũ & Diaconorum vxores esse oporteat.Paulus inter Episcopi virtutes numerat cõiugium: isti intolerabile vitium in ordine Ecclesiastico esse docent.Et,si Deo placet,hac generali vituperatione non contenti,immunditiem & pollutionem carnis in suis Canonibus vocant. Cogitet quisque apud se ex qua officina hęc prodierint.Christus eo honore dignatur cõiugium vt imaginem esse velit sacræ suæ cum Ecclesia coniunctionis. Quid splendidius dici poterat ad commẽdandam coniugii dignitatem?Qua igitur fronte immundum vel pollutum vocabitur in quo similitudo spiritualis Christi gratiæ elucet?

Siritius ad Episcopos Hispaniarum.

25 Iam verò quum ita clarè cum verbo Dei pugnet eorum prohibitio,inueniunt tamen in Scripturis quo eam defendant.Sacerdotes Leuiticos,quoties ad eos ministrandi vices redibant,oportuit ab vxoribus secubare, quo puri & immaculati sacra tractarent. Nostra ergo sacra,quum & multo nobiliora sint & quotidiana, à cõiugatis tractari valde fuerit indecorum.Quasi verò eadem sit Euãgelici ministerii persona quæ fuit sacerdotii Leuitici.Illi enim tanquam ἀντίτυποι, Christum repræsentabant,qui mediator Dei & hominum,absolutissima sua puritate reconciliaturus Patrem nobis erat.Quum verò omni ex parte exhibere peccatores typum sanctitatis eius non possent,quibuscã tamen linea-mentis vt adumbrarent,iussi sunt vltra humanum morem se purificare, dum ad Sanctuarium accederent:quia tunc scilicet propriè Christũ figurabant,quòd veluti pacificatores,

tores,ad reconciliandum Deo populum apparebant ad tabernaculum, cæleſtis tribunalis ſimulachrum. Hanc perſonam quia hodie non ſuſtinent Eccleſiaſtici Paſtores, fruſtra cum illis comparantur. Quare Apoſtolus citra exceptionem ſecurè pronuntiat honorabile eſſe inter omnes cõiugium,ſcortatores autem & adulteros manere Dei iudicium. Et ipſi Apoſtoli ſuo exemplo comprobarunt nullius quamlibet excellẽtis functionis ſanctitate indignum eſſe coniugium. Nam eos non tantùm vxores retinuiſſe,ſed ſecum etiam circunduxiſſe teſtis eſt Paulus. Heb.13.a.4. 1.Cor.9.a.5

26 Deinde mira fuit impudentia,quòd decorum iſtud caſtitatis pro neceſſaria re vẽditarunt,in ſummam veteris Eccleſiæ ignominiam:quæ quum abũdarit eximia Dei eruditione,plus tamen ſanctimonia excelluit.Nam ſi Apoſtolos nihil morantur (vt ſolẽt eos interdũ ſtrenuè cõtemnere)quid,amabo,facient omnibus vetuſtis Patribus,quos certum eſt non modò coniugium in Epiſcoporum ordine toleraſſe,ſed etiam approbaſſe? Alebãt ſcilicet fœdam ſacrorum profanationem,quando ita non rite apud eos Domini myſteria colebantur.Agitatum quidẽ fuit in Nicena Synodo de indicendo cælibatu: vt nunquam deſunt ſuperſtitioſuli , qui ſemper nouum aliquid comminiſcuntur vnde admirationem ſibi conciliẽt. Sed quid conſtitutum fuit?nempe in ſententiam Paphnutii diſceſſum eſt, qui pronuntiauit caſtitatem eſſe cum propria vxore cõcubitum. Manſit ergo inter ipſos ſacrum coniugium:neque aut ipſis dedecori ceſſit,aut maculam vllam aſpergere miniſterio creditum eſt. Hiſt.tripart lib.2. cap.14

27 Sequuta ſunt deinde tẽpora quibus inualuit nimis ſuperſtitioſa cælibatus admiratio.hinc illa ſubinde & ſine modo decantata virginitatis encomia: vt vix vlla alia virtus cum ea conferẽda vulgo crederetur. Et quanquam non damnabatur impuritatis coniugium, ſic tamen extenuabatur eius dignitas, & ſanctitas obſcurabatur , vt non videretur ſatis forti animo ad perfectionem aſpirare qui non ab ipſo ſibi temperaret. Hinc illi Canones quibus primò vetitum eſt ne matrimonium contraherent qui perueniſſent ad ſacerdotii gradum:deinde ne in eum ordinem aſſumerentur niſi cælibes,aut qui thoro coniugali vnà cum vxoribus renuntiarent.Hæc,quia videbantur reuerentiã ſacerdotio conciliare, magno plauſu etiam antiquitus recepta eſſe fateor.Sed ſi mihi antiquitatem obiiciant aduerſarii , primùm reſpondeo , hanc libertatem & ſub Apoſtolis & aliquot poſtea ſeculis extitiſſe , vt coniuges eſſent Epiſcopi . hac, ſine difficultate, vſos eſſe ipſos Apoſtolos , & alios primariæ authoritatis Paſtores , qui in eorum locum ſucceſſerunt . Illius antiquioris Eccleſiæ exemplum pluris meritò nobis debere eſſe quàm vt illicitum vel indecorum nobis putemus quod tũc cum laude receptum vſitatúmque fuit. Deinde illam ætatem , quæ immodica virginitatis affectione cœpit eſſe coniugio iniquior, non ita impoſuiſſe Sacerdotibus legem cælibatus quaſi res per ſe neceſſaria eſſet, ſed quia cælibes cõiugatis anteferret . Poſtremò non ita exegiſſe vt neceſſitate ac vi adigeret ad continentiam qui ad eam ſeruandam idonei non eſſent . Nam quum ſeueriſſimis legibus in ſcortationes vindicaret:de iis qui matrimonium contraherent , hoc tantùm ſtatuebat vt à functione ſuperſederent.

28 Ergo quoties cælibatui ſuo defendendo prætextum antiquitatis quærent nouæ iſtius tyrannidis defenſores, toties excipiẽdum erit vt veterem illam caſtimoniam in ſuis Sacerdotibus reſtituant,amoueant adulteros ac ſcortatores: ne eos, in quibus honeſtum ac pudicum thori vſum non ſuſtinent, in omne libidinis genus impune ruere ſinant : reuocent illam obſoletam diſciplinã, qua omnes laſciuiæ coerceantur : liberent Eccleſiam hac tam flagitioſa turpitudine,qua iamdiu deformata eſt. Vbi hoc conceſſerint, tum rurſus admonendi erunt ne eam rem pro neceſſaria venditent, quæ per ſe libera ex Eccleſiæ vtilitate pendet. Neque tamen hæc dico quòd vlla omnino conditione dandum eſſe locum iis Canonibus cenſeam, qui vinculum cælibatus Eccleſiaſtico ordini iniiciunt : ſed vt intelligant cordatiores qua fronte hoſtes noſtri ſanctum coniugium , obiecto antiquitatis nomine,in Sacerdotibus infament.Quantum ad Patres attinet,quorum ſcripta extãt,neque ipſi,quum ex ſuo iudicio loquebantur, excepto Hieronymo, tanta malignitate coniugii honeſtati obtrectarunt . Contenti erimus vno Chryſoſtomi elogio : quòd is, quum præcipuus fuerit virginitatis admirator, non poteſt in matrimonii commendatione videri fuiſſe aliis profuſior. Sic autem loquitur, Primus gradus caſtitatis eſt, ſyncera virginitas: ſecundus,fidele coniugium. Ergo ſpecies ſecunda virginitatis , eſt matrimonii caſta dilectio. Hom.de inuentione Crucis.

De votis, quorum temeraria nuncupatione quisque se miserè implicuit. CAP. XIII.

DEPLORANDA quidem res est, Ecclesiam, cui inęstimabili sanguinis Christi pretio empta erat libertas, crudeli tyrannide sic fuisse oppressam, & ingẽti traditionum congerie ferè obrutam: sed priuata interim cuiusque amentia ostendit, non sine iustissima causa tantum fuisse diuinitus Satanæ eiúsque ministris permissum. Neque enim satis fuit neglecto Christi imperio quælibet onera à falsis doctoribus imposita perferre, nisi propria etiam singuli sibi accersérent: adeóque cauernas sibi fodiendo se profundius demergerent. Id factum est dum certatim excogitant vota ex quibus ad communia vincula maior & arctior obligatio accederet. Quando itaque docuimus eorum audacia qui sub Pastorum titulo dominati sunt in Ecclesia, vitiatum fuisse Dei cultum, vbi iniquis suis legibus miseras animas illaquearũt: hîc malum affine annectere non intempestiuum erit, vt appareat, mundum pro ingenii sui prauitate, quibus potuit obstaculis semper adiumẽta repulisse quibus ad Deũ adduci debuerat. Porrò quo melius pateat grauissimam pernicię ex votis inuectam esse, principia iam antè posita teneãt lectores. Docuimus enim primùm, quicquid ad vitam piè sanctéque instituendam desiderari potest, in Lege esse comprehẽsum. Docuimus rursus Dominum, quo melius nos ab excogitandis nouis operibus auocaret, totam iustitiæ laudem in simplici voluntatis suæ obedientia inclusisse. Hæc si vera sunt, iudicare promptum est, fictitios omnes cultus, quos nobis ipsi ad promerendum Deum comminiscimur, minimè esse illi acceptos, quantumuis nobis arrideãt. Et certè Dominus ipse multis locis non tantùm apertè eos respuit, sed grauiter abominatur. Hinc exoritur de votis dubitatio quæ præter expressum Dei verbum fiunt, quo loco sint habenda, an nũcupari rite possint ab hominibus Christianis, & quatenus eos obstringant. Nã quod inter homines dicitur promissio, id Dei respectu Votum appellatur. Hominibus autem pollicemur ea quę vel putamus illis fore grata, vel quæ ex officio debemus. Longè igitur maiorem in votis obseruãtiam esse decet, quæ ad ipsum Deum, cum quo maximè seriò agendũ est, dirigantur. Hîc mirum in modum omnibus seculis grassata est superstitio: vt homines sine iudicio, sine delectu, quicquid in mentem, vel etiam in buccam veniret, Deo protinus vouerent. Hinc illæ votorum ineptiæ, imò prodigiosæ absurditates apud Ethnicos, quibus nimis insolenter cum diis suis luserunt. Atque vtinam hanc illorum audaciam nõ imitati essent etiam Christiani. Minimè id quidem decuit: sed videmus aliquot seculis nihil fuisse hac improbitate vsitatius: vt populus contempta passim Dei Lege, vouendi quicquid per somniumarrisisset, insano studio totus flagraret. Nolo odiosè exaggerare, nec sigillatim recenser equàm grauiter ac quot modis hîc peccatum sit: sed hoc obiter dicere visum est, quo melius appareat, nos nequaquam de re superuacua quæstionem instituere quum de votis tractamus.

2 Porrò si nolumus errare iudicando quæ vota sint legitimā, quæ præpostera: tria expendere conuenit: nempe quis sit is cui votum nuncupatur: qui simus nos qui vouemus: quo animo denique voueamus. Primum eò spectat vt cogitemus nobis cum Deo esse negotium: quem adeò delectat nostra obedientia, vt ἐθελοθρησκείας omnes, quamlibet in oculis hominum speciosæ sint ac splendidæ, maledictas esse pronuntiet. Si voluntarii omnes cultus, quos ipsi sine mandato excogitamus, Deo sunt abominabiles, sequitur, nullum ei acceptum esse posse nisi qui eius verbo approbetur. Ergo ne tantum licẽtiæ nobis sumamus, vt audeamus Deo vouere quod nullum testimonium habeat quaquum ad actiones quaslibet extendatur, tunc certè præcipuè locum habet vbi cogitationem tuam rectà in Deum dirigis. Imò si in minimis quibusque (vt illic de ciborum discrimine disputat Paulus) labimur vel erramus vbi non prælucet fidei certitudo: quanto plus modestiæ adhibendum est vbi rem maximi ponderis aggredimur? Si quidem nihil magis serium esse nobis decet religionis officiis. Sit igitur hæc prima in votis cautio, vt nũquam ad aliquid vouendũ descendamus quin certò prius conscientia constituerit, se nihil temerè tentare. Tunc autem à temeritatis periculo tuta erit quum Deũ sibi habebit præeuntem, & quasi ex verbo suo dictantem quid factu bonum sit vel inutile.

Col. 2. d. 23

Rom. 14. d. 23

3 In altero quod hîc diximus considerandum, id continetur, vt metiamur vires nostras, vt vocationem nostram intueamur: ne beneficium libertatis, quod nobis Deus contulit, negligamus. Nam qui vouet quod vel non est suæ facultatis, vel cum vocatione sua pugnat

pugnat,temerarius est:& qui Dei beneficentiam, qua rerum omnium dominus constituitur,contemnit,ingratus.Quum ita loquor, non intelligo quicquam esse sic in manu nostra positum,vt propriæ virtutis fiducia subnixi,illud Deo promittamus. Verissimè enim in Arausicano Concilio decretum fuit,nihil rite Deo voueri nisi quod de manu eius acceperimus:quando omnia quæ illi offeruntur,mera sunt eius dona.Sed quum Dei benignitate alia nobis data sint,eius æquitate alia negata:mẽsuram collatæ sibi quisque gratiæ(vt iubet Paulus) respiciat. Nihil ergo hîc aliud volo,quàm vota esse attemperanda ad eum modum quem tibi sua donatione Deus præscribit: ne si vltrà coneris quàm ille permittat,teipsum,nimis tibi arrogando,præcipites.Exempli gratia, Quum vouerent sicarii illi quorum mentio fit apud Lucam, se nihil cibi gustaturos nisi occiso Paulo:etiamsi non fuisset sceleratum consilium, temeritas tamen ipsa minimè erat ferenda, quòd hominis vitam & mortem subiicerent suæ potestati. Sic Iephthe stultitiæ suæ pœnas dedit, quum præcipiti feruore inconsideratum votum concepit. In quo genere primatum vesanæ audaciæ tenet cælibatus.Sacrifici enim,Monachi & moniales suæ infirmitatis obliti, cæliba tui se pares esse confidunt.Quo autem oraculo edocti sunt,constaturam sibi tota vita castitatem, in cuius finem eam vouent? Audiunt de vniuersali hominum conditione Dei vocem,Non est bonum homini esse soli.Intelligunt, atque vtinam non sentirent, peccatum in nobis manens non carere acerrimis aculeis. Illam generalem vocationem qua fiducia excutere audent in totam vitam? quum donum continentiæ sæpius in certum tempus, prout opportunitas requirit, concedatur. In tali peruicacia ne Deum auxiliatorem expectent:sed meminerint potius eius quod dictum est, Dominum Deum tuum non tẽtabis.Hoc verò Deum tentare est,cõtra inditam ab eo naturam niti,ac præsentia eius dona spernere acsi nihil ad nos pertinerent.Quod isti non modò faciunt,sed matrimonium etiam quod instituere non alienum sua maiestate censuit Deus, quod in omnibus honorabile pronuntiauit,quod Christus Dominus noster sua præsentia sanctificauit,quod primo suo miraculo cohonestare dignatus est, pollutionem vocare audent: tantùm vt quamlemcumque cælibatum miris encomiis tollant. Quasi verò non aliud cælibatum esse, aliud virginitatem,luculentum ipsi documentum præbeant in sua vita: quam tamen impudentissimè angelicam vocant.in hoc certè Angelis Dei nimium iniurii, quibus scortatores,adulteros,& aliquid multò peius ac fœdius comparant. Et sanè argumentis hîc minimè opus est,vbi re ipsa palàm reuincuntur. Videmus enim palàm,quàm horrendis pœnis huiusmodi arrogantiam,& ex præfidentia donorum suorum contemptum passim vlciscatur Dominus.Et occultioribus præ pudore parco: de quibus hoc ipsum quod intelligitur nimium est. Nihil esse vouendum quod nobis sit impedimento quominus vocationi nostræ seruiamus, extra controuersiam est. Quemadmodum si paterfamilias voueat, relictis liberis & vxore, se alia onera suscepturum:vel qui ad gerendum magistratum idoneus est,vbi eligitur,voueat se priuatum fore.Quid autem sibi velit quod de libertate nostra non spernenda diximus,nonnihil habet difficultatis,nisi explicetur.Itaque sic paucis accipe.Quum rerum omnium dominos constituerit nos Deus,& eas sic nobis subiecerit vt omnibus pro nostra commoditate vteremur:non est quod speremus gratum Deo fore officium, se rebus externis, quæ nobis adminiculo esse debent,nos in seruitutem addicamus. Hoc ideò dico, quòd nonnulli laudem humilitatis ex eo captãt si se illaqueent multis obseruationibus, à quibus non frustra nos liberos atque immunes Deus esse voluit. Proinde si hoc periculum volumus effugere,semper meminerimus,ab ea œconomia,quã Dominus in Ecclesia Christiana instituit,nobis minimè esse discedendum.

Cap.11.

Rom.12.a.3, 1.cor.12.b.11

Act.23.c.12

Iudic.11.f.30

Gen.2.c.18

Deut.6.c.16

Heb.13.a.4 Iohan.2.a.2, & b.9

4 Nunc venio ad illud quod tertio loco posui: multum scilicet referre quo animo votum nuncupes si velis ipsum Deo approbari. Nam quia Dominus cor, non externam speciem intuetur, fit vt eadem res, mutato animi proposito, nunc placeat ei acceptáque sit, nunc vehementer displiceat. Vini abstinentiam si ita voues quasi in ea subsit aliquid sanctimoniæ,superstitiosus es: si in alium finem non peruersum respicis, nemo potest improbare. Sunt autem, quantum possum iudicare, quatuor fines ad quos vota nostra rite dirigentur: quorum duos, docendi causa, ad præteritum tempus refero: duos reliquos ad futurum. Ad præteritum tempus pertinent vota quibus vel nostram erga Deum gratitudinem pro acceptis beneficiis testamur, vel ad iram eius deprecandam, ipsi à nobis pœnam ob admissa delicta exigimus. Priora vocemus, si placet, exercitia gratiarum actionis:altera,pœnitentiæ. Prioris generis exemplum habemus in decimis, quas

Ge.28.d.20 vouebat Iacob,si Dominus eum incolumẽ ab exilio in patriam reduceret. Prẽterea in sacrificiis veteribus pacificorum, quæ pii Reges ac duces, iustum bellũ suscepturi vouebãt se reddituros si victoria potiti essent: aut certè quum maiori aliqua difficultate premebantur, si Dominus eos liberasset. Sic intelligendi sunt omnes loci in Psalmis qui de votis loquuntur. Eiusmodi vota hodie quoque nobis in vsu esse possunt, quoties nos Dominus vel à clade aliqua, vel à morbo difficili, vel ab alio quouis discrimine eripuit. Neque enim à pii hominis officio tunc abhorret, votiuam oblationem, velut solenne recognitionis symbolum Deo consecrare: ne ingratus erga eius benignitatem videatur. Secundum genus quale sit, vno duntaxat familiari exemplo ostendere sufficiet. Siquis in aliquod flagitium, gulæ vitio prolapsus sit, nihil obstabit quominus ad castigãdam intemperiem lautiis omnibus possit ad aliquod tempus renũtiare, ídque facere voto adhibito, quo arctiore vinculo se astringat. Neque tamẽ sic perpetuam legem iis statuo qui similiter deliquerint: sed ostendo quid facere illis liceat, qui tale votum sibi vtile esse censuerint. Sic igitur eiusmodi votum licitum facio vt liberum interim relinquam.

Psal.22.d.26 & 56.c.13, & 116.b.14.18

5 Quæ in futurum tempus conferuntur vota, partim, vt diximus, eò tendunt, vt reddamur cautiores: partim vt quibusdam veluti stimulis, ad officium excitemur. Videt aliquis se adeò procliuem esse in certum vitium, vt in re aliàs non mala sibi temperare nequeat quin protinus in malum delabatur: nihil absurdũ faciet, si eius rei vsum ad aliquod tempus sibi voto præcidat. Quemadmodum siquis periculosum sibi esse hunc vel illum corporis ornatum agnoscat, & tamen cupiditate illectus vehemẽter appetat, quid melius faciat quàm vt frænum sibi iniiciendo, hoc est necessitatem abstinendi imponendo, sese omni dubitatione liberet? Similiter siquis vel obliuiosus sit, vel piger ad necessaria pietatis officia, cur non suscepto voto, & memoriã expergefaciat, & pigritiam excutiat? In vtroque speciem esse pædagogiæ fateor: sed eo ipso quòd sunt infirmitatis adminicula, à rudibus & imperfectis non sine vtilitate vsurpantur. Proinde quæ ad vnum ex his finibus respiciunt vota, præsertim in rebus externis, legitima esse dicemus, si modo & Dei approbatione sint suffulta, & vocationi nostræ conueniant, & ad facultatem gratiæ nobis à Deo datæ sint limitata.

6 Iam nec difficile est colligere quid de votis in vniuersum sentiendum sit. Vnum est votum fidelium omnium commune, quod in Baptismo nuncupatũ, Catechismo ac Cœnæ sumptione confirmamus, & quasi sancimus. sunt enim sacramenta tanquam syngraphæ, quibus Dominus misericordiam nobis suam atque ex ea vitam æternam defert: nos vicissim illi obedientiam pollicemur. Hæc tamen voti formula vel certè summa, quòd Satanæ renuntiantes, Deo nos in seruitutem addicimus, vt sanctis eius mãdatis obediamus, non autem obsequamur prauis carnis nostræ desideriis, Hoc votum quum à Scriptura testimonium habeat, imò à filiis Dei omnibus exigatur, quin sanctum sit & salutare dubitari non debet. Nec obstat quòd perfectam legis obediẽtiam, quam exigit Deus à nobis, nemo in hac vita præstat. Quando enim hæc stipulatio in fœdere gratiæ est inclusa, sub quo & remissio peccatorum, & Spiritus sanctificationis continetur: pollicitatio quam illic facimus, & cum veniæ deprecatione & cum auxilii postulatione coniuncta est. In iudicandis particularibus votis tres superiores regulas memoria tenere necesse est: vnde tutò licebit, quale sit vnumquodque votum æstimare. Neque tamen ea ipsa vota, quæ sancta esse assero, sic commendare me putes, vt quotidiana esse velim. Nam etsi nihil præcipere de numero aut tempore audeo: si quis tamen consilio meo obtẽperet, non nisi sobria & temporaria suscipiet. Si enim ad multa vota nuncupãda subinde erumpas, tota religio ipsa assiduitate vilescet, & procliuis erit in superstitionem lapsus. Si perpetuo voto te obstringas, aut magna molestia tædióque solues, aut etiam diuturnitate fatigatus, violare aliquando audebis.

7 Iam nec obscurum est, quanta superstitione in hac parte laborauerit mundus aliquot seculis. Alius se abstemiũ fore vouebat: quasi vini abstinentia cultus esset per se Deo gratus. Alius ieiunio, alius carnis abstinentiæ se adstringebat ad certos dies, quibus singularem aliquam præ aliis religionem subesse sibi vana opinione finxerat. Quædam etiam longè magis puerilia nuncupabantur: etsi non à pueris. Fuit enim hoc pro magna sapientia habitum, votiuas peregrinationes ad sanctiora loca suscipere, ac interdum vel pedibus inter conficere, vel corpore seminudo, quo plus meriti ex lassitudine acquireretur. Hæc & similia, quorum incredibili studio mundus aliquandiu æstuauit, si secundum eas

quas

quas antea posuimus regulas examinentur,non tantùm inania deprehendentur ac nugatoria,sed plena manifestæ impietatis. Vtcunque enim iudicet caro, nihil magis abominatur Deus quàm cultus fictitios. Accedunt pernicioſæ illæ & damnatæ opiniones, quòd hypocritæ,vbi talibus nugis defuncti sunt,credunt se non vulgarem iustitiam sibi comparasse: summam pietatis in externis obseruationibus reponunt:alios omnes despiciuntqui apparent earum rerum minus curiosi.

8 Singulas formas enumerare nihil attinet. Sed quia vota monastica maiori in veneratione habentur quòd videntur publico Ecclesiæ iudicio approbata:de iis breuiter dicẽdum est. Principio,nequis longi temporis præscriptione defendat monachismum qualis hodie est,notandum est, fuisse olim in monasteriis longè aliud viuendi institutum. Qui se ad summam austeritatem & patientiam volebant exercere,eò concedebant. Qualem enim sub Lycurgi legibus fuisse Lacedæmoniorum disciplinam narrant, tunc talis erat apud monachos,ac multo etiam rigidior. Humi dormiebãt:potus erat aqua:cibus, panis: herbæ ac radiculæ, præcipuæ lautitiæ in oleo & ciceribus. Ab omni delicatiore victu & corporis cultu abstinebant. Hæc hyperbolica videri possent nisi ab oculatis & expertis testibus traderentur, Gregorio Nazianzeno, Basilio & Chrysostomo. Talibus verò rudimẽtis se ad maiora munera præparabant. Monastica enim collegia fuisse tũc veluti seminaria ordinis Ecclesiastici,cum illi quos nuper nominauimus,satis claro documẽto sunt(nã omnes in monasteriis educati, illinc ad Episcopale munus vocati sunt)tum alii cõplures eorum ætate magni ac præstantes viri. Et Augustinus illud suo quoque tempore fuisse vsitatum ostendit,vt Ecclesiæ clericos cœnobia ministrarent. nam monachos Capraríæ insulæ sic alloquitur, Vos autem fratres exhortamur in Domino vt propositum vestrum custodiatis,& in finem perseueretis:ac si quando operam vestram mater Ecclesia desiderauerit,nec elatione auida suscipiatis,nec blandiente desidia respuatis:sed miti corde obtemperetis Deo. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare velint,quomodo nasceremini non inueniretis. Loquitur autem de ministerio quo fideles spiritualiter renascuntur. Item ad Aurelium, Et ipsis lapsus occasio,& ordini clericorum fit indignissima iniuria,si desertores monasteriorũ ad militiã clericatus eliguntur:quum ex iis qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores ac meliores in clerum assumere soleamus. Nisi fortè,sicut vulgus dicit, Malus choraules,bonus est symphoniacus:ita & de nobis iocabitur,Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum,si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui contumelia clericos dignos putemus:quum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat,si adsit ei sufficiens continentia,& tamen desit necessaria doctrina. Ex his locis apparet pios homines sese ad Ecclesiæ gubernationem monastica disciplina solitos fuisse præparare,quo aptiores & melius formati tantum munus subirent. Non quòd omnes ad hunc finem peruenirent,aut etiam tenderent,quum maiori ex parte essent homines illiterati:sed qui idonei erant, seligebantur.

Epist. 82

Epist. 76

9 Duobus tamen præcipuè locis veteris monastices formam nobis depingit. Libro de moribus Ecclesiæ catholicæ,vbi aduersus Manichæorum calumnias eius professionis sanctimoniam opponit:& altero,cui titulum fecit, De opere monachorum: vbi in degeneres quosdam monachos, qui institutum illud corrumpere cœperant, inuehitur. Ego hîc eorum quæ tradit summam ita colligam, vt verbis quoque eius, quoad licebit, vtar: Contemptis, inquit, mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus,lectionibus, disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi. Nemo quicquam possidet proprium: nemo cuiquam onerosus est, Operantur manibus ea quibus & corpus pasci possit, & mens à Deo impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos Decanos vocant. Illi autem Decani cum magna solicitudine omnia disponentes, rationem vni reddunt, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi,nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in iubendo authoritate,magna ipsorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis,dum adhuc ieiuni sunt,ad audiendum illum Patrẽ: & cõueniunt ad singulos Patres,terna vt minimũ hominũ millia (de AEgypto potissimum & Oriente loquitur)corpus deinde reficitur,quantũ saluti & salubritati sat est:coercente

De moribus Eccles. cath. cap. 31

vnoquoque concupiſcentiam ne ſe profundat vel in ea ipſa quæ præſto ſunt, parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab iis quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur. Quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum quod àcarnibus alienum eſt, ridiculè turpitéque defendi. Quicquid neceſſario victui redundat (redũdat autem plurimum ex operibus manuum, & epularum reſtrictione) tanta cura egentibus diſtribuitur quanta non ab ipſis qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo enim modo ſatagunt vt hæc ſibi abundent: ſed omni modo agunt vt non apud ſe remaneat quod abundauerit. Deinde commemorata auſteritate, cuius ipſe exempla
Ibidẽ, cap. 33 & Mediolani & alibi viderat. Inter hæc (inquit) nemo vrgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt: nulli quod recuſat imponitur: nec ideo condemnatur à cæteris, quòd in eorum imi-
Tit. 1. d. 15 tatione ſe fatetur inualidum. meminerunt enim quantopere cõmendata ſit charitas: meminerunt omnia munda mundis, &c. Itaque non reiiciendis generibus ciborũ, quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis
1. Cor. 6. c. 13 induſtria. Meminerunt, Eſca ventri, & venter eſcis, &c. Multi tamen firmi propter infirmos abſtinent. Multis non eſt cauſa iſta faciendi: ſed quòd viliore victu & minimè ſumptuoſo ſe ſuſtentare placet. Itaque iidem ipſi, qui ſani ſibi temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine vlla formidine accipiunt. Multi vinum nõ bibunt: nec tamẽ ſe eo inquinari putãt: nam languidioribus, & qui ſine ipſo nequeunt ſalutẽ corporis obtinere, humaniſſimè præberi faciunt: & nõnullos ſtultè recuſantes fraternè admonent ne vana ſuperſtitione debiliores citius quàm ſanctiores fiant. Ita pietatem ſedulò exercent: corporis verò exercitationem ad exiguũ tempus pertinere nouerunt. Charitas præcipuè cuſtoditur: charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnam conſpiraturque charitatem: hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur: huic ſi quis reſiſtit, eiicitur atque vitatur: hanc ſiquis offendit, vno die durare non ſinitur. Quoniam his verbis, veluti in tabula, qualis olim fuerit monaſtice, repræſentaſſe viſus eſt ſanctus ille vir, ea, tametſi longiora, huc inſerere non piguit: quòd me longiorem aliquanto fore cernebam, ſi ex diuerſis eadem colligerem, quantumuis ſtuderem compendio.

10 Hîc autem mihi propoſitum non eſt totum iſtud argumentum perſequi, ſed obiter tantùm indicare nõ modò quales habuerit vetus Eccleſia monachos, ſed qualis tunc fuerit monaſtica profeſſio: vt ex comparatione iudicare poſſint ſani lectores quid frontis habeant qui ad ſuſtinendum præſentem monachiſmum, antiquitatem allegant. Auguſtinus dum ſanctum ac legitimum monachiſmum nobis deformat, omnem rigidam exactionem vult abeſſe earum rerum quæ nobis verbo Domini liberæ relinquuntur. Atqui nihil eſt quod hodie ſeuerius exigatur. Scelus enim inexpiabile eſſe ducunt ſiquis in colore aut ſpecie veſtis, ſiquis in genere cibi, ſiquis in aliis friuolis ac frigidis ceremoniis vel minimum à præſcripto deflexerit. Auguſtinus fortiter contendit non licere monachis de alieno otioſis viuere. Tale exemplum ſuo tempore extitiſſe negat bene conſtituti monaſterii. Noſtri præcipuam ſanctimoniæ ſuæ partem in otio collocant. Nam ſi otium illis tollas, vbi erit illa cõtemplatiua vita qua ſe alios omnes excellere, & ad Angelos propius accedere gloriãtur? Auguſtinus denique monachiſmum requirit qui nihil aliud ſit quàm exercitium adiumentúmque ad pietatis officia, quæ Chriſtianis omnibus commendantur. Quid? quum ſummam, adeóque propè vnam eius regulam facit charitatem, an putamus conſpirationem laudare, qua pauci homines inter ſe deuincti, ab vniuerſo Eccleſiæ corpore ſeparentur? Imò verò eos exemplo ſuo reliquis vult prælucere ad ſeruandam Eccleſiæ vnitatem. In vtroque adeò diuerſa eſt præſentis monachiſmi ratio, vt vix quicquã magis diſſimile, ne dicam contrarium, reperias. Siquidem monachi noſtri non contenti ea pietate cuius vnius ſtudio ſuos eſſe perpetuò intentos Chriſtus iubet, nouam neſcio quam imaginantur, cuius meditatione ſint aliis omnibus perfectiores.

De opere Monachorũ

11 Hoc ſi negant, ſcire ab illis velim cur ordinem ſuum perfectionis titulo vnum dignentur, & eundem omnibus Dei vocationibus adimant. Neque me latet illa ſophiſtica ſolutio non ideo ſic vocari quia perfectionem in ſe contineat, ſed quia ad acquirendam perfectionem ſit ommium optimus. Quum ſe apud plebem venditare, quum rudibus ac ignaris aduleſcẽtulis laqueum iniicere, quum priuilegia ſua aſſerere, quum in aliorum contumeliam, ſuam dignitatem extollere volũt, iactãt ſe eſſe in ſtatu perfectionis. Quum propius vrgentur quàm vt inanem hanc arrogantiam tueri queant, ad iſtum cunicu-

lum

lum ſuffugiunt, ſe nondum perfectionem eſſe conſequutos, in eo tamen ſtatu eſſe quo ad ipſam præ aliis aſpirant. Interim manet illa in plebe admiratio, quaſi ſola vita monaſtica ſit Angelica, perfecta, ab omni vitio repurgata. Hoc prætextu quæſtuoſiſſimas nundinas exercent, illa autem moderatio in paucis libris ſepulta manet. Hanc eſſe intolerandam ludificationem quis non videt? Sed perinde cum ipſis agamus acſi nihil plus tribuerent ſuæ profeſſioni quàm vocando ſtatum adipiſcendæ perfectionis. Sanè hoc illis nomen deferendo, tanquam ſpeciali nota ab aliis vitæ generibus diſtinguunt. Et quis hoc ferat vt tantus honor tranſferatur ad inſtitutum, nuſquam vel vna ſyllaba approbatum: eodem indignæ cenſeantur omnes Dei vocationes, ſacro eius ore non modò præceptæ, ſed inſignibus elogiis ornatæ? Et quanta, obſecro, iniuria fit Deo, quum omnibus vitæ generibus ab eo ordinatis, eius teſtimonio laudatis, commentitium neſcio quod antefertur?

12 Age, calumniam eſſe dicant quòd antea tradidi non eſſe contentos præſcripta à Deo regula. Atqui etiamſi taceam, ipſi plus ſatis ſe accuſant. apertè enim docent ſe plus oneris ſuſcipere, quàm ſuis Chriſtus impoſuerit: quoniam ſcilicet Euangelica conſilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non iurando, &c. ſe ſeruaturos promittant: quibus nõ ſunt communiter aſtricti Chriſtiani. In eo quam nobis antiquitatem obtendent? Nulli vnquam veterum hoc venit in mentem: omnes vna voce clamant, nullam penitus voculam à Chriſto emiſſam cui non ſit neceſſariò obtemperandum. Et hæc ipſa nominatim quæ iſti boni interpretes Chriſtum conſuluiſſe duntaxat nugantur, iuſſa eſſe, nulla dubitatione vbique docent. Sed quia hunc peſtilentiſſimum errorem eſſe ſuprà docuimus, ſatis hîc ſit breuiter notaſſe, ea opinione fundatũ eſſe monachiſmum qui nunc eſt, quam meritò pii omnes execrari debẽt: vt ſcilicet fingatur aliqua eſſe perfectior viuendi regula quàm iſta communis, vniuerſæ Eccleſiæ à Deo tradita. Huic fundamento quicquid ſuperſtruitur, non niſi abominabile eſſe poteſt. Mat.5.g.44.

13 Verùm aliud ſuæ perfectionis argumentum afferunt quod ſibi firmiſſimum eſſe putant. Dixit enim Dominus aduleſcenti de perfectione iuſtitiæ interroganti, Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Id an faciant ipſi, nondum diſputo. demus hoc illis in præſentia. Perfectos igitur ſe factos iactant, omnia ſua relinquendo. Si in hoc ſita eſt perfectionis ſumma, quid ſibi vult quod Paulus docet, eum qui omnia ſua diſtribuerit pauperibus niſi charitatem habet, nihil eſſe? Qualis iſta eſt perfectio, quæ ſi abeſt, charitas in nihilum cum homine redigitur? Hîc reſpondeant neceſſe eſt, ſummum hoc quidem, ſed non vnicum eſſe perfectionis opus. Verùm hîc quoque reclamat Paulus, qui non dubitat charitatem ſine eiuſmodi renuntiatione facere vinculum perfectionis. Si certum eſt, inter magiſtrum & diſcipulum nihil eſſe diſſenſionis, alter autem clarè negat hominis perfectionem in eo conſiſtere vt ſuis omnibus renũtiet, & rurſum ſine eo conſtare aſſerit: videndum eſt qualiter accipiendum ſit illud Chriſti, Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes. Porrò minimè obſcurus erit ſenſus, ſi expendamus (quod in omnibus Chriſti concionibus obſeruare ſemper conuenit) ad quem dirigantur hæc verba. Aduleſcens interrogat quibus operibus ingredietur in vitam æternam. Chriſtus quia de operibus rogabatur, eum remittit ad Legem: & meritó. eſt enim via æternæ vitæ, ſi in ſe cõſideretur: nec aliunde inualida eſt ad ſalutẽ nobis afferendam, quàm ex noſtra prauitate. Hoc reſpõſo declarauit Chriſtus, ſe non aliã vitæ formandæ rationem tradere quàm quæ in Lege Domini tradita olim fuerat. Ita & teſtimonium Legi diuinæ reddebat, quòd eſſet perfectæ iuſtitiæ doctrina: & ſimul calumniis occurrebat, ne videretur noua aliqua viuẽdi regula, ad Legis defectionem populum incitare. Iuuenis nõ mali quidem animi, ſed vana confidentia tumidus, ſe omnia Legis præcepta à puero ſeruaſſe reſpondet. Certò certius eſt immenſo ſpatio procul ab eo abfuiſſe, quò ſe perueniſſe iactabat. Et ſi vera fuiſſet gloriatio, nihil illi defuiſſet ad ſummam perfectionem. Suprà enim demonſtratum eſt, quòd in ſe contineat Lex perfectam iuſtitiam: & hoc ipſum inde patet, quòd via æternæ ſalutis vocatur eius obſeruatio. Vt edoceretur quãtulum in ea iuſtitia profeciſſet, quã ſe impleuiſſe nimis audacter reſpõderat, operæpretium fuit familiare eius vitium excutere. Diuitiis autem quum abundaret, cor illis affixum habebat. Ergo quia vulnus hoc ſecretũ non ſentiebat, à Chriſto lancinatur. Vade, inquit, vende omnia quæ habes. Si tam bonus fuiſſet cuſtos Legis quàm putabat, nõ diſcederet mœſtus, hoc verbo audito. Nam qui Deum diligit ex toto corde, quicquid cũ eius dilectione pugnat, non tantùm habet pro ſtercore, Mat.19.c.21 1.Cor.13.b.3 Coloſ.3.c.14 Luc.10.25

ſed tãquam exitiale abominatur. Ergo quòd diuitem auarum relinquere iubet Chriſtus omnia quæ habet, perinde eſt acſi ambitioſum omnibus honoribus, voluptuoſum omnibus deliciis, impudicum omnibus libidinis inſtrumentis iuberet renuntiare. Sic ad particularem mali ſui ſenſum reuocandę ſunt conſcientiæ, quæ nullo generalis admonitionis ſenſu tãguntur. Fruſtra igitur hypotheſin iſtam ad generalem interpretationem trahũt, acſi Chriſtus hominis perfectionem in renũciatione bonorũ ſtatueret: quũ nihil aliud voluerit hoc dicto, quàm inuenem ſibi vltra modum placentẽ, ad ſentiendum vlcus ſuum adigere: vt intelligeret ſe longo adhuc interuallo abeſſe à perfecta Legis obediẽtia, quam ſibi aliàs falſò arrogabat. Fateor hunc locum fuiſſe à quibuſdam ex Patribus malè intellectum, atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis affectationem: qua illi demum beati putabantur qui abdicatis omnibus rebus terrenis, nudi ſe Chriſto deuouerent. Sed confido bonis omnibus & non contentioſis ſatisfactum iri hac mea explicatione vt de mente Chriſti nihil ambigant.

14 Quanquã nihil minus cogitarunt Patres quàm ſtabilire eiuſmodi perfectionem quæ poſtea à cucullatis Sophiſtis fabrefacta fuit, vt duplicem Chriſtianiſmũ ſic erigerẽt. Nondum enim natum erat ſacrilegum illud dogma quod profeſſionem monaſtices Baptiſmo comparat, imò palàm aſſerit, formã eſſe ſecũdi Baptiſmi. Ab hac blaſphemia quis dubitet Patres toto animo abhorruiſſe? Iam illud extremũ quod apud veteres monachos fuiſſe dicit Auguſtinus, vt ſcilicet totos ſe ad charitatem accommodarent, quid opus eſt verbis demonſtrare eſſe ab hac nouitia profeſſione alieniſſimum? Res ipſa loquitur, eos omnes qui in cœnobia concedunt, diſceſſionem ab Eccleſia facere. Quid enim? annon ſe à legitima fidelium ſocietate ſeparant, peculiare ſibi miniſterium & priuatam ſacramentorum adminiſtrationem aſciſcendo? Quid eſt Eccleſiæ communionem diſſipare, ſi hoc non eſt? Atque (vt eam quam cœpi facere comparationem perſequar, & ſemel claudam) quid ſimile hac in parte habẽt cum veteribus monachis? Illi tametſi ſeparatim ab aliis habitabãt, non tamen habebãt ſeparatam Eccleſiam: ſacramenta participabãt cum aliis: ad ſolennes conuentus ſe ſiſtebant: illic pars plebis erãt. Iſti priuatũ ſibi altare erigendo, quid aliud quàm vinculũ vnitatis abruperũt? Nam & ſe ab vniuerſo Eccleſiæ corpore excõmunicarunt, & ordinarium contempſerunt miniſterium, quo pacem ac charitatem voluit Dominus inter ſuos conſeruari. Itaque quot ſunt hodie monaſteria, tot eſſe dico ſchiſmaticorum conuenticula, qui turbato Eccleſiaſtico ordine, à ſocietate fideliũ legitima ſunt execti. Et ne obſcura eſſet iſta diſceſſio, varia factionum nomina ſibi indiderũt. Nec ipſos puduit in eo gloriari quod ſic execratur Paulus vt ſatis exaggerare non poſſit. Niſi forte Chriſtum fuiſſe à Corinthiis diuiſum arbitramur, quum alius alio doctore ſuperbiret: & nunc ſine vlla Chriſti iniuria fieri quòd pro Chriſtianis alios Benedictinos, alios Franciſcanos, alios Dominicanos vocari audimus: & ita vocari, vt ipſi dum affectãt à vulgo Chriſtianorum diſtingui, hos titulos pro religionis profeſſione faſtuoſè ſibi ſumant.

1. Cor. 1. b. 12 & 3. a. 4

15 Hæc quæ hactenus inter veteres & noſtræ ætatis monachos diſcrimina recenſui, non in moribꝰ ſunt, ſed in ipſa profeſſione. Proinde meminerint lectores, fuiſſe me de monachiſmo potius quàm de monachis loquutum, & ea vitia notaſſe non quę in paucorum vita hærent, ſed quæ ab ipſo viuendi inſtituto ſeparari nequeunt. In moribus autẽ quãta ſit diſcrepantia, quid attinet ſigillatim exponere? Hoc cõſtat, nullum eſſe hominum ordinem magis omnis vitiorũ turpitudine inquinatum: nuſquam magis feruent factiones, odia, ſtudia partium, ambitus. In paucis quidem cœnobiis pudicè viuitur: ſi pudicitia vocanda eſt vbi eatenus reprimitur libido ne palàm ſit infamis: decimũ tamen quodque vix reperias quod non lupanar ſit potius quàm caſtitatis ſacrarium. At in victu qualis frugalitas? Non aliter porci in haris ſaginantur. Sed ne querantur ſe nimis inclementer à me tractari, non vlterius pergo. Quanquã in his paucis quæ attigi, nihil eſſe accuſatoriè dictum fatebitur quicunque rem ipſam nouit. Auguſtinus, quum tanta caſtitate, ſecundum eius teſtimonium excellerent monachi, queritur tamẽ multos eſſe errones, qui malis artibus & impoſturis ſimpliciores pecunia emungant, qui reliquias Martyrum circunferendo turpes nundinationes exerceant, imò pro Martyrũ reliquiis, quorumlibet mortuorũ oſſa venditent: qui multis ſimilibus flagitiis ignominiã ordini inurant. Vt ſe nullos vidiſſe meliores prædicat, quàm qui in monaſteriis profecerint: ita deplorat nullos ſe deteriores vidiſſe quàm qui in monaſteriis defecerint. Quid diceret, ſi hodie cõſpiceret tot ac tam deploratis vitiis exundare, & quodammodo crepare omnia ferè cœnobia? Ego nihil niſi quod

De opere Monachorum, in fine.

quod omnibus est notissimum dico. Neque tamen ad omnes sine vlla prorsus exceptione pertinet hæc vituperatio. Quemadmodum enim nunquam adeò bene constituta fuit in monasteriis sanctè viuendi regula & disciplina, quin extarent aliqui fuci longè aliis dissimiles: ita nõ sic hodie à sancta illa antiquitate monachos degenerasse dico, quin aliquos in suo grege bonos adhuc habeant, sed hi pauci & dispersi in illa ingenti malorum & improborum multitudine delitescunt: nec contemnuntur modò, sed etiam petulanter incessuntur, interdum etiam crudeliter tractantur ab aliis: qui (vt est in Milesiorum prouerbio) nemini apud se bono locum esse debere credunt.

16 Hac veteris & hodierni monachismi comparatione effeciisse me quod volui confido, vt appareat, cucullatos nostros ad professionis suæ defensionem, primæ Ecclesiæ exemplum falsò prætexere: quandoquidem ab illis non minus differunt quàm simiæ ab hominibus. Interim non dissimulo, vel in illa quam Augustinus commendat, prisca forma esse nonnihil quod mihi parum placeat. In externis rigidioris disciplinæ exercitiis non fuisse superstitiosos concedo: at immodicam affectationem & κακοζηλίαν non abfuisse dico. Pulchrũ fuit, abdicatis facultatibus, omni terrena solicitudine carere: at pluris à Deo fit familiæ piè regendæ cura, vbi sanctus paterfamiliâs, omni auaritia, ambitione, aliisque carnis cupiditatibus solutus & liber, hoc habet sibi propositũ vt in certa vocatione Deo seruiat. Pulchrum est in secessu, procul hominum cõsuetudine, philosophari: at Christianæ manstuetudinis non est, quasi odio humani generis, in desertum & solitudinem confugere, & simul ea officia deserere quæ Dominus in primis mandauit. Etiamsi demus nihil aliud fuisse mali in ea professione, hoc certè non mediocre malum fuit, quòd exemplum inutile & periculosum in Ecclesiam induxit.

17 Nunc igitur videamus cuiusmodi sint vota quibus in præclarum hunc ordinem hodie initiantur monachi. Primùm, quia nouum & fictitium cultum promerendi Dei causa instituere illis animus est: abominationi esse apud Deum quicquid vouent, ex superioribus concludo. Deinde quia nullo vocationis Dei intuitu, nullaque eius approbatione, viuẽdi genus quale libet sibi ipsi comminiscuntur: temerarium, ideóque illicitum ausum esse dico: quia nihil habet ipsorum conscientia quo se apud Deum sustineat: & quicquid non est ex fide, peccatum est. Rom.14.d.23 Præterea quum ad multos simul peruersos atque impios cultus, quos hodiernus monachatus sub se continet, seipsos astringant: eos non Deo consecrari, sed dæmonio, contendo. Deut.32.c.17 psal.106.f.37 Cur enim Prophetæ dicere licuerit, Israelitas filios suos immolasse dæmoniis & non Deo, tantùm ob id quòd verum Dei cultum prophanis ceremoniis corruperant: idem de monachis dicere non liceat, qui vnà cum cucullo mille impiarum superstitionum laqueum sibi induunt? Iam quæ votorum species? Virginitatem Deo perpetuam promittunt, quasi cum Deo antè pepigerint vt se à coniugii necessitate liberaret. Non est quòd causentur, se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Matt.19.b.11 nam quum ipse non omnibus dari pronuntiet, fiduciam specialis doni concipere nostrum non est. Qui habent, eo vtantur. siquando se à carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad eius opem cuius sola virtute possunt resistere. Si non proficiunt, ne remedium quod ipsis offertur contemnant. Certa enim Dei voce citantur ad coniugiũ qui- 1.Cor.7.b.9 bus continendi facultas denegatur. Continentiam appello, non qua corpus solùm à scortatione purum seruatur, sed qua mens impollutam castitatem seruat. Neque enim exteriam tantùm lasciuiam, sed animi quoque vstionẽ caueri Paulus prȩcipit. Hoc, inquiunt, ab vltima memoria fuit obseruatum, vt se alligarent cõtinentiæ voto qui totos se Domino dicare vellent. Fateor certè antiquitus quoque receptum fuisse hunc morem: sed eam ætatem sic ab omni vitio liberam fuisse non concedo vt pro regula habendum sit quicquid tunc factum est. Et paulatim irrepsit inexorabilis illa seueritas, vt post conceptũ votum, nullus pœnitentiæ locus fieret. Quod ex Cypriano cõstat. Si se ex fide Christo dica- Epist.11 uerunt virgines, pudicè & castè, sine vlla fabula, perseuerent. Ita fortes & stabiles præmiũ virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem deliciis suis cadant. Quibus probris non lacerarent nunc eum qui continentiæ votum tali æquitate temperare vellet? Longè ergo ab illo vetusto more discesserunt, qui non modò nullam admittunt moderationem aut veniam si quis præstando voto impar deprehendatur: sed grauius peccare nullo pudore pronuntiant, si accepta vxore, carnis intemperantiæ medetur, quàm si scortando corpus & animam contaminet.

18 Verùm instant adhuc, & sub Apostolis vsitatũ fuisse tale votũ ostendere conan-

1.Tim.5.b.12. tur:quia Paulus viduas, quæ ſemel in publicum miniſterium receptæ nuberent,primam fidem abnegare dicat. Ego verò illis minimè nego, viduas quæ ſeſe ſuáſque Eccleſiæ operas addicerent, perpetui cælibatus legem ſimul ſuſcepiſſe: non quia in eo religionem aliquam ſtatuerent,vt poſtea fieri cœptum eſt:ſed quoniam niſi ſui iuris,& iugo maritali ſolutæ, functionem illam ſuſtinere non poſſent. Quòd ſi data fide ad nouas nuptias reſpectarent, quid hoc erat aliud, quàm Dei vocationem excutere? Non igitur mirum quòd talibus deſideriis laſciuire in Chriſtum eas dicit. Poſtea verò amplificandi cauſa ſubiungit,adeò ipſas quod Eccleſiæ pollicitæ ſunt non præſtare,vt primam quoque fidem in Baptiſmo datam violent ac irritam faciant: in qua hoc comprehẽditur vt vocationi quiſque ſuæ reſpondeat. Niſi fortè hoc mauis intelligere, quòd veluti amiſſo pudore omnem deinde honeſtatis curam abiicerent, ad omnem laſciuiam & petulantiam ſe proſtituerent, licentioſa diſſolutáque vita nihil minus quàm Chriſtianas mulieres præ ſe ferrent. qui ſenſus mihi perplacet. Reſpondemus ergo,quæ tunc ad publicum miniſterium recipiebantur viduæ, eas ſibi perpetui cælibatus conditionem impoſuiſſe:ſi poſtea nuberent, facilè intelligimus accidiſſe quod dicit Paulus,vt proiecto pudore, inſolẽtiores fierent quã deceret mulieres Chriſtianas. Ita non ſolùm peccaſſe, fidem Eccleſiæ datam fallendo:ſed à communi piarum mulierum lege deſciuiſſe.Sed primùm nego, alia ratione profeſſas eſſe cælibatum, niſi quia coniugium cum ea quam ſubibant functione minimè cõueniret: ac omnino ſe ad cælibatum aſtrinxiſſe,niſi quatenus ferret vocationis ſuæ neceſſitas. Deinde ita obligatas non concedo fuiſſe quin illis tunc quoque ſatius eſſet nubere quàm vel carnis aculeis ſolicitari, vel in aliquam prolabi obſcœnitatem. Tertiò eam ætatem dico à Paulo præſcribi quæ ſit communiter extra periculum: præſertim quum eas tantùm deligi iubeat quæ vnico matrimonio contentæ,continentiæ ſpecimen iam antè præbuerint. Votum autem cælibatus non alia ratione improbamus niſi quia & pro cultu perpetuam æſtimatur,& temerè ab iis nuncupatur quibus continendi poteſtas facta non eſt.

19 Ad moniales verò quî trahere licuit hunc Pauli locum? Creabantur enim diaconiſſæ,non vt cantionibus aut murmure non intellecto Deum demulcerent,reliquũ temporis viuerent ocioſæ: ſed vt publico Eccleſiæ miniſterio erga pauperes defungerentur, vt omni ſtudio,ſedulitate,diligentia,in officia charitatis incumberent.Non vouebant cœlibatum,vt cultum inde aliquem exhiberentDeo quòd à nuptiis abſtinerent:ſed tantùm quod eſſent ad exequendum ſuum munus expeditiores. Denique non vouebant vel iuuente aduleſcentia, vel medio adhuc ætatis flore, vt ſero poſtea experimento diſcerent quantum ſe in præcipitium dediſſent:ſed cum omne periculum ſuperaſſe viderentur,nõ minus tutum quàm ſanctum votum nuncupabant. Verùm vt duo priora non vrgeam, dico nefas fuiſſe ad vouendam continentiam recipi mulieres ante annum ſexageſimum: quum Apoſtolus ſolas ſexagenarias admittat, iuniores nubere & liberos parere iubeat. Ergo nec illa primùm duodecim, deinde viginti, poſtea tringinta annorum facta relaxatio vllo modo excuſari poteſt:& multo minus tolerabile eſt quòd miſeræ puellæ, antequã vel per ætatem ſe noſſe potuerint, vel vllum ſui experimentum capere, vt in illos maledictos laqueos ſe induant,non tantùm fraude inducuntur,ſed vi agminis compelluntur.In reliquis duobus votis impugnandis non inſiſtam. Hoc tantùm dico: præterquam quòd non paucis ſuperſtitionibus ſunt implicita (vt hodie res habent)in hoc compoſita eſſe videntur, vt qui ea nuncupant, Deo illudant & hominibus. Sed ne videamur ſingulas particulas nimis malignè exagitare, illa generali, quæ ſuperius poſita eſt, confutatione contenti erimus.

20 Cuiuſmodi legitima ſint & accepta Deo vota,ſatis expoſitum eſſe arbitror. Quia tamen interdum rudes ac timidæ conſcientiæ, etiam vbi votum aliquod diſplicet ac improbatur, de obligatione nihilominus dubitant,& grauiter excruciantur,quum & violare datam Deo fidem horrent, & verentur econuerſo ne ſeruando magis peccent:hîc ſuccurrendum illis eſt,quo ſe poſſint ab hac difficultate,eripere. Vt autem ſemel omnẽ ſcrupulum tollã:dico omnia non legitima nec ritè concepta vota,vt apud Deum nihili ſunt, ſic nobis irrita eſſe debere.Nam ſi in humanis contractibus ea tantùm promiſſa nos obligant in quibus is cum quo contrahimus, vult nos habere obligatos: abſurdum eſt, ad ea præſtanda nos adigi quæ à nobis minimè Deus requirit:præſertim quum non aliter recta ſint opera noſtra niſi vbi Deo placent,& hoc conſcientiæ teſtimonium habent quòd placeant. Manet enim illud fixum, Quicquid non eſt ex fide,peccatum eſt. Quo intelligit Paulus,

Paulus,quod cum dubitatione ſuſceptum eſt opus, propterea vitioſum eſſe, quòd omniũ bonorum operum radix eſt fides, qua certi ſumus illa Deo accepta eſſe. Ergo ſi nihil niſi hac certitudine aggredi licet homini Chriſtiano,cur nũ,ſi quod temere ſuſceperint ignorationis vitio,ab errore poſtea liberati deſiſtant? Eiuſmodi quum ſint vota inconſideratè ſuſcepta, non modò nihil obligant, ſed neceſſariò ſunt reſcindenda. Quid autem, quòd non tantùm pro nihilo æſtimantur in conſpectu Dei,ſed abominationi quoque ſunt? vt prius demonſtratum eſt. Superuacuum eſt de re non neceſſaria longius diſſerere. Hoc vnum argumentum ad pacandas & omni ſcrupulo liberandas pias conſcientias abundè eſſe mihi videtur: quæcunque non ex puro fonte emanant opera, & in legitimum finem diriguntur,à Deo repudiari:& ita repudiari vt nõ minus in illis pergere, quàm ipſa inchoare nos vetet. Inde enim conficitur, quæ ab errore & ſuperſtitione profecta ſunt vota, & nullius eſſe apud Deum momenti,& à nobis deſerenda. Rom.14.d. 23

21 Habebit præterea qui hanc tenebit ſolutionem, quo aduerſus improborum calumnias eos defendat qui ex monachiſmo ad honeſtum aliquod viuendi genus concedunt,Fractæ fidei & periurii grauiter accuſantur,quòd vinculum(vt vulgò creditur)inſolubile,quo erant Deo & Eccleſiæ obligati,abruperint. At ego nullum fuiſſe vinculum dico,vbi quod homo confirmat,Deus abrogat.Deinde vt demus fuiſſe obligatos, quum ignoratione Dei & errore impliciti tenerentur: nunc poſtquam veritatis notitia ſunt illuminati,ſimul Chriſti gratia liberos eſſe dico. Nam ſi tantam efficaciam habet crux Chriſti vt à Legis diuinæ maledictione qua vincti detinebamur, nos abſoluat: quãto magis ab extraneis vinculis(quæ nihil ſunt quàm captioſa Satanæ retia) nos eruet? Quibuſcunque ergo Chriſtus Euangelii ſui luce affulget,non dubium eſt quin ab omnibus eos laqueis expediat quibus ſe per ſuperſtitionem induerant.Quanquam nec illis deeſt altera defenſio, ſi ad cælibatum non fuerunt idonei. Nam ſi votum impoſſibile certum eſt animæ exitiũ, quam ſeruatam vult Deus, non perditam: ſequitur in eo minimè eſſe permanendum. Quàm autem impoſſibile ſit votum continentiæ iis qui ſingulari dono præditi non ſunt, antea docuimus:& experientia,me tacente, loquitur.neque enim eſt ignotum quãta obſcœnitate ſcateant omnia ferè monaſteria. Et ſiqua videntur honeſtiora magíſque verecunda eſſe aliis, non ideo tamen caſta ſunt quòd impudicitiæ malum intus premunt ac continent.Ita ſcilicet horrẽdis exemplis hominum audaciam vlciſcitur Deus, quum ſuæ infirmitatis immemores,repugnãte natura id affectant quod eſt illis denegatum, & contemptis remediis quæ Dominus illis ad manum dederat, contumacia & obſtinatione incontinentiæ morbum ſuperare ſe poſſe cõfidunt. Quid enim aliud quàm contumaciam eſſe dicemus, vbi quis admonitus coniugio ſibi opus eſſe, ídque ſibi à Domino remedii loco dari,non modò id contemnit,ſed etiam ſacramento ſe adigit ad contemptum? Galat.3.b.3

De Sacramentis.

CAP. XIIII.

PRAEDICATIONI Euangelii aliud affine eſt fidei noſtræ adiumentum in Sacramentis: de quibus certam aliquam doctrinam tradi, magnopere noſtra refert, vnde nos & quem in finem inſtituta fuerint, & quis eorum nunc vſus ſit,diſcamus.Principio animaduertere conuenit quid ſit Sacramentum. Videtur autem mihi hæc ſimplex & propria fore definitio,ſi dixerimus exterum eſſe ſymbolum,quo beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones cõſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem:& nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram eo & Angelis quàm apud homines teſtamur. Licet etiam maiore compendio aliter definire: vt vocetur diuinæ in nos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum,cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione. Vtramlibet ex his definitionibus eligas, ab illa Auguſtini, quæ ſacramentum eſſe tradit rei ſacræ viſibile ſignum,aut inuiſibilis gratiæ viſibilem formam,ſenſu nihil differt:rem verò ipſam melius ac certius explicat. Nam quum in illa breuitate ſit aliqua obſcuritas, in qua multi rudiores hallucinantur, volui pluribus verbis pleniorem reddere ſententiam, nequid dubitationis hæreret.

2 Qua ratione vocabulum hoc vſurpauerint veteres in eo ſenſu non eſt obſcurum. Nam quoties Græcam vocem μυστήριον Latinè reddere voluit Vetus interpres, præſertim vbi de rebus diuinis agebatur,tranſtulit Sacramẽtum. Sic ad Epheſios, Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ. Item, Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis, quoniam ſecũdum reuelationem notum mihi factũ eſt ſacra- Ephe.1.b.9; & 3.a.2

Coloſ.1.d.26 mentum. Ad Coloſſenſes, Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationi-
bus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Dominus notas facere di-
1. Ti. 3. d.16 uitias ſacramenti huius, &c. Item ad Timotheum, Magnum pietatis ſacramentum: Deus
manifeſtatus eſt in carne. Noluit autem dicere arcanum, nequid rerum magnitudine in-
ferius dicere videretur. Sacramentum ergo poſuit pro arcano, ſed rei ſacræ. In ea ſignifi-
catione apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſubinde occurrit. Et ſatis notum eſt, quæ ſacramẽ-
ta vocantur apud Latinos, Græcis eſſe myſteria: quæ ſynonymia litem omnem dirimit.
Atque hinc factum eſt vt ad ſigna illa quæ auguſtam ſublimium ac ſpiritualium rerum
Epiſt.5.ad Marcellin. repræſentationem haberent, deduceretur. Quod etiam notat alicubi Auguſtinus, Lon-
gum, inquit, eſſet diſputare de varietate ſignorum: quæ quum ad res diuinas pertinent,
Sacramenta appellantur.

3 Porrò ex hac quam poſuimus definitione intelligimus, nunquam ſine præeunte
promiſſione eſſe ſacramentum, ſed ei potius tanquam appendicem quandam adiungi,
eo fine vt promiſſionem ipſam confirmet ac obſignet, nobiſque teſtatiorem, imò ratam
quodammodo faciat: quo modo noſtræ ignorantiæ ac tarditati primùm, deinde infirmi-
tati opus eſſe Deus prouidet: neque tamen (propriè loquendo) tam vt ſacrum ſuum ſer-
monem firmet, quàm vt nos in ipſius fide ſtabiliat. Siquidem Dei veritas per ſe ſatis ſoli-
da certáque eſt: nec aliunde meliorem confirmationem quàm à ſe ipſa accipere poteſt.
Verùm vt exigua eſt & imbecilla noſtra fides, niſi vndique fulciatur, ac modis omnibus
ſuſtentetur, ſtatim cõcutitur, fluctuatur, vacillat, adeóque labaſcit. Atque ita quidem hîc
ſe captui noſtro pro immenſa ſua indulgentia attemperat miſericors Dominus, vt quan-
do animales ſumus, qui humi ſemper adrepentes, & in carne hærentes, nihil ſpirituale
cogitamus, ac ne concipimus quidem, elementis etiam iſtis terrenis nos ad ſe deducere
Hom.60.ad populum. non grauetur, atque in ipſa carne proponere bonorum ſpiritualium ſpeculum. Nam ſi
incorporei eſſemus (vt Chryſoſtomus ait) nuda & incorporea nobis hæc ipſa daret. Nunc
quia corporibus inſertas habemus animas, ſub viſibilibus ſpiritualia tradit. Non quia ta-
les inditæ ſunt dotes naturis rerũ quæ in ſacramentis nobis proferuntur: ſed quia in hanc
ſignificationem à Deo ſignatæ ſunt.

4 Atque hoc eſt quod vulgò dicunt, conſtare ſacramentum verbo & externo ſigno.
Verbum enim intelligere debemus, non quod ſine ſenſu & fide inſuſurratum, ſolo ſtre-
pitu, velut magica incantatione, conſecrandi elementi vim habeat: ſed quod prędicatum
intelligere nos faciat quid viſibile ſignum ſibi velit. Quod ergo ſub Papæ tyrannide fac-
tum eſt, non caruit ingenti myſteriorum profanatione. putarunt enim ſatis eſſe ſi Sa-
cerdos, populo ſine intelligentia obſtupente, conſecrationis formulam demurmuraret.
Imò id data opera cauerunt, nequid doctrinæ inde ad plebẽ peruueniret. omnia enim La-
tinè pronuntiarunt apud homines illiteratos. Poſtea couſque erupit ſuperſtitio, vt conſe-
crationem non niſi rauco murmure, quod à paucis exaudiretur, ritè peragi crederent. At
Homi.in Iohannem 13. longè aliter de verbo ſacramentali docet Auguſtinus, Accedat, inquit, verbũ ad elemen-
tum, & fiet ſacramentũ. Vnde enim iſta tanta virtus aquæ vt corpus tãgat, & cor abluat,
Rom.10.b.8 Act.15.b.9 1.Pet.3.d.21 niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſo-
nus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, inquit Apo-
ſtolus. Vnde in Actis Apoſtolorum, Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apoſtolus, Sic
& nos Baptiſma ſaluos facit, non depoſitio ſordium carnis, ſed cõſcientiæ bonæ interro-
gatio. Hoc eſt verbũ fidei quod prædicamus: quo ſine dubio, vt mundare poſſit, cõſecra-
tur & Baptiſmus. Vides vt prędicationẽ requiratvnde naſcatur fides. Nec eſt quòd in hac
probatione laboremus, quando minimè obſcurum eſt quid Chriſtus fecerit, quid nobis
facere mandauerit, quid ſequuti ſint Apoſtoli, quid purior Eccleſia obſeruauerit. Imò ab
initio vſque mundi notũ eſt, quoties ſignum aliquod obtulit Deus ſanctis Patribus, inſe-
parabilem fuiſſe doctrinæ copulã ſine qua attoniti nudo aſpectu ſenſus noſtri redderen-
tur. Ergo quũ de verbo ſacramẽtali fieri mẽtionẽ audimus, promiſſionẽ intelligamus quę
clara voce à miniſtro prædicata, plebẽ eò manu ducat quò ſignum tendit ac nos dirigit.

5 Nec audiendi ſunt quidam qui contrà pugnare conantur arguto magis quàm ſo-
lido dilemmate. Aut verbum, inquiunt, Dei, quod ſacramentum præcedit, ſcimus eſſe ve-
ram Dei voluntatem, aut neſcimus. Si ſcimus, nihil ex ſacramento, quod poſtea ſequitur,
nouum diſcimus. Si neſcimus, neque id docebit ſacramentum cuius vis omnis in verbo
ſita eſt. Quibus breuiter reſponſum ſit, Sigilla, quæ diplomatibus aliiſque publicis actis
appen

appenduntur,per se accepta nihil sunt, vtpote quæ frustra appensa forent si membrana nihil haberet descriptum.neque tamen ideo non confirmant atque obsignant quod scriptum est, dum scriptis adduntur. Neque hanc similitudinem nuper à nobis cõfictam iactare possunt,quam Paulus ipse vsurpauit,Circuncisionẽ vocans σφραγίδα.vbi ex proteno contendit,non fuisse Circuncisionem Abrahę in iustitiam,sed eius pacti obsignationem cuius fide fuerat iam antè iustificatus.Et quid est,obsecro, quod aliquem magnopere offendat,si promissionem docemus obsignari sacramẽtis,quum ex ipsis promissionibus palàm sit alteram altera confirmari? Nempe vt quæque est manifestior,ita est ad fulciẽdam fidem magis idonea. Sacramenta verò & promissiones afferunt clarissimas: & hoc habẽt præ verbo peculiare,quòd eas veluti in tabula depictas nobis ad viuum repræsentant.Neque nos mouere debet quæ inter Sacramẽta & diplomatum sigilla obiectari solet distinctio. quòd quum vtraque carnalibus huius mundi elementis constent, illa ad promissiones Dei obsignãdas sufficere vel paria esse nequeant,quæ sunt spirituales & æternæ:quẽadmodum hæc ad obsignanda principum edicta de rebus fluxis ac caducis appendi solent.Siquidem vir fidelis,dum oculis sacramenta obuersantur, non in illo carnali spectaculo hæret: sed illis quos indicaui analogiæ gradibus, ad sublimia mysteria quæ in sacramentis latent,pia consideratione assurgit. Rom.4.b.11

6 Et quando Dominus promissiones suas fœdera nuncupat:sacramenta,symbola fœderum:ab ipsis hominũ fœderibus simile adduci potest. Porca cæsa quid efficiat nisi verba intercederent?imò nisi præirent?Nam porcæ sæpius cęduntur citra vllum interius aut sublimius mysterium. Quid dextera data, quum manus hostiliter non raro conserantur? At vbi verba præierint, talibus sanè symbolis fœderum leges sanciuntur, quanuis prius verbis conceptæ, conditæ,decretæ. Sacramẽta igitur exercitia sunt quæ certiorem verbi Dei fidem nobis faciunt: & quia carnales sumus, sub rebus carnalibus exhibentur: vt ita pro tarditatis nostæ captu nos erudiant, & perinde ac pueros pædagogi manu ducant. Hac ratione Augustinus sacramentum,verbum visibile nuncupat: quòd Dei promissiones velut in tabula depictas repræsentet, & sub aspectum graphicè atq; ἐναργῶς expressas statuat. Aliæ quoque similitudines afferri possunt quibus sacramẽta planius designẽtur, vt si vocemus fidei nostræ columnas. Quo enim modo ædificium suo quidẽ fundamẽto stat & incumbit,subiectis tamen columnis certius stabilitur:ita fides in verbo Dei, nõ secus ac fundamento residet.sed cum accedunt sacramenta, ipsis adhuc ceu columnis, solidius innititur. Aut si dicamus specula in quibus gratię Dei diuitias,quas nobis elargitur, contemplari liceat.illic enim sese nobis(vt iam dictũ est)manifestat quantum nostrę hebetudini agnoscere datum est, suámque erga nos beneuolentiam & amorem expressius quàm verbo testatur. Gen.6. d.18 & 9.b.9,& 17.a.22. In Iohã. homil.89 Li.19.cõtra Faustum.

7 Nec satis appositè ratiocinantur,dum ex eo contendunt non esse testimonia gratiæ Dei, quia impiis quoque porriguntur, qui tamen Deum nihilo sibi magis propitium inde sentiunt, sed grauiorem potius damnationem contrahunt. Nam eodem argumento nec Euangelium esset testimonium gratiæ Dei, quod à multis auditur ac spernitur: nec Christus demum ipse, qui à compluribus visus est ac cognitus, quorum pauciſſimi eum receperunt. Simile etiam in diplomatibus spectare licet.siquidem bona pars multitudinis αὐθεντικὸν illud sigillum, vtcũque à Principe ad consignandam voluntatem suam profectum esse nouerit,irridet tamen atque eludit: alii velut rem ad se minimè pertinentẽ,súsque déque habent: alii etiam execrantur,vt conspecta hac tam pari amborũ conditione magis ac magis illa superius à me vsurpata similitudo arridere debeat. Itaque certum est nobis à Domino misericordiam, ac gratiæ suæ pignus cum sacro suo verbo, tum sacramẽtis offerri. verum non apprehenditur nisi ab his qui verbum & sacramenta certa fide accipiũt: qualiter omnibus in salutem oblatus à Patre ac propositus Christus, non tamen ab omnibus agnitus exceptúsque est.Id quum alicubi indicare Augustinus vellet, dixit, Verbi efficaciam in sacramento proferri:nõ quia dicitur,sed quia creditur. Proinde Paulus dum apud fideles verba facit, sic de sacramentis disserit vt in illis Christi communionem includat.vt quũ dicit, Quicunque baptizati estis, Christũ induistis.Item, Vnum corpus & vnus Spiritus sumus omnes qui in Christo baptizati sumus.Quum verò de præpostero sacramentorum vsu loquitur, nihilo plus illis tribuit quàm frigidis & inanibus figuris. quo significat, vtcunque impii ac hypocritæ sua peruersitate diuinæ gratiæ in sacramentis effectum vel opprimant,vel obscurent,vel impediant,id tamen minimè ob- Gal.3.d.27 1.Co.12.b.12

ſtare quominus vbi & quoties Deo placet, & verum de Chriſti cõmunicatione teſtimonium afferãt,& hoc ipſum quoque exhibeat præſtétque Spiritus ipſius Dei quod promittunt. Conſtituimus ergo ſacramenta verè nominari teſtimonia gratiæ Dei ac veluti quædam beneuolentiæ,qua erga nos affectus eſt,ſigilla:quæ ipſam nobis obſignando,fidẽ noſtram hoc modo ſuſtinẽt,alunt,cõfirmant,adaugent. Quæ verò contra hanc ſententiam obiectari à nonnullis ſolent rationes,nimis friuolæ enerueſq; ſunt.Aiũt meliorem fidem noſtram fieri non poſſe,ſi bona eſt.non enim eſſe fidem niſi quæ inconcuſſè, firmiter,in-
Luc.17.a.5 diſtractè Dei miſericordiæ innititur.Quibus ſatius fuerat cũ Apoſtolis orare vt Dominus ſibi augeret fidem,quàm talem fidei perfectionem ſecurè obtẽdere, quã nemo vnquam ex filiis hominũ aſſequutus eſt,nemo aſſequetur in hac vita.Reſpondeant qualẽ ei fuiſſe
Mar.9.d.24 fidem exiſtimẽt qui dicebat,Credo domine,adiuua incredulitatẽ meã.Nam & illa,vtcũque inchoata fides,bona erat,& melior ſublata incredulitate fieri poterat. Sed nullo certiore argumẽto quàm ſua ipſorũ conſcientia refellũtur. Nã ſi peccatores ſe fatẽtur (quod velint nolint,inficiari nequeunt)idipſum fidei ſuæ imperfectioni imputent neceſſe eſt.

Act.8.g.37 8 At reſpondit, inquiunt, Philippus Eunucho, Baptizari eum licere ſi ex toto corde crederet.Quem hic locum habet Baptiſmi confirmatio,vbi fides totum cor implet? Rurſum ipſos interrogo, annon bonam cordis ſui partem fide vacuam ſentiunt,annon noua quotidie incrementa agnoſcunt?Gloriabatur ille,ſe dicẽdo fieri ſenem. Nos igitur ter miſeri Chriſtiani,ſi nihil proficiendo ſenes ſimus, quorum fides per omnes ætatum gradus
Ephe.4.d.13 progredi debet,donec adoleſcat in virũ perfectum. Itaque in hoc loco ex toto corde credere, non eſt perfectè Chriſto credere: ſed ex animo duntaxat & ſyncera mente illum amplecti: non eo ſaturum eſſe, ſed ardenti affectu eſurire, ſitire, & ad eum ſuſpirare. Hic mos eſt Scripturæ, vt toto corde fieri dicat quod ſyncerè & ex animo fieri ſignificat. Cu-
Pſal. 119.10, & 111.a.1, & 138.a.1 ius rationis ſunt iſta, In toto corde meo exquiſiui te. Cõfitebor tibi in toto corde meo,& ſimilia.Quemadmodum contrà,vbi fraudulentos ac fallaces obiurgat,illis cor & cor exPſal.12.a.3 probrare ſolet.Subiiciunt deinde,Si fides per ſacramẽta augeatur, fruſtra datum eſſe Spiritum ſanctum, cuius virtus atque opus eſt inchoare, tueri,conſummare fidem. Quibus equidem fateor, proprium ac ſolidum Spiritus ſancti opus fidem eſſe, à quo illuminati, Deum ac benignitatis eius theſauros agnoſcimus,& ſine cuius lumine mens noſtra adeò cæca eſt vt nihil conſpicere,adeò ſtupida vt nihil ſubodorari rerum ſpiritualiũ poſſit. Verùm pro vno Dei beneficio quod ipſi prædicant, nos tria perpendimus. Nam primùm verbo ſuo nos docet & inſtituit Dominus: deinde ſacramentis confirmat: poſtremò ſancti ſui Spiritus lumine mentibus noſtris illucet:& aditum in corda noſtra verbo ac ſacramentis aperit,quæ alioqui aures duntaxat percellerent, & oculis obuerſarẽtur, interiora minimè afficerent.

9 Quamobrem de confirmatione augmentóque fidei monitum velim lectorẽ(quod iam minimè dubiis verbis expreſſiſſe mihi videor)id miniſterium ſic me ſacramentis aſſignare, non quaſi arcanam vim neſcio quam illis perpetuò inſitam putem, qua fidem perſe promouere aut confirmare valeant: ſed quia ſunt in hoc à Domino inſtituta, vt ſtabiliendæ augendæque fidei ſeruiant. Cæterùm munere ſuo tum ritè demum perfungũtur, vbi interior ille magiſter Spiritus acceſſerit: cuius vnius virtute & corda penetrantur, & affectus permouentur,& ſacramentis in animas noſtras aditus patet. Si deſit ille, nihil ſacramenta plus præſtare mentibus noſtris poſſunt quàm ſi vel ſolis ſplendor cæcis oculis affulgeat,vel ſurdis auribus vox inſonet. Itaque ſic inter Spiritum ſacramẽtáque partior, vt penes illum agendi virtus reſideat, his miniſterium duntaxat relinquatur: ídque ſine Spiritus actione inane ac friuolum: illo verò intus agente,vímque ſuam exerente, multæ energiæ refertum. Nunc clarum eſt qualiter ſecundum hanc ſententiam, pia mens in fide per ſacramenta confirmetur: nempe quo modo ſolis fulgore vident oculi, vocis ſono aures audiunt: è quibus, neque illi quouis lumine quicquam afficerentur, niſi inditam haberent aciem quæ ſuapte ſponte illuſtraretur: & hæc clamore quolibet nequicquam pulſarentur, niſi ad audiendum natæ aptæque forent. Atqui ſi verum eſt quod ſemel inter nos definitum eſſe conuenit, quod in oculis noſtris viſus efficit ad lucem conſpiciendam,quod in auribus auditus ad percipiendam vocẽ: id eſſe in cordibns noſtris Spiritus ſancti opus, ad fidem & concipiẽdam, & ſuſtinendam,& fouendã,& ſtabiliendã: vtrunq; perinde conſequitur, Neque ſacramẽta hilũ proficere ſine Spiritus ſancti virtute,& nihil obſtare quominus in cordibus iam antè à præceptore illo edoctis, fidẽ & robuſtiorem & auctiorem

auctiorem reddant. Hoc tantùm interest, quòd audiendi videndíque facultas naturaliter auribus & oculis indita est: Christus autem præter naturæ modum speciali gratia idem in animis nostris agit.

10 Quo & illæ quæ nonnullos anxios tenent, obiectiones simul dissoluuntur. Si fidei seu incrementum seu confirmationem creaturis adscribimus, iniuriam fieri Spiritui Dei, quem solum eius authorem agnoscere decebat. Neque enim interim illi & cõfirmationis & incrementi laudem eripimus: quin potius idipsum quòd fidem auget atque firmat, nihil esse aliud asserimus quàm interiori sua illustratione mentes nostras comparare ad suscipiendam eam quæ à sacramentis proponitur, confirmationem. Quòd si adhuc nimium obscurè dictum est, similitudine hac quam adducam, fiet planè dilucidum. Siquem verbis ad aliquid agendum persuadere instituas, rationes omnes excogitabis quibus in tuam sententiam pertrahatur ac penè subigatur, consilio tuo vt obtemperet. Verùm nihil dum actum est, nisi ipse vicissim perspicaci sit acutóque iudicio, quo in rationibus tuis quantum insit momenti expendere queat: nisi docili etiam sit ingenio, & ad auscultandum doctrinæ parato, nisi postremò eam de fide prudentiáque tua opinionem conceperit, quæ ad subscribendum cuiusdam sit illi instar præiudicii. Nam & sunt præfracta plurima capita quæ nullis vnquam rationibus flectas: & vbi suspecta fuerit fides, vbi contempta authoritas, parum apud dociles proficitur. Adsint rursum illa omnia: efficiẽt profectò vt illis ipsis consiliis auditor cui consulis acquiescat, quæ erat alioqui irrisurus. Id quoque operis agit in nobis Spiritus. nam ne verbum frustra aures percellat, ne frustra oculos sacramenta verberent, Deum esse ostendit qui nobis istic loquitur cordis nostri peruicaciam emollit, atque ad eam quæ Domini verbo debetur obedientiam componit. Denique externa illa & verba & sacramenta ab auribus in animam transmittit. Confirmant ergo fidem nostram & verbum & sacramenta, dum bonam Patris cælestis erga nos voluntatem nobis ob oculos ponunt, cuius cognitione & tota fidei nostræ firmitudo consistit, & robur augescit: confirmat Spiritus, dum eam animis nostris confirmationem insculpendo, efficacem reddit. Interea prohiberi non potest Pater luminum, quin sicut corporeos oculos solis radiis, ita mentes nostras sacramentis, quasi intermedio fulgore illustret.

11 Quam externo verbo proprietatem subesse docuit Dominus, quum in parabola semen appellauit. Quemadmodum enim semen si in desertam neglectámque agri partem deciderit, nihil aliud quàm emorietur: si verò in segetem aptè laboratam atque excultam iactum fuerit, suum cum optimo fœnore fructum referet: ita verbum Dei, si in duram aliquam ceruicem inciderit, velut in arenam proiectum, sterilescet: si animam nactũ fuerit cælestis Spiritus manu subactam, fructuosissimum erit. Atqui si eadem est seminis verbíque ratio, vt è semine frumentum & nasci, & augescere, conscendere ad maturitatem dicimus: cur non & fidem è verbo initium, incrementum, perfectionem accipere dicamus? Vtrunque Paulus diuersis locis optimè explicat. Nam dum Corinthiis reducere in memoriam vult quàm efficaciter vsus sit Deus sua opera, gloriatur se habere ministerium Spiritus: perinde acsi indiuiduo nexu cum sua prædicatione coniuncta esset vis Spiritus sancti, ad mentem intus illuminandam & permouendam. At verò quum alibi admonere vult quid per se valeat Dei verbum ab homine prædicatum, ipsos ministros agricolis cõparat, qui vbi laborem ac industriam in excolenda terra posuerint, nihil amplius quod faciant habent. Quid autem aratio & satio & rigatio prodessent nisi quod satum est, cælesti beneficio vegetaretur? Itaque concludit, & eum qui plantat, & eum qui rigat, nihil esse: sed omnia esse Deo adscribenda qui solus dat incrementum. Spiritus ergo potentiam exerunt in sua prædicatione Apostoli, quatenus Deus ordinatis à se organis ad spiritualis gratiæ suæ explicationem vtitur. Ea tamen retinenda est distinctio, vt quid homo per se valeat, quid Dei proprium sit, meminerimus.

Mat.13.a.3 Luc.8.b.15

1.Cor.2.a.4 1.Cor.3.b.6

1.Cor.3.b.6

12 Adeò autem Sacramenta confirmationes sunt fidei nostræ, vt nonnunquam Dominus, quando rerum ipsarum, quæ in Sacramentis ab eo promissæ erant, fiduciam tollere vult, Sacramenta ipsa auferat. Quum Adam immortalitatis dono spoliat & abdicat, Non colligat, inquit, de fructu vitæ, ne viuat in æternum. Quid audimus? an suam Adæ incorruptionẽ, à qua iam deciderat, restituere poterat fructus ille? Minimè sed hoc perinde est acsi dixisset, Ne vana fiducia fruatur si promissionis meæ symbolũ teneat: excutiatur illi quod spem aliquã immortalitatis facere posset. Hac ratione quũ Apostolus Ephesios hortatur vt se meminerint fuisse hospites testamentorum, alienos à consortio Israelis,

Gen.3.d.22

Ephe.2.c.12

sine Deo,sine Christo,dixit non fuisse participes Circũcisionis. Quo metonymicè significat,à promissione ipsa exclusos qui tesseram promissionis non accepissent. Ad eorũ verò alterum obiectum,Dei gloriam ad creaturas deriuari,quibus tantum virtutis attribuitur, sicque eatenus diminui,respõdere promptum est,nullam in creaturis virtutem à nobis reponi.Hoc duntaxat dicimus,Deum mediis ac instrumentis,quæ expedire ipse prospicit,vti:vt eius gloriæ omnia obsequantur,quando omnium ipse Dominus est & arbiter.Ergo vt per panem cæteráque alimenta corpora nostra pascit:vt per solem,mundum illuminat:vt per ignem calefacit:nec tamen aut panis, aut sol, aut ignis aliquid sunt nisi quatenus sub iis instrumentis benedictiones suas nobis dispensat:ita spiritualiter per Sacramenta fidem alit, quorum vnicum officium est, eius promissiones oculis nostris spectãdas subiicere,imò nobis earum esse pignora.Et vt nostrum est in cæteris creaturis,quę Dei liberalitate & beneficẽtia vsibus nostris destinatę sunt,quarũque ministerio bonitatis suæ munera nobis largitur,nihil fiduciæ defigere,nec quasi boni nostri causas admirari & prædicare:ita neq; in Sacramentis hęrere fiducia nostra debet,nec Dei gloria in ipsa transferri: sed omissis omnibus,ad ipsum & Sacramentorum & rerum omniũ authorem surgere & fides & confessio debent.

13 Quòd autem ex ipso demum Sacramenti nomine argumentum nonnulli afferũt, minimè firmum est.Sacramentum,inquiunt,quum multas habeat apud probatos authores significationes,vnam tantùm habet quæ signis conueniat:nempe qua solẽne illud iuramentum significat quod miles Imperatori præstat quum militiæ initiatur. Vt enim militari illo sacramento fidem suam obstringunt Imperatori noui milites, & militiam profitentur:ita nostris signis Christum Imperatorem profitemur, & sub eius signis nos militare testamur. Addunt similitudines quibus rem magis dilucidã reddant. Vt togaRomanos à palliatis Græcis discernebat: vt ipsi inter se ordines Romæ suis symbolis distinguebãtur:Senatorius ab equestri,purpura & lunatis calceis:rursum à plebeio Equester,annulo:ita nos symbola nostra gestamus quæ nos à profanis discernãt.At ex superioribus abunde liquet veteres qui Sacramentorum nomen signis indiderũt, minimè respexisse quis fuisset verbi huius vsus Latinis scriptoribus:sed nouam hanc significationẽ pro suo commodo affinxisse,qua simpliciter sacra signa designarent.Quòd si altius argutari volumus, videri possunt eadem analogia nomen hoc ad eiusmodi significationem transtulisse qua nomen fidei ad eum sensum in quo nunc vsurpatur. Quum enim fides sit in præstandis promissis veritas:fidem tamen dixerunt certitudinem, seu certam persuasionem quæ de ipsa veritate haberetur. Ad hunc modum, quum sacramentum sit militis, quo se suo Imperatori vouet:fecerunt Imperatoris,quo milites in ordines recipiat. Dominus enim per Sacramẽta se nobis in Deum fore pollicetur,& nos sibi fore in populum. Verum tales argutias omittimus: quando satis planis argumẽtis probasse mihi videor,nihil aliud spectasse quàm vt significarent signa hæc sanctarum & spiritualium rerum esse. Similitudines quas afferunt de externis insignibus,recipimus quidem,sed non ferimus, quod posterius est in Sacramentis,ab illis primum atque adeò vnum constitui.Est autem hoc primum,vt fidei nostræ apud Deum seruiant: posterius, vt confessionem nostram apud homines testentur. Secundum hanc posteriorem rationem valẽt illæ similitudines. Maneat interea prius illud:quia alioqui frigerẽt mysteria(vt visum est)nisi fidei nostrę adminicula essent, doctrinæque appendices in eundem vsum & finem destinatæ.

14 Rursum admonendi sumus,vt isti vim Sacramentorum eneruant,vsúmque prorsus euertunt:ita ab aduersa parte stare alios qui arcanas nescio quas virtutes Sacramentis affingunt quæ nusquam illis à Deo insitæ leguntur.Quo errore periculosè falluntur simpliciores & imperiti,dum & Dei dona quærere docentur vbi reperiri minimè possunt,& à Deo sensim abstrahuntur,vt pro eius veritate meram amplexentur vanitatem. Magno enim consensu sophisticæ scholę tradiderunt,Sacramenta nouæ Legis,hoc est quę nunc in vsu sunt Christianæ Ecclesię,iustificare & conferre gratiam,modò non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia, dici non potest quàm sit exitialis & pestilẽs,eóque magis quòd multis antè seculis magna Ecclesiæ iactura,in bona orbis parte obtinuit.Planè certè diabolica est.nam dum iustitiam citra fidem pollicetur,animas in exitium præcipites agit: deinde quia iustitiæ causam à Sacramentis ducit, miseras hominum mentes,in terram suapte spõte plus satis inclinatas, hac superstitione illigat, vt in spectaculo rei corporeæ potius quàm in Deo ipso acquiescant.Quæ duo vtinam adeò cõperta non haberemus;

mus, tantum abeſt vt longa probatione indigeãt. Quid verò eſt Sacramentũ citra fidem ſumptum, niſi certiſſimum Eccleſiæ exitium? Nam quum nihil inde extra promiſſionem ſit expectandum: promiſſio autem non minus iram incredulis minetur quàm fidelibus gratiam offerat: fallitur qui plus aliquid per Sacramenta ſibi conferri putat, quàm quod verbo Dei oblatum, vera fide percipiat. Ex quo alterum etiam conficitur, non pẽdêre ex Sacramenti participatione ſalutis fiduciam, acſi iuſtificatio ſita illic foret: quam in vno Chriſto repoſitam, nihilo minus Euangelii prædicatione quàm Sacramẽti obſignatione, nobis communicari ſcimus: ac ſine hac poſſe in ſolidum conſtare. Vſqueadeò verum eſt quod ab Auguſtino quoque ſcribitur, Inuiſibilem ſanctificationem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe, & viſibile rurſum ſignum ſine vera ſanctificatione. Induunt enim (vt ipſe quoque alibi ſcribit) homines Chriſtum aliquando vſque ad Sacramenti perceptionẽ, aliquando vſque ad vitæ ſanctificationem. Atque illud primũ & bonis & malis poteſt eſſe cõmune: hoc autem alterum, proprium eſt bonorum ac piorum.

Lib. 3. de quæſt. Vet. teſt.

Lib. 5. de Baptiſ. contra Donat. cap. 24.

15 Hinc illa ſi rite intelligatur, inter Sacramentũ & rem Sacramenti ab eodem Auguſtino ſæpius notata diſtinctio. neque enim ſignificat duntaxat, figuram & veritatem illic contineri, ſed non ita cohærere quin ſeparari queant: ac in ipſa etiam coniunctione oportere ſemper diſcerni rem à ſigno, ne ad alterum trãsferamus quod alterius eſt. De ſeparatione loquitur quum ſcribit, in ſolis electis efficere Sacramenta quod figurant. Item, vbi de Iudæis ſic ſcribit, Sacramenta quũ eſſent omnibus cõmunia, non erat communis gratia: quæ virtus eſt Sacramentorum. ſic et nunc commune eſt omnibus lauacrum regenerationis: ſed ipſa gratia qua membra Chriſti cum ſuo capite regenerantur, non omnibus eſt communis. Rurſus alibi de Cœna Domini, Nos quoque viſibilem cibum hodie accipimus: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramẽti. Quid eſt quod multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Nam & buccella Dominica venenũ fuit Iudæ: nõ quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. Paulo pòſt, Huius rei Sacramentum, id eſt vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis dierũ interuallis in menſa Dominica prẽparatur: & de ea ſumitur quibuſdã ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res verò ipſa, cuius & Sacramentum eſt, omnibus ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Et aliquanto antè dixerat, Non morietur, qui manducauerit: ſed qui pertinet ad virtutem ſacramenti, non ad viſibile ſacramẽtum: qui manducat intus, non foris: qui mãducat corde, non qui premit dente. Hîc vbique audis, Sacramentum ſic à ſua veritate ſeparari indignitate ſumentis, vt nihil maneat præter inanem & inutilem figuram. Vt autem non ſignum veritate vacuum, ſed rem cum ſigno habeas: verbum quod illic incluſum eſt, fide apprehendas oportet. Sic quantum in Chriſti communicatione proficies per Sacramenta, tantum ex illis capies vtilitatis.

De Baptiſ. paruulorũ. In Pſal. 78

In Ioh̃. homil. 26

16 Id ſi eſt obſcurius propter breuitatem, pluribus verbis exponam. Chriſtum Sacramentorum omnium materiam, vel (ſi mauis) ſubſtantiam eſſe dico: quando in ipſo totam habent ſuam ſoliditatem, nec quicquam extra ipſum promittunt, quo minus tolerabilis error eſt Petri Lõbardi, qui diſertè ea iuſtitię & ſalutis cauſas facit quorũ partes ſunt. Itaque cauſis omnibus quas ſibi fingit hominis ingenium, valere iuſſis, nos in hac vnica retineri decet. Quantum igitur tum ad veram Chriſti notitiam in nobis fouendam, confirmandam, augendam, tum ad eum plenius poſſidendũ, fruendáſque eius diuitias, illorum miniſterio adiuuamur, tantum apud nos efficaciæ habent. id autem fit vbi quod illic offertur, vera fide ſuſcipimus. Ergóne, inquies, id efficiunt ſua ingratitudine impii, vt irrita ſit Dei ordinatio, ac in nihilum cedat? Reſpondeo, non ſic intelligendum quod dixi, quanim firmum quod Deus inſtituit, naturámque ſuam retinet, vtcunque variẽt homines: ſi ab eius qui recipit conditione aut arbitrio vis & veritas Sacramenti pendeat. Manet ed ſed quum aliud ſit offerre, aliud recipere: nihil obſtat quo minus conſecratum verbo Domini ſymbolum ſit re vera quod dicitur, vímque ſuam conſeruet: nulla tamen inde vtilitas ad hominem ſceleſtum ac impium perueniat. Sed hãc quæſtionem paucis verbis beneſoluit Auguſtinus, Si carnaliter (inquit) accipis, ſpirituale eſſe non deſinit: ſed tibi non eſt. Quemadmodum verò Sacramẽtum rem eſſe nihili, ſi à veritate ſua ſeparatur, ſuperioribus locis oſtendit Auguſtinus: ſic alibi in ipſa quoque coniunctione, diſtinctione opus eſſe admonet, ne in externo ſigno nimis hæreamus. Vt literam ſequi (inquit) & ſigna pro rebus accipere ſeruilis infirmitatis eſt: ſic inutiliter ſigna interpretari, malè vagantis erroris eſt. Duo ponit vitia quæ hîc cauenda ſunt: Alterum, dum ita accipimus ſigna acſi fruſtra data eſſent, noſtráque malignitate arcanas eorum ſignificationes eleuando aut exte-

Lib. 4. Sentẽ. diſtinct. 1.

Homil. in Iohannẽ 26

Li. 3. De doctr. Chriſt. cap. 9

nuãdo efficimus nequem nobis fructum afferant. Alterum, dum mentes vltra visibile signum non erigendo, ad ipsum transferimus eorum bonorum laudẽ quæ nonnisi ab vno Christo nobis conferuntur, idque per Spiritum sanctum, qui nos facit Christi ipsius participes: & quidem adiuuantibus externis signis, quæ, si nos ad Christum inuitant, vbi aliò torquentur, indignè euertitur tota eorum vtilitas.

17 Quamobrem fixum maneat, nõ esse alias Sacramentorũ quàm verbi Dei partes: quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum, & in eo cælestis gratiæ thesauros: nihil aut cõferũt aut prosunt nisi fide accepta. non secus ac vinum, vel oleum, vel alius liquor quamlibet largè infundas, effluet tamen ac peribit nisi aperto vasis ore: vas autem ipsum vndique perfusum, inane nihilominus ac vacuum manebit. Cauendũ præterea ne in errorem huius affinem nos abducant quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius à veteribus scripta sunt: vt scilicet arbitremur latentem aliquã virtutem Sacramentis adnexam affixámque esse, quo ipsa per se Spiritus sancti gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur: quum hoc tantùm illis diuinitus iniunctum sit munus, testificari nobis ac sancire Dei in nos beneuolentiam: nec vlterius proficiant nisi accesserit Spiritus sanctus qui mentes ac corda nostra aperiat, nósque huius testimonii capaces reddat. vbi etiam variæ distinctæque Dei gratiæ luculenter eminent. Sacramenta enim (vt suprà attigimus) id sunt nobis à Deo quod ab hominibus rerũ lætarum nuntii, vel arrhæ in pactis sanciendis: vtpote quæ non à se quidem largiantur aliquid gratiæ, sed renuntient & ostendant, atque (vt sunt arrhæ & tesseræ) rata apud nos faciant quæ diuina largitate nobis data sunt. Spiritus sanctus (quem non omnibus promiscuè Sacramenta aduehunt, sed quem Dominus peculiariter suis confert) is est qui Dei gratias secum affert, qui dat Sacramentis in nobis locum, qui efficit vt fructificent. Quãquam autem Deum ipsum præsentissima Spiritus sui virtute, suæ institutioni adesse non inficiamur: ne infructuosa sit & inanis quam ordinauit Sacramentorum administratio, interiorẽ tamen Spiritus gratiã, vt ab externo ministerio distincta est, seorsum reputandã & cogitandã asserimus. Præstat igitur verè Deus quicquid signis promittit ac figurat: nec effectu suo carent signa, vt verax & fidelis probetur eorum author. Tãtùm hîc quæritur, propriáne & intrinseca (vt loquuntur) virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet suas vices. Nos verò contendimus, quæcunque adhibeat organa, primariæ eius operationi nihil decedere. Id quum docetur de Sacramentis, & eorum dignitas præclarè cõmendatur, & vsus apertè indicatur, & vtilitas abundè prædicatur, & modus in iis omnibus optimus retinetur, vt neque deferatur illis quicquam quod non oportet, neque rursum quod illis conuenit detrahatur. Interim illud tollitur figmentum quo iustificationis causa virtúsque Spiritus sancti elementis ceu vasculis ac plaustris includitur: & præcipua illa vis quæ ab aliis prætermissa fuit, disertè explicatur. Hic quoque notandum est, quod externa actione figurat ac testatur minister, Deum intus peragere: ne ad hominem mortalem trahatur quod Deus sibi vni vendicat. Id etiam prudenter admonet Augustinus, Quæst. Vet. test. li. 3. ca. 84. Quomodo (inquit) & Moses sanctificat & Deus? non Moses pro Deo? sed Moses visibilibus Sacramentis per ministerium suum, Deus autem inuisibili gratia per Spiritum sanctum: vbi totus etiam fructus est visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, visibilia ista Sacramenta quid prosunt?

18 Sacramenti nomen, vt de eius ratione hactenus disseruimus, omnia generaliter signa complectitur quæ vnquam hominibus mandauit Deus, vt certiores securósque de promissionum suarum veritate redderet. Ea verò in rebus naturalibus nonnunquam exhibuit, nonnunquam in miraculis exhibuit. Prioris generis exempla sunt, vt quum Gene. 2. c. 17 & 3. a. 3. Adæ & Heuæ arborem vitæ in arrhabonem immortalitatis dedit, vt eam securè sibi promitterent, quandiu ederent ex illius fructu. Et quum cælestem arcum, Noe & eius posteritati in monumentum statuit, posthac se diluuio non dissipaturum terram. Gene. 9. c. 13. hæc Adã & Noe pro Sacramentis habuerunt. Non quòd arbor præstaret illis immortalitatem, quam sibi ipsa dare non poterat: aut arcus coercendis aquis foret efficax (qui solaris duntaxat radii repercussio est in oppositas nubes) sed quia notam à verbo Dei insculptam habebant, vt documenta essent testamentorũ eius ac sigilla. Et antea quidẽ arbor erat arbor: arcus, nõ erãt. Hæc ne frustra dici quis existimet, arcus ipse hodie quoq; nobis testis est eius fœderis quod pepigit Dominus cum Noe: quem quoties inruemur, hanc Dei promissionẽ in eo

in eo legimus,terram diluuio nunquam perditum iri. Itaque ſiquis philoſophaſter, quo fidei noſtræ ſimplicitatem rideat,talem colorum varietatem ex reflexis radiis & oppoſita nube oriri naturaliter contendat:fateamur quidem,ſed ipſius ſtuporem rideamus, qui Deum naturæ dominum & præſidem non agnoſcat:qui pro ſuo arbitrio elementis omnibus in obſequium gloriæ ſuæ vtatur.Quòd ſi ſoli,ſtellis,terræ,lapidibus,huiuſmodi monumenta impreſſiſſet, illa omnia Sacramenta nobis forent. Cur enim rude ac ſignatum argentum non eiuſdem ſunt pretii,quum idem prorſus ſit metallum? nempe quia illud nihil habet præter naturam:forma publica percuſſum,nummus fit,& nouam taxationẽ recipit. Et Deus ſuas creaturas verbo ſuo ſignare non poterit, vt fiant Sacramenta, quæ prius nuda erant elementa?Secundi generis exempla fuerunt, quum Abrahæ lucem in clibano fumigãte oſtendit:quum vellus rore irrigauit,ſicca terra: rurſum terram irroratuit,intacto vellere,ad pollicendam Gedeoni victoriam:quum vmbram horologii retrorſum decem lineis retraxit, ad promittendam Ezechiæ incolumitatem. Hæc quando fiebant ad ſubleuandam ac ſtabiliendam fidei illorum imbecillitatem, Sacramenta quoque erant.

Gen.15.d.17
Iudic.6.g 37
2.Re.20.b.9.
Iesa.38.b.7.

19 Verùm præſentis inſtituti eſt,de his Sacramentis peculiariter diſſerere quæ Dominus ordinaria eſſe voluit in ſua Eccleſia,ad alendos in vnam fidem vniuſque fidei confeſſionem ſuos cultores ac ſeruos.Nam(vt verbis Auguſtini vtar) in nullum nomen religionis,ſeu verum,ſeu falſum,coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorũ vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.Hanc ergo neceſſitatem quum optimus Pater prouideret,certa pietatis exercitia inſtituit ab initio ſeruis ſuis:quę poſtea Satan ad impios & ſuperſtitioſos cultus tranſferendo,multis modis deprauauit ac corrupit. Hinc illæ gentilium initiationes in ſua ſacra,& cæteri degeneres ritus:qui tametſi erroris erant ac ſuperſtitionis pleni, indicio tamen ipſi quoque ſimul erant, non poſſe in profeſſione religionis homines externis eiuſmodi ſignis carere. Verùm quia nec verbo Dei ſubnixa erant,nec ad eam veritatem referebantur quæ omnibus ſignis propoſita eſſe debet, indigna ſunt quæ commemorentur vbi mentio fit de ſacris ſymbolis quæ à Deo ſunt inſtituta,nec à ſuo fundamento deflexerunt:nempe vt ſint veræ pietatis adiumenta. Conſtant autem non ſimplicibus ſignis,qualia erant arcus & arbor:ſed ceremoniis. aut (ſi mauis) ſigna quæ hîc dantur,ceremoniæ ſunt.Quemadmodum autem ſuperius dictum eſt,eſſe à Domino teſtimonia gratiæ ac ſalutis:ita à nobis viciſſim ſunt profeſſionis notæ, quibus palàm in Dei nomen iuramus,fidem illi viciſſim noſtram obſtringentes.Scitè ergo Chryſoſtomus ipſa alicubi pactiones nuncupat,quibus & Deus nos ſibi confœderat,& nos in vitæ puritatem ac ſanctimoniam obſtringimur:quia hîc mutua inter Deum & nos interponitur ſtipulatio. Vt enim illic ſe pollicetur Dominus inducere ac delere ſiquid delinquendo noxæ ac pœnæ contractum à nobis fuerit,nóſque ſibi reconciliat in Filio vnigenito:ita ad pietatis ac innocentiæ ſtudium hac profeſſione illi nos viciſſim obligamus. vt dicere meritò poſſis Sacramenta huiuſmodi,ceremonias eſſe quibus exercere vult populum ſuum Deus ad fidem intus primùm fouendam,excitandam,confirmandam:deinde teſtandam apud homines religionem.

Lib.9 cõtrà Fauſtũ Manich.ca.11.

20 Hæc etiam ipſa diuerſa fuerunt pro varia temporis ratione, ſecundum diſpenſationẽ qua Domino viſum eſt his aut illis modis ſeſe hominibus exhibere. Abrahæ enim & eius poſteritati mandata eſt Circunciſio:cui poſtea purificationes & ſacrificia aliíque ritus ex Lege Moſaica addita ſunt.Hæc Iudæorum fuerunt Sacramenta ad Chriſti vſque aduentum: abrogatis illis,duo Sacramenta inſtituta, quibus nunc Chriſtiana Eccleſia vtitur, Baptiſmus & Cœna domini. Loquor autẽ de iis quæ in vſum totius Eccleſiæ ſunt inſtituta.Nam impoſitionẽ manuum,qua Eccleſiæ miniſtri in ſuũ munus initiantur, vt non inuitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero. Reliqua autẽ quæ vulgò recenſentur,quo loco habenda ſint,mox videbimus. Quanquã in eundem,in quem nunc noſtra intendunt,ſcopum,& vetera illa ſpectarunt, nempe vt ad Chriſtũ dirigerent,& penè manu ducerent:aut ipſum potius,ceu imagines repræſentarent, ac cognoſcendũ proferrent.Quum enim iam antè docuerimus, eſſe quædã figilla quibus promiſſiones Dei obſignantur:ſit autẽ certiſſimum, nullã vnquam Dei promiſſionem hominibus oblatam niſi in Chriſto: vt de aliqua Dei promiſſione nos doceant, Chriſtũ oſtendant neceſſe eſt. Quò pertinet cæleſte illud tabernaculi & legalis cultus exemplar, quod Moſi obiectũ fuit in monte. Vnum duntaxat diſcrimen eſt, quòd illa

Christum promissum, quum adhuc expectaretur, adumbrarũt, hæc iam præstitum & exhibitum testantur.

21 Hæc vbi per partes ac sigillatim declarata fuerint, multo clariora fient. Circuncisio Iudęis symbolum erat quo admonerẽtur, quicquid ex hominis semine prodit, hoc est vniuersam hominum naturam corruptam esse, putationéque habere opus. præterea documentum ac memoriale, quo sese confirmarent in promissione Abrahæ data, de semine benedicto in quo benedicendæ essent omnes nationes terrę: à quo & sua ipsis benedictio expectãda erat. Porrò salutare illud semen (quẽadmodum à Paulo docemur) erat Christus, in quo solo recepturos se confidebãt quod in Adam perdiderãt. Quare illis erat Circuncisio, quod Abrahæ fuisse tradit Paulus, signaculũ scilicet iustitiæ fidei: hoc est sigillũ quo certius confirmarentur, suam fidem, qua semen ipsum expectabãt, sibi à Deo pro iustitia acceptam ferri. Sed nos meliore alibi occasione Circuncisionis Baptismíque comparationem longius prosequemur. Baptismata & purificationes suam illis immunditiem, spurcitiã, pollutionem ante oculos ponebant, qua in sua natura contaminati erãt: aliud verò lauacrum pollicebantur, quo omnes extergerentur & abluerentur eorũ sordes. Et hoc lauacrum Christus erat cuius sanguine abluti, eius puritatẽ afferimus in cõspectum Dei, vt inquinamẽta omnia nostra tegat. Sacrificia illos suæ iniquitatis arguebant, simúlque docebant, necessariam esse aliquam satisfactionem quæ iudicio Dei solueretur. Fore ergo summum quendam Pontificem, inter Deum & homines mediatorem, qui Deo satisfaceret per sanguinis effusionem, ac hostiæ immolationem, quæ in remissionem peccatorum sufficeret. Hic summus Sacerdos fuit Christus: proprium ipse sanguinem effudit, victima ipse fuit. se enim Patri obedientem in mortem obtulit: qua obedientia, hominis inobedientiam aboleuit quæ Dei indignationem prouocauerat.

Gen.22.d.18
Gal.3.c.16.
Rom.4.b.11
Heb.9.a.1, & d.14
1.Iohan.1.c.7, apoc.1.a.5
Heb.4.d.14 & 5.a.5, & 9.c.11
Philip.2.a.8
Rom.5.d.19

22 Quantum ad nostra attinet, Christum eo clarius nobis offerunt quo propius manifestatus est hominibus: ex quo à Patre verè, qualis promissus fuerat, exhibitus fuit. Baptisma enim nobis quòd purgati & abluti simus testificatur: Cœna eucharistiæ, quòd redempti. In aqua figuratur ablutio: in sanguine satisfactio. Hæc duo in Christo reperiuntur, qui (vt ait Iohãnes) venit in aqua & sanguine: hoc est, vt purgaret & redimeret. Cuius rei testis quoque est Spiritus Dei. Imò tres in vno sunt testes, Aqua, Sanguis, & Spiritus. In aqua & sanguine purgationis & redemptionis habemus testimoniũ: Spiritus verò primarius testis huiusmodi testimonii certam nobis fidem facit. Sublime istud mysteriũ prę clarè nobis in Christi cruce ostensum est, quũ aqua & sanguis effluxerũt ex sacro eius latere: quod eam ob causam iure Augustinus Sacramẽtorum nostrorum fontem vocauit. de quibus tamen paulo fusius differendum erit. Quin vberior etiam Spiritus gratia hîc se proferat, si tempus cum tempore compares, nõ dubium est. Nam id ad regni Christi gloriam pertinet: sicuti ex pluribus locis, ac præsertim ex septimo Iohãnis capite colligimus. Quo sensu accipere oportet illud Pauli, vmbras fuisse sub Lege, corpus in Christo. Neque eius cõsilium est exinanire suo effectu testimonia gratiæ in quibus olim Patribus se veracem probare Deus voluit, non secus ac hodie nobis in Baptismo & sacra Cœna, sed comparatiuè, magnifacere quod nobis datum est, necui mirum esset Christi aduẽtu abolitas esse Legis ceremonias.

1.Iohan.5.b.6.
Iohan.19.f.34.
Homil.in Iohannem 20, & fæpe alias.
Col.2.c.17

23 Scholasticum autem illud dogma (vt hoc quoque obiter perstringam) quo tam longum discrimen inter veteris ac nouæ Legis Sacramenta notatur, perinde acsi illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrarint, hæc verò præsentem conferant: penitus explodendum est. Siquidem nihilo splendidius de illis Apostolus quàm de his loquitur, quum docet Patres eandem nobiscum spiritualem escam mãducasse: & escam illam Christum interpretatur. Quis inane ausit facere signum illud quod vêram Christi communionem Iudæis exhibebat? Et status causæ quam illic agit Apostolus, pro nobis non obscurè militat. nam nequis frigida Christi cognitione, inaníque Christianismi titulo, ac externis insignibus fretus, Dei iudicium contemnere audeat: diuinæ seueritatis exẽpla in Iudæis spectanda exhibet: vt easdem quas illi dederunt, pœnas sciamus nobis imminere, si iisdem vitiis indulgeamus. Jam vt apta esset comparatio, oportuit ostendere nihil esse inæqualitatis inter nos & ipsos in iis bonis quibus falsò gloriari nos vetabat. Ergo primùm in Sacramentis pares nobis facit: nec vllam prærogatiuæ particulam nobis relinquit quæ animos ad spem impunitatis facere queat. Nec verò Baptismo nostro plus tribuere fas est quam ipse alibi Circuncisioni tribuit, quum vocat sigillum iustitiæ fidei. Quicquid ergo nobis

1.Cor.10.a.3
Rom.4.b.11

nobis hodie in Sacramentis exhibetur,id in ſuis olim recipiebant Iudæi, Chriſtum ſcilicet cum ſpiritualibus ſuis diuitiis.Quam habent noſtra virtutẽ, eam quoque in ſuis ſentiebant:vt ſcilicet eſſent illis diuinæ erga ſe beneuolentiæ ſigilla in ſpem æternæ ſalutis. Si dextri fuiſſent interpretes epiſtolæ ad Hebræos,non ita fuiſſent hallucinati:ſed quum illic legerent legalibus ceremoniis expiata non fuiſſe peccata, imò veteres vmbras nihil habuiſſe momenti ad iuſtitiam,neglecta comparatione quæ illic tractatur,dum hoc vnũ arripiunt,Legem per ſe nihil profuiſſe ſuis cultoribus, putarunt ſimpliciter figuras veritate vacuas fuiſſe.Apoſtoli verò conſilium eſt Legem ceremonialem in nihilum redigere donec ad Chriſtum ventum fuerit,à quo ſolo pendet tota illius efficacia. Heb.10.a.1

24 At obiicient quæ de Circunciſione literæ apud Paulum leguntur, eam nullo loco eſſe apud Deum,nihil conferre,inanem eſſe.Eiuſmodi enim ſentẽtiæ illam longè infra Baptiſmum noſtrum deprimere videntur.Minimè verò.Id enim ipſum de Baptiſmo iure diceretur.Quinetiam dicitur,primùm à Paulo ipſo,vbi oſtendit Deum nihil morari externam ablutionem qua in religionem initiamur, niſi animus intus & repurgetur, & in puritate ad vltimum perſeueret:deinde à Petro,dum Baptiſmi veritatem nõ in externa poſitam ablutione teſtatur,ſed bono cõſcientiæ teſtimonio.At videtur alio etiam loco Circunciſionem manu factã penitus contemnere, dum eam cum Chriſti Circũciſione comparat.Reſpondeo,neque hoc loco aliquid extenuari de eius dignitate. Illic cõtra eos diſputat Paulus qui eam velut neceſſariam requirebant, quum eſſet iam abrogata. Monet igitur fideles vt omiſſis veteribus vmbris,in veritate inſiſtant.Vrgent (inquit)iſti magiſtri,vt corpora veſtra circuncidantur.Atqui ſpiritualiter circunciſi eſtis ſecundum animam & corpus.Habetis igitur rei exhibitionem,quæ longè potior eſt quàm vmbra. Poterat autem quiſpiam contrà excipere,non ideo ſpernendam eſſe figuram quia rem haberent:quãdo & apud Patres fuiſſet illa depoſitio veteris hominis de qua loquebatur? quibus tamen non fuiſſet externa Circunciſio ſuperuacua.Hanc obiectionem prẽuertit, quum addit continuò,fuiſſe Coloſſenſes Chriſto conſepultos per Baptiſmũ. Quo ſignificat id hodie eſſe Baptiſmum Chriſtianis quod veteribus erat Circunciſio.ideóque ſine illius iniuria non poſſe hanc iniungi Chriſtianis. 1.Cor.10.a.5 1.Pet.3.d.21 Coloſ.2.b.11

25 At quod ſequitur,& iam nuper citaui, difficilius eſt ad ſoluendum, Iudaicas omnes ceremonias fuiſſe vmbras rerum futurarum,corpus eſſe in Chriſtõ:longè verò difficillimum quod multis capitibus epiſtolæ ad Hebræos tractatur , ſanguinem pecudum non pertigiſſe ad conſcientias: Legem habuiſſe vmbram futurorum bonorum, non imaginem rerum:cultores ex ceremoniis Moſaicis nihil perfectionis fuiſſe conſequutos,& ſimilia.Repeto quod iam attigi, Paulum non ideo vmbratiles facere ceremonias quòd nihil haberent ſolidi,ſed quia eorum complementum,vſque ad Chriſti exhibitionem,quodammodo ſuſpenſum erat.Deinde non de efficacia,ſed potius de modo ſignificandi hoc intelligendum eſſe dico. Donec enim manifeſtatus eſt in carne Chriſtus,omnia ſigna velut abſentem eum adumbrabant : vtcunque virtutis ſuæ ſuíque adeò ipſius præſentiam fidelibus intus exereret.Sed hoc maximè obſeruare conuenit, in his omnibus locis Paulum non ſimpliciter, ſed per contẽtionem loqui. Quoniam illi certamen erat cum pſeudo apoſtolis,qui in ceremoniis ſolis,nullo Chriſti reſpectu, pietatem ſitam eſſe volebant: ad eos confutandos ſatis erat duntaxat tractare quid per ſe valeant ceremoniæ. Hunc quoque ſcopum ſequutus eſt author epiſtolæ ad Hebræos.Meminerimus ergo hîc de ceremoniis , non in ſua vera & natiua ſignificatione acceptis , ſed ad falſam prauámque interpretationem detortis,non de legitimo earum vſu, ſed de ſuperſtitionis abuſu diſputari. Quid igitur mirum ſi ſeparatæ à Chriſto ceremoniæ, omni virtute exuuntur? In nihilum enim redigitur quicquid eſt ſignorum vbi res ſignata tollitur.Sic Chriſtus,vbi negotium habebat cum iis qui manna nihil aliud quàm cibum ventris fuiſſe cogitabant , ſermonem accommodat craſſæ eorum opinioni,dicítque ſe meliorem cibum adminiſtrare qui animas ad ſpem immortalitatis paſcat. Quòd ſi clariorem ſolutionem requiris , huc tendit omnium ſumma.Primò totum illum ceremoniarum apparatum,qui in Lege Moſaica fuit, niſi ad Chriſtum dirigatur,rem eſſe euanidam ac nihili.Deinde ſic in Chriſtum reſpexiſſe vt eo demum in carne manifeſtato, complementum ſuum habuerint.Poſtremò eius aduentu oportuiſſe abrogari,non ſecus atque vmbra in perſpicua ſolis luce euaneſcit. Sed quia longiorem adhuc de ea re ſermonem in eum locum differo quo Baptiſmum cum Circunciſione conferre inſtitui,parcius nunc attingo. Iohã.6.c.27

26 Fortè miſeros iſtos Sophiſtas deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia quæ de ſignis noſtris apud veteres legũtur. Quale eſt illud Auguſtini, Quòd ve-
In proœmio enar. pſal. 73 teris Legis Sacramenta Saluatorem tantùm promittebant: noſtra verò dant ſalutem. Has & ſimiles dicendi figuras quum non animaduerterent hyperbolicas eſſe, & ipſi hyperbolica ſua dogmata promulgarunt: ſed prorſus alieno ſenſu à veterum ſcriptis. Non enim a-
Quæſ. ſupra Nume. ca. 33 Lib. 19. ca. 14 liud illic voluit Auguſtinus quàm quod idem alibi ſcribit, Sacramenta Moſaicæ Legis Chriſtũ prænuntiaſſe: noſtra verò annuntiare. Et contra Fauſtum, Fuiſſe illas promiſſiones rerum complendarũ: hæc indicia completarum. acſi diceret, illa figuraſſe quũ adhuc expectaretur: noſtra velut præſentem exhibere qui iã præſtitus eſt. Porrò de modo ſigni-
Lib. 2. cõtra lit. Petil. c. 37 ficandi loquitur, ſicut & alibi indicat, Lex (inquit) & Prophetæ Sacramenta habebãt prænuntiantia rem futuram: noſtri verò temporis Sacramenta veniſſe conteſtantur quod illa
Homil. in Iohannem 26. venturum prædicabant. Quid autem de re & efficacia ſenſerit, pluribus locis explicat. vt quũ dicit, ſacramẽta Iudæorum in ſignis fuiſſe diuerſa: in re quæ ſignificatur, paria. diuerſa ſpecie viſibili, paria virtute ſpirituali. Item, In ſignis diuerſis eadem fides: ſic in ſignis di-
Homil. in Iohannem 45. uerſis, vt in verbis diuerſis: quia verba ſonos mutant per tẽpora: & vtique nihil aliud ſunt verba quàm ſigna. Bibebãt Patres eundem ſpiritualem potum. nam corporalem nõ eundem. Videte ergo, fide manente, ſigna variata. Ibi petra Chriſtus: nobis Chriſtus quod in altari ponitur. Et illi pro magno ſacramẽto biberunt aquam profluentã è petra: nos quid bibamus norunt fideles. Si viſibilem ſpeciem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualem biberunt. Alibi, Idem in myſterio cibus & potus illo-
In Pſal. 77. lib. 19. cõtra Fauſtũ, cap. 13. rum qui noſter: ſed ſignificatione idem, nõ ſpecie. quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus. Quanquam hac quoque in parte aliquid differentiæ eſſe cõcedimus. Vtraque enim paternam Dei in Chriſto beneuolentiã ac Spiritus ſancti gratias nobis offerri teſtantur: ſed noſtra illuſtrius ac luculẽtius. In vtriſque Chriſti exhibitio: ſed in his vberior ac plenior, nẽpe prout fert illud de quo ſuprà diſſeruimus Vete-
De doctrina Chriſt. lib. 3. Epiſt. ad Ianuarium. ris & Noui teſtamenti diſcrimen. Atque id eſt quod voluit idem Auguſtinus (quem vt optimum ex tota antiquitate & fideliſſimũ teſtem ſæpius citamus) quum tradit, Chriſto revelato ſacramẽta fuiſſe inſtituta, numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora. Huius quoque rẽi breuiter admonitos eſſe lectores expedit, quicquid de operato nugati ſunt Sophiſtæ, non modò falſum eſſe, ſed pugnare cum ſacramentorũ natura, quæ inſtituit Deus vt fideles, vacui bonorũ omnium & inopes, nihil præter mẽdicitatem eò afferant. Vnde ſequitur, ea recipiendo nihil iſtos agere vnde laudem mereãtur, vel in hac actione (quæ eorum reſpectu merè paſſiua eſt) nullum illis poſſe opus adſcribi.

De Baptiſmo. CAP. XV.

BAPTISMVS ſignum eſt initiationis quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietatem, vt Chriſto inſiti, inter filios Dei cenſeamur. Porrò in hunc finẽ nobis à Deo datus eſt (quod myſteriis omnibus commune eſſe docui) primùm vt fidei noſtræ apud ſe, deinde vt confeſſioni apud homines ſeruiret. Vtriuſque inſtitutionis rationem ordine proſequemur. Tria autem affert fidei noſtræ Baptiſmus, quæ & ipſa ſigillatim pertractanda ſunt. Hoc primum eſt quod nobis à Domino proponitur, vt ſymbolum ſit noſtræ purgationis ac documentum: vel (vt melius explicem quod volo) inſtar ſignati cuiuſdã diplomatis, quo nobis confirmet, peccata noſtra omnia ſic deleta, inducta, obliterata eſſe, ne vnquam in conſpectum ſuum veniant, ne commemorentur, ne imputentur. Vult enim omnes qui crediderint baptizari in remiſſionem peccatorum. Proinde quibus viſum eſt Baptiſmum non aliud eſſe quàm teſſeram ac notam qua religionem noſtram apud homines profitemur, quo modo imperatoris ſui inſignia præferunt milites, in ſuæ profeſſionis notam: ii quod primum erat in Baptiſmo non
Mar. 16. d. 16 perpenderunt. Id verò eſt, quòd à nobis accipiendus ſit cum hac promiſſione, Quicunque crediderint, & baptizati fuerint, ſaluos fore.

Epheſ. 5. f. 26 2 In hunc ſenſum intelligendum quod à Paulo ſcribitur, Eccleſiam à ſponſo Chriſto ſanctificatam eſſe, & mundatam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Et alibi, Nos ſecũdum eius
Tit. 3. b. 5 miſericordiam ſaluos factos eſſe per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti. Et à Petro, quòd Baptiſma nos ſaluos facit. Non enim ſignificare voluit ille, ablu-
1. Pet. 3. d. 21 tionem & ſalutem noſtram aqua perfici: aut, aquam purgandi, regenerandi, renouandi virtutem in ſe continere: neque hic ſalutis cauſam, ſed duntaxat talium donorum cognitionem & certitudinẽ in hoc ſacramento percipi. quod verbis ipſis ſatis euidenter explicatur.

catur. Nam verbum vitæ & baptiſmum aquæ ſimul connectit Paulus: acſi diceret, per Euangelium nobis noſtræ ablutionis & ſanctificationis nuntium afferri, per Baptiſmum huiuſmodi nuntium obſignari. Et ſubdit continuò Petrus, Baptiſma illud non eſſe depoſitionem ſordium carnis, ſed conſcientiam bonam apud Deum, quæ ex fide eſt. Imò non aliam nobis purificationem Baptiſmus pollicetur quàm per aſperſionem ſanguinis Chriſti: qui per aquam, propter mundandi abluendíque ſimilitudinem, figuratur. Quis ergo nos aqua iſta mundari dicat, quæ certò teſtatur Chriſti ſanguinem verum eſſe atque vnicum noſtrum lauacrum? Vt non aliunde peti queat certior ratio ad refellendam eorum hallucinationem qui ad aquæ virtutem referunt omnia, quàm ab ipſius Baptiſmi ſignificatione: quæ tam ab elemento illo viſibili quod oculis noſtris obiicitur, abſtrahit, quàm ab aliis omnibus mediis, vt vni Chriſto mentes noſtras deuinciat.

3 Neque verò exiſtimandum eſt, Baptiſma in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapſibus, in quos à Baptiſmate recidimus, quærenda ſint alia noua expiationis remedia in aliis neſcio quibus ſacramentis, perinde acſi illius vis obſoleta eſſet. Hoc quidem errore olim factum eſt vt nonnulli niſi in vltimo vitæ diſcrimine, atque adeò inter vltimos ſpiritus, Baptiſmo initiari nollent, vt ſic totius vitæ obtinerent veniam. In quam præpoſteram cautionem veteres Epiſcopi toties in ſcriptis ſuis inuehuntur. Sic autem cogitandum eſt, quocunque baptizemur tempore, nos ſemel in omnem vitam ablui & purgari. Itaque quoties lapſi fuerimus, repetenda erit Baptiſmi memoria, & hac armãdus animus, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecurúſque ſit. Nam etſi ſemel adminiſtratus præteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tamen peccatis non eſt abolitus. Puritas enim Chriſti in eo nobis oblata eſt: ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur: ſed omnes noſtras ſordes obruit & extergit. Neque hinc tamen peccandi in futurum licẽtia captanda eſt (vt certè hinc ad talem audaciam minimè inſtruimur) ſed hæc doctrina iis tantùm traditur qui vbi peccauerunt, ſub peccatis ſuis fatigati & oppreſſi gemunt, vt habeant quo ſe erigant ac conſolentur, ne in confuſionem ac deſperationem ruant. Sic Paulus ait, Rom.3. d.25 Chriſtum factum nobis eſſe propitiatorem, in remiſſionem præcedentium delictorum. Quo non negat perpetuam aſſiduámque peccatorum remiſſionem ad mortem vſque in eo obtineri: ſed datum eum à Patre miſeris tantùm peccatoribus ſignificat, qui conſcientiæ cauterio vulnerati, ad medicum ſuſpirant. His offertur miſericordia Dei. Qui peccandi materiam & licentiam ex impunitate aucupantur, nihil ſibi præter iram & iudicium Dei prouocant.

4 Equidem ſcio aliud communiter receptum eſſe, pœnitentiæ & clauium beneficio nos obtinere poſt Baptiſmum remiſſionem, quæ prima regeneratione per ſolum Baptiſmum nobis datur. Sed qui hoc comminiſcuntur, in eo errant quòd non cogitant potẽſtatem clauium, de qua loquuntur, à Baptiſmo ſic pendêre vt nullo modo ſeparari dedicatione. Qualis autem illa eſt? Nos ſanguine Chriſti emundari à peccatis. Atqui lauacri illius ſignum ac teſtimonium quod eſt niſi Baptiſmus? Videmus igitur vt ad Baptiſmũ abſolutio illa referatur. Et hic error commentitium Pœnitentiæ ſacramentum nobis peperit: de quo aliquid antè attigi, & quod reſiduum eſt ſuo loco abſoluam. Nihil autem mirum ſi homines, qui pro ingenii ſui craſſitie rebus externis immodicè ſunt affixi, hac quoque in parte vitium illud prodiderunt: vt pura Dei inſtitutione non contenti, noua ſubſidia à ſeipſis confícta ingererent. Quaſi verò Baptiſmus ipſe non eſſet pœnitentiæ ſacramentum. Quòd ſi hæc in totam vitam nobis commendatur, vis quoque Baptiſmi ad eoſdem vſque fines extendi debet. Quare nec dubium quin pii omnes toto vitæ curriculo, quoties vitiorum ſuorum conſcientia vexantur, ſeſe ad Baptiſmi memoriam reuocare audeant, vt ſe inde confirment in illius vnicæ ac perpetuæ ablutionis fiducia quam habemus in Chriſti ſanguine.

5 Alterum etiam fructum affert, quia noſtram in Chriſto mortificationem nobis oſtendit, & nouam in eo vitam. Siquidem (vt ait Apoſtolus) in mortem eius baptizati ſumus, conſepulti ipſi in mortem, vt in nouitate vitæ ambulemus. Quibus verbis non ad imitationem eius nos ſolùm exhortatur (acſi diceret, admoneri nos per Baptiſmum, vt quodam mortis Chriſti exemplo, concupiſcentiis noſtris moriamur, & exemplo reſurrectionis, vt in ſuſtitiam ſuſcitemur) ſed rem longè altius repetit: nempe quòd per Baptiſmum Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes vt in eam inſeramur. Et quemad- Rom.6.a.3

modum surculus substantiam alimentúmque ducit à radice cui insitus est: ita qui Baptismum ea qua debent fide accipiunt, verè efficaciam mortis Christi sentiunt, in mortificatione carnis suæ: simul etiam resurrectionis, in viuificatione Spiritus. Inde exhortationis materiam desumit: quòd si Christiani sumus, debemus mortui esse peccato, & iustitiæ viuere. Hoc eodem argumento alibi vtitur, Quòd circũcisi sumus, & exuimus veterem hominem, postquam per Baptismum in Christo sepulti sumus. Et hoc sensu, eo quem antè citauimus loco, vocauit lauacrum regenerationis & renouationis. Itaque primùm gratuita peccatorum venia & iustitiæ imputatio nobis promittitur, deinde Spiritus sancti gratia, quæ nos in vitæ nouitatem reformet.

Col.2.b.12
Tit.3.b.5

6 Postremò & hanc è Baptismo vtilitatem fides nostra accipit, quòd certò nobis testificatur, nõ modò in mortem & vitam Christi nos insitos esse: sed sic ipsi Christo vnitos vt omnium eius bonorum participes simus. Ideo enim Baptismũ in suo corpore dedicauit & sanctificauit, vt cõmunem eum nobiscum haberet, ceu firmissimum vnionis ac societatis quam nobiscum inire dignatus est, vinculum. vt Paulus ex eo probet, nos esse filios Dei, quia Christum in Baptismo induimus. Ita videmus Baptismi cõplementum in Christo esse, quem etiam hac ratione vocamus proprium Baptismi obiectum. Proinde mirum non est si in eius nomen baptizasse narrãtur Apostoli, qui tamen in Patris quoque & Spiritus nomen baptizare iussi fuerant. Quicquid enim in Baptismo proponitur donorum Dei, in Christo vno reperitur. Neque tamen fieri potest quin Patris simul & Spiritus nomen inuocet qui in Christum baptizat. Ideo enim eius sanguine emũdamur, quia miseri cors Pater nos pro sua incomparabili clementia recipere in gratiam volens, mediatorem hunc in medio statuit, qui nobis fauorem apud ipsum cõciliet. Regenerationem verò ita demum ab eius morte & resurrectione cõsequimur, si per Spiritũ sanctificati imbuamur noua & spirituali natura. Quamobrẽ nostræ tum purgationis tum regenerationis in patre causam, in Filio materiam, in Spiritu effectum consequimur, & quodãmodo distinctè cernimus. Sic primùm Iohannes baptizauit, sic deinde Apostoli, Baptismo pœnitẽtiæ, in remissionem peccatorum: pœnitentiæ verbo, huiusmodi regenerationem intelligentes: remissione peccatorum, ablutionem.

Mat.28.d.19
Act.8.c.16, & 19.a.5
Mat.3.b.6, c.11.lu.3.d.16 Iohã.3.c.23, & 4.a.1

7 Quo etiam certissimum fit, idem fuisse prorsus Iohannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium Baptismum faciunt diuersæ manus quibus administratur: sed eundem esse eadem doctrina ostendit. In vnam doctrinam Iohannes & Apostoli consenserunt: vtrique in pœnitentiam, vtrique in remissionem peccatorum, vtrique in nomen Christi, à quo pœnitentia & peccatorum remissio esset, baptizarunt. Iohannes dixit, agnum esse Dei per quam tollerentur peccata mũdi: vbi eum hostiam fecit Patri acceptam, propiciatorem iustitiæ, salutísque authorem. Quid ad hanc confessionem addere poterant Apostoli? Quare neminem perturbet quòd alterum ab altero discernere veteres contendunt, quorũ non tanti esse nobis debet calculus vt Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chrysostomo potius auscultet, neganti in Iohannis Baptismo comprehensam fuisse peccatorum remissionem, quàm Lucæ contra asserenti, Iohannem Baptismum pœnitentiæ prædicasse in peccatorum remissionem? Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Iohannis, Christi Baptismo re ipsa dimitti. Quum enim Euangelista clarè testetur, Iohãnem in suo Baptismo remissionem peccatorum pollicitum fuisse: quid extenuare hoc elogium opus est, quum nulla necessitas ad id cogat? Siquis autem differentiam è Dei verbo quærat, non aliam inueniet quàm quòd in eum qui ventutus erat, Iohannes bapitizabat: Apostoli in eum qui iam se exhibuerat.

Iohã.1.d.29.
Homil.in Mat.14. Luc.3.a.3
Lib.5.De Baptis. contra Donatist. cap.10.
Luc 3.c.16 Act.19.a.4

8 Quòd luculentiores Spiritus gratiæ à Christi resurrectione effusæ sunt nihil ad statuendam baptismatum diuersitatem attinet. Siquidem Baptismus quem ipso adhuc in terris agente, Apostoli administrabant, eius vocabatur: neque tamen largiorem Spiritus opulentiam habebat quàm Baptismus Iohannis. Quin ne post ascensionem quidem, Spiritu supra vulgarem priorum fidelium modum, donantur Samaritani, etiamsi in nomen Iesu baptizati fuerint, donec ad eos Petrus & Iohannes mittuntur qui manus imponant. Hoc solum veteribus imposuisse arbitror, vt hunc ad illum præparationem duntaxat esse dicerent, quòd legebant rursum à Paulo baptizatos qui Iohannis Baptismum susceperãt. Sed quàm hîc sint hallucinati, alibi suo loco clarissimè explicabitur. Quid ergo est quòd Iohannes dixit, se quidem aqua baptizare: venturum autem Christum qui baptizaret

Act.8.c.14. 17.
Act.19.a.3.5
Mat.3.c.11

baptizaret Spiritu ſancto & igni? Paucis expediri hoc poteſt. Non enim Baptiſmum à Baptiſmo diſtinguere voluit, ſed perſonam ſuam cum Chriſti perſona cõtulit, ſe miniſtrum eſſe aquę, illum Spiritus ſancti datorem: & hanc virtutem viſibili miraculo declaraturum quo die Spiritum ſanctum Apoſtolis ſub linguis igneis mitteret. Quid Apoſtoli iactare Act.2.a.3
vltrà potuerunt? Quid & qui hodie baptizant? ſunt enim exterioris duntaxat ſigni miniſtri, Chriſtus interioris gratiæ author. vt iidem illi veteres vbique docent, in primíſque Auguſtinus, cui hæc præcipua eſt fultura contra Donatiſtas, Qualiſcunque ſit qui baptizat, vnum tamen Chriſtum præeſſe.

1 Hæc quæ tũ de mortificatione, tum de ablutione diximus, in populo Iſrael aduumbrata ſunt: quem eam ob cauſam Apoſtolus dicit in nube & in mari fuiſſe baptizatum. 1.Cor.10.a.2
Mortificatio figurata eſt quum Dominus è manu Pharaonis, & crudeli ſeruitute eos aſſerens, viam illis ſtrauit per Mare rubrum, & Pharaonẽ ipſum, & AEgyptios hoſtes, qui Exo.14.c.21 & f.26.
à tergo illis inſtabant, & ceruicibus imminebant, ſubmerſit. Nam & ad hunc modum in Baptiſmo pollicetur nobis, & dato ſigno oſtendit, nos ex AEgypti captiuitate, hoc eſt è peccati ſeruitute, ſua virtute eductos & vindicatos: ſubmerſum Pharaonem noſtrum, id eſt diabolum. quanquàm nec ſic etiam exercere nos & fatigare deſinat. Verùm vt AEgyptius ille non in profundum maris deiectus fuerat, ſed in littore proſtratus, terribili aſpectu adhuc Iſraelitas terrebat, nocere tamen non poterat: ita hic noſter adhuc quidem minatur, arma oſtendit, ſentitur, ſed vincere non poteſt. In nube, purgationis ſymbolũ fuit. Nam vt tum illos Dominus oppoſita nube operuit, & refrigerium præſtitit, ne inclemen Num.9.c.14
tiore ſolis ardore deficerent, & tabeſcerent: ita in Baptiſmo nos Chriſti ſanguine opertos eſſe & protectos agnoſcimus, ne Dei ſeueritas, quæ verè eſt flãma intolerabilis, nobis incumbat. Etſi verò tunc obſcurum & paucis cognitum fuit myſterium: quia tamen non alia eſt ſalutis adipiſcendæ ratio quàm in illis duabus gratiis, noluit Deus vtriuſque teſſera vetuſtos patres, quos hæredes adoptauerat, priuare.

10 Iam perſpicuum eſt quàm falſum ſit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perſiſtunt, per Baptiſmum ſolui nos & eximi ab originali peccato, & à corruptione quæ ab Adam in vniuerſam poſteritatem propagata eſt, atque in eandem iuſtitiam naturæque puritatem reſtitui quam obtinuiſſet Adam ſi in ea qua primùm creatus fuerat, integritate ſteriſſet. Tale enim doctorum genus, nunquam quid peccatũ originale, quid iuſtitia originalis, quæ gratia Baptiſmi eſſet, aſſequutum eſt. Iam verò antè diſputatũ eſt, peccatum originale eſſe naturæ noſtræ prauitatem ac corruptionem, quæ primùm reos facit nos iræ Dei, tum etiã opera in nobis profert quæ Scriptura vocat opera carnis. Hæc Galat.5.c.19
itaque duo diſtinctè obſeruanda: nempe quòd ſic omnibus naturæ noſtræ partibus vitiati peruerſique, iam ob talem duntaxat corruptionem damnati meritò, conuictíque coram Deo tenemur, cui nihil eſt acceptum niſi iuſtitia, innocentia, puritas. Atque adeò infantes quoque ipſi ſuam ſecum damnationem à matris vtero afferunt: qui tametſi ſuæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in ſe incluſum ſemen. Imò tota eorum natura, quoddam eſt peccati ſemen: ideo nõ odioſa & abominabilis Deo eſſe non poteſt. Hanc damnationem ſublatam & à ſe depulſam eſſe certi per Baptiſmum fideles fiunt. quando (vt dictum fuit) Dominus hoc ſigno nobis pollicetur plenam ſolidámque remiſſionem factam eſſe, & culpæ quæ imputanda nobis erat, & pœnæ quæ ob culpam luenda: iuſtitiam quoque apprehendunt, ſed qualem in hac vita obtinere populus Dei poteſt, nempe imputatione duntaxat: quia pro iuſtis & innocentibus eos ſua miſericordia Dominus habet.

11 Alterum eſt, quòd hæc peruerſitas nunquã in nobis ceſſat, ſed nouos aſſiduè fructus parit, ea ſcilicet quæ antè deſcripſimus opera carnis: non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas perpetuò efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit. Nã concupiſcentia nunquam planè in hominibus interit & extinguitur, donec per mortem è corpore mortis liberati, ſemetipſos prorſus exuerint. Baptiſmus quidem promittit nobis ſubmerſum eſſe noſtrum Pharaonem & peccati mortificationem: non tamen ita vt amplius non ſit, aut nobis negotium non faceſſat: ſed tantùm ne ſuperet. Nam quandiu in hoc carcere corporis noſtri clauſi degemus, habitabunt in nobis reliquiæ peccati: ſed ſi promiſſionem in Baptiſmo nobis à Deo datam fide tenemus, non dominabuntur nec regnabunt. Nemo autem ſe fallat, nemo ſibi in ſuo malo blandiatur quum audit peccatum ſemper in nobis habitare. Non in hoc dicuntur iſta, vt peccatis ſuis ſecurè in-

dormiant qui alioqui plus satis propensi sunt ad peccandum: sed tantùm ne labascant, & animum despondeant, qui à carne sua titillantur & punguntur. Magis cogitent se in via adhuc esse, & multum se profecisse credant, quum è sua concupiscentia aliquantulum minui in dies senserint, donec eò pertigerint quò tendunt: nempe ad vltimum interitum carnis suæ, qui in huius vitæ mortalis interitu perficietur. Interea & strenuè certare, & ad progressum se animare, & ad plenam victoriam stimulare non desinant. Nam & hoc magis acuere debet eorum conatus, quòd sibi postquam diu enixi fuerint non parum adhuc negotii restare vident. Sic habendum est, baptizamur in mortificationem carnis nostræ, quæ à Baptismo in nobis inchoatur, quam quotidie prosequimur: perficietur autem quum ex hac vita migrabimus ad Dominum.

12 Hîc nihil aliud dicimus quã quod Apostolus Paulus sexto & septimo ad Rom. capite clarissimè exponit. Postquam enim de gratuita iustitia disputauerat, quia nonnulli impii inde inferebant viuendum esse pro libidine, quia non essemus operum meritis accepti Deo: subiungit, eos omnes qui iustitia Christi induuntur, simul Spiritu regenerari, & huius regenerationis nos arrham habere in Baptismo. Hinc hortatur fideles, ne dominium peccato permittant in suis membris. Iam quia nouerat semper aliquid esse infirmitatis in fidelibus: ne propterea deiicerentur, adiicit consolationem, quòd non sint sub Lege. Quia iterum videri poterat, insolescere posse Christianos, eo quòd non sint sub iugo Legis, tractat qualis sit illa abrogatio: & simul quis sit Legis vsus, quam quæstionem iam secundò distulerat. Summa est, nos esse liberatos à rigore Legis vt Christo cohæreamus. Legis verò officium esse, vt prauitatis nostræ conuicti, nostram impotẽtiam & miseriam confiteamur. Porrò quia prauitas illa naturæ non tam facilè apparet in homine profano, qui sine timore Dei cupiditatibus suis indulget: exemplum in homine regenerato ponit, hoc est in seipso. Dicit igitur perpetuam sibi luctam esse cum reliquiis carnis suæ, séque vinctum misera seruitute detineri quominus se totum diuinæ Legis obedientiæ consecret. Itaque cũ gemitu cogitur exclamare, Infelix ego, Quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio? Quòd si filii Dei captiui in carcere detinentur quandiu viuunt, magnopere anxios esse necesse est periculi sui cogitatione, nisi huic timori obuiam eatur. Attexit ergo in hunc vsum consolationem, nihil esse damnationis amplius iis qui sunt in Christo Iesu. Vbi docet, eos quos semel Dominus recepit in gratiam, in Christi sui communionem inseruit, in Ecclesiæ societatẽ per Baptismum cooptauit, dum in Christi fide perseuerant, etiamsi à peccato obsideantur, atque adeò peccatum in se circunferant, reatu camẽ & damnatione esse absolutos. Hæc si simplex est ac genuina Pauli interpretatio, non est quòd inusitatum aliquid tradere videamur.

Rom.6.b.14

Rom.7.d.24

13 Confessioni autem nostræ apud homines sic seruit Baptismus. Siquidem nota est qua palàm profitemur nos populo Dei accenseri velle: qua testamur nos in vnius Dei cultum, in vnam religionem cum Christianis omnibus consentire: qua denique fidem nostram publicè affirmamus, vt non modò laudem Dei spirent corda nostra, sed linguæ etiã & omnia corporis membra quibus possunt significationibus personẽt. Ita enim, vt decet, nostra omnia in obsequium gloriæ Dei conferuntur, qua nihil vacuum esse debet, & cæteri nostro exemplo ad eadem studia incitentur. Huc respiciebat Paulus, quum interrogaret Corinthios an non in Christi nomen baptizati fuissent. Innuẽs scilicet, eo ipso quòd in eius nomen fuissent baptizati. se illi deuouisse, in eius nomen iurasse, & fidem illi suã apud homines obstrinxisse, vt confiteri amplius alium non possent præter solum Christũ nisi confessionem abnegare vellent quam in Baptismo ediderant.

Rom.8.a.1

14 Nunc postquam enarratum est quid spectauerit Dominus noster in institutione Baptismi: quæ sit nobis vtendi accipiendique ratio iudicare promptum est. Nam quatenus erigendæ, alendæ confirmandæque fidei nostræ datur, sumendus est quasi è manu ipsius authoris: certum persuasúmque habere conuenit, ipsum esse qui nobis per signum loquitur, ipsum esse qui nos purgat, abluit, delictorum memoriam abolet: ipsum esse qui mortis suæ participes facit: qui Satanæ regnum adimit, qui concupiscentiæ nostræ vires eneruat: imò qui in vnum coalescit nobiscum, vt eum induti filii Dei censeamur. Hæc, in quam, tam verè certóque animæ nostræ intus præstare, quàm certò videmus corpus nostrum extrà ablui, submergi, circundari. Isthæc enim siue analogia, siue similitudo, certissima est sacramentorum regula: vt in rebus corporeis spirituales conspiciamus, perinde acsi coram oculis nostris subiectæ forent, quando istiusmodi figuris repræsentare Domino

1.Cor.1.b.13

no visum est. non quia sacramento tales gratiæ illigatæ inclusæque sint, quo eius virtute nobis conferantur: sed duntaxat quia hac tessera voluntatem suam nobis Dominus testificatur: nempe se hæc omnia nobis velle largiri. Neque tantùm nudo spectaculo pascit oculos: sed in rem præsentem nos adducit, & quod figurat, efficaciter simul implet.

15 Huius documentum sit Cornelius Cẽturio, qui peccatorum remissione, qui gratiis Spiritus sancti visibilibus iam antea donatus, baptizatus est: non largiorem remissionem è Baptismo petens, sed certiorem fidei exercitationem: imò fiduciæ augmentum ex pignore. Obiecerit fortè aliquis, Cur igitur Paulo dicebat Ananias vt peccata sua per Baptismum ablueret, si baptismi ipsius virtute peccata non abluuntur? Respondeo, Dicimur accipere, obtinere, impetrare, quod, quantum ad fidei nostræ sensum, nobis à Domino exhibetur, siue id tum primum testatur, siue testatum magis ac certius cõfirmat. Hoc itaque tantùm voluit Ananias, Vt certus sis, Paule, remissa tibi esse peccata, baptizare. Promittit enim Dominus in Baptismo remissionem peccatorum. hanc accipe, & securus esto. Quanquam mihi animus non est Baptismi vim extenuare, quin signo accedat res & veritas, quatenus per externa media Deus operatur. Cæterùm, ex hoc sacramento, quemadmodum ex aliis omnibus, nihil assequimur nisi quantum fide accipimus. Si fides desit, erit in testimonium ingratitudinis nostræ, quo rei coram Deo peragamur, quia promissioni illic datæ increduli fuerimus. Quatenus verò confessionis nostræ symbolum est, testari eo debemus fiduciam nostram in Dei misericordia esse, & puritatem nostram in peccatorum remissione, quæ parta nobis est per Iesum Christum: nósque in Ecclesiam Dei ingredi, vt vno fidei & charitatis consensu cum fidelibus omnibus viuamus vnanimes. Hoc postremum voluit Paulus, quum inquit in vno nos omnes Spiritu baptizatos esse, vt vnum corpus simus. Act.10.g.48 Act.9.c.17 1.Cor.12.b.13

16 Porrò si verum est quod constituimus, sacramentum non ex eius manu æstimandum esse à quo administratur, sed velut ex ipsa Dei manu, à quo haud dubiè profectum est: inde colligere licet nihil illi afferri vel auferri eius dignitate per cuius manum traditur. Ac perinde atque inter homines, siqua missa epistola fuerit, modò satis & manus & signum agnoscatur, minimè refert quis aut qualis tabellarius fuerit: ita nobis sufficere debet manum & signum Domini nostri in sacramentis suis agnoscere, à quocunque tandem tabellario deferãtur. His Donatistarum error pulchrè refutatur, qui vim ac pretium sacramenti metiebantur ministri dignitate. Tales hodie sunt Catabaptistæ nostri, qui ritè nos baptizatos pernegant, quòd ab impiis & idololatris in regno Papali baptizati sumus. itaque anabaptismum furiosè vrgent. Aduersus quorum ineptias satis valida ratione muniemur, si cogitemus nos Baptismo initiatos, non in nomen alicuius hominis, sed in nomen Patris, & Filii & Spiritus sancti. ideóque Baptismum non esse hominis, sed Dei: à quocunque tandem administratus fuerit. Vt maximè Dei & totius pietatis ignari aut contemptores fuerint qui nos baptizabant: non tamẽ in suæ ignorantiæ vel sacrilegii cõfortium nos tinxerunt, sed in fidem Iesu Christi: quia non suum, sed Dei nomen inuocauerunt, nec in aliud nomen nos baptizarunt. Quòd si baptisma Dei erat, habuit certè inclusam promissionem de peccatorum remissione, mortificatione carnis, viuificatione spirituali, participatione Christi. Sic Iudæis nihil obfuit, ab impuris Sacerdotibus & apostatis fuisse circuncisos: neque propterea irritum fuit signum, vt iterati necesse foret, sed ad genuinam originem redire satis fuit. Quod obiiciũt, in conuentu piorum debere Baptismum celebrari, non efficit vt totam eius vim quod in parte vitiosum est extinguat. Nam quum docemus quid fieri deceat vt purus sit Baptismus, omníque inquinamẽto vacuus, non abolemus Dei institutionem, quanuis eam idololatræ corrumpant. Nam quum olim multis superstitionibus vitiata esset circuncisio, pro gratiæ tamen symbolo haberi non desiit. nec Iosias & Ezechias, quum ex toto Israele colligerent qui defecerant à Deo, ad alteram eos circuncisionem vocarunt. Mat.28.d.19

17 Iam verò quòd nos interrogant, quæ tamen fides nostra Baptismum aliquot annis sequuta sit, vt inde euincant irritum esse Baptismum, qui nobis non sanctificatur nisi verbo promissionis fide accepto: ad id postulatum respondemus, nos quidem cæcos & incredulos, longo tempore promissionem quæ in Baptismo nobis data erat, non tenuisse: promissionem tamen ipsam, quando à Deo erat, statam semper & firmam veracémque mansisse. Etiamsi omnes homines mendaces & perfidi, Deus tamen verax esse non desinit: etiamsi omnes perditi, Christus tamen salus manet. Fatemur ergo Baptismum Rom.3.a.3

pro eo tempore nõ profuiſſe nobis hilum, quando in eo nobis oblata promiſſio, ſine quâ Baptiſmus nihil eſt, neglecta iacebat. Nunc vbi, Dei gratia, reſipiſcere cœpimus, cęcitatem noſtram & duritiem cordis accuſamus, qui tantæ eius bonitati tam diu ingrati fuerimus. Cæterùm promiſſionem ipſam nõ euanuiſſe credimus: quin potius ſic reputamus, Deus per Baptiſmum peccatorum remiſſionem pollicetur, & promiſſam indubiè omnibus credentibus præſtabit. Ea promiſſio nobis in Baptiſmo fuit oblata: fide igitur amplectamur. Diu quidem nobis propter infidelitatem ſepulta fuit: nunc igitur eam per fidem recipiamus. Quamobrem vbi ad reſipiſcentiam Iudaicum populum Dominus inuitat, de altera circunciſione nil iis præcipit, qui impia (vt diximus) & ſacrilega manu circunciſi, eadem aliquandiu impietate impliciti vixerant: ſed ſolam cordis cõuerſionem vrget. Quoniam, vtcunque fœdus ab illis violatum foret, ſymbolum tamen fœderis, ex Domini inſtitutione, firmum inuiolabiléque ſemper manebat. Sola ergo reſipiſcentiæ conditione in fœdus reſtituebantur, quod ſemel cum illis in circunciſione Deus percuſſerat: quam tamen per fœdifragi Sacerdotis manum acceptam, quantum in ſe erat, rurſum polluerant, & cuius effectum extinxerant.

18 Verùm igneum ſibi videntur telum vibrare quum allegant, Paulum rebaptizaſſe
Act.19.a.3.5 eos qui Iohannis Baptiſmo ſemel baptizati erant. Nam ſi noſtra confeſſione, idem prorſus fuit Iohannis Baptiſmus qui nunc noſter eſt: quemadmodum illi antea peruerſè inſtituti, vbi rectam fidem edocti ſunt, in eam ſunt rebaptizati: ita Baptiſmus ille qui ſine vera doctrina fuit, pro nihilo reputandus eſt: & ex integro baptizari debemus in veram religionem qua nunc primùm imbuti ſumus. Nonnullis videtur, quempiam fuiſſe Iohannis κακόζηλον, qui priori Baptiſmate in vanam potius ſuperſtitionem illos initiaſſet. Cuius rei videntur hinc coniecturam ſumere quòd ſe ignaros prorſus Spiritus ſancti eſſe confitentur: cuius ſcilicet ruditatis nunquam diſcipulos à ſe Iohannes dimiſiſſet. Verùm nec veriſimile eſt Iudæos, etiamſi minimè fuiſſent baptizati, omni Spiritus cognitione fuiſſe deſtitutos, qui tot Scripturæ teſtimoniis celebratur. Quòd ergo reſpondent ſe neſcire an ſit Spiritus, intelligendum eſt acſi dicerent ſe necdum audiuiſſe, an gratiæ Spiritus, de quibus rogabantur à Paulo, Chriſti diſcipulis darentur. Ego autem concedo, fuiſſe illud verũ Iohannis Baptiſma, & vnum idémque cum Chriſti Baptiſmate: ſed rebaptizatos nego. Quid igitur ſibi volunt verba, Baptizati ſunt in nomine Ieſu? Quidam interpretãtur, tantùm ſyncera doctrina eruditos à Paulo fuiſſe. ſed ſimplicius intelligere malim, Baptiſmũ Spiritus ſancti, hoc eſt, gratias Spiritus viſibiles per manuum impoſitionem datas: quas
Act.1.a.5 Act.11.b.16 Baptiſmi nomine ſignificari non nouum eſt. Qualiter in die Pentecoſtes, recordati Apoſtoli dicuntur verborum Domini de baptiſmo ignis & Spiritus. Et Petrus eadem ſibi in memoriam rediiſſe commemorat, vbi gratias illas in Cornelium eiúſque familiam & cognationem effuſas vidiſſet. Nec repugnat quod poſtea ſubditur, Quum impoſuiſſet illis manus, deſcendebat Spiritus ſanctus ſuper eos. Non enim duo diuerſa narrat Lucas: ſed formam narrationis ſequitur Hebræis familiarem, qui primùm rei ſummam proponunt, deinde fuſius explicant. Quod ex ipſo verborum contextu animaduertere quiuis poteſt. Dicit enim, His auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu. Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus, Spiritus ſanctus deſcendebat ſuper illos. Hac poſteriori locutione deſcribitur qua lis ille fuerit Baptiſmus. Quòd ſi priorem Baptiſmum ignorãtia vitiat, vt ſit altero Baptiſmo corrigenda: primi omnium rebaptizandi erant Apoſtoli, qui toto poſt Baptiſmum ſuum triennio vix modicam ſincerioris doctrinæ particulam deguſtauerant. Iam & quæ inter nos flumina ſufficerent tot repetendis tinctionibus, quot ignorantiæ, Domini miſericordia, quotidie in nobis corriguntur?

19 Myſterii vis, dignitas, vtilitas & finis ſatis iam, niſi fallor, liquere debent. Quod ad externum ſymbolum pertinet, vtinam genuina Chriſti inſtitutio valuiſſet quantum parerat ad cohibendam hominum audaciam. Quaſi enim res eſſet contemptibilis, ex Chriſti præcepto, aqua baptizari, inuenta eſt benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ conſecrationem pollueret. Additus poſtea cereus cum chriſmate: exſufflatio verò ianuam ad Baptiſmum aperire viſa eſt. Etſi autem me non latet quàm vetuſta ſit aduentitiæ huius farraginis origo: reſpuere tamen mihi & piis omnibus fas eſt quicquid ad Chriſti inſtitutionem addere auſi ſunt homines. Quum autem videret Satan ſtulta mundi credulitate abſque negotio ferè inter ipſa Euangelii exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit. hinc ſputum & ſimiles nugæ palàm in Baptiſmi probrum

probrum effræni licentia inuectæ. Quibus experimentis discamus nihil vel sanctius esse vel melius vel tutius quam vnius Christi authoritate contentos esse. Quanto igitur satius erat, omissis theatricis pompis, quæ simplicium oculos perstringunt, & mētes hebetant, quoties baptizādus aliquis esset, in cœtum fidelium ipsum repræsentari, & tota Ecclesia, velut teste, spectante & orante super eum, Deo offerri: recitari fidei confessionem, qua sit instituendus catechumenus: enarrari quæ in Baptismo habentur promissiones: catechumenum baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti: remitti demum cum precibus & gratiarum actione. Sic nihil omitteretur quod ad rem faceret, & vna illa ceremonia quæ à Deo authore profecta est, nullis exoticis sordibus obruta, clarissimè effulgeret. Cæterùm mergatúrne totus qui tingitur, ídque ter an semel, an infusa tantùm aqua aspergatur, minimum refert: sed id pro regionum diuersitate Ecclesiis liberum esse debet. Quanquam & ipsum baptizandi verbum mergere significat, & mergendi ritum veteri Ecclesiæ obseruatum fuisse constat.

20 Hoc etiam scire ad rem pertinet, perperam fieri si priuati homines Baptismi administrationem sibi vsurpent: est enim pars Ecclesiastici ministerii, tam huius quã Cœnæ dispensatio. Neque enim aut mulieribus aut hominibus quibuslibet mandauit Christus vt baptizarent: sed quos Apostolos constituerat, iis mãdatum hoc dedit. Et quum discipulos iussit facere in Cœnæ administratione quod fieri ab ipso viderant, quum ipse legitimi dispensatoris officio functus esset: voluit proculdubio vt in eo suum exemplum imitarentur. Quòd autem multis ab hinc seculis, adeóque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio vsu receptum fuit vt in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quàm firma ratione defendi queat. Ne ipsis quidem veteribus, qui hunc morem vel tenebant, vel patiebantur, constabat an rectè id fieret. Hanc enim dubitationem præ se fert Augustinus, quum dicit, Etsi laicus necessitate compulsus Baptismum dederit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetẽdum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est: si autem necessitas vrgeat, aut nullum aut veniale delictum est. De mulieribus porrò citra vllam exceptionem sancitum fuit in Concilio Carthaginensi, ne baptizare omnino præsumant. At periculum est ne is qui ægrotat, si absque Baptismo decesserit, regenerationis gratia priuetur. Minimè veró. Infantes nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronũtiat Deus, quum se nobis in Deum fore promittit, semíque nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus. Nec quisquam in Deum tam contumelioſus esse audebit, vt eius promissionem effectui suo sufficere per se neget. Quantum damni inuexerit dogma illud malè expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animaduertunt: ideóque minus sibi cauent. nam vbi inualuit opinio, perditos esse omnes quibus aqua tingi non contigit, nostra conditio deterior est quàm veteris populi, quasi restrictior esset Dei gratia quã sub Lege. venisse enim Christus censebitur non ad implẽdas promissiones, sed abolendas: quando promissio, quæ tunc ante octauũ diem saluti conferendæ per se erat satis efficax, nunc absque signi adminiculo rata non esset.

Lib. contra epist. Parm. 2. cap. 13.

Cap. 100.

21 Qualis verò ante natum Augustinum cõsuetudo fuerit, primùm ex Tertulliano colligitur, non permitti mulieri loqui in Ecclesia, sed nec docere. nec tingere, nec offerre: ne vllius virilis, nedũ sacerdotalis officii sortem sibi vendicet. Eiusdem rei locuples testis est Epiphanius, vbi Marcioni exprobrat quòd mulieribus daret baptizandi licentiam. Nec verò me latet eorum qui contrà sentiunt responsio, multum scilicet differre cõmunem vsum ab extraordinario remedio quum vltima vrget necessitas: sed quum ludibriũ esse pronuntians dare fœminis baptizandi licentiã nihil excipiat, satis apparet, corruptelam hanc ab eo damnari, vt nullo prætextu sit excusabilis. Libro etiam tertio, vbi ne sanctæ quidem Christi matri fuisse permissum docens, nullam restrictionem addit.

Lib. contra hæres. 1.

22 Intempestiuè citatur Sephoræ exemplum. Nam quòd placatus fuit Dei Angelus postquam illa arrepto lapide filium circuncidit, inde perperam colligitur factum illius probatum fuisse Deo. Alioqui dicendum esset placuisse Deo quem Gẽtes ab Assyria traductæ exerant cultum. Sed aliis validis rationibus probatur, inscitè ad imitationem trahi quod egit stulta mulier. Si dicerem, fuisse aliquid singulare quod in exemplum trahi non debet, ac præsertim quum nusquam legatur olim circuncidendi speciale datum fuisse Sacerdotibus mandatum, dissimilem esse rationem Circuncisionis & Baptismi: hoc ad refutationem satis valeret. Aperta enim sunt Christi verba, Ite, docete omnes gẽtes, ac baptizate. Quando eosdem constituit Euangelii præcones & ministros Baptismi,

Exod. 4. f. 25

Mat. 28. d. 19

Hebr.5.a.4. nemo verò in Ecclesia, teste Apostolo, honorem, sibi vsurpat, sed qui vocatus est vt Aaron: quisquis sine legitima vocatione baptizat, in alienum inuolat munus. In rebus etiam minutissimis, vt in cibo & potu, quicquid dubia conscientia aggredimur, Paulus aperte Rom.14.d. 23. clamat esse peccatum. In muliebri igitur Baptismo multo grauius peccatur, vbi regulam à Christo traditam violari palàm est, quandoquidem diuellere quæ Deus coniungit, nefas esse scimus. Sed hoc totum omitto: tantùm lectores attendere velim, nihil minus Sephoræ fuisse propositum quàm vt Deo ministerium præstaret. Filium periclitari videns, fremit, & obmurmurat, nec sine indignatione præputium in terram proiicit: marito sic conuitiatur, vt Deo quoque succenseat. Denique hoc totum ab animi impotentia profectum esse palàm est: quia Deo & marito obstrepit quòd filii sanguinem fundere cogitur: Adde quòd si in aliis omnibus probè se gessisset, hæc tamen est inexcusabilis temeritas quòd præsente marito circuncidit filium, non priuato quopiam homine, sed Mose prima rio Dei Propheta, quo nullus vnquam maior in Israele surrexit: quod nihilo magis ei licebat quàm hodie mulieribus sub Episcopi oculis. Sed hanc controuersiam mox nullo negotio dirimet hoc principium, non arceri à regno cælorum infantes quos è præsenti vita migrare continget antequàm aqua mergi datum fuerit. Atqui iam visum est, fieri non le uem iniuriam Dei fœderi nisi in eo acquiescimus, acsi per se infirmum esset: quum eius effectus neque à Baptismo neque ab vllis accessionibus pendeat. Accedit postea sacramentum sigilli instar, non quòd efficaciam Dei promissioni, quasi per se inualidæ, confirmat, sed eam duntaxat nobis confirmet. Vnde sequitur, non ideò baptizari fidelium liberos, vt filii Dei tunc primùm fiant qui antè alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideo recipi in Ecclesiã, quia promissionis beneficio iam antè ad Christi corpus pertinebant. Proinde si in omittendo signo nec socordia est, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo sumus. Multo igitur sanctius est, hanc Dei ordinationi reuerentiam deferre, vt non aliũde sacramenta petamus quàm vbi Dominus deposuit. Vbi ab Ecclesia sumere non licet, non sic illis alligata est Dei gratia quin eam fide ex verbo Domini consequamur.

Pædobaptismum cum Christi institutione & signi natura optimè congruere. CAP. XVI.

QVONIAM autem hoc seculo phrenetici quidam spiritus ob pædobaptismum graues excitarunt in Ecclesia turbas, nec tumultuari etiamnum desinunt: facere nequeo quin ad cohibendas eorum furias appendicem hîc subiiciã. Quæ si cui impẽdio prolixior fortè visa fuerit, is, quæso, secum reputet tanti esse nobis debere doctrinæ in re maxima puritatem vnà cum Ecclesiæ pace, vt nihil fastidiosè sit excipiendum quod ad vtranque redimendam conducat. Adde quod disputationem hanc ità studebo componere, vt mysterio Baptismi clarius explicando non parum habitura sit momenti. Argumento sanè in speciem fauorabili pædobaptismum impugnant, nulla Dei institutione fundatum esse iactando, sed hominum duntaxat audacia, prauáque curiositate inuectum, stulta deinde facilitate vsu temere receptum. Sacramentum enim nisi certo verbi Dei fundamẽto nitatur, de filo pendet. Verùm quid si re probè animaduersa eiusmodi calumniam falso ac iniquè sanctæ Domini ordinationi inuri apparebit? Disquiramus ergo primùm eius ortum. Et si quidem constiterit, sola hominum temeritate excogitatum, eo valere iusso, veram Baptismi obseruationem sola Dei voluntate metiamur. Sin verò certa eius authoritate nequaquam destitui comprobatum fuerit, cauendum ne sacrosancta Dei instituta conuellendo, in ipsum quoque authorem simus contumelioси.

2 Principiò dogma est satis notum, & inter pios omnes confessum, rectam signorum considerationem, non in externis duntaxat ceremoniis sitam esse: verùm à promissione pendêre potissimum, ac mysteriis spiritualibus, quibus figurandis ceremonias ipsas Dominus ordinat. Itaque qui perdiscere voluerit quid valeat Baptismus, quorsum spectet, quid denique omnino sit: ne cogitationem suam in elemento sistat, & corporeo spectaculo: sed eam potius ad Dei promissiones, quæ nobis illic offeruntur, & ad interiora, quæ illic repræsentantur, arcana erigat. Hæc qui tenet, solidam Baptismi veritatem, & totam, vt ita loquar, eius substantiam est assequutus: atque inde etiam docebitur quæ sit ratio & quis vsus externæ aspersionis. Rursum, qui his contemptim præteritis, visibili ceremonię, mentem penitus affixam habuerit & alligatam, nec vim, nec proprietatem Baptismi intelliget: neque id quidem, quid sibi aqua velit, aut quem vsum habeat. Quæ sententia

plurib⁹

pluribus & luculentioribus Scripturæ testimoniis comprobata, est quàm vt longius eam in præsens persequi necesse sit. Supereſt ergo iam vt ex promissionibus in Baptismo datis quæramus quæ vis eius sit & natura. Scriptura ostendit, peccatorum purgationẽ, quam à Christi sanguine obtinemus, hîc primò demõstrari. Deinde carnis mortificationem, quæ mortis eius participatione constat, per quam in vitæ nouitatem regenerantur fideles, atque adeò Christi societatem. Ad hanc summam referri potest quicquid in Scripturis de Baptismo traditum est: nisi quòd etiam præterea testandæ apud homines religionis est symbolum.

3 Quoniam autem ante institutum baptismũ, eius vice, populo Dei Circũcisio erat: quid inter se differant, & qua similitudine conueniant hæc duo signa, inspiciamus: vnde pateat quæ sit alterius ad alterum anagoge. Vbi Dominus Circuncisionem Abrahæ ser- Gen.17.b.10
uandam mandat, præfatur se illi & semini illius in Deum fore: addens penes se affluẽtiam sufficiẽtiámque esse rerum omnium, quo Abraham manũ eius, omnis boni scaturiginem fore sibi duceret. Quibus verbis æternę vitę promissio continetur: quemadmodum interpretatur Christus, argumentum hinc ducens ad euincendam fidelium immortalitatem Mat. 22.c.32
& resurrectionem. Neque enim (inquit) Deus mortuorum est, sed viuentiũ. Quare & Pau Luc. 20. f.38
lus Ephesiis demonstrans ex quo exitio liberasset eos Dominus, ex eo quòd in Circunci- Ephe.2. c.12
sionis fœdus admissi non fuerãt, eos sine Christo, sine Deo, sine spe, extraneos à testamentis promissionis fuisse colligit. quæ omnia fœdus ipsum comprehendebat. Primus autem ad Deum accessus, primus ad immortalem vitam ingressus, est peccatorum remissio. Vnde conficitur, promissioni Baptismi de nostra purgatione, hanc respondere. Pòst ab Abramo Dominus stipulatur, vt ambulet coram se in sinceritate & innocẽtia cordis: quod ad mortificationem pertinet seu regenerationem. Ac nequis ambigeret, signũ mortificationis esse Circũcisionem, Moses alibi clarius explicat, dum Israeliticum populum exhorta- Deu.10.d.16
tur ad præputium cordis Domino circuncidendum, propterea quòd selectus sit in popu- Deu.30.b.6
lum Dei ex omnibus terrę nationibus. Quemadmodum Deus, vbi Abrahę posteritatem in populum sibi cooptat, circuncidi præcipit: ita Moses corde circũcidi oportere pronuntiat, enarrans scilicet quæ sit istius carnalis circuncisionis veritas. Deinde nequis ad eam suis ipsius viribus eniteretur, opus gratię Dei esse docet. Hęc omnia toties à Prophetis inculcantur, vt multa huc testimonia congerere non sit opus quæ sponte passim occurrũt. Habemus ergo spiritualem promissionem in Circuncisione Patribus editam qualis in Baptismo nobis datur: quandoquidem peccatorum remissionem & carnis mortificationem illis figurauit. Præterea vt fundamentum Baptismi, Christum esse docuimus, in quo vtrunque istorum residet: ita & circuncisionis esse cõstat. Ipse enim Abrahæ promittitur, atque in ipso Gentium omnium benedictio. Cui gratiæ obsignandæ, Circuncisionis signum additur.

4 Iam nullo negotio videre est, quid simile sit in his duobus signis, aut quid diuersum. Promissio, in qua signorum virtutem consistere exposuimus, in vtroque vna est: nempe paterni Dei fauoris, remissionis peccatorum, vitæ æternæ. Deinde res figurata etiam vna & eadem, nempe regeneratio. Fundamentum quo istarũ rerum complementum nititur, in vtroque vnũ. Quare nihil in mysterio interiore est discriminis, è quo tota sacramẽtorum vis & proprietas æstimanda est. Quę restat dissimilitudo, ea in ceremonia exteriore iacet, quę minima est portio: quum potissima pars à promissione & re signata pendeat. Itaque constituere licet, quicquid Circuncisioni conuenit, ad Baptismum simul pertinere, excepta visibilis ceremoniæ differentia. Ad hãc anagogen & comparationem nos ma- Rom.11.a.3.
nu ducit Apostoli regula, qua omnem Scripturæ interpretationẽ ad proportionem fidei & b.6
exigere iubemur. Et sanè pendere palpãdam hac in parte veritas præbet. Perinde enim ac Circuncisio, quia tessera Iudæis quædam erat qua se in populum familiámque Dei adoptari fiebant certiores, ac ipsi etiam vicissim nomen se Deo dare profitebãtur, primus illis erat in Ecclesiam ingressus: nunc quoque per Baptismum Deo initiamur, vt eius populo adscribamur, & ipsi mutuò in eius nomẽ iuremus. Quo extra cõtrouersiam apparet, Baptismum in Circuncisionis locum subiisse, vt easdem apud nos partes obeat.

5 Iam si vestigare placet an iure infantibus Baptisma communicetur: nónne nimiũ illum ineptire, imò delirare dicemus, qui in elemento aquæ duntaxat & externa obseruatione immorari velit, ad spirituale verò mysterium mentem aduertere non sustineat? Cuius si qua habeatur ratio, cõstabit proculdubio infãtibus meritò administrari Baptismum,

vt qui illis debeatur. Non enim dominus olim Circuncisione dignatus est quin eorum omnium participes faceret quæ per Circuncisionem signata tunc fuerunt. Alioqui meris præstigiis ludificatus esset populum suum, si fallacibus symbolis eos lacta sset. quod solo auditu horrendum est. Disertè nanque pronuntiat, Circuncisionem infantuli, loco sigilli futuram ad obsignandam fœderis promissionem. Quod si fœdus firmum & fixum manet: Christianorum liberis non minus hodie competit, quàm sub Veteri testamento ad Iudæorum infantes spectabat. Atqui si rei signatæ sunt participes, cur à signo arcebuntur? si veritatem obtinent, cur à figura depellentur? Quanquam signum exterius in sacramento ita cum verbo cohæret, vt diuelli nequeat: si tamen discernatur, vtrum, quæso, pluris censebimus? Sanè quum signum videamus verbo seruire, subesse illi dicemus, & inferiore loco statuemus. Quum ergo ad infantes destinetur Baptismi verbum: cur signum, hoc est verbi appendix, ab illis prohibebitur? Hæc vna ratio, si nullæ aliæ supperterent, abundè sufficeret ad confutandos omnes qui reclamare voluerint. Quod obiicitur statum fuisse diem Circuncisioni, planè tergiuersatorium est. Nos iam certis diebus non esse Iudæorum instar alligatos concedimus: verùm quando Dominus, vtcunque nullum diem præscribat, declarat tamen sibi placere vt solenni ritu in suum fœdus recipiantur infantes: quid vltra quærimus?

6 Quanquam Scriptura certiorem adhuc veritatis notitiam nobis aperit. Siquidé euidentissimum est, quod semel cum Abrahamo Dominus fœdus percussit, non minus hodie Christianis constare, quàm olim Iudaico populo: adeóque verbum istud non minus Christianos respicere, quàm Iudæos tum respiciebat. Nisi fortè arbitramur, Christũ
1.Cor.7.c.14 suo aduentu, Patris gratiam imminuisse aut decurtasse. quod execrabili blasphemia non
Con.17.b.12. vacat. Quamobrem & Iudæorum liberi, quòd eius fœderis hæredes facti ab impiorum liberis discernerentur, semen sanctum vocabantur: eadem etiamnum ratione sancti censentur Christianorum liberi, vel altero duntaxat fideli parente geniti: & Apostoli testimonio differunt ab immundo idololatrarum semine. Iam quum Dominus, statim post fœdus cum Abrahamo percussum, ipsum in infantibus consignari exteriori sacramento præceperit, quid causæ dicent Christiani quominus hodiéque ipsum testificentur, atque obsignent in suis liberis? Neque mihi obiiciat quispiam, non alio quàm Circuncisionis symbolo quod iampridem abolitum est, Dominum præcepisse fœdus suum confirmari. Respondere enim promptum est, ipsum, pro Veteris testamenti tempore, Circuncisionẽ instituisse confirmando suo fœderi: ea verò abrogata, manere tamen semper eandé confirmandi rationem quam cum Iudæis communem habemus. Proinde diligenter perpetuò intueri conuenit quid vtrisque sit commune; quid illi separatum à nobis habeant. Fœdus commune est, communis eius confirmandi causa. Modus confirmandi tantùm diuersus est, quòd erat illis Circuncisio, in cuius vicem Baptismus nobis successit. Alioqui si testimoniũ quo Iudæi de seminis sui salute confirmati fuerunt, nobis eripitur, Christi aduentu factum fuerit vt obscurior & minus testata sit nobis Dei gratia quàm antè Iudæis erat. Id si dici non potest citra extremam Christi contumeliam, per quem infinita Patris bonitas luculentius ac benignius quàm vnquã in terras effusa fuit, & hominibus declarata: fateri necesse est, non malignius saltem supprimendam, nec minore testimonio illustrandam quàm sub obscuris Legis vmbris.

7 Quamobrem Dominus Iesus specimen editurus, vnde mundus intelligat ipsum amplificandæ potius quàm limitandæ Patris misericordiæ aduenisse, comiter oblatos fi-
Matt.9.b.13 bi infantes amplectitur, discipulos obiurgans qui aditu illos prohibere conabantur: quãdo eos, quorum esset regnum cælorum, à se abducerent, per quem solum patet in cælum ingressus. Verùm quid simile (dixerit quispiam) Baptismo cum hoc Christi amplexu? neque enim baptizasse illos narratur: sed excepisse, amplexus esse, & illis bene precatus. Proinde si eius exemplum imitari libet, precibus infantes adiuuemus: non autem baptizemus. Verùm nos Christi gesta paulo attentius reputemus quàm tale genus hominum. Neque enim hoc leuiter est prætereundum quòd infantes sibi offerri Christus iubet, addita ratione, Quoniã talium sit regnum cælorum. Ac postea voluntatem suam opere testatur, dum ipsos amplexus, precatione benedictionéque sua Patri commendat. Si adduci Christo infantes æquum est, cur non & ad Baptismum recipi, symbolum nostræ cum Christo communionis ac societatis? Si eorum est regnum cælorum, cur signum negabitur, quo velut aditus aperitur in Ecclesiam, vt in eam cooptati, hæredibus regni cælestis adscriban

adscribãtur? Quàm iniqui erimus, si abigamus quos Christ⁹ ad se inuitat? si quos suis donis ornat, spoliemus? si excludamus quos ipse vltrò admittit? Quòd si discutere volumus quãtũ à Baptismo absit quod illic egit Christus, quãto tamẽ maiore in pretio habebimus Baptismũ (quo testificamur infantes in Dei fœdere cõtineri) quàm susceptionẽ, amplexum, manuum impositionem, precationem, quibus Christus ipse præsens, & suos esse, & à se sanctificari declarat? Aliis cauillis, quibus eludere hunc locum nitũtur, nihil quàm suam ignorantiam produnt. argutantur enim ex eo quod dicit Christus, Sinite venire paruulos, iam grandiusculos annis fuisse, qui ad ingrediendum iam essent idonei. Sed ab Euangelistis βρέφη καὶ παιδία nominantur: quibus verbis significant Græci infantulos ab vberibus pendentes. Venire ergo positum est simpliciter pro accedere. En quales cogantur decipulas texere qui aduersus veritatẽ obduruerunt. Porrò quòd iactant regnum cælorum infantibus non esse attributum, sed eorum similibus, quoniam dicatur talium esse, non ipsorum nihilo est solidius. Id enim si recipitur, qualis futura est Christi ratio, qua ostendere vult ætate infantes à se non alienos? Quum iubet vt ad se infantes accedere sinantur, nihil est clarius quàm veram infantiam notari. Quod ne absurdum videretur, subiungit, Talium est regnum cælorum. Quòd si infantes comprehendi necessarium est, minimè obscurum erit, per dictionem Talium, infantes ipsos ac eorum similes designari.

8 Nemo iam est qui non videat, pædobaptismum nequaquam humanitus fabrefactum fuisse, qui tanta Scripturæ approbatione fulciatur. Nec satis speciosè nugantur qui obiiciunt nusquam reperiri, vel infantem vnum per Apostolorum manus fuisse baptizatum. Etsi enim id nominatim ab Euangelistis non narratur, quia tamen neque rursum excluduntur illi quoties familiæ alicuius baptizatæ incidit mẽtio: quis inde, nisi insanus, ratiocinetur non fuisse baptizatos? Siquid valerent id genus argumenta, mulieres pariter Cœna Domini interdicẽdæ essent, quas Apostolorum seculo ad eam fuisse admissas non legimus. sed enim hîc fidei regula contẽti sumus. Dum enim reputamus quid ferat Cœnæ institutio, ex eo etiam quibus communicandus sit illius vsus facile iudicium est. quod & in Baptismo obseruamus. Siquidem vbi animaduertimus quem in finem institutus fuerit, euidenter conspicimus & infantibus non minus competere quàm natu grandioribus. Eo itaque priuari nequeunt quin Dei authoris voluntati fraus manifesta fiat. Quòd autem apud simplicem vulgum disseminant, longam annorum seriem post Christi resurrectionem præteriisse, quibus incognitus erat pædobaptismus: in eo fœdissimè mentiuntur. siquidem nullus est scriptor tam vetustus qui non eius originem ad Apostolorum seculum pro certo referat. Act. 16. c. 15. & f. 32

9 Supereſt vt breuiter indicemus quisnam ex hac obseruatione fructus redeat cum ad fideles qui liberos suos Ecclesię tingendos sistunt: tum ad ipsos qui sacra aqua tinguntur, infantes: nequis ceu inutilem ac otiosam aspernetur. Quanquam sicui in mentem venit, pædobaptismum hoc prætextu irridere, circuncisionis præceptũ à Domino positum ludibrio habet. Quid enim ad illum impugnandum proferent, quod non in hanc retorqueatur? Sic Dominus vlciscitur eorum arrogantiam qui protinus damnant quod carnis suæ sensu non comprehendunt. Verùm aliis armis nos instruit Deus quibus eorum stolidítas retundatur. Neque enim sancta hæc eius institutio, qua fidem nostram eximia consolatione iuuari sentimus, superuacua meretur dici. Siquidem Dei signum puero cõmunicatum, velut impresso sigilio, promissionem pio parenti datam confirmat, ac ratum esse declarat quòd Dominus non illi modò, sed semini eius in Deum sit futurus: neque eum modò bonitate gratiáque sua prosequi velit, sed eius posteros in millesimam vsque generationem. Vbi quum ingens sese proferat Dei benignitas, primùm ampliſſimam gloriæ eius prædicandæ materiam suppeditat, & pia pectora lætitia non vulgari perfundit, qua simul ad redamandum tam pium Patrem vehementius incitantur: cui propter se posteritatem suam curæ esse conspiciunt. Neque moror si quispiam excipiat, confirmandæ filiorum nostrorum saluti sufficere debere promissionem: quando secus Deo visum est, qui prout imbecillitatem nostram perspectam habet, tantum illi in hac re indulgere voluit. Proinde qui promissionem de misericordia Dei in liberos suos propaganda amplexantur, officii sui esse cogitent, ipsos misericordiæ symbolo signandos Ecclesiæ offerre: atque inde se ad certiorẽ animare fiduciã, quòd præsenti oculo fœdus Domini filiorũ suorũ corporibus insculptũ cernũt. Nonnihil rursum emolumẽti pueri è suo Baptismo

capiunt, quòd in corpus Ecclesiæ insiti, aliis membris sunt aliquanto commendatiores. Deinde vbi adoleuerint, eo ad serium Dei colendi studium non mediocriter stimulãtur, à quo in filios solenni adoptionis symbolo accepti fuerint, antequam per ætatem eum agnoscere Patrem possent. Denique terrere nos summopere debet illa damnatio, vindicẽ fore Deum, si quis fœderis symbolo filiũ insignire contemnat: quòd eo contemptu, oblata gratia respuatur & quasi eiuretur.

10 Iam argumenta discutiamus quibus sanctam hanc Dei institutionẽ furiosæ quædam belluæ impetere non cessant. Principiò, quoniam similitudine Baptismi & Circun-
Gen. 17. c. 4. cisionis vltra modum vrgeri se ac constringi sentiunt, longo discrimine distrahere hæc duo signa contendunt, nequid alteri cum altero commune esse videatur. Nam & res signari varias, & fœdus omnino diuersum, & appellationem puerorum non eandem esse dicunt. Atqui dum illud primum instituunt probare, Circunci sionem obtendunt mortificationis non Baptismi fuisse figuram. quod profectò libẽtissimè illis damus. Nobis enim optimè patrocinatur. Neque alia sententię nostræ probatione vtimur quàm Baptismum & Circunci sionem mortificationis esse signa. Hinc constituimus, in huius vicem illum esse suffectum, quo idipsum nobis repræsentet quod olim Iudæis signabat. In asserenda fœderis differentia quàm barbara audacia Scripturam dissipant & corrumpunt! neque vno in loco. sed ita vt nihil saluum aut integrum relinquant. Iudæos enim adeò carnales nobis depingunt vt pecudum similiores sint quàm hominum. Quibus cum scilicet percussum fœdus vltra temporariam vitam non procedat, quibus datæ promissiones, in bonis præsentibus ac corporeis subsidant. Quod dogma si obtineat, quid restat nisi vt gentem Iudaicam fuisse ad tempus Dei beneficio saturatam (non secus ac porcorum gregem in hara saginant) vt æterno demum exitio periret? Simul enim ac Circunci sionem eique annexas promissiones citamus, Circunci sionem literale signum, promissiones eius carnales fuisse respondent.

Colo. 2. b. 11. 11 Sanè si literale signum erat Circunci sio, nihilo secius de Baptismo censendũ est. Quandoquidem Apostolus Colos. 2. nihilo magis alterum altero spirituale facit. Dicit enim nos in Christo circunci sos Circunci sione non manu facta, depositi corpore peccati quod in carne nostra habitabat: quam Circunci sionẽ Christi vocat. Pòst in eius sententiæ explicationem subiungit, Nos per Baptismum Christo consepultos. Quid sibi vult istis verbis nisi Baptismi complementum & veritatem, esse veritatem simul & complementum Circunci sionis, quoniam rem vnam figurent? Demonstrare enim contendit esse id Christianis Baptismum quod antè fuerat Iudæis Circunci sio. Quoniam autem iam ad liquidũ exposuimus, promissiones vtriusque signi & quæ illis repræsentantur mysteria inter se conuenire: longius in præsens non immorabimur. Tantùm fideles admonebo, me tacente vt secum reputent an terrenum ac literale habendum sit signum cui nihil subest nisi spirituale & cæleste. Verùm, ne fumos suos simplicibus vendant, obiectum vnum, quo impudentissimum hoc mendacium prætexunt, in transcursu diluemus. Cer-
Gene. 15. a. 1, & d. 18. to certius est, primarias promissiones, quibus continebatur quod sub Veteri testamento cum Israelitis fœdus Deus sanciuit, spirituales fuisse, & ad æternam vitam respexisse. Tú vicissim à Patribus spiritualiter, vt par erat, acceptas, quo fiduciam inde conciperent futuræ vitæ, ad quam toto animi affectu aspirarent. Interim verò nequaquã inficiamur quin suam illis beneuolentiam terrenis ac carnalibus beneficiis testatus sit: quibus etiam dicimus spem illam promissionum spiritualium fuisse confirmatam. Quo modo vbi æternam beatitudinem seruo suo Abrahę pollicitus est, quo manifestum fauoris sui indicium illi ob oculos subiiciat, addit alteram de possessione terræ Chanaan promissionem. In hunc modum accipere conuenit quæcunque genti Iudaicæ terrenæ promissiones datæ sunt: vt spiritualis promissio, ceu caput, primas semper teneat quò illæ referantur. Atque hæc quoniam vberius in discrimine Noui & Veteris testamenti tractaui, nunc leuius perstringo.

12 In puerorum appellatione hanc varietatem reperiunt, filios Abrahæ sub Veteri testamento dictos qui ab eius semine originem ducerent: hoc nomine nũc appellari qui fidem eius imitantur. Ideo infantiam illam carnalem, quæ in societatem fœderis per Circunci sionem inferebatur, spirituales Noui testamenti infantes figurasse, qui Dei verbo regenerati sint ad vitam immortalem. In quibus verbis exiguam quidem veritatis scintillam intuemur: sed in hoc grauiter peccant leues isti spiritus, quòd dum arripiunt quicquid

quid primò in manum illis venit, vbi vltra progrediendum foret, & multa inter se conferenda, in verbum vnum pertinaciter infistunt. Vnde fieri aliter nequit quin subinde hallucinentur: quia in nullius rei solidam cognitionem incumbunt. Fatemur certè carnale Abrahæ semen locum ad tempus tenuisse spiritualis feminis quod per fidē illi inseritur. Gala.4.d.18. Rom.4.b.12. Illius enim filii nuncupamur vtcunque nulla cum illo nobis naturalis cognatio intercedat. Verùm si intelligunt, quod non obscurè demonstrant, carnali Abrahæ semini nunquam spiritualem Dei benedictionem promissam, hîc verò longè falluntur. Proinde in meliorem scopum collimare nos oportet: ad quē certissimo Scripturæ ductu dirigimur. Dominus ergo Abrahæ pollicetur futurum illi semen in quo benedicendæ sint omnes terræ nationes: ac simul fidem dat, se illi & semini eius in Deum fore. Quicunque Christum benedictionis authorem fide recipiunt, huius promissionis sunt hæredes: ideóque Abrahæ filii nominantur.

13 Quanquam autem post Christi resurrectionem, fines regni Dei longè latéque in quaslibet nationes indiscriminatim prorogari cœperunt, vt secundum Christi sententiā vndequaque fideles colligerentur qui in gloria cælesti accumberent cum Abrahā, Isaac, Matt.8.b.11 & Iacob: multis tamen antè seculis tanta illa misericordia Iudæos complexus fuerat. Et quia cunctis aliis præteritis, vnam hanc gentem selegerat in qua gratiam suam pro tempore contineret: peculium suum & populum acquisitum dicebat. Ad testandā eiusmodi beneficentiā data fuit circuncisio, cuius symbolo docerentur Iudæi, Deum sibi esse salutis præsidem. qua cognitione in spem vitæ æternæ erigebantur eorum animi. Quid enim Exo.19.a.5. Rom.4.b.10 defuturum est ei quem semel in fidem Deus acceperit? Quare Apostolus, probaturus Gē tiles vnà cum Iudæis esse Abrahæ filios, in hanc formam loquitur: Abraham, inquit, fide iustificatus fuit in præputio. Pòst signum accepit circuncisionis, sigillum iustitiæ fidei, vt pater esset omnium fidelium & præputii & circuncisionis, non eorum qui sola circuncisione gloriantur, sed qui sequuntur fidem quam pater noster Abraham in præputio habuit. Annon videmus dignitate vtrosque adæquari? Nam ad tempus Dei decreto constitutum, pater fuit Circuncisionis. Vbi, diruto pariete (quemadmodum alibi scribit Apo- Ephe.2.c.14. stolus) quo Gentes à Iudæis secernebantur, illis quoque patefactus aditus fuit in regnum Dei, factus est illarum pater. idque citra circuncisionis signum: quòd Baptismum vice circuncisionis habent. Quòd autem nominatim Abraham iis esse patrem negat qui sunt ex circuncisione tantùm, id positum est ad retundendum quorundam supercilio, qui omissa pietatis cura, solis ceremoniis se venditabant. Qualiter hodiéque refutari possit eorum vanitas qui in Baptismo nihil præter aquam quærunt.

14 Sed alter Apostoli locus ex epist. Rom. 9. b. 7, contrà proferetur, vbi eos qui ex carne sunt, non esse Abrahæ filios docet: sed eos modò in semine censeri qui sunt filii promissionis. Innuere nanque videtur, nihil esse carnalem Abrahæ cognationem, quam nos alio gradu ponimus. Atenim diligentius animaduertendum est quā illic causam tractet Apostolus. Nam Iudæis offensurus quàm non esset alligata semini Abrahæ Dei bonitas, imò quàm nihil per se conferat, eius rei documento Ismaelem & Esau profert: quibus reiectis non secus acsi extranei fuissent, tametsi secundum carnem germana erant Abrahæ progenies, in Isaac & Iacob residet benedictio. Vnde conficitur id quod postea affirmat, pendere salutem à Dei misericordia, qua prosequitur quem illi visum fuerit: causam verò non esse cur Iudæi fœderis nomine sibi placeant aut glorientur, nisi fœderis legem seruēt id est, verbo obediant. Rursum vbi vana generis sui confidentia illos deiecit, quia tamen altera ex parte cernebat, fœdus quod semel cum Abrahæ posteritate initum fuerat à Deo irritum nullo modo fieri posse, cap. xi, carnalem Abrahæ cognationē non esse sua dignitate spoliandam differit: cuius beneficio Iudæos docet primos ac natiuos esse Euangelii hæredes, nisi quatenus sua ingratitudine, ceu indigni, abdicati fuerunt: sic tamen vt non penitus ab eorum gente cælestis benedictio demigrarit. Qua ratione illos quamlibet cōtumaces ac fœdifragos, sanctos nihilominus appellat (tantum honoris defert sanctæ generationi, quam Deus sacro suo fœdere dignatus fuerat.) nos verò, si cum illis cōponamur, velut posthumos, aut etiam abortiuos Abrahæ filios: idque adoptione, non natura: quēadmodum si defractus à sua arbore surculus, in alienum stipitem inseratur. Ergo sua prærogatiua ne fraudarentur, Euangelium illis primo loco annuntiari oportuit. Sunt enim in Dei familia velut primogeniti. Quare hic honor deferendus illis fuit, donec oblatum reiecerunt, & sua ingratitudine effecerunt vt ad Gētes traduceretur. Neque verò quāta-

cunque contumacia cum Euangelio bellum gerere perſiſtant, ideo tamen nobis ſunt de-
ſpiciendi: ſi reputamus, in promiſſionis gratiam, Dei benedictionem inter eos etiamnum
Ro.11.d.29 reſidere: vt certè nunquam inde prorſus abſceſſuram Apoſtolus teſtatur: quoniã ſine pœ-
nitentia ſunt dona & vocatio Dei.

15 En quid valeat, & qua lance metienda ſit promiſſio, Abrahæ poſteritati data.
Proinde quanquam in diſcernendis regni hęredibus à ſpuriis & extraneis, vnam Dei ele-
ctionem libero iure dominari nihil dubitamus: ſimul tamen perſpicimus ei placuiſſe, ſe-
men Abrahæ peculiariter miſericordia ſua complecti: ac quo teſtatior haberetur, circun-
1.Cor.7.c.14. ciſione obſignare. Porrò eadem omnino eſt Chriſtianæ Eccleſiæ ratio. Nam vt illic Pau-
lus ſanctificari à parentibus ſuis Iudæos diſputat: ita alibi docet, eãdem à parẽtibus ſanc-
tificationem Chriſtianorum liberos ducere. Vnde colligitur, ab aliis meritò ſegregari qui
impuritatis ecõuerſo damnãtur. Iam quis abigere poſſit quin falſiſſimum ſit quod deinde
ſubnectunt, qui olim infantes circũcidebantur, eos infantiam duntaxat ſpiritualem figu-
Rom.15.b.8. raſſe, quæ ex verbi Dei regeneratione emergit? Neque enim tam argutè philoſophatur
Apoſtolus, vbi Chriſtum circunciſionis miniſtrum eſſe ſcribit, ad implẽdas quæ Patribus
editæ fuerant, promiſſiones, acſi in hunc modum loqueretur, Quandoquidẽ fœdus cum
Abrahamo percuſſum ad ſemẽ eius reſpicit, Chriſtum vt fidem à Patre ſemel datam præ-
ſtaret ac ſolueret, in ſalutem adueniſſe genti Iudaicæ. Vidéſne vt poſt Chriſti reſurrectio-
nem quoque, promiſſionẽ fœderis nõ allegoricè tãtùm, ſed vt verba ſonãt, carnali Abra-
hæ ſemini implendam cenſeat? Eodem pertinet quod Petrus, Actorum 2.f.39, Iudæis de-
nuntiat, illis ac ſemini eorum, fœderis iure, Euangelii beneficium deberi: ac proximè ſe-
Act.3.d.25. quenti capite eos Teſtamenti filios,, hoc eſt hæredes nũcupat. A quo etiam non lõgè ab-
Ephe.2.c.11. ludit alter Apoſtoli ſuprà citatus locus, vbi impreſſam infantibus circunciſionem pro te-
ſtimonio eius quam cum Chriſto habent communionis ducit & ponit. Et verò, ſi eorum
nænias auſcultamus, quid illa promiſſione fiet qua Dominus in ſecundo Legis ſuæ capi-
te, ſeruis ſuis recipit ſe eorum ſemini propitium fore in milleſimam vſque generatio-
nem? hiccine ad allegorias confugiemus? at nimium nugatoria fuerit tergiuerſatio. An id
dicemus abolitum? Verùm ita Lex diſſiparetur, cui potius ſtabiliendæ Chriſtus venit,
quatenus in bonum ad vitam nobis cedit. Sit itaque extra controuerſiam, Deum ſuis a-
deò bonum eſſe ac liberalem vt in eorum gratiam liberos etiam, quos procrearint, popu-
lo ſuo accenſeri velit.

16 Quæ præterea inter Baptiſmum ac circunciſionem iniicere diſcrimina moliun-
tur, non ridicula modò ſunt, & omni rationis ſpecie vacua ſed inter ſe pugnantia. Nam v-
bi Baptiſmum ad primum ſpiritualis certaminis diem ſpectare affirmarunt, circunciſio-
nem autem ad octauum, iam peracta mortificatione: exemplo illius obliti, cãtilenam in-
uertunt: ac circunciſionem quidem figuram appellãt mortificandæ carnis: Baptiſmũ ve-
rò ſepulturam, in quam nulli niſi iam mortui, tradendi ſint. Quæ phreneticorum deliria
tanta leuitate diſſiliant? Nam priore ſententia, Baptiſmus circunciſioni præire debet: per
alteram in poſteriorem locum relegatur. Neque tamen nouum exemplum eſt, vt homi-
num ingenia, vbi pro certiſſimo Dei verbo adorant quicquid ſomniarint, ſurſum deor-
ſum ita volutentur. Nos ergo priorem illam differentiam, merum eſſe ſomnium dicimus.
Si in octauo die libebat ἀλληγορεῖν, non tamen eo modo conueniebat. Multo ſatius fuerit
poſt veteres numerum octonarium in reſurrectionem octauo die factam referre, vnde vi-
tæ nouitatem pendêre ſcimus: aut ad totum præſentis vitæ curſum, quo procedere ſem-
per debet mortificatio, donec, eo peracto, ipſa quoque perfecta fuerit. Quanquam videri
queat Deus ætatis teneritudini proſpicere voluiſſe, circunciſionem in diem octauum
differendo: quoniam vulnus, recens natis & adhuc à matre rubentibus periculoſius fu-
turum erat. Quanto neruoſius eſt illud, nos iam antè mortuos per Baptiſmum ſepeliri:
Rom.6.a.4. quum Scriptura diſertè reclamet, nos ea conditione in mortem ſepeliri vt emoriamur, ac
mortificationem iſtam exinde meditemur? Iam eiuſdem eſt dexteritatis quòd fœminas
non eſſe baptizandas cauillantur, ſi Baptiſmum circunciſioni conformari oporteat. Nam
ſi compertiſſimum eſt circũciſionis ſigno teſtatam fuiſſe ſeminis Iſraelitici ſanctificatio-
nem: ex eo neque dubium eſt quin maribus pariter ac fœminis ſanctificandis datum fue-
rit. Sola autem maſculorum corpora ipſo imprimebantur, quæ per naturam poterant:
ſic tamen vt fœminæ per eos, circunciſionis quodammodo ſociæ ac conſortes eſſent. I-
taque talibus eorum ineptiis procul ablegatis, in Baptiſmi ac circunciſionis ſimilitudine
hæreamus,

hæreamus,quam ampliſſimè in myſterio interiori,in promiſſionibus, in vſu, in efficacia quadrare conſpicimus.

17 Rationem quoque firmiſſimam obtendere ſibi videntur cur arcendi ſint à Baptiſmo pueri,dum cauſantur,non eſſe per ætatem adhuc idoneos qui ſignatum illic myſterium aſſequantur.Id autem eſt ſpiritualis regeneratio,quę cadere in primam infantiã non poteſt.Itaque colligunt,non alio loco habendos quàm pro Adæ filiis,donec in ætatem adoleuerint ſecundæ natiuitati congruentem. Atqui his omnibus vbique refragatur Dei veritas.Nam ſi inter filios Adæ ſinendi ſunt, in morte relinquuntur: quando in Adam nihil quàm mori poſſumus.Contrà verò Chriſtus ſibi adduci iubet.Quid ita?quia vita eſt.Eos ergo vt viuificet,ſui participes facit:quum interim iſti, longe abactos, morti adiudicant.Nam ſi tergiuerſantur,non ideo perire infantes ſi filii Adæ reputentur, ſatis ſupérque Scripturæ teſtimonio eorum error reuincitur. Nam quum in Adã omnes mori pronuntiet,ſequitur nullã niſi in Chriſto vitæ ſpẽ reſtare. Quo igitur vitæ hæredes fiamus,nos cum eo communicare oportet.Rurſum quũ ſcriptũ alibi ſit,natura nos iræ Dei omnes eſſe obnoxios,ac in peccato conceptos, cui damnatio perpetuò adhæret:è natura noſtra demigremus oportet antequam in regnum Dei aditus nobis pateat. Et quid dici clarius poteſt quàm carnem & ſanguinem regnũ Dei poſſidere non poſſe? Aboleatur ergo quicquid noſtrum eſt(quod non citra regenerationem fiet)tum poſſeſſionem hanc regni cernemus. Denique ſi verè loquitur Chriſtus quum ſe vitam eſſe prædicat, nos in ipſum inſeri neceſſe eſt,quo è mortis ſeruitute aſſeramur. At quomodo, inquiunt, regenerantur infantes,nec boni nec mali cognitione præditi?Nos autem reſpondemus,opus Dei,etiam ſi captui noſtro non ſubiaceat,non tamen eſſe nullum. Porrò infantes qui ſeruandi ſint(vt certè ex ea ætate omnino aliqui ſeruantur)antè à Domino regenerari minimè obſcurum eſt.Nam ſi ingenitam ſibi corruptionem è matris vtero ſecum afferunt:ea repurgatos eſſe oportet,antequam in regnũ Dei admittantur:quò nihil ingreditur pollutum aut inquinatum.Si peccatores naſcuntur,quo modo & Dauid & Paulus affirmant: aut Deo ingrati inuiſique manent,aut iuſtificentur neceſſe eſt. Et quid vltrà quærimus quum palàm ipſe iudex affirmet,nullis patere in vitam cæleſtem ingreſſum niſi renatis? Atque vt obloquutores hoc genus compeſceret, documentum præbuit in Iohanne Baptiſta,quem in matris vtero ſanctificauit,quid in reliquis poſſet.Nec qua hîc ludunt,tergiuerſatione quicquã proficiunt,id ſemel duntaxat factum: vnde non ſtatim conſequatur,Dominũ ita ſolere paſſim cum infantibus agere. Neque enim nos cum in modũ ratiocinamur. Tantùm oſtendere animus eſt, iniquè ac malignè intra eas anguſtias limitari ab eis Dei virtutem, quibus ipſa includi ſe non ſuſtinet. Tantundem habet ponderis & alterum ſuffugium. Vſitato Scripturæ more perinde valere allegant particulã Ab vtero,acſi diceretur,E pueritia.Sed videre perſpicuè licet, Angelum quum id Zachariæ denuntiaret,aliud voluiſſe:nempe nondum natum,Spiritu ſancto repletum iri. Ne ergo legem Deo imponere tentemus quin ſanctificet quos viſum fuerit quo modo hunc ſanctificauit,quando nihil eius virtuti deceſſit.

1.Co.15.c.22. Epheſ.2.a.3. Pſal.51. b.7. 1.Cor.15.f.50

18 Et ſanè ideò à prima infantia ſanctificatus fuit Chriſtus, vt ex ætate qualibet ſine diſcrimine electos ſuos in ſeipſo ſanctificaret. Nam quemadmodũ ad delendam inobedientiæ culpã,quæ in carne noſtra perpetrata fuerat,eam ipſam carnẽ ſibi induit, in qua perfectã cauſa vicéque noſtra obedientiam præſtaret:ita ex Spiritu ſancto conceptus fuit vt eius ſanctitate in aſſumpta carne ad plenũ perfuſus,ipſam ad nos transfunderet. Si abſolutiſſimum in Chriſto habemus gratiarum omnium exemplar quibus filios ſuos Deus proſequitur,hac quoque parte ſcilicet documento nobis erit,infantiæ ætatem nonvſque adeo à ſanctificatione abhorrere. Vtcunque, hoc tamen extra controuerſiam ponimus, neminem electorum è præſenti vita euocari qui non prius ſanctificetur ac regeneretur Dei Spiritu. Quòd contrà obiectant, Spiritum in Scripturis, nullam niſi ex incorruptibili ſemine,id eſt,Dei verbo regenerationem agnoſcere : perperam illam Petri ſententiam interpretantur, qua fideles modò comprehendit, qui Euangelii prædicatione edocti fuerant. Talibus quidem fatemur, verbum Domini ſpiritualis eſſe regenerationis ſemen vnicum : ſed ex eo negamus colligendum,non poſſe Dei virtute regenerari infantes : quæ illi tam facilis, & prompta eſt, quàm nobis incomprehenſa & admirabilis. Deinde non ſatis tutum fuerit hoc adimere Domino, ne ſeſe illis quoquo modo exhibere cognoſcendum queat.

Iohã.11.c.25. & 14.a 6.

Apo.21.g.27 Epheſ. 2.a.3. Pſal.51.b.7. Iohan.3.a.3. Luc.1.b.15.

1.Pet.1.d.23.

19 At fides, inquiunt, per auditū, cuius nōdum vſum adepti ſunt, nec Deo cognoſcendo pares eſſe queunt, quos boni ſimul & mali notitia deſtitutos docet Moſes. Verùm non animaduertunt Apoſtolū, quum auditum fidei principium facit ordinariam tātùm Domini œconomiam & diſpenſationem, quam tenere in vocandis ſuis ſolet, deſcribere: non autem perpetuam ei regulā præſtituere ne alia vti ratione poſſit. Quo modo certè in multorum vocatione vſus eſt: quos interiore modo, Spiritus illuminatione, nulla intercedēte prædicatione, vera ſui cognitione donauit. Quoniam autem valde abſurdum fore putāt, ſi infantibus tribuatur vlla cognitio Dei, quos boni & mali intelligentia Moſes priuat: reſpondeant quæſo mihi, quid periculi ſit ſi aliquam eius gratiæ partem nunc accipere dicantur, cuius plena largitate paulo pòſt perfruentur? Nam ſi vitæ plenitudo perfecta Dei cognitione cōſtat: quum eorum nonnulli, quos prima ſtatim infantia hinc mors abripit, in vitam æternam tranſeant, ad contemplandam certè Dei faciem præſentiſſimam recipiūtur, Quos ergo pleno lucis ſuæ fulgore illuſtraturus eſt Dominus, cur non iis quoque in præſens, ſi ita libuerit: exigua ſcintilla irridiaret: præſertim ſi non antè exuit ipſos ignorantia, quàm eripit ex carnis ergaſtulo? Non quòd eadem eſſe fide præditos temerè affirmare velim quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei ſimilem: (quod in ſuſpenſo relinquere malo) verùm vt iſtorum ſtolidam arrogātiam paululum coerceā, qui, prout inflata illis bucca fuerit, ſecurè quiduis aut negant aut aſſerunt.

Deut.1.f.39.

20 Verùm quo adhuc validius hac parte inſiſtant, ſubnectunt, Baptiſmum pœnitentiæ ac fidei ſacramentum eſſe. quare quum neutra in tenellam infantiam cadat, cauendū ne, ſi in Baptiſmi cōmunionem admittatur, inanis & euanida reddatur ſignificatio. At enim hæc tela in Deum magis quàm in nos diriguntur. Siquidem & Circunciſionem fuiſſe pœnitentię ſignum, multis Scripturæ teſtimoniis compertiſſimum eſt. Deinde à Paulo nuncupatur ſigillum iuſtitiæ fidei. Ab ipſo itaque Deo ratio exigatur cur eā infantiū corporibus inſcribi iuſſerit. Poſtquam enim in eadem ſunt cauſa Baptiſmus & Circunciſio, huic nihil dare poſſunt quod non alteri ſimul concedant. Si adſolitum cuniculum reſpectant, figuratos tum fuiſſe per infantiæ ætatem ſpirituales infantes, iam obſtructa eſt illis via. Dicimus ergo, quum Circunciſionem pœnitentiæ fideique ſacramentum infantibus Deus communicarit, non videri abſurdum ſi nunc Baptiſmi participes fiant: niſi palàm in Dei inſtitutionem debacchari placet. Verùm cum in Dei factis omnibus tum in hoc quoque ipſo ſatis ſapientiæ, iuſtitiæ, ad retūdendas impiorum obtrectationes relucet. Nam etſi infantes, quo circuncidebantur momento, quid ſibi vellet ſignū illud intelligentia non cōprehendebāt: verè tamen circūcidebantur in naturæ ſuæ corruptæ ac cōtaminatæ mortificationem, quam adulti poſtea meditarentur. Denique nullo negotio ſolui poteſt obiectio hęc, Baptizari in futuram pœnitentiam & fidē: quę etſi nondū in illis formatę ſunt, arcana tamen Spiritus operatione vtriuſque ſemen in illis latet. Hac reſponſione ſemel euertitur quicquid aduerſum nos torquēt à Baptiſmi ſignificatione petitum. Quale eſt elogium quo à Paulo inſignitur, vbi vocat lauacrum regenerationis & renouationis. Vnde ratiocinantur nemini niſi earum rerum capaci conferēdum. Sed enim nobis ex aduerſo excipere licet, neque Circunciſionem aliis quàm regeneratis fuiſſe conferendam, quæ regenerationē deſignabat. Atque ita Dei inſtitutū à nobis condemnabitur. Proinde (quod iam aliquoties attigimus) quæcunque ad quatefaciendam Circunciſionē argumenta inclinant, vim nullā habent in oppugnando Baptiſmo. Neque elabuntur ſi dixerint ſtatum eſſe nobis ac fixum quod Dei authoritate certò nititur, etiamſi nulla eius ratio extet: quę reuerētia neque pædobaptiſmo debetur, neq; aliis ſimilibus quæ expreſſo Dei verbo non ſunt nobis commendata: quando hoc dilemmate deprenſi ſemper tenētur. Aut enim legitimum nullíſque cauillis obnoxium, aut reprehenſione dignum fuit de circuncidendis infantibus Dei præceptū. Si nihil abſoni nec abſurdi in illo fuit, nec in pædobaptiſmi obſeruatione quippiam abſurdi notari poterit.

Rom.6.a.4. Col.2.c.12

Tit.3.b.5

21 Quam verò conantur hoc loco inurere abſurditatis maculam, ſic eluimus. Quos electione ſua dignatus eſt Dominus, ſi accepto regenerationis ſigno, præſenti vita antè demigrent quàm adoleuerint, eos virtute ſui Spiritus nobis incōprehenſa renouat, quo modo expedire ſolus ipſe prouidet. Si grandeſcere in ætatem contingat, qua Baptiſmi veritatem edoceri queant, hinc magis ad renouationis ſtudium accendentur, cuius teſſera ſe à prima ſtatim infantia donatos eſſe diſcent, quo eam toto vitæ decurſu meditarentur. Eodem referatur quod duobus locis Paulus docet, nos Chriſto per Baptiſmum conſepeliri.

pelíri. Nam eo non intelligit, cõsepultum Christo iam prius eum esse oportere qui Baptismo sit initiãdus: sed quæ Baptismo subest doctrina, simpliciter declarat: idque iam baptizatis. vt ne insani quidem Baptismo præire ex hoc loco pugnaturi sint. In hũc modum & Moses & Prophetę populum admonebant quid sibi vellet Circuncisio, qua tamen infantes signati fuerant. Tantundem valet quod & Galatis scribit, Eos dum baptizati fuerunt, Christum induisse. Quorsum id? Nempe vt Christo in posterum viuerent: quia non antè vixissent. Et quanquã in natu grãdioribus mysterii intelligẽtiam signi susceptio cõsequi debet: paruulos tamen alio loco ac numero habẽdos, mox exponetur. Nec aliud statuendum est de loco Petri, in quo sibi magnum præsidium statuunt: quum dicit non esse ablutionem ad abstergendas corporis sordes, sed bonæ cõscientiæ testimonium coram Deo, per Christi resurrectionem. Contendunt quidẽ illi ex eo nihil pædobaptismo reliquum fieri nisi vt inanis sit fumus: nempe à quo longe sepositа sit hæc veritas. Verùm hallucinatione ista idem peccant, quòd rem tẽporis ordine semper signo præire velint. Nam & Circuncisionis veritas eodẽ conscientiæ bonæ testimonio cõstabat. Quòd si necessariò præcedere debuisset, nunquã infantes Dei mandato fuissent circũcisi. Verùm ipse bonæ conscientiæ testimoniũ circuncisionis veritati subesse ostẽdens, simul tamen præcipiens paruulos circuncidi, ea parte in futurum tempus circuncisionem conferri satis indicat. Quare nihil plus in pædobaptismo præsentis efficaciæ requirendum est quàm vt fœdus cum illis à Domino percussum obfirmet & sanciat. Reliqua eius sacramenti significatio, quo tempore Deus ipse prouiderit, postea consequetur.

Gal.3.d.27.

2.Pet.3.d.21.

22 Neminem iã esse puto qui non perspicuè cernat omnes huius notæ rationes meras esse Scripturæ inuersiones. Quæ supersunt his affines, cursim persequemur. Baptismũ in peccatorum remissionem dari obiiciunt. Quod vbi concessum fuerit, sentẽtiæ nostræ abundè patrocinabitur. Peccatores enim quum nascamur, remissione & venia iam à matris vtero opus habemus. Porrò quum spem misericordiæ huic ætati non pręcidat Deus, sed potius certã faciat: cur signum re ipsa multo inferius præriperemus? Quare quod in nos vibrare moliũtur, hoc ea retotquemus in eos ipsos. paruuli peccatorũ remissione donantur: ergo signo priuandi non sunt. Proferunt simul illud ex epistola ad Ephesios, Eccle siam à Domino mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quo ad errorem eorum euertendum nihil aptius citari poterat. nam inde nobis facilis nascitur probatio. Si testatam Baptismo vult Christus ablutionem qua Ecclesiam suam emũdat, æquum non videri vt suo in paruulis testimonio careat, qui in Ecclesiæ parte iure censentur, quum hæredes regni cælestis sint nuncupati. Vniuersam enim Ecclesiam Paulus complectitur, vbi dicit mudatam lauacro aquæ. Nihilo secius & ex eo quod alibi dicit, nos in Christi corpus per Baptismum esse insertos, colligimus, infantes, quos membris suis annumerat, baptizandos esse, ne à suo corpore diuellantur. En quo impetu cum tot machinis in fidei nostræ præsidia impressionem faciant.

Ephe.5.f.26.

1.Cor.12. b. 13.

23 Iam ad seculi Apostolici praxin atque consuetudinem descendunt, quo nemo, nisi fidem antè pœnitentiámque professus, ad Baptismum admissus comperitur. Nam vbi rogatur Petrus ab iis quibus erat resipiscendi animus, quid factu sit opus: vt pœnitentiã primùm agant consulit, deinde vt baptizentur in remissionem peccatorũ. Similiter Philippus, quum baptizari eunuchus ille postularet, respondit id licere, modò toto corde cre deret. Hinc sibi obtinere posse videntur, Baptismum, nisi pręeunte fide ac pœnitẽtia, cuiquam concedi minimè fas esse. Enimuero si huic rationi locũ damus: prior locus, vbi nulla fidei mentio auditur, solam sufficere pœnitentiam euincet: alter, quo pœnitentia minimè requiritur, solam satis esse fidem. Excipient, puto, locum alterum altero adiuuari, ideóque simul esse connectendos. Ego quoque vicissim conferẽdos dico alios locos qui ad istius nodi solutionem aliquid valent. Quandoquidẽ multæ in Scriptura sentẽtiæ habentur, quarum intelligentia à loci circunstantia pẽdeat. Quale in præsentia exẽplum occurrit. nam quibus hæc dicuntur à Petro & Philippo, ætate sunt ad pœnitẽtiam meditandam fidémque cõcipiendã idonea. Tales, nisi perspecta eorum cõuersione & fide (salem quãtum hominũ iudicio explorari potest) baptizãdos esse fortiter negamus. Verùm in aliũ catalogum relegandos esse infantes, plus satis perspicuum est. nam siquis olim se Israeli adiungebat in religionis cõmunionem, antè & fœdus Domini edoceri & Lege eruditi oportebat quàm circũcisione signaretur: quòd natione erat ἀλλόφυλος, hoc est alienigena ab Israelitico populo, quocum fœdus, quod Circũcisio sanciebat, percussum fuerat.

Act.2.f.37.

Act.8.g 37.

Genes.15.a.1 24 Quemadmodum nec Dominus,quum Abrahamum sibi cooptat,à Circonciſione ſumit exordium,interim quid illo ſigno ſibi velit diſſimulans:verùm quod ferire cum ipſo fœdus inſtituat, primùm denuntiat:tum deinde poſt fidem promiſſioni habitam,ſacramenti facit participem. Cur in Abrahamo fidem ſacramentum ſequitur, in Iſaaco filio intelligentiam omnem præcedit? Quoniam eum qui adulta demum ætate in fœderis ſocietatem recipitur à quo fuerat hactenus alienus, eius conditiones antea perdiſcere æquum eſt:infantem verò ex eo progenitum,non item:qui hæreditario iure, ſecundũ promiſſionis formulam,iam à matris vtero in fœdere continetur.Aut(quo res clarius ac breuius indicetur)ſi fidelium liberi, citra intelligẽtiæ adminiculum,fœderis ſunt participes, non eſt cur ob id à ſigno arceantur,quia in fœderis ſtipulationem iurare nequeunt. Hæc certè ratio eſt cur aliquoties Deus infantes qui ab Iſraelitis oriuntur, ſibi genitos & natos fuiſſe aſſerit.Nam filiorum haud dubiè loco habet eorum filios quorum ſemini in patrem ſe fore pollicitus eſt. Qui verò infidelis eſt,impiis ortus parentibus,donec per fidem Deo vniatur,à fœderis communione extraneus cẽſetur. Itaque nihil mirum ſi nec ſigno communicet, cuius ſignificatio in eo fallax inaniſque foret. In eam ſententiam Paulus quoque ſcribit,Gentes,quandiu in ſua idololatria immerſæ fuerunt, extra teſtamentum fuiſſe.Hoc compendio,tota res,niſi fallor,perſpicuè expediri queat,Qui adulta demum ætate Chriſti fidem amplectuntur, eos, quum hactenus alieni à fœdere fuerint, non eſſe Baptiſmo inſigniendos niſi fide ac pœnitentia intercedente: quæ aditum illis in fœderis ſocietatem patefacere ſolæ poſſunt. qui verò à Chriſtianis originem ducunt infantes, vt in fœderis hæreditatem ſtatim ac nati ſunt, à Deo excipiuntur, ita in Baptiſmum recipiendos.Eò referendum eſt quod narrat Euangeliſta, baptizatos à Iohanne fuiſſe qui peccata ſua confiterentur: quod exemplum obſeruandum hodiéque cenſemus. Turca enim ſi ſe adBaptiſmum offerat,non temerè à nobis intingeretur niſi confeſſione ſcilicet edita qua Eccleſiæ ſatisfaciat.

Ezec.16.c.20, & 23.f.37

Epheſ.2.c.13

Matth.3.b.6

25 Adhæc, Chriſti verba quæ Iohannis tertio recitantur, proferunt, quibus præſentem in Baptiſmo regenerationem exiſtimant requiri, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu,non poteſt ingredi in regnum Dei.En(inquiunt)vt Baptiſmus,ore Domini regeneratio vocetur. Quos igitur regenerationis minimè capaces eſſe ſatis ſupérque notum eſt,quo prætextu Baptiſmo initiamus qui ſine ipſa conſtare nequit?Primùm in eo fallũtur quòd Baptiſmi mentionem fieri hoc loco putant quia aquæ nomen audiunt.Poſtquã enim naturæ corruptionem Nicodemo expoſuit Chriſtus, ac renaſci oportere docuit: quia ille renaſcentiam corporalem ſomniabat, modum hîc indicat quo regenerat nos Deus, nempe per aquam & Spiritum: quaſi diceret, Per Spiritum, qui purgando & irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur. Aquam ergo & Spiritum ſimpliciter accipio pro Spiritu, qui aqua eſt. Neque hæc noua eſt locutio: prorſus enim cum illa quæ tertio Matthæi capite habetur conuenit, Qui ſequitur me,ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto & igni.Quemadmodum ergo Spiritu ſancto & igni baptizare, eſt Spiritum ſanctum conferre,qui in regeneratione ignis officium naturámque habet: ita renaſci aqua & Spiritu nihil aliud eſt quàm vim illam Spiritus recipere, quæ in anima id facit quod aqua in corpore.Scio alios aliter interpretari:ſed hunc eſſe germanum ſenſum non dubito:quia conſilium Chriſti non aliud eſt quàm vt doceat exuendum eſſe proprium ingenium omnibus qui ad cæleſte regnum aſpirant. Quanquam ſi putidè eorum more cauillari libeat,regerere illis promptum eſſet (vbi conceſſerimus quod volunt) Baptiſmum priorem eſſe fide & pœnitentia:quando in Chriſti verbis Spiritum præcedit.De ſpiritualibus donis hoc intelligi certum eſt: quæ ſi Baptiſmum ſequuntur,adeptus ſum quod volo.Sed omiſſis cauillis, tenenda ſimplex eſt interpretatio quam attuli, nemmem, donec renouatus fuerit aqua viua,hoc eſt Spiritu,poſſe ingredi in regnum Dei.

Matth.3.c.11

Iohan.3.a.5

26 Iam & ex eo explodendum eſſe eorum cõmentum palàm eſt qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant. Solis ergo adultis adminiſtrari Baptiſmum ex eorum poſtulato fingamus: quid puero fieri dicent qui pietatis rudimentis rite probéque imbuitur,dum tinctionis dies appetit,ſi ſubita morte præter ſpem omnium abripi cõtingat?Clara eſt Domini promiſſio,Quicunque in Filium credidit,non viſurũ mortẽ, nec in iudiciũ venturum, ſed tranſiiſſe à morte in vitam: nondum baptizatum nullibi damnaſſe comperitur. Quod in eam à me partem accipi nolo perinde acſi Baptiſmum cõtemni impune poſſe innuerem (quo contemptu violatum iri Domini fœdus affirmo: tantum abeſt vt

Iohã.5.d.24

vt excuſare ſuſtineam)tantùm euincere ſufficit,nõ eſſe adeò neceſſarium,vt periiſſe protinus exiſtimetur cui eius obtinendi adempta fuerit facultas. Atqui ſi eorum commento aſſentimur, eos omnes citra exceptionẽ damnabimus quos à Baptiſmo caſus aliquis prohibuerit,quantacunque alioqui fide prẽditos:per quam Chriſtus ipſe poſſidetur.Inſuper infantes omnes æternæ mortis reos peragunt;quibus baptiſmum negant, ſua ipſorũ confeſſione,ad ſalutem neceſſarium. Viderint nunc quàm bellè ſibi cum Chriſti verbis conueniat,quibus regnum cælorum illi ætati adiudicatur. Atque vt nihil illis nõ cõcedamus quantum ad huius loci intelligentiam attinet, nihil tamen inde elicient, niſi prius quod iam conſtitutum eſt à nobis dogma de infantium regeneratione euerterint. Mat.19.b.14

27 Sed propugnaculum omnium munitiſſimum in ipſa Baptiſmi inſtitutione ſe habere gloriantur, quam ex capite Matthæi vltimo petunt.vbi Chriſtus Apoſtolos mittens ad gentes vniuerſas, de illis docendis primum,alterũ de baptizandis mandatũ dat. Tum & ex Marci vltimo iſtud annectunt, Qui crediderit,& baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quid vltrà(inquiunt)quærimus, quum verba Domini apertè ſonent,prius docendũ quàm baptizandum,& Baptiſmo ſecundum à fide locum aſſignent?Cuius ordinis ſpecimẽ Dominus etiam Ieſus in ſe præbuit,qui anno demum triceſimo baptizari voluit. Hîc verò quot modis, bone Deus, & ſe implicant, & inſcitiam ſuam produnt! Nam in eo iam pluſquam pueriliter labuntur,quòd primam Baptiſmi inſtitutionem inde deriuant,quem ab exordio prædicationis ſuæ Apoſtolis Chriſtus adminiſtrandũ mandauerat. Non eſt igitur cur legem ac regulam Baptiſmi ex iſtis duobus locis petendam contendant, acſi primam inſtitutionem continerent.Hoc vt illis indulgeamus erratum,quam neruoſa tamen eſt iſthæc argumentatio? Equidem ſi tergiuerſari libeat, non latebra,ſed latiſſimus campus ad effugiendum ſe aperit. Nam quando ita mordicus verborum ordini inſiſtũt, vt quoniam dictum eſt,Ite,prædicate,& baptizate,Item,Qui crediderit & baptizatus fuerit:prædicãdum prius quàm baptizandum: & credendum prius quàm Baptiſmum appetendum ratiocinentur: cur non & nos viciſſim excipiamus, baptizandum antequam docẽdam eorum quę Chriſtus mãdauit obſeruationem?nempe quum dicatur,Baptizate,docentes ſeruare quæcunque præcepi vobis.quod idem annotauimus in illa Chriſti ſententia quę de aquæ & Spiritus regeneratione nuper citata fuit.nam ſi ita intelligitur vt poſtulant, illic certè priorem ſpirituali regeneratione Baptiſmum eſſe conueniet, quando priore loco nominatur. Non enim nos ex Spiritu & aqua, ſed ex aqua & Spiritu regenerandos docet Chriſtus. Mat.28.d.19 Marc.16.c.16. Mat.3.c.13 luc.3.c.23 Marc.16.c.15.

28 Iam aliquantum concuſſa videtur inexpugnabilis hæc ratio, qua tantopere cõfidunt:verùm quia ſatis habet in ſimplicitate præſidii veritas, leuibus ejuſmodi argutiis elabi nolo. Solidam ergo reſponſionem ſibi habeant. Potiſſimum hîc à Chriſto de prædicando Euangelio datur mandatum: cui baptizandi miniſterium, inſtar appẽdicis ſubnectit. Deinde nõ aliter de Baptiſmo ſermo habetur,niſi quatenus docẽdi functioni eius adminiſtratio ſubeſt. Apoſtolos enim mittit Chriſtus ad Euangelium vniuerſis orbis nationibus promulgãdum,vt vndique in regnum ſuum perditos antè homines, doctrina ſalutis colligant. Quos autem illos,aut quales?Certum,nullã niſi de iis qui doctrinę recipiendæ pares ſint,eſſe mentionem. Pòſt adiungit,tales, vbi inſtituti fuerint, eſſe baptizandos; addita promiſſione,Qui crediderint,& baptizati fuerint,ſaluos fore. An de infantibus toto illo ſermone vel vna eſt ſyllaba? Quæ igitur hæc qua nos impetunt argumentationis erit formula?Qui adulta ſunt ętate,antè inſtituendi ſunt,vt credant,quàm baptizandi. Baptiſmum ergo infantibus communem facere nefas eſt. Non,ſi ſe rumpant,aliud ex hoc loco oſtendent, niſi antè prædicandum eſſe Euangeliũ iis qui ſunt audiendi capaces quàm baptizentur: quando de illis modò agitur. Inde,ſi poſſunt, obicem ſtruant impediendis à Baptiſmo infantibus.

29 At verò quo cæcis quoque palpabiles ſint eorum fallaciæ,eas admodum perſpicua ſimilitudine indicabo. Siquis alimentis priuandos infantes cauilletur hoc prætextu quòd Apoſtolus non permittit vt edant niſi qui laborant, nónne dignus erit qui ab omnibus cõſpuatur?Cur ita?Quia quod de certo genere hominum ac certa ętate dictum fuerat,ad omnes indifferẽter rapit. Nihilo iſtorũ in præſenti cauſa maior eſt dexteritas. Quod enim ad adultam duntaxat ætatem pertinere nemo non videt,ad infantes trahunt: vt hæc quo que ætas ſubiaceat regulæ quæ nonniſi grandioribus poſita fuerat. Quantum ad Chriſti exemplum attinet,eorum cauſam nequaquam fulcit. Non ante triceſimum annum eſt 2.Theſſ.3.c.10. Luc.3.c.23

baptizatus. Verum id quidem, sed in promptu ratio est: quia tum solidum baptismi fundamentum, sua prædicatione iacere instituebat, vel potius stabilire, quod paulo antè ab Iohanne iactum fuerat. Baptismum ergo quum sua doctrina instituere vellet, quo maiorem suæ institutioni authoritatẽ consiliaret, suo ipsius corpore ipsum sanctificauit, idque qua maximè decebat tẽporis opportunitate, nempe quum suam prædicationẽ auspicaretur. Denique nihil aliud conficient, nisi Baptismum originem & exordium sumpsisse ab Euãgelii prædicatione. Quòd si annum tricesimum præfigere libet, cur eum non obseruant: sed vt quisque eorum iudicio satis profecit, cum ad Baptismum recipiũt? Quinetiam Seruetus vnus ex eorum magistris, quum tempus hoc pertinaciter vrgeret, iam vicesimoprimo ætatis anno cœperat Prophetam se iactare. Quasi verò ferẽdus sit qui doctoris locum in Ecclesia sibi arrogat antequam sit ipsius Ecclesiæ membrum.

30 Tandem obiiciunt, non maiorem esse causam cur infantibus Baptismus communicetur, quàm Cœna Domini: quæ tamen illis minimè cõceditur. quasi verò Scriptura latum modis omnibus discrimen nõ notaret. Fuit quidem id in veteri Ecclesia factitatum, vt ex Cypriano & Augustino constat: sed meritò mos ille obsoleuit. Nam si ingenium ac proprietatem Baptismi repetamus, quidam certè est in Ecclesiam ingressus ac veluti initiatio per quam in Dei populũ accensemur: signum spiritualis nostræ regenerationis, per quam in filios Dei renascimur. quum è conuerso Cœna grandiusculis attributa sit, qui superata teneriore infantia, iã ferendo sint solido cibo. Quæ distinctio perquàm euidẽter in Scriptura demonstratur. Nam illic Dominus, quantum ad Baptismum attinet, nullum ætatum delectum facit. Cœnam verò non omnibus perinde participandam exhibet, sed iis modò qui discernendo corpori ac sanguini Domini, qui suæ ipsorum examinandæ conscientiæ, qui morti Domini annuntiandæ, qui virtuti eius expendendę sint idonei. Volu-
1. Cor. 11. f. 28 mus apertius quippiã, quàm quòd Apostolus tradit, dum exhortatur vt se quisque ipsum probet atque excutiat, tum edat ex hoc pane, & è calice bibat? Examen igitur præire opor-
Ibid. g. 29 tet, quod ab infantibus frustra expectetur. Item, Qui indignè manducat, damnationem sibi manducat & bibit non discernens corpus Domini. Si dignè participare nequeũt, nisi qui sanctitatem corporis Christi rite distinguere nouerint, cur venenum pro viuifico alimento tenellis nostris liberis porrigamus? Quid illud Domini præceptum, In mei cõmemorationem facietis? quid alterum, quod inde Apostolus deducit, Quoties panem hunc manducabitis, mortẽ Domini annuntiabitis donec veniat? Quam, obsecro, ab infantibus recordationẽ exigemus eius rei quam sensu nunquã assequuti sunt? quã prædicationem crucis Christi cuius vim ac beneficium nondum mente comprehendunt? Nihil istorum in Baptismo præscribitur quare inter hæc duo signa plurimum est discriminis, quod sub Veteri quoque testamento, in similibus signis animaduertimus. Circũcisio quidẽ, quam Baptismo nostro respondere notum est, infantibus destinata erat. Pascha verò, in cuius vicem nunc Cœna subiit, non quoslibet promiscuè conuiuas admittebat: sed ab iis ritè demum edebatur qui de eius significatione rogare per ætatem possent. Si mica sani cerebri istis restaret, an ad rem vsqueadeò perpiscuam & obuiam cæcutirent?

31 Tametsi nugarum congerie lectores onerare piget: quas tamen Seruetus non minimus inter Anabaptistas, imò huius cateruæ magnum decus, ad prælium se accingens, speciosas rationes adducere sibi visus est, breuiter diluere operæpretium erit. Obtendit, Christi symbola, vt sunt perfecta, exigere etiam perfectos, vel perfectionis capaces. Atqui solutio est expedita: Baptismi perfectionem, quæ ad mortem vsque extenditur: perperam restringi ad vnum temporis articulum. Addo etiam, stultè primo die in homine quęriperfectionem ad quam Baptismus tota vita per cõtinuos gradus nos inuitat. Obiicit Christi symbola ad memoriam instituta esse, vt quisque recolat se Christo fuisse consepultum. Respondeo, quod ex capite suo confinxit, refutatione non egere: imò quod ad Baptismũ trahit, sacræ Cœnæ proprium esse ostendunt Pauli verba, Vt se quisque examinet. de Baptismo, nusquam aliquid tale. Vnde colligimus, rite baptizari, cui nondum pro ætatis modulo examinis sunt capaces. Quod tertiò adducit, Manere in morte omnes qui Filio Dei
Iohã. 3. d. 36 non credunt, & iram Dei manere super eos: ideóque infantes, qui credere nequeũt, iacere in sua damnatione. Respondeo, Christum illic non de generali reatu loqui quo impliciti sunt omnes posteri Adæ: sed tantùm minari Euangelii comtemptoribus, qui oblatam sibi gratiam superbè & cõtumaciter respuũt. Hoc verò nihil ad infantes. Simul cõtrariam rationem oppono, Quencunque benedicit Christus, eum ab Adæ maledictione & ira Dei

Dei eximi. Quum ergo infantes ab eo benedictos esse notum sit, sequitur à morte exemptos esse. Falsò deinde citat quod nusquam legitur, Quisquis natus est ex Spiritu, vocem Spiritus audire. Quod etsi demus esse scriptum, nihil tamen aliud eliciet quàm fideles, prout operatur in illis Spiritus, ad obsequium formari. Atqui quod de certo numero dictum est, ad omnes æquè trahere vitiosum est. Obiicit quartò, Quia præcedit quod animale est, expectandum esse tempus maturum Baptismo qui est spiritualis. Ego autem, etsi fateor omnes posteros Adæ ex carne genitos ab ipso vtero gestare suam damnationem, id tamen obstare nego quominus statim remedium Deus afferat. Neque enim ostendet Seruetus plures annos diuinitus fuisse præscriptos quo incipiat spiritualis vitæ nouitas. Paulo quidem teste, licet natura perditi sint qui nascuntur ex fidelibus, supernaturali tamen gratia sancti sunt. Allegoriam deinde profert, quòd Dauid in arcem Sion conscendens, nec cæcos nec claudos secum duxerit, sed strenuos milites. Quid autem si parabolam oppono, in qua Deus ad cæleste epulum inuitat cæcos & claudos, hoc se nodo quomodo expediet Seruetus? Quæro etiam annon prius cum Dauide militassent claudi & mutili. Longius tamen in hac ratione insistere superuacuum est, quam ex mera falsitate conflatam, ex Sacra historia deprehendent lectores. Sequitur altera allegoria, Apostolos piscatores hominum fuisse, non paruulorum. Ego autem quæro quid sibi velit illud Christi, In rete Euangelii colligi omne piscium genus. Sed quia allegoriis ludere non placet, respondeo, quum Apostolis iniunctum fuit docendi munus, non fuisse tamen prohibitos ab infantibus baptizandis. Quanquam scire adhuc velim, quum ἀνθρώπους nominet Euangelista (qua voce absque exceptione comprehenditur humanum genus) cur infantes neget esse homines. Obtendit septimò, Quum spiritualibus quadrent spiritualia, infantes qui spirituales non sunt, neque ad Baptismum aptos esse. Sed primò quàm peruersè torqueat locum Pauli planè liquet. Agitur de doctrina, Quum sibi in vano acumine plus æquo placerẽt Corinthii, eorum socordiam coarguit Paulus, quòd primis doctrinæ cælestis rudimentis adhuc imbuendi essent. Quis inde colliget, negandum esse infantibus Baptismum, quos ex carne progenitos Deus sibi gratuita adoptione consecrat? Quòd excipit, Pascẽdos esse spirituali cibo, si noui sunt homines, solutio facilis est, Baptismo eos admitti in Christi gregem, & sufficere illis adoptionis symbolum, donec adulti pares sint ferendo solido cibo. Expectandum ergo esse tempus examinis quod Deus in sacra Cœna diserte flagitat. Obiicit postea, Christum vocare omnes suos ad sacram Cœnam. Atqui satis constat eum nullos admittere nisi qui ad celebrandam mortis suæ memoriam iam sunt præparati. Vnde sequitur, infantes, quos amplexu suo dignatus est, distincto & proprio in gradu subsistere donec adolescant, neque tamen exteros esse. Quòd excipit, portentum esse si homo postquam natus est non comedat: respondeo aliter pasci animas quàm externo Cœnæ esu: ideóque Christum infantibus cibum nihilominus esse, licet à symbolo abstineãt. Baptismi diuersam esse rationem quo illis tantùm ianua in Ecclesiam aperitur. Rursum obiicit, bonum œconomum distribuere cibum familiæ tempore suo. Quod etsi libenter fateor, quo tamen iure definiet nobis Baptismi tempus, vt probet non dari tempestiuè infantibus? Adducit præterea illud Christi mandatum ad Apostolos, vt properent ad messem dum albescunt agri. Nẽpe hoc tantùm vult Christus, vt Apostoli, præsentem laboris fructum cernentes, alacrius se ad docendum accingant. Quis inde colliget solum messis tempus Baptismo esse maturum? Vndecima ratio est, quòd in prima Ecclesia iidem erant Christiani & discipuli: sed iam vidimus eum inscitè ratiocinari à parte ad totum. Discipuli vocantur iustæ ætatis homines qui iam fuerant edocti, & Christo nomẽ dederant: secuti Iudæos sub lege Mosis discipulos esse oportuit: nemo tamẽ inde rectè inferet extraneos fuisse infantes, quos Deus testatus est pro domesticis sibi esse. Adhæc obtendit, Christianos omnes esse fratres, quo in numero infantes nobis non sunt quandiu à Cœna eos repellimus. Ego verò ad principium illud redeo, non esse hæredes regni cælorum nisi qui Christi sunt membra: deinde Christi amplexum veram fuisse tesseram adoptionis, qua infantes adultis communiter iunguntur, nec abstinentiam temporalem à Cœna obstare quominus pertineant ad Ecclesiæ corpus. Nec verò latro in cruce conuersus desiit esse frater piorum: quanuis ad Cœnam nunquam accesserit. Addit postea, nemi-nem fieri fratrem nostrum nisi per Spiritum adoptionis: qui tantùm ex auditu fidei confertur. Respondeo: semper in eundem relabi paralogismum: quia præposterè ad infantes trahit quod de solis adultis dictum est. docet illic Paulus hunc esse Deo ordinarium vo-

1. Cor. 15. f. 46

1. Cor. 7. c. 14

2. Sam. 5. b. 8

Luc. 14. c. 21

Mat. 4. c. 19

Mat. 13. f. 47

1. Cor. 2. d. 13

Matt. 24. d. 46

Iohã. 4. e. 35

Act. 11. d. 26

cationis modum, vt electos suos ad fidem adducat dum illis suscitat fidos doctores, quorum ministerio & opera manum porrigit. Quis inde legem imponere ei audeat quominus arcana alia ratione infantes Christo inserat? Quòd obiicit, Cornelium accepto Spiritu sancto baptizatum fuisse, quàm perperam ex vno exemplo generalem regulam eliciat, patet ex Eunucho & Samaritanis, in quibus diuersum ordinem Deus tenuit, vt Baptismus dona Spiritus præcederet. Decimaquinta ratio plusquam insulsa est. dicit nos regeneratione deos fieri: esse autem deos ad quos sermo Dei factus est: quod non competit in pueros infantes. Quòd deitatem affingit fidelibus, vnum est ex eius deliriis, quod excutere non est præsentis loci: sed locum Psalmi torquere in tam alienũ sensum, perditæ impudẽtiæ est. Dicit Christus Reges & Magistratus vocari à Propheta Deos, quia munus sustineant diuinitus sibi iniunctum. Hic verò dexter interpres, quod de speciali gubernãdi mandato ad certos homines dirigitur, ad Euangelii doctrinam trahit, vt infantes ab Ecclesia exterminet. Obiicit rursum, Infantes non posse nouos homines censeri: quia non gignuntur per sermonem. Ego verò, quod sæpius iam dixi nũc quoque repeto, ad nos regenerandos doctrinam semen esse incorruptibile, si quidem ad eam percipiendã sumus idonei: vbi verò nondum per ætatem nobis inest docilitas, Deum tenere suos regenerãdi gradus. Postea ad allegorias suas redit, quòd ouis & capra in Lege non statim ac egressę erant ex vtero fuerint oblatæ in sacrificium. Si figuras huc trahere libet, mihi prõptum est regerere, primogenita omnia simulac vuluam aperuerant, fuisse Deo sacra: deinde oportuisse agnum anniculum mactari. Vnde sequetur, virile robur minimè esse expectãdum, quin potius & fœtus recentes & adhuc teneros à Deo in sacrificia deligi. Contendit præterea, non posse venire ad Christum nisi qui à Iohãne fuerint præparati. Quasi verò non fuerit tẽporale Iohãnis officium. Sed vt hoc omittã, illa certè præparatio non fuit in pueris quos amplexus est Christus, ac benedixit. Quare valeat cum falso suo principio. Patronos tandem accersit Trismegistum & Sibyllas, quòd sacræ ablutiones non conueniãt nisi adultis. En quàm honorificè sentiat de Christi Baptismo, quẽ exigit ad profanos Gẽtium ritus, ne aliter administretur quàm Trismegisto placuerit. Nobis verò pluris Dei authoritas, cui visum est infantes sibi consecrare, ac initiare sacro symbolo cuius nondum per ętatem vim tenebant. Nec fas esse ducimus à Gentium expiationibus mutuari quod æternam & inuiolabilem Dei legem, quam de circũcisione sanxit, in Baptismo nostro mutet. Vltimo loco ratiocinatur, Si infantes, liceat sine intellectu baptizare, Baptismum à pueris ludentibus mimicè & per iocum posse administrari. Atqui de hac re cũ Deo litiget, ex cuius præcepto Circuncisio cõmunis fuit infantibus antequam intelligentiã adepti essent. Fuítne igitur res ludicra, vel obnoxia puerorum ineptiis, vt potuerint sanctam Dei institutionem euertere? Sed nihil mirum est, reprobos istos spiritus, quasi phrenitide agitarẽtur, crassissimas quasque absurditates in errorũ suorum defensionem ingerere: quia Deus eorum fastum & pertinaciam tali vertigine iustè vlciscitur. Certè quàm debilibus suppetiis fraterculos suos Anabaptistas Seruetus adiuuerit, planum me feciisse confido.

Act.10.g.44
Ibid.8.c.27
Iohã.10.f.39
Exo.13.a.2
Exo.12.a.5
Psal.48.a.11

32 Iam nemini sobrio ambiguum fore arbitror quàm temere Ecclesiam Christi conturbent qui rixas ac contentiones mouent ob pædobaptismum. Sedenim operæpretium est obseruare quid tanta ista vafritia Satan moliatur: nempe vt singularem fiduciæ & spiritualis gaudii fructum, qui hinc colligendus est, nobis eripiat, ac de bonitatis etiam diuinæ gloria tantũdem delibet. Quàm enim suauis piis animis, non verbo tantùm, sed oculari etiam spectaculo certiores fieri, tantum se gratiæ apud Patrem cælestem obtinere vt posteritas sua illi curæ sit? Hîc enim videre est vt prouidẽtissimi erga nos patrisfamiliãs personam suscipit qui ne post mortem quidem nostram, solicitudinem nostrî deponit quin liberis nostris consulat ac prospiciat. Annon hîc exẽplo Dauidis toto corde ad gratiarum actionẽ debemus exultare, vt tali bonitatis specimine eius nomen sanctificetur? Hoc, hoc certè agit Satan pædobaptismum tantis copiis impetendo: quo scilicet testificatione ista gratiæ Dei è medio sublata, quæ per ipsam oculis nostris obseruatur promissio, sensim tãdem euanescat. Vnde non impia tantùm aduersus Dei misericordiam ingratitudo nasceretur, sed in liberis ad pietatem erudiendis ignauia quædam. Neque enim parum incitamur hoc aculeo ad eos in serio Dei timore Legísque obseruatione educandos, dum reputamus, statim à partu, filiorum loco esse ab ipso habitos & agnitos. Quamobrem, nisi malignè Dei beneficentiam obscurare libet, infantes illi nostros offeramus, quibus locum inter suos familiares ac domesticos, id est Ecclesiæ membra, attribuit.

De

De sacra Christi Cœna: & quid nobis conferat. CAP. XVII.

POSTQVAM nos semel in familiam suam recepit Deus, nec tantùm vt seruorum loco nos habeat, sed filiorum: vt partes impleat optimi patris & de sua progenie soliciti, continuo etiam vitæ cursu nos alendos suscipit. Nec eo contentus, dato pignore nos huius continuæ liberalitatis certiores reddere voluit. In hunc ergo finem alterum Ecclesiæ suæ sacramentum dedit per manum vnigeniti Filii, spirituale epulum scilicet, vbi se Christus viuificum esse panem testatur, quo animæ nostræ ad veram & beatam immortalitatem pascuntur. Quoniam verò apprime necessaria est tanti mysterii cognitio, & pro sua magnitudine accuratam explicationem postulat: & Satan, vt hoc inæstimabili thesauro Ecclesiam priuaret, pridem nebulas, deinde tenebras obscurandæ eius luci induxit, tum contentiones & pugnas mouit quæ ab huius sacri alimenti gustu alienarent simplicium mentes, & nostra etiam ætate idem artificium tentauit: vbi summam pro rudium captu complexus fuero, nodos illos quibus mundum illaqueare Satan molitus est, expediam. Primò signa sunt panis & vinum, quæ inuisibile alimentum, quod percipimus ex carne & sanguine Christi, nobis repræsentant. Sicut enim in Baptismo nos regenerans Deus, in Ecclesiæ suæ societatem inserit, & adoptione suos facit: ita diximus officium prouidi patrisfamiliâs in eo præstare, quòd cibum assiduè ministrat, quo nos in ea vita sustineat ac conseruet in quam nos verbo suo genuit. Porrò vnicus animæ nostræ cibus Christus est, ideóque ad eum nos inuitat cælestis Pater, vt eius communicatione refecti, vigorem subinde colligamus, donec ad cælestem immortalitatem peruentum fuerit. Quoniam verò mysterium hoc arcanæ Christi cum piis vnionis natura incomprehensibile est, figuram eius & imaginem in signis visibilibus exhibet ad modulum nostrum aptissimis: imò velut datis arrhis ac tesseris tam certum nobis facit quàm si oculis cerneretur: quia in crassissimas quasque mentes hæc tam familiaris similitudo penetrat, non secus animas Christo pasci quàm panis & vinũ corporalem vitam sustẽtant. Iam ergo habemus in quem finẽ spectet mystica hæc benedictio. nẽpe quo nobis confirmet, corpus Domini sic pro nobis semel esse immolatũ vt nũc eo vescamur, ac vescendo, vnici illius sacrificii efficaciã in nobis sentiamus: sanguinẽ eius sic pro nobis semel fusum, vt sit nobis perpetuus potus. Atque ita sonant verba promissionis illic additæ, Accipite: hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Corpus ergo quod oblatum semel est in salutem nostram, iubemur accipere & comedere: vt dum huius fieri nos videmus participes, viuificæ illius mortis virtutem certò statuamus in nobis efficacem fore. Vnde & calicem fœdus vocat in suo sanguine. Fœdus enim quod sanguine suo semel sanciuit, quodammodo renouat, vel potius continuat, quantum ad fidei nostræ confirmationem attinet, quoties sacrum illum sanguinem libandum nobis porrigit.

Iohan. 6. f. 51

Mat. 26. c. 26
mar. 14. b. 17
luc. 22. b. 19
1. cor. 11. c. 24

2 Magnum verò fiduciæ ac suauitatis fructum ex hoc sacramento colligere possunt piæ animæ, quòd testimoniũ habent in vnum corpus nos cum Christo coaluisse, vt quicquid ipsius est, nostrum vocare liceat. Hinc sequitur vt nobis securè spondere audeamus, vitam æternam nostram esse, cuius ipse est hæres: nec regnum cælorum quò iam ingressus est, posse magis nobis excidere quàm ipsi: rursum peccatis nostris non posse nos damnari, à quorum reatu nos absoluit quum ea sibi imputari voluerit acsi sua essent. Hæc est mirifica commutatio, qua pro immensa sua benignitate nobiscum vsus est: quòd filius hominis nobiscum factus, nos secum Dei filios fecerit: quòd suo in terras descensu, ascensum nobis in cælum strauerit: quòd accepta nostra mortalitate, suam nobis immortalitatem contulerit: quòd suscepta nostra imbecillitate, sua nobis virtute confirmauerit: quòd nostra in se recepta paupertate, suam ad nos opulẽtiam transtulerit: quòd recepta ad se, quæ premebamur iniustitiæ nostræ mole, sua nos iustitia induerit.

3 Horum omnium adeò solidam habemus testificationem in hoc sacramẽto, vt certò statuendum sit, verè nobis exhiberi non secus acsi Christus ipse præsens aspectui nostro obiiceretur, ac manibus attrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri nec illudere nobis potest, Accipite, edite, bibite: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hic est sanguis, qui in remissionem peccatorum effunditur. Quòd accipere iubet, significat nostrum esse: quòd edere iubet, significat vnam nobiscum substantiam fieri: quòd de corpore prædicat pro nobis esse traditum, de sanguine pro nobis effusum, in eo docet vtrunque non tam suum esse quàm nostrum: quia vtrunque non suo commodo,

ſed in ſalutem noſtram & ſumpſit & poſuit. Ac diligenter quidem obſeruandum eſt, potiſſimam & penè totam ſacramenti energiam in his verbis ſitam eſſe, Quod pro vobis traditur, Qui pro vobis effunditur. alioqui non magnopere nobis cõduceret, corpus & ſanguinem Domini nunc diſtribui, niſi in redemptionem ac ſalutem noſtrã expoſita ſemel fuiſſent. Itaque ſub pane & vino repræſentantur: quo diſcamus non modò noſtra eſſe, ſed nobis deſtinata in ſpiritualis vitæ alimentum. Id eſt quod antea admonuimus, à rebus corporeis quæ in ſacramento proferuntur, quadam analogia nos ad ſpirituales deduci. Sic quum panis nobis in ſymbolum corporis Chriſti datur, hæc ſtatim concipienda eſt ſimilitudo, Vt corporis noſtri vitam panis alit, ſuſtinet, tuetur: ita corpus Chriſti vegetandæ ac viuificandæ animæ vnicum eſſe cibum. Quum vinum in ſymbolum ſanguinis propoſitum intuemur: cogitandum quos corpori vſus vinum afferat, vt eoſdem ſpiritualiter afferri nobis Chriſti ſanguine reputemus: ſunt autem, fouere, reficere, confirmare, exhilarare. Nam ſi ſatis perpendimus quid nobis ſacroſancti huius corporis traditio, quid ſanguinis effuſio profuerit: non obſcurè perſpiciemus, hæc panis & vini attributa, ſecundum eiuſmodi analogiam, optimè illis erga nos conuenire dum nobis communicantur.

4 Non ergo præcipuę ſunt ſacramenti partes, corpus Chriſti ſimpliciter & ſine altiori cõſideratione nobis porrigere: ſed magis promiſſionem illam qua carnem ſuam verè cibum teſtatur, & ſanguinem ſuum potum, quibus in vitam æternam paſcimur, qua ſe panem vitæ affirmat, de quo qui mãducauerit, viuet in æternũ: illam (inquã) promiſſionem obſignare & confirmare: & quo id efficiat, ad Chriſti crucem mittere, vbi ea promiſſio verè preſtita, & numeris omnibus impleta fuit. Neque enim Chriſto rite & ſalutariter veſcimur niſi crucifixo, dum efficaciam mortis eius viuo ſenſu apprehendimus. Nam quòd ſe panem vitæ nuncupauit, non eam à ſacramento ſumpſit appellationem, vt quidem peruerſè interpretantur: ſed quia talis à Patre datus nobis fuerat, talémque ſeſe præſtitit, quũ humanę noſtrę mortalitatis particeps factus, nos diuinæ ſuæ immortalitatis conſortes fecit: quũ in ſacrificium ſe offerẽs, maledictionem in ſe noſtram ſuſtulit, vt ſua nos benedictione perfunderet: quum morte ſua mortem deglutiuit & abſorbuit: quum in ſua reſurrectione carnem hãc noſtram corruptibilem, quam induerat, in gloriam & incorruptionem ſuſcitauit.

5 Reſtat vt applicatione id totum ad nos perueniat: id fit cum per Euangelium, tum illuſtrius per ſacram Cœnam, vbi & ſe ipſe cum bonis ſuis omnibus nobis offert, & nos fide eum recipimus. Non ergo facit ſacramentum vt Chriſtus panis vitæ eſſe primùm incipiat: ſed dum in memoriam reuocat, panem vitæ eſſe factum, quo aſſiduè veſcamur, eiúſque panis guſtum & ſaporem nobis præbet, vt vim panis illius ſentiamus facit. Pollicetur enim nobis, quicquid fecit aut paſſus eſt Chriſtus, id ad nos viuificandos factũ eſſe. Deinde hanc viuificationem, æternam eſſe, qua ſine fine alamur, ſuſtineamur & conſeruemur in vita. Siquidẽ vt panis vitæ nobis nõ fuiſſet Chriſtus, niſi nobis natus & mortuus fuiſſet, niſi nobis reſurrexiſſet: ita nunc minimè eſſet niſi eius natiuitatis, mortis, reſurrectionis efficacia & fructus res æterna foret ac immortalis. Quod totum eleganter his verbis expreſſit Chriſtus, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mũdi vita. Quibus haud dubiè innuit, ſuum nobis corpus ideo pro pane futurum ad ſpiritualem animæ vitam quia in mortem pro ſalute noſtra exponendum erat: nobis autem porrigi vt veſcamur, quũ fide nos facit eius participes. Semel itaque ipſum dedit quo panis fieret, quum in mundi redemptionem crucifigendum expoſuit: quotidie dat vbi participandum, quatenus crucifixum eſt, Euangelii verbo nobis offert: vbi eam exhibitionem ſacro Cœnæ myſterio obſignat: vbi idipſum intus complet quod exterius deſignat. Porrò nobis hîc duo cauenda ſunt vitia: ne aut in extenuandis ſignis nimii, à ſuis myſteriis ea diuellere, quibus quodammodo annexa ſunt: aut in iiſdem extollẽdis immodici, myſteria interim etiam ipſa nonnihil obſcurare videamur. Chriſtum eſſe panem vitæ, quo in ſalutem æternam nutriantur fideles, nemo eſt niſi prorſus irreligioſus, qui nõ fateatur. Sed hoc non perinde inter omnes conuenit, qualis ſit eius participandi ratio. Sunt enim qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinẽ eius bibere, vno verbo definiunt nihil eſſe aliud quàm in Chriſtum ipſum credere. Sed mihi expreſſius quiddam ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, vbi carnis ſuæ manducationem nobis commendat: nempe vera ſui participatione nos viuificari: quam manducandi etiam ac bibendi

Iohan. 6. f. 51

bibendi verbis ideo designauit, ne quam ab ipso vitam percipimus, simplici cognitione percipi quispiam putaret. Quemadmodum enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit: ita verè ac penitus participem Christi animam fieri conuenit, vt ipsius virtute in vitam spiritualem vegetetur. Interim verò hanc non aliã esse quàm fidei manducationem fatemur: vt nulla alia fingi potest. Verùm hoc inter mea & istorum verba interest, quod illis mãducare est duntaxat credere: ego credẽdo mãducari Christi carnem, quia fide noster efficitur, eámque manducationem fructum effectúmque esse fidei dico. Aut si clarius velis, illis manducatio est fides: mihi ex fide potius consequi videtur. In verbis quidem paruum, sed in re non mediocre est discrimen. Nã etsi docet Apostolus, Christum in cordibus nostris habitare per fidem, nemo tamen habitationem istam, fidem interpretabitur: sed eximium fidei effectum explicati omnes sentiunt, quòd per ipsam fideles consequuntur vt Christum in se habeant manentem. In hunc modum voluit Dominus, panem vitæ se nuncupando, non tantùm docere in mortis resurrectionisque suæ fide repositam esse nobis salutem: sed vera etiam sui communicatione fieri vt vita sua in nos transeat, ac nostra fiat: non secus ac panis, dum in alimentum sumitur, vigorem corpori administrat.

Eph.3.c.17
Iohan.6.f.51

6 Nec alio sensu Augustinus, quem illi patronum sibi aduocant, credendo nos manducare scripsit, quàm vt mãducationem istam fidei esse, non oris indicaret. Quod neque ipse nego: sed simul tamen addo, nos fide complecti Christum nõ eminus apparẽtem, sed se nobis vnientem, vt ipse caput nostrum, nos verò eius membra simus. Neque tamen locutionem illam simpliciter improbo: sed tantùm nego plenam esse interpretationem si definire volunt quid sit Christi carnem edere. Alioqui video Augustinum hac loquendi forma sæpius vsum esse. vt quũ dicit libro De doctrina Christiana 3, Nisi manducaueritis carnem filii hominis: figura est, præcipiens passioni Domini esse cõmunicandum, & suauiter atque vtiliter recõdẽdum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Item quum dicit, tria illa millia hominum, qui Petri concione conuersi sunt, sanguinem Christi, quem sæuiendo fuderant, credẽdo bibisse. Verùm plurimis aliis locis illud fidei beneficium egregiè commendat, quòd per ipsam non minus reficiuntur carnis Christi communione animæ nostræ quàm corpora pane quo vescuntur. Atque idipsum est quod alicubi scribit Chrysostomus, Christum non fide tãtùm, sed re ipsa nos suum efficere corpus. Neque enim aliunde quàm à fide tale bonum consequi intelligit: sed hoc tantùm vult excludere, ne quis, dum fidem nominari audit, nudam imaginationem concipiat. Eos verò qui Cœnam volunt externæ solùm professionis notam esse, nũc prętereo: quia satis eorum errorem refutasse mihi videor quum agerem de sacramentis in genere. Hoc solùm obseruent lectores, dum calix vocatur fœdus in sanguine, promissionem expri mi quæ ad fidem cõfirmãdam valeat. Vnde sequitur, nisi in Deum respicimus, & amplectimur quod offert, nos sacra Cœna rectè non vti.

Homil.in Iohan.31, & 40 & alibi.
Act.2.g.41
Homil.60
Luc.21.b.16

7 Neque enim præterea mihi satisfaciunt qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos Spiritus modò participes faciunt, præterita carnis & sanguinis mentione. Quasi verò illa omnia de nihilo dicta forent, carnem eius verè esse cibum, sanguinem eius verè esse potum: non habere vitam nisi qui carnem illam manducauerit, & sanguinem biberit: & quæ eodem pertinent. Quare si vltra eorum descriptionem (vt nimis restricta est) solidam Christi communionem progredi cõstat: quousque pateat & sese proferat, paucis perstringere aggrediar antequã de contrario vitio excessus verba faciam. Erit enim mihi longior cum hyperbolicis doctoribus disputatio, qui dum pro sua crassitie absurdum edendi & bibendi modum fabricant, Christum quoque carne sua exutum in phantasma transfigurant. si tamen vllis verbis complecti tantum mysterium liceat: quod ne animo quidem satis me comprehendere video, & libẽter ideo fateor, nequis eius sublimitatem infantiæ meæ modulo metiatur. Quin potius lectores hortor, ne intra istos nimium angustos fines, mentis sensum contineant: sed multo altius assurgere contẽdant, quàm meo ductu possint. nam ego ipse quoties hac de re sermo est, vbi omnia dicere conatus sum, parum adhuc mihi pro eius dignitate dixisse videor. Quanquam autem cogitando animus plus valet, quàm lingua explicat nisi vt in eius mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest. Sententiæ tamen meæ summam exponam vtcun-

que:quam vt nihil dubito veram esse,ita piis pectoribus non improbatum iri confido.

8 Primùm omniũ è Scripturis docemur, Christũ ab initio viuificum illud Patris verbum fuisse,vitæ fontem & originem vnde omnia vt viuerent semper acceperunt.Quare Iohannes nunc sermonem vitæ nuncupat,nunc in ipso vitam fuisse scribit,significans illum etiam tum creaturas omnes influentem,vim spirandi ac viuendi eis instilasse. Idem tamen postea subiicit,manifestatam tunc demum fuisse vitam quũ assumpta nostra carne, Filius Dei se visendum oculis, manibúsque palpandum præbuit. Nam etsi virtutem prius quoque suam in creaturas diffundebat:quia tamen homo,per peccatum à Deo alienatus,communicatione vitæ perdita, mortem vndique cernebat sibi imminentem : vt spem immortalitatis reciperet,in eius verbi communionem recipi oportebat. Quantulã enim fiduciam inde concipias si Dei quidem verbum, à quo remotissimus sis,vitæ plenitudinem in se continere audias, in te autem ipso ac circunquaque nihil præter mortem occurrat & ante oculos versetur? At verò vbi fons ille vitæ habitare in carne nostra cœpit iam non procul nobis absconditus latet, sed coram se participandum exhibet. Quin & ipsam,in qua residet,carnem viuificam nobis reddit,vt eius participatione ad immortalitatem pascamur.Ego sum(inquit)panis vitæ qui de cælo descẽdi.Et panis quem ego dabo,caro mea est,quam ego dabo pro mundi vita. Quibus verbis docet,non modò se vitã esse,quatenus sermo est Dei æternus qui è cælo ad nos descendit, sed descendendo vim istam in carnem quam induit,diffudisse:vt inde ad nos vitę communicatio promanaret. Hinc & illa iam consequuntur,Quòd caro eius verè est cibus:sanguis eius verè est potus: quibus alimentis in vitam æternam fideles educantur.In hoc ergo sita est piis eximia cõsolatio,quòd vitam in propria carne nunc reperiunt. Sic enim non modò facili ad eam aditu penetrant,sed vltro sibi expositam & obuiam habent.Cordis sinum tantùm protẽdant quo præsentem amplexentur,& eam obtinebunt.

Iohan.1.a.1.

Io.6.e.48.& 5.58.

9 Etsi autem tantam à seipsa virtutem non habet Christi caro vt nos viuificet,quæ& prima sua conditione mortalitati obnoxia fuit,& nunc immortalitate prædita per se nõ viuit:iure tamen viuifica dicitur quæ vitæ plenitudine perfusa est,quam ad nos transmitteret. In quem sensum illud Christi dictum cum Cyrillo interpretor, Sicut Pater vitam habet in semetipso,ita & Filio dedit vitam habere in semetipso.Illic enim propriè de suis dotibus differit,non quas ab initio apud Patrem possidebat, sed quibus ornatus fuit in ea ipsa carne in qua apparuit proinde in sua quoque humanitate, vitæ plenitudinem habitare ostendit:vt quisquis carni suæ ac sanguini communicarit, vitæ participatione simul fruatur.Id quale sit,familiari exemplo explicare licet. Quemadmodũ enim è fonte aqua nunc bibitur,nunc hauritur,nunc per canales irrigandis agris deducitur: qui tamen non à seipso exuberat in tot vsus, sed ab ipsa scaturigine, quæ perenni fluxu nouam subinde largitatem illi sufficit ac subministrat:ita Christi caro instar fontis est diuitis & inexhausti,quæ vitam à diuinitate in seipsam scaturientem ad nos transfundit. Iam quis non videt,communionem carnis & sanguinis Christi necessariam esse omnibus qui ad cælestẽ vitam aspirent? Hunc spectant illæ Apostoli sententiæ, Ecclesiam corpus esse Christi & eius complementum,ipsum verò esse caput,ex quo totum corpus coagmentatum & cõpactum per commissuras,incrementum corporis facit: Corpora nostra mẽbra esse Christi. Quæ omnia non posse aliter effici intelligimus quin totus spiritu & corpore nobis adhæreat.Sed arctissimam illam societatem qua eius carni copulamur, splendidiore adhuc elogio illustrauit quum dixit, nos esse membra corporis eius, ex ossibus eius,& ex carne eius. Tandem vt rem omnibus verbis maiorem testetur, sermonem exclamatione finit, Magnum(inquit)istud arcanum.Extremæ ergo dementiæ fuerit,nullam agnoscere cum carne & sanguine Domini fidelium communionem: quam tantam esse declarat Apostolus,vt eam admirari quàm explicare malit.

Io.5.e.29.

Ephe.1.e.23. & 4.e.15. 1.Co.6.d.15.

10 Summa sit,non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent.Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent. quod fieri non potest nisi nobiscum Christus verè in vnum coalescat, nósque reficiat carnis suæ esu & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem vt nobis sit in cibum,meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit,concipiat fides, Spiritum verè vnire

vnire quæ locis diſiuncta ſunt. Iam ſacram illam carnis & ſanguinis ſui communicationem, qua vitam ſuam in nos trãsfundit Chriſtus, non ſecus acſi in oſſa & medullas penetraret, in Cœna etiam teſtatur, & obſignat: & quidem non obiecto inani aut vacuo ſigno, ſed efficaciam Spiritus ſui illic proferens, qua impleat quod promittit. Et ſanè rem illic ſignatam offert & exhibet omnibus qui ad ſpirituale illud epulum accumbunt. quãquam à fidelibus ſolis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem vera fide animique gratitudine ſuſcipiũt. Qua ratione dixit Apoſtolus, Panem quem fragimus, communionem 1.Co.10.d.16
eſſe corporis Chriſti: calicem quem verbo & precibus in hoc conſecramus, cõmunionem eſſe ſanguinis ipſius. Nec eſt quod obiiciat quiſpiam, figuratam eſſe locutionẽ, qua ſignatæ rei nomen ſigno deferatur. Fateor ſanè fractionem panis ſymbolum eſſe, non rẽ ipſam. Verùm hoc poſito, à ſymboli tamen exhibitione rem ipſam exhiberi, ritè colligemus. Niſi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque ſi per fractionem panis Dominus corporis ſui participationem verè repræſentat, minimè dubiũ eſſe debet quin verè præſtet atque exhibeat. Atque omnino iſthæc piis tenenda regula eſt, vt quoties ſymbola vident à Domino inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certò cogitent, ac ſibi perſuadeant. Quorſum enim corporis ſui ſymbolum tibi Dominus in manum porrigat, niſi vt de vera eius participatione te certiorem faciat? Quòd ſi verum eſt præberi nobis ſignum viſibile, ad obſignandam inuiſibilis rei donationem: accepto corporis ſymbolo, non minus corpus etiam ipſum nobis dari certò confidamus.

11 Dico igitur, (quod & ſemper in Eccleſia receptum fuit, & hodie docent quicunque rectè ſentiunt) duabus rebus conſtare ſacrum Cœnę myſterium: corporeis ſignis, quę ob oculos propoſita, res inuiſibiles ſecundum imbecillitatis noſtræ captum nobis repræſentant: & ſpirituali veritate, quæ per ſymbola ipſa figuratur ſimul & exhibetur. Ea qualis ſit, dum familiariter demonſtrare volo, tria ſoleo ponere: ſignificationem, materiam quæ ex ea dependet, virtutem ſeu effectum qui ex vtraque cõſequitur. Significatio in promiſſionibus eſt ſita, quæ quodammodo ſunt ſigno implicitæ. Materiam aut ſubſtãtiam voco Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione. Per effectum autem, redemptionẽ, iuſtitiam, ſanctificationem, vitámque æternam, & quæcunque alia nobis beneficia affert Chriſtus, intelligo. Porrò tametſi fidem hęc omnia reſpiciunt: nullum tamen locum relinquo huic cauillo: quaſi dum fide percipi Chriſtum dico, intelligentia duntaxat ac imaginatione velim concipi. Offerunt enim illum promiſſiones, nõ vt in aſpectu modò nudáque notitia hæreamus: ſed vt vera eius cõmunicatione fruamur. Et ſanè nõ video quomodo in cruce Chriſti redemptionem ac iuſtitiam, in eius morte vitam habere ſe quis confidat, niſi vera Chriſti ipſius communione in primis fretus. Non enim ad nos bona illa peruenirent, niſi ſe prius noſtrũ Chriſtus faceret. Dico igitur, in Cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini, Chriſtum verè nobis exhiberi, adeóque corpus & ſanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparãda nobis iuſtitia adimpleuit: quo ſcilicet primùm in vnum corpus cum ipſo coaleſcamus: deinde participes ſubſtantię eius facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque ſentiamus.

12 Iam ad hyperbolicas mixturas quas ſuperſtitio inuexit, deſcẽdo. mira enim aſtutia hîc luſit Satan, vt mẽtes hominum è cælo abſtractas, peruerſo errore imbueret, acſi panis elemento affixus eſſet Chriſtus. Ac primò quidem præſentia Chriſti in ſacramento minimè talis ſomnianda nobis eſt qualem Romanæ curiæ artifices confinxerunt: acſi locali præſentia, corpus Chriſti manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum ſiſteretur. Hanc enim palinodiæ formulam dictauit Berengario Nicolaus papa, quæ pœnitentiæ teſtis foret: verbis ſcilicet eouſque prodigioſis, vt gloſſæ author exclamet, periculum eſſe, niſi prudenter ſibi caueant lectores, ne hæreſin inde hauriant peiorem quàm fuerit Berengarii, Diſt.2.c.Ego Berengarius. Petrus verò Lombardus etſi in excuſanda abſurditate multum laborat, magis tamen inclinat in diuerſam ſententiam. Siquidem vt finitum eſſe, pro perpetua corporis humani ratione, minimè ambigimus, cælóque contineri, quò ſemel receptum eſt, donec ad iudicium redeat: ita ſub hæc corruptibilia elementa retrahere ipſum, aut vbique præſens imaginari, prorſus ducimus nefas eſſe. Neque id ſanè opus eſt, quo ipſius participatione fruamur: quando hoc beneficii per Spiritum ſuum nobis Dominus largitur, vt vnum corpore, Spiritu & anima, ſecum fiamus. Vinculum ergo iſtius coniũctionis eſt Spiritus Chriſti, cuius nexu copula- Chryſo. Sermone quodam de Spiritu ſancto.

mur:& quidam veluti canalis, per quem quicquid Christus ipse & est & habet, ad nos deriuatur.Nam si solem conspicimus radiis in terram emicantem,ad generandos,fouendos,vegetandos eius fœtus suam quodammodo substantiam ad eam traiicere: cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio,ad communionem carnis & sanguinis eius in nos traducendam? Quapropter Scriptura, vbi de nostra cum Christo participatione loquitur, vim eius vniuersam ad spiritum refert.Pro multis tamẽ vnus locus sufficiet. Paulus enim ad Rom.cap.octauo,Christum non aliter in nobis quàm per Spiritum suum habitare diserit: quo tamen illam de qua nunc sermo est carnis & sanguinis communionem non tollit,sed ab vno Spiritu effici docet vt totum Christum possideamus & habeamus in nobis manentem.

13 Verecundius Scholastici,quos tam barbaræ impietatis horror tenuit: nihil tamen ipsi quoque quàm subtilioribus præstigiis ludunt.Non circunscriptiuè,nec corporali modo contineri illic Christum concedunt.sed rationem deinde cõminiscuntur, quam nec ipsi intelligunt,nec aliis possunt explicare.quæ tamen eò recidit, vt Christus in specie panis quam vocant quæratur. Quid enim? quum substantiam panis in Christum conuerti dicunt,annon affigunt albedini,quam illic reliquam faciunt? At sic continetur in sacramento vt in cælo maneat,inquiunt:nec aliam quàm habitudinis præsentiam statuimus. Verùm quæcunque faciendo fuco vocabula obtendant,hic omnium finis est,per consecrationem Christũ fieri qui antea panis erat: vt deinde sub illo panis colore lateat Christus. Quod etiam disertè exprimere eos non pudet. sunt enim Lombardi verba, Corpus
Li.4. Dist.12 Christi,quod in se visibile est,sub specie panis,facta consecratione,latere & operiri.Ita illius panis figura nihil aliud quàm larua est,quæ carnis conspectum auferat oculis.Neque verò multis coniecturis opus est vt deprehendamus quas istis verbis insidias tendere voluerint,quũ res ipsa clarè loquatur.Quanta enim superstitione iã seculis aliquot non tantùm hominũ vulgus, sed primores quoque ipsi detẽti fuerint,ac hodie in Papisticis Eccle siis detineantur,videre est.Nam de vera fide parum soliciti(quæ sola & in Christi perueni mus societatem,& cum ipso cohæremus,modò carnalem eius presentiam habeãt, quam vltra verbum fabricarunt,satis illum prẽsentem habere se putant.Proinde hoc in summa profectumvidemus ista ingeniosa subtilitate,vt panis pro Deo haberetur.

14 Hinc prodiit fictitia illa transsubstantiatio,pro qua hodie acrius depugnãt quàm pro omnibus aliis fidei suæ capitibus.Neque enim se expedire primi localis præsentiæ architecti poterant quomodo Christi corpus panis substantiæ permixtus foret, quin protinus occurrerent multa absurda.Ergo ad hoc figmentum confugere necesse fuit,fieri conuersionem panis in corpus:nõ quòd proprie ex pane corpus fiat,sed quia Christus,vt sub figura se occultet,substantiam in nihilum redigit.Mirum autem est eò insciti æ imò stupo ris fuisse prolapsos,vt non solùm repugnante Scriptura, sed etiam veteris Ecclesiæ cõsensu,monstrum illud in medium proferrent. Fateor quidem nonnullos veterum conuersionis voce interdum fuisse vsos:non quòd abolere vellent in externis signis substantiam sed vt docerent panem mysterio dicatum longè à vulgari distare,ac iam alium esse. Vbique autem clarè prædicant omnes sacram Cœnam duabus partibus constare, terrena & cælesti:ac terrenam sine controuersia interpretantur panem & vinum. Certè quicquid garriant,vetustatis patrocinio, quod euidenti Dei verbo sæpe opponere audent, in confirmando isto dogmate destitui palàm est.nec enim ita pridem excogitatum fuit,ignoratum quidem non melioribus illis sæculis modò, quibus purior adhuc vigebat religionis doctrina:sed quum iam admodum inquinata esset illa puritas. Nemo est veterum qui sacra Cœnæ symbola non fateatur disertis verbis panem & vinum esse: etsi, vt dictum est, variis epithetis illa interdum insigniunt,ad commendandam mysterii dignitatem.Nam quod dicunt,in consecratione fieri arcanam conuersionem, vt iam aliud sit quàm panis & vinum,nuper admonui eo non significare in nihilum ipsa redigi, sed iam alio loco habenda esse quàm communes cibos, qui duntaxat ad pascendum ventrem sunt destinati: quum in iis nobis exhibeatur spiritualis animæ cibus ac potus.Id neque nos negamus.Si conuersio est,inquiunt isti,necesse est aliud ex alio fieri.Si intelligunt, fieri aliquid quod prius non erat,assentior.Si ad suam illam imaginationem trahere volunt, respõdeant mihi quam mutationem fieri sentiant in Baptismo.Nam Patres hîc quoque mirificam conuersionem statuunt, quum dicunt ex corruptibili elemento fieri spirituale animæ lauacrum,aquam tamen manere nemo negat. At nihil, inquiunt, tale in Baptismo habetur quale

tur quale illud est in Cœna, Hoc est corpus meum. Quasi de verbis illis agatur, quæ satis expeditum sensum habent: ac non potius de illa voce conuersionis, quæ nihil amplius in Cœna significare debet quàm in Baptismo. Valeant igitur cum istis syllabarum aucupiis quibus nihil aliud quàm suam ieiunitatem produnt. Nec verò significatio aliter quadraret, nisi veritas quæ illic figuratur, viuam effigiem haberet in externo signo. Voluit Christus externo symbolo testari, carnem suam esse cibum. si inane duntaxat panis spectrum non panem verum proponeret, vbi analogia, vel similitudo, quæ deducere nos à re visibili ad inuisibilem debet? Nam vt omnia inter se cõueniant, non longius se extendet significatio quàm nos specie carnis Christi pasci. Quemadmodum si in Baptismo figura aquæ oculos falleret, nobis certum non esset ablutionis nostræ pignus: imò fallaci illo spectaculo vacillandi nobis occasio daretur. Euertitur ergo sacramenti natura nisi in modo significandi terrenum signum rei cælesti respondeat. Ac proinde perit nobis mysterii huius veritas nisi verus panis verum Cristi corpus repræsentet. Iterum repeto, Quũ Cœna nihil aliud sit quàm conspicua eius promissionis testificatio quæ Ioannis sexto habetur, nempe Christum esse panem vitæ qui è cælo descendit: panem visibilem intercedere oportet quo spiritualis ille figuretur: nisi nobis perire volumus omnem fructum quem in hac parte sustinendæ nostræ imbecillitati Deus indulget. Iam qua ratione colligeret Paulus, nos omnes panem vnum ac corpus vnum esse qui panem vnum simul participamus, si spectrum panis duntaxat, ac non potius naturalis veritas maneret? 1.Co.10.d.17

53 Nec verò Satanæ præstigiis tam fœdè vnquam delusi fuissent, nisi quia iam fascinati erant illo errore, corpus Christi sub pane inclusum ore corporeo in ventrem transmitti. Tam brutæ imaginationis causa fuit, quòd consecratio tantundẽ apud eos valebat ac magica incantatio. Principium autem illud eos latebat, panem nonnisi hominibus ad quos dirigitur sermo, esse sacramentum: sicuti aqua Baptismi in se non mutatur, sed nobis esse incipit quod prius non erat simulátque annexa est promissio. Exemplo similis sacramenti hoc melius liquebit. A qua è rupe profluens in deserto eiusdem rei tessera & signum erat Patribus, quam nobis figurat vinum in Cœna. Docet enim Paulus, eundem potum spiritualem eos bibisse. Atqui iumentis populi & pecori communis erat aquatio. Vnde facilè colligitur, in elementis terrenis, dum ad spiritualem vsum adhibentur, non aliam fieri conuersionem quàm hominum respectu, quatenus illis promissionum sunt signilla. Adhæc quum Dei consilium sit, vt iam sæpius inculco, nos commodis vehiculis sursum ad se tollere, illud impiè sua peruicacia frustrantur qui ad Cristum quidem nos vocant, sed sub pane inuisibiliter latentem. Neque enim fieri potest vt mens hominum, à locorum immensitate se expediens, ad Christum vsque supra cælos penetret. Quod illis negabat natura, magis noxio pharmaco corrigere tentarunt: vt manendo in terris, nulla cælesti Christi propinquitate egeamus. En necessitas quæ ipsos adegit ad transfigurandum Christi corpus. Bernardi quidem ætate, etsi durior inualuerat loquendi ratio, transsubstãtiatio tamen nondum agnita erat. Ac omnibus retro seculis similitudo illa in ore omniũ volitabat, pani & vino rem spiritualem coniunctam esse in hoc mysterio. De vocibus acu tè, vt sibi videntur, respondent, sed nihil afferendo causæ præsenti consentaneum. Virga (inquiunt) Mosis in serpentem conuersa, quanuis ascisçat nomen serpentis, pristinum tamen retinet, virgáque dicitur. Ita secundum eos æquè probabile est, quanuis in nouam substantiam transeat panis, καταχρησικῶς, sed tamen non ineptè vocari quod apparet oculis. Sed quid simile aut vicinum reperiunt inter illustre miraculum & fictitiam eorum illusionem cuius nullus in terra oculus testis est? Præstigiis luserant magi, vt AEgyptiis persuasum esset, diuina virtute ad mutandas creaturas supra naturæ ordinem pollere. Prodit Moses, ac profligatis eorum fallaciis, insuperabilem Dei potentiam à sua parte stare ostendit: quia vna eius virga omnes reliquas absumit. Sed quia ocularis fuit illa conuersio, nihil ad præsentem causam, vt diximus: & exiguo pòst tempore visibiliter rediit virga ad suam formam. Adde quòd nescitur substantiæne fuerit illa extemporalis conuersio. Spectanda etiam est allusio ad virgas magorũ: quas ideo colubros dicere noluit Propheta, ne videretur innuere conuersionem quæ nulla erat: quia præstigiatores illi nihil aliud quàm tenebras spectantium oculis offuderant. Quid autem cum eo simile habent istæ locutiones, Panis quem frangimus, Quoties ederitis panem hunc, Cõmunicabãt in fractione panis, & alia eiusmodi? Incãtatione quidẽ magorũ oculos tantũ fuisse deceptos Exo.4.a.3.& 7.b.10. Ibidem 12. 1.Cor.10.b. 16,& 11.f.25 Act.2.g.42

Exo.17.b 6. 1.Co.10.a.4.

certum est. Quòd ad Mosen, magis ambigua res est, per cuius manum Deo nihilo magis difficile fuit ex virga facere serpentem, & rursus virgam ex serpẽte quàm induere Angelos carneis corporibus, & paulo pòst exuere. Si eadẽ vel affinis esset huius mysterii ratio, esset aliquis color eorum solutioni. Hoc igitur fixum maneat, non verè nec aptè promitti nobis in Cœna carnem Christi verè esse in cibum, nisi vera externi symboli substantia respondeat. Atque (vt error vnus ex alio nascitur) locus Ieremiæ tam insulsè detortus est ad probandam transsubstãtiationem vt referre pigeat. Conqueritur Propheta lignum positũ in pane suo: significãs hostium sæuitia panem suum infectũ esse amaritudine. Quemadmodũ Dauid simili figura cibũ suum fuisse felle corruptũ, & potum aceto deplorat. Isti allegoricè corpus Christi ligno crucis fuisse affixum volunt. At ita senserunt nonnulli veterum. Quasi verò non magis ignoscendum sit eorum inscitiæ, & sepeliendum dedecus, quàm addenda impudentia, vt cogantur cum genuino Prophetæ sensu hostiliter adhuc confligere.

Ier.11.d.19

Psal.69.c.22

16 Alii qui vident non posse analogiam signi & rei signatæ conuelli quin mysterii veritas concidat, fatentur panem Cœnæ verè substantiã esse terreni & corruptibilis elemẽti, nec quicquam in se pati mutationis, sed sub se habere inclusum Christi corpus. Si ita sensum suum explicarent, dum panis in mysterio porrigitur, annexam esse exhibitionẽ corporis, quia inseparabilis est à signo suo veritas: nõ valde pugnarem. Sed quia in pane corpus ipsum locantes, vbiquitatem illi affingunt naturæ suæ contrariam, addendo autem Sub pane, illi occultũ latere volũt: tales astutias è suis latebris paulisper extrahere necesse est. Neque enim adhuc ex professo totã hanc causam absoluere in animo est: sed tantùm vt disputationis, quæ mox suo loco sequetur, fundamẽta iaciam. Volunt ergo Christi corpus inuisibile esse & immensum, vt sub pane lateat: quia se cum eo communicare aliter non putant quàm si in panem descendat: modum verò descensus, quo nos ad se sursum euehit, non comprehendunt. Obtendunt quoscũque possunt colores: sed vbi omnia dixerunt, satis apparet locali Christi pręsentiæ insistere. Vnde id? nẽpe quia non aliã carnis & sanguinis participationem concipere sustinent nisi quæ vel loci coniunctione atque contactu, vel crassa aliqua inclusione constet.

17 Ac quo errorem semel temere susceptum obstinatè tueantur, non dubitãt aliqui ex ipsis iactare, non alias vnquam dimensiones habuisse Christi carnem nisi quàm longè latéque cælum & terra patent. Quòd autem puer ex vtero natus sit, quòd creuerit, quòd in cruce expansus, quòd sepulchro inclusus, id dispensatione quadam factum, vt nascendi, moriendi, cæterisque humanis officiis defungeretur. quòd solita corporis specie post resurrectionẽ conspectus fuerit, quòd in cælum assumptus, quòd postremò etiam post ascẽsionem Stephano & Paulo visus: eadem id dispensatione factum, vt regem in cęlo constitutum hominum aspectui pateret. Quid hoc est nisi Marcionem ex inferis excitare? Nemo enim dubitet, corpus Christi phantasma vel phantasticum fuisse, si ea cõditione fuit. Alii paulò argutius elabuntur, Corpus hoc quod in sacramento datur, gloriosum esse & immortale. itaque nihil esse absurdi si pluribus in locis, si nullo loco, si nulla forma, sub sacramento continetur. Sed quæro, Quale dabat discipulis Christus pridie quàm pateretur: an non verba sonant, mortale illud quod paulo pòst tradendum erat dedisse? Iam antè, inquiunt, suam gloriam tribus discipulis in monte conspiciendam præbuerat. Verum id quidem, sed ea claritate gustum immortalitatis ad horam præbere illis voluit. Interea non reperient illic duplex corpus, sed vnum illud, quod Christus gestabat, noua gloria ornatum. Quum verò corpus suum in prima Cœna distribueret, imminebat iam hora qua à Deo percussus & humiliatus, sine decore vt leprosus iaceret: tantum abest vt tunc gloriam resurrectionis proferre vellet. Et hîc quanta Marcioni fenestra aperitur si Christi corpus vno in loco mortale & humile videbatur, in alio immortale & gloriosum tenebatur? Quanquam si valeat eorum opinio, idẽ quotidie accidit: quia fateri coguntur corpus Christi in se visibile inuisibiliter latere sub panis symbolo. Et tamen qui eiusmodi portenta euomunt, adeò eos non pudet sui dedecoris, vt nos vltro atrocibus conuitiis impetant quia non subscribimus.

Act.1.a.3, & b.9, & 7.g.55 & 9.a.3

Mat.17.a.2

Iesa.53.a.4

18 Age, si corpus & sanguinem Domini, pani ac vino affigere libet: alterum ab altero necessariò diuelletur. Nam vt panis seorsum à calice porrigitur, ita corpus pani vnitum, à sanguine in calicem incluso, diuisum esse oportebit. Quum enim corpus in pane, sanguinem in calice esse affirment, panis autem & vinum locorum spatiis inter se distent:

se distent: nulla tergiuersatione elabi possint quin à sanguine corpus sit secernẽdũ. Quod autẽ obtendere solent, per concomitantiam (vt fingunt) in corpore esse sanguinem, & in sanguine vicissim corpus, nimis sanè friuolũ est: quum symbola, quibus includuntur, ita distincta sint. Cæterùm si oculis animísque in cælum euehimur, vt Christũ illic in regni sui gloria quæramus: quemadmodum symbola nos ad eum integrũ inuitant, ita subpanis symbolo pascemur eius corpore, sub vini symbolo distinctè eius sanguine potabimur: vt demũ toto ipso perfruamur. Nam tametsi carnem suam à nobis sustulit, & corpore in cælum ascendit, ad dexteram tamen Petris sedet: hoc est, in potentia & maiestate & gloria Patris regnat. Hoc regnum nec vllis locorum spatiis limitatum, nec vllis dimensionibus circunscriptum, quin Christus virtutem suam, vbicunque placuerit, in cælo & in terra exerat: quin se præsentem potentia & virtute exhibeat: quin suis semper adsit, vitam ipsis suam inspirans, in iis viuat, eos sustineat, confirmet, vegetet, conseruet incolumes, non secus acsi corpore adesset: quin denique suo ipsius corpore eos pascat, cuius communionẽ Spiritus sui virtute in eos transfundit. Secundum hanc rationem, corpus & sanguis Christi in sacramento nobis exhibetur.

19 Nos verò talem Christi præsentiam in Cœna statuere oportet quæ nec panis elemento ipsum affigat, nec in panem includat, nec vllo modo circunscribat (quę omnia derogare cælesti eius gloriæ palàm est) deinde quæ nec mensuram illi suam auferat, vel pluribus simul locis distrahat, vel immensam illi magnitudinem affingat, quæ per cælum & terram diffundatur. hæc enim naturæ humanæ veritati non obscurè repugnant. Istas, inquam, duas exceptiones nunquam patiamur nobis eripi. Nequid cælesti Christi gloriæ derogetur: quod fit dum sub corruptibilia huius mundi elementa reducitur, vel alligatur vllis terrenis creaturis. Nequid eius corpori affingatur humanæ naturæ minus consentaneum: quod fit dum vel infinitum esse dicitur, vel in pluribus simul locis ponitur. Cæterùm his absurditatibus sublatis, quicquid ad exprimendam veram substantialémque corporis ac sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris Cœnæ symbolis fidelibus exhibetur, facere potest, libenter recipio: atque ita vt non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, sed vt re ipsa frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur. Cur tam odiosa mundo sit hæc sententia & tam iniquis multorum iudiciis præripiatur eius defensio, nihil causæ est, nisi quòd horribili fascino Satan dementauit eorũ mentes. Certè quod docemus, Scripturis optimè per omnia conuenit: nihil continet vel absurdi, vel obscuri, vel ambigui: à vera pietate & solida ædificatione non abhorret: nihil denique in se habet quod offendat, nisi quòd seculis aliquot, quum in Ecclesia regnaret illa Sophistarum inscitia & barbaries, indignè oppressa fuit tam perspicua lux & exposita veritas. Quia tamen Satan per turbulentos spiritus hodie quoque molitur quibuscunque potest calumniis & probris fœdare, nec in vllam aliam rem maiori conatu incumbit: accuratius eam tueri & asserere operæpretium est.

20 Porrò antequam vltrà progredimur, tractanda est ipsa Christi institutio: præsertim quia aduersariis hæc maximè plausibilis est obiectio, nos discedere à Christi verbis. Ergo vt falsa inuidia, qua nos grauant, leuemur, aptissimum exordium erit à verborũ interpretatione. Narrant tres Euangelistæ, & Paulus, Christũ accepisse panem fregisse gratiis actis, dedisse suis discipulis, ac dixisse, Accipite, comedite: hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, vel frangitur. De calice ita Matthæus & Marcus, Hic calix est sanguis Noui testamenti, qui pro multis fundetur in remissionem peccatorũ. Paulus verò & Lucas, Hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine. Transsubstantiationis patroni per pronomen HOC speciem panis notari volunt: quia toto complexu orationis peragitur consecratio, & nulla est substantia quæ demonstrari queat. Atqui si eos tenet verborum religio, quia Christus quod in manum porrigebat discipulis, corpus suum esse testatus est ab eorũ sanè proprietate alienissimum est istud commentũ, quod fuit panis, iam esse corpus. Quod in manus sumptum Apostolis præbet Christus, corpus suum asseuerat, sumpserat verò panem, quis ergo non intelligat, panem etiamnum ostendi? ac proinde nihil absurdius quàm ad speciem transferre quod de pane prædicatur. Alii, dum particulam EST pro transsubstantiari positam interpretantur, ad glossam suffugiunt magis coactam & violenter detortã. Ideóque non est cur se verborũ reuerentia moueri obtendant. Est enim hoc gentibus ac linguis omnibus inauditum, vt verbum EST in hunc sensum vsurpetur, nempe pro conuerti in aliud. Quantum ad eos spectat qui panem in Cœna

Mat 16.c.26. marc.14.c.22 Luc 22.b.17. 19. 1.co.11. c.24.

relinquũt,& affirmant esse Christi corpus,multa illis est inter se varietas. Qui modestius loquuntur,quanquam præcisè vrgent literam, Hoc est corpus meum, postea tamen deflectunt à rigore: ac tantundem valere dicunt atque corpus Christi esse cum pane,in pane,& sub pane. De re ipsa,quam affirmant,aliquid iam attigimus,& mox plura adhuc dicenda erunt.nunc tantùm de verbis disputo,quibus se constringi dicunt ne admittãt panem vocari corpus,quia signum sit corporis. Atqui si tropum omnem refugiunt, cur à simplici Christi demonstratione transiliunt ad suas loquutiones longè diuersas?multũ enim differũnt,panem esse corpus,& corpus esse cũ pane. Sed quia videbant fieri non posse vt simplex hæc propositio staret,panem esse corpus: per illas loquẽdi formas,quasi per obliquos flexus, elabi tentarunt. Alii verò audaciores, asserere non dubitant,propriè loquendo,panem esse corpus: atque hoc modò verè se literales esse probant. Si obiicitur,panem igitur esse Christum & esse Deum: negabũt id quidẽ,quia verbis Christi expressum non est. Sed nihil proficient negando: quando omnes consentiũt totum Christum nobis offerri in Cœna. Intolerabilis autem blasphemia est,sine figurà prædicari de elemento caduco & corruptibili,quòd sit Christus. Quæro iam ex ipsis idémne valeant duæ istæ propositiones, Christus est Filius Dei, & Panis est Christi corpus. Si diuersas esse concedant (quod ab inuitis extorquebitur)respondeant vnde differentia. Non aliam,arbitror,adducẽt,nisi quòd sacramẽtali modo panis vocatur corpus. Vnde sequitur, Christi verba non subiici communi regulæ, nec debere ad grammaticam exigi. Ex omnibus etiam morosis & præfractis literæ exactoribus quæro, vbi Lucas & Paulus calicem dicunt testamentum in sanguine,annon idem exprimant quod priore membro,vbi panem nominant corpus? Eadẽ certè religio fuit in vna parte mysterii,quę in altera:& quia obscura est breuitas,sensum melius elucidat longior sermo. Quoties ergo ex verbo vno contendent, panem esse corpus: ego ex pluribus verbis commodam interpretationem afferam esse testamentum in corpore. Quid enim?an quærẽdus erit interpres Paulo & Luca fidelior aut certior? Neque tamen huc tendo, vt quicquam delibem de ea quam confessus sum corporis Christi communicatione: stultam modò peruicaciam,qua tam hostiliter litigant de verbis,refellere propositum est. Panem,authoribus Paulo & Luca,corpus Christi esse intelligo: quia fœdus est in corpore. Quod si impugnant,non mecum,sed cum Spiritu Dei certamen illis est. Vtcunque verborum Christi reuerentia tangi se quiritẽtur quominus figuratè intelligere ausint quæ sunt apertè dicta: non est tamen hic satis iustus prætextus cur omnes quas contrà obiicimus rationes ita respuant. Interea quale sit istud, In Christi corpore & sanguine testamentum,vt iam admonui,tenere conuenit: quia nõ aliter prodesset nobis fœdus sacrificio mortis sancitum, nisi accederet arcana illa communicatio qua in vnum cum Christo coalescimus.

Luc.22.b.20
1.Cor.11.f.25

21 Restat igitur vt propter affinitatem quam habent cum suis symbolis res signatæ, nomen ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo: figuratè id quidem, sed non sine aptissima analogia. Allegorias & parabolas omitto,nequis subterfugia me quærere,& extra præsentem causam egredi causetur. Dico metonymicum esse hunc sermonem,qui vsitatus est passim in Scriptura, vbi de mysteriis agitur. Neque enim aliter accipere possis quod dicitur, Circuncisionem esse fœdus, agnum esse transitum, sacrificia Legis esse expiationes: denique petram,ex qua in deserto aqua profluebat, fuisse Christum,nisi translatitiè dictum accipias. Nec modò à superiore ad inferius nomen transfertur: sed contrà, etiam rei signatæ tribuitur nomẽ signi visibilis: vt quum dicitur Deus apparuisse Mosi in rubo: arca fœderis vocatur Deus,& Dei facies: & columba,Spiritus sanctus. Nã etsi essentiâ symbolum à re signata differt, quòd hæc spiritualis est & cælestis, illud corporeum & visibile: quia tamen rem cui repręsentandę consecratum est,non figurat tantùm ceu nuda & inanis tessera: sed verè etiam exhibet: cur non eius appellatio in ipsum iure competat? Quòd si humanitus excogitata symbola, quæ imagines sunt rerum absentium potius quam notæ præsentium, quas etiam ipsas fallaciter sæpissimè adumbrãt, earum tamen titulis interdum ornantur: quæ à Deo sunt instituta,multo maiori ratione rerum nomina mutuantur quarum & certam miniméque fallacem significationem semper gerunt, & adiunctam habent secum veritatem. Tanta igitur est similitudo & vicinitas alterius ad alterum, vt procliuis vltro citróque sit deductio. Desinãt itaque aduersarii insulsas facetias in nos congerere, Tropistas vocando: quando ex communi Scripturæ vsu sacramẽtalem loquendi modum exponimus. Nam cum in multis sacramenta simul conueniunt, tum in hac

Exo.17.b.6

Exo.3.a.2
Psal.84.b.8,
& 42.a.3
Mat.3.d.16

in hac metonymia quædam est ipsis omnibus inter se communitas. Vt ergo lapidem, è quo Israelitis spiritualis potus scaturiebat, Christum fuisse Apostolus docet, quòd visibile symbolum foret sub quo spiritualis ille potus verè quidem, sed non ad oculum percipiebatur: ita corpus Christi panis hodie nuncupatur, quando symbolum est quo veram corporis sui manducationem offert nobis Dominus. Neque aliter vel sensit vel loquutus est Augustinus: nequis hoc aspernetur tanquam nouum commentum. Si sacramenta (inquit) quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, vtique sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramentum fidei, fides est. Multi sunt apud eum similes loci, quos superuacuum foret congerere, quum vnus ille sufficiat: nisi quòd monendi sunt lectores idem à sancto viro tradi in Epistola ad Euodium. Friuola autem tergiuersatio est, vbi docet Augustinus frequentem ac tritam esse metonymiam in mysteriis, non fieri mentionem Cœnæ. quia hoc recepto, ratiocinari à genere ad speciem non liceret, nec valeret argumentum, Omne animal motu præditum est. ergo bos & equus motu præditus est. Quanquam longior disceptatio alibi eiusdem sancti verbis dirimitur, vbi dicit Christum non dubitasse vocare corpus suum quum signum daret corporis sui: contra Adimantum Manichæum cap. 12. Et alibi in Psal. 3, Miranda (inquit) Christi patientia, quòd Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit. 1.Cor.10.a.4 Epist.23.ad Bonif.

22 Siquis tamen morosus, ad alia omnia cæcutiens, huic tantùm verbo insistat, HOC EST, quasi mysterium hoc ab omnibus aliis separet, facilis solutio est. Verbi substantiui tantã esse emphasim dicunt, vt nullum schema admittat. Quod si illis concedimus, nempe in verbis Pauli substantiuum verbum legitur, vbi panem vocat κοινωνίαν corporis Christi. Aliud autem est communicatio quàm corpus ipsum. Imò fere vbi de sacramentis agitur, idem verbum occurrit. Hoc erit vobis fœdus mecum. Agnus hic erit vobis Pesach. Ne plura, quum dicit Paulus petram fuisse Christum, cur illis minus emphaticum est eo loco substantiuum verbum quàm in Christi sermone? Respondeant etiam, vbi dicit Iohannes, Nondum erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus: quid valeat substantiuum verbum. Nam si regulæ suæ affixi manent, abolebitur æterna Spiritus essentia, quasi initium acceperit à Christi ascensione. Respondeant demum quid significet illud Pauli, Baptismum esse lauacrum regenerationis & renouationis: quem constat multis esse inutilem. Sed nihil ad eos refellendos validius est quàm illud Pauli, Ecclesiam esse Christum. Nam similitudine corporis humani adducta subnectit, Sic est Christus. vbi nõ intelligit vnigenitum Dei Filium in se, sed in membris. His iam me adeptũ esse arbitror, vt sanis & integris hominibus fœteant hostium nostrorum calumniæ, dum spargunt, fidem nos abrogare Christi verbis: quæ nos non minus obediẽter amplectimur quàm ipsi, & maiori religione expendimus. Imò supina eorum securitas indicio est non magnopere eos curare quid voluerit Christus, modò clypeum illis suppeditet ad tuendam obstinatiõnem: sicuti nostra disquisitio testis esse debet quãti sit nobis Christi authoritas. Odiosè iactant, humanum sensum nobis obstare quominus credamus quod Christus sacro suo ore protulit: sed quàm improbè hanc ignominiam nobis inurãt, magna ex parte iam planum feci, & clarius deinde liquescet. Nihil ergo nos impedit quominus loquenti Christo credamus, & simulac hoc vel illud annuerit, acquiescamus. Tantùm hoc agitur, an nefas sit de genuino sensu sciscitari. 1.Cor.10.a.4 Gen.17.b.13 Exo.12.g.43 1.Cor.10.a.4 Iohã.7.f.39 Tit.3.a.5 1.Cor.12.b.12.

23 Vetant boni isti magistri, vt literati appareant, vel tantillum à litera discedere. Ego contrà, vbi Scriptura Deum nominat virum bellicosum: quia sine translatione nimis asperam locutionem fore video, non dubito sumptam esse ab hominibus cõparationem. Et sanè non alio prætextu molesti olim fuerunt orthodoxis Patribus Anthropomorphitæ, nisi quòd vocibus illis mordicus arreptis, Oculi Dei vident, Ascendit ad eius aures, Manus eius extenta, Terra scabellum pedum eius: clamitabant eripi Deo corpus suum quod ei Scriptura assignat. Hac lege recepta, immanis barbaries totam fidei lucem obruet. Quæ enim absurditatum monstra fanaticis hominibus elicere non licebit, si illis permittitur singulos apices stabiliendis suis placitis obiicere? Quod obiiciunt, non esse verisimile, quum Christus Apostolis singulare pararet in rebus aduersis solatium,

ænigmaticè loquutum esse vel obscurè, pro nobis facit. Nisi enim Apostolis venisset in mẽtem panem vocari figuratè corpus, quia symbolum esset corporis, turbati haud dubiè fuissent re tam prodigiosa. Eodem ferè momento narrat Iohannes in minimis quibusque difficultatibus perplexos hæsisse. Qui secum disceptant quomodo iturus sit Christus ad Patrem, & quæstionem mouent quomodo abiturus sit è mundo: qui de Patre cælesti nihil eorum quæ dicuntur intelligũt, donec eum viderint: quomodo tam faciles fuissent ad credendum quod repudiat omnis ratio, Christũ discumbere in mensa sub conspectu suo, & inuisibilem includi sub pane? Quòd ergo panem sine dubitatione edendo, consensum suum testãtur, hinc apparet eodem quo nos sensu accepisse Christi verba. quia illis occurrit quod in mysteriis non debet videri insolens, nomen rei signate signo transcribi. Certa igitur & dilucida fuit discipulis consolatio, vt nobis est, nullo ænigmate implicita. nec aliud causæ est cur à nostra interpretatione quidam resiliant, nisi quòd eos excæcauit diaboli incantatio, nempe vt ænigmatum tenebras sibi fingant vbi obuia est concinnæ figuræ interpretatio. Præterea si in verbis præcisè insistitur, perperam aliud seorsum de pane prædicaret Christus quàm de calice. Panem vocat corpus, vinum vocat sanguinem: aut confusa erit battologia, aut erit partitio quæ corpus à sanguine diuidat. Imò tam verè dicetur de calice, Hoc est corpus meũ, quàm de pane ipso: & prædicari vicissim poterit, panem esse sanguinem. Si respondeant, spectandum esse in quem finem vel vsum instituta sint symbola: fateor id quidem. sed interea minimè se expedient quin eorũ error absurdũ hoc secum trahat, Panem esse sanguinẽ, & vinum corpus. Iam quid hoc sibi velit, nescio, quum res diuersas esse cõcedant panem & corpus, asserere tamen alterum de altero propriè & sine figura prædicari: acsi quis diceret vestem quidem diuersam esse ab homine, & tamen propriè vocari hominem. Interea quasi in pertinacia & conuitiis victoria illis sita esset, Christum accusari mendacii dicunt, si quæritur verborum interpretatio. Iam lectoribus iudicare promptum erit quàm iniustam nobis iniuriam faciant isti syllabarũ aucupes, dum simplices imbuunt hac opinione, fidem nos detrahere Christi verbis, quæ furiosè ab illis peruerti ac confundi, à nobis autẽ fideliter ac dextrè explicari demonstrauimus.

Iohã.14.a.5. 8, & 16.b.17

24 Sed non potest huius mendacii infamia penitus abstergi nisi diluto altero crimine. nos enim rationi humanæ ita addictos esse iactant, vt nihilo plus tribuamus Dei potentiæ quam naturæ ordo patitur, & dictat cõmunis sensus. A tam improbis calumniis prouoco ad ipsam doctrinam quam tradidi: quæ satis dilucidè ostendit, me hoc mysteriũ minimè rationis humanæ modo metiri, vel naturæ legibus subiicere. Obsecro, an ex physicis didicimus, Christum perinde animas nostras è cælo pascere carne sua atque corpora pane & vino aluntur? vnde hæc carni virtus vt animas viuificet? Naturaliter non fieri omnes dicent. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum. Denique quisquis doctrinam nostram gustauerit, rapietur in admirationem arcanæ Dei potentiæ. Isti autem boni eius zelotæ miraculum sibi fabricãt, quo sublato euanescit Deus ipse cum sua potentia. Lectores iterum admonitos cupio vt quid ferat nostra doctrina diligenter æstiment, pendeátne à sensu communi, an verò fidei alis, superato mundo, transcendat in cælos. Dicimus Christum tam externo symbolo quàm Spiritu suo ad nos descendere, vt verè substãtia carnis suæ & sanguinis sui animas nostras viuificet. In his paucis verbis qui non sentit multa subesse miracula, plusquam stupidus est: quando nihil magis præter naturam, quàm vt vitam spiritualem & celestem animæ mutuentur à carne quæ originem suam è terra accepit, & quæ morti fuit subiecta. nihil magis incredibile quàm res toto cæli & terræ spatio diffitas ac remotas, in tanta locorum distantia non solùm coniungi, sed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carnæ Christi. Desinant ergo præposteri homines inuidiam putida calumnia nobis facere, acsi de immensa Dei potentia malignè aliquid restringeremus. Ipsi enim vel nimis stultè errant, vel improbè mentiuntur. Non enim hîc quæritur quid Deus potuerit, sed quid voluerit. Affirmamus autem id factum esse quod illi placitum erat. Placuit autem Christum fratribus per omnia similem fieri, excepto peccato. Qualis est nostra caro? nónne quæ certa sua dimensione constat, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur? Et cur (inquiũt) non faciat Deus vt caro eadem plura diuersáque loca occupet, vt nullo loco continetur, vt modo & specie careat? Insane, quid à Dei potentia postulas vt carnem faciat simul esse & non esse carnem? Perinde acsi instes vt lucem faciat simul esse lucem & tenebras. At lucem vult esse lucem: tenebras, tenebras: carnem, carnem. Conuertet quidem

Heb.4.d.15

quum

quum volet tenebras in lucem, & lucem in tenebras: sed quum exigis vt lux & tenebræ non differant, quid aliud quàm ordinem sapientiæ Dei peruertis? Carnem igitur carnem esse oportet: spiritum, spiritum: vnumquodque qua à Deo lege & conditione creatum est. Ea verò est carnis conditio vt vno certóque loco, vt sua dimensione, vt sua forma constet. Ea cõditione carnem induit Christus, cui, teste Augustino, incorruptionem quidem & gloriam dedit, naturam & veritatem non abstulit. Epist. ad Dardanum.

25 Excipiunt, se verbum habere quo palàm facta est Dei voluntas: nempe si illis conceditur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare quod lucem verbo afferat. Fateor illos habere verbum: sed quale olim Anthropomorphitæ, quum Deum corporeum facerẽt: quale Marcion & Manichæi, quum fingerent Christi corpus vel cæleste, vel phantasticum. Citabant enim testimonia, Primus Adam è terra terrestris, secundus Adam è cælo cælestis. Item, Christus seipsum exinaniuit forma serui accepta, & similitudine repertus vt homo. Verùm crassi comestores nullam Dei potentiam esse existimant, nisi monstro in cerebris suis fabricato euertatur totus ordo naturæ. quod potius est Deum circunscribere, vbi figmentis nostris appetimus experiri quid possit. Ex quo enim verbo sumpserũt, corpus Christi in cælo visibile esse, latere autẽ inuisibile in terra sub innumeris panis frustulis? Dicent necessitatem hoc flagitare, vt Christi corpus detur in Cœna. Nempe quia carnalem esum ex Christi verbis elicere libuit, suo ipsorum præiudicio abrepti, necesse habuerunt argutiam hanc excudere, cui reclamat tota Scriptura. Quicquam verò à nobis imminui de potentia Dei, vsque eò falsum est vt nostra doctrina apprime magnificum sit eius elogium. Sed quia semper nos insimulant, fraudari Deum suo honore, dum respuimus quod secũdum communem sensum difficile est creditu, licet ore Christi promissum fuerit: iterum respondeo quod nuper, nos in fidei mysteriis sensum communem nõ consulere, sed placida docilitate & spiritu mansuetudinis, quem commendat Iacobus, suscipere profectam è cælo doctrinam. Sed in quo ipsi pernicioſè errãt, nos vtilem moderationem sequi non diffiteor. Illi auditis Christi verbis, Hoc est corpus meum, miraculum ab eius mente remotissimum imaginantur. Vbi autem ex hoc commento emergunt fœdæ absurditates, quia iam præcipiti festinatione laqueos induerũt, demergunt se in abyssum omnipotentiæ Dei: vt hoc modo veritatis lucem extinguant. Hinc fastuosa illa morositas, Nolumus scire quomodo sub pane lateat Christus, hac ipsius voce contenti, Hoc est corpus meum. Nos verò, vt in tota Scriptura, sanam huius loci intelligentiam non minore obedientia quàm cura consequi studemus: neque præpostero feruore temere arripimus & sine delectu quod primum se mentibus nostris ingerit: sed sedula meditatione adhibita, sensum amplectimur quẽ Spiritus Dei suggerit. quo freti, despicimus ex alto quicquid terrenæ sapientię contrà opponitur. Imò captiuas tenemus mentes nostras, ne verbulo duntaxat obstrepere, ac humiliamus, ne insurgere audeant. Hinc nata est expositio verborum Christi, quam ex perpetuo Scripturæ vsu sacramẽtis communem esse, omnes in ea mediocriter versati norunt. Nec verò nefas esse nobis ducimus, sanctæ Virginis exemplo, in re ardua scisciari quomodo fieri possit. 1.Cor.15.f.47. Luc.1.d.34

26 Sed quia nihil ad confirmandam piorum fidem magis valebit, quàm vbi didicerint, quam posuimus doctrinam ex puro Dei verbo sumptam esse, eiúsque authoritati innitι: hoc quoque qua potero breuitate planum faciam. Corpus Christi, ex quo resurrexit, non Aristoteles, sed Spiritus sanctus tradit finitum esse, ac cælo comprehendi vsque ad vltimum diem. Nec me latet, locos, qui in hanc rem citantur, securè ab ipsis eludi. Quoties dicit Christus se abiturũ relicto mundo, excipiunt, discessum illum nihil aliud esse quàm mutationem mortalis status. Atqui hoc modo non substitueret Christus Spiritum sanctum, supplendo, vt loquuntur, absentiæ suæ defectui: quando in illius locum non succedit, nec rursum descendit Christus ipse ex cælesti gloria, vt cõditionem mortalis vitæ susciperet. Certè aduentus Spiritus & ascensus Christi antitheta sunt: ideóque fieri non potest vt eodem modo secundum carnem nobiscum habitet Christus, quo Spiritum suum mittit. Adde quod disertè exprimit, se cum discipulis non semper fore in mundo. Hoc etiam dictum pulchrè sibi diluere videntur: quasi neget Christus se pauperem & miserum semper fore, vel necessitatibus caducæ vitæ obnoxium. Atqui circunstantia loci palàm reclamat: quãdo non agitur de egestate & inopia, vel misero terrenæ vitæ statu, sed de cultu & honore. Vnctio discipulis non placebat, quòd putarent superuacuum & inutilẽ esse sumptum, & luxuriæ affinem: ideóque in pauperes impensum maluissent pretium illud, Iohan.14.b.12.d.28. Mat.26.b.11

quod malè profusum fuisse putabant. Respondet Christus se non semper fore præsentem vt tali honore colatur. Nec aliter exposuit Augustinus, cuius hæc minimè ambigua sunt verba, Quum diceret Christus, Me non semper habebitis vobiscum, loquebatur de præsentia corporis. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce, ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi. secundum carnem verò quam verbum assumpsit, secundum id quòd de Virgine natus est, secundum id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus: Non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & deducentibus eis videndo non sequendo ascendit. Non est hîc: ibi enim sedet ad dexteram Patris. Et tamen hîc est: quia non recessit præsentia maiestatis. Aliter secundum præsentiam maiestatis, semper habemus Christum. secũdum præsentiam carnis rectè dictum est, Me autem nõ semper habebitis. Habuit enim Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Vbi (vt hoc quoque breuiter annotem) tribus modis eum nobis præsentem facit, maiestate, prouidentia, ineffabili gratia, sub qua mirificam istam corporis & sanguinis eius communionem comprehendo: modò Spiritus sancti virtute fieri intelligamus, non fictitia illa corporis ipsius sub elemẽto inclusione. Siquidem carnem se habere & ossa Dominus noster testatus est quę palpari & videri possent. Et Abire ac Ascendere, non speciem ascendentis abeuntisque dare significant, sed verè id facere quod verba sonant. Ergóne, dicet quispiam, certam cæli regionem Christo assignabimus? Ego autem cum Augustino respondeo, curiosissimam esse hanc & superuacaneam quæstionem, modò tamen in cælo esse credamus.

Tract. in Iohannem 50.

Mat. 28. d. 20

Lib. de fide & sym. ca. 6.

27 Quid verò, toties repetitum ascensus nomen, annon migrationem ab vno loco in alterum significat? Negant: quia per altitudinem secundum eos tantùm notatur imperii maiestas. Sed quid ipse ascendendi modus? annon spectantibus discipulis in sublime euehitur? annon clarè narrant Euangelistæ receptum fuisse in cælos? Excipiunt acuti illi Sophistæ, nube interposita subductũ fuisse è conspectu: vt discerent fideles nõ fore postea in mundo visibilem. Quasi verò non debuerit potius momento euanescere, vt fidem faceret præsentiæ inuisibilis: vel nubes eum colligere non debuerit antequam pedem moueret. Dum verò sublimis fertur in aerem, & subiecta nube se amplius in terra quærẽdum non esse docet, tutò colligimus domicilium nunc ei in cælis esse: sicut etiam asserit Paulus, & inde à nobis expectari iubet. Hac ratione admonent Angeli discipulos, frustra eos in cælum suspicere: quia Iesus qui assumptus est in cælum, sic veniet quemadmodũ eum viderant ascendere. Hîc quoque faceta, vt sibi videntur, tergiuersatione effugiunt sanæ doctrinæ aduersarii, venturum tunc visibilem, qui nunquam è terra discessit quin apud suos inuisibilis maneat. Quasi verò Angeli duplicem illic præsentiam insinuent, ac non simpliciter discipulos faciant oculatos testes ascensus, nequa superfit dubitatio: perinde acsi dicerent, Vobis videntibus in cælum receptus, cæleste sibi imperium asseruit: superest vt patiẽter expectetis dum rursus adueniat mundi iudex: quia nunc cælum ingressus non est, vt illud solus occupet, sed vt secum vos & omnes pios colligat.

Act. 1. b. 9

Mar. 16. d. 19

luc. 24. g. 51

Phil. 3. d. 20

28 Quoniam verò patronos adulterini dogmatis veterum suffragiis nihil pudet illud ornare, ac præsertim Augustini: quàm peruersè id conentur, paucis expediam. Nam quum à doctis & piis viris collecta fuerint eorum testimonia, nolo rem actam agere. ex eorum lucubrationibus petat qui volet. Ne ex Augustino quidem congeram quæcunque ad rem facerent: sed contentus ero paucis ostendere, sine controuersia totum esse nostrum. Quod aduersarii, vt eum nobis extorqueant, prætexunt, passim in eius libris occurrere, carnem & sanguinem Christi dispensari in Cœna, nempe victimam semel in cruce oblatam: friuolum est: quum simul vocet vel eucharistiam, vel sacramẽtum corporis. Cæterùm quo sensu voces Carnis & sanguinis vsurpet non est quod longo circuitu quæramus: quando seipsum explicat, dicens sacramenta ex similitudine rerum quas signant nomina accipere: ideóque secundum quendam modum sacramẽtum corporis esse corpus. Cui concinit alter locus satis vulgaris, Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, quum signum daret. Iterum obiectant, disertè scribere Augustinum, corpus Christi cadere in terram, & in os ingredi: nempe eodem sensu quo consumi affirmat: quia vtrunque simul coniungit. Nec obstat quod dicit, peracto mysterio panem consumi: quia

Ad Bonif. epist. 23.

Contra Adimãtum Manich. lib. 12.

Libr. 3. De Trinit. c. 10

paulo

paulo antè dixerat:quia hominibus hæc nota ſunt,quando per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere:tanquam mira,non poſſunt.Nec aliò ſpectat quod aduerſarii nimis inconſideratè ad ſe trahunt, Chriſtum ſe quodammodo portaſſe manibus ſuis, quum panem myſticum diſcipulis porrigeret. Nam aduerbio ſimilitudinis interpoſito ſatis declarat, non verè nec realiter fuiſſe ſub pane incluſum. Nec mirum: quando alibi apertè contendit,corpora,ſi illis tollantur ſpatia locorum, nuſquam fore:& quia nuſquã erunt,penitus non fore.Ieiuna eſt cauillatio, illic non agi de Cœna,in qua Deus ſpecialem virtutem exerit: quia de Chriſti carne mota erat quæſtio,& ſanctus vir ex profeſſo reſpondens,Immortalitatem, inquit,carni ſuæ dedit Chriſtus, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non putandus eſt vbique diffuſus. cauendum enim ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens vt quod in Deo eſt ſit vbique vt Deus. Subiicitur mox ratio, Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrunque vnus Chriſtus: vbique per id quod eſt Deus, in cælo per id quod eſt homo.Cuius ſocordiæ fuiſſet non excipere Cœnæ myſterium,rem adeo ſeriam & graue m,ſiquid doctrinæ quam tractabat illic fuiſſet aduerſum?Et tamen ſiquis attentè quod paulo pòſt ſequitur legat, reperiet ſub illa generali doctrina Cœnam quoque comprehẽdi,Chriſtum vnigenitum Dei Filium,eundémque Filium hominis,vbique totum præſentem eſſe,tanquam Deum:in templo Dei (hoc eſt in Eccleſia) eſſe tanquam inhabitantem Deum,& in loco aliquo cæli,propter veri corporis modum. Videmus vt ad Chriſtũ cum Eccleſia vniẽdum,corpus eius è cælo non eliciat.quod certe facturus erat,ſi corpus Chriſti verè cibus nobis non eſſet niſi ſub pane incluſum. Alibi definiens quomodo fideles Chriſtum nunc poſſideant, Habes,inquit, per ſignum crucis, per Baptiſmatis ſacramentum,per altaris cibum & potum.Quàm rectè ſuperſtitioſum ritum inter ſymbola præſentiæ Chriſti numeret, non diſputo: ſed qui præſentiam carnis comparat crucis ſigno, ſatis oſtendit ſe Chriſtum bicorporem non fingere, vt occultus ſub pane lateat qui in cælo viſibilis ſedet.Quòd ſi explicatione indiget,continuo pòſt illic adiungitur, Secundum præſentiam maieſtatis nos ſemper habere Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis rectè dictum eſſe,Me non ſemper habebitis. Excipiunt ſimul etiam hoc addi, Secundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam impletur quod ab eo dictum eſt, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Sed nihil in eorum commodum: quia hoc tandem ad maieſtatem reſtringitur, quæ ſemper opponitur corpori, ac nominatim caro à gratia virtutéque diſcernitur. Sicut alibi eadem antitheſis apud eum legitur, quòd reliquerit Chriſtus diſcipulos præſentia corporali, vt futurus ſit cum illis præſentia ſpirituali: vbi clarum eſt, carnis eſſentiam diſtingui à Spiritus virtute,quæ nos Chriſto coniungit,locorum alioqui diſtantia procul diſſitos. Eodem loquendi genere ſæpius vtitur, vt quum dicit, Venturus eſt ad viuos & mortuos præſentia itidem corporali, ſecundum fidei regulam ſanámque doctrinam.nam præſentia ſpirituali ad eos vtique erat venturus, & cum tota Eccleſia futurus in mundo vſque ad conſummationem ſeculi. Ergo ad credentes dirigitur hic ſermo,quos ſeruare iam cœperat præſentia corporali,& quos relicturus erat abſentia corporali,vt eos cum Patre ſeruaret præſentia ſpirituali. Corporale accipere pro viſibili, nugatorium eſt:quando & corpus opponit diuinæ potentiæ:& addẽs, Cum Patre ſeruare,clarè exprimit gratiam ſuam è cælo per Spiritum ad nos diffundere.

In Pſal.33.

Epiſt.ad Dardanum.

Tract.50. in Iohannem.

Mat.26.a.11

Mat.28.d.20

29 Et quoniam tantum fiduciæ ponunt in hac latebra præſentiæ inuiſibilis,agedum videamus quàm bene in ea ſe occultent.Primò ſyllabam non proferent ex Scripturis,qua probent inuiſibilem eſſe Chriſtum:ſed pro confeſſo ſumunt quod nemo ſanus illis dabit, non poſſe aliter Chriſti corpus in Cœna dari niſi opertum panis larua. Atque hoc ipſum eſt de quo nobiſcum litigant: tantum abeſt vt principii locum obtineat. Ac dum ita gariunt,coguntur duplex facere Chriſti corpus:quia in ſe viſibile eſt in cælo ſecundum eos, in Cœna autem ſpeciali diſpenſationis modo inuiſibile.Quàm verò bellè hoc conueniat, tum ex aliis Scripturæ locis tum Petri teſtimonio facile iudicium eſt.Dicit Petrus oporte re Chriſtum cælo capi vel comprehẽdi, donec iterum adueniat.Docent iſti vbique locorum eſſe ſed abſque forma. Excipiunt,iniquum eſſe naturam glorioſi corporis ſubiicere communis naturæ legibus. Atqui Serueticum illud delirium(quod piis omnibus meritò deteſtabile eſt)abſorptum fuiſſe corpus à diuinitate, ſecum trahit hæc reſponſio. Non dico eos ita ſentire. verum ſi inter dotes glorificati corporis numeratur, inuiſibili modo omnia implere: corpoream ſubſtantiam aboleri palàm eſt,nec diſcrimen vllum relinqui

Act.3.d.21

deitatis & humanę naturę. Deinde si ita multiforme & varium est Christi corpus, vt vnd
in loco appareat, in altero sit inuisibile: vbi ipsa corporis natura, quod suis dimensionibus
constat? & vbi vnitas? Longè rectius Tertullianus, qui verũ & naturale Christi corpus fuis-
se contendit: quia eius in mysterio Cœnæ figura nobis proponitur in pignus ac certitudi-
Luc.24.f.39. nem vitę spiritualis. Et certè de corpore glorioso dicebat Christus, Videte & palpate, quia
Spiritus carnẽ & ossa non habet. Ecce ipsius Christi ore carnis veritas probatur, quia pal-
pari potest ac videri. aufer ista, iam caro esse desinet. Semper ad latibulum confugiunt fuę
dispensationis quam sibi fabricarunt. Nostrum verò est, quod absolutè pronuntiat Chri-
stus ita amplecti, vt sine exceptione apud nos valeat quod vult asserere. Se non spectrum
esse probat: quia sit in carne sua visibilis. Tollatur quod tanquam proprium corporis sui
naturæ vendicat: nónne excudenda erit noua corporis definitio? Iam quocunque se cir-
Philip.3.d.21 cumagãt, in loco illo Pauli fictitia eorum dispensatio locum non habet, vbi dicit, Nos ex-
pectare è cælo saluatorem, qui corpus nostrum humile configurabit corpori suo glorioso.
Neque enim speranda nobis est conformitas in illis, quas Christo affingunt, qualitatibus:
vt cuique inuisibile sit ac immensum corpus. Nec verò reperietur quisquam tam bardus
cui tantam absurditatem persuadeant. Ne igitur corpori Christi glorioso hanc adscribãt
dotẽ, multis in locis simul esse, nullóque spatio contineri. Denique vel apertè negent car-
nis resurrectionem, vel concedant Christum vestitum cælesti gloria, non exuisse carnem,
qui nos in carne nostra, illius eiusdem gloriæ facturus est consortes ac socios, quando no-
bis futura est cõmunis cum eo resurrectio. Quid enim clarius tradit tota Scriptura, quàm
Christum, vt veram nostram carnem induit quũ è Virgine natus est, in vera carne nostra
passus est, quum pro nobis satisfecit: ita eandem veram carnem & resurgẽdo recepisse, &
in cælum sustulisse? Hæc enim nobis nostræ resurrectionis & in cælum ascẽsionis spes est,
quòd Christus resurrexit, & ascẽdit: atque (vt ait Tertullianus) arrhã nostræ resurrectionis
secum in cælos tulit. Porrò quàm infirma & fragilis foret spes illa, nisi hæc ipsa nostra ca-
ro in Christo verè suscitata, & in regnum cælorũ ingressa esset? Atqui hæc est propria cor
poris veritas, vt spatio contineatur, vt suis dimensionibus cõstet, vt suam faciem habeat.
Faceſſat igitur stultum illud commentum quod tam mentes hominum quàm Christum
pani affigit. Quorsum enim occulta sub pane præsentia, nisi vt qui Christum sibi habere
coniunctum cupiunt, in symbolo illo subsidant? Atqui Dominus ipse non oculos tãtùm,
Iohã.20.d. sed omnes sensus nostros è terra subducere voluit, se attingi à mulieribus vetans, donec
17. ascendisset ad Patrem. Quum pio reuerentiæ studio Mariã videat properare ad oscular-
dos pedes, cur tactum hunc improbet ac prohibeat, donec in cælum receptus fuerit, nul-
la causa est, nisi quia nusquam alibi vult quæri. Quod obiiciunt, postea visum fuisse Ste-
Act.7.g.55 phano, facilis solutio est. neque enim ideo necesse fuit Christo locum mutare, qui serui
sui oculis perspicaciam dare potuit quæ cælos penetraret. Idem & de Paulo dicendum.
Act.9.a.4 Quòd Christum exiisse è sepulchro clauso, & clausis ianuis ad discipulos ingressum esse
Mat.28.b.6 obiiciunt, nihilo magis eorum errori suffragatur. Nam sicut aqua nõ secus ac solidum pa-
Iohan.20. e.19 uimentum Christo iter præbuit super lacum ambulanti: ita nihil mirum si ad eius occur-
Mat.14.c.25. sum se flexit lapidis durities. Etsi probabilius est, eius imperio amotum fuisse lapidem, &
mox, transitu dato, in suum locum rediisse. Nec ianuis clausis intrare tantundem valet
ac penetrare per solidam materiam, sed sibi auditum patefacere diuina virtute, vt repen-
te steterit inter suos discipulos, planè admirabili modo, quum obseratæ essẽt fores. Quod
Luc.24.c.31 citant ex Luca, Christum subitò euanuisse ex Discipulorum oculis, quibuscum Emaunta
profectus erat, nihil illis prodest, & nos adiuuat. Nam vt sui cõspectum illis auferret, non
Ibid.c.16 factus est inuisibilis: sed tantùm disparuit. Sicuti, eodem Luca teste, quum simul iter fa-
ceret, non induit nouam faciem ne agnoscerentur: sed tenuit eorum oculos. Isti verò
non modò Christum transformant, vt in terra versetur: sed alium alibi suique dissimilem
esse fingunt. Denique ita nugando, non vno quidem verbo, sed periphrasi, ex carne
Christi spiritum faciunt. nec eo contenti, qualitates ei penitus contrarias induunt. Vnde
necessariò sequitur duplicem esse.

30 Iam vt illis demus quod garriunt de inuisibili præsentia, nondum tamen probata
erit immensitas, sine qua frustra Christum sub pane includere tentabunt. Nisi vbique si-
mul esse possit Christi corpus nulla loci circunferentia, sub pane in Cœna latere credibi-
le non erit. Qua necessitate ab illis inducta est prodigiosa vbiquitas. Atqui firmis cla-
rísque Scripturæ testimoniis demonstratum est circunscribi humani corporis mensura:

deinde

deinde ſuo in cælum aſcenſu palàm feciſſe non omnibus ſe eſſe in locis, ſed, dum invnum tranſit, priorem relinquere. Nec verò promiſſio quam adducũt, ad corpus trahenda eſt, Ego vobiſcum ſum vſque ad cõſummationem ſeculi. Primùm non ſtabit perpetua coniunctio niſi extra Cœnæ vſum Chriſtus in nobis corporaliter habitet. ideóque iuſta ratio non eſt cur tam acerbè de verbis Chriſti litigent, vt Chriſtum in Cœna includant ſub pane. Deinde contextus euincit, Chriſtum nihil minus quàm de carne ſua loqui, ſed inuictum auxilium promittere diſcipulis, quo eos aduerſus omnes Satanæ mundíque inſultus tueatur & ſuſtineat. Nam quum difficilem prouinciam iniungeret, ne eam aggredi dubitent, vel trepidè obeant, præſentiæ ſuæ fiducia eos confirmat. acſi diceret non defore illis ſuum præſidium, quod inſuperabile erit. Niſi omnia confundere libêret, annon præſentiæ modum diſtinguere oportuit? Et certè quidam cum magno dedecore prodere inſcitiam ſuam malunt quàm vel minimum de errore cedere. Non loquor de Papiſtis: quorum tolerabilior, vel ſaltem magis verecunda eſt doctrina. ſed quoſdam ita abripit cõtentio, vt dicant, propter vnitas in Chriſto naturas, vbicunque eſt diuinitas Chriſti, illic quoque eſſe carnem, quæ ab illa ſeparari nequit. Quaſi verò vnio illa conflauerit ex duabus naturis medium neſcio quid, quod neque Deus eſſet, neque homo. Sic quidem Eutyches, & poſt eum Seruetus. Verùm ex Scriptura apertè colligitur, ſic vnicam Chriſti perſonam conſtare ex duabus naturis vt cuique tamen ſua maneat ſalua proprietas. Ac Eutychen iure fuiſſe damnatum negare eos pudebit: ad damnationis cauſam mirum eſt eos non attendere: quòd diſcrimine inter naturas ſublato, perſonæ vnitatem vrgens, ex Deo hominem faceret, & ex homine Deum. Cuius ergo amentiæ eſt, cælum terræ potius miſcere quàm non extrahere Chriſti corpus è cæleſti ſanctuario? Nam quòd pro ſe teſtimonia illa adducunt, Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit Filius hominis qui in cælo eſt. Item, Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit: eiuſdem eſt ſtuporis ſpernere idioma- Iohan.3.b.13
tum κοινωνίαν, quæ non fruſtra olim à ſanctis Patribus inuenta eſt. Certè quum Dominus Idem.1.c.18
gloriæ crucifixus dicitur, non intelligit Paulus in ſua diuinitate quicquam fuiſſe paſſum: 1.Cor.2.b.8
ſed quia Chriſtus, qui abiectus & cõtẽptus in carne patiebatur, idem Deus erat & Dominus gloriæ. Ad hunc modum & filius hominis in cælo erat: quia ipſe idem Chriſtus, qui ſecundum carnem filius hominis habitabat in terris, Deus erat in cælo. Qua ratione eo ipſo loco deſcendiſſe dicitur ſecundum diuinitatem: non quòd diuinitas cælum reliquerit, vt in ergaſtulum corporis ſe abderet: ſed quia tametſi omnia impleret, in ipſa tamen Chriſti humanitate corporaliter, id eſt naturaliter habitabat, & ineffabili quodam modo. Trita eſt in ſcholis diſtinctio, quam me referre non pudet, Quãuis totus Chriſtus vbique ſit, non tamen totum quod in eo eſt, vbique eſſe. Atque vtinam Scholaſtici ipſi vim huius ſententiæ probè expendiſſent: quia ita occurſum fuiſſet inſulſo commento de carnali Chriſti præſentia. Mediator ergo noſter quum totus vbique ſit, ſuis ſemper adeſt: & in Cœna ſpeciali modo præſentem ſe exhibet, ſic tamen vt totus adſit, non totum: quia, vt dictum eſt, in carne ſua cælo comprehenditur donec in iudicium appareat.

31 Longè autẽ falluntur qui nullam carnis Chriſti præſentiam in Cœna concipiunt niſi in pane ſiſtatur. Ita enim arcanæ Spiritus operationi quæ nobis Chriſtum ipſum vnit, nihil reliquum faciunt. Chriſtus præſens illis non videtur niſi ad nos deſcendat. Quaſi verò ſi ad ſe nos euehat, non æquè potiamur eius præſentia. Ergo tantùm de modo quæſtio eſt: quia Chriſtum ipſi in pane locant, nobis autem non ducimus fas eſſe eum è cælo detrahere. Vtrum rectius ſit iudicent lectores. Tãtùm faceſſat calumnia illa, auferri Chriſtum à ſua Cœna niſi ſub panis integumento lateat. Nam quum myſterium hoc cæleſte ſit, neceſſe non eſt, Chriſtum elicere in terras vt nobis ſit coniunctus.

32 Porrò de modo ſiquis me interroget, fateri non pudebit, ſublimius eſſe arcanum quàm vt vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat: atque, vt apertius dicã, experior magis quàm intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquieſcere tutò licet, hîc ſine controuerſia amplector. Pronũtiat ille carnem ſuam eſſe animæ meæ cibum, ſanguinem eſſe potum. Talibus alimentis animam illi meam paſcendam offero. In ſacra ſua Cœna iubet me ſub ſymbolis panis ac vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere, manducare ac bibere. nihil dubito quin & ipſe verè porrigat, & ego recipiam. Tantùm abſurda reiicio quæ aut cæleſti Chriſti maieſtate indigna, aut humanæ eius naturæ veritate aliena eſſe apparet: quando & cum Dei verbo pugnare neceſſe eſt, quod & ſic in gloriam Luc.24.d.26
regni cæleſtis receptum fuiſſe Chriſtum docet vt ſupra omnem mundi cõditionem eum

euehat, nec minus diligenter in humana eius natura commendat quæ propria sunt verè humanitatis. Neque hoc vel incredibile vel à ratione absonum videri debet: quia vt spirituale est totum Christi regnum, ita quicquid agit cum sua Ecclesia, ad rationem seculi huius minimè exigendum est. Vel, vt Augustini verbis vtar, per hominem hoc mysteriũ peragitur vt reliqua, sed diuinitus in terra, sed cælitus. Ea (inquã) est corporis prẹsentia, quam Sacramenti ratio postulat: quam tãta virtute tãtáq; efficacia hîc eminere dicimus, vt non modò indubitatã in vitæ ẹternæ fiduciã animis nostris afferat, sed de carnis etiam nostræ immortalitate securos nos reddat. Siquidem ab immortali eius carne iam viuificatur, & quodammodo eius immortalitati communicat. Qui supra hæc suis hyperbolis euehuntur, nihil aliud quàm talibus inuolucris simplicem & planam veritatem obscurant. Sicui nondum satisfactum fuerit, hîc velim paulisper mecum reputet, de sacramento nunc haberi sermonem, cuius omnia ad fidem referenda sunt. Fidem verò nos ista quam enarrauimus corporis participatione non minus lautè affluẽtérque pascimus, quàm qui ipsum Christum è cælo detrahunt. Ingenuè interea cõfiteor, mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem qualis ab ipsis docetur me repudiare: quia nobis sufficit Christum è carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare: imò propriã in nos vitam diffundere, quanuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro. Adde quòd fidei analo-

Irenæus lib. 4. cap. 34

Rom. 12. a. 3

giam, ad quam omnem Scripturæ interpretationem exigere iubet Paulus, hac in parte mihi præclarè constare nihil dubium est. Qui veritati adeò perspicuæ reclamant, ad quam fidei amussim se forment viderint. Qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Isti, licet dissimulent, vel non aduertant, ipsum carne sua spoliant.

1. Ioh. 2. 7

33 De communicatione idem sentiendum: quæ nulla ab ipsis agnoscitur nisi Christi carnem sub pane deglutiant. Atqui Spiritui sancto non leuis fit iniuria, nisi credimus fieri incomprehensibili eius virtute vt cum carne & sanguine Christi communicemus. Imò si vis mysterii qualis à nobis traditur, & cognita fuit veteri Ecclesiæ ab annis quadringentis, pro dignitate expensa esset, satis supérque erat vnde nobis satisfieret: clausa fuisset multis fœdis erroribus ianua, ex quibus accensæ sunt horrendæ dissensiones, quibus tum olim, tum nostra etiam ætate Ecclesia miserè vexata est: dum hyperbolicũ præsentiæ modum exigunt curiosi homines, quem Scriptura nunquam ostendit. Ac de re stultè & temere concepta perinde tumultuantur acsi inclusio Christi sub pane, prora & puppis (vt aiunt) pietatis esset. Quomodo Christi corpus, vt semel pro nobis traditum est, nostrum fiat: quomodo sanguinis effusi participes fiamus, scire in primis referebat: quia id est totũ Christum crucifixum possidere, vt bonis eius omnibus fruamur. Nunc his omissis, quibus tantum inerat momenti, imò neglectis & penè sepultis, hæc vna spinosa quæstio illis placet, quomodo sub pane, vel sub specie panis lateat Christi corpus. Falsò iactant, quicquid docemus de spirituali manducatione, veræ & reali (vt loquuntur) opponi: quãdoquidem nonnisi ad modum respicimus. qui apud eos carnalis est, dum Christum pane includunt: nobis spiritualis, quia vis arcana Spiritus nostræ cum Christo coniunctionis vinculũ est. Nihilo verior est altera obiectio, nos fructum vel effectum duntaxat quem ex esu carnis Christi capiunt fideles, attingere. Diximus enim antea Christum ipsum Cœnæ esse materiam: inde verò sequi effectum, quòd sacrificio mortis eius expiamur à peccatis, sanguine abluimur, resurrectione erigimur in spem cælestis vitæ. Sed stulta imaginatio, cuius author fuit Lombardus, peruertit eorum mentes, dum esum carnis Christi Sacramentũ esse putant. Sic enim ille, Sacramentum & non res, sunt species panis & vini: Sacramentum & res, caro & sanguis Christi: res & non Sacramentum, mystica eius caro. Item paulo pòst, Res significata & contenta est propria caro Christi: significata & non contenta, mysticum corpus. Quòd inter carnem Christi distinguit, & alendi efficaciam, qua prædita est, assentior: quòd autem Sacramentum esse fingit, & quidem sub pane contentum, error est non ferendus. Hinc nata est Sacramentalis manducationis falsa interpretatio: quia putarunt impios quoque & sceleratos edere Christi corpus, quamlibet sint ab eo alieni. Atqui ipsa Christi caro in mysterio Cœnæ non minus spiritualis res est quàm æterna salus. Vnde colligimus, quicunque vacui sunt Christi Spiritu, carnem Christi nihilo magis posse edere quàm vinum bibere cui non sit coniunctus sapor. Certè nimis indignè laceratur Christus, quum prostituitur incredulis emortuum & nullius vigoris eius corpus: & repugnant aperta eius verba. Quisquis ederit carnem meã, & biberit sanguinem

L. 4. Dist. 8.

Ioh. 6. f. 56

ſanguinem meum,in me manet,& ego in eo.Excipiunt,illic non agi de ſacramentali eſu: quod ego fateor,modò ne ad eundem ſcopulũ ſubinde impinguant,comedi carnẽ ipſam abſque vllo fructu.Scire autem ex ipſis velim quandiu eam contineant vbi manducarũt. Hic,meo iudicio,exitum non reperient.Sed obiiciũt,non poſſe hominum ingratitudine quicquam detrahi,vel intercidere de fide promiſſionum Dei.Fateor ſanè,& vim myſterii integram manere dico,quantumuis impii eam,quoad in ſe eſt,exinanire ſtudeant. Aliud tamen eſt offerri,aliud recipi.Spiritualem hunc cibũ omnibus porrigit Chriſtus,potúmque ſpiritualem propinat: alii auidè veſcuntur,alii faſtidioſè reſpuunt.an horum reiectio faciet vt cibus & potus ſuam naturam perdant? Dicent hac ſimilitudine ſentẽtiam ſuam iuuare,nempe carnem Chriſti,licet inſipida ſit,eſſe nihilominus carnem. Ego verò nego poſſe comedi abſque fidei guſtu:vel (ſi cũ Auguſtino loqui magis placet)nego plus referre homines ex Sacramento quàm vaſe fidei colligunt. Ita Sacramento nihil decedit: imò illibata manet eius veritas & efficacia, quanuis ab externa eius participatione inanes diſcedant impii.Si rurſus obiiciãt,derogari huic verbo,Hoc eſt corpus meum,ſi panem corruptibilem & nihil præterea impii recipiũt: in promptu ſolutio eſt, Deum nolle veracem agnoſci in ipſa receptione, ſed in bonitatis ſuæ conſtantia,vbi indignis præſtare quod reiiciunt paratus eſt,imò liberaliter offert. Atque hæc eſt ſacrameti integritas,quam violare totus mundus non poteſt,carnem & ſanguinem Chriſti non minus verè dari indignis quàm electis Dei fidelibus:ſimul tamen verum eſt,non ſecus atque pluuia ſuper durã rupem decidẽs effluit,quia nullus in lapidem ingreſſus patet: ita impios ſua duritie repellere Dei gratiam quominus ad ipſos penetret. Adde quòd Chriſtũ abſque fide recipi nihilo magis conſentaneum eſt quàm ſemen in igne germinare. Quòd autem quærunt quomodo in damnationẽ quibuſdam venerit Chriſtus niſi eum indignè recipiant,frigidum eſt:quando nuſquam legimus, Chriſtum indignè recipiẽdo mortem ſibi accerſere homines, ſed potius reſpuẽdo. Nec eos iuuat Chriſti parabola,vbi dicit ſemen enaſci inter ſpinas,& poſtea ſuffocatum corrumpi: quia illic differit quid valeat temporalis fides, quam edendæ Chriſti carni, & bibendo ſanguini neceſſariam eſſe non putãt qui Iudam hac in parte æqualiter faciunt ſocium Petri. Quin potius eadem parabola refellitur eorum error,vbi dicit Chriſtus aliud ſemen cadere ſuper viam,aliud ſuper lapides,ac neutrũ agere radicem. Vnde ſequitur, incredulis ſuam duritiem eſſe obſtaculo quominus ad eos Chriſtus perueniat. Quiſquis ſalutem noſtram hoc myſterio adiutam cupit nihil aptius inueniet quàm vt fideles ad fontem deducti,vitã hauriant ex Dei Filio.Dignitas verò ſatis magnificè commendatur,vbi tenemus adminiculum eſſe quo inſeramur in corpus Chriſti, vel inſiſti magis ac magis coaleſcamus,donec ſolidè nos ſecum vniat in cæleſti vita.Obiiciunt,non debuiſſe fieri à Paulo reos corporis & ſanguinis Chriſti,nſi eorum eſſent participes.Ego autem reſpondeo,non ideo damnari quòd comederint,ſed tantùm quòd myſterium profanauerint,pignus ſacræ cum Deo coniunctionis, quod reuerenter ſuſcipere debebant,calcando.

Mat.13.a.7

Ibid.a.4.5

I.Cor.g.11. 29

34 Porro quia Auguſtinus inter vetuſtos ſcriptores præcipuè aſſeruit caput illud doctrinæ, Sacramentis nihil decedere, nec euacuari quam figurant gratiam infidelitate vel malitia hominum: vtile erit ex verbis eius clarè probare quàm inſcitè & perperam illud ad cauſam præſentem trahant qui canibus edendum proiiciunt Chriſti corpus. Sacramentalis manducatio,ſecundum iſtos,eſt qua impii Chriſti corpus & ſanguinem abſque virtute Spiritus vel vllo gratiæ effectu recipiunt. Auguſtinus contrà, verba illa prudenter expendens,Qui manducauerit carnem meam,& biberit ſanguinem meum,non morietur in æternum, Nempe(inquit) virtutem ſacramenti, non tantùm viſibile ſacramentum: & quidem intus,non foris: qui corde comedit,non qui premit dente. Vnde tãdem concludit huius rei ſacramentum, id eſt vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, in Cœna Dominica proponi, quibuſdam in vitam, aliis ad exitium: rem verò ipſam cuius ſacramentum eſt,omnibus ad vitam,nulli ad exitium,quicunque fuerit particeps. Nequis hîc cauilletur,rem vocari non corpus,ſed quæ ab illo ſeparari poteſt Spiritus gratiam,has nebulas diſcutit antitheſis inter epitheta Viſibile & Inuiſibile:nam ſub priore comprehendi non poteſt Chriſti corpus. Vnde ſequitur,viſibili tantùm ſymbolo incredulos communicare. Ac,quo melius tollatur dubitatio, poſtquam dixerat panem hũc interioris hominis quærere eſuriem,ſubiicit,Moſes & Aaron,& Phineẽs, multíque alii qui manna comederunt,placuerunt Deo.Quare:Quia viſibilem cibũ ſpiritualiter intelligebant,ſpiritualiter

Hom.in Iohannem 26 Iohan.6.f.50

Exo.16.c.14

esuriebant,spiritualiter gustabant,vt spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accepimus visibilem cibum:sed aliud est sacramentum,aliud virtus sacramenti. Paulo pòst, Ac per hoc,qui non manet in Christo,& in quo non manet Christus, proculdubio nec mãducat spiritualiter carnem eius,nec bibit sanguinem,licet carnaliter & visibiliter premat dentibus signũ corporis & sanguinis. Audimus rursum opponi visibile signum spirituali manducationi. Quo refellitur error ille, corpus Christi inuisibile sacramentaliter re vera comedi, quanuis non spiritualiter. Audimus etiam profanis & impuris nihil concedi prę ter visibilem signi sumptionem. Hinc celebre eius dictum, reliquos discipulos panem Dominum manducasse, Iudam verò panem Domini. quo incredulos clarè excludit à participatione corporis & sanguinis. Nec alìò spectat quod alibi dicit, Quid miraris si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo : quum videas è contrario datũ Paulo Angelum diaboli per quem perficeretur in Christo ? Dicit quidem alibi, corpus Christi fuisse illis panem Cœnæ quibus dicebat Paulus, Qui manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: nec ideo nihil accepisse, quia malè acceperint. Sed quo sensu, plenius alio loco explicat. nam ex professo definiendum suscipiens quomodo improbi & scelerati, qui fidem Christianam ore profitentur, factis autem abnegant, Christi corpus comedant (& quidem aduersus quorundam opinionem, qui non solo sacramento eos edere, sed re ipsa putabant) Sed nec (inquit) dicendi sunt manducare corpus Christi quia in membris Christi computandi non sunt. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi & membra meretricis. Denique ipse dicens, Qui manducat carnẽ meam , & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: ostendit quid sit, non sacramento tenus, sed re vera corpus Christi edere. hoc enim est in Christo manere , vt in illo Christus maneat. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non manet in me, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut sanguinem bibere. Expendant lectores antitheta, sacramento tenus, & re vera edere : & nulla restabit dubitatio. Idem confirmat non minus clarè his verbis, Nolite parare fauces, sed cor: inde commendata est ista Cœna. Ecce credimus in Christum quum fide accipimus : in accipiendo nouimus quid cogitemus. modicum accipimus, & in corde saginamur. non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit. Hìc quoque quod sumunt impii, restringit ad signum visibile: nec aliter Christum quàm fide recipi docet. Sic etiam alio loco, diserte pronuntians bonos & malos signaculis communicare, hos à vera carnis Christi mãducatione excludit. Nam si rem ipsam perciperent, non tacuisset omnino quod causæ magis erat consentaneum. Alio etiam loco de manducatione eiúsque fructu differens, sic concludit Tunc vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Ergo qui incredulos faciunt participes carnis & sanguinis Christi, vt cum Augustino consentiant, nobis repræsentent corpus Christi visibile: quando tota veritas secundum eum spiritualis est. Et certò ex eius verbis colligitur, sacramentalem esum, vbi veritati aditum claudit incredulitas, tantundem valere ac visibilem vel externum. Quòd si verè nec tamen spiritualiter comedi posset Christi corpus, quid sibi vellet quod alibi tradit? Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri sanguinem quem fundent qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis: spiritualiter intellectũ viuificabit vos. Negare certè noluit quin idem corpus quod in sacrificium Christus obtulit, in Cœna porrigatur: sed manducationis modum notauit : quòd scilicet in cælestem gloriam receptum, arcana Spiritus virtute vitam nobis inspiret. Fateor quidem, sæpius apud eum occurrere istã loquendi formam, Comedi corpus Christi ab infidelibus: sed seipsum explicat, addens, In sacramento. Et alibi spiritualis manducatio ab eo describitur, in qua gratiam morsus nostri non consumunt. Ac ne congerie me pugnare dicant aduersarii, scire velim quomodo ab vna eius sententia se expediant, vbi dicit Sacramenta in solis electis efficere quod figurant. Certè inficiari non audebunt quin figuret in Cœna panis, Christi corpus. Vnde sequitur, reprobos ab eius participatione arceri. Cyrillum quoque non aliter sensisse declarant hæc verba, Perinde ac siquis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat : ita necesse est, siquis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso coniungi, vt Christus in eo & ipse in Christo inueniatur. His verbis liquere arbitror , vero & reali esu priuari qui sacramentaliter tantùm Christi corpus comedunt, quod à sua virtute separari nequit : nec ideo labascere fidem promissionum

Homil. in Iohannem 59.

Homil. 62.

2. Co. 12. b. 7

Lib. 5. De Baptis. contra Donatist.

1. Co. 11. g. 29

Io. 6. f. 26.

Li. De ciuit. Dei, 21. ca. 25

Contra Faustũ li. 13. c. 16.

Ser. 2. dever. Apost.

missionum Dei,qui non desinit è cælo pluere, quãuis pluuiæ liquorem saxa & rupes non concipiant.

35 Hæc cognitio nos facilè à carnali etiam adoratione abstrahet,quam peruersa temeritate quidem in sacramento erexerunt:quòd secum subducerent,Si corpus est,& anima igitur & diuinitas sunt vnà cum corpore, quæ iam diuelli nõ possunt. igitur illic adorandus Christus. Primùm, si sua illa quam obtendunt concomitantia ipsis negetur, quid facient? Nam vt maximè absurditatem vrgeant si corpus ab anima & diuinitate separetur, quis tamen sanus & sobrius Christi corpus Christum esse sibi persuadeat? Videntur quidem sibi suis id syllogismis pulchrè conficere. Verùm quum de corpore & sanguine suo distinctè loquatur Christus,modum autem præsentiæ non describat:quomodo ex re ambigua certò conficient quod volunt? Quid ergo?nónne si grauiore aliquo sensu eorũ conscientias exerceri contigerit,protinus cũ suis syllogismis dissoluentur ac liquescent?nempe vbi certo Dei verbo defici se videbunt,quo vno consistunt animæ nostræ quum ad rationem vocantur, & sine quo primo quoque momento labascunt: vbi Apostolorum doctrinam & exempla sibi aduersari,se verò solos sibi authores esse cogitabunt. Accedent ad tales impulsus & alii non leues stimuli. Quid?an res erat nullius momenti,Deum hac forma adorare vt nihil nobis præscriberetur? An quum de vero Dei cultu ageretur, tanta leuitate fuerat tentandum de quo nullum vsquam verbum legebatur? At si qua decet humilitate cogitationes omnes suas sub Dei verbo continuissent, auscultassent certè quod ipse dixit, Accipite,manducate,bibite:huícque mandato paruissent, quo accipi sacramẽtum,non adorari iubet. Qui verò,vt à Deo mandatum est, sine adoratione accipiunt, securi sunt se à mandato Dei non deflectere:qua securitate nihil melius est quũ quid operis instituimus. Habẽt Apostolorum exemplum, quos non legimus prostratos adorasse,sed, vt erant discumbentes,accepisse & manducasse. Habent Apostolicę Ecclesię vsum,vbi fideles non in adoratione sed in fractione panis cõmunicasse, à Luca narratur. Habent Apostolicam doctrinam qua Paulus Corinthiorum Ecclesiã instituit, professus se à Domino accepisse quod tradebat. Act.2.g.42. 1.cor.11.d.23

36 Atque hæc quidem eò tendunt, vt expendant pii lectores quàm nõ tutum sit in rebus tam arduis à simplici Dei verbo ad cerebri nostri somnia euagari. Quæ autem superius dicta sunt,omni hac in re scrupulo liberare nos debent. Nam vt Christum illic rite apprehendant piæ animæ,in cælũ erigantur necesse est. Quòd si hoc sacramenti officium est, mentem hominis infirmam alioqui adiuuare, vt ad percipiendam spiritualium mysteriorum altitudinem sursum assurgat: qui in signo externo detinentur, à recta quærendi Christi via aberrant. Quid ergo? superstitiosum esse cultum negabimus, quum sese homines coram pane prosternunt vt Christum illic adorent? Huic malo proculdubio voluit obuiare Nicena Synodus, quum vetuit nos humiliter attentos esse ad proposita symbola. Nec alia causa institutum olim fuit vt ante consecrationem populus alta voce admoneretur habere sursum corda. Ipsa quoque Scriptura, præterquam quòd Christi ascensionem diligenter nobis enarrat, qua corporis sui presentiam à conspectu nostro consuetudinéque subduxit: quo nobis omnem de eo carnalem cogitationem excutiat, quoties ipsius meminit, mentibus sursum erigi iubet, & ipsum in cælo quærere sedentem in Patris dextera. Secundum hanc regulam erat potius spiritualiter in cælesti gloria adorandus, quàm excogitandum istud tam periculosum adorationis genus, plenum carnalis crassæque de Deo opinionis. Quare qui sacramenti adorationem excogitarunt,eam non modò à se ipsis somniarunt citra Scripturam,vbi nulla illius mentio ostendi potest(quæ tamen non fuisset prætermissa si Deo accepta foret)sed reclamãte Scriptura,suæ sibi libidinis arbitrio Deũ fabricati sunt,derelicto Deo viuente. Quid enim est idololatria,si hoc non est,dona pro datore ipso colere? Vbi dupliciter peccatũ est. nam & honor Deo raptus,ad creaturam traductus est:& ipse etiam in polluto ac profanato suo beneficio inhonoratus,dũ ex sancto eius Sacramento factum est execrabile idolum. Nos è cõuerso,ne in eandem incidamus foueam,aures,oculos,corda,mentes, linguas penitus defigamus in sacra Dei doctrina. Est enim ea Spiritus sancti optimi magistri schola,in qua sic proficitur,vt nihil sit aliunde ascisscendum: ignorandum verò libenter quicquid in ea non docetur. Col.3.a.2

37 Iam verò (vt superstitio rectos fines semel egressa, nullum peccandi finem facit) longè vlterius prolapsi sunt. ritus enim excogitarunt à Cœnæ institutione porsus extra-

neos:in hoc tantùm vt diuinis honoribus signum afficerent. Christo, inquiunt, hanc veneros:in hoc tantùm vt diuinis honoribus signum afficerent. Christo, inquiunt, hanc venerationem deferimus. Primùm si in Cœna hoc fieret, dicerem adorationẽ eam demum esse legitimam quæ non in signo residet, sed ad Christũ in cælo sedentem dirigitur. Nunc verò quo prætextu se Christum in illo pane honorare iactant, quum nullam habeant huius rei promissionem? Consecrant hostiã, vt vocant, quam circunferant in pompa: quam spectandam, colendam, inuocandam solenni spectaculo exhibeant. Quæro qua virtute putent esse ritè consecratam. nempe verba illa proferent, Hoc est corpus meum. Ego verò contrà obiiciam, simul dictum esse, Accipite & mãducate. Neque id de nihilo faciam. quum enim præcepto annexa sit promissio, dico hanc sub illo ita inclusam, vt separata, fiat omnino nulla. Id simili exemplo fiet clarius. Mandatum dedit Deus quum diceret, Inuoca me. promissionem addidit, Exaudiã te. Siquis inuocato Petro aut Paulo, hac promissione glorietur, nónne omnes clamabunt eum perperam facere? Et quid aliud quæso, faciunt qui omisso mandato de manducatione, mutilam promissionem abripiunt, Hoc est corpus meum, vt ea in alienos à Christi institutione ritus abutantur? Meminerimus ergo hanc promissionem iis esse datam qui mandatum cum ea coniunctum obseruant eos autem omni verbo destitui qui Sacramentum aliò transferunt. Antea differuimus quomodo nostræ apud Deum fidei seruiat sacræ Cœnæ mysterium. Quando autem tantam hîc suæ bonitatis largitatem, quantam prius enarrauimus, non solùm nobis in memoriam Dominus reuocat, sed quasi de manu in manum profert, & ad eam agnoscendã nos excitat: simul admonet ne tam effusæ beneficentiæ ingrati simus: quin potius eam quibus par est, laudibus prædicemus, & gratiarum actione celebremus. Itaque quum sacramenti ipsius institutum Apostolis traderet, vt id in sui memoriam facerent docuit. Quod Paulus interpretatur, Mortem Domini nuntiare. Id autem est publicè atque vno simul omnes ore palàm fateri, totam vitæ ac salutis fiduciam in morte Domini positam nobis esse: vt nostra illum confessione glorificemus, & alios nostro exemplo ad dandam illi gloriam exhortemur. Hîc apparet rursum quò sacramẽti scopus spectet: nempe vt nos in mortis Christi memoria exerceat. Quod enim iubemur mortem Domini annuntiare, donec ad iudicandum veniat, non aliud est nisi vt oris confessione prædicemus quod fides nostra in Sacramento agnouit: mortem scilicet Christi nostram esse vitam. Hic fecundus est Sacramenti vsus, qui ad externam confessionem attinet.

Psal.50.c.15.

Luc.22.b.19. 1.Co.11.f.26.

38 Tertiò & exhortationis vice nobis Dominus esse voluit: qua non alia vehementius cum ad puritatem & sanctimoniam vitæ, tum verò ad charitatem, pacem, consensum animare nos inflammaréque posset. Nam sic suum illic corpus nobis Dominus communicat vt vnum prorsus nobiscum fiat, nósque cum illo. Porrò quum nonnisi vnum illi corpus sit, cuius nos omnes participes facit, necesse est & nos omnes vnum corpus huiusmodi participatione fieri. Quam vnitatem representat panis qui in sacramento exhibetur, qui velut ex multis granis confectus est, sic inter se commixtis ne alterum ab altero discernere liceat: in hunc modum & nos tanta animorum consensione coniunctos connexósque esse decet, nequid dissidii aut diuisionis intercedat. Id Pauli verbis explicari malo: Calix (inquit) benedictionis cui benedicimus, communicatio est sanguinis Christi: & panis benedictionis quem frangimus, participatio est corporis Christi. Itaque vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus. Præclarè verò in Sacramento profecerimus si impressa insculptáque animis nostri fuerit hæc cogitatio, non posse à nobis quenquam ex fratribus lædi, contemni, reiici, violari, aut vllo modo offendi, quin simul in eo Christum lædamus, spernamus, violemus nostris iniuriis: non posse nos à fratribus dissidere quin simul à Christo dissideamus: Christum à nobis diligi nõ posse quin diligatur in fratribus: qualem corporis nostri curam gerimus, talem fratrum quoque gerendam, qui membra sunt corporis nostri: quomodo nulla corporis nostri pars aliquo doloris sensu tangitur qui non in alias omnes diffundatur: ita non ferendum esse, fratrẽ malo aliquo affici, cuius non & ipsi compassione tangamur. Quamobrem non absre Augustinus, toties sacramentũ hoc appellat charitatis vinculum. Quis enim acrior admoueri stimulus poterat ad excitandã mutuam inter nos charitatem, quàm dum Christus seipsum nobis donans, non modò suo nos exemplo, vt alter alteri nos mutuò deuoueamus ac tradamus inuitat: sed quatenus se facit omnium communem, nos quoque omnes vnum in se ipso esse facit.

1.Co.10.d.16

39 Hinc

39 Hinc autem optimè confirmatur quod alibi dixi,rectam Sacramenti administrationem non absque verbo constare.Quæcunque enim ex Cœna nobis prouenit vtilitas, verbum requirit.siue in fide confirmandi sumus,siue in confessione exercendi,siue excitandi ad officium,precatione opus est. Nihil ergo magis præposterum fieri in Cœna potest,quàm si vertatur in mutam actionem: quod sub Papæ tyrannide factum est. Totam siquidem vim consecrationis à Sacerdotis intentione pendêre voluerũt, quasi hoc nihil ad populum pertineret,cui mysterium maximè explicari oportuerat. Inde autem natus est hic error,quòd non obseruabant promissiones illas quibus conficitur cõsecratio, non ad elemẽta ipsa,sed ad eos qui recipiunt,destinari. Atqui nõ panem alloquitur Christus, vt corpus suum fiat:sed discipulos iubet manducare atque illis corporis & sanguinis sui communicationem pollicetur.Nec alium ordinem docet Paulus, quàm vt vnà cum pane & calice promissiones fidelibus offerantur.Ita est sané.Non hîc magicam aliquam incantationem imaginari nos decet,vt satis sit verba demurmurasse,quasi ab elementis exaudiantur:sed verba illa viuam prædicationem esse intelligamus,quæ auditores ædificet, quæ intus penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur ac insideat, quæ efficaciam in complemento eius quod promittit exerat. His rationibus clarè patet, repositionem Sacramenti,quam nonnulli vrgent vt ægrotis extra ordinem distribuatur,inutilem esse.Aut enim sine recitatione institutionis Christi accipiẽt,aut minister vnà cum signo veram mysterii explicationem coniunget.In silentio est abusus ac vitium. Si referuntur promissiones,& mysterium enarratur,vt cum fructu recipiãt qui recepturi sunt, non est quod dubitemus hanc esse veram consecrationem. Quorsum igitur euadet altera, cuius vis ad ægrotos vsque non peruenit? Sed enim qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor.verùm in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur,nihil tutius est quàm ipsam veritatem sequi.

40 Porrò quemadmodum sacrum hunc panem Cœnæ Domini,spiritualem esse cibum videmus,suauem ac delicatum nõ minus quàm salutiferum piis Dei cultoribus, cuius gustu sentiunt Christum suam esse vitam, quos ad gratiarum actionem erigit, quibus ad mutuam inter se charitatem exhortatio est: ita rursum in nocentissimum venenum omnibus vertitur quorum fidem non alit & confirmat, & quos ad confessionem laudis charitatémque non excitat. Non enim aliter ac cibus corporalis, vbi ventrem offendit vitiosis humoribus occupatum,ipse quoque vitiatus & corruptus nocet magis quàm nutrit: cibus etiam hic spiritualis, si in animam inciderit malitia nequitiáque pollutam, maiore illam ruina præcipitat. non suo id quidem vitio, sed quia pollutis & infidelibus nihil est mundum, quamlibet alioqui sanctificatum Domini benedictione. Nam, vt ait Paulus, qui indignè manducant & bibunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini, iudiciúmque sibi manducant & bibunt,non diiudicantes corpus Domini.Tale enim hominum genus, quod sine vlla fidei scintilla, sine vllo charitatis studio, ad vsurpandam Cœnã Domini,instar porcorum se proripit,minimè discernit corpus Domini. Nã quatenus corpus illud suam essevitam non credunt, qua possunt cõtumelia ipsum afficiunt, omni sua dignitate spoliantes:ac demum sic accipiendo,profanãt & contaminant. Quatenus verò alienati à fratribus ac dissidentes, sacrum corporis Christi symbolum cum suis dissidiis commiscere audent,non stat per eos quominus Christi corpus discerpatur, ac membratim dilanietur.Itaque non immeritò rei sunt corporis & sanguinis Domini, quod sacrilega impietate fœdè adeò polluunt. Hac ergo indigna manducatione damnationem suam sibi accipiũt. Nam quum nullam in Christo fidem repositam habeant, Sacramento tamen accepto, profitentur non alibi quàm in eo esse sibi salutem, omnémque aliam fiduciam abiurant. Quare ipsi sibi sunt accusatores: testimonium ipsi aduersum se pronuntiant, damnationem ipsi suam obsignant.Deinde quum odio ac maleuolentia diuisi distractique à fratribus, hoc est Christi membris, partem in Christo nullam habeant: testificantur tamen hanc vnam salutem esse, Christo communicare, & illi vnitum esse. Eam ob rem præcipit Paulus vt probet seipsum homo antequam de hoc pane edat, aut bibat è calice.Quo (vt ego quidẽ interpretor) voluit vnumquemque in se descendere, & secũ reputare an interiore cordis fiducia in salutẽ à Christo partã recũbat:an oris cõfessione agnoscat:deinde an innocẽtiæ ac sanctitatis studio ad Christi imitationẽ aspiret: an eius exemplo sese fratribus dare paratus sit, ac se iis communicare quibuscum Christum communem habet:an vt ipse à Christo censetur, ita vicissim fratres omnes pro corporis

Tit.1.d.15. 1.Co.11.g.27

Ibidem f.28.

ſui membris habeat:an eos inſtar membrorum ſuorum fouere, tueri, iuuare cupiat. Non quia hæc tum fidei tum charitatis officia nunc perfecta in nobis eſſe poſſint:ſed quia huc nos contendere & votis omnibus aſpirare oportet, vt inchoatam fidem magis in dies ac magis augeamus.

41 Vulgò dum homines ad eam manducandi dignitatem comparare volunt,miſeras conſcientias torſerunt ac diuexarunt diris modis:nec tamen quicquã eorum quæ in rem eſſent attulerunt. Dignè manducare eos dixerunt qui in ſtatu gratię eſſent. In ſtatu gratię eſſe interpretati ſunt purũ purgatúmque omni peccato eſſe. Quo dogmate omnes quotquot in terris vnquam fuerũt & ſunt homines,ab huius Sacramẽti vſu arcebantur. Nam ſi hoc agitur vt noſtram à nobis dignitatem petamus,actũ de nobis eſt: deſperatio tãtum & exitialis ruina nos manet. Totis licet viribus adnitamur,non aliud proficiemus niſi vt tum denique indigniſſimi futuri ſimus quum de quærẽda dignitate maximè laboratum à nobis fuerit. Quo huic vlceri mederentur, modum excogitarunt acquirendæ dignitatis: vt quantum in nobis eſt examine habito,repoſcitáque à nobis factorum omnium ratione,contritione,confeſſione,ſatisfactione,noſtram indignitatem expiaremus: quæ expiandi ratio qualis ſit,dictum eſt vbi erat aptior dicendi locus. Quod ad præſens inſtitutũ attinet,dico hæc nimiũ eſſe ieiuna euanidáque ſolatia conſternatis deiectíſque conſcientiis,& peccati ſui horrore perculſis. Nam ſi Dominus interdicto neminem in Cœnæ ſuæ participationem admittit niſi iuſtum & innocentem: non leui cautione opus eſt,quæ alquem ſuæ iuſtitiæ ſecurum reddat, quàm à Deo requiri audit. Vnde verò hæc nobis confirmatur ſecuritas,apud Deum defunctos eſſe qui fecerunt quod in ſe eſt? Quod ſi etiam ita eſſet, quando tamen erit vt ſpondere quis ſibi audeat, ſe feciſſe quod in ſe erat? Ita quum nulla certa noſtræ dignitatis ſecuritas fiat,manebit ſemper clauſus aditus,horribili illo interdicto, quo edicitur iudicium ſibi manducare & bibere qui indignè manducant & bibunt.

42 Nunc iudicare promptum eſt qualis ſit hæc quæ in Papatu regnat doctrina, & à quo authore profecta ſit, quæ miſeros peccatores & trepidatione mœſtitiáque afflictos, huius ſacramẽti conſolatione immani ſua auſteritate orbat & ſpoliat:in quo tamẽ omnes Euangelii deliciæ illis proponebantur. Certè diabolus nullo maiori compendio homines perdere poterat,quàm ſic eos infatuando,ne guſtum & ſaporem talis alimenti perciperẽt quo eos optimus Pater cæleſtis paſcere voluerat. Ne igitur in huiuſmodi præcipitium ruamus, meminerimus has ſacras epulas ægrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem: quæ ſanis, iuſtis, & diuitibus, ſiqui reperiri poſſent, nullum afferrent operæpretium. Nam quum in illis Chriſtus nobis in cibum detur:intelligimus, nos ſine ipſo tabeſcere,liqui,deficere: qualiter inedia corporis vigorem extinguit. Deinde quum in vitam detur, intelligimus nos ſine ipſo in nobis planè mortuos eſſe. Quare ea eſt dignitas quam vnam & optimam afferre Deo poſſumus, ſi noſtram ei vilitatem, & (vt ita loquar) indignitatem offeramus, vt ſua miſericordia nos ſe dignos faciat: ſi animos in nobis deſpondeamus, vt nos in ipſo conſolemur: ſi nos humiliemus, vt ab ipſo erigamur: ſi nos accuſemus, vt ab ipſo iuſtificemur. præterea ſi ad eam quam in ſua Cœna nobis commendat vnitatem aſpiremus: & quemadmodum nos omnes vnum in ſeipſo eſſe facit, ita vnam omnino animam, cor vnum,linguam vnam nobis omnibus optemus. Hæc ſi perpenſa & meditata habuerimus, nunquam nos illæ cogitationes, etiamſi concutiant, proſternent. Nos bonorum omnium egeni & nudi, nos peccatorum ſordibus inquinati,nos ſemimortui, quomodo corpus Domini dignè manducaremus? Magis cogitabimus nos pauperes venire ad benignum largitorem, ægros ad medicum, peccatores ad iuſtitiæ authorem: mortuos denique ad eum qui viuificat, dignitatem illam, quæ à Deo mandatur, fide præcipuè conſtare quæ omnia in Chriſto, nihil in nobis reponit. deinde charitate, & ea quidem ipſa quam Deo imperfectam offerre ſatis ſit, vt ipſam in melius augeat: quando præſtari ſolida non poteſt. Alii nobiſcum in hoc conſentientes, dignitatem ipſam in fide & charitate poſitam eſſe: in modo tamen ipſo dignitatis longè aberrarunt, fidei perfectionem exigentes, cui nihil omnino accedere poſſit: & charitatem parem ei quam Chriſtus erga nos declarauit. At eo ipſo omnes ab huius Cœnæ ſacroſanctæ acceſſu, non ſecus ac priores illi, abigunt. Si enim obtineret eorum ſententia,nemo niſi indignè acciperet: quando ad vnum omnes rei conuictíque ſuæ imperfectionis tenerentur. Et ſane nimii ſtuporis, ne dicam ſtoliditatis, fuerit, eam perfectionem

ctionem in recipiendo Sacramento requirere quę Sacramentum irritum ſuperuacuúmque faciat:quod non perfectis inſtitutum eſt, ſed infirmis ac debilibus ad vellicandum, excitandum,ſtimulandum,exercendum fidei & charitatis affectum:defectum verò vtriuſque corrigendum.

43 Cæterùm quòd ad externum actionis ritũ ſpectat,in manũ accipiant fideles, néc-ne:inter ſe diuidant,an ſinguli quod ſibi datum fuerit,edant: calicem in Diaconi manu reponant,an proximo tradant:panis ſit fermentatus,an azymus:vinum rubrũ,an album: nihil refert.Hæc indifferentia ſunt,& in Eccleſiæ libertate poſita. Quanquam certũ eſt, veteris Eccleſiæ ritum fuiſſe vt omnes in manum acciperent.Et Chriſtus dixit, Diuidite inter vos.Fermentatum & vulgarem panem fuiſſe ante tempus Alexandri Romani Epiſcopi,narrant hiſtoriæ:qui primus azymo pane delectatus eſt: qua id ratione, non video niſi vt plebis oculos nouo ſpectaculo in admirationem traheret magis quàm vt animos proba religione inſtitueret.Omnes obiuro,qui vel leui aliquo pietatis ſtudio tanguntur, annon euidenter perſpiciant,& quanto præclarius Dei gloria hîc reſplendeat, & quanto affluentior ſpiritualis conſolationis ſuauitas ad fideles redeat, quàm in iſtis frigidis & hiſtrionicis nugis,quæ nullum alium vſum afferunt niſi vt ſtupentis populi ſenſum fallãt. Id populum religione contineri vocant, quum ſuperſtitione ſtolidus & infatuatus, quouis trahitur.Siquis vetuſtate tueri huiuſmodi inuẽtiones velit,nec ipſe ignoro quàm vetuſtus ſit chriſmatis & exufflationis in Baptiſmo vſus: quàm non longè ab ætate Apoſtolorum Cœna Domini tacta rubigine fuerit:ſed iſthæc ſcilicet humanæ confidentiæ procacitas eſt, quæ ſe continere nequit quin ſemper in Dei myſteriis ludat & laſciuiat. Nos verò meminerimus tanti eſſe Deo verbi ſui obedientiam,vt in ea & Angelos ſuos & orbẽ vniuerſum iudicare nos velit.Porrò tanta ceremoniarum congerie faceſſere iuſſa, ſic adminiſtrari decentiſſimè poterat,ſi ſæpiſſimè & ſingulis ad minimum hebdomadibus proponeretur Eccleſiæ.initium autem fieret à publicis precibus: haberetur deinde concio. tum miniſter,propoſito in menſa pane & vino,inſtitutionẽ Cœnæ referret: deinde promiſſiones enarraret quæ in ea nobis relictæ ſunt,ſimul eos omnes excommunicaret qui interdicto Domini ab ea arcentur:poſtea oraretur,vt qua Dominus benignitate ſacrum hoc alimentum nobis largitus eſt,nos quoque ad id ſuſcipiendum fide & animi gratitudine erudiret & formaret.& quando ex nobis non ſumus,ſua miſericordia nos dignos faceret tali conuiuio.hîc verò aut canerentur Pſalmi,aut aliquid legeretur, & quo decet ordine fideles ſacroſanctis epulis communicarent,miniſtris panem frangentibus, & populo præbentibus.finita Cœna,exhortatio haberetur ad ſynceram fidem & fidei confeſſionem,ad charitatem & mores Chriſtianis dignos.poſtremò gratiarum actio referretur, & laudes Deo canerentur.Quibus finitis Eccleſia dimitteretur in pace. Luc.22.b.17.

44 Quæ de Sacramento hoc hactenus diſſeruimus,abundè oſtendunt, non inſtitutum ideo fuiſſe vt ſemel quotannis acciperetur,idque perfunctoriè (vt nunc communiter moris eſt)verùm quo frequenti in vſu Chriſtianis omnibus eſſet,vt frequenti memoria paſſionem Chriſti repeterent.qua recordatione & fidem ſuam ſuſtinerent ac roborarent,& ſeſe ad confeſſionem laudis Deo canendam bonitatémque eius prædicandã hortarentur,& qua poſtremò mutuam charitatẽ alerent,& ſibi etiam inter ſe teſtificarẽtur, cuius copulam in vnitate corporis Chriſti viderent. Quoties enim ſymbolo corporis Domini communicamus,velut data & accepta teſſera,alter alteri nos viciſſim obſtringimus ad omnia dilectionis officia,vt nequid admittat noſtrum quiſpiam quo fratrẽ lædat, nequid prætermittat quo eum iuuare poſſit,vbi neceſſitas poſtulat & facultas ſuppetit. Talẽ fuiſſe Eccleſiæ Apoſtolicæ vſum,Lucas in Actis commemorat, quũ fideles ait perſeuerantes fuiſſe in doctrina Apoſtolorũ,cõmunicatione,fractione panis, & orationibus. Sic agendum omnino erat,vt nullus Eccleſiæ conuentus fieret ſine verbo,orationibus, participatione Cœnæ & eleemoſynis.Hunc & apud Corinthios fuiſſe inſtitutum ordinẽ, ſatis ex Paulo coniicere licet:& multis poſtea ſeculis in vſu fuiſſe cõſtat.Inde enim veteres illi Canones,quos Anacleto & Calixto tribuunt,vt peracta conſecratione omnes cõmunicent,qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Et in vetuſtis illis Canonibus quos Apoſtolorũ vocant,habetur, Qui non perſeuerant vſq; ad finẽ, & ſacram cõmunionem non percipiunt,tanquã inquietudinem Eccleſiæ mouentes,corrigendos.In Antiocheno etiam Concilio decretum eſt vt qui Eccleſiam intrant,Scripturas audiunt, & à communione abſtinent,ab Eccleſia remoueantur,donec vitiũ hoc correxerint.Quod tametſi in Act.2.g.42

Concilio Toletano primo vel mitigatum fuit, vel mitioribus saltem verbis propositum: tamen illic quoque statuitur, vt qui audita concione nunquam cõmunicare deprehensi fuerint, admoneantur. Si post monitionem abstineant, arceantur.

45 His scilicet constitutionibus volebant sancti viri retinere ac tueri frequentẽ communionis vsum, ab ipsis Apostolis traditum: quem fidelibus maxime salutarem esse, vulgi autem negligentia sensim obsolescere videbant. De ętate autem sua testatur Augustinus, Huius, inquit, rei sacramentum vnitatis corporis Domini alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum, in Dominica mensa præparatur, & de mensa illa sumitur: quibusdam ad vitam, aliis ad exitium. Et in Epistola ad Ianuarium priore, Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiũt, alibi nullus dies intermittitur quo nõ offeratur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico, alibi nõnisi Dominico. Quoniam autem, vt diximus, plebs interdum remissior erat, instabant sancti viri seueris obiurgationibus, ne conniuere ad hanc socordiam viderentur. Tale exemplum est apud Chrysostomũ in Epistolam ad Ephesios, Non est dictum ei qui conuiuiũ dehonestabat, Quare recubuisti? sed, Quare ingressus es? Quisquis mysteriorum particeps nõ est, improbus est, & impudẽs quòd hîc adstat. Quæso, siquis ad conuiuium vocatus venerit, manus lauerit, discubuerit, visus fuerit se ad edendum comparare, deinde nihil gustet, nónne contumelia & conuiuium afficiet & conuiuatorem? Sic tu, inter eos stans qui oratione se ad sumẽdum sacrosanctum cibum præparant, te vnum esse ex eorum numero, eo ipso quòd non abscessisti confessus es, tandem non participas: nónne satius foret te non cõparuisse? Indignus sum, inquis. Ergo nec communione orationis dignus eras, quę est ad sumendum sacrum mysterium preparatio.

In 6. cap. Iohan. tract. 26

In cap. 1 homil. 26 Mat. 22. b. 12

46 Et sanè hæc consuetudo quæ semel quotãnis communicare iubet, certissimum est diaboli inuentum: cuiuscunque tandem ministerio inuecta fuerit. Aiũt Zepherinum eius decreti fuisse authorem, quod tale fuisse nequaquã credibile est quale nũc habemus. Ille enim, suo instituto, non fortè pessimè Ecclesię consulebat, vt tum erant tempora. Minimè enim dubium est quin tum sacra Cœna proponeretur fidelibus quoties in cœtum cõuenirent: nec dubium etiam quin bona eorum pars communicaret. sed quum vix vnquam eueniret vt omnes simul communicarent, esset verò necesse eos qui permixti erãt profanis & idololatris, externo aliquo symbolo fidem suam testari: diem illũ, ordinis & politiæ causa, vir sanctus statuerat, quo totus Christianorum populus fidei cõfessionem participatione Cœnæ Domini ederet. Probum alioqui Zepherini institutum malè detorsit posteritas, quum certa lex de vna quotãnis communicatione posita est: qua factum est vt ferè omnes, quum semel communicauerunt, quasi in reliquum anni tempus pulchrè defuncti, in vtramque aurem securi dormiant. Longè aliter factum oportuit: singulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat Christianorũ cœtui mensa Domini, declarandæ promissiones quæ nos in ea spiritualiter pascerent: nullus quidem necessitate cogendus, sed cohortandi omnes, & stimulandi: obiurgandus etiam ignauorum torpor. Omnes gregatim, vt famelici, ad tales lautitias conuenirent. Non iniuria igitur principio cõquestus sum, diaboli arte intrusam hanc consuetudinem: quę dum vnum anni diem pręscribit, in totum annum socordes reddit. Videmus quidem peruersum hunc abusum Chrysostomi tẽpore iam obrepsisse: sed videre simul licet quantopere ipsi displicuerit. Cõqueritur enim grauibus verbis eo quem nuper citaui loco, tãtam esse huius rei inęqualitatem, quòd aliis anni tẽporibus sæpenumero, nec quũ mundi essent, accederẽt: in Paschate, etiam immundi. Deinde exclamat, O consuetudinẽ, ô præsumptionem! Frustra ergo habetur quotidiana oblatio: frustra stamus ad altare. Nemo est qui simul participet. Tantùm abest vt authoritate sua interposita comprobarit.

47 Ex eadem prodiit officina & altera constitutio, quæ dimidiam Cœnæ partẽ meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit: nempe symbolum sanguinis, quod laicis & profanis (his scilicet titulis Dei hæreditatem insigniunt) interdictum, paucis rasis & vnctis in peculium cessit. Edictum æterni Dei est vt omnes bibant: quod homo noua & contraria lege antiquare & abrogare audet, edicens ne omnes bibant. Ac ne sine ratione aduersus Deum suum pugnent tales legislatores, pericula obtenduut quæ accidere possent si omnibus passim exponeretur sacer hic calix. acsi ab æterna Dei sapientia prospecta ea & animaduersa non essent. Deinde argutè scilicet raciocinantur, vnum pro duobus esse satis. Nam si corpus est (inquiunt) totus Christus est, qui à suo corpore iam

iam diuelli non poteſt. Ergo & corpus ſanguinem per concomitantiam complectitur. En ſenſus noſtri cum Deo conſenſum, vbi vel tantillum laxis habenis laſciuire ferociréque cœpit. Dominus, panem oſtendens, corpus ſuum eſſe dicit: calicem dum oſtendit, ſanguinem vocat. Humanæ rationis audacia contrà reclamat, panem eſſe ſanguinem, vinum eſſe corpus. acſi Dominus nulla cauſa corpus ſuum à ſanguine & verbis & ſignis diſtinxiſſet: & vnquã fando auditum eſſet, corpus Chriſti, aut ſanguinem, Deum & hominem appellari. Sanè ſi deſignare ſe totum voluiſſet, dicere poterat, Ego ſum: qualiter loqui in Scripturis conſueuit: non autem, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Sed fidei noſtræ infirmitati ſuccurrere volens, calicem ſeorſum à pane ſtatuit, vt doceat ſe ad potum non minus quàm cibum ſufficere. Nunc tollatur pars vna, nonniſi dimidium alimẽtorum in eo reperiemus. Ergo, vt verum ſit quod obtendunt, ſanguinem eſſe in pane per concomitantiam, & corpus rurſum in calice: confirmatione tamen fidei, quam Chriſtus vt neceſſariam tradit, pias animas fraudant. Itaque, argutiis eorum valere iuſſis, retinenda nobis eſt vtilitas quæ in duplici arrha ex Chriſti ordinatione percipitur.

48 Equidem ſcio, Satanæ miniſtros (vt ſolẽne illis eſt Scripturas ludibrio habere) hîc cauillari. Primùm cauſantur, ex ſimplici facto non eſſe ducendam regulam qua Eccleſia ad perpetuam obſeruationem obligetur. At mentiuntur quum ſimplex factum eſſe dicunt: neque enim porrexit tantùm calicem Chriſtus: ſed inſtituit vt Apoſtoli ſic in poſterum facerent. Præcipientis enim verba ſunt, Bibite ex hoc calice omnes. Et Paulus ſic factum eſſe commemorat vt pro certo inſtituto commendet. Alterum effugium eſt, ſolos Apoſtolos in huius Cœnæ participationem à Chriſto admiſſos, quos iam in ſacrificorum ordinem allegerat & cooptauerat. Velim tamen mihi ad quinque poſtulata reſpõdeant: quibus elabi non poterũt quin facilè cum ſuis mendaciis reuincantur. Primùm, quo oraculo reuelatam habent hanc ſolutionem, tam alienam à verbo Dei? Scriptura duodecim recenſet qui accubuerint cum Ieſu: ſed non ita Chriſti dignitatem obſcurat, vt ſacrificos eos appellet. de quo nomine poſtea ſuo loco. Etſi duodecim tum dedit, præcepit tamẽ vt ſic facerent: nempe vt ſic inter ſe diſtribuerent. Secundò, cur meliore illo ſeculo, ab Apoſtolis ad mille vſque annos poſtea, ſine exceptione omnes fiebant vtriuſque ſymboli participes? ignorabátne vetus Eccleſia quos Chriſtus conuiuas ad Cœnam ſuam admiſiſſet? Perditiſſimæ impudentię fuerit hîc reſtitare & tergiuerſari. Extant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, extant veterum libri, qui aperta huius rei teſtimonia ſuggerũt. Caro (inquit Tertullianus) corpore & ſanguine Chriſti paſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. Quomodo huiuſmodi manibus (dicebat Ambroſius Theodoſio) ſacrum Domini corpus ſuſcipies? Qua audacia poculum ſanguinis pretioſi ore tuo participabis? Hieronymus, Sacerdotes, qui euchariſtiam conficiunt, & ſanguinem Domini populo diſtribuunt. Chryſoſtomus, Non ſicut in veteri Lege partem quidem ſacerdos comedebat, partem verò populus: verùm omnibus corpus vnum proponitur, & poculum vnum. Ea quæ ſunt euchariſtiæ, communia ſunt omnia inter Sacerdotem & populum. Id ipſum Auguſtinus plurimis locis teſtatur.

Lib. De reſur. car.
Refert Theodorit. lib. 3. cap. 18
Hieronym. in 2. Malach.
Chryſoſt. in 2. Cor. ca. 8. homil. 18.

49 Sed quid de re notiſſima diſputo? Legantur omnes Græci & Latini ſcriptores: paſſim occurrẽt eiuſmodi teſtimonia. Neque obſoleuit hæc conſuetudo, dũ aliqua integritatis gutta in Eccleſia ſuperfuit. Gregorius, quẽ vltimum Romę Epiſcopum fuiſſe iure dicere poſſis, ſua ætatæ ſeruatum fuiſſe docet. Quis ſit ſanguis agni, iam nõ audiendo, ſed bibẽdo didiciſtis. Eius ſanguis in fideliũ ora profunditur. Imò quadringẽtis poſt eius mortem annis, quum iam omnia degeneraſſẽt, adhuc durauit. Neque enim id pro more dũtaxat, ſed pro lege inuiolabili habebatur. Vigebat enim tunc diuinæ inſtitutionis reuerẽtia: nec ſacrilegium eſſe dubitabant, ſeparare quæ eſſent à Domino coniuncta. Sic enim loquitur Gelaſius, Comperimus quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice abſtineant: qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione videntur adſtricti, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Diuiſio enim iſtius myſterii ſine grandi ſacrilegio non admittitur. Audiebantur illæ Cypriani rationes, quæ ſanè Chriſtianam mentem permouere debent. Quomodo, inquit, docemus aut prouocamus eos in confeſſione Chriſti ſanguinem fundere, ſi militaturis ſanguinem eius denegamus? Aut quomodo facimus ad martyrii poculum idoneos, ſi non eos ad bibendum Domini poculum prius in Eccleſia iure communionis admittimus? Quod autem ad ſacerdotes reſtringũt Canoniſtæ illud Gelaſii decretum, magis puerile eſt cauillum quàm vt refutari debeat.

Refertur Dè cõſecra. diſt. 2. cap. Comperimus.
Serm. 5. De lapſis.

50 Tertiò, cur de pane ſimpliciter dixit vt ederent: de calice, vt omnes biberent? Acſi Satanæ çalliditati ex deſtinato occurrere voluiſſet. Quartò, ſi ſua Cœna Dominus ſolos ſacrificos (vt ipſi volunt) dignatus eſt, quis vnquam hominum auſus eſſet vocare in participationem extraneos, qui à Domino excluſi eſſent? & participationem quidem eius doni cuius penes ſe poteſtas non eſſet, nullo eius mandato qui ſolus dare poterat? Imò qua id fiducia hodie vſurpant, vt plebeculæ ſymbolum Chriſti corporis diſtribuant, ſi nullum habent Domini vel mandatum vel exemplum? Quintò, an mentiebatur Paulus, quum dicebat Corinthiis, ſe accepiſſe à Domino quod illis tradiderat? Nam poſtea traditionem declarat, vt omnes promiſcuè vtroque ſymbolo communicarẽt. Quòd ſi à Domino Paulus acceperat, omnes ſine diſcrimine admittendos: videant à quo acceperint qui vniuerſam penè Dei plebem abigunt. quando iam Deum authorem prætendere non poſſunt, apud quem non eſt Eſt & non. Et adhuc tales abominationes nomine Eccleſiæ prætexere audent, & hoc prætextu defendere. quaſi verò aut iſti Antichriſti Eccleſia ſint, qui Chriſti doctrinam & inſtitutiones tam ex facili proterunt, diſſipant, abrogant: aut Apoſtolica Eccleſia, Eccleſia non fuerit, in qua tota vis religionis effloruit.

2.Cor.1. d.19

De Miſſa Papali, quo ſacrilegio non modò profanata fuit Cœna Chriſti, ſed in nihilum redacta. CAP. XVIII.

His & ſimilibus inuẽtis conatus eſt Satan, velut offuſis tenebris, ſacram Chriſti Cœnam infuſcare & inquinare: ne ſaltem eius puritas in Eccleſia retineretur. Sed horrendæ abominationis caput fuit, quum ſignum extulit, quo non modò obſcuraretur & peruerteretur, ſed penitus obliterata & abolita euaneſceret, & ex hominum memoria excideret: nempe quum peſtilentiſſimo errore totum penè orbem obcæcauit, vt crederet Miſſam ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam peccatorum remiſſionem. Quomodo initio dogma iſtud acceperint ſaniores Scholaſtici, nihil moror: valeant ipſi cum ſpinoſis ſuis argutiis: quæ vtcunque cauillando defẽdi queant, ideo tamen repudiandæ ſunt bonis omnibus quòd nihil quàm Cœnæ claritatem multis tenebris inducunt. Illis ergo valere iuſſis, cõgredi mecum lectores intelligãt cum ea opinione qua Romanus Antichriſtus ac eius prophetæ totum orbem imbuerunt, nempe Miſſam eſſe opus quo ſacerdos qui Chriſtum offert & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur: vel expiatoriam eſſe victimam, qua ſibi Deum reconciliẽt. Neque id communi tantùm vulgi opinione receptũ eſt, ſed ipſa quoque actio ſic eſt inſtituta vt genus ſit placationis quo pro viuorum & mortuorum expiatione Deo ſatiſfiat. Hoc quoque ſonant verba quibus vtuntur: nec aliud ex quotidiano vſu colligere licet. Quàm altas radices fixerit hæc peſtis, ſcio: quanta ſub ſpecie boni lateat, vt nomen Chriſti præferat, vt vno Miſſæ nomine totam fidei ſummam cõplecti ſe multi credant. Sed vbi verbo Dei, clariſſimè comprobatum fuerit, hanc quantumuis fucatam & ſplendidam inſigni contumelia Chriſtum afficere, crucem eius ſepelire & opprimere, mortem eius in obliuionem tradere, fructum qui ex ea nobis proueniebat tollere, Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, eneruare & diſſipare: an erunt vllæ tam profundæ radices quas non validiſſima hæc ſecuris, verbum inquam Dei, conſcindat & euertat? An vlla tam ſpecioſa facies ſub qua latens malum lux hæc non prodat?

2 Oſtendamus ergo quod primo loco propoſitum eſt, intolerabilem illic blaſphemiam ac contumeliam Chriſto irrogari. Sacerdos enim & Pontifex à Patre conſecratus eſt, non ad tempus: quomodo illi in Veteri teſtamento conſtituti leguntur, quorum quũ vita mortalis eſſet, ſacerdotium immortale eſſe non poterat: quare & ſucceſſoribus opus erat qui ſubinde in demortuorum locum ſubrogarentur. At Chriſto, qui immortalis eſt, vicarium ſubſtitui minimè neceſſe eſt. Itaque à Patre deſignatus eſt Sacerdos in æternũ, ſecundum ordinem Melchiſedec: vt æternum permanente ſacerdotio fungeretur. Hoc myſterium in Melchiſedec antè multo figuratum fuerat, quem vbi Scriptura ſemel induxit Sacerdotem Dei viuentis, nunquam poſtea eius meminit, acſi nullum vitæ finem habuiſſet. Hac ſimilitudine Chriſtus ſecundum eius ordinem Sacerdos dictus eſt. Iam verò qui quotidie ſacrificant, oblationibus ſacerdotes præficiant neceſſe eſt, quos Chriſto velut ſucceſſores & vicarios ſubrogent. Qua ſubrogatione non modò Chriſtum ſuo honore ſpoliãt, & æterni ſacerdotii prærogatiuã illi rapiunt: ſed è dextera Patris deturbare ipſum conantur: in qua ſedere immortalis non poteſt quin ſimul æternus Sacerdos maneat.

Heb.5.b.5, & c.10, & 7. c.17.21, & 9. c.11, &10.d. 21

Pſal.110.b. 14, geneſ.14. d.18

Neque

Neque cauſentur non ſuffici ſuos ſacrificulos Chriſto quaſi demortuo, ſed ſuffraganeos duntaxat eſſe æterni eius ſacerdotii quod propterea ſtare non deſinit. Verbis enim Apoſtoli fortius conſtringuntur quàm vt ſic elabi poſſint: nempe alios plures eſſe factos ſacerdotes quia morte impedirentur permanere. Chriſtus ergo qui morte non impeditur vnus eſt, nec conſortibus indiget. Quæ tamen eorum eſt improbitas, ad impietatem ſuam tuendam, exemplo Melchiſedec ſe armãt. Quia enim obtuliſſe dicitur panem & vinum, colligunt fuiſſe præludium Miſſæ ſuæ, acſi inter eum & Chriſtum ſimilitudo eſſet in panis & vini oblatione. Quod magis ieiunum eſt ac friuolum quàm vt refutatione egeat. Panem & vinum dedit Melchiſedec Abrahæ & eius comitibus, vt laſſos ex itinere & prælio reficeret. quid hoc ad ſacrificium? Humanitas ſancti regis laudatur à Moſe: myſterium importunè iſti excudunt cuius nulla fit mentio. Fucant tamen ſuum errorem alio colore, quia ſequitur continuo pòſt, Et erat Sacerdos Dei altiſſimi. Reſpondeo, perperam eos trahere ad panem & vinum quod Apoſtolus ad benedictionem refert. Quum ergo Sacerdos eſſet Dei, benedixit Abrahæ. Vnde idem Apoſtolus (quo melior non eſt quærendus interpres) colligit eius præſtantiam: quia minor benedicitur à maiore. Quòd ſi oblatio Melchiſedec ſacrificii Miſſalis figura eſſet, an Apoſtolus, obſecro, qui minima quæque excutit, rem adeò ſeriam & grauem fuiſſet oblitus? Iam (quicquid nugentur) rationem quæ ab ipſo Apoſtolo adducitur, fruſtra conuellere tentabunt, ceſſare ius & honorem ſacerdotii inter homines mortales, quia Chriſtus, qui immortalis eſt, vnicus ac perpetuus eſt Sacerdos. Heb. 7. d. 23. Heb. 7. b. 7.

3 Altera Miſſæ virtus propoſita erat, quòd Chriſti crucem & paſſionem opprimit & obruit. Hoc quidem certiſſimum eſt, euerti Chriſti crucem ſimulac erigitur altare. nam ſi in cruce ſemetipſum in ſacrificium obtulit, quo nos in perpetuum ſanctificaret, & æternam redemptionem nobis acquireret: haud dubiè vis atque efficacia eius ſacrificii nullo fine perſtat. Alioqui nihilo honorificentius de Chriſto ſentiremus quàm de bobus & vitulis qui ſub Lege immolabantur: quorum oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecillæ, quòd ſæpius iterabãtur. Quare aut Chriſti ſacrificio, quod in cruce impleuit, purgationis æternæ vim defuiſſe fatendum erit, aut vno ſemel ſacrificio Chriſtum in omnia ſecula defunctum eſſe. Id eſt quod dicit Apoſtolus, Summum hunc Põtificem Chriſtum ſemel, per immolationem ſui apparuiſſe, ſub conſummationem ſeculi, ad peccati profligationem. Item, Voluntate Dei nos ſanctificatos eſſe per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Item, Chriſtum vna oblatione in perpetuum cõſummaſſe ſanctificatos. Quibus inſignem ſententiam ſubnectit, Acquiſita ſemel peccatorum remiſſione, nullam amplius reſtare oblationem. Hoc & poſtrema ſua voce & inter vltimos ſpiritus edita Chriſtus ſignificauit, quum dixit, Conſummatum eſt. Solemus extremas morientium voces pro oraculis obſeruare. Chriſtus moriẽs teſtatur vno ſuo ſacrificio perfectum eſſe & impletum quicquid in ſalutem noſtram erat. Nobis huiuſmodi ſacrificio, cuius perfectionem lucu-lenter adeò commendauit, quaſi imperfecto, an innumera quotidie aſſuere licebit? Quando ſacroſanctum Dei verbum non affirmat modò, ſed clamat etiam & conteſtatur, hoc ſacrificium ſemel peractum fuiſſe, eius vim æternam permanere: qui aliud poſtulãt, nónne ipſum imperfectionis inſimulant & infirmitatis? At verò Miſſa quæ hac lege tradita eſt vt millies centena ſacrificia in ſingulos dies peragantur, quò ſpectat niſi vt Chriſti paſſio, qua vnicam hoſtiam ſe Patri obtulit, ſepulta ſubmerſãque iaceat? Quis, niſi cæcus, non videat, Satanæ audaciam fuiſſe quæ veritati adeò apertæ ac dilucidæ obluctaretur? Nec me latet quibus præſtigiis hanc ſuam fraudem prætexere ſoleat pater ille mendacii, non varia eſſe nec diuerſa ſacrificia, ſed vnum idem ſæpius repeti. Verùm tales fumi nullo negotio diſcutiuntur. tota enim diſputatione contendit Apoſtolus nõ modò nulla alia eſſe ſacrificia, ſed vnum illud ſemel oblatum fuiſſe, nec amplius iterandum. Subtiliores occultiore etiamnum rima effugiunt, non repetitionem eſſe, ſed applicationem. Sed nihilo difficilius hoc quoque ſophiſma confutatur. neque enim hac lege ſe obtulit ſemel Chriſtus, vt nouis quotidie oblationibus ratum fieret ſuum ſacrificium: verùm vt Euangelii prædicatione ac ſacræ Cœnæ adminiſtratione fructus eius nobis communicetur. Sic Paulus dicit Chriſtum Paſcha noſtrum immolatum eſſe: ac nos epulari iubet. Hæc (inquam) ratio eſt qua nobis ritè applicatur crucis ſacrificium, dum fruendum nobis communicatur, & nos vera fide recipimus. Heb. 9. g. 18. & 10. b. 10, & c. 14. & e. 16. Iohã. 10. c. 30. 1. Cor. 5. e. 7.

4 Sed operæpretium eſt audire quo præterea fundamẽto miſſarium ſacrificium ful-

Malac.1.d.8 ciant. Nam huc Malachiæ vaticinium trahunt, quo pollicetur Dominus futurum vt incensum per orbem vniuersum offeratur nomini suo,& oblatio mũda. Quasi verò nouum sit aut insolitum Prophetis,quum de Gentium vocatione loquũtur, spiritualem Dei cultum,ad quem illas hortantur, externo Legis ritu designare. quo familiarius seculi sui hominibus indicarent in veram religionis societatem esse vocandas. Qualiter etiam in vniuersum rerum veritatem, quæ per Euangelium exhibita fuit, ætatis suæ typis describere solent. Sic pro conuersione ad Dominum,ascensum in Ierusalem:pro Dei adoratione,mu-

Ioel.2.f.28 nerum omne genus oblationem:pro ampliore eius notitia,qua in regno Christi fideles donandi erant, somnia & visiones ponunt. Quod ergo citant, alteri Iesaiæ vaticinio simile est,vbi Propheta de tribus altaribus in Assyria, Ægypto & Iudæa erigendis prædicit. Pri-

Iesa.19.d.21. 23.14 mùm enim quæro annon huius prophetiæ complementum in regno Christi esse concedant. Deinde vbi sint aræ illæ, aut quando vnquam sint erectæ. Tertiò, num existiment singulis regnis destinari singula templa, quale illud Hierosolymitanum fuit. Hæc si perpendunt,fatebuntur,opinor, Prophetam sub typis ætati suæ congruentibus, de spirituali Dei cultu in totum orbem propagando vaticinari. Quam nos illis solutionem damus. Huius tamen rei quia passim obuia exempla occurrunt,non ero in enumeratione longior solicitus. Quanquam in hoc quoque miserè hallucinantur,quòd nullum agnoscunt sacrificium nisi Missarium: quum re vera nunc sacrificent Domino fideles, & mundam offerant oblationem,de qua mox dicetur.

5 Nunc descendo ad tertias Missæ partes, vbi explicandum est quomodo veram & vnam mortem Christi obliteret, & ex hominum memoria excutiat. Nam vt inter homines testamenti confirmatio à morte testatoris pendet: ita etiam testamentum, quo nos peccatorum remissione & æterna iustitia donauit, morte sua confirmauit Dominus noster. In hoc testamento qui variare quicquam aut innouare audent, mortem eius abnegant, & tanquam nullius momenti habent. Quid verò est Missa nisi nouum & prorsus diuersum testamentum? quid enim? annon singulæ Missæ nouam peccatorum remissionem, nouam iustitiæ acquisitionem promittunt: vt iam tot sint testamenta quot Missæ? Veniat ergo rursum Christus, & altera morte nouum hoc testamentum, vel potius infinitis mortibus innumera Missarum testamenta rata faciat. Annon igitur verum principiò dixi, vnicam & verã Christi mortem obliterari per Missas? Quid, quòd eò directè spectat Missa, vt rursum si fieri possit, trucidetur Christus? Nam vbi testamentum est (inquit

Heb.9.c.16 Apostolus) mortem testatoris intercedere illic necesse est. Missa nouum Christi testamẽtum præ se fert: eius ergo mortem postulat. Præterea, hostiam quæ offertur, occidi & immolari necesse est. Si Christus singulis Missis sacrificatur: eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Non id meum est, sed Apostoli argumentum, Si necesse habuisset offerre sæpius semetipsum, oportuisse illum frequenter pati ab origine mundi. Fateor esse illis in promptu responsum quo nos etiam calumniæ notant. aiunt enim sibi obiici quod nec cogitarint vnquam, ac ne possint quidem. Nos verò scimus, mortem ac vitam Christi nequaquam in eorum manu esse. An ipsum interficere instituant, non respicimus: tantùm ostendere animus est, quale absurdum consequatur ex impio ac sceleſto eorum dogmate. Quod ipsum ex ore Apostoli demonstro. Reclament centies licet, sacrificium hoc esse ἀναίματον: negabo ex hominum arbitrio pẽdere, vt sacrificia naturam mutent. quia hoc modo concideret sacra & inuiolabilis Dei institutio. Vnde sequitur, firmũ esse illud principium Apostoli, requiri sanguinis effusionem ne desit ablutio.

6 Iam quartum Missæ munus tractandum, vt scilicet fructum qui è morte Christi ad nos redibat, nobis præripiat: dũ ne agnoscamus & cogitemus, facit. Quis enim cogitet se morte Christi redemptum esse, vbi nouam in Missa redemptionem viderit? Quis peccata sibi remissa confidat, vbi nouam remissionem viderit? Neque euadet qui dixerit, non alia causa nos peccatorum remissionem in Missa obtinere, nisi quia morte Christi iam acquisita est. Non enim aliud affert quàm si iactet ea lege nos à Christo redemptos esse vt nos ipsi redimamus. huiusmodi enim à Satanæ ministris doctrina sparsa est, & talem hodie clamoribus, ferro, igni tuẽtur, Nos, quum Christum Patri in Missa offerimus, hoc oblationis opere assequi peccatorum remissionem, & participes fieri passionis Christi. Quid iam passioni Christi supereſt nisi vt sit exemplum redemptionis, quo discamus nostri esse redemptores? Christus ipse, dum in Cœna veniæ fiduciam obsignat, non iubet discipulos in actione illa hærere, sed ablegat eos ad mortis sacrificium: Cœnam monumentum

vel

vel memoriale (vt vulgò loquuntur) esse significans, ex quo discant victimam expiatricem, qua placandus erat Deus, nonnisi semel offerri debuisse. Neque enim sufficit Christum tenere vnicam esse victimam, nisi & vnica immolatio accedat: vt fides nostra cruci eius affixa sit.

7 Ad coronidem nunc venio, nempe sacram Cœnam, in qua Dominus passionis suę memoriam insculptam formatámque reliquerat: erecta Missa, è medio sublatam, inductam, & deperditam. Si quidem Cœna ipsa donum Dei est, quod cum gratiarum actione accipiendum erat. Sacrificium Missæ pretium Deo numerare fingitur quod ipse in satisfactionem accipiat. Quantum interest inter dare & accipere, tantum à Sacramento Cœnæ sacrificium differt. Atque hæc quidem miserrima hominis ingratitudo est, quòd vbi agnoscenda erat diuinæ bonitatis largitas, gratiæque agendæ, in eo Deum sibi debitorem facit. Sacramentum promittebat, nos Christi morte non semel duntaxat restitutos in vitam: sed assiduè viuificari, quia tunc omnes nostræ salutis numeri impleti sint. Missę sacrificium longè aliam cantilenam canit, Christum oportere quotidie sacrificari, vt aliquid nobis commodet. Cœna in publico Ecclesiæ cœtu distribuenda erat, quo nos de communione doceret qua omnes cohæremus in Christo Iesu. Hanc communitatem dissoluit ac distrahit Missæ sacrificium. postquam enim error inualuit, oportere esse Sacerdotes qui pro populo sacrificarent: quasi relegata esset ad eos Cœna, desiit iuxta Domini mandatũ, fidelium Ecclesiæ communicari. Aditus Missis priuatis est patefactus, quæ excommunicationem quandam magis referrent quàm communitatem illam à Domino institutam quum sacrificulus suam victimam seorsim voraturus, se à toto fidelium populo segregret. Missam priuatam voco, (nequis fallatur) vbicunque nulla est inter fideles Dominicæ Cœnæ participatio, etiamsi aliàs magna hominum multitudo intersit.

8 Ac ipsum quidem Missæ nomen vnde natum sit nunquam certò potui iudicare: nisi quòd mihi verisimile est, ab oblationibus quæ conferebantur, fuisse sumptum. Vnde & veteres plurali ferè numero vsurpant. Sed vt de nomine remittamus controuersiam, dico priuatas Missas cum Christi institutione ex diametro pugnare: ideóque impiam esse sacræ Cœnæ profanationem. Quid enim mandauit nobis Dominus? nónne accipere & diuidere inter nos? Qualem mandati obseruationem docet Paulus? nónne fractionem panis, quæ communio sit corporis & sanguinis? Quum igitur vnus sine distributione accipit, quid simile est? At ille vnus totius Ecclesiæ nomine facit. Quo mandato? annon hoc apertè illudere Deo est, quum vnus priuatim ad se rapit quod nonnisi inter plures fieri debuerat? Sed quia satis clara Christi & Pauli verba sunt, breuiter concludere licet: vbicunque non est fractio panis ad communionem fidelium, illic non Cœnam Domini, sed falsam & præposteram Cœnæ imitationem esse. Falsa autem imitatio, deprauatio est. Porrò deprauatio tanti mysterii, impietate non caret. In Missis ergo priuatis impius est abusus. Atque (vt vitium vnum in religione aliud subinde parit) postquã semel obrepsit ille mos sine communione offerendi, paulatim cœperunt in singulis templorum angulis innumerabiles Missas facere, & populum huc atque illuc distrahere, quem in vnum cœtum coire oportuerat, vt suæ vnitatis mysterium recognosceret. Eant nunc, & idololatriam esse negent quòd panem in suis Missis ostendunt pro Christo adorandum. frustra enim promissiones illas de Christi præsentia iactant: quæ vtcunque intelligantur, non ideo certè datæ sunt vt homines impuri & profani, quoties velint & in quencunque libeat abusum, corpus Christi conficiant: sed vt fideles, dum religiosa obseruatione sequuntur Christi mandatum in Cœna celebranda, vera eius participatione fruantur.

9 Adde quòd hæc peruersitas puriori Ecclesiæ incognita fuit. Vtcunque enim fucũ hîc facere conentur qui sunt inter aduersarios impudentiores, certo tamen certius est, totam antiquitatem ipsis aduersari: vt superius in aliis demonstrauimus, & certius ex assidua veterum lectione iudicari poterit. Verùm antequam finem dicendi faciam, Missarios nostros doctores interrogo, quum sciant potiorem esse Deo obedientiam, quàm victimas: & magis poscere vt voci suæ auscultetur, quàm vt sacrificia offerantur: quomodo hanc sacrificandi rationem Deo acceptam credant, cuius nullum illis constat mãdatum, & quam ne vna quidem Scripturæ syllaba probari vident? Præterea quum Apostolum audiant dicentem, neminem sibi nomen atque honorem sacerdotii vsurpare nisi qui vocatus est, vt Aaron: quin nec Christum ipsum sese ingessisse, sed obedisse Patris vocationi: aut sacerdotii sui authorem Deum institutorémque proferãt oportet: aut honorem non

1.Cor.10.d. 16

1.Sam.15.c. 22

Heb.5.a.4

esse à Deo fateantur, in quem non vocati, improba temeritate irruperunt. Atqui ne apicem quidem literæ obtẽdere possunt qui suo sacerdotio patrocinetur. Cur non igitur sacrificia euanescent, quæ sine sacerdote offerri non possunt?

10 Siquis hinc inde concisas veterum sententias obtrudat, & eorum authoritate cõtendat aliter intelligẽdum esse quod in Cœna peragitur sacrificium, quàm nos exponamus: huic breuiter responsum sit, Si de approbando sacrificii commento, quale in Missa confinxerunt Papistæ, agitur, eiusmodi sacrilegio veteres nequaquam patrocinari. Vtuntur quidem illi sacrificii vocabulo: verùm simul exponunt se aliud nihil intelligere, quàm memoriam veri illius & vnici sacrificii quod in cruce peregit Christus, vnicus (vt ipsi passim prædicant) noster Sacerdos. Hebræi, inquit Augustinus, in victimis pecudum quas offerebant Deo, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit: Christiani iam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis Christi. Hîc certè penitus idem docet quod pluribus verbis in libro De fide ad Petrum Diaconum habetur, quicunque tandem sit author. Verba sunt: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum Vnigenitum, carnem pro nobis factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto, tempore Veteris testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc cum Patre & Spiritu sancto (cum quibus vna est illi diuinitas) sacrificium panis & vini sancta Ecclesia per vniuersum orbem offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse erat oblaturus: & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum. In isto autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit: & sanguinis, quem pro nobis idem effudit. Vnde Augustinus ipse, pluribus locis nihil aliud quàm sacrificiũ laudis esse interpretatur. Denique passim apud eum reperies, non alia ratione vocari Cœnam Domini sacrificium, nisi quòd est memoria, imago testimonium illius singularis, veri & vnici sacrificii quo nos Christus expiauit. Memorabilis etiã locus est lib. 4. De Trinitate cap. 24, vbi postquam differuit de vnico sacrificio, ita concludit, Quoniam in sacrificio quatuor considerantur, cui offeratur, & à quo, quid offeratur, & pro quibus: idem ipse vnus verúsque Mediator per sacrificium pacis nos reconcilians Deo, vnum cum ipso manet cui obtulit. vnum in se fecit pro quibus offerebat. vnus ipse est qui obtulit, & quod obtulit. In eũdem quoque sensum loquitur Chrysostomus. Honorem verò sacerdotii ita Christo vendicãt vt Antichristi vocem fore testetur Augustinus siquis Episcopum inter Deum & homines intercessorem faciat.

Lib. 20. contra Faustũ, cap. 18.

Cõtra aduersarium Legis sæpius.

Lib. 2. cõtra Parmẽ. ca. 8.

11 Neque tamen diffitemur quin ita nobis monstretur illic Christi immolatio, vt crucis spectaculum penè ob oculos statuatur. qualiter in oculis Galatarum Christum fuisse crucifixum dicit Apostolus, dum illis proposita crucis prędicatio fuerat. Sed quia veteres quoque illos video aliò hanc memoriam detorsisse quàm institutioni Domini cõueniebat (quòd nescio quam repetitæ aut saltem renouatæ immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit quàm in pura simplicique Dei ordinatione acquiescere: cuius etiam ideo vocatur Cœna quoniam sola hîc eius authoritas vigere debet. Equidem quum piũ atque orthodoxum de toto hoc mysterio sensum retinuisse eos videam, neque deprehẽdam voluisse vnico Domini sacrificio vel minimũ derogare, vllius impietatis damnare eos non sustineo. excusari tamen non posse arbitror quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati sunt enim propius Iudaicum sacrificandi morem quàm aut ordinauerat Christus, aut Euangelii ratio ferebat. Sola igitur est præposteræ illa anagoge in qua meritò eos quis redarguat, quòd non contenti simplici ac germana Christi institutione, ad Legis vmbras nimis deflexerunt.

Gal. 3. a. 1.

12 Siquis diligenter expendat, hoc discrimen inter Mosaica sacrificia & eucharistiam nostram verbo Domini statui obseruabit, quòd quum illa eandem mortis Christi efficaciam populo Iudaico representarint quæ nobis in Cœna hodie exhibetur, diuersa tamen fuerit repræsentationis species. Siquidem illic sacerdotes Leuitici quod peracturus erat Christus sacrificium iubebantur figurare: sistebatur hostia, quæ vicem ipsius Christi subiret: erat altare, in quo immolaretur: sic denique gerebantur omnia, vt ob oculos poneretur sacrificii effigies quod Deo in expiationem offerẽdum erat. At peracto sacrificio, aliam nobis rationem Dominus instituit: nempe vt fructum oblati sibi à Filio sacrificii, ad populum fidelem transmittat. Mensam ergo nobis dedit in qua epulemur, non altare supe

ſuper quod offeratur victima. non ſacerdotes conſecrauit, qui immolent: ſed miniſtros, qui ſacrum epulum diſtribuãt. Quo ſublimius eſt ac ſanctius myſterium, eo religioſius ac maiore reuerentia tractari conuenit. Ergo nihil tutius quàm vt ablegata omni humani ſenſus audacia, in eo ſolo quod Scriptura tradit hæreamus. Et certè ſi cogitamus Domini non hominum Cœnam eſſe, nõ eſt cur vlla hominum authoritate vel annorum præſcriptione patiamur nos ab illa vel latum vnguem dimoueri. Itaque Apoſtolus, dum vult eã vitiis omnibus repurgare quæ iam in Corinthiorum Eccleſiam irrepſerant, quæ ad id expeditiſſima via erat, ad vnicam illam inſtitutionem reuocat: vnde perpetuam eſſe petendam regulam oſtendit. 1.Cor.11.d.20

13 Porrò nequis rixator ex ſacrificii ac ſacerdotis nominibus nobis pugnam faciat, id quoque, ſed compendio, expediam, quid per ſacrificium, quid per ſacerdotem tota diſputatione ſignificauerim. Qui ſacrificii vocabulum ad ſacras omnes ceremonias & religioſas actiones extendunt, qua ratione id faciant non video. Nos porpetuo Scripturæ vſu ſacrificium appellari ſcimus quod Græci nunc θυσίαν, nunc προσφορὰν, nunc τελετὴν dicunt. Quod generaliter acceptum, complectitur quicquid omnino Deo offertur. Quare diſtinguamus oportet: ſic tamen vt hæc diſtinctio anagogen à ſacrificiis Legis Moſaicæ habeat: ſub quorum vmbris vniuerſam ſacrificiorum veritatem populo ſuo repræſentare voluit Dominus. Illorum autem quanquam variæ fuerunt formæ, tamen ad duo membra referri omnes poſſunt. Aut enim pro peccato fiebat oblatio quadam ſatiſfactionis ſpecie, qua noxa coram Deo redimebatur: aut ſymbolum erat diuini cultus, religioníſque teſtificatio: nunc vice ſupplicationis, ad fauorem Dei poſtulandum: nunc gratiarum actionis, ad gratitudinem animi pro acceptis beneficiis teſtandam: nunc pro ſimplici pietatis exercitatione, ad renouandam fœderis ſanctionem. ad quod poſterius membrum holocauſta & libamenta, oblationes, primitiæ, pacificæ victimæ pertinebant. Proinde & nos in duo genera diſtribuamus, ac alterũ, docẽdi cauſa, vocemus λατρευτικὸν & σεβαστικὸν: quoniam vene ratione cultúque Dei cõſtat quem illi fideles & debent & reddunt. vel ſi mauis εὐχαριστικὸν; quandoquidem à nullis Deo exhibetur niſi qui immenſis eius beneficiis onuſti, ſe totos cum actionibus ſuis omnibus illi rependunt. Alterum propitiatorium, ſiue expiationis. Eſt autem expiationis ſacrificium, cui propoſitum eſt iram Dei placare, ipſius iudicio ſatiſfacere, eóque peccata abluere & abſtergere: quo peccator eorum ſordibus repurgatus, & in iuſtitiæ puritatem reſtitutus, in gratiam cum Deo ipſo redeat. Sic vocabantur in Lege victimæ quæ pro peccatis expiandis offerebantur: non quòd reconciliandæ Dei gratiæ aut delendæ iniquitati pares forẽt: ſed quòd verum huiuſmodi ſacrificium adumbrarent quod tandem ab vno Chriſto re ipſa peractum fuit. ab ipſo autem vno, quia ab alio nullo poterat. Et ſemel, quòd illius vnius à Chriſto peracti efficacia & vis æterna eſt, vt ſua ipſe voce teſtatus eſt, quum dixit perfectum eſſe & impletum: hoc eſt, quicquid reconciliandæ Patris gratiæ, impetrandæ peccatorum remiſſioni, iuſtitiæ, ſaluti neceſſarium erat, id totum vnica illa ſua oblatione præſtitum & conſummatum: adeóque nihil deeſſe, vt nullus poſtea locus alteri hodie relinqueretur. Exo.29.f.38 Iohã.19.f.39

14 Quamobrem conſtituo, ſceleratiſſimum probrum, & non ferendam eſſe blaſphemiam tam in Chriſtum quàm in ſacrificium quo per mortem ſuam in cruce pro nobis defunctus eſt, ſiquis, repetita oblatione, de redimenda peccatorum venia, de propitiando Deo, & obtinenda iuſtitia cogitet. At quid aliud miſſando agitur, niſi vt nouæ oblationis merito, paſſionis Chriſti fiamus participes? Et ne vllus eſſet inſaniendi modus, parum eſſe putauerunt, ſi dicerent commune ex æquo fieri ſacrificium pro tota Eccleſia, niſi adderent, ſui arbitrii eſſe, huic aut illi, cui vellent, peculiariter applicare: vel potius cuicunque qui talem ſibi mercem numerato pretio emere vellet. Porrò quoniam ad Iudæ taxationem accedere non poterant: vt tamen vel aliqua nota authoris ſui exemplum referrent, numeri ſimilitudinem retinuerunt. Vendiderat ille tringinta argenteis: hi, ſecundum Gallicam quidem ſupputationem, triginta nummulis æreis vendunt. ſed ille, ſemel: hi, quoties emptor occurrit. Hoc ſenſu & Sacerdotes eſſe negamus, nempe qui tali oblatione apud Deum pro populo intercedant, qui propitiato Deo, peccatorum expiationem peragant. Nam Chriſtus, vnicus eſt Noui teſtamenti Pontifex & Sacerdos, in quem tranſlata ſunt omnia ſacerdotia, & in quo clauſa ac terminata. Et ſi nihil Scriptura de æterno Chriſti ſacerdotio meminiſſet: quia tamen Deus, abrogatis illis veteribus, nullum inſtituit, manet inuictum Apoſtoli argumentum, Neminem ſibi honorem vſurpare ni-

si qui à Deo vocatus sit. Qua ergo fiducia sacrilegi isti, qui se iactant Christi carnifices, audent se Dei viuentis Sacerdotes appellare?

15 Est apud Platonem libro de Repu. secundo elegantissimus locus. Vbi quum de veteribus piaculis disserit, stultámque improborum ac sceleſtorum hominum confidentiam ridet, qui putarent his quasi velis obtegi sua flagitia ne à diis cernerentur, & tanquã facta cum diis pactione, securius sibi indulgerẽt: prorsus videtur ad Missariæ expiationis vsum, qualis hodie in mundo est, alludere. Fraudare aliũ & circunuenire, nefas esse omnes sciũt. Vexare iniuriis viduas, pupillos expilare, molestiã inferre pauperibus, malis artibus aliorum bona ad se rapere, periuriis & fraudibus inuolare in cuiusquam fortunas, vi ac tyrannico terrore opprimere quenquam; impium esse fatentur omnes. Quomodo igitur hæc omnia passim audent tam multi, tanquam impune ausuri? Sanè si ritè expendimus, non alia causa tantum illis animi facit, nisi quia Missario sacrificio, tanquam soluto pretio, satisfacturos se Deo confidunt, aut saltem hanc sibi cum eo trã sigendi facilem esse viam. Pergit deinde Plato crassum eorum stuporem ridere qui talibus piaculis pœnas redimi opinãtur, quas alioqui apud inferos subituri essent. Et quorsum hodie spectãt anniuersaria, & maior pars Missarum, nisi vt qui tota vita crudelissimi tyranni fuerunt, aut rapacissimi prædones, aut ad omne flagitium prostituti, tanquam hac mercede redempti, purgatorium ignem euadant?

16 Sub altero sacrificii genere quod εὐχαριστικὸν diximus, continentur omnia charitatis officia, quibus dum fratres nostros complectimur, Dominum ipsum in mẽbris suis honoramus: omnes deinde nostræ preces, laudes, gratiarũ actiones, & quicquid in Dei cultum à nobis agitur. Quæ demum omnia à maiore sacrificio dependent, quo anima & corpore in templum sanctum Domino consecramur. Neque enim satis est si externę nostrę actiones ad illius obsequium applicentur: sed nos primò, deinde nostra omnia cõsecrari ac dedicari illi conuenit: vt quicquid in nobis est, gloriæ eius seruiat, & eius amplificandæ studium spiret. Hæc sacrificii species nihil ad iram Dei placandam, nihil ad impetrandã peccatorum remissionem, nihil ad promerendã iustitiam pertinet: sed in magnificando duntaxat & exaltando Deo versatur. Siquidem gratum acceptúmque Deo esse non potest nisi ex eorum manu quos iam accepta peccatorum remissione, sibi aliunde reconciliauit, ideóque piaculo absoluit. Est autem adeò Ecclesiæ necessaria vt abesse ab ea nõ possit. Itaque æterna futura est quandiu stabit populus Dei, quemadmodum iam ex Propheta superius visum est: siquidem eo sensu accipere libet vaticinium istud, Quoniam à solis ortu Malac.1.c.11 vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco incensum offeretur nomini meo, atque oblatio munda: quoniam terribile est nomen meum in Gẽtibus, dicit Dominus. tantum abest vt sub moueamus. Sic Paulus iubet nos offerre corpora Rom.12.a.1 nostra, hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum. Vbi significanter admodum loquutus est, quum hunc esse rationalem nostrum cultum subiecit. intellexit enim spiritualem colendi Dei ritum, quem carnalibus Legis Mosaicæ sacrificiis tacitè opposuit. Sic beneficentia & communicatio, victimæ appellantur quibus placetur Deo. Sic Heb.13.c.16 Phil.4.d.18 Philippensium benignitas qua Pauli inopiam subleuarant, hostia bonæ fragrantiæ. sic omnia fidelium bona opera, spirituales hostiæ.

17 Et quid multa persequor? Subinde enim in Scripturis recurrit hæc loquendi forma. Quinetiam dum adhuc sub externa Legis pædagogia Dei populus continebatur, satis tamen exprimebant Prophetæ, subesse illis carnalibus sacrificiis veritatem, quæ Psal.141.a.2 Christianæ Ecclesiæ cum Iudaica gente communis est. Qua ratione precabatur Dauid Oseæ 14.a.3 vt oratio sua, sicut incensum, in conspectum Dei ascenderet. Et Oseas gratiarum actio- Psal.51.d.21 nes dicebat vitulos labiorum, quas alibi Dauid sacrificia laudis nuncupat. Quem A- Heb.13.c.15 postolus imitatus, hostias laudis etiam ipse vocat: & interpretatur fructum labiorum cõfitentium nomini eius. Huius generis sacrificio carere non potest Cœna Domini: in qua dum eius mortem annuntiamus, & gratiarum actionem referimus, nihil aliud quàm offerimus sacrificium laudis. Ab hoc sacrificandi munere, regale sacerdotium nun- 1.Pet.2.b.9 cupamur omnes Christiani: quòd per Christum offerimus illam, de qua loquitur Apostolus, hostiam laudis Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius. Neque enim nos cum nostris muneribus, sine intercessore, in cõspectum Dei apparemus. Christus est, quo mediatore intercedente, nos ac nostra Patri offerimus. Ille Pontifex noster, qui in sanctuarium cæli ingressus, accessum nobis aperit. Ille altare, cui donaria nostra imponi-

mus;

mus: vt in illo audeamus quicquid audemus. Ille inquam est qui nos Patri regnum ac Sacerdotes fecit. Apoc.1.b.6

18 Quid supereſt nisi vt cæci videant, surdi audiant, pueri intelligant hanc Missæ abominationē? quæ in calice aureo propinata, omnes reges terræ & populos, à summo vsque ad nouissimum, sic inebriauit, sic percussit sopore ac vertigine, vt brutis ipsis stupidiores, proram & puppim suę salutis in hac vna exitiali voragine statuerint. Certè nulla vnquam validiore machina Satan incubuit ad oppugnandum expugnādúmque Christi regnum. Hęc est Helena, pro qua veritatis hostes tanta hodie rabie, tanto furore, tāta atrocitate digladiantur. & verè Helena, cum qua spirituali fornicatione (quæ omniū est maximè execrabilis) ita se cōspurcant. Non hîc vel minimo digito attingo crassos illos abusus quibus sacræ suæ Missæ profanatam puritatem prætendere possent: quàm turpes nundinas exerceant, quàm sordidos quæstus faciant suis missationibus, quanta rapacitate auaritiā suam expleant. Tantū indico, ídque paucis & simplicibus verbis, qualis sit sanctissima ipsa Missæ sanctitas: ob quam adeò spectabilis esse, tantáque in veneratione haberi aliquot seculis meruit. Nam & tāta hæc mysteria pro dignitate illustrari, maioris operis fuerit: & illas obscœnas sordes, quæ ante oculos oráque omnium versantur, admiscere nolo: vt omnes intelligant, Missam in selectissima sua, & qua maximè venditari potest, integritate acceptā, sine suis appendicibus à radice ad fastigium, omni genere impietatis, blasphemiæ, idololatriæ, sacrilegii scatere.

19 Habent lectores in compendium collecta ea ferè omnia quæ sciri de duobus istis Sacramentis referre duximus: quorum vsus à primordio Noui testamenti ad cōsummationem vsque seculi, Christianę Ecclesię est traditus: Vt scilicet Baptismus, quidam quasi ingressus in ipsam esset, & fidei initiatio: Cœna verò, assiduum velut alimentum, quo Christus fidelium suorum familiam spiritualiter pascit. Quare vt non nisi vnus est Deus, vna fides, vnus Christus, vna Ecclesia eius corpus: ita Baptismus non nisi vnus est, nec sępe iteratur: Cœna autem subindè distribuitur, vt intelligāt se Christo assiduè pasci qui semel in Ecclesiā allecti sunt. Præter hæc duo vt nullum aliud à Deo institutum est, ita nec vllum agnoscere debet fidelium Ecclesia. Rem enim non esse humani arbitrii, erigere ac statuere noua Sacramenta, facilè intelliget qui meminerit quod suprà satis planè explicatum fuit, Sacramenta in hoc à Deo posita esse vt de aliqua eius promissione nos edoceant, & bonam erga nos voluntatem nobis testificentur: qui præterea cogitet, nullum fuisse Deo consiliarium qui nobis certum aliquid de eius voluntate spondere possit, aut certiores se curósque reddere quo sit in nos affectu, quid dare, quid negare velit. Simul nanque constituitur, neminem signum proponere posse quod eius volūtatis & promissionis alicuius testimonium futurū sit: solus ipse est, qui signo dato, de se apud nos testari potest. Dicam breuius, & fortè rudius, sed apertius: Sacramentum, sine salutis promissione esse nunquā potest. Omnes homines in vnū simul coacti, nihil à se nobis polliceri de salute nostra possunt. Ergo nec à se edere aut erigere Sacramentum. Iesa.40.c.13 Rom.11.d.34

20 His ergo duobus contenta sit Christiana Ecclesia: nec modò nullum aliud tertium ad præsens admittat aut agnoscat: sed ne appetat quidem, aut expectet, ad cōsummationem vsque seculi. Nam quòd diuersa aliquot Iudæis, pro varia temporum inclinatione, præter sua illa ordinaria data sunt (vt man, aqua è petra profluens, serpens æneus, & similia) hac variatione admonebantur ne talibus figuris insisterent, quarum status parum firmus esset: sed melius aliquid à Deo expectarent, quod nullo interitu nullóque fine perstaret. Alia lōgè ratio nobis est, quibus reuelatus est Christus: in quo thesauri omnes scientiæ & sapientiæ sunt absconditi, tanta affluentia & vbertate, vt nouam aliquam accessionem ad hos thesauros sperare vel postulare, verè Deum irritare sit, & aduersum nos prouocare. Vnum duntaxat Christū esurire, quærere, spectare, discere, ediscere nos oportet: donec magnus ille dies illuxerit quo gloriam regni sui Dominus ad plenum manifestabit, & se qualis est, nobis spectandum ostendet. Atque hac ratione nostrum hoc seculū in Scripturis, per Nouissimam horam, nouissimos dies, nouissima tēpora designatur, nequis vana nouæ alicuius doctrinæ aut reuelationis expectatione sese fallat. Sępenumero enim multísque modis antea loquutus per Prophetas, vltimis in his diebus loquutus est cælestis Pater in dilecto Filio suo, qui solus Patrem manifestare potest: & re vera ad plenū manifestauit, quantum nostra interest, dum nunc per speculum eum conspicimus. Iam verò vt hoc hominibus ablatū est, ne noua Sacramenta in Ecclesia Dei condere possint: ita Exo.16.c.13. & 17.b.6 1.cor.10.a.3 Num.21.b.8 Ioh.3.b.14 Col.2.a.3 1.Ioh.3.a.2 1.Ioh.2.c.18 1.Pet.1.d.10 Heb.1.a.2 Luc.10.d.22 1.Cor.13.d.12

optandum esset,iis ipsis quæ à Deo sunt, quamminimũ humanæ inuentionis admisceri. Perinde enim atque infusa aqua vinum fugit & diluitur: aspersóque fermento tota farinæ massa acescit: sic mysteriorum Dei sinceritas nihil aliud quàm inquinatur vbi homo quicquam de suo adiicit. Et tamẽ videmus quantũ à germana sua puritate degenerarint Sacramenta, vt hodie quidem tractantur. Plus satis vbique pomparum, ceremoniarum, gesticulationum: at verbi Dei interim nulla neque ratio, neque mentio: sine quo Sacramenta etiam ipsa, Sacramẽta non sunt. Quin nec ceremoniæ ipsæ à Deo institutæ in tãta turba caput exerere possunt, sed tanquam oppressæ iacent. Quantulum in Baptismo aspicitur quod vnum illic lucere & spectari debuerat, vt alibi iustè cõquesti sumus, nempe Baptismus ipse? Cœna prorsus sepulta est quum versa fuit in Missam, nisi quòd semel quotannis, sed concerpta & dimidiata laceráque forma visitur.

De quinque falsò nominatis Sacramentis: vbi Sacramenta non esse quinque reliqua quæ pro Sacramentis hactenus vulgò habita sunt, declaratur, tum qualia sint ostenditur. CAP. XIX.

POTERAT superior de Sacramentis disputatio apud dociles & sobrios hoc obtinere ne vltrà curiosius progrederẽtur, nec præter illa duo quæ à Domino instituta nossent, vlla alia Sacramenta sine Dei verbo amplecterentur. Verùm quoniam illa de septem Sacramẽtis opinio, omnium ferè sermone trita, scholásque & conciones omnes peruagata, vetustate ipsa radices egit, ac hominum animis etiamnum insidet: visus sum mihi operæpretium facturus, si quinque reliqua, quæ veris ac germanis Domini Sacramentis vulgò accẽsentur, seorsum ac propius excuterem, omníque abstersо fuco, simplicibus spectãda proponerem qualia sint, & quàm falsò pro Sacramentis hactenus habita fuerint. Principiò hîc testatum volo piis omnibus, me hãc de nomine cõtentionem minimè litigãdi cupiditate susc ipere: sed grauibus causis adduci ad impugnandũ eius abusum. Non me latet, Christianos, vt verborũ, sic rerum omnium esse dominos. posse igitur pro suo arbitrio voces rebus accommodarẽ, modò pius sensus retineatur, etiã siqua sit in loquendo improprietas. Hoc totũ concedo: etsi melius fuerit, verba rebus subesse quàm res verbis subiici. Sed in nomine Sacramẽti alia est ratio. Nam qui septem ponunt, simul illam definitionem omnibus tribuunt, vt sint gratiæ inuisibilis visibiles formæ: omnia simul faciunt vasa Spiritus sancti, instrumenta conferendæ iustitiæ, causas obtinẽdæ gratiæ. Adeóque ipse Magister Sententiarum, Mosaicæ Legis sacramẽta negat propriè vocari hoc nomine: quia non exhibuerint quod figurabant. Estne, obsecro, tolerabile, vt quæ symbola Dominus ore suo cõsecrauit, quæ eximiis promissionibus insigniuit, ea pro Sacramentis non censeantur: interim hic honor trãsferatur ad eos ritus quos homines vel ipse excogitarunt, vel saltem sine expresso Dei mandato obseruant: Ergo aut definitionem mutent, aut hac verbi vsurpatione abstineant, quæ falsas & absurdas opiniones pòst generet, Est (inquiũt) extrema vnctio inuisibilis gratię figura & causa, quia est Sacramentum. Quod inferunt si nullo modo concedere oportet, in ipso certè nomine est occurrendum, ne ea mercede recipiamus vt eiusmodi errori occasionẽ præbeat. Rursus quum probant Sacramentum esse, causam adiungunt: quia externo signo constet ac verbo. Si nec mandatum, nec promissionem inuenimus, quid aliud possumus quàm reclamare?

2 Iam apparet non de vocabulo nos rixari, sed de re ipsa non superuacuam controuersiam mouere. Proinde hoc fortiter retinendum est quod inuicta ratione prius cõfirmauimus. Sacramenti instituendi arbitrium nõ nisi penes Deum vnum esse. Siquidem Sacramentum certa Dei promissione erigere fidelium conscientias ac consolari debet: quæ eã certitudinem nunquam ab homine acciperent. Sacramentum nobis testimoniũ esse debet bonæ erga nos Dei voluntatis: cuius nullus hominum aut Angelorũ testis esse potest: quando nemo Dei consiliarius fuit. Solus ergo ipse est qui de se nobis per verbum suum testificatur legitima authoritate. Sacramentũ, sigillum est quo Dei testamentũ seu promissio obsignatur. Obsignari verò non posset rebus corporeis & elemẽtis huius mundi, nisi virtute Dei ad hoc formentur & designentur. Instituere ergo Sacramentum homo non potest: quia facere vt sub rebus tam abiectis tanta Dei mysteria lateant, id verò humanæ virtutis non est. Verbum Dei præeat oportet quod Sacramentum esse Sacramentum faciat: vt Augustinus optimè docet. Præterea retineri aliquod discrimen vtile est inter Sacramenta & alias ceremonias, nisi volumus in multa absurda incidere. Apostoli orarunt genibus flexis. genua igitur non flectentur sine Sacramento. Discipuli feruntur orasse

Iesa.40.c.13. Ro.11. d. 34.

Homi.in Iohannem 80. Act.9.g.40. & 20 g.36. 1.Ti .2.c.8.

oraſſe verſus Orientem. ſit nobis Sacramẽtum Orientis aſpectus. Paulus vult omni loco viros tollere puras manus,& eleuatis manibus oratio ſæpius à ſanctis facta memoratur. & manuum quoque extenſio Sacramẽtum fiat.omnes denique ſanctorum geſtus in Sacramenta tranſeant.etſi ne hæc quidem admodum morarer, modò non eſſent cum maioribus illis incommodis coniuncta.

3 Si veteris Eccleſiæ authoritate premere nos velint,dico eos fucum facere.Nuſquam enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius inuenitur.nec ſatis conſtat quo primùm tempore obrepſerit.Fateor quidem in vocabulo Sacramenti,eſſe interdum liberiores.ſed quid eo ſignificant?nempe ceremonias omnes & externos ritus,omniáque pietatis exercitia. Quum autem de iis ſignis loquuntur quæ diuinæ in nos gratiæ teſtimonia eſſe debent,duobus iſtis,Baptiſmo & Euchariſtia,contẽti ſunt.Nequis falſò iactari hoc à me putet,pauca Auguſtini teſtimonia hîc referam. Ad Ianuarium, Primò (inquit) tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Chriſtum (ſicut ipſe in Euangelio loquitur) leni iugo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ leui. Vnde Sacramẽtis numero pauciſſimis,obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis,ſocietatem noui populi colligauit. Sicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio corporis & ſanguinis Domini, & ſiquid aliud in Scripturis canonicis commendatur. Epiſt.118

Item, De doctrina Chriſtiana, A reſurrectione Domini quædam pauca ſigna pro multis, eadémque factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſeruatione caſtiſſima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmus, & Celebratio corporis & ſanguinis Domini. Cur nullam hîc ſacri numeri, hoc eſt ſeptenarii, mentionem facit? An veriſimile eſt prætermiſſurum fuiſſe ſi tunc fuiſſet in Eccleſia inſtitutus: præſertim quum ſit aliâs in obſeruandis numeris curioſior quàm neceſſe foret? Imò quum Baptiſmum & Cœnam nominat, alia ſubticet: annon ſatis innuit, hæc duo myſteria ſingulari dignitate præſtare, alias ceremonias inferiore loco ſubſidere? Quare ſacramentarios iſtos Doctores non tantùm verbo Domini, ſed veteris etiam Eccleſiæ conſenſione deſtitui dico, vtcunque hoc prætextu maximè ſuperbiant. Sed iam ad ipſas ſpecies deſcendamus. Lib.3.cap.9

4

DE CONFIRMATIONE.

HIc mos olim fuit vt Chriſtianorum liberi,poſtquam adoleuerant,coram Epiſcopo ſiſterentur:vt officium illud implerent quod ab iis exigebatur qui ſe ad Baptiſmum adulti offerebant.Hi enim inter catechumenos ſedebant,donec rite fidei myſteriis inſtituti poterant fidei confeſſionem corã Epiſcopo ac populo edere. Qui ergo Baptiſmo initiati erant infantes,quia fidei confeſſione apud Eccleſiam tunc defuncti non erãt, ſub finem pueritiæ,aut ineunte adoleſcentia,repræſentabantur iterum à parẽtibus,ab Epiſcopo examinabantur ſecundum formulam catechiſmi quam tunc habebant certam ac cõmunem.Quò autem hæc actio,que alioqui grauis ſanctáque meritò eſſe debebat,plus reuerentiæ haberet ac dignitatis, ceremonia quoque adhibebatur manuum impoſitionis. Ita puer ille,fide ſua approbata,cum ſolenni benedictione dimittebatur. Huius moris ſæpe mentionem faciunt veteres.Leo Papa,Siquis ab hæreticis redit,ne iterum baptizetur: ſed quod illic ei defuit,per Epiſcopalem manuum impoſitionem virtus Spiritus ei conferatur.Clamabunt hîc noſtri aduerſarii,Sacramentum iure vocari in quo Spiritus ſanctus cõferatur. Verùm ipſe Leo alibi explicat quid his verbis ſibi velit,Qui apud hæreticos baptizatus eſt,inquit,non rebaptizetur, ſed Spiritus ſancti inuocatione per manuum impoſitionem cõfirmetur:quia Baptiſmi tantùm formã ſine ſanctificatione accepit. Meminit & Hieronymus contra Luciferianos.Quanquam autem non inficior,in eo nonnihil hallucinari Hieronymum,quòd Apoſtolicam eſſe obſeruationem dicit: longiſſimè tamẽ ab iſtorum ineptiis abeſt. Et illud ipſum mitigat quum addit, hanc benedictionem ſolis Epiſcopis eſſe datam, magis in honorẽ ſacerdotii, quàm ex Legis neceſſitate. Talem ergo manuum impoſitionem,quæ ſimpliciter loco benedictonis fiat,laudo, & reſtitutam hodie in purum vſum velim. Epiſt.39 Epiſt.77

5 Poſterior autem ætas,re propè obliterata,fictitiam neſcio quam confirmationem pro Dei Sacramento poſuit. Confirmationis virtutem eſſe finxerunt, Spiritum ſanctum conferre ad gratiæ augmentum, qui in Baptiſmo collatus ſit ad innocentiam: confirmare eos ad pugnam qui in Baptiſmo regenerati ſint ad vitam. Peragitur hæc confirmatio vnctione,& hac verborum formula,Conſigno te ſigno ſanctę crucis,& cõfirmo chriſ-

mate salutis,in nomine Patris,& Filii, & Spiritus sancti.Pulchrè omnia, & venustè. Sed vbi Dei verbum quod Spiritus sancti præsentiam hîc promittat:Ne iota quidem obtẽdere possunt. Vnde ergo nos certiores facient,chrisma suum esse vas Spiritus sancti ? Videmus oleum,crassum scilicet & pinguem liquorem:præterea nihil.Accedat,inquit Augustinus,verbum ad elementum,& fiet Sacramentum.Hoc,inquam,verbum proferant, si quicquam nos intueri in oleo volunt aliud quàm oleum. Quòd si Sacramentorum se ministros,vt par est,agnoscerent,non diutius pugnandum esset.Hæc prima ministri lex est nequid sine mandato obeat.Age,mandatum huius ministerii aliquod producant,& verbum non addam. Si mandato deficiuntur, sacrilegam audaciam excusare non possunt. Hac ratione Pharisæos Dominus interrogabat,esséne Baptismus Iohannis è cælo,an ex
Mat.21.c.25. hominibus.Si respondissent,ex hominibus:obtinebat,friuolum esse & vanum: si è cælo, doctrinam Iohannis agnoscere cogebantur.Itaquè ne essent nimium in Iohannem contumelioſi,non ausi sunt fateri esse ex hominibus.Si itaque ex hominibus est confirmatio, vana & friuola esse conuincitur:si è cælo persuadere volunt,probent.

6 Tuentur se quidem Apostolorum exemplo,quos nihil temere fecisse existimant. Rectè id sanè:nec à nobis reprehenderentur si se Apostolorum imitatores ostenderent. Sed quid fecerunt Apostoli? Narrat Lucas in Actis, Apostolos, qui Hierosolymis erant,
Act.8.c.15. quum audissent Samariam recepisse verbum Dei,misisse illuc Petrum & Iohannem:illos pro Samaritanis orasse vt Spiritum sanctum acciperent,qui nondum in quenquam illorum venerat,sed baptizati tantùm erant in nomine Iesu:oratione facta,manus illis imposuisse.per quam impositionem Spiritum sanctum Samaritani acceperunt.Et de hac manuum impositione aliquoties meminit.Audio quid Apostoli fecerint: nempe suum ministeriũ fideliter exequuti sunt.Visibiles illas & admirabiles Spiritus sancti gratias, quas tunc in populum suum effundebat,voluit Dominus à suis Apostolis per manuum impositionem administrari & distribui. Huic autem impositioni manuum non altius subesse mysterium cogito:sed huiusmodi ceremoniam adhibitam ab illis interpretor, vt ipso gestu significarent,se Deo commendare & velut offerre eum cui manus imponebant.Hoc ministerium quo tunc Apostoli fungebãtur,si adhuc in Ecclesia maneret,manuum quoque impositionem oporteret seruari:sed vbi gratia illa conferri desiit, quorsum pertinet manuum impositio ? Adhuc certè adest populo Dei Spiritus sanctus:quo nisi ductore & directore consistere nequit Dei Ecclesia.Habemus enim æternam & perpetuò constaturam promissionem,qua Christus sitientes ad se vocat,vt bibant aquas viuas. Sed cessárũt
• Iohã.7.f.37. illa virtutum miracula,& manifestæ operationes,quæ per manuum impositionem distribuebantur,nec nisi ad tempus esse debuerunt. Oportuit enim nouam Euangelii prædicationem, nouum Christi regnum, inauditis & inusitatis miraculis illustrari & magnificari.A quibus vbi cessauit Dominus,non protinus Ecclesiam suam deseruit:sed regni sui magnificentiam,verbique sui dignitatem satis excellenter manifestatam docuit.Quaigitur in parte histriones isti Apostolos se imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impositione,vt euidens Spiritus sancti virtus statim se exereret.Id non efficiunt. quid igitur pro se iactant manuum impositionem,quam Apostolis quidem in vsu fuisse legimus, sed prorsus in alium finem?

Ioh.20.c.22. 7 Eiusdem hoc rationis est acsi quis doceret flatum illum quo Dominus discipulos suos afflauit, Sacramentum esse quo detur Spiritus sanctus. Atqui hoc semel Dominus quum fecit,non à nobis fieri etiam voluit.Ad eum modum & Apostoli manus imponebant,pro eo tẽpore quo visibiles Spiritus sancti gratias ad eorum preces administrari,Domino placebat:non vt posteri vacuum & frigidum signum(quod simiæ istæ faciunt) mimiticè tantùm & sine re effingerent.Quòd si manuũ impositione Apostolos se imitari euincant(in qua nihil cũ Apostolis simile habẽt præter nescio quã præposteram κακοζηλίαν) vnde tamen oleũ,quod vocant salutis?Quis eos in oleo salutem quęrere docuit?quis vim roborandi illi attribuere?An Paulus, qui nos ab elementis huius mundi longè abstrahit,
Gala.4.b.9. Colo.2.b.20 qui nihil magis damnat quàm talibus obseruatiunculis hærere?Hoc verò non à me,sed à Domino audacter pronuntio, Qui oleum vocant oleum salutis, salutem quæ in Christo est abiurant,Christum abnegant,partem in regno Dei non habent.Oleum enim ventri, & venter oleo:vtrunque Dominus destruet.Omnia enim ista infirma elementa quæ vsu ipso intereunt,nihil ad regnum Dei pertinent, quod spirituale est, & nunquam interitu-

rum.Quid igitur?dixerit aliquis,eadem linea metiris aquam qua baptizamur : & panem ac vi

ac vinum ſub quibus Cœna Domini exhibetur? Reſpondeo, in Sacramentis diuinitus traditis duo ſpectanda eſſe: ſubſtantiam rei corporeæ quæ nobis proponitur, & formam quæ illi à verbo Dei impreſſa eſt, in qua totavis iacet. Quatenus ergo ſubſtantiam ſuã retinent panis, vinũ, aqua, quæ aſpectui noſtro in Sacramentis offeruntur, valet ſemper illud Pauli, Eſca ventri, & venter eſcis: Deus & hunc & illum deſtruet. Prætereunt enim & euaneſcunt cum figura huius mundi. Quatenus autem verbo Dei ſanctificantur vt Sacramenta ſint: non in carne nos retinent, ſed verè & ſpiritualiter docent. 1. Cor. 6. c. 13

8 Verùm propius adhuc inſpiciamus quot monſtra foueat alátque hæc pinguedo. Dicunt iſti vnctores, Spiritum ſanctum in Baptiſmo ad innocentiam dari: in cõfirmatione, ad gratiæ augmentum: in Baptiſmo nos regenerari ad vitam, in confirmatione nos ad pugnam inſtrui. Et adeò nihil eos pudet, vt negẽt Baptiſmum rite ſine confirmatione perfici poſſe. O nequitiam! Annon igitur in Baptiſmo Chriſto cõſepulti ſumus, facti participes mortis eius, vt & reſurrectionis ſimus conſortes? Hanc autem ſocietatem cũ morte & vita Chriſti, Paulus interpretatur mortificationem carnis noſtræ & viuificationem Spiritus: quòd vetus homo noſter crucifixus eſt, quo nos in nouitate vitæ ambulemus. Quid eſt inſtrui ad pugnam, niſi hoc eſt? Quòd ſi Dei verbum conculcare pro nihilo ducebant, cur non Eccleſiam ſaltem reuerebantur, cui tam vbique obſequentes videri volunt? Quid autem grauius in hanc ipſorum doctrinam proferri poteſt, quàm illud Milevitani Concilii decretũ? Qui dicit Baptiſmum in remiſſionem peccatorum dari tantùm, & non in adiutorium futuræ gratiæ, anathema ſit. Quòd autem Lucas, eo quem citauimus loco, dicit baptizatos in nomine Ieſu Chriſti fuiſſe, qui non accepiſſent Spiritũ ſanctum: non ſimpliciter negat, vllo Spiritus dono præditos qui in Chriſtũ corde crederent, & ipſum ore confiterentur: ſed acceptionem Spiritus intelligit, qua manifeſtæ virtutes, & viſibiles gratiæ percipiebantur. Sic dicuntur Apoſtoli Spiritum accepiſſe in die Pentecoſtes, quum longè antea illis à Chriſto dictum eſſet, Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Videte malitioſam & ſonticam Satanæ fraudem, qui ex Deo eſtis. Quod verè in Baptiſmo dabatur, in ſua confirmatione dari mentitur: vt furtim incautos à Baptiſmo abducat. Quis iam dubitet, hanc Satanæ eſſe doctrinam, quę promiſſiones Baptiſmi proprias, à baptiſmo abſciſſas aliò deriuat & transfert? Deprehenditur, inquam, quali nitatur fundamento præclara iſta vnctio. Dei verbum eſt, Omnes, qui in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induiſſe cum ſuis donis. Verbum vnctorum, Nullam promiſſionem in Baptiſmo percepiſſe, qua in agonibus inſtruantur. Illa vox eſt veritatis: hanc mendacii eſſe oportet. Verius ergo definire hanc cõfirmationẽ poſſum quàm ipſi hactenus definierint: nempe inſignem eſſe Baptiſmi contumeliam, quæ vſum ipſius obſcurat, imò abolet: falſam eſſe diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abſtrahit. Aut ſi mauis, Oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offuſis tenebris, ſimplicium mentes fallit. Rom. 6. a. 4. Act. 8. c. 16. Act. 2. a. 4. Mat. 10. b. 20 Gala. 3. d. 27. De conſec. diſt. 5. c. ſp.

9 Addunt præterea, fideles omnes Spiritum ſanctum per manuum impoſitionẽ accipere debere poſt Baptiſmum, vt pleni Chriſtiani inueniantur: quia nunquam erit Chriſtianus niſi qui confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus. Hæc illi adverbum. Atqui putabã, quæcunque ad Chriſtianiſmum pertinent, omnia Sſcripturis perſcripta ac cõprehenſa eſſe. Nunc, vt video, aliunde quàm ex Scripturis, vera religionis forma petenda diſcendáque eſt. Dei ergo ſapientia, cæleſtis veritas, tota Chriſti doctrina, Chriſtianos duntaxat inchoat: oleum perficit. Hac ſententia damnãtur omnes Apoſtoli, & tot Martyres, quos nunquam fuiſſe chriſmatos, certo certius eſt: quando nondũ erat factum oleũ, quo perfuſi, omnes Chriſtianiſmi numeros implerent, vel potius Chriſtiani fierent, qui nondum erant. Verùm vt taceam, abunde ſe ipſi refellunt. Quotam enim populi ſui partem poſt Baptiſmum perungunt? cur igitur patiuntur in ſuo grege tales ſemichriſtianos, quorum imperfectioni mederi facile erat? cur tam ſupina negligẽtia omittere eos ſinũt quod omitti ſine graui piaculo non licebat? cur non ſeuerius exigunt rem adeò neceſſariam & ſine qua ſalus obtineri non poteſt? niſi fortè quis ſubita morte præpeditus fuerit. ſcilicet, dũ ita licenter contemni patiuntur, tacitè fatentur nõ tanti eſſe quanti venditãt. Verba ca. 1. De conſec. diſt. 5. Con. Aure. ca. Vt ieiunii. De conſe. diſt. 5. Cap. De his verò. eadem diſtinct.

10 Poſtremò conſtituunt, ſacram hanc vnctionem maiori in veneratione habẽdam eſſe quàm Baptiſmum: quòd illa ſummorum Pontificum manibus peculiariter adminiſtratur, Baptiſmus ab omnibus vulgariter ſacerdotibus diſtribuitur. Quid hîc dicas niſi planè furioſos eſſe, qui ſuis inuentionibus ita blandiuntur vt præ ipſis ſacroſanctas Dei

inſtitutiones ſecurè contemnant? Os ſacrilegum,túne pinguedinem fœtore dũtaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatã,audes Chriſti Sacramento opponere,& cõferre cum aqua verbo Dei ſanctificata? At parum hoc ipſum erat tuæ improbitati,niſi etiã præferres. Hæc ſunt ſanctæ ſedis reſponſa,hæc Apoſtolici tripodis oracula. Sed quidam eorum hanc, ſua quoque opinione, effrenem inſaniam cœperunt paulùm moderari. Maiori,inquiunt,veneratione colẽda eſt:fortè non ob maiorẽ virtutẽ & vtilitatẽ quã conferat: ſed quia à dignioribus datur,& in digniori parte corporis fit,id eſt in frõte:vel quia maius augmentum virtutũ præſtat,licet Baptiſmus plus ad remiſſionẽ valeat. Verùm prima ratione nónne ſe Donatiſtas produnt,qui vim Sacramenti à miniſtri dignitate æſtimant? Faxo tamen, vocetur dignior confirmatio à dignitate Epiſcopalis manus. Sed ſiquis ab illis ſciſcitetur vnde tanta prærogatiua Epiſcopis delata fuerit, quam rationem afferent præter ſuam libidinem? Soli Apoſtoli eo iure vſi ſunt, qui ſoli Spiritum ſanctum diſtribuerunt. An ſoli Epiſcopi Apoſtoli? Imò an omnino Apoſtoli? Demus tamen & iſtud:cur non eodem argumento contendunt,ſolis Epiſcopis Sacramentum ſanguinis in Cœna Domini attingẽdum eſſe? quod laicis ideo denegãt quia ſolis Apoſtolis à Domino datum fuerit. Si ſolis Apoſtolis, cur non inferunt,Ergo ſolis Epiſcopis. Sed Apoſtolos eo loco ſimplices preſbyteros faciunt:nunc capitis vertigo aliò eos rapit vt ſubitò Epiſcopos creent. Poſtremò non erat Apoſtolus Ananias,ad quem tamẽ Paulus miſſus eſt vt viſum reciperet,baptizaretur,& impleretur Spiritu ſancto. Addam & hoc ad cumulum: Si iure diuino proprium hoc munus Epiſcoporum fuerat, cur auſi ſunt ad plebeios preſbyteros transferre? quemadmodum in quadam Gregorii epiſtola legitur.

Lib.4 Sent. diſtinct.7. cap.2

Act.9.c.17

Diſtin.95. ea.Peruenit

11 Altera ratio quàm friuola,inepta,& ſtolida eſt,Digniorem vocare ſuã confirmationem,quàm Dei Baptiſmũ: quia in ea frõs oleo inficiatur, in Baptiſmo cranium? quaſi verò Baptiſmus oleo,& non aqua peragatur. Teſtor verò pios omnes,an non hoc vnum admoliantur iſti nebulones, vt Sacramentorum puritatem fermento ſuo vitient. Dixi hoc alibi, vix in Sacramentis per rimulas interlucere quod Dei eſt, inter humanarum inuentionum turbam. Siquis eius rei tum fidem mihi non habebat, ſuis ſaltem magiſtris nunc habeat. Ecce pręterita aqua,& nullo numero habita,vnum oleum in Baptiſmo magnificiunt. Nos ergo contrà dicimus in Baptiſmo quoque frontem aqua tingi. Præ hac, veſtrũ oleum non vnius ſtercoris facimus,ſiue in Baptiſmo,ſiue in confirmatione. Quòd ſiquis pluris vendi alleget,hac pretii acceſſione ſiquid boni alioqui ineſſet vitiatur,tãtum abeſt vt furto vẽditare liceat fœdiſſimam impoſturam. Tertia ratione impietatem ſuam traducunt,dum maius virtutum argumentum conferri in confirmatione garriũt quàm in Baptiſmo. Impoſitione manuum Apoſtoli viſibiles Spiritus gratias adminiſtrarunt. Qua in re iſtorum pinguedo ſe fœcundam oſtendit? Sed valeãt iſti moderatores,qui ſacrilegium vnum multis ſacrilegiis operiũt. Nodus Gordianus eſt: quem abrumpere ſatius ſit quàm in diſſoluendo tantopere laborare.

Diſtin.95. ea.Peruenit

12 Iam verò quum verbo Dei & probabili ratione defici ſe vident, prætexunt quod ſolent,vetuſtiſſimam eſſe hanc obſeruationem,& multorum ſeculorum conſenſu firmatã. Etiamſi id verum eſſet,nihil tamen efficiunt:non è terra eſt Sacramẽtum,ſed è cælo:non ex hominibus,ſed ab vno Deo. Deum ſuæ confirmationis authorem probent oportet, ſi Sacramẽtum haberi volũt. Sed quid vetuſtatem obiectãt,quum veteres,dum propriè loqui volunt,nuſquam plura duobus Sacramentis recenſeant? Si ab hominibus petendum eſſet fidei noſtræ præſidium, habemus arcem inexpugnabilem, nũquam veteribus agnita fuiſſe pro Sacramentis quæ iſti Sacramenta ementiuntur. De manuum impoſitione loquuntur veteres, ſed an Sacramentum vocant? Auguſtinus apertè affirmat nihil aliud eſſe quàm orationem. Neque hîc mihi putidis ſuis diſtinctionibus obganniant, non ad confirmatoriam Auguſtinum illud retuliſſe, ſed curatoriam vel reconciliatoriam. Extat liber & in hominum manibus verſatur. ſi in alium ſenſum detorqueo quàm Auguſtinus ipſe ſcripſit,cedo, non conuitiis modò, pro ſolenni ſuo more, ſed ſputis me obruant. Loquitur enim de iis qui à ſchiſmate ad Eccleſiæ vnitatem redibant. Eos iteratione Baptiſmi opus habere negat: ſufficere enim manuum impoſitionem,vt per vinculum pacis Spiritum ſanctum illis Dominus largiatur. Quoniam autem abſurdum videri poterat manuum impoſitionem repeti potius quàm Baptiſmum: diſcrimen oſtendit. Quid enim (inquit) aliud eſt manuum impoſitio quàm oratio ſuper hominem? Atque hunc eſſe ſenſum ex altero loco apparet,vbi dicit, Propter charitatis copulationem, quod eſt maximum

Lib.3.de Baptiſmo, contra Donatiſt.cap.16

Lib.3.cap.23

maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcunque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.

13 Vtinam verò morem retineremus quem apud veteres fuiſſe admonui, priuſquã abortiua hæc Sacramenti larua naſceretur. non vt eſſet confirmatio talis qualem iſti fingunt, quæ ſine Baptiſmi iniuria nec nominari poteſt: ſed cathecheſis, qua pueri aut adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem corã Eccleſia exponerent. Eſſet autem optima catechizandi ratio ſi formula in hunc vſum conſcripta eſſet, ſummã continens & familiariter explicans omnium ferè religionis noſtræ capitum, in quæ vniuerſa fidelium Eccleſia conſentire ſine controuerſia debet. puer decennis Eccleſiæ ſe offerret ad edendam fidei confeſſionẽ: rogaretur de ſingulis capitibus, ad ſingula reſponderet: ſiquid ignoraret, aut minus intelligeret, doceretur. Ita vnicam, veram & ſinceram fidem, qua vnanimiter Deũ vnum colit fidelium populus, teſte & ſpectante Eccleſia profiteretur. Hæc diſciplina ſi hodie valeret, profectò parentum quorundã ignauia acueretur, qui liberorum inſtitutionem quaſi rem nihil ad ſe pertinentem, ſecurè negligunt, quam tum ſine publico dedecore omittere non poſſent. maior eſſet in populo Chriſtiano fidei conſenſus, nec tã ta multorum inſcitia & ruditas. non adeò temere quidam nouis & peregrinis dogmatibus abriperentur. omnibus denique eſſet quædam velut methodus doctrinę Chriſtianę.

DE POENITENTIA.

14 PRoximo loco ſtatuunt pœnitentiam: de qua ſic confuſè & perturbatè differunt vt nihil certi nec ſolidi ex eorum doctrina referre poſſint conſcientiæ. Nos alio loco, quæ de pœnitentia didiceramus ex Scripturis, tum deinde quid & illi doceant, prolixè enarrauimus nunc id tantùm nobis attingendum erit, quid rationis habuerint qui opinionem de Sacramento, quę in templis ac ſcholis diu antehac regnauit, excitarunt. Dicã tamen prius aliquid breuiter de veteris Eccleſiæ ritu, cuius prætextu abuſi ſunt illi ad ſtabiliendum ſuum commentum. Hunc ordinem in publica pœnitentia obſeruabãt, vt qui iniunctis ſibi ſatisfactionibus defuncti erant, ſolenni manus impoſitione reconciliarentur. Symbolum illud erat abſolutionis, quo & ipſe peccator erigebatur coram Deo veniæ fiducia, & Eccleſia admonebatur vt eum benignè, abolita offenſæ memoria, in gratiã reciperet. Hoc Cyprianus ſæpenumero appellat, pacem dare. Quo autem & grauior eſſet, & plus commendationis apud populum haberet iſta actio, conſtitutum fuit vt ſemper Epiſcopi authoritas hîc intercederet. Hinc illud decretum Concilii Carthaginenſis ſecundi, Reconciliare publicè pœnitentem in Miſſa presbytero non liceat. Et alterum Concilii Arauſicani, Qui pœnitentiæ tempore ex hac vita migrant, ſine reconciliatoria manus impoſitione ad communionem admittantur: ſi reualuerint ex morbo, ſtent in ordine pœnitentium: completóque tempore, reconciliatoriam manus impoſitionẽ ab Epiſcopo accipiant. Item Carthaginenſis tertii, Presbyter ſine authoritate Epiſcopi, nõ reconciliet pœnitentem. Hæc omnia eò ſpectabant, ne nimia facilitate ſeueritas quam ſeruari in ea re volebant, collaberetur. Epiſcopum ergo cognitorem eſſe voluerunt, quem veriſimile erat in examine habendo circunſpectiorem fore. Quanquã Cyprianus alicubi tradit, non ſolum Epiſcopum manum impoſuiſſe, ſed totum etiam clerum. ſic enim loquitur, Pœnitentiam agunt iuſto tempore: deinde ad communionem veniunt. & per manuum impoſitionem Epiſcopi & cleri, ius communionis accipiunt. Poſtea ſucceſſu temporis eò delapſa res eſt vt extra publicam pœnitentiam in priuatis quoque abſolutionibus hac ceremonia vterentur. Hinc illa diſtinctio apud Gratianum inter publicam & priuatam reconciliationem. Ego veterem illam obſeruationem, de qua Cyprianus meminit, ſanctam & Eccleſiæ ſalutarem fuiſſe iudico: ac hodie reſtitutam eſſe cuperem. Recentiorem hanc tametſi improbare, vel ſaltem acrius inſectari non audeo, minus tamen neceſſariam arbitror. Vtcunque ſit, videmus tamen manuum impoſitionem in pœnitentia ceremoniam eſſe ab hominibus, non à Deo inſtitutam, quæ inter res medias & externa exercitia ponenda ſit: non illa quidem contemnenda, ſed quæ inferiore loco eſſe debeant quàm quæ Domini verbo nobis ſunt commendata.

Lib. epiſt. 1. epiſt. 2.

Cap. 35.

Lib. epiſt. 3. epiſt. 14.

In Decre. 26 quæſt. 6.

15 Romanenſes autẽ & Scholaſtici (quibus ſolenne eſt omnia perperã interpretando corrumpere) anxiè in reperiendo hîc Sacramento deſudant. nec mirum videri debet: nodum enim in ſcirpo quærunt. Quod tamen optimum habent, rem implicitã, ſuſpenſam, incertam, opinionúmque varietate confuſam ac turbatam relinquunt. Dicunt ergo, vel pœnitentiam exteriorem eſſe Sacramentum, & ſi ita eſt: exiſtimare debere ſignum

esse interioris pœnitentiæ,id est contritionis cordis, quæ erit res Sacramenti:vel vtrãque simul esse Sacramentum: nec duo, sed vnum completum. Verùm exteriorem esse Sacramentum duntaxat,interiorem,rem & Sacramentum.Remissionem autem peccatorum, rem tantùm,& non Sacramentum.Qui Sacramenti definitionem suprà à nobis positam memoria tenent,ad eam exigant id quod dicunt esse Sacramentum,&inuenient non esse ceremoniam externam à Domino institutam ad fidei nostræ confirmationem. Quòd si causentur,definitionem meam legem non esse cui parêre necesse habeãt: audiant Augustinum,quẽ sacrosanctum se habere fingunt. Sacramenta(inquit)propter carnales, visibilia instituta sunt:vt ab iis quæ oculis cernuntur ad ea quæ intelliguntur,Sacramentorum gradibus transferantur. Quid tale aut ipsi vident, aut aliis queunt ostendere in eo quod Sacramentum pœnitentiæ vocant? Idem alibi, Sacramentum ideo dicitur quia in eo aliud videtur,aliud intelligitur.Quod videtur,speciem habet corporalem:quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Neque vllo modo, Sacramento pœnitentiæ(quale fingunt ipsi)conueniunt hæc: vbi nulla species est corporalis quæ spiritualem fructum repræsentet.

Lib.3.quæst. Vet.testam.

In sermone quodam de Baptis.infãt.

16 Ac(vt istas belluas in sua arena conficiam)si vllum hîc Sacramẽtum quæratur,nónne longè speciosius iactari poterat absolutionem Sacerdotis Sacramẽtum esse,quàm pœnitentiam vel interiorem vel exteriorem?Promptum enim erat dicere, ceremoniam esse ad confirmandam fidem nostram de peccatorum remissione, haberéque promissionem clauium,vt vocant, Quodcũque ligaueritis aut solueritis super terram,erit solutum & ligatum in cælis. Sed obiecisset quispiam, plerosque solui à Sacerdotibus, quibus nihil tale accedit tali absolutione: quũ ex eorum dogmate Sacramenta nouæ Legis efficere debeãt quod figurant. Ridiculum. Vt in Eucharistia duplicem manducationem statuunt, Sacramentalem,quæ bonis ęquè ac malis communis est: spiritualem, quæ bonorum tãtùm est propria:cur non & absolutionem bifariam percipi fingerent?Nec tamen hactenus intelligere potui quid sibi vellent cum illo suo dogmate: quod quàm longè à Dei veritate dissideat docuimus quum id argumentum seriò tractaremus.Tantùm hîc ostẽdere volo,hûc scrupulum nihil impedire quominus absolutionem Sacerdotis Sacramentũ nuncupent. Respondere enim per os Augustini licebat, Sanctificationem esse sine visibili Sacramento,& visibile Sacramentum sine interiori sanctificatione.Item,Sacramenta in solis electis efficere quod figurant. Item,Induere Christum alios vsque ad Sacramẽti perceptionem, alios vsque ad sanctificationẽ.Illud,bonos & malos pariter facere:istud,bonos solos.Sanè hallucinati sunt plusquam pueriliter,& cęci in sole fuerunt,qui quum multa difficultate æstuarent,rem planam adeò & cuiuis obuiam non perspexerunt.

Lib.3.quæst. vet. testam. De Baptis. paruulorũ. Lib.5.De Baptism. cõtra Donatist.

17 Ne tamen animos tollant,quacunque in parte Sacramentum posuerint,nego iure haberi pro Sacramento.Primùm quòd nulla Dei promissio singularis ad hanc rem extet, vnica Sacramenti hypostasis.Deinde quòd quæcũque hîc ceremonia proferatur,merum sit hominum inuentum:quum ceremonias Sacramentorum nonnisi à Deo instituí posse iam definitum sit. Mendacium ergo & impostura fuit quod de Sacramento pœnitentiæ commenti sunt.Ementitum hoc Sacramentum ornarunt quo decebat elogio,secundam esse tabulam post naufragium:quia siquis vestem innocẽtiæ in Baptismo perceptam peccãdo corruperit,per pœnitentiam reparare potest.Sed dictum est Hieronymi.Cuiuscunque sit,quin planè impiũ sit excusari nequit,si ex eorum sensu exponitur. Quasi verò per peccatum deleatur Baptismus,& non potius in memoriam reuocãdus sit peccatori quoties de peccati remissione cogitat,vt illinc sese colligat,animúmque recipiat,& fidem cõfirmet,peccatorum remissionem se impetraturũ quæ sibi in Baptismo promissa sit.Quod autem durè & impropriè Hieronymus dixit,pœnitentia reparari Baptismum(à quo excidunt qui excommunicari ab Ecclesia merẽtur) boni isti interpretes ad suam impietatem trahunt. Aptissimè itaque dixeris si Baptismum vocaueris pœnitentiæ Sacramentum, quum in confirmationem gratiæ & fiduciæ sigillum iis datus sit qui pœnitentiam meditantur. Quòd ne commentum esse nostrum putes, præterquam quòd Scripturæ verbis conforme est, apparet in veteri Ecclesia fuisse peruulgatum instar certissimi axiomatis. Nam in libello De fide ad Petrum,qui Augustino inscribitur,Sacramẽtum fidei & pœnitentiæ dicitur. Et quid ad incerta confugimus? Quasi verò apertius quippiam requirendum sit,quàm quod recitat Euangelista:Iohannem prædicasse Baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum.

Ib.4.Sent. dist.14. cap.1 De pœnitẽ. dist.1.cap.2

Citatur Decret.15.quæst 1.cap.Firmissimè. Marc.1.a.4 luc.3.a.3

DE

18 DE VLTIMA, vt vocant, VNCTIONE.

TErtium fictitium Sacramentum, est Extrema vnctio: quæ nonnisi à Sacerdote perficitur, ídque in extremis (sic loquuntur) & oleo ab Episcopo consecrato, atque hac verborum forma, Per istam sanctam vnctionẽ, & piissimam suam misericordiã indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum, per auditum, odoratum, tactum, gustum. Eius duas esse virtutes fingunt, peccatorum remissionem, & corporalis morbi leuamen, si ita expediat: sin minus, animæ salutem. Aiunt autem institutionem ab Iacobo positam esse, Iacob.5.d.14
cuius verba sunt, Infirmatur quis inter vos? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: fideíque obsecratio saluum reddet laborantem, ac eriget eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Eiusdem rationis est ista vnctio, cuius esse manuum impositionem suprà demonstrauimus: nempe histrionica hypocrisis, qua citra rationem, & sine fructu, Apostolos referre volunt. Refert Marcus, A- Marc.6.b.13
postolos in prima sua missione, iuxta mandatum quod à Domino acceperant, mortuos suscitasse, dæmonia eiecisse, leprosos mundasse, infirmos sanasse, in curatione autem ægrorum, oleum adhibuisse. Vngebant, inquit, oleo multos infirmos: & sanabantur. Huc respexit Iacobus quum iussit accersi presbyteros ad vngendum infirmum. Talibus ceremoniis nullum altius subesse mysterium facilè iudicabunt qui obseruarint quanta libertate & Dominus & eius Apostoli versati sint in rebus istis externis. Dominus cæco redditurus visum, ex puluere & sputo lutum cõposuit, alios tactu sanauit, alios verbo. Ad hunc modum Apostoli alios morbos solo verbo, alios tactu, alios vnctione curarunt. At verisimile est vnctionem istam non temerè (vt nec omnia alia) fuisse vsurpatam. Fateor: non tamen vt esset curationis organum, sed symbolum duntaxat, quo imperitorum ruditas admoneretur vnde tanta virtus prodiret: ne scilicet eius laudem Apostolis tribuerent. Oleo autem significari Spiritum sanctum eiúsque dona, vulgare ac tritum est. Cæterum euanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula: quæ ad tempus edi voluit Dominus quo nouam Euangelii prædicationem in æternum admirabilem redderet. Vt igitur maximè demus, vnctionem Sacramentum fuisse earum virtutum quæ tum per manus Apostolorum administrabantur: nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum administratio commissa non est.

Iohan.9.a.6
Mat.9.d.29
luc.18.g.42
Act.3.a.6, & 5.c.16, & 19. c.12
Psal.45.b.8

19 Et qua maiori ratione Sacramentum ex hac vnctione faciunt quàm ex aliis quibusuis symbolis quæ nobis in Scriptura commemorantur? Cur non aliquam natatoriam Siloah destinant, in quam certis temporum vicibus se immergant malè habẽtes? Frustra, inquiunt, id fieret. Certè non magis frustra quàm vnctio. Cur non mortuis incubãt, quoniam puerum mortuum, illi incubando, suscitauit Paulus? Cur nõ lutum ex sputo & puluere Sacramentum est? Sed alia singularia exempla fuerunt: hoc autem ab Iacobo præcipitur, nempe pro eo tempore loquebatur Iacobus, quo adhuc huiusmodi Dei benedictione fruebatur Ecclesia. Affirmant quidem eandem etiamnum vim suę vnctioni inesse: sed aliter experimur. Nemo iam miretur quomodo animas, quas verbo Dei, hoc est vita & luce sua spoliatas, stupidas esse & cæcas sciebant, tanta confidentia ludificati sint: quum nihil eos pudeat, corporis sensus viuos ac sentientes velle fallere. Ridiculos ergo se faciunt dum gratia curationũ præditos sese iactant. Adest sanè suis Dominus omnibus seculis: & corũ languoribus, quoties opus est, medetur, non minus quàm olim: manifestas tamẽ illas virtutes non ita exerit, nec miracula per Apostolorum manus dispensat: quia & temporale fuit illud donũ, & aliqua etiam ex parte hominũ ingratitudine statim intercidit.

Iohan.9.b.7
Act.20.b.10

20 Itaque vt non abs re Apostoli gratiam curationum sibi demandatam, olei symbolo, palàm testati sunt, non eam, sed Spiritus sancti esse virtutem: ita rursum Spiritui sancto sunt iniurii qui putidum & nullius energiæ oleum faciunt eius virtutem. Perinde id est ac siquis diceret, omne oleum virtutem esse Spiritus sancti, quòd eo nomine in Scriptura nuncupetur: omnem columbam esse Spiritum sanctum, quòd ea specie apparuerit. Verùm de iis viderint. Quod nobis in præsentia abundè est, certo certius perspicimus, eorum vnctionem Sacramẽtum non esse: quæ nec ceremonia est à Deo instituta, nec vllam promissionem habet. Siquidem quum duo ista in Sacramento exigimus, vt ceremonia sit à Deo instituta, vt Dei promissionem habeat: simul postulamus vt ceremonia illa nobis tradita sit, & promissio ad nos spectet. Non enim Circunciſionem iam Sacramentum Christianæ Ecclesiæ quisquam esse contendit, tametsi & Dei institutum erat, & promissionem annexam habebat: quia nec nobis mandata fuit, nec promissio quæ illi adiuncta

Mat.3.d.16
iohan.1.d.34

fuerat, nobis eadem conditione data. Promissionem quam in vnctione ferociter iactant, nobis non esse datam euidenter demonstrauimus,& ipsi experientia declarant. Ceremonia vsurpari non debuit nisi ab iis qui curationum gratia præditi fuerant: non ab istis carnificibus, qui plus mactando ac trucidando valent, quàm sanando.

21 Quanquam etiamsi obtinuerint, huic ætati conuenire quod de vnctione ab Iacobo præcipitur, (à quo longissimè absunt) ne sic quidem adhuc multum promouerint in approbanda sua vnctione qua hactenus nos illeuerunt. Iacobus omnes infirmos vult inungi: isti non infirmos, sed semimortua cadauera, sua pinguedine inficiũt: quum iamiam anima in primoribus labris laborat, vel (vt ipsi loquuntur) in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium adferant, crudeles sunt qui nunquam in tempore medentur. Iacobus vult infirmum vngi à senioribus Ecclesiæ: isti vnctorem non admittunt nisi sacrificulum. Quòd apud Iacobum presbyteros interpretantur sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem positum nugantur, nimis friuolum est: quasi verò Ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, vt in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum. Iacobus dum simpliciter vngi infirmos iubet, non aliam vnctionẽ mihi significat, quàm vulgaris olei: nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleum non dignantur nisi ab Episcopo consecratum: hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum,& nouies flexo genu salutatum: ter, Aue sanctum oleum: ter, Aue sanctum chrisma: ter, Aue sanctum balsamum. A quo tales exorcismos hauserũt? Iacobus dicit, Vbi vnctus oleo fuerit infirmus, & precatio concepta fuerit super eum, si in peccatis fuerit, remissum iri: vt scilicet abolito reatu, pœnæ leuationem impetrent: non intelligens, pinguedine deleri peccata, sed fidelium orationes, quibus afflictus frater Deo commendatus fuerit, non fore irritas: Isti per sacram suam, id est abominabilem vnctionem, peccata remitti, impiè mentiuntur. En quàm pulchrè proficient, vbi Iacobi testimonio pro sua libidine prolixè abuti permissi fuerint. Ac ne diutius sit nobis in probatione laborandum, hac difficultate nos eorum quoque annales liberant. referunt enim Innocentiũ Papam, qui Augustini ætate Romanæ Ecclesiæ præfuit, instituisse vt non presbyteri modò, sed omnes etiam Christiani oleo vterentur, in suam suorúmque necessitatem vngendo. Author Sigebert. in Chronic.

Iacob.5.c.14

22 DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS.

QVartum locum in eorum catalogo tenet sacramentum Ordinis: sed adeò fœcundum, vt septem ex se sacramentula pariat. Est verò istud perquam ridiculum, quòd quum affirment septem esse sacramenta, dum recensere ipsa volunt, tredecim enumerant. Neque verò causari possunt, vnum esse sacramentum: quia omnia in vnum sacerdotium tendunt, & velut quidam ad ipsum sunt gradus. Siquidem quum in singulis diuersas esse ceremonias constet, diuersas esse gratias ipsi loquantur: nemo dubitet quin septem sacramenta dici debeant si eorum placita recipiuntur. Et quid, quasi rem ambiguam, controuertimus, quando ipsi planè distinctéque septem declarãt? Primùm autem obiter perstringemus, quot & quàm insulsas absurditates nobis ingerant, dum nobis suos ordines pro sacramentis cõmendare volunt: deinde an omnino sacramẽtum dici debeat ceremonia qua vtũtur Ecclesiæ in ordinandis ministris, videbimus. Septem ergo ordines vel gradus Ecclesiasticos faciunt: quos insigniunt titulo sacramenti. Sunt autem, Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Et septem quidem esse dicunt propter septiformẽ Spiritus sancti gratiam, qua præditi esse debẽt qui ad eos promouentur. Augetur autẽ illis & largius cumulatur in promotione. Iam numerus ipse peruersa Scripturæ interpretatione consecratus est: quòd videntur sibi apud Iesaiam legisse, septem Spiritus sancti virtutes, quum & verè plures non referãtur ab Iesaia quàm sex: nec Propheta omnes eo loco cõcludere voluerit. tam enim alibi Spiritus vitæ, sanctificationis, adoptionis filiorum dicitur, quàm illis sapientiæ, intelligentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ, & timoris Domini. Quanquam alii acutiores, non septem ordines, sed nouem faciũt, ad similitudinem, vt aiunt, triumphãtis Ecclesiæ. Atque inter eos etiam pugna est, quòd alii clericalem tonsuram volunt esse primum omnium ordinem, Episcopatum vltimum: alii excluſa tonsura, Archiepiscopatum ordinibus annumerant. Isidorus aliter distinguit, facit enim diuersos, Psalmistas & Lectores: illos cantionibus præficit, hos legendis Scripturis, quibus plebs erudiatur. Atque hæc distinctio Canonibus obseruatur. In

Lib.4.Sent. Dist.34.c.9

Iesa.11.a.2 Eze.1.c.20 Rom.1.a.4, & 8.c.15

Opinio hæc est Hugonis, altera, Guil. Parisien.

Isid.lib.7, & Mo. allegatur ca.Cleros dist.21, & dist.33. cap.Lector, & cap.Ostiarius.

In tanta varietate quid ſequi aut fugere nos volunt? Dicamúſne ſeptem eſſe ordines? Sic docet magiſter ſcholæ: ſed illuminatiſſimi doctores aliter determinant. Rurſum inter ſe ipſi diſſident. Præterea ſacratiſſimi Canones aliò nos vocant. Sic ſcilicet conſentiunt homines quum de rebus diuinis ſine verbo Dei diſceptant.

23 Verùm hoc omnem ſtultitiam ſuperat, quòd in ſingulis Chriſtum ſibi collegam faciunt. Primùm, inquiunt, oſtiarii munere functus eſt, quando vendentes & ementes, flagello ex funiculis facto, è templo eiecit. Oſtiarium ſe eſſe ſignificat, quum dicit, Ego ſum oſtium. Lectoris munus aſſumpſit, quum in ſynagoga Ieſaiam legit. Exorciſtæ officio functus eſt, quum linguam & aures ſurdi & muti, ſaliua tangens, auditum reddidit. Acoluthum ſe eſſe his verbis teſtatus eſt, Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Subdiaconi officio functus eſt, quum linteo præcinctus pedes diſcipulorum lauit. Diaconi perſonam ſuſtinuit, quum corpus & ſanguinem diſtribuit in Cœna. Sacerdotis partes impleuit, quum in cruce Patri ſe hoſtiam obtulit. Hæc abſque riſu adeò audiri non poſſunt vt mirer abſque riſu ſcripta eſſe: ſi tamen homines erant qui ſcribebant. Sed in primis ſpectabilis eſt argutia qua in acoluthi nomine philoſophantur, ceroferarium appellãtes verbo (vt arbitror) magico, certè inaudito gentibus ac linguis omnibus, quum ἀκόλουθος Græcis ſimpliciter ſignificet pediſſequum: Quanquam ſi his ſeriò refellendis inhæream, iure & ipſe quoque ridear: adeò friuola ſunt & ludicra.

Iohan.2.c.15
Iohan.10.b.7
Luc.4.c.17
Marc.16.d.33
Iohan.8.b.12
Iohan.3.a.4
Mat.26.c.26
Mat.27.f.50
epheſ.5.a.2

24 Ne tamen mulierculis adhuc fucum faciant, traducenda eſt obiter eorum vanitas. Creant eximia pompa ac ſolennitate ſuos lectores, pſalmiſtas, oſtiarios, acoluthos, ad ea miniſteria exequenda quibus vel pueros, vel certè quos vocant laicos, præficiunt. Quis enim cereos vt plurimum accẽdit, quis vrceolo vinum & aquam infundit, niſi puer, aut ex laicis ſordidulus aliquis qui ex ea re quæſtum facit? Nónne iidem canunt? nónne templorum ianuas claudunt & aperiunt? Quis enim in eorum templis vnquam vidit vel acoluthum, vel oſtiarium ſuis partibus fungentem? Quin potius qui puer acoluthi munere functus eſt, quum in ordinem acoluthorum cooptatur, deſinit eſſe id quod dici incipit. vt videantur ex profeſſo velle munus ipſum abiicere quum titulum aſſumunt. En cur Sacramentis conſecrari & Spiritum ſanctum accipere neceſſe habeant, nẽpe vt nihil agant. Si prætexant, hanc eſſe temporum peruerſitatem, quòd miniſteria ſua deſerunt ac negligunt, ſimul fateantur nullum hodie eſſe in Eccleſia vſum nec fructum ſacrorum ſuorum ordinum, quos mirificè deprædicant, totámque Eccleſiam ſuam anathemate plenam: quandoquidem cereos & vrceolos à pueris & profanis attrectari permittat, quibus tangendis nulli digni ſunt niſi in acoluthos conſecrati: quando cantiones ad puéros ablegat, quæ niſi ab ore conſecrato audiri non debebant. Exorciſtas verò in quem tandem finem conſecrant? Audio Iudæis fuiſſe ſuos exorciſtas: ſed ab exorciſmis dictos video, quos exercebant. De ementitis iſtis exorciſtis quis vnquam fando audiuit quòd ſpecimen vnum ſuæ profeſſionis ediderint? Fingitur illis poteſtas data imponẽdi manus ſuper energumenos, & catechumenos, & dæmoniacos, ſed tali ſe poteſtate præditos dæmonibus perſuadere non poſſunt, non modò quia eorum imperiis non cedunt dæmones, ſed etiam quia ipſis imperant. Vix enim decimum quenque reperias qui non malo ſpiritu agatur. Quæcunque igitur de minutulis ſuis ordinibus balbutiunt, cõflata ſunt ex inſcitis inſulſiſque mendaciis. De veteribus acoluthis & oſtiariis & lectoribus, alibi dictum eſt, quum Eccleſiæ ordinem exponeremus. Nobis hîc propoſitum eſt duntaxat pugnare cõtra nouitium illud inuentum de ſeptemplici ſacramento in ordinibus Eccleſiaſticis: de quo nuſquam alibi quàm apud ineptos iſtos rabulas, Sorboniſtas & Canoniſtas legitur.

Act.19.c.19

25 Iam de ceremoniis quas adhibent videamus. Principiò, quoſcunque in militiam ſuam adſcribunt, communi ſymbolo initiant in clericatum. Radunt enim eos in vertice, vt corona regale decus ſignificet: quia Reges debent eſſe clerici, vt ſe & alios regãt. De iis enim ſic loquitur Petrus, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. At ſacrilegium fuit, quod vniuerſæ Eccleſiæ tribuitur, ſolis ſibi arrogare, & titulo ſuperbè gloriari quem fidelibus præripuerant. Petrus totã Eccleſiam alloquitur: iſti ad pauculos raſos detorquent: quaſi ſolis illis dictum ſit, Sancti eſtote: quaſi ſoli illi ſanguine Chriſti acquiſiti ſint: quaſi ſoli illi per Chriſtum facti ſint regnum & ſacerdotium Deo. Affignant deinde & alias rationes: ſummitas capitis denudatur, vt eorum mens ad Dominum libera demonſtretur, quæ reuelata facie, Dei gloriam contempletur. vel vt vitia oris & oculorum doceantur præcidẽda. Vel raſura capitis eſt temporalium depoſitio:

Cap. Dup. 12. quæſt. 1.
1. Pet. 2. b. 9
Lib. 4. Sent. diſt. 24. cap. Duo ſunt.

circunferentia verò coronæ reliquiæ sunt bonorum quæ ad sustentationem retinentur. Omnia in figuris: quia scilicet velum templi nondum scissum est. Itaque persuasi se præclarè defunctos esse suis partibus quòd talia per coronam suam figurauerint, nihil eorum re ipsa præstant. Quousque nos talibus fucis & præstigiis ludent? Clerici detonsis aliquot capillis significant temporalium bonorum abundantiam se abiecisse, gloriam Dei contemplari, aurium oculorúmque concupiscentiam mortificasse: at nullum est hominum genus rapacius, stupidius, libidinosius. Cur non magis sanctitatem verè exhibent quàm falsis mendacibúsque signis ipsius speciem simulant?

Lib.4.Senten.distinct. 24.cap.1.

26 Porrò quum dicunt coronam clericalem habere originem à Nazaræis,& ratione, quid aliud adferũt quàm sua mysteria à Iudaicis ceremoniis nata esse, vel potius merum esse Iudaismum? Quòd autem addunt, Priscillam, Acylam,& Paulum ipsum suscepto voto sibi rasisse caput, vt purificarentur: crassam suam ignorantiam prodũt. Nusquam enim legitur de Priscilla: ac de Acyla etiam incertum est. siquidem tam ad Paulum referri potest tonsura illa quàm ad Acylam. Ne verò illis relinquamus quod petunt, exemplum eos habere à Paulo: obseruandum est simplicioribus, Paulum nunquam caput sibi totondisse ad sanctificationem aliquam: sed duntaxat vt fratrum infirmitati seruiret. Soleo eiusmodi vota appellare charitatis, nõ pietatis: hoc est, non susceptа ad cultum aliquem Dei, sed ad tolerãdam infirmorum ruditatem: quemadmodum ipse ait, Iudæis se Iudæum factum, &c. Ergo hoc fecit,& quidem semel, atque ad breue tempus, vt Iudęis se tantisper accommodaret. Isti quum Nazaræorum purificationes nullo vsu imitari volunt, quid aliud quã alterum Iudaismum erigunt dum veterem perperam æmulari affectant? Eadem religione decretalis illa epistola composita est, quæ prohibet clericis, iuxta Apostolum, ne comã nutriant, sed instar sphæræ radant. quasi Apostolus, docens quid viris omnibus decorum sit, de sphærica clericorum rasura solicitus fuerit. Hinc lectores reputent qualis sint energiæ ac dignitatis alia quæ sequuntur mysteria, quibus talis est ingressus.

Act.18.c.18

1.Cor.9.c.10

Num.6.c.18

Cap.Prohibe.dist.25 1.Cor.11.a.4

27 Vnde originem habuerit clericorum tonsura, abunde vel ex vno Augustino constat. Quum illo seculo capillum non alerent nisi delicati, & qui nitorem elegantiámque non satis virilem affectabant: videbatur esse nõ boni exempli si clericis id permitteretur. Iubebãtur ergo clerici vel tondere caput, vel radere, nequam effœminati cultus speciem præ se ferrent. Adeò autem id vulgare erat, vt monachi quidam, quo magis suam sanctimoniam notabili distinctóque ab aliis habitu venditarent, comam demitterent. Quum verò postea res ad crines rediisset,& ad Christianismum accederent gentes quædam, quæ semper comatæ fuerant, vt Gallia, Germania, Anglia: verisimile est clericos vbique rasisse caput, ne comæ ornamentum viderentur affectare. Tandem corruptiore seculo, quum prisca omnia instituta vel inuersa forent, vel in superstitionem degenerassent, quia in rasura clericali nihil cernebant causæ (neque enim quicquam retinuerant præter stultam imitationem) ad mysterium confugerunt: quod nunc superstitiosè nobis obtrudunt pro Sacramenti sui approbatione. Ostiarii in consecratione claues templi accipiunt, quo sibi mãdari custodiam intelligant. Lectores, sacra Biblia. Exorcistæ, formulas exorcismorum, quibus super energumenos & catechumenos vtantur. Acolythi, cereos & vrceolum. Eiusmodi cæremoniæ quibus (si Deo placet) tantum inest arcanæ virtutis vt esse possint gratiæ inuisibilis non modò signa ac tesseræ, sed etiam causæ. Hoc enim secundum suam definitionẽ postulant, quum inter Sacramenta haberi volunt. Verùm, vt paucis absoluam, dico absurdum esse quòd in scholis & canonibus minores istos ordines Sacramenta faciunt: quando eorum etiam qui hoc tradunt confessione, primitiuæ Ecclesiæ incogniti fuerunt, & multis postea annis excogitati. Sacramenta autem, quum Dei promissionem contineant, neque ab Angelis, neque ab hominibus, sed à Deo solo instituí debẽt: cuius vnius est promissionem dare.

Augustin. De opere monach. in fine Item in Retract.

Lib.4.Sent. dist.24.c.8

28 Supersunt tres ordines, quos maiores vocant. Ex quibus Subdiaconatus (vt aiunt) in eum numerum translatus est, ex quo turba illa minorum pullulare cœpit. Quia autem videntur pro his testimonium habere à verbo Dei, sacros ordines, honoris causa, peculiariter nominant. Sed quàm obliquè Domini institutis in prætextum suum abutantur, videndum est. Incipiemus autem ab ordine presbyterii siue sacerdotii, His enim duobus nominibus rem vnam significant, ac sic appellant eos ad quos pertinere aiunt sacrificium corporis & sanguinis Christi in altari conficere, orationes concipere, ac benedicere dona Dei. Itaque in ordinatione patenam cum hostiis accipiunt, in symbola collatæ sibi potestatis

ſtatis placabiles Deo hoſtias offerendi. manúſque illis inunguntur: quo ſymbolo docentur datam ſibi eſſe conſecrandi poteſtatem. Sed de ceremoniis poſtea. De re ipſa dico, adeò nullum apicem habet à verbo Dei quod obtendunt, vt non potuerint improbius ordinem à Deo poſitum deprauare. Principiò quidem pro cõfeſſo eſſe debet (quod de Miſſa papali tractãdo aſſeruimus) iniurios omnes eſſe Chriſto qui ſe Sacerdotes appellant, ad offerendam placationis hoſtiam. Conſtitutus ille & conſecratus à Patre Sacerdos cum iureiurando fuit, ſecundum ordinem Melchiſedec, nullo fine, nullo ſucceſſore. Hoſtiam ſemel obtulit æternæ expiationis & reconciliationis: nunc etiam ſanctuarium cæli ingreſſus, intercedit pro nobis. In ipſo omnes ſumus Sacerdotes, ſed ad laudes & gratiarum actiones, ad nos denique noſtráque Deo offerẽda. Illi vni ſingulare fuit, ſua oblatione Deũ placare, & peccata expiare. Id quũ ſibi iſti vſurpent, quid ſupereſt niſi eorum ſacerdotium impium eſſe ac ſacrilegum? Certè nimis improbi ſunt dum Sacramẽti titulo inſignire audent. Quantũ ad verum preſbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt cõmendatum, libenter eo loco habeo. illic enim ceremonia eſt, primùm ex Scripturis ſumpta, deinde quam non eſſe inanem nec ſuperuacuam, ſed fidele ſpiritualis gratię ſymbolum, teſtatur Paulus. Quòd autẽ tertium in numero non poſui, eo factum eſt quòd nõ ordinarium nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus. Verùm quum hic honor Chriſtiano miniſterio tribuitur, non eſt propterea quòd ſuperbiant Papiſtici Sacerdotes. Euãgelii enim ſui ac myſteriorũ diſpenſatores ordinari iuſſit Chriſtus, non victimarios inaugurari. Mandatum de prædicando Euangelio paſcendóque grege, non de hoſtiis immolandis dedit. Spiritus ſancti gratiam promiſit, non ad peragendam peccatorum expiationem, ſed ad gubernationem Eccleſiæ rite obeũdam ac ſuſtinẽdam.

Pſal.110.b.4 Heb.5.a.6; & 7.a.3

1.Tim.4.d.14

Mat.28.d.19 marc.16.c.15 iohã.21.c.15

29 Cum re ipſa optimè congruunt ceremoniæ. Dominus noſter quum Apoſtolos amandaret ad Euangelii prædicationem, inſufflauit in eos. Quo ſymbolo Spiritus ſancti virtutem, qua illos donabat, repræſentauit. Hanc inſufflationem retinuerunt boni iſti viri, & quaſi Spiritum ſanctum è gutture ſuo egerant, ſuper ſuos quos formant ſacrificulos demurmurant, Accipite Spiritum ſanctum. Adeò nihil prætereunt quod non præpoſterè effingant: non dico more hiſtrionum (qui nec ſine arte geſticulantur, nec ſine ſignificatione) ſed inſtar ſimiarum, quæ laſciuè & abſque vllo delectu quiduis imitantur. Seruamus (inquiunt) exemplum Domini. At multa egit Dominus quæ nobis exempla eſſe noluit. Dixit Dominus diſcipulis, Accipite Spiritum ſanctum. Dixit & Lazaro, Lazare, veni foras. Dixit paralytico, Surge & ambula. Cur non eadem dicunt omnibus mortuis & paralyticis? Diuinæ ſuæ virtutis ſpecimen edidit quum inſufflando in Apoſtolos, Spiritus ſancti gratia illos repleuit. Hoc ipſum ſi conantur efficere, Deum æmulantur, & tantum-non ad certamen prouocant: ſed longiſſimè abſunt ab effectu, nec aliud inepto iſto geſtu quàm Chriſtum illudũt. Sunt quidem adeò effrontes vt aſſerere auſint conferri à ſe Spiritum ſanctum. ſed quàm id verum ſit, docet experiẽtia, quæ clamat ex equis fieri aſinos, ex fatuis phreneticos quicunque in Sacerdotes conſecrantur. Nec tamen hinc pugnam illis facio: tantùm ceremoniam ipſam damno quæ in exemplum trahi non debuit, quandoquidem à Chriſto in ſingulare miraculi ſymbolum vſurpata eſt: tantum abeſt vt illis patrocinari debeat imitationis excuſatio.

Iohan.20.c.22 Iohã.11.e.43 Matth.9.a.5 Iohan.5.b.8

30 Vnctionem verò à quo tandem acceperunt? Reſpondent ſe accepiſſe à filiis Aaron, à quo & ſuus ordo ſumpſit initium. Peruerſis igitur exemplis perpetuò ſe tueri malunt quàm fateri à ſe excogitatum quod temere vſurpant. ſed interim non animaduertunt, dum ſucceſſores ſe profitentur filiorum Aaron, Chriſti ſacerdotio ſe eſſe iniurios: quod vnum omnibus veteribus ſacerdotiis adumbratum figuratúmque fuit. In eo igitur omnia concluſa & impleta fuerunt, in eo ceſſarunt, vt iam aliquoties repetitum à nobis eſt, & epiſtola ad Hebræos nullis gloſſis adiuta teſtatur. Quòd ſi tantopere Moſaicis ceremoniis oblectantur, cur non boues, vitulos, agnos ad ſacrificia rapiunt? Habent quidem bonam partem antiqui tabernaculi & totius Iudaici cultus: ſed hoc tamen eorum religioni deeſt, quòd vitulos & boues non immolant. Quis non videat hanc vnctionis obſeruationem Circunciſione multo eſſe pernicioſiorem: præſertim vbi accedit ſuperſtitio & Phariſaica opinio de dignitate operis? Iudæi in Circunciſione fiduciam iuſtitiæ reponebant: iſti in vnctione ſpirituales gratias. Ergo dum Leuitarum æmuli eſſe appetunt, apoſtatæ fiunt à Chriſto, ſéque Paſtorum munere abdicant.

Lib.4. Sent: diſtinct.24. cap.8. & in Canon. diſt. 21.cap.1.

31 Hoc eſt (ſi Deo placet) ſacrum oleum quod characterẽ indelebilẽ imprimit. Quaſi

verò oleum puluere & sale abstergi non possit, aut (si tenacius adhæsit) sapone. At character ille spiritualis est. Quid oleo cum anima? An obliti sunt quod ex Augustino occinũt, Si detrahatur verbum ab aqua, nihil fore nisi aquã: habere autem à verbo vt sit Sacramen
Exo.30.d.30 tum? Quod verbum ostendent in sua pinguedine? an quod Mosi mandatum est de filiis Aaron vngendis? At illic etiam mãdatur de tunica, de ephod, de galero, de corona sanctitatis, quibus ornãdus erat Aaron, de tunicis, balteis, mitris, quibus erant vestiẽdi eius filii. Mandatur de mactando vitulo, de adolendo eius adipe, de arietibus secãdis & comburẽdis, de sanctificãdis auriculis & vestimẽtis, alterius arietis sanguine: & innumeræ aliæ obseruationes, quibus prætermissis, miror cur vna vnctio olei illis placeat. Si autem aspergi gaudent, cur oleo potius asperguntur quàm sanguine? Scilicet rem ingeniosam conãtur: ex Christianismo & Iudaismo & Paganitate, velut consutis centũculis, religionem vnam cõficere. Fœtet igitur eorum vnctio, quæ sale, id est verbo Dei, destituitur. Supereſt impositio manuum, quam vt in veris legitimísque ordinationibus Sacramentum esse cõcedo, ita nego locum habere in hac fabula, vbi nec Christi mandato obtemperant, nec finem respiciunt quò nos ducere debet promissio. Signum si non negari sibi volũt, ad rem ipsam cui dedicatum est, accommodent oportet.

32 De ordine quoque Diaconatus nihil pugnarẽ si restitueretur in suam integritatem ministerium illud quod sub Apostolis & in puriore Ecclesia fuit. At verò quos isti fingũt Diaconos quid habẽt simile? Non de hominibus loquor (ne querantur iniquè ex hominũ vitiis suam doctrinam æstimari) sed pro iis ipsis quos sua doctrina nobis tradunt, testimonium ab eorum exemplo quos Apostolica Ecclesia Diaconos instituit, indignè peti contendo. Aiunt ad suos Diaconos pertinere, assistere sacerdotibus, ministrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis, scilicet in Baptismo, in chrismate, in patena, in calice: oblationes inferre & disponere super altare, componere mensam Domini, & vestire: crucem ferre, prædicare & decantare Euangelium & Epistolam ad populum. An hic verbum vnum de vero Diaconorum ministerio? Nunc institutionem audiamus: Diacono qui ordinatur, solus Episcopus manum imponit. Orarium illi & stolam super læuũ humerum collocat, vt intelligat se accepisse iugum Domini leue, quò ad sinistram pertinentia diuino timori subiiciat. Textum Euangelii præbet, vt se eius præconem agnoscat. Et istæc quid ad Diaconos? Perinde verò faciunt ac siquis Apostolos se instituere diceret quos duntaxat adolendis thuribus, simulachris poliendis, conuerrendis templis, captandis muribus, fugandis canibus præficeret. Quis id hominum genus vocari Apostolos pateretur, & conferri cum ipsis Christi Apostolis? Posthac ergo ne Diaconos esse mentiantur quos nonnisi ad histrionicos suos ludos instituunt. Quinetiam ipso nomine satis declarãt quale sit officium. Leuitas enim appellant, eorúmque rationem ac originem ad filios Leui referri volunt. Quod per me quidem licet, modo ne alienis plumis eos postea vestiant.

33 De Hypodiaconis quid dicere attinet: nam quum re vera curæ pauperum olim præfuerint, nugatoriam nescio quam functionem illis attribuunt, vt calicem ac patenam, vrceolum cum aqua, mantile ad altare deferant, aquam fundant ad manus lauandas, &c. Iam verò quod de oblationibus recipiendis & inferendis dicunt, eas intelligunt quas velut anathemati destinatas ingurgitant. Huic muneri optimè respondet initiandi ritus. Vt ab Episcopo patenam & calicem, ab Archidiacono vrceolum cum aqua, manuale & huiusmodi scruta accipiat. His ineptiis vt inclusum Spiritum sanctum fateamur postulãt. Quis pius hoc concedere sustineat? Verùm, vt semel finiamus, licet de iis idem quod de reliquis statuere. neque enim opus est longius repetere quæ suprà sunt explicata. Hoc satis esse poterit modestis & docilibus (quales instituendos suscepi) nullum esse Dei Sacramentum nisi vbi ceremonia ostenditur annexa promissioni: aut certè potius nisi vbi promissio in ceremonia spectatur. Hîc ne syllaba quidem habetur certæ alicuius promissionis: frustra igitur quæratur ceremonia ad confirmandam promissionem. Rursum nulla ceremonia ex iis quas vsurpant, à Deo instituta legitur. Sacramentum igitur nullum esse potest.

DE MATRIMONIO.

34 POstremum est matrimonium, quod vt à Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo vsque ad Gregorii tempora viderat. Et cui vnquam sobrio in mẽtem veniſſet? Ordinatio Dei bona est & sancta: & agricultura, architectura, sutrina, tonstrina, ordinationes sunt Dei legitimæ, nec tamen Sacramenta sunt. id enim non tantùm

tùm in Sacramento quæritur vt Dei sit opus, sed vt sit ceremonia exterior à Deo posita ad confirmãdam promissionem. Nihil tale esse in matrimonio pueri quoque iudicabũt. Sed signum est, inquiunt, sacræ rei, hoc est spiritualis coniunctionis Christi cum Ecclesia. Si verbo signi, symbolum intelligunt à Deo nobis in hoc propositum vt fidei nostræ certitudinem erigat, longè à scopo aberrant: si signum simpliciter accipiunt, quod in similitudinem adductum sit, ostendam quàm acutè ratiocinentur. Paulus ait, Sicut stella à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. En vnum Sacramentum. Christus ait, Simile est regnum cælorum grano sinapis. En alterum. Rursum, Simile est regnum cęlorum fermento. Ecce tertium. Iesaias ait, Ecce Dominus gregem suum pascet quasi pastor. Ecce quartum. Alibi, Dominus quasi gigas egredietur. Ecce quintum. Et quis tãdem finis aut modus: nihil hac ratione Sacramentũ non erit. quot in Scriptura parabolæ sunt & similitudines, tot erunt Sacramenta. Quinetiam furtum Sacramentum erit: quandoquidem scriptum est, Dies Domini sicut fur. Quis ferat istos Sophistas tam insciтè garriẽtes? Fateor quidem, quoties aspicitur vitis, optimum esse in memoriam reuocari quod ait Christus, Ego sum vitis, vos palmites, Pater meus cultor. Quoties occurrit pastor cum grege, & illud etiam occurrere bonum esse, Ego sum pastor bonus: oues meæ meam vocem audiunt. Verum siquis tales similitudines Sacramentis annumeret, in Anticyram mittendus sit.

1.Cor.15.c.41 Mat.13.d.31 & e.33 Iesa.40. c.11 Iesa.42. b.13 1.Thes.5.a.1 Iohã.15.a.1.5 Iohã.10.b.11

35 Verba tamen Pauli obtrudunt, quibus Sacramenti nomen matrimonio attribui dicunt, Qui vxorem diligit seipsum diligit. Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia. At sic tractare Scripturas, terram cælo miscere est. Paulus vt ostenderet maritis quàm singulari amore vxores suas complecti debeant, Christum illis in exemplar proponit. Vt enim ille viscera pietatis effudit in Ecclesiam, quam sibi desponderat: sic vnumquemque affectum esse vult erga propriam vxorem. Sequitur deinde, Qui vxorem diligit, semetipsum diligit: quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam. Porrò vt doceret quomodo Christus dilexerit Ecclesiam perinde atque semetipsum, imò quomodo se vnum fecerit cum sponsa sua Ecclesia, refert ad eum quæ Moses narrat Adam de se dixisse. Quum enim adducta esset in eius conspectum Heua, quam è sua costa formatam sciebat: Hæc, inquit, est os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Totum id spiritualiter impletum in Christo, & in nobis testatur Paulus, quum mẽbra nos esse ait corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, adeóque vnam cum ipso carnem. Tandem epiphonema subnectit, Magnum hoc mysterium. &, nequis amphibologia falleretur, exprimit se non de carnali viri & mulieris coniunctione loqui, sed de spirituali Christi & Ecclesiæ coniugio. Et sanè verè magnum mysterium est, quòd sibi Christus costam detrahi passus est vnde formaremur: hoc est, quũ fortis esset, debilis esse voluit, quo sua fortitudine roboraremur: vt iam non viuamus ipsi, sed viuat ipse in nobis.

Ephes.5.f.29 Gen.2.d.23 Gala.2.d.20

36 Imposuit illis Sacramenti nomen. Verum æquúmne erat vt eorum insciтiæ pœnas tota Ecclesia penderet? Mysterium dixerat Paulus: quam dictionem quum relinquere posset Interpres, Latinis auribus non infrequentem, vel arcanum vertere: Sacramentum ponere maluit, non tamen alio sensu quàm Græcè à Paulo mysterium dictum erat. Eant nunc, & linguarum peritiam clamosè insectentur, quarum ignorantia in re facili & cuiuis obuia tandiu fœdissimè hallucinati sunt. Sed cur in vno hoc loco Sacramenti voculam tantopere vrgent, aliquoties neglectam prætereunt? Nam & in Epistola ad Timotheũ priore à vulgari Interprete posita est: ac in eadem ipsa ad Ephesios Epistola, vbique pro mysterio. Condonetur tamen illis hic lapsus: saltem mendaces oportuerat esse memores. Matrimonium verò, Sacramenti titulo commendatum, immunditiem postea, & pollutionem, & carnales sordes vocare quàm vertiginosa est leuitas? Quàm absurdum est arcere à Sacramento Sacerdotes? Si à Sacramento se arcere negent, sed à coitus tantùm libidine: non ita mihi elabuntur. Nam & coitum ipsum partem esse Sacramenti tradunt. eóque demum figurari vnionem quæ nobis est cum Christo, in naturæ cõformitate: quia vir & mulier nonnisi carnali copula, vna caro fiant. Quanquam duo Sacramẽta quidam eorum hîc repererunt, alterum Dei & animæ, in spõso & sponsa: alterum Christi & Ecclesiæ, in marito & vxore. Vtcunque, coitus tamen Sacramentum est, à quo vllum Christia-

1.Tim.3.c.9 Ephes.1.b.9 Lib.4.Sẽtẽ. dist.17.ca.4, & in Dec.27. quæst.2.cap. Quum societas. Glos.ca. Lex diuina. Ibidem Dec.

lib. 4. Sentẽ. D ſt. 33. ca. 2. & in Decre. 32. quæſt. 2. c. Quicquid.

num arceri nefas fuit. Niſi fortè Chriſtianorum ſacramenta adeò malè conueniunt, ſtare vt ſimul non poſſint. Eſt & altera in eorum dogmatibus abſurditas. In Sacramento conferri gratiam Spiritus ſancti affirmant: coitum tradunt eſſe Sacramentum: in coitu negãt vnquam Spiritum ſanctum adeſſe.

37 Ac ne ſimpliciter Eccleſiam luderent, quàm longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum ſeriem vni errori attexuerunt? vt dicas nihil aliud quàm abominationum latebram quæſiiſſe, dum è matrimonio Sacramentum fecerunt. Vbi enim id ſemel obtinuere, coniugalium cauſarum cognitionem ad ſe traxerunt: quippe res ſpiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda. Tum leges ſanxerunt quibus tyrãnidem ſuã firmarunt, ſed partim in Deum manifeſtè impias, partim in homines iniquiſſimas. Quales ſunt, Vt coniugia inter aduleſcentulos, parentũ in iuſſu cõtracta, firma ratáque maneãt. Ne inter cognatos, ad ſeptimum vſque gradũ legitima ſint matrimonia: & quæ cõtracta

Deut. 18. a. 6.

ſunt, diſſoluantur. Gradus verò ipſos, contra Gentium omnium iura, & Moſis quoque politiam confingunt. Ne viro qui adulteram repudiauerit, alteram inducere liceat. Ne ſpirituales cognati matrimonio copulentur. Ne à Septuageſima ad octauas Paſchæ, tribus hebdomadibus ante natalem Iohannis, ab Aduentu ad Epiphaniam nuptiæ celebrentur. & ſimiles innumeræ, quas recenſere longum fuerit. Et ex eorum cœno aliquando emergendum eſt, in quo iam diutius hæſit oratio quàm animus ferebat. Aliquantulum tamen mihi profeciſſe videor, quòd leonis pellem iſtis aſinis quadam ex parte detraxi.

CAP. XX.

De politica adminiſtratione.

PORRO quum duplex in homine regimen ſuperius ſtatuerimus: & de altero illo, quòd eſt in anima, ſeu interiori homine poſitum, æternámque vitam reſpicit, ſatis multa verba alibi fecerimus: de altero etiam, quod ad inſtituendam ciuilem duntaxat, externámque morum iuſticiam pertinet, nonnihil vt differamus, locus hic appetit. Etſi enim à ſpirituali fidei doctrina, quam tractandam ſuſcepi, ſeparata eſſe videtur huius argumenti ratio: progreſſus tamen oſtendet, meritò á me coniungi, imò neceſſitate me impelli vt id faciam: præſertim quoniam ab vna parte amentes & barbari homines ordinem hunc diuinitus ſancitum, furioſè euertere conantur: Principũ verò adulatores eorum potentiam ſine modo extollentes, Dei ipſius imperio oppo nere non dubitant. Vtrique malo niſi obuiam eatur, peribit fidei ſinceritas. Adde quòd ſcire quàm benignè hac in parte conſuluerit Deus generi humano nõ parum noſtrâ refert, vt ad gratitudinem teſtandam maius in nobis vigeat pietatis ſtudium. Principio, antequam in rem ipſam ingrediamur: tenẽda illa eſt diſtinctio antè à nobis poſita, ne (quod multis vulgò accidit) hæc ſimul duo imprudenter permiſceamus quæ diuerſam prorſus rationẽ habent. Illi enim quum in Euangelio promitti libertatem audiunt, quæ nullum inter homines regem, nullúmque magiſtratum agnoſcat, ſed in Chriſtum vnum intuetur: nullum libertatis ſuæ fructum capere ſe poſſe putant quandiu aliquam ſupra ſe eminere poteſtatem vident. Itaque nihil fore ſaluum exiſtimant niſi totus in nouam faciem orbis reformetur: vbi nec iudicia ſint, nec leges, nec magiſtratus, & ſiquid ſimile eſt quod officere ſuæ libertati opinantur. At verò qui inter corpus & animam, inter præſentem hanc fluxámque vitam, & futuram illam æternámque diſcernere nouerit: neque difficilè intelliget, ſpirituale Chriſti regnum, & ciuilem ordinationem, res eſſe plurimum ſepoſitas. Quũ ergo Iudaica illa ſit vaniras, Chriſti regnum ſub elementis huius mũdi quærere ac includere: nos magis quòd perſpicuè Scriptura docet, ſpiritualem eſſe fructum cogitãtes, qui ex Chriſti beneficio colligitur, totam hanc libertatem, quæ in ipſo nobis promittitur atque offertur, meminerimus intra ſuos fines cõtinere. Nam quid eſt quod ipſe idẽ

Gala. 5. a. 1. 1. Co. 7. d. 21.

Apoſtolus, qui iubet vt ſtemus, nec ſubiiciamur iugo ſeruitutis, alibi ſolicitos eſſe ſeruos de ſtatu ſuo vetat: niſi quia ſpiritualis libertas cum politica ſeruitute optimè ſtare poteſt?

Gala. 3. d. 28. Colo. 3. b. 11.

In quem etiam ſenſum accipiendæ ſunt iſtæ eius ſententiæ, In regno Dei nõ eſt Iudæus, neque Græcus, non maſculus aut fœmina, non ſeruus aut liber. Item, Nõ eſt Iudæus, nec Græcus, præputium, circunciſio, Barbarus, Scytha, ſeruus, liber: ſed omnia in omnibus Chriſtus. Quibus ſignificat, nihil referre qua ſis apud homines conditione, cuius gentis legibus viuas, quando in rebus iſtis minimè ſitum eſt Chriſti regnum.

2 Neque tamẽ eò iſta diſtinctio pertinet, quo totã politiæ rationem, rem eſſe pollutam reputemus, ad homines Chriſtianos nihil pertinẽtem. Sic quidem fanatici quos de-

lectat

lectat effrænis licentia, voc: ferantur ac iacta nt, Postquam mortui sumus per Christum elementis huius mundi, & translati in regnum Dei, sedemus inter cęlestes: indignum hoc nobis esse, ac infra nostram excellentiam longè positum, profanis istis ac impuris curis occupari quæ circa aliena à Christiano homine negotia versantur. Quorsum, inquiunt, leges sine iudiciis & tribunalibus? Quid autẽ cum iudiciis ipsis homini Christiano? Imò si occidere nõ licet, quò nobis leges & iudicia? Verùm vt distinctum istud regiminis genus à spirituali illo & interno Christi regno nuper monuimus: ita nec quicquã pugnare scien dum est. Nam illud quidem, initia cælestis regni quædam iam nũc super terram in nobis inchoat: & in hac mortali euanidáque vita, immortalem & incorruptibilẽ beatitudinem quodammodo auspicatur: at huic destinatum est, quandiu inter homines agemus, externum Dei cultũ fouere & tueri, sanam pietatis doctrinam & Ecclesię statum defendere, vitam nostram ad hominum societatem cõponere, ad ciuilem iustitiam mores nostros formare, nos inter nos cõciliare, communem pacem ac tranquillitatem alere. quæ omnia superuacua esse fateor, si præsentem vitam extinguit regnum Dei quale nunc intra nos est. Sin ita est voluntas Dei, nos dum ad veram patriam aspiramus, peregrinari super terram: eius verò peregrinationis vsus talibus subsidiis indiget: qui ipsa ab homine tollunt, suam illi eripiunt humanitatem. Nam quòd tantam in Ecclesia Dei perfectionem debere esse causantur, cui sua pro lege moderatio satis sit: eam stolidè ipsi imaginantur, quę in hominum communitate reperiri nunquam possit. Quum enim tanta sit improborum insolentia, nequitia tam contumax, quæ multa legum seueritate coerceri vix possit: quid facturos expectamus si patêre suæ improbitati videãt impunitam licentiam? qui, ne malè faciant, neque vi satis coguntur.

3 Sed de politię vsu erit alius opportunior dicendi locus. Nunc istud tantùm intelligi volumus, de ea exterminanda cogitare, immanem esse barbariem: cuius vsus non minor inter homines quàm panis, aquæ, solis & aeris: dignitas quidem multò etiam præstantior. Non enim (quæ illorum omnium commoditas est) huc spectat duntaxat vt spirent homines, edant, bibant, foueantur, (quãquam hæc certè omnia complectitur, dum efficit vt simul viuant) non tamen, inquam, huc spectat solùm: sed ne idololatria, ne in Dei nomen sacrilegia, ne aduersus eius veritatem blasphemiæ, aliæque religionis offensiones publicè emergant ac in populum spargantur: ne publica quies perturbetur: vt suum cuique saluũ sit & incolume: vt innoxia inter se commercia homines agitent: vt honestas & modestia inter ipsos colatur. Denique vt inter Christianos publica religionis facies existat, inter homines constet humanitas. Nec quenquam moueat quòd rectè constituẽdę religionis curam ad hominum politiam nunc refero, quam extra hominum arbitrium posuisse suprà videor. Siquidẽ nihilo hîc magis quàm antea, leges de religione ac Dei cultu hominibus suo arbitrio ferre permitto quum politicam ordinationem probo, quæ in hoc incumbit ne vera religio, quæ Dei Lege continetur, palàm, publicísque sacrilegiis impunè violetur ac conspurcetur. Verùm ipsa ordinis perspicuitate adiuti lectores, melius quid de toto genere politicæ administrationis sentiendum sit, assequentur, si eius partes seorsum pertractemus. Sunt autem tres: Magistratus, qui præses est legum ac custos: Leges, secundum quas ipse imperat: Populus, qui legibus regitur, & magistratui paret. Videamus ergo primùm de ipsa magistratus functione, num legitima sit ac Deo probata vocatio, quale officium, quanta potestas: deinde quibus instituenda sit legibus Christiana politia: tum postremò, quis legum vsus ad populum redeat, quæ magistratui obediẽtia debeatur.

4 Magistratuum functionem non modò, sibi probari acceptámque esse testatus est Dominus: sed honorificẽtissimis insuper elogiis eius dignitatem prosequutus, mirificè nobis commendauit. Vt pauca commemorem: Quòd Dii nuncupantur quicunque magistratum gerunt ne in ea appellatione leue ineſſe momẽtum quis putet. ea enim significatur, mandatum à Deo habere, diuina authoritate præditos esse, ac omnino Dei personam sustinere, cuius vices quodammodo agunt. Non meum hoc est cauillum, sed Christi interpretatio. Si Scriptura, inquit, eos vocauit deos, ad quos verbum Dei factum est. Quid hoc est, nisi demandatũ illis esse à Deo negotiũ, vt illi in suo munere seruiant? & (quod Iudicibus suis dicebãt Moses & Iosaphat, quos per singulas ciuitates Iuda constituebãt) iudiciũ exerceant non pro homine, sed pro Deo? Eodem pertinet quòd Sapientia Dei per os Solomonis affirmat, suum esse opus, quòd Reges regnant, & consiliarii decernũt iusta; quòd

Exo.22.b.8 Psal.82.a.1 & b.6

Ioh.10.f.35

Deut.1.c.16

1.Par.19.b.6

Prou.8.b.14

principes principatum gerunt,& munifici omnes Iudices terræ.Perinde enim istud valet acsi dictum esset, non humana peruersitate fieri vt penes Reges & Præfectos alios sit in terris rerum omniũ arbitrium,sed diuina prouidentia & sancta ordinatione:cui sic visum est res hominum moderari.quandoquidem illis adest ac etiam præest in ferendis legibus
Rom.12.b.8 & iudiciorum æquitate exercenda.Quod & Paulus apertè docet, dum præfecturas inter Dei dona enumerat,quæ secundum gratiæ diuersitatẽ variè distributa,à seruis Christi in ædificationem Ecclesiæ conferri debeant. Tametsi enim illic propriè de senatu loquitur grauiũ virorum, qui in primitiua Ecclesia constituebantur vt conformandæ publicæ di-
1.Co.12.d.28 sciplinæ præessent(quod munus in Epistola ad Corinthios κυβερνήσεις vocat)quia tamen videmus eodem recidere finem ciuilis potestatis,non dubium quin omne iustæ præfecturę genus nobis commẽdet. Multo verò clarius, vbi iustam ea de re disputationem instituit.
Rom.13.a.1 Nam & potestatem,Dei ordinationem esse tradit:nec potestates esse vllas,nisià Deo ordinaras.Ipsos autem principes,ministros esse Dei bene agentibus,in laudem:malis,ad iram vltores.Huc accedunt & sanctorum virorum exẽpla:quorum alii regnis,vt Dauid,Iosias, Ezechias: alii satrapiis,vt Ioseph, & Daniel: alii ciuilibus præfecturis in libero populo, vt Moses,Iosue,ac Iudices,functi sunt:quorum fũctiones sibi probatas esse,Dominus declarauit.Quare nulli iam dubium esse debet quin ciuilis potestas,vocatio sit, non modò coram Deo sancta & legitima, sed sacerrima etiam, & in tota mortalium vita lõgè omnium honestissima.

5 Excipiunt qui anarchiam inducere cuperent,quanuis olim rudi populo præfuerint Reges ac Iudices,hodie tamen perfectioni quam Christus cum Euangelio suo attulit,minimè quadrare seruile illud gubernandi genus.In quo non suam modò inscitiam,sed diabolicũ fastum produnt, dum perfectionem sibi arrogant, cuius ne cẽtesima quidem pars in illis conspicitur.Verùm qualescunque sint, refutatio facilis est: quia vbi Dauid Reges
Psal.3.c.12 & præfectos omnes ad osculandum Dei Filium hortatur, non iubet imperio deposito ad priuatã vitam concedere,sed potestatem qua sunt instructi,Christo subiicere: vt vnus su-
Iesa.49.f.23 pra omnes emineat.Similiter Iesaias,dum promittit Reges fore Ecclesiæ nutritios,& Reginas nutrices, non abdicat eos honore: quin potius honorifico elogio patronos cõstituit piis Dei cultoribus.nam ad Christi aduentum pertinet vaticinium illud.Plurima testimonia sciens omitto quæ passim occurrũt,ac pręsertim in Psalmis,quibus suum ius pręfectis
1.Tim.2.b.2 omnibus asseritur. Omnium verò maximè illustris est locus Pauli, vbi Timotheum admonẽs,in cœtu publico concipiendas esse preces pro Regibus,rationem mox subiicit, *Vt* tranquillam vitam sub ipsis agamus cũ omni pietate & honestate. Quibus verbis eorum patrocinio & tutelæ statum Ecclesiæ commendat.

6 Quæ cogitatio magistratus ipsos assiduè exercere debet,quando ingẽtem illis stimulum addere quo ad officium excitentur,& singularem consolationem afferre potest,quæ muneris sui difficultates(quæ multæ certè & graues sunt)leniant. Quantũ enim integritatis,prudentiæ,mansuetudinis, continentiæ, innocentiæ studium sibiipsis imperare debent qui diuinæ iustitiæ ministros se constitutos esse norunt? Qua fiducia iniquitatem in tribunal suum admittent quod Dei viuentis thronum esse audiũt? Qua audacia iniustam sententiam pronuntiabunt eo ore quod diuinæ veritati designatum esse organum intelligunt? Qua conscientia in impia decreta subscribent ea manu quam ad perscribẽda Dei acta sciunt ordinatam? In summa,si se Dei vicarios esse meminerint, omni cura, sedulitate, industria inuigilent oportet,quo hominibus quandam diuinæ prouidentiæ,custodię, bonitatis, beneuolentiæ,iustitiæ imaginem in se repræsentẽt. Ac perpetuò illud sibi subiiciant, Si maledicuntur omnes qui opus vindictæ Dei exequuntur in dolo, multo gra-
Iere.48.b.11 uius maledici,qui in iusta vocatione fraudulẽter versantur.Itaque quum suos Iudices ad officium cohortari vellent Moses & Iosaphat, nihil habuerunt efficacius quo illorum animos afficerent quàm quod prius retulimus, Videte quid agatis. non enim pro homine
Deut.1.c.16
2.par.19.b.6 exercetis iudicium,sed pro Deo: quippe qui iuxta vos est in causa iudicii.Nunc igitur sit pauor Domini super vos. Videte, & agite: quoniam non est vlla peruersitas apud Dominum Deum nostrum.Et alio loco dicitur,Deum stetisse in synagoga deorum,& in medio
Psal.82.a.1 deorum iudicem agere. quo ad officium animentur dum audiunt Dei se legatos esse,cui
Iesa.3.c.14 administratæ prouinciæ rationem aliquando reddere oporteat.Et meritò apud eos plurimum hæc admonitio valere debet. nam siquid delinquunt, non hominibus modò sunt iniurii quos sceleratè vexant,sed in Deum quoque ipsum cõtumelioſi, cuius sacrosancta iudicia

iudicia polluunt. Rursum habent & vnde se præclarè consolentur, dum secum reputant nõ in profanis nec à seruo Dei alienis occupationibus se versari, sed sanctissimo munere: quippe qui Dei legatione funguntur.

7 Qui verò non mouetur tot Scripturæ testimoniis quo minus sacrũ hoc ministerium insectari ausint, quasi rem à religione & pietate Christiana abhorrẽtem: quid aliud quàm Deum ipsum fugillant: cuius ignominia cũ ministerii sui probro non esse coniuncta non potest? Ac prorsus non magistratus reprobant, sed Deum abiiciunt ne super se regnet. Si enim istud verè de populo Israel à Domino dictum est, quod Samuelis imperium detrectassent: quî minus verè hodie de iis dicetur qui in præfecturas omnes à Deo institutas debacchari sibi permittunt? At quum discipulis dictũ est à Domino, Reges gentium dominari illis, inter ipsos verò non ita esse, vbi qui primus sit, fieri minimum oporteat: hae voce interdictũ est Christianis omnibus ne regna aut præfecturas capessant. O dextros intetpretes! Inter discipulos orta erat contentio quis alium præcelleret. hanc vanam ambitionem vt compescceret Dominus, eorum ministerium non esse regnis simile docuit, in quibus inter cæteros vnus eminet. Quæ collatio quid quæso ad ignominiam regiæ dignitatis facit? imò quid omnino euincit, nisi regiũ munus, Apostolicũ non esse ministerium? Præterea inter ipsos magistratus tametsi variæ sunt formæ, nullum tamen discrimen hac in parte est quin pro Dei ordinibus suspiciendæ à nobis omnes sint. Nam & omnes simul complectitur Paulus, quum ait non esse potestatẽ nisi à Deo: & quę omnium minimè arridebat, eximio præ aliis testimonio commendata est, nẽpe vnius potestas: quę quia publicam omnium seruitutẽ secum fert (excepto vno illo cuius libidini omnia subiicit) heroicis & excellẽtioribus ingeniis minus olim approbari potuit. At Scriptura, quo iniquis istis iudiciis occurrat, diuinæ sapiẽtię prouidentiã esse nominatim affirmat quòd Reges regnant: & peculiariter Regem honorari præcipit.

1.Sam.8.b.7

Luc.22.c.25.

Ro.1.13.a.1

Prou.8.b.15
1.Pet.2.c.17.

8 Et sanè valde otiosum esset, quis potissimus sit politiæ, in eo quo viuunt loco futurus status, à priuatis hominibus disputari: quibus de constituenda re aliqua publica deliberare non licet. Tum etiam simpliciter id definiri nisi temere non posset, quum magna huius disputationis ratio in circunstantiis posita sit. Et si ipsos etiam status citra circunstantias inter se compares, non facile sit discernere quis vtilitate præponderet, adeò æquis conditionibus contendunt. Procliuis est à regno in tyrannidem lapsus: sed non multo difficilior ab optimatũ potestate in paucorum factionẽ. multo verò facillimus, à populari dominatione in seditionem. Equidem si in se considerentur tres illæ quas ponunt Philosophi, regiminis formæ, minimè negauerim vel aristocratiam, vel temperatum ex ipsa & politia statum aliis omnibus longè excellere: non id quidem per se, sed quia rarissimè contingit Reges ita sibi moderari, vt nunquã à iusto & recto discrepet eorum voluntas: deinde tanto acumine & prudentia instructos esse vt vnusquisque videat quantum satis est. Facit ergo hominũ vitium vel defectus, vt tutius sit ac magis tolerabile plures tenere gubernacula, vt alii aliis mutuò sint adiutores, doceant ac moneant alii alios, ac siquis plus æquo se efferat, plures sint ad cohibendam eius libidinem censores ac magistri. Id cum experimento ipso semper fuit cõprobatum, tum sua quoque authoritate Dominus confirmauit quũ aristocratiam politiæ vicinam apud Israelitas instituit, quũ optima conditione eos habere vellet donec imaginẽ Christi produceret in Dauide. Atque vt libenter fateor nullum esse gubernationis genus isto beatius, vbi libertas ad eam quã decet moderationem est cõposita, & ad diuturnitatem rite cõstituta: sic & beatissimos censeo quibus hac conditione frui licet: & si in ea conseruanda retinendáque strenuè ac constanter laborant, eos nihil ab officio alienũ facere concedo. Quinetiam huc summa diligentia intenti magistratus esse debent, nequa in parte libertatem, cuius præsides sunt constituti, minui, nedum violari patiantur. si in eo sunt segniores & parum soliciti, perfidi sunt in officio, & patriæ suæ proditores. Verùm si hoc ipsum ad se transferant, quibus Dominus aliam gubernationis speciem attribuit, vt inde ad cõmutationem expetendam soliciteutur, non modò stulta erit & superuacua, sed prorsus noxia etiam cogitatio. Quòd si non in vnam duntaxat ciuitatem oculos defigas, sed vniuersum simul orbem circunspicias ac contempleris, vel aspectum in longiora saltem regionum spatia diffundas, comperies profectò diuina prouidentia illud non abs re comparatum vt diuersis politiis regiones variæ administrentur. Nam quemadmodum nonnisi inæquali temperatura, elementa inter se cohærent: ita hæ sua quadam inæqualitate optimè cõtinentur. Quãquam

hæc etiam omnia frustra his dicũtur quibus Domini voluntas satisfaciet. Nam si illi visum est, Reges regnis præficere, liberis ciuitatibus senatus aut decuriones, quoscunque locis præfecerit in quibus degimus, nostrum est iis nos morigeros ac obedientes præstare.

9 Iam officium magistratuum, quale verbo Dei describitur, ac quibus in rebus situm sit, obiter hoc loco indicandum est. Extendi verò ad vtranque Legis tabulam si non doceret Scriptura, ex profanis scriptoribus discendum esset. nullus enim de magistratuum officio, ferendis legibus & publico statu disseruit, qui non exordium faceret à religione & diuino cultu. Atque ita confessi sunt omnes nullam politiam fœliciter posse constitui, nisi prima cura pietatis sit: & præposteras esse leges quæ neglecto Dei iure tantùm hominibus consulunt. Quum igitur apud omnes Philosophos religio primum gradum teneat, ac vniuersali gentium omnium consensu semper id obseruatum fuerit, Christianos principes ac magistratus pudeat suæ socordiæ, nisi in hanc curam incumbant. Ac iam ostendimus has illis partes à Deo specialiter iniungi: sicuti æquum est tuendo & asserẽdo eius honori operam impendere cuius vicarii sunt, & cuius beneficio imperant. Hoc quoque nomine maximè laudantur sancti Reges in Scriptura, quòd Dei cultum corruptum vel euersum restituerint, vel curam gesserint religionis, vt sub illis pura & incolumis floreret.
Iudic.21.d.25 Contrà verò Sacra historia inter vitia anarchias ponit, quòd non esset Rex in Israel, ideóque faceret quisque quod placebat. Vnde coarguitur eorum stultitia qui vellent, neglecta Dei cura, iuri inter homines dicundo tantùm intẽtos esse. Quasi verò præfectos Deus suo nomine constituerit qui terrenas cõtrouersias deciderent: quod verò longè grauioris momenti erat prætermiserit, vt ipse purè coleretur ex Legis suæ præscripto. Sed huc turbulentos homines impellit impunè omnia nouandi cupiditas, vt omnes violatæ pietatis vindices è medio sublatos cupiant. Quod ad secũdam tabulam pertinet, Regibus denun-
Iere.22.a.3 tiat Ieremias vt faciant iudicium & iustitiam, liberent vi oppressum de manu calumniatoris, peregrinum & viduam & pupillum ne contristent, ne iniuriam faciant, & sanguinem innocentem ne effundant. Eodem spectat quæ in Psalmo 82. exhortatio legitur: vt
Deu.1.c.16. ius reddant pauperi & egeno, inopem & egenum absoluant, eripiant pauperem & egenũ è manu oppressoris. Moses verò principibus quos in vices suas suffecerat, edicit, Audiant causam fratrum suorum, & iudicent inter virum & fratrem eius, & peregrinum, neque facies agnoscãt in iudicio, tam paruum quàm magnum audiant, neque timeant ab vllo vi-
Ibidem, 17. c.16 ro: quia iudicium Dei est. Illa autem omitto, Ne multiplicent sibi equos Reges, ne ad auaritiam adiiciant animum, ne eleuentur super fratres suos: vt in meditanda Lege Domini
Ibidem, 16. d.19 sint assidui cunctis diebus vitæ suæ. Ne iudices quiuis declinẽt ad alteram partem, ne munera accipiant, & quæ passim in Scripturis similia leguntur: quoniam in exponendo hîc magistratuum officio, non tam magistratus ipsos instituere consilium est quàm alios docere quid sint magistratus & quem in finem à Deo positi. Videmus ergo publicæ innocentiæ, modestiæ, honestatis & tranquillitatis protectores statui ac vindices, quibus studium vnum sit communi omnium saluti ac paci prospicere. Quarum virtutum exemplar
Psal.101 se fore Dauid profitetur vbi in regale solium euectus fuerit: ne scilicet consentiat vllis scelleribus, sed detestetur impios, calumniatores & superbos: consiliarios verò probos & fidos vndique accersat. Id verò quum præstare non possint, nisi viros bonos ab improborum iniuriis prohibeant, oppressis adsint ope ac præsidio, potestate quoque armati sint, qua palàm maleficos ac facinorosos (quorum nequitia perturbatur vel exagitatur publica quies) seuerè coerceant. Siquidẽ id prorsus experimur quod dicebat Solon, Præmio & pœna res omnes publicas consistere: iis sublatis, totam ciuitatum disciplinam collabi ac dissipari. Friget enim in multorum animis æqui iustíque cura, nisi virtuti paratus sit suus honos: nec contineri sceleratorum hominum libido, nisi seueritate ac pœnarum animad-
Iere.21. d.12 & 22.a.3 uersione potest. Atque hæ duæ partes comprehẽsæ sunt à Propheta, dum Reges aliósque præfectos iubet facere iudicium & iustitiam. Iustitia quidem est, innocentes in fidem suscipere, complecti, tueri, vindicare, liberare. Iudicium autem, impiorum audaciæ obsistere, vim comprimere, delicta punire.

Exo.20.c.13 deut.5.b.17 mat.5.c.21 Iesa.11.b.9, 65.d.25 10 Verùm ardua hîc, vt videtur, & difficilis nascitur quæstio, Si lege Dei occidere Christiani omnes vetantur, & Propheta de mõte sancto Dei, hoc est Ecclesia, vaticinatur quòd nõ affligẽt in ea, neque nocebũt: quomodo magistratibus & piis simul & sanguinariis esse licet? At si intelligamus, magistratum in exercendis suppliciis non à se agere quicquam, sed ipsissima Dei iudicia exequi, nihil hoc scrupulo impediemur. Occidere Lex Domini

Domini prohibet. at ne impunita sint homicidia, gladium in manum suis ministris dat ipse Legislator, quem in homicidas omnes exerant. Affligere & nocere, piorum non est: atqui hoc nocere non est nec affligere, piorum afflictiones, Domini mandato, vlciscí. Vtinam istud semper animis nostris obuersaretur, nihil hic hominis temeritate, sed Dei iubẽtis authoritate omnia fieri: qua præeunte, à recta via nunquam aberratur. Nisi fortè diuinæ iustitiæ iniectum est frænum ne de sceleribus pœnas sumat. Quòd si illi legem dicere fas non est, cur eius ministris calumniam intendemus? Non frustra gladium gerunt, inquit Paulus: nam Dei ministri sunt ad iram, vltores malè agentibus. Itaque, si nihil Domino sua obedientia fore acceptius norunt principes aliíque præfecti, in hoc ministeriũ incumbant, siquidem suam Deo pietatem, iustitiam, integritatem approbare studeant. Hoc scilicet affectu agebatur Moses quum se destinatum Domini virtute populi sui liberatorem cognoscens, Ægyptio manus intulit. Deinde quum cæsis vno die tribus hominum milibus, in populi sacrilegium vindicauit. Dauid quoque, quum sub vitę suæ finem Salomoni filio præcepit de occidendo Ioab & Semei. Vnde etiam inter regias virtutes hanc commemorat, perimere impios terræ, vt omnes operarii iniquitatis profligentur ex vrbe Dei. Quò etiam pertinet laus quæ Solomoni tribuitur, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Quomodo lene illud & placidum Mosis ingenium in tantam truculentiam exardet, vt fratrum suorum sanguine aspersus ac madidus, per castra decurrat ad nouas strages? Quomodo Dauid tanta in omni vita mansuetudine vir cruentum illud testamentum inter vltimos spiritus nuncupat? ne filius suus caniciem Ioab & Semei in pace ad sepulchrum deducat? Verùm vterque manus suas, quas parcendo inquinasset, sic sæuiendo sanctificauit, dum vltionem sibi à Deo commissam exequutus est. Abominatio est apud Reges, inquit Solomo, facere iniquitatem: quoniam in iustitia solium firmatur. Rursum, Rex qui sedet in solio iudicii, spargit oculos in omnem malum. Item, Dissipat impios Rex sapiens, & conuertit eos super rotam. Item, Aufer scoriam ab argento, & egredietur vas conflatori: aufer impium à conspectu Regis, & statuetur in iustitia solium eius. Item, Qui impium iustificat, & qui cõdemnat iustum, vterque abominatio est Domino. Item, Rebellis acquirit sibi malum, & mittitur ad eum nuntius crudelis. Item, Qui dicit impio, Tu es iustus: huic populi maledicunt & nationes. Nunc si vera eorum est iustitia, stricto gladio sontes & impios persequi: gladium recondant, & puras à sanguine manus contineant dum perditi homines nefariè per cędes interim & strages grassantur: summa sese impietate obstringent, tantum abest vt bonitatis & iustitiæ laudem inde referant. Facessat modò abscissa sæuáque asperitas, & tribunal illud quod reorum scopulus iure nominetur. Non enim is sum qui aut importunæ sæuitiæ faueam, aut ęquum iudicium pronuntiari posse censeam, nisi semper assidente optima illa Regum cõsiliaria & certissima, vt Solomo affirmat, regii throni conseruatrice, clementia: quam primam esse principum dotem verè à quodam olim dictum est. Vtrũque tamen magistratui videndũ, ne aut animi seuetitate vulneret magis quàm medeatur: aut superstitiosa clementiæ affectatione, in crudelissimam incidat humanitatem si, molli dissolutáque indulgẽtia, cum multorum pernicie diffluat. Est enim & istud non abs re quondam sub Neruæ imperio iactatum: Malum quidem esse sub principe viuere, sub quo nihil liceat: sed multo peius, sub quo liceant omnia.

Rom.13.a.4.

Exo.2.b.12 Act.7.c.28 Exo.32.f.27 1.Reg.2.a.5

Tribunal Caisii.

11 Quando verò Regibus populísque, ad exercendam huiusmodi publicam vindictam arma capere interdum necesse est: ex hac ratione simul æstimare licet, legitima esse quæ sic suscipiuntur bella. Nam si tradita illis est potestas qua ditioni suæ quietem tueantur, qua inquietorum hominum seditiosos motus comprimant, qua vi oppressis opitulentur, qua in maleficia animaduertant: an maiore opportunitate proferre eam possint, quàm ad compescendum eius furorem, à quo & priuatim singulorum otium, & communis omnium trãquillitas perturbatur? qui seditiosè tumultuatur, à quo violentæ oppressiones & indigna maleficia perpetrantur? Si legum custodes esse ipsos, & assertores conuenit, omnium conatus pariter euertãt oportet quorum scelere legum disciplina corrumpitur. Imò si iure eos latrones plectunt, quorum iniuriæ in paucos tantùm progressæ fuerint: an totam latrociniis regionem impunè affligi vastarique sinent? Siquidem nihil interest, rexne sit, an infima de plebe, qui in alienam regionem, in quam iuris nihil habet, irruit, eámque hostiliter vexat: omnes æquè pro latronibus habendi sunt, & puniẽdi. Hoc ergo & naturalis æquitas & officii ratio dictat, armatos esse principes non tantùm ad priuata

Apud Dionem.

officia iudiciariis pœnis coercenda,ſed additiones quoque fidei ſuæ commiſſas, bello defendendas,ſiquando hoſtiliter impetãtur.Et eiuſmodi bella Spiritus ſanctus multis Scripturæ teſtimoniis legitima eſſe declarat.

12 Quòd ſi mihi obiicitur, in Nouo teſtamento nullum extare vel teſtimonium vel exemplum quod doceat bellum rem eſſe licitam Chriſtianis : primùm reſpondeo, rationẽ gerendi belli,quæ olim fuit,hodie quoque permanere: neque eſſe ex aduerſo cauſam quæ magiſtratus à ſuorum ſubditorum defenſione arceat. Deinde non eſſe quærendam in Apoſtolicis literis expreſſam iſtarum rerum enarrationem:vbi non politiam formare, ſed ſpirituale Chriſti regnum inſtituere,propoſitum eſt.Poſtremò illic quoque obiter indicari, Chriſtum ſuo aduentu nihil hac in parte mutaſſe. Nam ſi Chriſtiana diſciplina (vt Auguſtini verbis loquar)omnia bella damnaret, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus diceretur vt arma abiicerent,ſéque militia penitus ſubducerent. Dictum eſt autem eis, Neminem concuſſeritis, nemini iniuriam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. Verùm magiſtratuum omnium fuerit ſummopere hîc cauere, ne cupiditatibus ſuis vel tantillum obſequantur:quin magis,ſiue expetendæ ſunt pœnæ, non præcipiti iracundia ferantur, non rapiantur odio, non implacabili auſteritate ardeant, miſerentur etiam communem in eo naturam (vt Auguſtinus loquitur) in quo puniunt proprium delictum.Siue arma in hoſtem,hoc eſt armatum latronem,induenda ſunt,non ex facili occaſionem captẽt:imò nec oblatam accipiant niſi ſumma neceſſitate adacti. Nam ſi multo plus nobis præſtãdum eſt quàm exegerit Ethnicus ille qui bellum videri voluit pacem quæſitam:omnia prius certè tentanda ſunt quàm armis decernẽdum.In vtroque demum genere,nullo priuato affectu patiantur ſe corripi,ſed publico duntaxat ſenſu ducantur.Alioqui poteſtate ſua peſſimè abutuntur: quæ non in ſuum illis commodum, ſed aliorum bonum ac miniſterium data eſt. Ex eodem præterea belligerandi iure pendet & præſidiorum,& fœderum,& ciuilium aliarũ munitionũ ratio. Præſidia autem voco quæ ad tuendos regionis fines,per ciuitates diſponuntur: fœdera, quæ à finitimis principibus in hanc legem feruntur vt ſiquid turbarum in agris ſuis inciderit, mutuam ſibi opem ferant,& vires in commune conferant ad opprimendos humani generis cõmunes hoſtes: ciuiles munitiones,quarum in arte militari vſus eſt.

Augu.Epi.5. ad Marcelli.

Luc'3.c.14.

Cic.in off.

13 Libet iſtud quoque poſtremò adiicere,tributa & vectigalia legitimos eſſe principum reditus : quos ad ſuſtinenda quidem potiſſimùm publica muneris ſui onera conferant:quibus tamen vti ſimiliter poſſint ad ſplendorem ſuum domeſticum,qui cum imperii quod gerunt,dignitate quodammodo coniunctus eſt. Qualiter Dauidem,Ezechiam, Ioſiam,Ioſaphat,alióſque ſanctos Reges,Ioſeph etiam & Danielem , videmus pro perſonæ quam ſuſtinebant modo, inoffenſa pietate, fuiſſe ex publico ſumptuoſos, & ampliſſimum agri ſpatium Regibus attributum legimus apud Ezechielem. Vbi tametſi Chriſti ſpirituale depingit regnum,à legitimo tamen hominum regno ſimulachri exemplar petit. Sic quidem, vt viciſſim meminerint principes ipſi , fiſcos ſuos non tam priuatas eſſe arcas quàm totius populi æraria(ſic enim Paulus teſtatur) quæ prodigere aut dilapidare ſine manifeſta iniuria non poſſint. Vel potius ipſum penè eſſe populi ſanguinem, cui non parcere duriſſima ſit inhumanitas: ſuas autem indictiones & oblationes aliáque tributorum genera, nonniſi publicæ neceſſitatis ſubſidia eſſe reputent, quibus miſeram plebem abſque cauſa fatigare,tyrannica ſit rapacitas.Hæc principibus ad profuſionem& luxuriã ſumptuum non faciunt animos (vt certè facem eorum cupiditatibus, plus iuſto ſponte accenſis,ſubiicere opus non eſt)ſed quum plurimum referat,ipſos pura coram Deo conſcientia audere quicquid audent,ne impia confidentia in Dei contemptum veniant,docendi ſunt quantum ſibi liceat. Neque hæc doctrina priuatis hominibus ſuperuacua eſt, ne quoſuis principum ſumptus,tametſi vulgarem ciuilémque modum excedunt, temere ac procaciter fugillare ſibi permittant.

• Eze. 48.c.21.

Ro.13.b.6.

14 Proximæ ſunt magiſtratui in politiis leges,validiſſimi rerum publicarũ nerui : vel (quo modo ſecundum Platonem à Cicerone vocantur) animæ , ſine quibus conſiſtere nequit magiſtratus,quemadmodum nec ipſæ rurſum ſine magiſtratu quicquam vigoris habent.Proinde nihil dici verius poterat,quàm mutum eſſe magiſtratum, legem : magiſtratum,legem eſſe viuam.Quod autem dicturum me recepi,quibus legibus conſtituenda ſit Chriſtiana politia, non eſt cur longam de optimo legum genere diſputationem quis expectet:quæ & immenſa foret,nec præſentis eſſet argumenti & loci.paucis tantùm

& quasi in transcursu, notabo quibus legibus piè coram Deo vti possit, & inter homines ritè administrari. Quod etiam ipsum prorsus silentio transmittere maluissem, nisi intelligerem periculosè hîc à multis aberrari. Sunt enim qui rectè compositam esse rempublicam negent, quæ neglectis Mose politicis communibus Gentium legibus regitur. Quæ sententia quàm periculosa sit & turbulẽta, viderint alii, mihi falsam esse ac stolidam, demonstrasse satis erit. Est autem obseruanda vulgata illa partitio, quæ vniuersam Dei Legem per Mosen promulgatam in mores, ceremonias, iudicia distribuit: ac dispiciendæ singulæ partes, vt habeamus quid ex iis ad nos pertineat, quid minus. Nec interim quempiam moretur hic scrupulus, quòd ad mores etiam iudicia & ceremoniæ pertinent. Veteres enim qui partitionem hanc tradiderunt, tametsi duas istas posteriores partes non ignorabant circa mores versari, quia tamen saluis moribus mutari & abrogari poterant, morales non dixerunt. Primam illam partem peculiariter appellarunt eo nomine, citra quam non constet vera morum sanctitas & immutabilis rectè viuendi norma.

15 Lex itaque moralis (vt inde primùm incipiam) quum duobus capitibus cõtineatur, quorum alterum pura Deum fide & pietate colere, alterũ syncera homines dilectione complecti simpliciter iubet: vera est æternáque iustitiæ regula, gentium omnium ac temporum hominibus præscripta qui ad Dei voluntatem vitam suam componere volẽt. Galat. 4. a. 4. Siquidem hæc æterna est & immutabilis eius voluntas, vt à nobis ipse quidem omnibus colatur, nos verò mutuò inter nos diligamus. Ceremonialis Iudæorum pædagogia fuit, qua populi illius quandam velut pueritiam exercere Domino visum est, donec veniret tempus illud plenitudinis quo sapientiam suam terris ad plenum manifestaret, ac veritatem exhiberet earum rerum quę tum figuris adumbrabantur. Iudicialis, politiæ loco illis data, certas æquitatis & iustitiæ formulas tradebat, quibus innocenter & quietè inter se agerent. Atque vt illa ceremoniarum exercitatio ad pietatis quidem doctrinam propriè pertinebat (vtpote quæ Iudæorum Ecclesiam retinebat in Dei cultu ac religione) ab ipsa tamen pietate distingui poterat: ita hæc iudiciorum forma (quan quã non aliò spectabat, quàm quî optimè seruari posset ea ipsa charitas, quæ æterna Dei Lege præcipitur) ab ipso tamen dilectionis præcepto distinctum quiddam habebat. Quemadmodum ergo salua & incolumi pietate abrogari potuerunt ceremoniæ: ita & iudiciariis his cõstitutionibus sublatis, perpetua charitatis officia & precepta manere possunt. Quod si verum est, libertas certè singulis gentibus relicta est condendi quas sibi cõducere prouiderint leges: quæ tamen ad perpetuam illam charitatis regulam exigantur, vt forma quidem varient, rationem habeant eandem. Nam barbaras illas & feras leges, quales fuerunt quæ fures honore prosequebantur, quæ promiscuos coitus permittebãt, aliæque multo tum fœdiores tum absurdiores, pro legibus habendas minimè censeo: quandoquidem abhorrent ab omni non iustitia modò, sed humanitate etiam & mansuetudine.

16 Id quod dixi planum fiet si in legibus omnibus duo hæc, vt decet, intuemur, legis constitutionẽ & æquitatem, cuius ratione cõstitutio ipsa fundata est ac nititur. Æquitas, Exo. 22. a. 1. quia naturalis est, non nisi vna omnium esse potest, ideo & legibus omnibus, pro negotii genere, eadem proposita esse debet. Constitutiones, quia circunstantias aliquas habent à quibus pro parte pendeant, modò in eundem æquitatis scopum omnes pariter intendãt, Deu. 19. d. 18 diuersas esse nihil obest. Iam quum Dei Legẽ quam moralẽ vocamus, constet non aliud esse quàm naturalis legis testimonium, & eius conscientiæ quæ hominum animis à Deo insculpta est, tota huius de qua nunc loquimur æquitatis ratio in ipsa præscripta est. Proinde sola quoque ipsa legum omniũ & scopus, & regula, & terminus sit oportet. Ad eam regulam quæcunque formatæ erunt leges, quæ in eum scopum directæ, quæ eo termino limitatæ, non est cur à nobis improbentur, vtcunque vel à Lege Iudaica, vel inter se ipsæ aliàs differant. Lex Dei furari prohibet. Quæ furtis constituta fuerit pœna in politia Iudæorum, videre est in Exodo. Aliarum gentium vetustissimæ leges furtum duplo puniebant. quæ postea sequutæ sunt, discreuerunt inter manifestum & non manifestum. Aliæ ad exilium progressæ sunt, aliæ ad flagrum, aliæ denique ad capitis supplicium. Falsum testimonium talionis pœna inter Iudæos plectebatur: alibi graui tantùm ignominia, alibi suspendio, alibi cruce. Homicidium omnes pariter leges sanguine vlciscuntur, diuersis tamen mortis generibus. In adulteros alibi seueriores, alibi leuiores dictæ sunt pœnæ. Videmus tamen vt eiusmodi diuersitate in eundem omnes finem tendant. Nam vno simul ore pœnam pronuntiant in ea quæ æterna Dei Lege damnata sunt faci-

nora:nempe homicidia,furta,adulteria,falſa teſtimonia: ſed in pœnæ modo non conueniunt.neque verò id neceſſe eſt,neque etiam expedit.Eſt regio quæ, niſi horrendis exemplis in homicidas ſæuiat,cædibus ſtatim & latrociniis perdenda ſit.Eſt ſeculum quod pœnarum acerbitatem augeri poſtulet. Siquid turbatũ ſit in ſtatu publico, nouis edictis corrigenda ſunt quæ inde naſci ſolent mala. Belli tempore in armorum ſtrepitu concideret omnis humanitas niſi inſolito pœnarum metu iniecto.In ſterilitate,in peſtilentia,niſi adhibeatur maior ſeueritas,peſſum ibunt omnia. Eſt gens in vitium quoddã propenſior niſi acerrimè compeſcatur.Quàm malignus fuerit,ac publico bono inuidus,qui tali diuerſitate offendetur,ad retinendam Legis Dei obſeruationem accõmodatiſſima?Nam quod iactatur à quibuſdam,fieri contumeliam Legi Dei per Moſem latæ:quũ abrogata illa,nouæ aliæ illi præferuntur,vaniſſimum eſt. neque enim aliæ illi præferũtur dum magis probantur,non ſimplici collatione,ſed temporum,loci,gentis conditione: aut illa abrogatur quæ nobis lata nunquam fuit. Siquidem non eam Dominus per manum Moſis tradidit quæ in gentes omnes promulgaretur,& vbique vigeret: ſed quum Iudaicam gentem, in fidem,patrocinium, clientelam ſuam ſuſcepiſſet, illi etiam peculiariter legiſlator eſſe voluit:ac quod ſapientis legiſlatoris erat,ſingularem quandam eius rationem in ferendis legibus habuit.

17 Supereſt nunc vt videamus quod poſtremo loco propoſitum erat, Quis legum, iudiciorum,magiſtratuum vſus ad cõmunem Chriſtianorum ſocietatem redeat.Cui etiam annexa eſt altera quæſtio,Quãtũ magiſtratibus debeãt priuati homines deferre,& quouſque obedientia progredi debeat.Plurimis videtur ſuperuacaneum eſſe munus magiſtratus inter Chriſtianos, quòd ſcilicet implorare piè non poſſint, vtpote quibus vindicare, in iudicium poſtulare,litigare vetitum ſit.At quum Paulus cõtrà clarè teſtetur, miniſtrũ Dei nobis eſſe in bonum:ex eo intelligimus,ita diuinitus ordinatum eſſe vt eius manu ac præſidiis aduerſus flagitioſorum hominum improbitatem& iniurias defenſi, quietam ac ſecuram vitam agamus. Quòd ſi fruſtra in præſidium nobis à Domino datus eſt, niſi tali nobis beneficio vti licet,ſatis apparet implorari quoque & appellari non impiè poſſe.Hic verò mihi cum duplici hominum genere agendum eſt.ſunt enim permulti qui tanta litigandi rabie æſtuant, vt quietem nunquam habeant apud ſe niſi cum aliis pugnent. Lites verò ipſas & capitali odiorum acerbitate, & inſana vindicandi nocendique cupiditate exequuntur,& implacabili pertinacia perſequuntur,ad ſui vſque aduerſarii ruinam. Interim nequid niſi iure agere exiſtimentur, iudiciorum prætextu talem peruerſitatẽ defendunt. At ſi cum fratre iudicio agere permiſſum eſt, non protinus odiſſe ipſum licet, non furioſo nocendi ſtudio in illum ferri,non pertinaciter inſequi.

Rom.14.a.4

18 Sic ergo tales habeant,Legitima eſſe iudicia ſiquis rectè vtatur.Rectum autem eſſe vſum,tum actori,agendi:tum defendendi,reo:ſi hic quidem poſtulatus ad condictã diem ſe ſiſtit,& qua poteſt exceptione cauſam defendit citra acerbitatem:ſed hoc tantùm affectu,vt quod ſuum eſt iure tueatur:ille verò indignè ſiue in capite, ſiue in fortunis oppreſſus,in Magiſtratus fidem ſe conferat,querimoniam exponat,quod æquum eſt ac bonum poſtulet: ſed omni procul nocendi vindicandive libidine, procul aſperitate & odio, procul contentionis ardore:quin potius paratus ſuo cedere, & quiduis perpeti, quàm inimico in aduerſarium animo ferri.Contrà vbi animi maleuolentia ſuffuſi ſunt,corrupti inuidia,iracundia incenſi, vltionem ſpirantes, aut ſic denique ardore certaminis inflammati vt de charitate aliquid remittant: tota etiam iuſtiſſimæ cauſæ actio non impia eſſe nõ poteſt.Nam hoc conſtitutum eſſe axioma Chriſtianis omnibus conuenit: nunquam quantumuis æquam litem iuſtè tractari à quouis poſſe, niſi pari aduerſariũ dilectione beneuolẽtiáque proſequatur acſi iam amicò,quod controuertitur negotium trãſactum ac compoſitum eſſet.Iniecerit fortè aliquis talem moderationem adeò nunquam in iudicium afferri, vt inſtar ſit prodigii futura ſiqua reperta fuerit. Fáteor ſanè, vt ſunt horum temporum mores,rarum extare probi litigatoris exemplum: ſed res tamen ipſa nullius mali acceſſione inquinata, bona eſſe & pura non deſinit. Cæterùm quum ſanctum eſſe Dei donum audimus, auxilium magiſtratus: eo diligentius cauendum eſt ne noſtro vitio polluatur.

Act.22.a.1, & 24.c.12,& 25.c.10

19 Qui verò iudiciarias omnes diſceptationes præciſè damnant,intelligant ſe ſanctam Dei ordinationem ſimul repudiare,& donum ex eorum genere quę mundis munda eſſe poſſint niſi fortè Paulum flagitii inſimulare velẽt,qui & accuſatorum calumnias,eorum quoque

quoque vafritiem & malitiam exponendo,à se depulit:& Romanæ ciuitatis prærogatiuã sibi in iudiciis asseruit:& ab iniquo præside,ad Cæsaris tribunal, quum opus fuit, prouocauit.Nec obest quòd Christianis omnibus interdicta est vindictæ cupiditas,quam & nos à Christianis subselliis longissimè abigimus.Nam siue ciuiliter contenditur,non recta incedit via nisi qui innoxia simplicitate,rem suam iudici tanquam publico tutori commendat,nihil minus quàm mutuam mali vicem(qui est vindictæ affectus)rependere cogitans siue capitalis aut grauior aliqua intenditur actio,eum accusatorem requirimus qui nullo vlciscẽdi æstu correptus,nulla priuatæ iniuriæ offensione tactus,in forum accedat: sed in animo duntaxat habens, pernicioſi hominis conatus impedire, ne reipublicæ noceant. Quòd si vindicem animum tollis, nihil in mandatum illud delinquitur quo vltio Christianis interdicitur.At non solùm vindictam appetere vetantur,sed manum quoque Domini iubentur expectare, qui se oppressis & afflictis adfuturum vltorem pollicetur: illam autem cælestis patroni vltionem omnem anteuertunt qui opem aut sibi aut aliis ferri à magistratu postulant. Minimè id verò:siquidem magistratus vindictam, nõ hominis,sed Dei esse cogitandum est, quam per hominis ministerium in bonum nostrum (vt ait Paulus)exerit atque exercet. Num.19.d. 18,mat.5.f.39 deu.32.e.35 rom.12. d.15 Rom.13.a.4

20 Nihilo etiam magis cum Christi verbis pugnamus, quibus resistere malo prohibet, & dexteram maxillam obuertere præcipit ei qui alapam in sinistram impegerit: permitteréque ei pallium qui tunicam auferat. Vult quidem illic suorum animos à retaliandi cupidine tantopere abhorrere, vt citius duplicari in se iniuriam laturi sint quàm rependere eam appetant. à qua quidem patientia nec ipsi eos abducimus. Verè enim Christianos esse oportet hominum genus ad contumelias iniuriásque ferendas natum, pessimorum hominum nequitiæ, imposturis, ludibriis expositum. neque id modò: sed eorum omnium malorum tolerantes esse oportet. hoc est, sic totis animis compositos vt susceptа vna offensione ad alteram se comparent,nihil sibi in totam vitam promittẽtes quàm perpetuæ crucis tolerantiam. Interim & iis qui sibi iniurii sunt, benefaciant, & maledicentibus bene precentur: & (quæ vnica est sua victoria)bono malum vincere contendant. Sic affecti non quærent oculum pro oculo, dentem pro dente (qualiter suos discipulos instituebant Pharisæi,ad appetẽdam vltionem) sed(quomodo à Christo erudimur) & corpus suum mutilari,& malitioſè sua sibi eripi sic ferẽt,vt eas iniurias, simulac irrogatæ sibi fuerint,remissuri sint ac vltro condonaturi. Neque isthæc tamen animorum æquitas & moderatio impediet quin integra in suos inimicos amicitia, magistratus ope ad rerum suarũ conseruationem vtantur: aut publici boni studio, sontem ac pestilentem hominem ad pœnam postulent,quem emẽdari nisi morte non posse nouerint. Verè enim Augustinus hæc præcepta omnia eò tendere interpretatur, vt paratus sit homo iustus & pius eorum malitiam patienter sustinere quos fieri bonos quærit: vt numerus potius crescat bonorũ, non vt pari malitia se quoque numero addat malorum: deinde ad præparationem cordis quæ intus est, magis pertinere quàm ad opus quod in aperto fit: vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia:in manifesto autem id fiat quod illis videmus prodesse posse quibus bene velle debemus. Mat.5.f.39 Epist.5.ad Marcellinum.

21 Quod autem obiectari solet,lites à Paulo in vniuersum esse damnatas,id quoque falsum est.Intelligi ex eius verbis facilè potest,immodicum fuisse litigandi furorem in Corinthiorum Ecclesia: vsque eò vt Christi Euãgelium & totam quam profitebatur religionem,impiorum cauillis ac maledicentiæ exponerent.Id primum reprehendit in illis Paulus,quòd Euangelium apud infideles dissensionum suarum intemperie traducerent. Deinde & hoc ipsum, quòd eum in modum inter se dissiderent fratres cum fratribus. Tam enim procul à ferenda iniuria alieni erant vt alii aliorum fortunis auidè inhiarent, vltro lacesserent,&damnum inferrent.In illam ergo litigandi insaniam inuehitur,non simpliciter in quasuis controuersias.At omnino vitium vel infirmitatem esse pronuntiat,quòd non potius damnum acciperent rerum suarum quàm pro his conseruandis ad contentiones vsque laborarent: nempe quum adeò facilè quibuslibet damnis commouerentur, & minimis de causis ad forum & lites decurrerent,hoc indicio esse dicit quòd animo essent nimis irritabili,& ad patientiam minus comparato.Id sanèChristianis agendum est,vt de suo iure decedere semper malint quàm in forum progredi: vnde vix exire possint nisi cõmotiore animo & in fratris odium accenso. Verùm vbi quis citra charitatis dispendium rem suam se posse tueri viderit, cuius iactura graui sibi dispendio futura sit,id si faciat, ni- 1.Cor.6.a.8

hil in istam Pauli sententiam delinquit. Denique (quod initio docuimus) optimum cuique consilium dabit charitas: sine qua quæcunque suscipiuntur, & vltra quam quæ progrediuntur disceptationes iniustas esse & impias, extra controuersiam ponimus.

22 Subditorũ erga suos magistratus officium primum est, de eorum functione quàm honorificentissimè sentire, quam scilicet velut delegatam à Deo iurisdictionem agnoscunt: eósque ob id suspicere ac reuereri vt Dei ministros ac legatos. Quosdam enim reperias qui suis se magistratibus valde obsequentes præbeant, ac nolint quidem non esse quibus obsequantur, quòd bono publico ita expedire norunt: de ipsis tamen magistratibus non secus existimẽt ac malis quibusdam necessariis. Verùm plus quiddam à nobis requirit Petrus, quum Regem honorari, & Solomo, quum Deum & Regem timeri præcipit. Ille enim sub honorandi verbo sinceram ac candidam existimationem cõplectitur: hic Regem cum Deo coniungens, sanctæ cuiusdam venerationis ac dignitatis plenum esse ostẽdit. Est & illud præclarum apud Paulum elogium, Vt obediamus nõ solùm propter iram, sed propter conscientiam. Quo intelligit, non terrore modò principum ac præfectorum adduci subditos debere vt in eorum subiectione contineantur (qualiter succumbere hosti armato solent qui vindictam fore promptam vidẽt si restiterint) verùm quia Deo ipsi redduntur obsequia quæ istis præstantur: quando eorum potestas à Deo est. De hominibus nõ disputo, acsi larua dignitatis stultitiam, vel ignauiam, vel crudelitatem morésque improbos & flagitii plenos tegeret, atque ita vitiis acquireret laudem virtutum: sed dico ordinem ipsum honore & reuerentia dignum esse: vt quicunque præsunt, apud nos sint in pretio, & venerationem obtineant præfecturæ suæ respectu.

1.Pet.2.c.17 Pro.24.c.21 Rom.13.a.5.

23 Ex eo & alterum deinde sequitur, vt propensis in eorum obseruationem animis, suam illis obedientiam approbent: siue edictis parendum, siue tributa soluenda, siue subeunda publica munera atque onera quæ ad communem defensionem spectent, siue qua alia iussa capessenda. Omnis anima, inquit Paulus, potestatibus sublimioribus subdita sit. qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Admoneo illos (scribit idem Tito) vt principatibus ac potestatibus subditi sint, vt magistratibus pareant, vt ad omne opus bonum sint parati. Et Petrus, Subditi, inquit, estote cuiuis humanæ creaturæ (vel potius, vt ego quidem interpretor, ordinationi) propter Dominum, siue regi tanquam præcellenti: siue præsidibus, qui per eum mittuntur, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium. Porrò quo non subiectionem simulare, sed syncerè & ex animo subiectos se esse testentur, addit Paulus, vt eorum sub quibus viuunt salutem ac prosperitatem Deo commendent. Adhortor inquit, vt fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in eminentia constitutis, vt placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate ac honestate. Neque hîc se quisquam fallat. Quando enim resisti magistratui non potest quin simul Deo resistatur: etiamsi impunè contemni videtur posse inermis magistratus, Deus tamẽ armatus est qui sui contemptũ fortiter vlciscatur. Sub hac præterea obedientia moderationem cõprehendo, quam sibi in publico imperare debent priuati homines, ne se vltro admisceãt publicis negotiis, aut temerè irrumpãt in partes magistratus, ac nequid omnino publicè moliantur. Siquid in publica ordinatione corrigi interesit, non tumultuẽtur ipsi, nec admoueant operi manus, quas illis omnibus ligatas esse hac in parte decet: sed ad magistratus cognitionem deferant, cuius vnius hîc soluta est manus. Intelligo autẽ, nequid iniussi audeant. nam vbi accessit præfecti imperium, iam ipsi quoque publica authoritate præditi sunt. Vt enim aures atque oculos principis vocare vulgò solent eius consiliarios: ita non insulsè principis manus quis dicat quos rebus agendis mandato suo præfecerit.

Rom.13.a.1 Tit.3.a.1 1.Pet.2.c.13 1.Tim.2.a.1

24 Quoniam autem hactenus magistratum descripsimus qui verè sit quod dicitur, ille scilicet patriæ pater, & (vt Poeta loquitur) pastor populi, custos pacis, præses iustitiæ, innocentiæ vindex: insanus meritò iudicandus sit cui tale non probetur imperium. Ac quum omnium propè seculorum hoc exemplum sit, vt principum alii, eorum omniũ securi quibus prouidendis intenti esse debuerant, procul omni solicitudine socordes delicentur: alii ad rem suam attenti, iura omnia, priuilegia, iudicia, diplomata, venalia prostituant: alii plebeculã exhauriant pecunia quam postea insanis largitionibus profundãt: alii expilandis domibus, virginibus ac matronis violandis, mactandis innocentibus, mera latrocinia exerceant: eos verò pro principibus agnoscendos esse, quorum imperio, quoad licet, parendum sit, multis persuaderi non potest. Siquidem dum in tanta indignitate ac interc

a e inter tam aliena,nõ à magiſtratus modò,ſed hominis quoque officio,facinora,nullam ſpeciem imaginis Dei intuentur quæ in magiſtratu elucere debuerat: dum nullum conſpiciunt veſtigium eius miniſtri Dei, qui in laudem bonis,malis in vltionem datus eratita neque etiam præfectum illum agnoſcunt, cuius dignitatem atque authoritatem Scriptura nobis commendat. Et ſanè ſemper hominum animis ingenitus fuit ſenſus, non minore tyrannos odio atque execratione inſectari, quàm dilectione & veneratione proſequi legitimos Reges.

25 Verùm ſi in Dei verbum reſpicimus, longius nos deducet, vt non eorum modò principum imperio ſubditi ſimus qui probè,& qua debent fide, munere ſuo erga nos defunguntur:ſed omnium qui quoquo modo rerum potiuntur,etiamſi nihil minus prętẽt quàm quod ex officio erat principum. Tametſi enim ſummum ſuæ beneficentiæ munus eſſe magiſtratum,ad ſalutem hominum conſeruandam,teſtatur Dominus,ac ſuos magiſtratibus ipſis fines præſcribit:ſimul tamen declarat,qualeſcunque ſint,nonniſi à ſe habere imperium.Eos quidem qui publico bono imperant,vera eius ſuæ beneficentiæ exemplaria eſſe & ſpecimina:qui verò iniuſtè & impotenter dominantur,eos ad vindicandam populi iniquitatem à ſe excitatos. omnes ex æquo ſancta illa maieſtate eſſe prædítos qua legitimam poteſtatem inſtruxit. Non vltrà progrediar donec certa eius rei aliquot teſtimonia ſubiecero.Nec tamen quo furorem Domini ſuper terram eſſe impiũ Regem,confirmemus, laborandum eſt,quando neminem futurum arbitror qui reclamet, nec ſic de Rege plus dictum fuerit, quàm de prædone qui rem tuam diripiat: & adultero, qui thorum tuum polluat: de ſicario, qui te ad cædem appetat: quum huiuſmòdi calamitates omnes, inter Dei maledictiones Scriptura recenſeat. Verùm in eo probando inſiſtamus magis, quod non ita facilè in hominum mentes cadit: in homine deterrimo honoréque omni indigniſſimo, penes quem modò ſit publica poteſtas, præclaram illam & diuinam poteſtatem reſidere,quam Dominus iuſtitiæ ac iudicii ſui miniſtris verbo ſuo detulit:proinde à ſubditis eadem in reuerentia & dignatione habendum, quantum ad publicam obedientiam attinet,qua optimum Regem,ſi daretur,habituri eſſent.

Iob 34.d.30
oſeæ 13.c.11
ieſa.3.a.4
Ieſa.10.a.5
Deu.28.c.29

26 Principiò velim animaduertant, ſedulóque obſeruent lectores illam quæ non ſine cauſa toties nobis in Scripturis commemoratur, Dei prouidentiam, ac ſingularem actionem in diſtribuendis regnis, ſtatuendíſque quos illi viſum fuerit Regibus. Apud Danielem,Dominus mutat tempora & vices temporum,abiicit Reges & inſtituit. Item, Vt cognoſcant viuentes quòd potens ſit Altiſſimus in regno hominum:& cui ipſe voluerit, dabit illud. Cuiuſmodi ſententiis quum paſſim abundet Scriptura, illa tamen prophetia peculiariter ſcatet. Iam qualis Rex fuerit Nabuchadnezar, is qui Ieruſalem expugnauit, ſatis ſcitur:nempe ſtrenuus aliorum inuaſor ac populator. Dominus tamẽ apud Ezechielem ſe illi terram Ægypti dediſſe affirmat pro obſequio quod ſibi in vaſtanda illa præſtiterat.Et illi dicebat Daniel, Tu Rex,Rex es Regum:cui Deus cælorum dedit regnum potens ac forte atque glorioſum. tibi inquam, dedit,& omnes terras vbi habitant filii hominum,beſtiæ ſylueſtres,& volucres cæli:eas tradidit in manum tuam, ac fecit te dominari eis.Rurſum eius filio Belſaſar, Deus altiſſimus dedit, Nabuchadnezar patri tuo regnum & magnificentiam, honorem & gloriam: & propter magnificentiam quam dedit illi, omnes populi,tribus,& linguæ fuerunt trementes & timentes à conſpectu eius. Quũ audimus,à Deo impoſitum eſſe Regem, ſimul illa de honorando & timendo Rege,cæleſtia edicta animo repetamus: & nequiſſimum tyrannũ non dubitabimus eo habere loco quo Dominus ipſum dignatus fuerit. Samuel, quũ populo Iſrael denuntiaret qualia eſſet à Regibus ſuis paſſurus, Hoc ius erit Regis, dicebat, qui regnabit ſuper vos:filios veſtros tollet, & ponet eos ad currum ſuũ, vt ponat eos pro equitibus ſuis,& vt arent agros ſuos, & meſſem ſuam metant,& arma fabricentur. Filias veſtras tollet, vt ſint pigmentariæ,coquæ,& piſtrices. Agros denique veſtros, vineas veſtras, & oliueta optima auferet,& dabit ſeruis ſuis.Semina veſtra,& vineas veſtras decimabit,& dabit eunuchis & ſeruis ſuis.Seruos veſtros, ancillas & aſinos tollet: & adhibebit operi ſuo.quin & greges veſtros decimabit: & vos eritis ſerui illius. Certè non id iure facturi erant Reges, quos optimè ad omnẽ continentiam Lex inſtituebat:ſed ius in populũ vocabatur,cui parêre ipſi neceſſe eſſet,nec obſiſtere liceret.acſi dixiſſet Samuel, Eò ſe proripiet licentiæ Regum libido, quam cohibere veſtrum non erit:quibus hoc reſtabit vnum, iuſſa excipere,ac dicto audientes eſſe.

Dani.2.c.21, & f.37
Eze.29. d.19
Dan.2.f.37
Dan.5.c.18
1.Sam.8.c.11

27 In primis autem inſignis eſt & memorabilis apud Ieremiam locus,quem (tametſi

Iere.17.a.5

Iere.17.a.5 prolixiorem)ideo non pigebit referre,quia totam hanc quæstionẽ clarissimè definit. Ego feci terram & homines, ait Dominus,& animalia quæ sunt in superficie terrę,in fortitudine mea magna & brachio extẽto: & ipsam trado ei qui placuerit in oculis meis.Et nũc itaque ego dedi omnes terras istas in manum Nabuchadnesar serui mei, & seruient gentes ei omnes,& Reges magni: donec tempus veniet terræ eius. Eritque, vt gẽs & regnum quę non seruierit Regi Babel,visitabo gentem illam in gladio,fame & peste.quare seruite Regi Babel,& viuite. Videmus quanta obediẽtia Dominus tetrum illum ferocémque tyrannum coli voluerit,non alia ratione nisi quia regnum obtinebat.Id autẽ ipsum erat cęlesti decreto,in solium regni impositum esse,ac in regiam maiestatem assumptum: quam violare nefas esset.Hoc nobis si assiduè ob animos& oculos obseruetur,eodẽ decreto constitui etiam nequissimos Reges quo Regum authoritas statuitur: nunquam in animum nobis seditiosæ illæ cogitationes venient, tractandum esse pro meritis regẽ: nec æquum esse vt subditos ei præstemus qui vicissim Regem nobis non præstet.

28 Frustra obiiciat quis mandatum illud fuisse Israelitis peculiare.Obseruandum enim Ier.27.c.17 est qua ratione ipsum Dominus stabiliat. Detuli, inquit, Nabuchadnesar regnum: quare seruite illi,& viuite. Cuicunque ergo delatum fuisse regnum constabit, ei seruiẽdum esse ne dubitemus. Atque simul ac in regium fastigium quempiam euehit Dominus, testatã nobis facit suam voluntatem,quòd regnare illum velit.De eo enim extant generalia Scri Prou.28.a.2 pturæ testimonia.Solomo,vicesimo octauo,Propter iniquitatem terræ sunt multi princi- Iob.12.c.18 pes.Item Iob,duodecimo, Subiectionẽ tollit à Regibus, & rursum accingit eos cingulo. Ier.29.b.7 Eo autem confesso,nihil restat nisi vt seruiamus & viuamus. Est apud Ieremiam Prophetam alterum quoque Domini mandatum,quo iubet populum suum quærere pacem Babylonis,in quam captiui abducti essent: & orare ad se pro ea:quoniam in pace eius futura esset pax eorum.Ecce, Israelitæ fortunis omnibus exuti,è domibus suis auulsi, in exilium abacti, in miseram cõiecti seruitutem, pro victoris prosperitate orare iubentur: non quomodo iubemur aliàs persecutoribus nostris bene precari:sed vt saluum illi regnum& trãquillum conseruetur, vt sub eo ipsi quoque prosperè agant.Sic Dauid,iam Rex Dei ordinatione designatus,sanctóque eius oleo vnctus,quũ nullo suo merito indignè à Saule impeteretur,insidiatoris tamen sui sacrosanctum habebat caput,quod regni honore Domi- 1.Sam.24.b. nus sanctificauerat.Absit à me (dicebat)vt corã Domino faciam rem istam, domino meo 7.11 messiæ Domini,vt mittam manum meam in eum, quoniam christus Domini est. Item, 1.Sam.26.b. Pepercit tibi anima mea:dixíque, Non mittam manum meam in dominum meum,quo- 9. niam christus Domini est.Item,Quis mittet manum suam in christum Domini,& innocens erit? Viuit Dominus, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descenderit: absit à me vt mittam manum meam in christum Domini.

29 Hunc reuerẽtiæ atque adeò pietatis affectum debemus ad extremum præfectis nostris omnibus,quales tandem cunque sint.Quod sæpiusideo repeto,vt discamus non homines ipsos excutere:sed satis habeamus, quòd eam,voluntate Domini, personam sustineant cui inuiolabilem maiestatem impressit ipse & insculpsit. At mutuas(inquies)subditis suis vices debent præfecti. Id iam confessus sum. Verùm si ex eo statuis, nonnisi iustis Ephe.6.a.1 imperiis rependenda obsequia,insulsus es rationator. Nam & viri vxoribus,& liberis pa- Ephe.5.c.26 rentes, mutuis officiis astringuntur. Discedant ab officio parentes & mariti: illi liberis, 1.Pet.3.b.7 quos prohibentur ad iracundiam prouocare, sic se duros & intractabiles præbeant vt suæ eos morositate vltra modum fatigent: hi suas vxores,quas diligere,& quibus, seu vasculis fragilibus parcere iubentur,contumeliosissimè accipiant: non minus tamen & parentibus liberi, & cõiugibus mulieres obsequentes erunt? At improbis quoque & inofficiosis subiiciuntur. Quin, quum omnibus istud agendum sit potius, ne in manticam à tergo pendentem respectent, hoc est ne alii in aliorum inquirant officia, sed quod sui est muneris, id sibi vnum singuli subiiciant: id verò inter eos præsertim valere debet qui sub aliorum sunt potestate positi. Quare si à sæuo principe crudeliter torquemur, si ab auaro, aut luxurioso rapaciter expilamur,si ab ignauo negligimur,si ab impio denique & sacrilego vexamur ob pietatem: subeat primùm delictorum nostrorum recordatio,quæ talibus haud Dan.9.b.7 dubiè Domini flagellis castigantur.Inde humilitas impatientiam nostram frænabit.Succurrat deinde & hæc cogitatio, non nostrum esse, huiusmodi malis mederi. hoc tantùm esse reliquum, vt Domini opem imploremus, cuius in manu sunt regum corda, Prou.21.a.1 & regnorum

& regnorum inclinationes. Ille Deus est qui stabit in synagoga deorũ, & in medio deos diiudicabit: à cuius facie concident & conterentur Reges omnes, & Iudices terræ quicunque non osculati fuerint Christum eius: qui scripserint leges iniquas, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humiliũ: vt viduas haberent in prædam, & pupillos diriperent.

30 Atque hîc mirabilis eius tum bonitas tum potentia tum prouidentia sese profert. nam modò ex seruis suis manifestos vindices excitat, ac mandato suo instruit, qui de scelerata dominatione pœnas sumant, & oppressum iniustis modis populum è misera calamitate eximant: modò furorem aliud cogitantium & aliud molientium hominum eò destinat. Sic populum Israel è tyrannide Pharaonis per Mosen: è violentia Chusam Regis Syriæ, per Othoniel: ex aliis seruitiis, per alios vel Reges vel Iudices, in libertatem asseruit. Sic Tyri superbiam per AEgyptios: sic AEgyptiorum insolentiam, per Assyrios: Assyriorum ferociam, per Chaldæos: confidentiam Babylonis, per Medos & Persas domuit quũ iam Medos Cyrus subiugasset. Regum verò Iuda & Israel ingratitudinem & erga tot sua beneficia impiam contumaciam nunc per Assyrios, nunc per Babylonios contudit & afflixit. quanquam non eadem omnia ratione. Priores enim illi quando ad edenda talia facinora, legitima Dei vocatione accersiti erant, in Reges arma sumendo, minimè violabãt eam quæ diuina ordinatione Regibus indita est maiestatem: sed è cælo armati minorem potestatem maiore coercebant: perinde ac in suos satrapas Regibus animaduertere licet. Hi tametsi Dei manu, quò illi visum erat, destinabantur, opúsque eius inscientes peragebant: nihil tamen aliud animo quàm scelus volutabant.

Iesa.10.a.1.

Exod.3.b.7. Iud.3.b.9, & sequẽtibus.

31 Verùm vtcunque ipsa hominum facta censeantur, Dominus tamen per ea suum æquè opus exequebatur, quum sanguinaria Regum insolentium sceptra confringeret, ac intolerandas dominationes euerteret. Audiant principes, & terreantur. Nobis autem interim summopere cauendum, ne illam plenam venerandæ maiestatis magistratuum authoritatem, quam Deus grauissimis edictis sanxit, etiamsi apud indignissimos resideat, & qui eam sua nequitia, quantum in se est, polluunt, spernamus aut violemus. Neque enim si vltio Domini est effrenatæ dominationis correctio, ideo protinus demandatam nobis arbitremur: quibus nullum aliud quàm parendi & patiendi datum est mandatũ. De priuatis hominibus semper loquor. Nam siqui nunc sint populares magistratus ad moderandum Regum libidinem constituti (quales olim erant, qui Lacedæmoniis Regibus oppositi erant, Ephori: aut Romanis Consulibus, Tribuni plebis: aut Athenienssium senatui, Demarchi: & qua etiam fortè potestate, vt nunc res habent, funguntur in singulis regnis tres ordines, quum primarios conuentus peragunt) adeò illos ferocienti Regũ licentiæ pro officio intercedere non veto, vt si Regibus impotenter grassantibus, & humili plebeculæ insultantibus conniueant, eorum dissimulationem nefaria perfidia nõ carere affirmem: quia populi libertatem, cuius se Dei ordinatione tutores positos norunt, fraudulenter produnt.

32 At verò in ea quam præfectorum imperiis deberi constituimus obedientia, id semper excipiendum est, imò in primis obseruandum, ne ab eius obedientia nos deducat, cuius voluntati Regum omnium vota subesse, cuius decretis iussa cedere, cuius maiestati facces submitti par est. Et verò, vt hominibus satisfacias, in eius offensionem incurrere propter quem hominibus ipsis obedias, quàm præposterum fuerit? Dominus ergo Rex est regum: qui vbi sacrum os aperuit, vnus pro omnibus simul ac supra omnes est audiendus. iis deinde qui nobis præsunt hominibus subiecti sumus: sed nonnisi in ipso. Aduersus ipsum siquid imperent, nullo sit nec loco nec numero. neque hic totam illam qua magistratus pollent dignitatem quicquam moremur: cui iniuria nulla fit dum in ordinem, præ singulari illa veréque summa Dei potestate, cogitur. Secundum hanc rationem Daniel se quicquam in regem peccasse negat vbi impio eius edicto non paruit: quia excesserat ille fines suos: nec modò iniurius fuerat in homines, sed cornua tollendo aduersus Deum, potestatem sibi ipse abrogauerat. Ex opposito damnantur Israelitæ quòd impio Regis edicto nimium fuerant morigeri. Nam quum Iarobeam vitulos aureos conflasset, relicto Dei templo in eius gratiam ad nouas superstitiones defecerant. Eadem facilitate posteri sese flexerant ad Regum suorum placita, hoc illi seuerè Propheta exprobrat, quòd Regis edicta amplexi fuerint. tantum abest vt laudem mereatur modestiæ prætextus, quo aulici adulatores se tegunt, & simplices decipiunt, dum sibi fas esse negant

Dan.6.f.22.

Osee.5.d.13. 1.Reg.12.g. 30.

quicquam abnuere à Regibus ſuis impoſitum. quaſi verò ius ſuum Deus reſignauerit mortalibus, eos generi humano præficiens: aut minuatur terrena poteſtas, dum ſuo authori ſubiicitur, coram quo cæleſtes etiam principatus ſupplices expaueſcunt. Scio quantum quámque præſens huic conſtantiæ periculum immineat, quòd indigniſſimè ſe contemni Reges ferant: quorum indignatio nuntius eſt mortis, inquit Solomon. Sed quum
Act.5.c.29 iſtud à cæleſti præcone Petro pronuntiatum ſit edictum, Obediẽdum Deo potius quàm hominibus: hac nos cogitatione cõſolemur, illam tum nos præſtare quàm Dominus exi-
1.Cor.7.d.23 git obedientiam, dum quiduis perpetimur potius quàm à pietate deflectamus. Et ne nobis labaſcant animi, alium etiam ſtimulum Paulus admouet, Nos ideo tanti à Chriſto redemptos eſſe quanti illi conſtitit noſtra redemptio, ne prauis hominum cupiditatibus nos mancipemus in obſequium: multo verò minus impietati ſimus addicti.

LAVS DEO.

Quæ quatuor libris huius Inſtitutionis CONTINENTVR.

LIBRO PRIMO, DE COGNITIONE DEI CREATORIS, CAPITA XVIII.

1 Dei notitiam & noſtrî res eſſe coniunctas, & quomodo inter ſe cohæreant.
2 Quid ſit Deum cognoſcere, & quem in finem tendat eius cognitio.
3 Dei notitiam hominum mentibus naturaliter eſſe inditam.
4 Eandem notitiam partim inſcitia, partim malitia vel ſuffocari vel corrumpi.
5 Dei notitiam in mundi fabrica & continua eius gubernatione lucere.
6 Vt ad Deum Creatorem quis perueniat, opus eſſe Scriptura duce & magiſtra.
7 Quo teſtimonio Scripturam oporteat ſanciri, nempe Spiritus: vt certa cõſtet eius authoritas: atque impium eſſe commentum, fidem eius pendere ab Eccleſiæ iudicio.
8 Probationes, quatenus fert humana ratio, ſatis firmas ſuppetere ad ſtabiliendam Scripturæ fidem.
9 Omnia pietatis principia euertere fanaticos, qui poſthabita Scriptura, ad reuelationes tranſuolant.
10 Scripturam, vt omnem ſuperſtitionem corrigat, verum Deum excluſiuè opponere diis omnibus Gentium.
11 Deo tribuere viſibilem formam nefas eſſe, ac generaliter deficere à vero Deo quicunque idola ſibi erigunt.
12 Deum ab idolis diſcerni, vt ſolus in ſolidum colatur.
13 Vnicã Dei eſſẽtiã ab ipſa creatione tradi in Scripturis, quæ tres in ſe perſonas cõtinet.
14 In ipſa etiam mundi & rerum omnium creatione Scripturam certis notis diſcernere verum Deum à fictitiis.
15 Qualis homo ſit creatus. vbi de animæ facultatibus, de imagine Dei, libero arbitrio, & prima naturæ integritate diſſeritur.
16 Deum ſua virtute mundum à ſe conditum fouere ac tueri, & ſingulas eius partes ſua prouidentia regere.
17 Quorſum & in quem ſcopum referẽda ſit hæc doctrina, vt nobis conſtet eius vtilitas.
18 Deum ita impiorum opera vti, & animos flectere ad exequenda ſua iudicia, vt purus ipſe ab omni labe maneat.

LIB. II. DE COGNITIONE DEI REDEMPTORIS IN Chriſto, quæ Patribus ſub Lege primùm, deinde & nobis in Euangelio patefacta eſt.

CAPITA

CAPITA XVII.

1 Adæ lapsu & defectione totum humanum genus maledictioni fuisse addictum, & à prima origine degenerasse. vbi de peccato originali.
2 Hominem arbitrii libertate nunc esse spoliatum, & miseræ seruituti addictum.
3 Ex corrupta hominis natura nihil nisi damnabile prodire.
4 Quomodo operetur Deus in cordibus hominum.
5 Obiectionum refutatio quæ pro defensione liberi arbitrii afferri solent.
6 Homini perdito quærendam in Christo redemptionem esse.
7 Legem fuisse datam, nõ quæ populum veterem in se retineret, sed quæ foueret spem salutis in Christo vsque ad eius aduentum.
8 Legis moralis explicatio.
9 Christũ, quãuis sub Lege Iudæis cognitus fuerit, tamẽ Euãgelio demũ exhibitũ fuisse.
10 De similitudine Veteris & Noui testamenti.
11 De differentia vnius testamenti ab altero.
12 Christum, vt Mediatoris officium præstaret, oportuisse fieri hominem.
13 Christum veram humanæ carnis substantiam induisse.
14 Quomodo duæ naturæ Mediatoris efficiant personam.
15 Vt sciamus quorsum missus fuerit Christus à Patre, & quid nobis attulerit, tria potissimum spectanda in eo esse, munus Propheticum, Regnum & Sacerdotium.
16 Quomodo Redemptoris partes impleuerit Christus, vt nobis salutem acquireret. vbi de morte & resurrectione eius agitur, & in cælum ascensu.
17 Rectè & propriè dici Christum nobis promeritum esse gratiam Dei & salutem.

LIB. III.

DE MODO PERCIPIENDÆ CHRISTI GRAtiæ, & qui inde fructus nobis proueniant, & qui effectus consequantur.

CAPITA XXV.

1 Quæ de Christo dicta sunt, nobis prodesse, arcana operatione Spiritus.
2 De fide. vbi & definitio eius ponitur, & explicantur quæ habet propria.
3 Fide nos regenerari. vbi de pœnitentia.
4 Quàm procul absit ab Euangelii puritate quicquid de pœnitentia garriunt Sophistæ in suis scholis. vbi de confessione & satisfactione agitur.
5 De supplementis quæ ad satisfactiones adiiciunt, nempe indulgentiis & purgatorio.
6 De vita hominis Christiani: ac primũ, quibus argumẽtis ad eã nos hortetur Scriptura.
7 Summa vitæ Christianæ. vbi de abnegatione nostrî.
8 De crucis tolerantia, quæ pars est abnegationis.
9 De meditatione futuræ vitæ.
10 Quomodo vtendum præsenti vita, eiúsque adiumentis.
11 De iustificatione fidei, ac primò de ipsa nominis & rei definitione.
12 Vt seriò nobis persuadeatur gratuita iustificatio, ad Dei tribunal tollẽdas esse mẽtes.
13 Duo esse in gratuita iustificatione obseruanda.
14 Quale initium iustificationis & continui progressus.
15 Quæ de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in conferenda iustitia, quàm salutis certitudinem euertere.
16 Refutatio calumniarum quibus hanc doctrinam odio grauare conantur Papistæ.
17 Promissionum Legis & Euangelii conciliatio.
18 Ex mercede malè colligi operum iustitiam.
19 De libertate Christiana.
20 De oratione, quę præcipuũ est fidei exercitiũ, & qua Dei beneficia quotidie percipim⁹
21 De electione æterna, qua Deus alios ad salutem, alios ad interitum prædestinauit.
22 Confirmatio huius doctrinæ ex Scripturæ testimoniis.
23 Refutatio calumniarum quibus hæc doctrina semper iniquè grauata fuit.
24 Electionem sanciri Dei vocatione: reprobos autem sibi accersere iustum, cui destinati sunt, interitum.
25 De resurrectione vltima.

LIB. IIII.

DE EXTERNIS MEDIIS VEL ADMINICV-

lis quibus Deus in Christi societatem nos inuitat, & in ea retinet.

CAPITA XX.

1 De vera Ecclesia, cum qua nobis colenda est vnitas: quia piorum omnium mater est.
2 Comparatio falsæ Ecclesiæ cum vera.
3 De Ecclesiæ doctoribus & ministris, eorum electione & officio.
4 De statu veteris Ecclesiæ, & ratione gubernandi quæ in vsu fuit ante Papatum.
5 Antiquam regiminis formam omnino pessundatam fuisse tyrannide Papatus.
6 De primatu Romanæ sedis.
7 De exordio & incrementis Romani Papatus, donec se in hanc altitudinem extulit, qua & Ecclesiæ libertas oppressa, & omnis moderatio euersa fuit.
8 De potestate Ecclesiæ quoad fidei dogmata: & quàm effræni licentia ad vitiandam omnem doctrinæ puritatem tracta fuit in Papatu.
9 De conciliis, eorúmque authoritate.
10 De potestate in legibus ferendis, in qua sæuissimam tyrannidem in animas & carnificinam exercuit Papa cum suis.
11 De Ecclesiæ iurisdictione, eiúsque abusu qualis cernitur in Papatu.
12 De Ecclesiæ disciplina, cuius præcipuus vsus in censuris & excommunicatione.
13 De votis quorum temeraria nuncupatione quisque se miserè implicuit.
14 De Sacramentis.
15 De Baptismo.
16 Pædobaptismum cum Christi institutione & signi natura optimè congruere.
17 De sacra Christi Cœna, & quid nobis conferat.
18 De Missa Papali: quo sacrilegio non modò profanata fuit Cœna Christi, sed in nihilum redacta.
19 De quinque falsò nominatis Sacramentis: vbi Sacramenta non esse quinque reliqua, quæ pro Sacramentis hactenus vulgò habita sunt, declaratur: tum qualia sint ostenditur.
20 De politica administratione.

EXCVDEBAT FRANCISCVS PERRINVS GENEVAE, ANNO M. D. LXVIII. IVNII VI.

Index in Institutionem Christianæ religionis à Iohanne Caluino conscriptam.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Quum librum hunc (præsertim in hac postrema editione) tam accuratè distinctum támque apto ordine compositum videremus vt attento lectori singula doctrinæ capita suis reperire locis difficile futurum non esset, indicem ei addere minimè necessarium esse putabamus: quia tamen à plerisque requiri eum intelleximus, aliquid etiam receptæ consuetudini dandum existimauimus.

A

de Abnegatione nostri.

Principium formandæ vitæ ad regulam in Lege præscriptam, considerare nos non esse nostri iuris, sed Deo consecratos & dicatos. Itaque nos nobis rationíque nostræ (quã solam putant audiendam philosophi) renuntiare oportere, vt verbo Spiritúque Domini gubernemur, lib. 3. ca. 7. sect. 1.

Item, Non quærenda quæ nostra sunt, sed quæ ex Domini sunt voluntate, & ad eius gloriam faciunt. hãc esse nostri abnegationem, sine qua mundus vitiorum reconditus est in hominis anima, &, siqua est virtutis species, praua gloriæ cupidine vitiatur, lib. 3, cap. 7, sect. 2.

Abnegatio nostri siue mortificatio partim homines respicit, partim (& præcipuè) Deum. Iubet Scriptura duo erga alios præstare: nempe vt illos nobis anteferamus honore, & procurandis eorum commodis totos nos bona fide impendamus. Quorum prius quomodo faciendum docetur lib. 3, cap. 7, sect. 4: ad alterũ etiam quomodo nos manu ducat Scriptura, sect. 5.

Vide quædam huc pertinentia, lib. 3. cap. 20, sect. 43.

de Acoluthis.

Acoluthi in vetere Ecclesia, lib. 4, cap. 4, sect. 1, & 9.

de Adæ lapsu.

Lapsus Adæ non ex gulæ intemperie processit, sed ex infidelitate (nam contempto Dei verbo & veritate deflexit ad Satanæ mendacia) quæ ambitioni & superbiæ ianuam aperuit (quibus annexa fuit ingratitudo) ambitio contumaciæ mater fuit, lib. 2, cap. 1, sect. 4.

Adæ lapsu quum reliquæ creaturæ quodammodo deformatæ fuerint, non mirum totum humanum genus fuisse corruptũ, id est à prima origine degenerasse, & maledictioni fuisse addictum. Id veteres dixisse peccatum originale: & tamen hoc doctrinæ caput minus dilucidè quàm par erat explicuisse. Interim Pelagium grauiter errasse, quũ diceret imitatione tantùm, non propagine, peccatum à primo homine trãsiisse in totam posteritatem, probatur rationibus & Scripturę testimoniis, lib. 2, cap. 1, sect. 5. 6. Neque si peccati lues potissimùm in anima residet, propterea ad huius doctrinæ definitionem facere disputationem illam, An filii anima ex traduce animæ patris oriatur: quum non in substantia carnis aut animæ causam habeat cõtagio, sed quia à Deo fuit ordinatũ vt quę primo homini cõtulerat dona, ille sibi suísque haberet ac perderet. Postremò huic doctrinæ non obstare quòd sanctificantur fidelium liberi, lib. 2, cap. 1, sect. 7.

Per lapsum Adæ naturalia dona in homine corrupta esse, supernaturalia ablata, multi vsurparunt, pauci intellexerũt, lib. 2, cap. 2, sect. 4, & 16. Quod dictum exponitur cap. 2, sect. 12.

Nempe supernaturalia dona abolita esse fidem, amorem Dei, charitatẽ erga proximos, sanctitatis & iustitiæ studium, sed restitui à Christo: naturalia, mentem scilicet & cor, esse corrupta, quia sanitas mentis & cordis rectitudo simul fuerunt ablata. Item rationem in homine non penitus fuisse deletam, sed partim debilitatam, partim vitiatam: sic voluntatem quia inseparabilis est ab hominis natura, non periisse, sed prauis cupiditatibus fuisse deuinctam, lib. 2. cap. 2, sect. 12.

Augustini & Scripturæ testimonijs confirmatur, Deum non modò primi hominis casum & in eo posterorum ruinam præuidisse aut permisisse: sed arbitrio quoque suo dispensasse, lib. 3, cap. 23, sect. 7. 8.

de Angelis.

Angelos esse Dei creaturas, licet Moses non exprimat in historia creationis, lib. 1, cap. 14, sect. 3. De tempore vel ordine quo creati fuerint inquirere non expedit, quando Scriptura nihil eorum tradit, quam pro regula sequi debemus, lib. 1, cap. 14, sect. 4.

Cur cælestes Spiritus vocentur Angeli, Exercitus, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, Dii, lib. 1, cap. 14, sect. 5.

De Angelis docet Scriptura quæ ad consolationem nostram fideique confirmationem valent, nempe diuinæ erga nos beneficẽtiæ esse dispensatores & administros, idque variis modis, lib. 1, cap. 14, sect. 6. 9.

Non vni tantùm Angelo quenque nostrum esse curæ, sed omnes vno consensu vigilare pro salute nostra: itaque superuacuum esse quærere an suus cuique Angelus sit custos assignatus, lib. 1, cap. 14, sect. 7.

De Angelorum multitudine & ordine quærere, curiositatis erit: definire, temeritatis: & cur, Spiritus quum sint, alatos pingat Scriptura sub Cherubim & Seraphim, lib. 1. cap. 14, sect. 8.

Contra Sadducæos & similes fanaticos variis testimoniis Scripturæ euincitur, Angelos non esse qualitates aut inspirationes sine substãtia, sed veros spiritus, lib. 1, cap. 14, sect. 9.

De vitanda hic superstitione, & ne Angelis tribuamus quæ Dei solius & Christi sunt, lib. 1, cap. 14, sect. 10.

Hoc periculum vt caueamus, expendendum, quòd opera illorum vtitur Deus, non facere necessitate, quasi carere illis nequeat, sed ad solatiũ nostræ imbecillitatis, Ibid. sect. 11. Proinde quicquid de Angelorum ministerio dicitur, ad hunc finem referri oportere, vt expugnata omni diffidentia, spes in Deo nostra fortius stabiliatur, nõ autẽ vt nos ipsi à Deo abducant, Ibidem sect. 12.

Angelos etiam ad Dei similitudinem creatos esse, lib. 1, cap. 15, sect. 3.

de Anima.

Animam siue spiritum hominis non esse flatum tantùm, sed essentiam immortalem, licet creatam, probatur ex conscientia, Dei cognitione, & tot præclaris dotibus quibus mens humana pollet, adeóque ex iis quæ in somno ipso concipit: item multis argumentis ex Scriptura petitis, lib. 1, cap. 15, sect. 2. Deinde ex eo quòd ad imaginem Dei dicitur creatus homo, sect. 3.

Contra eos qui naturæ prætextu Dei prouidentiam & gubernationẽ negant in animæ mirificis & penè innumeris facultatibus se exerentem, lib. 1, cap. 5, sect. 4. 5.

Refutatio erroris Manichæorum & Serueti, Animam esse traducem substantiæ Dei: item Osiandri, imaginem Dei in homine non agnoscentis sine essentiali iustitia, lib. 1, cap. 15, sect. 5.

De animæ immortalitate nẽmo ferè philosophorum certò est loquutus: sed eius facultates præsenti vitæ affigunt, quũ Scriptura ita primatum illi in regenda vita tribuat, vt etiam ad colendum Deum excitet. Item de pluribus animabus, variáque diuisione facultatum animæ secundum Philosophos, lib. 1, cap. 15, sect. 6. Alia diuisio conueniẽtior Christianæ doctrinæ, in intellectum & voluntatem: & vtriusque officiũ ac vis in prima hominis conditione, Ibid. sect. 7. 8.

Reliquiæ seminis religionis impressæ adhuc in ipsis vitiis animæ, lib. 1, cap. 15, sect. 6.

De eorum errore qui putarunt morte totum hominem interire, & tandem animas resurrecturas cum corporibus, lib. 3, cap. 25, sect. 6.

De statu animarum à morte ad diem vltimum, lib. 3, cap. 25, sect. 6.

Ex Bernardo descriptio miseriarũ animæ fidelis, confide-

catæ prout in se est & ex se, & ex oppositio certæ gloriationis eius in Christo, quæ indignitates illius omnes delet, lib. 3, cap. 2, sect. 25.

de Aqua lustrali Papistarum.

Vide lib. 4, cap. 10, sect. 20.

de Archiepiscopis & Patriarchis.

Vide lib. 4, cap. 4, sect. 4, & cap. 7, sect. 15.

de Ascensu Christi in cælum.

Christum, etsi resurgendo gloriam suam virtutémque plenius illustrare cœpit, sua tamen demum in cælum ascensione verè regnum suum auspicatum esse: quia maiorem tum Spiritus sui abundantiam effudit, magnificentius regnum suum promouit, & maiorem potentiam ostendit, tum in adiuuandis suis, tum in hostibus deiiciendis. Ita tamen abesse secundum præsentiam carnis, vt semper vbique sit secũdum præsentiam maiestatis, & cum fidelibus secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, lib. 2, cap. 16, sect. 14.

De Christi sessione ad Patris dexteram, & multiplici fructu quem inde colligit fides nostra, Ibid. sect. 15, 16.

B

de Baptismo.

Baptismi definitio: finis primus, vt seruiat fidei nostræ apud Deum: alter, vt confessioni nostræ apud homines. Tria affert fidei nostræ: Primum, quòd est symbolum nostræ purgationis, confirmans omnia peccata nostra deleta esse, lib. 4, cap. 15, sect. 1. Quod demonstratur Scripturæ testimoniis: & non aqua mundari nos, sed Christi sanguine, sect. 2.

Baptismi vim non restringi ad tempus præteritum, sed eos nos semel in omnem vitam ablui & purgari: neque tamen hinc peccandi in futurum licentiam captandam, sect. 3. Clauium potestatem (vt vocát) id est Ecclesiæ ministerium, quo nobis quotidie annuntiatur remissio peccatorum, non esse à Baptismo separandum, sect. 4.

Alter fructus fidei ex Baptismo, quòd nostram in Christo mortificationem nobis ostendit, & nouam in eo vitam, libr. 4, cap. 5, sect. 5. Tertius, quòd sic nos Christo vnitos testificatur, vt omnium eius bonorũ simus participes vnde Christus dicitur proprium Baptismi obiectum: & in Christi nomen baptizarunt Apostoli: in quo tam purgationis quàm regenerationis nostræ materiam consequimur, vt in Patre causam, in Spiritu effectum, sect. 6.

Eundem fuisse Baptismum in ministerio Iohannis & Apostolorum ostenditur, licet aliter quidam veterum senserint, lib. 4, cap. 15, sect. 7. Neque obstare quod luculentiores Spiritus gratiæ à Christi resurrectione sunt effusæ. Interim distinguendam in Baptismo Christi personam ab Iohanne, Apostolis, & reliquis ministris, sect. 8.

Tam mortificationem quàm purgationem nostram adumbratas fuisse in populo Israel, per transitum maris, & refrigerium nubis, lib. 4, cap. 1, sect. 9.

Falsum esse quod docuerunt nõnulli, per Baptismum nos in eandem iustitiam & naturæ puritatẽ restitui quam ab initio habuerat Adam. Et ostenditur in filiis Dei manere adhuc reliquias peccati, (licet non regnent) quod acuit eorum conatus, non sibi blandiendi occasionem dat, lib. 4, cap. 15, sect. 10. 11. Id confirmatur ex Paulo, sect. 12.

Quomodo Baptismus seruiat confessioni nostræ apud homines, lib. 4 cap. 15 sect. 13.

Quæ sit ratio vtendi Baptismo tam ad fidei confirmationem quàm ad confessionem apud homines. Vbi ostenditur Dei gratias non esse inclusas Sacramento, vt eius virtute nobis conferantur, lib. 4, cap. 5, sect. 14. 15.

Baptismo nihil afferri eius dignitate qui administrat, nihil item auferri illius indignitate: contra Donatistas, & nostros Catabaptistas, qui Anabaptismum vrgent quia fuimus baptizati in regno Papali lib. 4, cap. 15, sect. 16. Refutantur eorum argumenta, sect. 17. 18.

Baptismus perpetuum in totam vitam pœnitentiæ sacramentum, vt alio nouo opus non sit, lib. 4, cap. 19, sect. 17.

De aquæ incantatione, de cereo, chrismate, exufflatione, sputo, & similibus nugis simplici Christi ceremoniæ adiectis: cuius purè administrandæ in Ecclesia ratio ostenditur, lib. 4, cap. 15, sect. 19.

Ecclesiæ ministrorum esse Baptismum administrare, non priuatorum hominum, nedum mulierum, ostenditur: & refutantur contrariæ obiectiones, sect. 20. 21, & 22.

De infantum Baptismo, vide in dictione Pædobaptismus.

de Bellis.

Legitima esse bella, quum magistratibus arma capere necesse est ad exercẽdam publicam vindictam in eos qui ditionis ipsorum quietem turbant, siue domestici sint, siue extranei hostes, lib. 4. cap. 20, sect. 11. Non obstare quod nonnulli prætexunt, nullum extare in Nouo testamento vel testimonium, vel exemplum, quod doceat bellum reni esse licitam Christianis. Cauendum summopere magistratibus, ne in armis capiendis, cupiditatibus suis vel tantillum obsequantur. Vt bellum, sic præsidia, fœdera, ciuiles munitiones, res esse Christianis permissas, lib. 4, cap. 20, sect. 12.

C

de Cantu Ecclesiastico.

Vocem & cantum nihil habere momenti in precibus, nisi adsit cordis affectus, lib. 3, cap. 20, sect. 31, & 33.

De ritu canendi in Ecclesiis, lib. 3, cap. 20, sect. 32.

de Cardinalibus.

Cardinalium nomen quando primùm cœperit, & quomodo ita subitò in tantam amplitudinem emerserint, lib. 4, cap. 7, sect. 30.

de Ceremoniis.

Ceremonias veteres abrogatas quo ad vsum tantùm, non quo ad effectum: (constat enim nobis hodie clarissimè & efficacissimè in Christo) idque nihil earum sanctitati derogare probatur, lib. 2, cap 7, sect. 16. Eásque per se consideratas & extra Christum, meritò vocari à Paulo chirographa nobis contraria, sect. 17.

Constitutiones de ceremoniis in Papatu præscribunt obseruationes magna ex parte inutiles, interdũ etiam ineptas, licet speciem habeant sapientiæ. deinde immensa multitudine opprimunt conscientias lib. 4. cap. 10, sect. 11. 12. 13.

Non posse excusari ceremonias Papales quòd sint institutæ ad pædagogiam rudium, exemplo ceremoniarum Legis: quia manifestum est hoc discrimen inter nos & veterem populum, lib. 4, cap. 10, sect. 14.

Ceremoniæ Papales creduntur sacrificia esse peccatorum expiatoria & meritoria vitæ æternæ: doctrina carẽt, & sunt aucupia captandæ pecuniæ, lib. 4, cap. 10, sect. 15.

de Charitate erga proximum.

Contra sophistas Sorbonicos ostenditur charitatem esse amorem proximi, non nostri ipsorum, libr. 2, cap. 8, sect. 54. Proximi vocabulo etiam alienissimum quenque & inimicum comprehendi, Ibid sect. 55. Itaque damnantur ignorantiæ scholasti ci, qui ex præceptis de non appetenda vindicta & diligendis inimicis consilia fecerunt, quorum necessariæ obseruationi soli monachi se astringerent: & ostenditur aliter sensisse veteres Ecclesiæ doctores, adeóque Gregorium ipsum, Ibidem 56. 57.

Ne aliis benefaciendo fatisçamus, patientia esse opus: nec hominum indignitatem aut alias qualitates quæ nos remorari possent attendendas, sed Deum, qui iubet, respiciendum, lib 3, cap. 7, sect. 6.

Vt omnes charitatis numeros impleamus, non satis esse si defungamur omnibus charitatis officiis, sed syncero amoris affectu id faciendum. In quo primum est, vt eius quem ope nostra indigere conspicimus, personam suscipiamus. ita vitabitur arrogantia reliquáque charitatis inquinamenta, lib. 3, cap. 7, sect. 7.

Christum & Apostolos in commemoranda Legis summa prætermittere interdum priorem tabulam non quòd pluris sit ad iustitiæ summam, cum hominibus innocenter viuere quàm pietate Deum honorare: sed quia non ficta charitas veræ pietatis est approbatio, lib. 2, cap. 8, sect. 52. 53.

Refutantur Pharisæi nostri temporis, qui contendũt nos charitate iustificari, quia dicitur à Paulo Charitas maior fide & spe, lib 3, cap. 18, sect. 8.

Expositio decimi præcepti: quo non tantùm consilium omne nocendi proximo (vt superioribus præceptis) prohibetur, sed etiam concupiscentia siue cupiditas omnis aduersa charitati, lib. 2, cap. 8, sect. 49, & 58. Meritó tantum ardorem dilectionis tantámque rectitudinem Deum à nobis exigere, Ibid sect. 50.

Expositio sexti præcepti: quo non tantùm cædes vel odium proximi interdicitur, sed conseruatio vitæ illius nobis commendatur, quia homo & caro nostra est & imago Dei, lib. 2, cap. 7, sect. 39. 40.

INDEX.

de Christo.

Filii deitas probatur, lib.1, cap.13, sect.7.

Contra quosdam canes, qui æternitatem suam Filio Dei clàm suffurantur, ipsum tum primùm cœpisse esse affirmantes quum Deus in mundi creatione loquutus est, lib.1, cap.13, sect.8.

Varia testimonia Scripturæ, quæ deitatem Christo asserunt: & primum ex Veteri testamẽto, lib.1, cap.13, sect.9.10. Deinde ex Nouo, Ibid. sect.11.

Eiusdẽ deitatis probatio ex operibus quæ illi in Scripturis ascribuntur, lib.1. cap.13, sect.12. Itẽ ex miraculis, & aliis quibusdam, Ibid. sect.13.

Discrimen inter Christum miracula edentem, & Prophetas aut Apostolos similia operantes, lib.1, cap.13, sect.13.

Multis iisque firmissimis Scripturæ testimoniis probatur, Christum veram humanæ carnis substantiam induisse, non spectrum aut laruam hominis (vt fingebant Marcionitæ) nõ etiam cæleste corpus, vt Manichæi mentiebantur, lib.2, ca.13, sect.1.

Exponuntur loci Scripturæ quos in erroris sui confirmationem Marcion detorquebat, quos item Manichæus, & hodie nonnulli eorum discipuli, sect.2. & 3. Vbi etiam refutantur noui Marcionitæ, qui, vt euincant Christum de nihilo corpus sumpsisse, mulieres contendunt esse ἀπόῤῥητα. Refelluntur & alia quæ tanquam absurda obiiciunt, sect 4.

De Christi ascensu in cælum vide in dictione Ascensus.

de Clericis.

De clericis in vetere Ecclesia, lib.4, cap.4, sect.9.

de Cælibatu.

Impudentia eorum qui cælibatus decorum pro re necessaria venditant in summam veteris Ecclesiæ ignominiam. Quibus gradibus hæc tyrannis obrepserit in Ecclesiam: nec posse defendi veterum quorundam canonum prætextu. lib.4, cap.12, sect.26.27.28.

Sacerdotibus interdictum fuisse coniugium impia tyrannide & contra verbum Dei, & contra omnem æquitatem, lib.4, cap.12, sectione 23. Respondetur aduersariorum obiectioni, Oportere aliqua nota differre Sacerdotem à plebe, sectione 24.

Papæ blasphemia, coniugium esse carnis pollutionem & immunditiem, lib.4, cap.12, sect.24.

Friuolum esse prohibitionem coniugii defendere exemplo Sacerdotum Leuiticorum, qui ingressuri Sanctuarium ab vxoribus secubabant, lib.4, cap.12, sect.25.

de Cœna Domini.

De pane & vino signis sacræ Cœnæ: & cur illis vti nos voluerit Dominus ostenditur ex verbis ipsius in Cœna, lib.4, cap.17, sect.1.

Magnum fiduciæ ac suauitatis fructum nos colligere ex hoc Sacramento, quod testatur nos cum Christo sic coaluisse in vnum corpus, vt quicquid ipsius est nostrum vocare liceat, sect.2. Id explicatur ex verbis Cœnæ, sect.3.

Non esse præcipuas sacramenti partes, Christi corpus sine altiori consideratione nobis porrigere, sed magis obsignare promissionem illam qua carnem suam verè cibum esse testatur, sect.4.

Non facit Cœna vt Christus panis vitæ primùm esse incipiat, sed vt vim panis illius sentiamus. Ipsum semel dedisse carnem suam pro mundi vita, & quotidie suis dare. Cauendũ ne simus nimii in extenuandis vel extollendis signis. Manducationem carnis Christi non esse fidem, sed potius fidei effectum, sect.5.

Ita sensisse Chrysostomum & Augustinum: & quo sensu hic dixerit credendo nos manducare Christi carnem, sect.6.

Non satis dicere illos qui præterita carnis & sanguinis mẽtione, nos Spiritus modò Christi participes fieri sentiũt. Tantum esse Cœnæ mysterium, vt nec lingua loquendo, nec animus cogitando eius magnitudinem complecti possit, sectione 7.

Quousque pateat solida Christi communio. vbi ostenditur, Christum, qui ab initio fuit viuificum Patris Verbũ, carnem quam assumpsit, viuificam nobis effecisse, sect.8. & 9. Eã fideles verè manducare, quantacunque sit inter eos & illam locorum distantia, sect.10.

Duabus rebus constare Cœnæ mysterium, corporeis signis & spirituali veritate: quæ tria complectitur, significationem, materiam, effectum, sect.11.

De transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quam Romanæ curiæ artifices confinxerunt, lib.4, cap.17, sect.12.13, & sequen. & sect.20.

Destitui eos vetustatis testimonio: & quo sensu veteres dixerint in consecratione fieri arcanam conuersionem. Item non quadrare Cœnæ significationem nisi maneat substantia signorum externorum, sect.14

Panem nonnisi hominibus ad quos sermo dirigitur esse Sacramentum, vbi etiam refutantur quædam argumenta doctorum transsubstantiationis, sect.15

De quibusdam, qui licet substãtiam signorum manere vno verbo concedant: in pane tamen & sub pane corpus Christi locantes, in localem præsentiam recidunt, & vbiquitatem ipsi affingunt, lib.4. cap 17, sect. 16.17.18, & 20. Refutantur eorum obiectiones, sect.21.22.23.24, & sequent.

Nec Augustini testimoniis, nec Scripturæ authoritate iuuari hoc dogma demonstratur, sect.28.29.30.31.

Refelluntur aliæ quædam istorum obiectiones: & præcipuè, quicquid docemus de spirituali manducatione, veræ & reali opponi: vbi etiam ostenditur, infidelibus quoque offerri in Cœna Christi corpus, non tamen ab ipsis recipi, sect.33. Neque huc trahi posse dictum Augustini, Sacramentis nihil decedere infidelitate hominum, variis eiusdem testimoniis euincitur, sect.34.

Quomodo in Cœna corpus & sanguis Christi nobis exhibeãtur, & qualem Christi præsentiam ibi statuere oporteat, lib.4, cap.17, sect.18.19, & 32.

De expositione verborum Christi in Cœna, lib 4, cap.17, sectione 20.21.

Corpus Christi finitum esse, ac cælo comprehendi vsque ad vltimum diem probatur ex Scripturis, lib.4, cap.17, sectione 26.27.

De adoratione carnali & concomitantia Papistarum, de consecratione hostiæ (vt vocant) & circungestatione in põpa, lib.4, cap.18, sect.35.36.37.

Cœnæ mysterium nos ad gratiarum actionem excitare debet, exercere in recolenda mortis Christi memoria, inflammare ad vitæ sanctimoniam, præcipuè verò ad charitatem, lib.4, cap.17, sect.37.38.

In Papatu Cœnam (cuius recta administratio non constat absque verbo) versam esse in mutam actionem. vbi etiam de repositione Sacramenti, vt ægrotis extra ordinẽ distribuatur, lib.4, cap.17, sect.39.

Qui Cœnam Domini vsurpant sine fide & charitatis studio, illis verti in nocentissimum venenum, & meritò reos fieri corporis & sanguinis eius, lib.4, cap.17, sect.40.

Doctrinam Papistarum, dum ad mãducandi corpus Christi dignitatem comparare volunt homines, diris modis torquere conscientias, neque potuisse Diabolum maiori compendio perdere homines: tum de optimo remedio vitandi huius præcipitii: & aberrare illos qui fidei perfectionem in Cœna exigunt à fidelibus, lib.4, cap.17, sect.41.42.

Quod ad externum ritum actionis Cœnæ multa esse indifferentia: & quomodo administrari possit quamdecentissimè, lib.4, cap.17, sect.43.

De infrequenti hodie participatione Cœnæ, qui contemptus est indicium, & vehementer displicuit olim sanctis Patribus: & certissimum fuisse diaboli inuentum consuetudinẽ quæ semel quotannis communicare iubet, lib.4, cap.17, sect.44.45.46.

Ex diaboli officina prodiisse constitutionem quæ symbolum sanguinis Domini laicis eripuit, ostenditur ex authoritate Scripturæ, & vsu veteris Ecclesiæ etiam quadringentis annis post Gregorii mortem, aliisque multis argumẽtis, lib.4, cap.17, sect.47.48.49.50.

De concomitantia sanguinis in carne Christi, figmento Papistico, lib.4, cap.17, sect.47.

Profanari Domini Cœnam si omnibus promiscuè exhibetur, & de ministrorum officio in repellendis indignis, lib.4, cap.12, sect.5.

Breuis summa eorum quæ de duobus Sacramentis tenere conuenit. & cur Cœna sæpius iteretur, Baptismus non item, lib.4, cap.18, sect.19.

de Cognitione Dei.

Deum cognoscere non est concipere tãtùm esse aliquem Deum, sed tenere quod de eo scire nostra refert vtile est in eius gloriam, & expedit, libro primo, capite secundo, sectione prima.

Huc valere debet Dei notitia, primùm vt ad timorẽ ac reuerentiam nos instituat: deinde vt ea duce ac magistra omne

bonum ab illo petere, & illi acceptum ferre discamus, lib.1, cap.2,sect.2,& cap.5,sect.8.

Philosophos non aliam habuisse Dei cognitionem quàm quæ ipsos redderet inexcusabiles, non autem ad veritatem perduceret,lib.2,cap.2,sect.18.

Naturaliter ingenitam esse omnibus hanc persuasionem, esse aliquem Deum,lib.1,cap.2,sect.3. Idque vt suo ipsorum iudicio damnentur qui illũ non coluerint,lib.1,cap.3,sect.1.

Licet omnes natura sciant aliquem esse Deum,alii tamen in superstitionibus euanescunt, alii data opera malitiosè à Deo discisunt,lib.1,cap.4.,sect.1.

de Conciliis.

Tenendum esse modum in honorandis conciliis,nequid Christo derogetur : & veteribus conciliis magna ex parte confirmari nostram doctrinam,lib.4,cap.9,sect.1.

Ex Scripturis nullam esse conciliorum authoritatẽ, nisi in Christi nomine cõgregentur:& quid hoc sit,li.4,ca.9,sect.2.

Falsum esse quod Papistæ obtendunt, non remanere in Ecclesia veritatem nisi inter Pastores constet, nec Ecclesiam ipsam consistere nisi in conciliis generalibus emineat. lib.4,cap.9,sect.3.4.5.6.7.

Quum agitur de concilii alicuius authoritate, quæ sint expendenda : & optimum modum præscribi ab Augustino, lib.4,cap.9,sect.8.

Concilia cum conciliis pugnantia, sect.9, Et iam in priorib illis & antiquis conciliis peccata & lapsus deprehendi,sect.10,11.

de Concupiscentia.

Differentia inter concupiscentiam & consilium, libro 2, cap.8,sect.49.

Omnes hominum cupiditates malas esse & peccati reas, non quatenus naturales, sed quia omnes sunt inordinatæ propter naturæ corruptionem.Sicque sensisse Augustinum, si propius expendatur,lib.3,cap.3,sect.12.Id confirmatur ex multis scriptorum eius locis,lib.3,cap.3,sect.13.

de Confessione auriculari.

De confessione pugna Theologorum scholasticorum contra Canonistas asserentes non esse ex Dei mandato. Refutatio argumentorum quibus priores nituntur. Primùm quia Dominus in Euangelio leprosos à se mundatos remisit ad Sacerdotes:vbi ostenditur vera facti illius ratio, libro 3, cap.4,sect.4.

Refutatio secundi eorum argumenti, Quòd Dominus præcepit discipulis vt Lazarum suscitatum fasciis soluerent & expedirent,lib.3,cap.4,sect.5.

Vera expositio duorum locorum quibus fulcire nituntur suam confessionem : nẽpe quia qui ad Iohannis Baptismum veniebant confitebantur sua peccata, & Iacobus vult vt alter alteri peccata confiteamur,lib.3,cap.4,sect.6.

Vsum confitendi Sacerdoti vetustissimum fuisse, sed liberum,vt politicam disciplinam, non vt legem à Christo vel Apostolis positam.deinde à Nectario Cõstantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo fuisse abrogatum, propter Diaconum qui hoc prætextu matronam compresserat. Hanc tyrannicam legem non fuisse impositam Ecclesiis ante Innocentii tertii tempora:(anni sunt trecenti)cuius constitutionis ineptiæ & verborum barbaries ostenditur,lib.3,cap.4,sect.7.

Abrogationis illius testimonia ex Chrysostomo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo,lib.3,cap.4,sect.8.

Expositio legis Innocentii de confessione omnium peccatorum : vbi recitantur Romanensium Theologorum variæ sententiæ de numero & vsu clauium, & de potestate ligandi & soluendi,lib.3,cap.4,sect.15.

Indignitas singulorum capitum legis confitendi,in primis illius de enumerandis omnibus peccatis, lib.3,cap.4,sect.16. Et luculenta descriptio carnificinæ qua per varios circuitus torquebantur illic miseræ conscientiæ,Ibidem,sect.17.

Similitudine describitur quomodo huiusmodi illusioni acquieuerit bona pars orbis. Legem esse impossibilem, & reddere homines hypocritas.Inde ostenditur certissima confessionis regula,proposito Publicani exemplo,lib.3,cap.4, sect.18.

Refutatio capitis illius, Non dimitti peccata nisi voto confitendi firmiter concepto, & clausam esse paradisi portam,&c.vbi etiam soluitur eorum obiectio, Non posse ferri iudicium nisi causa cognita. id est, dari absolutionem nisi enumeratis omnibus peccatis,Ibidem.

Non mirum esse si auricularem confessionem damnamus & abrogamus.& falsó aduersarios hoc ei vtilitatis tribuere, quòd erubescentia humiliet peccatorem, quum contrà ad peccandi confidentiam armet, lib.3,cap.4,sect.19.

Frustra illos obtendere clauium potestatem, quum non sint Apostolorum successores, nec Spiritum sanctum habeant:vt qui quotidie sine delectu soluant quæ ligari Dominus præcepit, & contrà,lib.3,cap.4,sect.20.

Quòd potestatem clauium aliquando exerceri posse sine scientia dicunt,falsum ostenditur : quum hoc modo incerta futura sit absolutio. Vbi etiã de absolutione vel damnatione quam Euangelii ministri vel Ecclesia pronuntiat ex verbo, & de illius certitudine,lib.3,cap.4,sect.21.

Absolutio Sacrificorum in Papatu est incerta tam à parte absoluentis quàm confitentis.contrà in Euangelica absolutione:quæ ab hac vna conditione pendet,Si peccator expiationem quærat in vno Christi sacrificio, & acquiescat oblatæ sibi gratiæ,lib.3,cap.4,sect.22.

Doctores Papisticos, dum prætexunt ius soluendi datum Apostolis,perperam ad auricularem confessionem torquere quæ à Christo dicta sunt partim de Euangelii prædicatione, partim de excommunicatione. Errores Lombardi & similiũ in hac re : & de modo remittendi cum iniunctione pœnæ & satisfactionis,lib.3,cap.4,sect.23.

Summa eorum quæ dicta sunt, quid sentire debeant pii de confessione auriculari,lib.3,cap.4,sect.24.

de vera Confessione.

Quod genus confessionis nobis verbo Dei traditum sit: nempe vt Deo confiteamur, cordium nostrorum & cogitationum omnium cognitori,lib.3,cap.4,sect.9.

Ex hac arcana confessione quæ fit Deo, sequi voluntariã apud homines confessionem,quoties id vel diuinæ gloriæ vel humiliationis nostræ interest.Et huius secundi generis ordinarium fuisse sub veteri populo essẽque hodie in Ecclesia vsum:sed tamẽ extra ordinem singulari modo vsurpari debere,siquando populum cõmuni aliquo delicto obstringi contigerit,aut aliqua calamitate affligi. Et de vtilitate huiusmodi confessionis,lib.3,cap.4,sect.10 & 11.

De duabus aliis priuatæ confessionis formis:quarũ prior nostra causa fit, quum consolationem à fratribus petimus, quia nos angit & affligit peccatorum sensus(qua in re ad pastores præcipuè recurrendum nobis est,& hoc remedio prudenter moderatéque vtendum,nequa seruitus introducatur) posterior,ad placandum & reconciliãdum proximum, siqua in re nostro vitio læsus fuerit. Sub quo genere comprehenditur confessio eorum qui vsque ad totius Ecclesiæ offensionem peccarunt,lib.3,cap.4,sect.12 & 13.

Clauium potestatem in tribus confessionis generibus locum habere:& de fructu qui inde ad confitentes redit, quòd sciunt à Christi legato sibi annuntiari peccatorum remissionem,lib.3,cap.4,sect.14.

Cõfessio peccatorum quædam generalis,quædam specialis,lib.3,cap.20,sect.9.

de Confirmatione Papali.

Ceremonia impositionis manuum, quum liberi fidelium, qui infantes fuerant baptizati,reddebant rationem fidei,lib. 4,cap.19.sect.4.

De Papistico Sacramento confirmationis subrogato in locum sanctæ illius institutionis,sect. 5. Porperam hic prætexi Apostolorum exemplum,sect.6.Blasphemia,dum vocant illud oleum salutis,sect.7.8. & iactant plenos Christianos non fieri nisi qui chrismati sunt Episcopali confirmatione,sect.9. Et hanc vnctionẽ maiori in veneratione habendã esse quàm Baptismum,sect.10.11.

Optandum vt reuocetur in vsum mos veteris Ecclesiæ in exigenda à pueris fidei ratione,lib.4,cap.19,sect.13.

de Conscientia.

Fiduciam suæ coram Deo iustificationis dum quærũt conscientiæ, debere ipsas totam Legis iustitiam obliuisci, lib 3, cap.19,sect.2.3.

Fidelium conscientias non quasi Legis necessitate coactas Legi obsequi,sed Legis ipsius iugo liberas voluntati Dei vltro obedire,lib.3,cap.19,sect.4.5.6.

De libertate conscientiæ in rebus externis & indifferentibus,lib.3,cap.19,sect.7.8.

Fidelium conscientias Christi beneficio libertatem adeptas eximi omnium hominum potestate : & quomodo id intelligendum.vbi etiam de regimine spirituali & politico:& quomodo distinguenda,lib.3,cap.19,sect.14.15.

Quid sit conscientia,& quo sensu dicat Paulus obediendum

dum esse magistratui propter cõscientiam,lib.3,cap.19, sect. 15.16.

Quid sit conscientia, & de distinctione vulgari inter externum & conscientiæ forum,lib.4,cap.10,sect.3&.5.

de Creatione mundi.

Quanquam ex rerum creatione Deus cognosci debeat,ne tamen ad Gentium figmẽta defluerent fideles, historiã creationis in Scriptura extare voluit,& tempus notari,lib.1, ca. 14, sectione 1. Vbi refutatur profana subsannatio eorum qui quærunt cur non citius Deo venerit in mentem cælum & terram condere,Ibid.

In eundem finem narrari,non vno momento,sed sex diebus absolutum fuisse opus:deinde ordinem describi, nempe non ante creatum fuisse Adam quàm Deus mundum omni bonorum copia locupletasset, lib.1, cap.14, sect.2,& 22.

Refutatio erroris Manichæi de duobus principiis,lib 5, cap.14,sect.3.

Dei notitiam, quæ in mundi opificio relucet, non posse per se nos perducere in rectam viam, probatur ex Scripturis,lib.1,cap.5,sect.13. Et tamen omni nos excusatione meritò excludi,sect.14.

Licet cæli terræque contemplatio & administrationis rerum humanarum consideratio nos ad Deum colendum solicitent,effluxerunt tamen ista sine vero profectu etiam sapientissimis philosophis,lib.1,cap.5,sect.10.

Hinc immensa deorum turba, hinc infinitæ & contrariæ inter philosophorũ sectas opiniones de Deo,lib.1, cap. 5,sect.11.

Dei essentia incomprehensibilis:sed in operibus suis certas gloriæ suæ notas insculpens visibilem se quodammodo exhibuit,lib.1, cap.5,sect.1.

Dei sapientiam testantur non tantùm ea quæ philosophi & eruditi homines speculantur in cælo & terra, sed etiam quæ plebeii solo oculorum adminiculo percipiunt, lib.1,cap.5, sect.2.

Vt vera fide apprehendamus quod de Deo scire refert,historiam creationis mundi operæpretium est tenere, qualiter à Mose est tradita, cuius summa capita breuiter recitãtur, lib.1,cap.14,sect.20.

Consideratio operum Dei (id est creationis rerum omnium) ad duos fines præcipuos debet referri. Primùm, vt quas in suis creaturis exhibet conspicuas virtutes, non ingrata vel incogitantia vel obliuione transeamus. lib. 1, cap. 14,sect.21. Deinde vt eas nobisipsis applicare discamus,quò nos ad ipsius fiduciam,inuocationem,laudem,amorem excitemus,lib.1,cap.14,sect.22.

de Crucis tolerantia.

Oportet nosipsos abnegemus ad crucem ferendam: quoniam Deus suos omnes sub cruce vult exercere, à Christo suo primogenito exorsus. quæ cum Christo societas iam magnam patientiæ & consolationis materiam suppeditat, lib.3,cap.8,sect.1.

Multis rationibus nobis esse necesse sub assidua cruce vitam degere.primum ad retundendam arrogantiam & vitium nostrarum confidentiam.eóque remedio opus habere etiam sanctissimos ostenditur Dauidis exemplo, lib. 3, cap. 8,sect.2. Hinc fiduciam nostram in Deum confirmari, & spem augeri.sect.3.

Deinde vt patientia nostra exploretur,& vt ad obedientiam erudiamur,sect.4. quod nobis maximè necessarium est, quum tanta sit carnis nostræ lasciuia ad excutiendũ Dei iugum simulatque liberaliter ille nos tractat,sect.5.

Aliquando etiam vt præterita delicta corrigat:in quo boni Patris officio erga nos fungi agnoscimus: contrà, infideles fiunt sæpe obstinatiores,sect.6.

Singularis consolatio, vbi pro iustitia patimur vel ignominiam,vel damnum, vel calamitatem quamuis: quæ crux maximè est propria fidelium.lib.3,cap.8,sect.7.

Quàm necesse sit in afflictionum acerbitate fideles hac cogitatione instrui,Deum diligere ipsos,vitiis autem eorum irasci,lib.3.cap.4,sect.34.

D

de Descensu Christi ad inferos.

Descensum Christi ad inferos rei maximæ mysterium continere, neque parui esse momenti ad redemptionis nostræ effectum.Huius partis diuersæ expositiones afferuntur & refutantur, lib.2,cap. 16,sect. 8.9 Genuina affertur ex verbo Dei,sancta,pia, & plena eximiæ consolationis (quæ etiam confirmatur veterum testimonio) Christum non tantùm corporea morte defunctum fuisse, sed etiam diuinæ vltionis seueritatẽ sensisse, quò & iræ ipsius intercederet,& satisfaceret iusto iudicio:itaque oportuisse eum cum inferorũ copiis æternæque mortis horrore quasi consertis manibus luctari. Neque tamen Deum fuisse vnquam illi vel aduersarium,vel iratum: sed diuinæ seueritatis grauitatem eum sustinuisse, quoniam manu Dei percussus & afflictus, omnia irati & punientis Dei signa expertus est, sectione 10.11. Refutantur nebulones quidam mali & indocti, qui hanc expositionem hodie exagitant, clamitantes Filio Dei fieri iniuriam, illique desperationem adscribi, quæ fidei contraria sit.Itaque contra eos manifestis testimoniis ostenditur optimè constare sibi hæc duo,verè Christum metuisse,turbatum fuisse spiritu,expauisse,tẽtatum fuisse per omnia sicut nos: & absque peccato tamen,sect.12.

de Deo.

Scriptura tradens Dei essentiam immensam esse & spiritualem, non tantùm vulgi deliria, sed etiam profanæ philosophiæ argutias,item Manichæorum errorem de duobus principiis, & Anthropomorphitarum de Deo corporeo euertit,lib.1,cap.13,sect.1.

Quo sensu dicatur Deus esse in cælis, & quæ inde doctrina colligenda, lib.3, cap. 20, sect.40.

Quid sit sanctificari Dei nomen,lib.3,cap.20,sect.41.

De regno Dei inter homines, eius progressu & plenitudine,lib.3,cap.20,sect,42.

De Dei notitia, vide in dictione Cognitio Dei.

de Diabolis.

Quæ de diabolis tradit Scriptura,eò ferè tendunt vt solicitissimus ad præcauendas eorum insidias, & iis armis nos instruamus quæ ad propulsandos potentissimos hostes satis sint firma,lib.1,cap.14,sect.13.

Quo autem ad id agendum magis excitemur, denuntiat non vnum aut alterum diabolum, sed magnas esse malorum spirituum copias quæ nobiscum bellum gerunt: & quo sensu diabolum numero singulari aliquando proponat, lib.1, cap.14,sect.14.

Ad perpetuum cum diabolo certamen accendere nos debet quòd aduersarius Dei & noster vbique dicitur, lib. 1, cap.14.sect.15.

Diabolus natura prauus, homicida, mendax, & omnis malitiæ architectus,lib.1, cap.14, sect.15. Sed hæc naturæ eius malitia non ex creatione est, verùm ex deprauatione,Ibidem,sect.16. De causa,modo,tempore, & specie lapsus angelorum malorum quærere curiosum est,quum Scriptura subticeat,Ibidem.

Hoc à seipso suaque nequitia habere diabolum, vt cupiditate & proposito Deo aduersetur:sed nihil facere & exequi posse nisi volente & annuente Deo,lib.1,cap.14,sect.17. Qui sic regimen hoc temperat vt Satanæ in animas fidelium regnum non permittat, quum semper in fine victoriam obtineant: (licet in quibusdam particularibus actibus vulnerentur & concidant) sed impios duntaxat illi gubernandos tradat, vt in eorum animis & corporibus imperium exerceat,Ibidem,sect.18.

Refelluntur qui nugantur diabolos nihil quàm malos affectus aut perturbationes esse:& testimoniis Scripturæ euincitur esse mentes vel spiritus sensu & intelligentia præditos,lib.1,cap.14,sect.19.

de Diaconis.

De Diaconis & eorum duobus generibus,lib.4,ca.3,sect.9

In vetere Ecclesia idem fuisse Diaconorum munus quod sub Apostolis.De Hypodiaconis & Archidiaconis, quando primùm creari cœperint,lib.4,cap.4,sect.5.

Quis bonorum Ecclesiasticorum vsus & qualis dispensatio in vetere Ecclesia,lib.4,cap.4,sect.6.7.

De Diaconis Papisticis,eorum functione,& ordinationis ceremonia,lib.4,cap.19,sect.32.

De Hypodiaconis Papisticis & eorũ nugatoria functione,& ridiculo initiandi ritu,lib.4.cap.19.sect.33.

De Diaconis Papisticis, eorum institutione.lib.4,cap.5. sect.15. Papistas nullam diaconiam reliquam habere, quũ tota opum Ecclesiasticarum administratio illic in sacrilegam deprædationem palàm sit conuersa,sect.16.18.19.

Refutatur impudentia quorundam Papistarum, qui luxum Sacerdotum totiusque Ecclesiæ Papalis dicunt esse splendorem regni Christi prædictum à sanctis Prophetis, lib.4,cap.5.sect.17.

de Disciplina.

Disciplinam rem esse maximè necessariam in Ecclesia, lib. 4, cap. 12, sect. 1.

De monitionibus priuatis, quod est primum disciplinæ Ecclesiasticæ fundamentum, lib. 4, cap. 12, sect. 24.

De senatu Ecclesiastico, id est senioribus qui morum censuræ præsunt vnà cum Episcopis, lib. 4, cap. 3, sect. 8.

Principes etiam vnà cum plebeiis debere subiici Ecclesiæ disciplinæ, & ita olim factum fuisse, lib. 4, cap. 12, sect. 7.

De veteri disciplina cleri, & prouincialibus synodis quotannis cogendis: hûneque ordinem sepultum esse in Papatu, nisi quòd eius vmbras nescio quas retinent, lib. 4, cap. 12, sect. 22.

E

de Ecclesia.

Ecclesia mater fidelium, lib. 4, cap. 1, sect. 1. 4. 5.

Expositio articuli Symboli, Credo sanctam Ecclesiam, &c. lib. 4, cap. 1, sect. 2. 3.

Sanctitatem Ecclesiæ nondum esse perfectam, lib. 4. cap. 3, sect. 12.

De Ecclesia inuisibili: item de visibili, cuius signa sunt syncera verbi prædicatio & Sacramẽtorum administratio, sect. 7. 8. 9. 10. 11. Vbicunque signa illa sunt ab ea nos societate discessionem non debere facere, sect. 12.

Vitii aliquid obrepere posse in doctrina vel Sacramentorũ administratione, propter quod non sit nobis abiicienda Ecclesiæ illius communio: & multo minus ob id vitæ imperfectionem & morum corruptelam: vbi taxantur Anabaptistæ, lib. 4, cap. 1, sect. 12. 13. 14. 15. 16, &c.

Ita sanctam esse Ecclesiam vt multis semper vitiis laboret, nec tamen desinat esse Ecclesia, Scripturæ testimoniis & seculorum omnium experientia ostenditur, lib. 4, cap. 1, sect. 17. 18. 19.

de Ecclesiæ potestate quoad fidei dogmata.

Quicquid authoritatis habet Ecclesia, id propriè non hominibus, sed verbo (cuius ministerium illis est commissum) dari. itaque nunquam licuisse Ecclesiæ aliud docere quàm quod à Domino acceperat, ostenditur Prophetarum & Apostolorum adeôque Christi exemplo, lib. 4, cap. 8, sect. 1. 2. 3. 4, & 8. 9.

Christum semper docuisse suam Ecclesiam: varias tamen tenuisse docendi rationes pro temporum diuersitate, ante Legem scriptam, sub Lege & Prophetis, & demum ipso manifestato in carne, lib. 4, cap. 8, sect. 5. 6. 7.

de falsa Ecclesia.

Vbi regnum occupauit mendacium & falsitas, illic non esse Ecclesiam: quod ostenditur reperiri sub Papismo, licet ibi iactetur perpetua Episcoporum successio, lib. 4, cap. 2, sect. 1. 2. 3. 4.

Non esse hæreticos aut schismaticos qui à Papatu deficiunt, lib. 4, cap. 2, sect. 5. 6.

Vt maximè extenuare quis velit vitia Ecclesiæ Papisticæ, non tamen esse meliorem eius statum quàm fuit in regno Israel sub Iarobeam, lib. 4, cap. 2, sect. 7. 8. 9. 10.

Manere tamen Dei benignitate in Papatu vestigia quædã Ecclesiæ, & ita impleri quod scriptum fuit, Antichristũ sessurum in templo Dei. lib. 4, cap. 2, sect. 11. 12.

Comparatio potestatis quam habet vera Ecclesia in docendo, cũ tyrannide Papæ & suorum in condendis fidei nouis articulis, lib. 4, cap. 8, sect. 10.

De axiomate Papistarum, Errare non posse Ecclesiam, lib. 4, cap. 8, sect. 13.

Falsum esse, oportuisse Ecclesiam addere scriptis Apostolorum, lib. 4, cap. 8, sect. 14. 15. 16.

Refutantur argumenta quibus Papistæ confirmant datam esse potestatem Ecclesiæ vt cudat nouos fidei articulos, lib. 4, cap. 8, sect. 11. 12.

de Episcopis.

Episcopi nomen in vetere Ecclesia attributum vni alicui in singulis ministrorum collegiis, politiæ causa, non autem vt in alios dominationem exerceret, lib. 4, cap. 4, sect. 2.

Tam Episcopi quàm reliquorum Presbyterorum partes fuisse, incumbere prædicationi & Sacramentorum administrationi, lib. 4, sect. 3.

Veterem Ecclesiam fere obseruasse præscriptum Apostolorum in ministrorũ vocatione, lib. 4, cap. 4, sect. 10. 11. 12. 13.

Quo ritu post electionem initiarentur veteris Ecclesiæ ministri, sect. 14. 15.

De ceremonia ordinationis verorum Presbyterorũ, lib. 4, cap. 19, sect. 28.

Sæpe corruptissimum fuisse in Ecclesia ordinem Sacerdotum, Prophetarum & pastorum, lib. 4, cap. 9, sect. 3. 4. 5.

Non esse sine exceptione obediendum pastoribus Ecclesiarum, sed in Domino & verbo eius, lib. 4, cap. 9, sect. 12.

Qui & quales creentur in Papatu. lib. 4, cap. 5, sect 1.

Ius populi sublatum in eligẽdo, violatósque canones antiquos, sect. 2 & 3.

Quales presbyteri creentur in Papatu, & ad quid, lib. 4, cap. 5, sect. 4. 5.

De beneficiorum collationibus in Papatu, lib. 4, cap. 5, sect. 6. 7.

Quàm fideliter munus suum exerceãt Sacerdotes omnes in Papatu, siue sint Monachi, siue seculares, vt Canonici, Decani, &c. Parochiarum rectores, Episcopi, lib. 4, cap. 5, sect 8. 9 10. 11.

Negligentia eorum qui Ecclesiis præerant tempore Gregorii & Bernardi, lib. 4, cap. 5, sect. 12.

Tota facies gubernationis Ecclesiasticæ quæ hodie est sub Papismo, est velut spoliarium, in quo sine lege & modo latrones grassantur, lib. 4, cap. 5, sect. 13.

De dissoluta in omnibus vitæ partibus licentia Sacerdotum, Episcoporum, &c. in Papatu, lib. 4, cap. 5, sect. 14.

de Euangelio.

Christum quãuis sub Lege Iudæis cognitus fuerit, tamen Euangelio demum exhibitum fuisse & sanctos Patres delibauisse gratiam quæ hodie nobis plena abundantia offertur: vidisse diem Christi, licet obscuriore intuitu: cuius nunc gloria nullo interposito velo in Euangelio refulget, lib. 2, cap. 9, sect. 1. 2. Vbi etiam ostenditur Euangelium propriè & specialiter vocari promulgationem exhibitæ in Christo gratiæ, non quæ de peccatorum remissione apud Prophetas extant promissiones.

Contra Serueti dogma (qui eo prætextu quòd fide Euangelii habemus promissionum omnium complemẽtum, abolet promissiones) ostenditur, quanuis præsentem spiritualium bonorum plenitudinem nobis in Euangelio Christus offerat, fruitionem tamen sub custodia spei semper latere quandiu hîc viuimus: ideóque in promissiones adhuc nobis recumbendum, lib 2. cap. 9, sect. 3.

Cõuincitur eorum error qui Legem nunquam aliter Euangelio conferunt, quàm operum merita gratuitæ imputationi iustitiæ, lib 2, cap. 9, sect. 4.

Iohannem Baptistam habuisse munus medium inter Prophetas Legis interpretes, & Apostolos Euangelii præcones, lib. 2, cap. 9, sect. 5.

de Excommunicatione.

Quid sit potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ, quàm necessaria, & antiqua, lib. 4, cap. 11, sect. 1 & 4.

De potestate ligandi & soluendi quatenus ad disciplinam pertinet: vbi de excommunicatione, lib. 4, cap. 11, sect. 2. distinctam esse hanc Ecclesiæ potestatem à ciuili, & alteram alteri esse adiumento: itaque falsò quosdam existimare locum illi non esse vbi Christiani sunt Magistratus, lib. 4, cap. 11, sect. 1. 3. 8. & statum ac perpetuum esse hunc ordinẽ in Ecclesia, non temporarium, sect. 4.

De recto vsu huius iurisdictionis in veteri Ecclesia, & nõ fuisse penes vnum hanc potestatem, sed penes consessum seniorum, lib. 4, cap, 11, sect. 5. 6, & cap. 12. sect. 7.

De Ecclesiæ excommunicatione, illiúsque authoritate, lib. 4, cap. 12, sect. 4.

Tres fines quos spectat Ecclesia in correctionibus & excommunicatione. lib. 4, cap. 12, sect. 5.

De disciplina Ecclesiæ exercenda pro ratione peccatorũ, quum alia sint priuata, alia publica: item alia delicta, alia scelera, lib. 4, cap. 12, sect. 3. 4. 6

In excommunicatione seueritatem moderatam esse debere: & in hac parte notatur immodica veterum austeritas, lib. 4. cap. 12, sect. 8.

Priuatus etiam quisque excommunicatos debet alienos iudicare ab Ecclesia, sed non pro desperatis habere, & pro virili contendere vt in viam redeant, lib. 4, cap. 12, sect. 9. 10.

Si collegium seniorum minus diligenter vitia corrigat, aut ipsi Pastores nequeant ex animi sui voto omnia repurgare, non tamen debere priuatos facere discessionem ab Ecclesia, aut Pastores ministerium abiicere, lib. 4, cap. 12, sect. 11.

Contra Donatistarum veterum & nostrorum Anabaptistarum morositatem, qui nullum cœtum Christi esse agnoscunt,

scũt, nisi in quo omni ex parte reluceat Angelica perfectio, lib.4, cap 12, sect.12.

Si contagio peccati alicuius totam multitudinem inuaserit, temperandam esse misericordia disciplinæ seueritatem, ne exitium corpori afferatur, lib.4, cap.12, sect.13.

F

de Fide.

Fidei nomen aliter sumptum à sacris scriptoribus quàm à profanis, lib.4, cap.12, sect.13.

Deum esse fidei obiectum, quomodo intelligi debeat, lib. 2, cap.6, sect.4.

De fide: vbi reprehenduntur Sophistæ, qui hac voce nihil aliud concipiunt quàm vulgarem Euangelicæ historiæ assensum, & simpliciter Deum obiectum fidei vocant, Christũ interim omittentes, sine quo nulla fides, nullúsque ad Deum accessus. lib.3, cap.2, sect.1.

Impugnatur scholasticorum dogma de fide implicita, quũ fides requirat explicitam diuinæ bonitatis agnitionem, in qua consistit nostra iustitia, sect.2.

Fidem quidem nostram, quandiu in mundo peregrinamur, implicitam esse multis ignorantiæ reliquiis, & in cunctis semper fidei mixtam incredulitatem (cuius rei multa exempla notantur in Christi discipulis, antequam ad plenam illuminationem venissent) nihilominus tamen verissimum illud esse, semper cum fide coniunctam esse intelligentiam, sect.3.4.

Quandam esse Christi obseruantiam, & docilitatem cum proficiendi desiderio, quæ ornatur fidei titulo, quum tamen hic tantùm præparatio ad fidem: & eam posse vocari fidem implicitam, longè tamen distare à Papistarum commento, sect.5.

Veram fidem, siue Christi cognitionem esse quum eum suscipimus qualis à Patre offertur, nempe Euangelio suo vestitum: & mutuam esse fidei relationem cum verbo: quia verbum fons est fidei, basis fidei, & speculum in quo Deum fides intuetur, sect.6.

Fidem, licet omnibus partibus verbi Dei subscribat, priè tamen in eo respicere Dei beneuolẽtiam & misericordiam, id est gratię promissiones in Christo fundatas, in quarum intelligẽtiam & certitudinem mentes illuminat & corda confirmat Spiritus. Inde cõcluditur fidei definitio, sect.7.

Refutatur Sophistarum distinctio fidei formatæ & informis: vnde apparet eos de singulari Spiritus dono nunquam cogitasse, quum fides à pio affectu nullo modo possit distrahi, sect.8.

Fidei vocabulum diuersas habere significationes, & sumi interdum pro facultate edendorum miraculorum (quo dono Dei pollent aliquando impii) aliquando abusiuè pro ea notitia Dei quæ in quibusdam impiis cernitur, quæ potius vmbra & imago est fidei, cuius diuersæ formæ in ipsis cernuntur, sect 9.10.

Reprobos interdum etiam simili ferè sensu atque electos affici, non tamen solidè percipere vim spiritualis gratiæ, sed tantùm confusè. idipsum nihilominus esse operationẽ quãdam Spiritus inferiorem, sed longè distare sensum hunc à peculiari testimonio quod reddit electis, sect.11.

Neque tamen fallacem esse Spiritum, quum leuiter tingit interdum Euangelii notitia reprobos, & Diuini amoris sensu, qui postea euanescat. Aliquando etiam in cordibus eorum excitari mutui quoddam erga Deum amoris desiderium, sed qui mercenarius sit, nõ syncerus. Concluditur tãdem quosdam esse qui fidem non simulant, qui tamen vera fide carent, quod rursus probatur Scripturæ testimoniis, sect. 12. & à Scriptura eiusmodi sensum vocari fidem, licet impropriè, sect.13.

Fidem nonnunquam accipi pro sana pietatis doctrina, & tota eius summa: aliquando contrà, restringi ad particulare aliquod obiectum: aliquando referri ad Ecclesiæ ministerium, sect.13.

Optima ratione fidem vocari Agnitionem & Scientiam: & tamen esse eiusmodi notitiã quæ certitudine magis quàm apprehensione constet: quum omnibus modis sit infinitũ quod mens nostra fide complectitur, lib.3, cap.2, sect.14.

Fidem non esse contentam dubia opinione aut obscura conceptione, sed plenam fixámque certitudinem requirere: eóque referenda esse tot elogia quibus verbo Dei authoritatem asserit Spiritus sanctus, lib.3, cap.2, sect.15.

Permultos ita misericordiam Dei concipere vt quàm minimum inde consolationis recipiant, quia dubitant an sibi sit misericors futurus: sed longè alium esse sensum πληροφορίας fidei, cuius præcipuus cardo est ne promissiones gratiæ extra nos tantùm veras esse arbitremur, sed potius eas intus complectendo nostras faciamus. Inde colligitur quis verè fidelis dici possit, lib.3, cap.2, sect.15.16.

Quòd fideles in recognoscenda erga se Dei bonitate non modò sæpe tentantur inquietudine, sed grauissimis etiam terroribus interdum quatefiunt, non obstare quin fides certitudinem secum afferat: quia qualemcunque in modum afflictentur, nunquam tamen decidunt ac desciscunt à certa illa quam de misericordia Dei conceperunt fiducia: sed cum propria infirmitate certantes semper tandem emergunt. quod multis in Dauide exemplis ostenditur, lib.3 cap.2. sect. 17. Describitur conflictus carnis & spiritus in anima fideli, sect.18.

Diuinæ beneuolentiæ certitudo, lib.2, cap.2, sect.18.

Refutatur pestilentissima quorundam semipapistarum philosophia, qui licet fateantur nos, quoties in Christum respicimus, inuenire plenam bene sperandi materiam, volũt tamen nostræ indignitatis intuitu nos fluctuari & hæsitare: ostenditúrque certam nos nihilominus salutem expectare debere, quum mirabili quadam communione Christus in vnum corpus nobiscum in dies magis ac magis coalescat, lib.3, cap.2, sect.24.

Vbi primùm vel minimam fidei guttulam habemus, Deum nobis propitium contemplari incipimus, procul quidem & eminus, sed ita certo intuitu vt sciamus nos minimè hallucinari. Vtrunque confirmatur Pauli testimoniis, lib.3, cap. 2, sect.19.20.

Exemplis ostenditur quomodo ad impetus tentationum sustinendos fides se verbo Domini armat & munit, nec sibi diuinæ misericordiæ fiduciam excuti vnquam patiatur pia mens, quanuis multis incredulitatis & diffidentiæ reliquiis oppugnetur, lib.3, cap.2, sect.21.

In diuina beneuolentia (quam respicere dicitur fides) licet sibi præcipuè proponat vitæ æternæ certam expectationem, contineri tamen promissiones vitæ etiam præsentis, solidámque bonorum omnium securitatem, sed qualis è verbo percipi potest. Vtrunque Scripturæ testimoniis confirmatur, lib.3, cap.2, sect.28.

Fidem, licet Dei verbũ omni ex parte amplectatur, (hoc est in mandatis etiam & interdictis ac minis) fundamentum tamen & proprium scopum habere in gratuita misericordiæ promissione: atque hac ratione Euangelium dici verbum fidei, opponíque Legi, lib.3, cap.2, sect.29. Neque tamen hac distinctione fidem lacerari à nobis, vt impudẽter calumniatur Pighius, sect.30.

Fidem non minus verbo Dei opus habere, quàm fructum viua radice arboris, & cum verbo coniungendam esse Diuinæ potentiæ considerationem, sine qua illud aures malignè admittent, vel non æstimabunt iusto pretio. Potentiam autem effectualem considerandam ex operibus videlicet Dei, & ex beneficiis eius vel particularibus, vel vetustis, & toti Ecclesiæ collatis, lib.3, cap.2, sect.31.

Fideles nonnunquam ita agere vt eorum fidei errores aliqui sint permixti & videantur verbi fines excedi, sic tamen vt illa primatum semper teneat, Saræ & Rebeccæ exemplis ostenditur: quàs in obliquis animi sui deflexionibus arcano Deus fræno in verbi obedientia retinuit, Ibidem.

Propter cæcitatem peruicaciámque nostram verbũ non sufficere ad fidem, nisi Spiritus Dei mentem nostram illuminet, & virtute sua cor confirmet: eúmque non tantùm inchoatorem esse fidei, sed eam etiam augere per gradus, lib.3. cap. 2, sect. 33. Licet αὐτοπίστατον plerisque videatur neminem posse in Christum credere nisi cui donatum sit: verissimum tamen esse ostenditur rationibus, testimoniis Scripturæ, & exemplis. Ibid. sect.34. Propterea fidẽ vocari Spiritum fidei, opus & beneplacitum Dei: donúmque esse singulare, quod impertit singulari priuilegio quibus vult: vt confirmatur egregiis sententiis ex Augustino sumptis. Ibid. sect.15.

Non satis esse mentem illuminari verbi intelligentia, nisi etiam in cor ipsum verbi certitudo transfundatur. quorum vtrunque Spiritus operatur: qui propterea & sigillum, & arrha, & Spiritus promissionis dicitur, lib.3. cap.2, sect.36.

Licet variis dubitationibus impellatur fides, semper tamen ipsam emergere tandem ex tentationum gurgite, & quietem suauissimam concipere, lib.3. cap.2, sect.37.

Impugnatur perniciosum scholasticorum dogma, Nos de gratia Dei erga nos aliter statuere non posse quàm ex coniectura morali, lib.3, cap.2, sect.38. Miserrimæ cæcitatis arguuntur quòd temeritatis esse dicant nos concipere in-

dubitatam diuinæ voluntatis notitiam. Inferitur egregia antitheſis iſtorum & Pauli in hoc dogmate, Ibidem, ſect.39. Refutatur eorum friuola tergiuerſatio, Etiamſi ſecundum præſentem iuſtitiæ ſtatum de gratia Dei iudicium nobis ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeuerantiæ notitiam. Ibid. ſect.40.

Oſtenditur definitio fidei tradita hoc capite, ſect.7, bene conuenire cum ea quæ habetur apud Apoſtolum, Hebr. cap. 11. Et teſtimonio Bernardi refellitur ſcholaſticorum deliramentum, charitatem fide ac ſpe priorem eſſe, lib.3, cap.2, ſect.41.

Ex fide ſemper gigni ſpē,& hanc illius comitē eſſe indiuiduam, adeo vt qui ſpe careat, fidem etiam nullam habere conuincatur: item, fidem ſpe ali & confirmari: & quàm neceſſaria ſint ſpei ſubſidia ad fidem ſtabiliendam, quæ tot tentationum formis impetitur, lib.3, cap.2, ſect.42.

Propter hanc coniunctionem & affinitatem ſpei cum fide, Scripturam hæc vocabula nonnunquam confundere, aliquando ſimul iungere. Refutatur Petri Lombardi error, qui duplex fidei fundamentum ponit, nempe gratiam Dei & operum meritum, lib.3, cap.2, ſect.43.

De imperfectione fidei, & illius confirmatione & augmēto, lib.4, cap.14, ſect.7.8.

De ſumma Fidei noſtræ, quam Symbolum Apoſtolorum vocamus, lib.2, cap.16 ſect.18.

Concluſio cap.16, in qua ſummatim comprehenduntur bona quæ ad nos redeunt ex iis quæ de Chriſto recitantur in Symbolo Apoſtolorum quod vocant, ſect.19.

de Furto.

Expoſitio octaui præcepti. vbi de variis furtorum generibus, & quibuſdam quæ licet aliter iudicent homines, apud Deum tamen furta cēſentur adeóque eum qui non exequitur quod ex ſuæ vocationis munere aliis debet, furem eſſe, lib.2, cap.8, ſect.45. Quid præſtare nos oporteat, vt pareamus huic mandato, oſtenditur variis exemplis, pro ratione perſonarum & diuerſarum functionum, Ibidem, ſect.46.

H

de Homine.

Homo ſui agnitione non tantùm inſtigatur ad quærēdum Deum, ſed quaſi manu ducitur etiam ad reperiendum, lib.1, cap.1, ſect.1.

Hominis creatio egregium ſpecimen potentiæ, bonitatis & ſapientiæ Dei: vnde μικρόκοσμος à quibuſdam philoſophis dictus, lib 1, cap.5, ſect.3. Hominum ingratitudo, qui Dei prouidentiæ ſigna & in anima & in corpore ſentientes, Deo non dant laudem, lib.1, cap.5, ſect.4.

Duplex noſtri cognitio: nempe in prima origine, & poſt Adæ lapſum. & hanc illa prætermiſſa non accipiendam, ne videamur corruptionem referre ad Deum naturæ authorem, lib.1, cap.15, ſect.1

Homini maximè neceſſaria ſuiipſius recta cognitio: quæ in hoc ſita eſt (quemadmodum præſcribit Dei veritas) vt primùm reputans quem in finem ſit creatus, & donis non contemnendis præditus, totus à Deo pendeat, à quo precariò tenet omnia: deinde miſeram ſuam poſt Adæ lapſum conditionem expendens, verè ſibi diſpliceat, & nouum concipiat quærēdi Dei ſtudium, vt in eo recuperet bona quorum prorſus inanis & vacuus deprehenditur. Itaque cauendum ne hîc iudicio carnis philoſophorúmque libris auſcultemus: qui dum nos reputandis tantùm bonis noſtris detinent, in peſſimam noſtri ignorationem abriperent, lib. 2, cap. 1, ſectione 1.2.3.

Homo nunquam ad puram ſui notitiam peruenire poteſt, niſi prius Dei faciem ſit contemplatus. id eſt, ex verbo cognoſcere & expendere cœperit qualis ſit & quàm exacta iuſtitiæ, ſapientiæ & virtutis eius perfectio, ad quam nos conformari oportet, lib.1, cap.1, ſect.2.

Sanctiſsimi etiam homines, quoties Deus illis extra ordinem manifeſtauit præſentiam & gloriam ſuam, horrore & ſtupore perculſi fuerunt, lib.1, cap.1, ſect.3.

Totum hominem corruptum eſſe vtraque ſui parte (id eſt & mente & corde, ſiue voluntate) probatur ex variis elogiis quibus illum deſcribit Scriptura, maximè quum carnem eſſe dicit: & oſtenditur hanc vocem non referri tantùm ad ſenſualem, ſed etiam ad ſuperiorem animæ partem, lib.2, cap.3, ſect.1. Fruſtra homines in ſua natura aliquid boni requirere probatur ex Paulo, qui de vniuerſa filiorum Adam natione agens, nec alicuius ſeculi deprauatos mores taxans, ſed perpetuam naturæ corruptionem accuſans, hominibus adimit iuſtitiam, id eſt integritatem & puritatem, deinde intelligentiam, & poſtremò Dei timorem, lib.2. cap.3, ſect.2.

Diluitur obiectio de profanis quibuſdam hominibus, qui quum natura duce tota vita ad virtutem & honeſtatis ſtudium fuerint intenti, monere nos videtur ne hominis naturam in totum vitioſam putemus. Itaque oſtenditur naturæ peruerſitatem, qua vndique pollutus eſt homo, Deum non quidem pungare intus (quod facit in electis) ſed tamen ſua prouidentia aliquando refrænare in incredulis, ne in actum erumpat, & cohibere variis rationibus, quatenus expedire nouit ad conſeruandam rerum vniuerſitatem, lib.2, cap.3, ſect.3. Et quæ leguntur in profanis quibuſdam emicuiſſe virtutes, non eſſe idonea argumenta puritatis naturæ, quum animus intus fuerit prauus, ambitione aut alio veneno corruptus, non ſtudio illuſtrandæ Dei gloriæ directus: & quum non ſint communes naturæ dotes, ſed ſpeciales Dei gratiæ, quas variè & ad certum modum profanis alioqui hominibus diſpenſat, vt ſæpe regibus, nonnunquam etiam priuatis quibuſdam, lib.2, cap.3, ſect.4.

de Humilitate.

Veram humilitatem non eſſe (quam à nobis exigit Deus) niſi omni nos bono & iuſtitia penitus vacuos agnoſcimus, lib.3, cap.12, ſect.6. Cuius humilitatis exemplum oſtenditur in Publicano, ſect.7.

Vt Chriſti vocationi locū demus, faceſſere à nobis oportere tum arrogantiam tum ſecuritatem, lib.3, cap.12, ſect 8.

Non eſt periculum ne ſibi nimium adimat homo, dummodo recuperandum in Deo diſcat quod ſibi deeſt. Verbum eſt diabolicum, licet nobis dulce, quod hominem in ſeipſo erigit: ad quod repellendū recitantur ex Scriptura multæ graues ſententiæ, quæ hominem ſeuerè proſternunt: item promiſsiones, quæ non aliis gratiam promittunt quàm tabeſcētibus ſuæ paupertatis ſenſu, lib.2, cap.2, ſect.10. Item egregiè quædam dicta de humilitate vera à Chryſoſtomo & Auguſtino, lib.2, cap.2, ſect.11.

I

de Idolis.

Scriptura Deum certis epithetis & notis inſignit, non vt vni loco aut populo alliget, ſed vt ſacrum eius numen ab idolis diſcernat. lib.2, cap.8, ſect.15.

Primi præcepti expoſitio: vbi oſtenditur, adorationem, fiduciam, inuocationem, gratiarum actionem Deo in ſolidum competere: eorúmque ne tāntillum quidem aliò deriuari poſſe ſine ipſius graui iniuria, cuius oculis omnia patent, lib. 2, cap. 8, ſectione 16. Secundi præcepti expoſitio: vbi de idolis & imaginibus, lib.2, cap.8, ſect.17. Scripturam vt ad verum Deum nos deducat, diſertè excludere deos omnes Gētium, lib.1, cap.10 ſect.3, & maximè idola ac ſimulachra omnia, lib.1, cap.11, ſect.1. Deum ab idolis diſcerni, nō tantùm vt ſolus Dei nomen obtineat, ſed vt ſolus in ſolidum colatur, nec aliò tranſferatur quicquid in diuinitatem competit, lib.1, cap.12, ſect.1. Impio mendacio corrumpi Dei gloriam quoties ei forma vlla affingitur, lib.1, cap.11, ſect.1. Simpliciter Deo diſplicere omnes ſtatuas & imagines quæ fiunt ad eum figurandum, probatur teſtimoniis & rationibus, lib.1, cap.11, ſect.2. neque ad Iudæos tantùm pertinuiſſe eam prohibitionem, Ibidem.

Sic Deum certis ſignis viſibilibus præſentiam ſuam olim oſtendiſſe vel toti populo vel quibuſdam ſelectis, vt eadem ſigna monerent eos de incomprehenſibili Dei eſſentia, lib. 1. cap.11, ſect.3. Inſanire Papiſtas qui ſimulachra Dei & ſanctorum defendunt exemplo Cherubim operientium propiciatorium, oſtenditur vel Iuuenalis teſtimonio, lib.1, cap.11, ſect.3.

Simulachra non eſſe deos materia ipſa oſtendit, item fabricatio, quæ manibus hominum perficitur, lib.1, cap.11, ſect.4.

Contra Græcos, qui Deum non ſculpunt, ſed pingere ſibi permittunt, lib.1, cap.11, ſect.4.

Gregorii dictum (quo niti ſe dicūt Papiſtæ) imagines eſſe libros idiotarum, refutatur teſtimoniis Ieremiæ & Habacuc, Lactantii, Euſebii, Auguſtini, Varronis, & decreto Concilii Elibertini, lib.1. cap.11, ſect.5.6.7.

Papiſtarum ſtatuas vel picturas quibus ſanctos martyres & pias virgines repræſentant, perditiſſimi luxus & obſcœnitatis exemplaria, lib.11, cap.11, ſect.7 & 12.

Ex verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione multo plus diſcet populus quàm ex mille crucibus lignеis, lib.1, cap.11, ſect.7.

Idololatriæ vetuſtas & origo, quòd homines Deum ſibi adeſſe non credentes, niſi carnaliter ſe præſentem exhibeat, erexe-

erexerunt signa in quibus ipsum sibi præ oculis carnalibus obuersari credebant, lib.1, cap. 11, sect.8. Tale figmentum sequitur protinus adoratio simulachri, sicut Dei aut alterius creaturæ in simulachro. quorum vtrunque Lex Dei prohibet, sect.8.9.

Cõtra eos qui ad defensionẽ execrabilis idololatriæ prætexunt, se non reputare imagines pro diis, ostenditur neque Iudæos vitulum, neque Ethnicos simulachra sibi fabricantes, existimasse illa Deum esse: quos tamen nemo excusare sustineat, lib.1, cap.11, sect.9.

Papistas nõ minus quàm Ethnicos & idololatras Iudæos, persuasos esse se Deum ipsum colere sub simulachris ostenditur, lib.1, cap.11, sect.10. neque ipsos elabi posse distinctione sua duliæ & latriæ, Ibidem, sect.11 & 16, & cap.12, sect.2. Quum idololatria damnatur, non repudiari prorsus sculpturam & picturam, sed requiri purum & legitimum vtriusque vsum, adeóque ne Deus effingatur visibili specie, sed ea tantùm quorum capaces sint oculi, lib.1, cap.11, sect.12.

De imaginibus in templis Christianorum, lib. 4, cap. 9, sect.9.

Etiam idololatræ omnibus seculis naturaliter senserunt vnicum esse Deum: sed hic sensus non vltrà valuit nisi vt essent inexcusabiles, lib.1, cap.10, sect.3.

Idololatria amplum est documẽtum Dei notitiã omnium mentibus naturaliter esse inditam, lib.1, cap.3, sect.1.

de Ieiunio.

De ea parte disciplinæ Ecclesiasticæ quæ est de indicendis ieiuniis, aut precibus extraordinariis: & quomodo id facere debeant pastores, lib.4, cap.12, sect.14.16.17. Prouidẽdum nequid in ieiunio obrepat superstitionis, sect.19.

Sanctum & legitimum ieiunium tres habet fines, lib.4, ca. 11, sect.15. Ieiunii definitio, lib.4, cap.12, sect.18.

De quadragesimæ superstitione & varia ieiunii illius obseruatione, lib.4, cap.12, sect.20.21.

de Imagine Dei in homine.

Quid sit hominem creatum esse ad imaginem Dei: vbi refutantur futiles expositiones Osiandri & aliorum quorundam: ac ostenditur, quanuis Dei imago reluceat etiam in homine externo, & extẽdatur ad totam præstantiam qua eminet hominis natura inter omnes animantium species, primariam tamen eius sedem in mente & corde, vel in anima eiusque potentiis esse, lib.1, cap.15, sect.3, lib.2, cap.2, sect.1.

Imaginem Dei initiò conspicuam fuisse in Adamo, in luce mentis, cordis rectitudine, & partium omnium sanitate, probatur ex reparatione corruptæ naturæ, qua Christus nos reformat ad imaginem Dei, & aliis argumentis, lib.1, cap.15. sectione 4.

de Impositione manuum.

De impositione manuum in ordinandis ministris, lib. 4, cap.14, sect.20.

De impositione manuum in creandis Sacerdotibus Papisticis, lib.4, cap.19, sect.31.

de Indulgentiis.

Quòd tandiu salutæ constiterint indulgentiæ, argumento esse quàm alta errorum nocte aliquot seculis immersi fuerint homines, lib.3.cap.5, sect.1.

Quid sint indulgentiæ ex Papistarum doctrina: vnde conuincitur esse profanationem sanguinis Christi. Egregia antithesis Christi & indulgentiarum Papalium, lib.3, cap.5, sectione 1.

Confoditur impium dogma indulgentiarum egregiis sententiis Leonis Romani Episcopi & Augustini: ostenditúrque sanguinem Martyrum non esse infructuosum, licet nullum locum habeat in remissione peccatorum, lib. 3, cap. 5, sect.3 & 4.

Aut mendax Dei Euangelium esse oportere, aut mendaces indulgentias, ostẽditur: & quæ earum origo fuisse videatur, lib.3, cap.5, sect.5.

de Iudiciis forensibus.

De iudiciorum, magistratuum & legum vsu inter Christianos. Licere Christianis coram magistratu ius suum persequi, modò id illæsa pietate & charitate proximi fiat, lib.4, ca.20, sect.17. 18. Vindictæ cupiditatem semper fugiendam, siue actio sit ciuilis, siue criminalis, qua contenditur coram iudice, sect.19. Præceptum Christi de pallio permittendo ei qui tunicam auferat, & similia, non repugnare quominus Christianus coram magistratu litiget, & eius ope vtatur ad rerum suarum conseruationem, sect.20. Paulum non damnare in vniuersum lites, sed reprehendere immodicum litigandi furorem in Corinthiis, sect.21.

de Iudicio vltimo.

De visibili præsentia Christi quũ apparebit supremo die: de iudicio viuorũ & mortuorum: meritóque ad diei illius cogitationem reuocari fidem nostram, & de egregia consolatione quæ inde conscientiis nostris oritur, sect.17.18.

De incomprehensibili grauitate diuinæ vltionis in reprobos, lib.3, cap.25, sect.12.

de Iuramento.

Expositio tertii præcepti: quo tria hæc continentur, Ne quid de ipso Deo cogitemus aut loquamur nisi reuerenter, nequid etiam de eius verbo & adorãdis mysteriis, nequid postremò de eius operibus, lib.2, cap.8, sect.22.

Iuramenti definitio: vbi ostenditur speciem esse cultus diuini: ideóque cauendum ne iuramenta nostra contineant cõtumeliam in nomen Dei, quod fit peierando: vel contẽptum eius, quod fit in superuacuis iuramentis, aut quibus alterius quàm Dei nomen adhibetur, lib.2, cap.8, sect.23.24.25.

Contra Anabaptistas probatur ex Scriptura non omnia iuramenta nobis interdici, Christúmque in Euangelio nihil mutasse quo ad regulam iurisiurandi in Lege præscriptam, lib.2, cap.8, sect.26. quod ipsius etiam exemplo confirmatur: nec solùm publica, sed priuata etiam iuramenta permissa esse, obseruata moderatione quam Lex iubet, Ibidem, sect.27.

de Iustificatione fidei.

De iustificatione fidei, ac primò de ipsa nominis & rei definitione, lib.3 cap.11.

Maximi esse momenti caput doctrinæ de iustificatione fidei, lib.3, cap.11, sect.1.

Quid sit iustificari operibus, quid item fide, ostenditur ex Scriptura, lib.3, cap.11, sect.2.3.4.

Refutatur Osiandri delirium de essentiali iustitia, quod homines serio gratuitæ Christi gratiæ sensu priuat, lib.3, ca. 11, sect.5.6.7, & seq. vsque ad 13.

Refellitur Osiandri commentum, Quum Deus & homo sit Christus, respectu diuinæ naturæ nõ humanæ factum nobis esse iustitiam, lib.3, cap.11, sect.8.9.

Contra eos qui iustitiam imaginantur ex fide & operibus conflatam, ostenditur, altera stante alteram necessariò euerti, lib.3, cap.11, sect.13.14.15.16.17.18.

Ex Scriptura probatur contra sophistas firmum esse axioma, Nos sola fide iustificari, lib.3, cap.11, sect.19.20.

Confirmatur Scripturæ testimoniis, iustitiam fidei esse reconciliationem cum Deo, quæ sola peccatorum remissione constet, lib.3, cap.11, sect.21.22.

Sola intercessione iustitiæ Christi nos obtinere vt coram Deo iustificemur, lib.3, cap.11, sect.23.

Vt seriò nobis persuadeatur gratuita iustificatio, ad Dei tribunal tollendas esse mentes: coram quo nihil est acceptũ nisi omni ex parte integrum & absolutum, cuius tremenda maiestas describitur ex variis Scripturæ locis, lib.3, cap. 12, sect.1.2.

Pios omnes scriptores ostendere, vbi sibi cum Deo negotium est, vnicum conscientiæ asylum esse in Dei gratuita misericordia, excluſa omni operum fiducia: demonstratur testimoniis Augustini & Bernardi, lib.3, cap.12, sect.3.

Duo esse in gratuita iustificatione obseruanda: nempe vt Domino constet illibata sua gloria: quod fit vbi solus ipse iustus agnoscitur: quoniam aduersus Deum gloriantur qui in se gloriantur, lib.3, cap.13, sect.1.2. Deindè vt conscientiis nostris coram ipsius iudicio placida sit quies, sect.3.4.5.

Quale initium iustificationis, & continui progressus, lib. 3, cap.14.

Breuis summa fundamenti doctrinæ Christianæ ex Paulo, lib.3, cap.15, sect.5.

Eo fundamento iacto sapientes architectos rectè atque ordine superædificare, siue doctrina & exhortatio sit proponenda, siue consolatio adhibenda, sect.8.

Doctrina iustificationis fidei non destrui bona opera, lib. 3, cap.16, sect.1.

Falsissimum esse, abduci hominum animos ab affectu bene agẽdi quũ illis merẽdi opinionẽ tollimus, lib.3, ca.16. sect.2.3.

Futilissimam esse calumniam, inuitari homines ad peccandum quum gratuitam peccatorum remissionẽ, in qua collocatam dicimus iustitiam, affirmamus, lib.3, cap.16, sect.4.

Quo sensu dicat nonnunquam Scriptura fideles iustificari operibus, lib.3, cap.17, sect.8.9.10.11.12. Item, factores Legis iustificari, lib.3. cap.17, sect.13. Item, eum qui ambulat in integritate sua iustum esse, sect.15.

Exponuntur loci quidam quibus fideles iustitiam suam examinandam Dei iudicio audacter offerunt, ac secundum eam de se statui cupiunt: & ostenditur nõ pugnare cum gratuita iustificatione fidei, lib.3, cap.17, sect.14.

Sententiam Christi, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, non pugnare cum gratuita iustificatione fidei, lib. 3, cap. 18, sect.9.

L

de Lege.

Legem, id est formam religionis, à Mose promulgatã, non fuisse datam vt veterem populum in se retineret, sed vt in illorũ cordibus foueret spem salutis in Christo vsque ad eius aduentũ: ostendit toties repetita fœderis mentio apud Mosen: itẽ ceremoniarũ ratio præscripta tã in sacrificiis quàm in ablutionibus: item ius sacerdotii in tribu Leui, & regia dignitas in Dauide & posteris. Legem etiam decem præceptorum datam fuisse vt homines ad Christum quærendum præpararet, lib.2, cap.7, sect.1.2. Idque fieri quum nos peccatorũ nostrorum vndique conuictos magis inexcusabiles reddit, vt ad veniam reatus expetendam solicitet, lib.2, cap.7, sect.3.4.

Impossibilem esse Legis obseruationem probatur ex Scriptura, & exponitur, lib.2, cap.7, sect.5.

Legis moralis vsum officiúmque triplex esse. quorum primum est, vt iustitiam quæ sola Deo accepta est ostendẽs, nobis sit instar speculi, in quo nostram impotentiam, tum ex hac iniquitatem, postremò ex vtraque maledictionem contemplemur. neque id in ignominiam Legis, sed in gloriam beneficentiæ Dei cedere, quæ & auxilio gratiæ ad faciendum quod iubetur succurrit, & misericordia delet lapsus nostros. neque tamẽ in reprobis cessare omnino hoc Legis officium, lib.2, cap.7, sect.6.7.8.9. Secundum, vt pœnarum formidine coerceat reprobos, ne effrænatè perpetrent quam semper intus alunt & amant prauitatem: filios etiam Dei ante regenerationem ab externa petulantia retrahat, lib.2, cap.7, sect. 10.11. Tertium, fideles respicit. illis enim Lex licet iam digito Dei inscripta cordibus, bifariam adhuc prodest: nam eius meditatione in intelligentia voluntatis Domini magis confirmantur, & ad obsequium excitantur roborantúrque, ne carnis ignauia degenerent, lib.2, cap.7, sect.12.13. Nam quãtum ad maledictionem Legis abrogata est fidelibus, ne amplius se contra illos exerat damnando ac perdẽdo, lib.2, cap. 7, sect.14.

Ex decem præceptis Legis discimus eadem illa quæ lege naturali dictante tenuiter tantùm degustamus. Primùm Deo reuerentiam, amorem, timorem deberi à nobis: iustitiam illi placere, iniquitatem displicere: deinde, vitæ nostræ examine facto ad Legis regulam, nos indignos esse qui locum nostrũ retineamus inter Dei creaturas, & vires nostras reputando non modò impares esse adimplendæ Legi, sed prorsus nullas. vtrunque humilitatem & deiectionem in nobis generat, quæ ad Dei misericordiam recurrere, & opem gratiæ eius exposcere nos docet, lib.2, cap.8, sect.1.2.3.

Quoniam Deus legislator est spiritualis (id est, animæ nõ minus quàm corpori loquitur) Lex etiam non externã modò honestatem, sed interiorem spiritualémque iustitiam requirit, & planè Angelicam puritatem, lib.2, ca.8, sectione 6. Quod probatur ex ipsius Christi interpretatione Pharisæorum peruersam expositionem refutantis, qui externam tantùm nescio quam Legis obseruationem vrgebant, sect.7.

Plus semper inest in præceptis & interdictis Legis quàm verbis exprimatur. Itaque ad rectam & veram eorum interpretationem expendere conuenit quæ sit cuiusque ratio siue finis. Deinde ab eo quod iubetur vel interdicitur ad contrarium ducenda est ratiocinatio, vt non tantùm malum vetari, sed illi malo contrarium bonum imperari intelligamus, lib. 2, cap.8, sect. 8. 9. Cur Deus synecdochicè loquutus sit in concipiendis Legis suæ præceptorum formulis, sect.10.

De Legis partitione in duas tabulas: eáque nos doceri primum iustitiæ fundamentum (atque adeo animã) esse Dei cultum, lib.2, cap.8, sect.11. De diuisione decem præceptorum, & quot priori, quot item posteriori tabulæ assignanda, Ibidem, sect.12, & 50.

Præceptorum Dei explicatio: vbi ostenditur Dominum initio Legis ad sanciendam eius maiestatẽ triplici argumento vti. primùm sibi potestatem supremã & ius imperii in nos vendicando, velut necessitate ad parendum trahere: deinde promissionis gratiæ dulcedine allicere: postremò beneficii accepti commemoratione ad obedientiam stimulare, lib. 2, cap.8, sect.13.14.15.

Legem non docere rudimenta tantùm quædam & primordia iustitiæ, sed verum eius complementum, expressionem imaginis Dei, & sanctitatis perfectionem: quæ tota comprehenditur duobus capitibus, dilectione videlicet Dei & proximi, lib.2, cap.8, sect.51.

Lex naturalis, lib.2, cap.2, sect.22.

de Legibus politicis.

Nec Leges sine magistratu, nec magistratus sine legibus consistere potest. Refelluntur ii qui negant rectè compositam esse rempublicam nisi politicis legibus Mosis regatur. ad id diuiditur Lex Mosis in mores, ceremonias & iudicia, & cognito singularum partium scopo ostenditur liberum esse singulis gentibus leges politicas condere, lib.4, cap.20, sect. 14.15. modò ad æquitatem illam naturalem referantur cuius ratio in Lege morali Mosis descripta est. Itaque pœnarum sanctiones posse variare pro regionis, seculi, aliarúmque circunstantiarum diuersitate, declaratur propositis exemplis, sect.16.

de Libertate Christiana.

Quàm necessaria sit eius cognitio, lib.3, cap.19, sect.1.

In tribus partibus sitam esse Christianam libertatem. Prima tractatur lib.3, cap.19, sect.2.3. secũda, sect.4.5.6. tertia, sect.7.8.

Libertatem Christianam esse rem spiritualem: & eam peruersè interpretari quicunque vel suis cupiditatibus ipsam prætexunt, vel ea abutuntur cum fratrum infirmorum offendiculo, lib.3, cap.19, sect.9.10.

de Libero arbitrio.

Libero arbitrio pollebat homo in prima cõditione creationis, lib.1, cap.15, sect.8. quod lapsu suo amisit. Hoc ignorasse philosophos, & planè desipere qui eos sequuntur, liberum arbitrium adhuc homini tribuentes, Ibidem.

Flexibilitas liberi arbitrii vel imbecilla facultas, quæ fuit in primo homine, non excusat eius lapsum, lib. 1, cap. 15, sectione 8.

Non minus è re nostra esse quàm ad Dei gloriam pertinere agnoscere vires omnes nostras baculum arundineum, imò fumum esse. interim cauendum ne dum omni rectitudine abdicatur homo, inde desidiæ occasionem arripiamus: quin potius excitari nos ita conuenit ad quærẽdum in Deo bonum omne, quo vacui sumus. Liberum arbitrium à suis defensoribus magis præcipitari quàm stabiliri, lib.2, cap.2, sect.1.

Philosophi tres animæ facultates constituunt, intellectum, sensum & voluntatem, siue appetitum: putántque humani intellectus rationem rectæ gubernationi sufficere: voluntatem à sensu quidem ad mala solicitari (adeo vt cũ difficultate rationi se subiiciat, & aliquando variè distrahatur) sed tamen habere liberam electionem, & nequaquam posse impediri quin rationem ducem per omnia sequatur. denique virtutes & vitia in nostra esse potestate, lib.2, cap.2, sect.2.3.

Scriptores Ecclesiastici, licet agnoscerent & mentis sanitatem & voluntatis libertatem ex peccato grauiter vulneratam, nimis tamen philosophicè hac de re loquuti sunt. veteres quidem, primùm ne rem communi hominum iudicio absurdam traderent: deinde & præcipuè, ne carni suapte sponte nimis ad bonum torpẽti nouam desidiæ occasionem præberent: vt ostenditur ex pluribus sententiis Chrysostomi & Hieronymi. Græci præ aliis, maximè Chrysostomus, modũ excedunt in extollendo libero arbitrio: ita tamen veteres in hoc genere omnes, excepto Augustino, variant & vacillãt in doctrinæ capite, vt nihil fere certi ex eorum scriptis referri queat. qui postea venerunt, in deterius alii post alios sunt dilapsi. Item liberi arbitrii variæ definitiones ex Origene, Augustino, Bernardo, Anselmo, & Petro Lombardo & Thoma, lib.2, cap.2, sect.4.

Quibus in rebus vulgò dent homini liberum arbitrium: & de triplici voluntate hominis, lib.2, cap. 2, sect.5. item de vulgari distinctione triplicis libertatis. Ibidem.

An in totum sit homo priuatus facultate bene agendi, an verò habeat adhuc nonnullam, licet infirmam: vbi de vulgari distinctione gratiæ operantis & cooperantis, & quid in ea offendat, lib.2, cap.2, sect.6.

Quum non alia ratione dici possit homo liberum arbitrium habere, nisi quia voluntate sua malè agit, nõ coactione: magnopere interesse Ecclesiæ nunquam vsurpatam esse hanc vocem, quæ in exitialem confidẽtiam euexit homines. Veteres etiam sæpe declarare quid de voce ipsa sentiãt: Augustinum in primis, ex quo plurimi loci citantur vbi vim eius eneruat & eludit, cum seruum arbitrium nominans, tum rẽ ipsam vt est exponens pluribus verbis, lib.2, ca.2, sect.7.8.

Liceas

Licet veteres ſcriptores Eccleſiaſtici nimii ſint interdum in libero arbitrio extollendo, & ambiguè variéque in hac re loquuti ſint, apparet tamẽ ex quamplurimis eorum ſententiis, humana virtute nihil aut quamminimo æſtimata, totam bonorum omnium laudem Spiritui ſancto detuliſſe: quarum nonnullæ recitantur Cypriani, Auguſtini, Eucherii, Chryſoſtomi, lib.2, cap.2, ſect.9.

Humani arbitrii facultas non ab euentu rerum, ſed à iudicii electione & voluntatis affectione eſt æſtimanda, libr.2, cap.4, ſect.8.

Contra patronos liberi arbitrii oſtenditur peccatum eſſe neceſſarium, neque tamen ideo minus debere imputari: item eſſe voluntarium, non tamen euitabile, lib.2, cap.5, ſect.1.

Soluitur altera eorum obiectio, Niſi ex libera arbitrii electione tum virtutes tum vitia procedunt, non eſſe conſentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur, lib.2, cap.5, ſect.2. Itẽ quod obiiciunt, Si hæc nõ ſit voluntatis noſtræ facultas, bonum aut malum eligere, oportere homines omnes eſſe malos, aut omnes bonos, l.2, c.5, ſe.3.

Contra eoſdem etiam docetur non fruſtra fieri exhortationes, admonitiones, obiurgationes, licet nõ ſit penes peccatorem parêre: & quid illæ operentur tum in impiis, tum in fidelibus, oſtenditur, lib 2, cap.5, ſect.4.5.

Ex præceptis & Lege Dei non inferendum eſt, hominem habere liberum arbitrium & vires aliquas præſtandi: nam Deus non tantùm imperat quod fieri oportet, ſed etiã promittit obediendi gratiam, lib.2, cap.5, ſect.6.7.9.

Id oſtenditur tam in præceptis quæ primam ad Deũ conuerſionem exigunt, quàm in iis quæ ſimpliciter de Legis obſeruatione loquuntur, item iis quæ perſeuerare in recepta Dei gratia iubent. Idem enim Deus qui hæc exigit, teſtatur dona ſua gratuita eſſe conuerſionem peccatoris, vitæ ſanctitatem, & perſeuerandi conſtantiam, neque earum laudẽ partiendam inter Deum & hominem, lib.2, cap.5, ſect.8.9.11.

Promiſſiones conditionales, Si volueritis, Si audieritis, & ſimiles non probant liberam volendi audiendíve facultatem eſſe in homine: neque tamen Deum hominibus illudere ita cũ illis paciſcendo oſtenditur: & quis eiuſmodi obteſtationum vſus ſit tum erga pios, tum erga impios, lib.2, cap.5, ſect.10.

Exprobrationes quibus Deus populo ſignificat, per eum duntaxat ſtetiſſe quominus ab indulgentia ſua omne genus bonorum receperit, non probant fuiſſe in hominum potestate, mala, quibus vexati ſunt, effugere. Vbi de eiuſmodi exprobrationum vſu tam erga eos qui obſtinatè in vitiis pergunt, quàm erga dociles qui ad pœnitentiam conuertuntur. Item quòd agendi partes nonnunquam Scriptura nobis tribuere videtur, non alia ratione facere, niſi vt carnis pigritiẽ expergefaciat, lib.2, cap.5, ſect.11.

Quod Moſes dicit, Prope eſt præcept ũ in ore tuo & in corde tuo, &c. non iuuare liberi arbitrii defenſores: quum ibi nõ de nudis præceptis, ſed de promiſſionibus Euangelicis agat, lib.1, cap.5, ſect.12.

Nihilo magis pro ipſis facere locos vbi dicitur Dominus expectare & ſpeculari quid facturi ſint homines, lib.2, cap.5, ſect.13.

Item eos, vbi bona opera vocantur noſtra, & nos dicimur facere quod eſt ſanctum placitúmque Domino. Ibique oſtenditur ſolum Dei Spiritum omnes bonos motus operari in nobis, non tamen quaſi in truncis, lib.2, cap.5, ſect.14.15.

Expoſitio aliquot aliorum Scripturæ teſtimoniorũ, quibus gratiæ Dei hoſtes abutũtur ad ſtabiliendum liberum arbitrium, lib.2, cap.5, ſect 16.17.18.19.

M.

de Magiſtratibus.

Magiſtratuum functionem non modò coram Deo ſanctã & legitimam eſſe, ſed ſacerrimam etiam, & in tota mortaliũ vita longè honeſtiſſimam, probatur variis elogiis quibus eã ornat Scriptura, & ſanctorum virorum exemplis qui ciuilem poteſtatem exercuerunt, lib.4, cap.20, ſect.4. Hanc cogitationem ſtimulum eſſe piis magiſtratibus quo excitentur ad officium: & conſolationem qua muneris ſui difficultates leniant, lib.4, cap.20, ſect.6.

Refutantur qui, licet ſub Lege præfuerint olim reges ac iudices populo Dei, hoc tamen ſeruile gubernandi genus aſſerunt non conuenire perfectioni quam Chriſtus cum Euãgelio ſuo attulit, lib.4, cap.20, ſect.5.7.

Falli eos qui magiſtratus arcent à religionis cura: quum eorum officium extendatur ad vtranque Legis tabulam. Ex Scriptura oſtenditur conſtitutos eſſe tam cultus Dei quàm publicæ pacis & honeſtatis protectores ac vindices. quod ſine gladii poteſtate præſtare omni ex parte non poſſunt, lib.4, cap.20. ſect.9.

Quæſtio, Quomodo liceat magiſtratibus eſſe piis, & gladium ſtringere, ſanguinémque humanum fundere, explicatur ex Scriptura. oſtenditúrque adeo non peccare ſceleratos puniendo, vt hæc ſit vna ex regis virtutibus, pietatíſque eorum approbatio. Duo hîc magiſtratibus vitia eſſe cauenda, niniam ſeueritatem & ſuperſtitioſam clementiæ affectationem, lib.4, cap.20. ſect.10.

Subditorum officium erga magiſtratus, honorificentiſſimè de ipſis ſentire tanquam de Dei miniſtris ac legatis, quãtum ad ipſum ordinem: non quòd hominum vitia pro virtutibus ſint habenda, lib 4, cap.20, ſect.22.

Propenſis in eorum obſeruationem animis ſuam illis obedientiam approbare, ſiue edictis parendum, ſiue tributa ſoluenda, &c. eorum ſalutem ac proſperitatem Deo commendare, non tumultuari, nec irrumpere in partes magiſtratus, ſectione 23.

Malos etiam principes, & vitæ nequam ac tyrannicè dominantes eadem in reuerẽtia ac dignatione habendos (quãtum ad publicam obedientiam attinet) qua optimum regem haberemus, lib.4, cap.20, ſect.24.25. quia non ſine Dei prouidentia ac ſingulari actione illi etiam publicam poteſtatem habent. quod teſtimoniis variis exemplíſque Scripturæ cõfirmatur. & oſtenditur quibus conſiderationibus impatientiam ſuam frænare debeant qui ſub huiuſmodi impiis & flagitioſis tyrannis viuunt ſubditi, ſect.26.27.28 29, & 31.

Non licere priuatis hominibus inſurgere in tyrannos, ſed iis tantùm qui ſecundum regni aut regionis leges vindices ſunt libertatis populi, lib.4, cap.20, ſect.31.

Dominum admirabili bonitate & prouidentia excitare interdum ex ſeruis ſuis qui pœnas ſumant de tyrannis, nõnunquam impiorum aliud molientium furorem eò deſtinare, lib.4, cap.20, ſect.30.

In ea quæ regum & præfectorum imperiis debetur obedientia ſemper excipiẽdum, Ne à Dei obedientia nos abducat. neque vllam ipſis fieri iniuriam dum aduerſus Deũ præcipiẽtibus parere detrectamus: idque noſtri officii eſſe, quãtumuis magnum ac præſens periculum immineat huic conſtantiæ, lib.4, cap.20, ſect.32.

de Matrimonio.

Expoſitio ſeptimi præcepti, quo ſcortationem Dominus prohibet, pudicitiam & puritatem requirit: quam & animo, & oculis, & corporis cultu, & lingua, & moderato cibi potũſque vſu fouere & conſeruare debemus, lib.2, cap. 8, ſect. 41.44. Continentiam ſingulare eſſe Dei donum, quod non omnibus, ſed quibuſdam dat, idque nonnunquam ad tẽpus. Quibus non eſt conceſſum, illi omnino ad coniugium: (quod eſt in neceſſitatis humanæ remedium à Domino ſancitum) confugiant, lib.2, cap.8, ſect.41.42.43. Coniugibus videndum nequid omnino admittant indignum honeſtate ac temperãtia matrimonii: alioqui vxorum adulteri videntur eſſe, non mariti, lib.2, cap.8, ſect.44.

Perperam matrimonium dici Sacramentum à Papiſtis: & refutantur eorum rationes, lib.4, cap.19, ſect.34. Oſtenditur non iuuari loco Pauli, quo ſe tegere conantur, ſect.35. Interim ipſos ſecum pugnare, quum à Sacramento hoc arcent ſuos Sacerdotes, & dicunt eſſe immunditiem ac pollutionem carnis, lib.4, cap.19, ſect.36.

Hoc Sacramenti falſo prætextu Papam cum ſuis traxiſſe ad ſe cauſarum coniugalium cognitionem, leges ſanxiſſe de matrimonio partim in Deum manifeſtè impias, partim in homines iniquiſſimas: quæ recitantur, lib.4, cap.19, ſect.37.

de Mediatore Chriſto.

Chriſtum, vt mediatoris officium præſtaret, oportuiſſe fieri hominem: quia ſic Deus ſtatuerat quòd nobis optimum erat: quum nemo alius pacis reſtituẽdæ interpres inter Deũ & nos eſſe poſſet, nemo nos facere Dei filios, nemo certam nobis reddere regni cæleſtis hereditatem, nemo pro hominis inobedientia remedii loco obedientiam opponere, lib.2, cap.12, ſect.1.2.3.

Refutatur vaga ſpeculatio eorum qui Chriſtum, etiamſi ad redimendum genus humanum non fuiſſet opus remedio, contendunt futurum fuiſſe hominem: & multis rationibus teſtimoniiſque oſtenditur, quum tota Scriptura clamet veſtitum fuiſſe carne vt fieret redemptor, aliam cauſam vel alium finem imaginari nimiæ eſſe temeritatis, lib. 1, cap. 12, ſect.4. Neque fas eſſe de Chriſto longius inquirere: quique id faciant, eos impia audacia prorumpere ad nouum Chriſtum fingendum. vbi reprehenditur Oſiander, qui rurſus hoc

tempore hanc quæstionem mouit, & contendit nullo Scripturæ testimonio hoc commentum repudiari, sect.5. Refutatúrque principium quod sumit, hominem creatum esse ad imaginẽ Dei, quia formatus fuerit ad exemplar futuri Christi, vt illum referret, quem iam Pater carne vestire decreuerat. ostenditúrque imaginem Dei in Adamo fuisse præstantiæ notas quibus eum Deus insignierat, quæ etiam relucet in Angelis. sect.6.7.

Soluuntur & aliæ obiectiones siue absurditates quas metuit idem Osiander. vt, Christum nõnisi per accidens natum esse, & creatum ad imaginem Adæ: carituros fuisse Angelos capite, homines rege Christo, &c. Ibidem.

Quomodo duæ naturæ efficiant mediatoris personam in Christo: quod ostenditur similitudine sumpta coniunctionis animæ & corporis in vno homine. Deinde variis locis demonstratur Scripturam tribuere nonnunquam Christo quæ diuinitati peculiariter competant: nonnunquam quæ ad humanitatem singulariter referri oporteat: aliquando quod vni naturæ proprium est, alteri tribuere: qui tropus vocatur communicatio idiomatum, lib.2, cap.14, sect.1.2. Aliquando etiam Christo tribuere quæ vtranque simul naturam complectuntur, neutri seorsum satis conueniant. quod postremum plerique veterum non satis obseruarunt: tamen vtile est attendere, ad soluendos plurimos nodos, & vitandos errores Nestorii, Eutychis, sect.3.4. Serueti etiam error refutatur, qui figmentum ex Dei essentia, spiritu, carne, & tribus elementis increatis conflatum pro Filio Dei supposuit. Eius vafrities detegitur: &(quod ille negat) ostenditur, Christum, etiam antequam in carne nasceretur, fuisse Dei filium, quia est Sermo ille ante secula ex Patre genitus, sect.5. Item probatur verè & propriè esse Dei Filium in carne, id est natura humana: sed deitatis tamen respectu, non carnis, vt garrit Seruetus, sect.6. Exponũtur quidã loci, quos ille illiúsque sectatores vrgẽt in erroris sui patrocinium: detegitur etiam alia eius calumnia, Antequã apparuit Christus in carne, nusquam vocari Dei Filium nisi sub figura, sect.7. Detegitur eorum omnium error quicunque Christum non agnoscunt Filium Dei nisi in carne: & summatim proponũtur crassiores præstigiæ Serueti, quibus se & quosdam fascinauit, euertẽs quod pura fides credit de Filii Dei persona. ac inde colligitur, versutis ambagibus impuri illius canis spem salutis prorsus fuisse extinctam, sect.8.

de Mendacio.

Expositio præcepti noni: quo falsitatem Dominus coercet, qua vel mendacio vel obtrectandi libidine, alicuius nomẽ lædimus, aut commodis detrahimus, lib.2, cap.8, sect.47. Multúm hîc à nobis peccari, etiamsi nõ mentimur. prudẽter tamen distinguendam maledicentiam quæ hîc damnatur, à iudiciaria denuntiatione, & obiurgatione quæ fit castigandi studio, &c. Ibidem, sect.48.

de Meritis operum.

Quæ de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in cõferenda iustitia, quàm salutis certitudinem euertere, lib.3 cap.15.

Meriti nomen quicunque primus bonis operibus coram Dei iudicio aptauit, malè illum fidei synceritati consuluisse. & eo quidem vsos veteres, sed ita vt multis locis ostenderint salutem se non tribuere operibus, lib.3, cap.15, sect.2.

Exponuntur loci quidam quibus sophistæ probare nituntur meriti nomen erga Deum in Scripturis reperiri, lib.3. cap.15, sect.4.

Iustitiæ præmia ex Dei benignitate mera pendere, probatur authoritate Apostoli & Augustini, lib.2, cap.5, sect.2.

Falsum esse ostenditur Christum meruisse nobis primam tantùm gratiam: postea nos operibus nostris mereri, lib.3, cap.15, sect.6.7.

de Merito Christi.

Rectè & propriè dici Christum nobis promeritũ esse gratiam Dei & salutem: vbi ostenditur Christum non instrumẽtum duntaxat esse vel ministrum salutis, sed authorem & principem: neque ita loquendo obscurari Dei gratiam, quia nõ opponitur meritum Christi misericordiæ Dei, imò ab ea dependet. & quæ subalterna sunt, non pugnãt, lib.2, cap.17, sect.1.

Hæc distinctio meriti Christi & gratiæ Dei probatur ex pluribus Scripturæ locis sect.2.

Afferuntur multa Scripturæ testimonia, ex quibus certò & solidè colligitur, Christum sua obedientia verè nobis gratiam apud Patrem acquisiisse ac promeritum esse. sect.3. 4.5.

Stultam esse curiositatem, quærere an aliquid Christus sibi ipse meruerit: temerarium verò, asserere, sect.6.

de Ministerio Ecclesiæ.

De ministerio Ecclesiæ & iis qui hunc discendi modum contemnunt li.4, cap.1, sect.5. De efficacia ministerii, sect.6.

Deum, qui solus docere posset Ecclesiam, vel per Angelos, id facere hominum ministerio tribus de causis, lib.4, ca. 3, sect.1. Insignibus elogiis ornari in Scriptura ministerium Ecclesiæ, sect.2.3. De Apostolis, Prophetis, Euangelistis. Pastoribus & Doctoribus: & quæ sit singulorũ functio, sect.4.5

Functionis Apostolorum & Pastorum præcipuas esse partes, Euangelium annuntiare & Sacramenta administrare, lib.4, cap.3, sect.6.

Pastores suis Ecclesiis ita esse alligatos, vt aliò migrare non debeant sine publica authoritate, lib.4, cap.3, sect.7.

Episcopos, Presbyteros, Pastores, Ministros vocari in Scriptura eos qui Ecclesias regunt, lib.4, cap.3, sect.8.

Neminem se in Ecclesia ad docendum vel regẽdum ingerere debere, sed vocationem requiri, lib.4, cap.3, sect.10.

Verbi Dei prædicatio comparatur semini quod in terra spargitur: vnde intelligimus totum profectum à Dei benedictione & Spiritus efficacia prouenire, lib.4, cap.14, sect.11.

Quales Episcopos eligere oporteat, qualiter, à quibus sint eligendi, & quo ritu quàve ceremonia initiandi, libr.4, cap.3, sect.11.12.13.14.15.16.

Vetus Ecclesia ante Papatum, quicquid ministrorum habuit, diuisit in tres ordines, Pastores, Seniores & Diaconos, lib.4, cap.4, sect.1.

De mandato remittendorum & retinendorum peccatorum, siue ligandi & soluendi: quæ pars est potestatis clauium, & ad ministerium verbi refertur, lib.4, cap.11, sect.1.

de Missa Papali.

Quid sit Missa ex Romani Antichristi & eius Prophetarum definitione, lib.4, cap.18, sect.1.

Prima Missæ virtus, quòd illic insigni contumelia Christus afficitur: quippe cuius æternum sacerdotium non agnoscitur, quum alius velut successor ei datur. idque fieri in Missa, quicquid prætexant Papistæ, lib.4, cap.18, sect.2.

Altera Missæ virtus, quòd erecto secundo altari Christi crucem euertit, & nouo sacrificio illius vnicum & perpetuum ac semel oblatum sepelit, sect.3.9.14.

Exponitur Malachiæ locus quo hodie Missarium sacrificium fulcire conantur aduersarii, sect.4.

Tertia Missæ virtus, quòd veram & vnam mortem Christi obliterat, & ex hominum memoria excutit, sect.5.

Quarta, quòd fructum qui ex morte Christi ad nos redibat, nobis præripit, sect.6.

Quinta, quòd sacram Cœnam, in qua Dominus passionis suæ memoriam insculptam formatámque reliquerat, eneruat, è medio aufert & dissipat, sect.7.

Missæ nomen vnde, sect.8.

Missæ sacrificium non posse defendi veterum authoritate, qui Cœnam quidem sæpe sacrificium diverunt, sed alio sensu quàm Papistæ. ipsos tamen veteres in eo videri nimis deflexisse ad Legis vmbras, lib.4, cap.18, sect.10.11.

Missarii sacrificii fiducia multos sibi securius indulgere in vitiis & sceleribus, lib.4, cap.18. sect.15.

Describitur sanctissima ipsa Missæ sanctitas suis elogiis, lib.4, cap.18, sect.18.

de Monachatu.

Monasteria olim fuisse velut seminaria ordinis Ecclesiastici, vbi describitur ex Augustino veteris monastices forma, & solitos fuisse tum labore manuum victum sibi quærere. vnde apparet longè aliam esse Papistici monachismi hodie rationem, lib.4, cap.13, sect.8.9.10.

De superbo perfectionis titulo quo monachi suum vitæ genus ornant, lib.4, cap.13, sect.11. Quia consilia Euangelica (vt vocant) quibus reliqui Christiani non sunt astricti, obseruaturos se recipiant, sect.12. Quia omnia sua reliquerint, sect.13.

Discessionem ab Ecclesia facere omnes qui in cœnobia concedunt, quum monasticen suam palàm asserant esse formam secundi Baptismi, &c. lib 4, cap.13, sect.14.

In moribus multum discrepare Papisticos monachos ab illis veteribus, lib.4, cap.13, sect.15.

Quædam reprehendenda etiam in veteris illius monasticis professione: & periculosum exemplum in Ecclesiam induxisse qui eius fuerunt authores, lib.4, cap.13, sect.16.

Monachos

Monachos ſuis votis non Deo ſed dæmonio ſe conſecrare, lib. 4, cap. 13, ſect. 17.

Omnia non legitima nec rite concepta vota, vt apud Deũ nihili ſunt, ſic nobis irrita eſſe debere, lib. 4, cap. 13, ſect. 20. Itaque qui à monachiſmo ad aliquod honeſtum viuendi genus concedunt, immeritò accuſari fractæ fidei & periurii, ſect. 21.

de Morte Chriſti.

Licet toto obedientiæ ſuæ curſu (id eſt tota vita ſingulíſque eius partibus) Chriſtus redemptorem ſe noſtrum præſtiterit: Scripturam tamen, quo certius definiat modum ſalutis, hoc morti Chriſti quaſi peculiare ac proprium adſcribere. In qua primum gradum occupat voluntaria Chriſti ſubiectio: ita tamen voluntaria vt non abſque certamine proprio ſe affectu abdicauerit. Conſiderãda etiam damnatio, in qua duo notantur: Chriſtum ſcilicet inter iniquos reputatum: & tamen eius innocentiæ teſtimonium ſæpius redditum ipſius etiam iudicis ore, lib. 2, cap. 1, ſect. 5. Notanda mortis ſpecies, crux ſcilicet maledicta: idque ita factum oportuiſſe, vt maledictione quæ nobis incumbebat, in eum traducta, & ſuperata ac abolita, nos eximeremur, & fuiſſe figuratè repræſentatum in Moſaicis ſacrificiis quod in Chriſto demum, figurarum archetypo, fuit exhibitum, declaratur Eſaię & Apoſtolorum multis teſtimoniis, ſect. 6. Tam in morte quàm ſepultura Chriſti duplex beneficium nobis proponi, liberationem ſcilicet à morte cui mancipati eramus, & carnis noſtræ mortificationem, ſect. 7.

de Obedientia liberorũ erga parentes.

Expoſitio quinti præcepti. finis eius & ſumma, lib. 2, cap. 8, ſect. 35. Vocabulum honoris quàm latè hîc pateat, tréſque eſſe eius partes, reuerentiam, obedientiam & gratitudinem, ibidem, & ſect. 36.

De promiſſione adiecta quinto præcepto, de longa duratione vitæ, & quatenus ad nos hodie ſpectet, lib. 2, cap. 8, ſectio. 37. Quomodo Deus & quàm variis modis vindictam ſuam in immorigeros exerceat. Parentibus tamen & aliis non deberi obedientiam niſi ſalua Dei Lege, ſect. 38.

de Officialibus.

De Officialibus (quos vocant) Epiſcoporum Papiſticorum, lib. 4, cap. 11, ſect. 7. 8.

de Operibus.

Comparatio puritatis Dei cum tota hominum iuſtitia, lib. 3, cap. 12, ſect. 4. 5.

Diuiſa omni Adæ progenie in quatuor genera hominum, oſtenditur nihil eos ſanctitatis aut iuſtitiæ habere. primùm in iis qui nulla Dei agnitione præditi ſunt: in quibus licet nonnunquam appareant egregiæ dotes, quæ ſunt Dei dona, nihil tamen purum, lib. 3, cap. 14, ſect. 1. 2 3. 4. 5. 6.

Idem oſtenditur in iis qui Sacramentis initiati, titulo tenus ſunt Chriſtiani, Deum factis abnegantes: item in hypocritis, qui cordis nequitiam inanibus fucis tegunt, lib. 3, cap. 14, ſect. 7. 8.

Probatur demum etiam Dei filios verè Spiritu eius regeneratos, non poſſe vlla operum ſuorum iuſtitia coram Dei iudicio ſtare: quia nullum ab illis proferri poteſt bonum opus quod non ſit aliqua carnis impuritate reſperſum: itáque damnabile. deinde ſi tale aliquod daretur, vnum tamen peccatum ſatis eſt ad delendam omnem memoriam prioris iuſtitiæ, lib. 3, cap. 14, ſect. 9. 10. 11.

Refutantur ſubterfugia Papiſtarum de iuſtitia operum, & præcipuè horrendum portentum operum ſupererogationis, lib. 3, cap. 14, ſect. 12. 13. 14. 15.

Quum de operibus agitur, duæ peſtes deuellendæ ex animis noſtris: nequid ponamus fiduciæ in operum iuſtitia: nequid etiam gloriæ illis adſcribamus, lib. 3, cap. 14, ſect. 16.

Quatuor genera cauſarum in conſtituenda ſalute noſtra ponuntur & declarantur ex Scriptura: & oſtenditur, nullam illic operum eſſe rationem, lib. 3, cap. 14, ſect. 17.

Quòd aliquando ſancti ſe confirmant innocentiæ integritatiſque ſuæ memoria, quomodo ſit accipiendum: neque id vllo modo derogare gratuitæ iuſtitiæ in Chriſto, libr. 3, cap. 14, ſect. 18. 19. 20.

Vbi fidelium bona opera Scriptura dicit incitare Deum ad illis benefaciendum, ſeriem magis notari quàm cauſam, lib. 3, cap. 14, ſect. 21.

Cur Dominus in Scriptura vocet bona opera noſtra, & illis remunerationem promittat, lib. 3, cap. 15, ſect. 3.

Refutatur ſophiſtarum commentum de moralibus operibus, quibus Deo gratioſi reddantur homines antequam Chriſto inferantur, lib 3, cap. 15, ſect. 6. & cap. 17, ſect. 4.

Fidelium operibus rependi quæ iuſtitiæ cultoribus in Lege ſua Dominus promiſit: ſed eius rei conſiderandam triplicem cauſam, lib. 3, cap. 17, ſect. 3.

Duplicem hominis acceptionem apud Deum obſeruandam ex Scriptura, quarum poſterior licet opera bona fidelium reſpiciat, & ipſa tamen gratuitæ eſt miſericordiæ Dei, lib. 3, cap. 17, ſect. 4. 5.

Quum dicitur Deus benefacere iis qui ipſum diligũt, non cauſa cur illis benefaciat hæc ponitur, ſed potius modus & quales ipſi ſint Dei gratia, lib. 3, cap. 17, ſect. 6.

Exponuntur loci quidam, quibus Scriptura bona opera iuſtitiæ titulo inſignit: & oſtéditur non eſſe contrarios doctrinæ iuſtificationis fidei, lib. 3, cap. 17, ſect. 7.

Vnum bonum opus aut plura non ſufficere ad iuſtitiam coram Deo, licet vnum peccatum ſufficiat ad damnationem: neque hîc valere axioma illud, Contrariorum eadem eſt regula, lib. 3, cap. 18, ſect. 10.

Cur Dominus dicat ſe operibus rependere quod gratis ante opera donauerat, lib. 3, cap. 18, ſect. 3. Et noſtræ imbecillitati ſic occurrere ipſum, ne animis labaſcamus, ſect. 4. 6. 7.

Inde pendere bonorum operum iuſtitiã quæ faciunt fideles, quòd per veniam Deo approbantur, lib. 3, cap. 18, ſect. 5.

de Oratione.

Veram fidem non poſſe otioſam eſſe à Dei inuocatione, lib. 3, cap. 20, ſect. 1.

Quàm neceſſaria, & quot modis ſit vtilis precandi exercitatio, lib. 3, cap. 20, ſect. 2. licet Dominus nobis non petentibus non ſit ceſſaturus, nec monitore opus habeat, ſect. 3.

Rite inſtituendæ orationis prima lex, vt non aliter mente animóque compoſiti ſimus quàm eos decet qui ad Dei colloquium ingrediuntur, lib. 3, cap. 20, ſect. 4. 5. Altera, vt rogando ſemper inopiam noſtram verè ſentiamus, ac ſeriò cogitantes omnibus quæ petimus nos indigere, ſerium & ardentem impetrandi affectum iungamus cum ipſa precatione, ſect. 6.

Omni tempore orandum eſſe: & in ſumma rerum omnium tranquillitate ſolam peccatorum noſtrorum recordationem non leuem nobis ſtimulum eſſe debere ad id exercitium, lib. 3, cap. 20, ſect. 7.

Tertia rite precandi lex, vt omni propriæ gloriæ fiducia nos abdicemus: ne ſiquid, vel minimum, arrogemus nobis, cum inani noſtra inflatione ab eius facie concidamus, lib. 3, cap. 20, ſect. 8.

Rite precandi initium eſt veniæ deprecatio cum humili & ingenua culpæ confeſſione, lib. 3, cap. 20 ſect. 9.

Quo ſenſu accipiẽdæ ſint orationes quædam ſanctorum, quibus propriæ iuſtitiæ ſuffragium citare videntur ad exorandum Deum, lib. 3, cap. 20, ſect. 10.

Quarta rite precandi lex, vt ita proſtrati & ſubacti vera humilitate, nihilominus certa ſpe exorandi ad orandum animemur. Ita in precibus concurrere fidem cum pœnitentia, lib. 3, cap. 20, ſect. 11.

De certitudine fidei qua ſtatuunt fideles Deum ſibi eſſe propitium, & quàm neceſſaria in inuocatione. neque labefactari eam certitudinem, vbi connectitur cum agnitione noſtræ miſeriæ, lib. 3, cap. 20, ſect. 12.

Præcipit Deus vt ipſum inuocemus: promittit exauditum iri. vtrunque omnino neceſſarium, vt in fide precemur, lib. 3, cap. 20, ſect. 13.

Recitantur variæ Dei promiſſiones: quarum dulcedine qui non excitantur ad precandum, omnino ſunt inexcuſabiles, lib. 3, cap. 20, ſect. 14.

Exponuntur loci quidam quibus videtur Deus quorundam precibus annuiſſe quæ promiſſione nulla nitebantur, lib. 3, cap. 20, ſect. 15.

Quatuor rite precandi leges non ita exigi ſummo rigore quin multas hîc infirmitates Deus, imò intemperies in ſuis toleret, ex variis exẽplis comprobatur, lib. 3, cap. 20, ſect. 16.

In Chriſti ſolius nomine ſemper orandum eſſe, lib. 3, cap. 20, ſect. 17, & 36. neque aliter vnquãfuiſſe exauditos fideles, ſect. 18. Qui aliter precãtur, illis nihil reliquum fieri in throno Dei præter iram & terrorem, ſect. 19.

Non eſſe contrarium officio mediatoris Chriſti, quòd alii pro aliis orare iubemur, lib. 3, cap. 20, ſect. 19.

Refellitur ſophiſtarum commentum, Chriſtum eſſe redemptionis mediatorem, fideles autem interceſſionis, lib. 3, cap. 20, ſect. 20.

Contra eos qui sanctos mortuos statnũt sibi apud Deum intercessores, vel Christi intercessionem miscent mortuorum precibus & meritis, lib.3,cap.20,sect.21. Hanc stoliditatem ad cratia impietatis monstra & horrenda sacrilegia progressam esse in Papatu, sect.22. Refutantur argumenta quibus Papistæ sanctorum mortuorum intercessionem confirmare nituntur,sect.23.24.25.26.

Nefas esse preces nostras ad sanctos mortuos dirigere, quum cultus hic Deo vni sit maximè proprius,lib.3,cap.20, sect.27.

De orationis speciebus, maximè de gratiarum actione: item de assidua exercitatione fidelium in precibus & gratiarum actione,lib.3,cap.20,sect.28.29.

De battologia Papistarum: item de vitanda omni ostentatione in precibus: & de secessu quærendo: de precibus publicis,lib.3,cap.20,sect.29.

Populari & patrio sermone concipiendas esse preces publicas. vbi de geniculatione & capitis detectione in precibus, lib.3,cap.20,sect.33.

De immensa Christi bonitate, qui nobis formam etiam orandi præscripserit: & quanta inde ad nos consolatio redeat,lib.3,cap.20, sect.34. Diuisio precationis Dominicæ, sect.35. Eiusdem precationis expositio, sect.36.& seq. Numeris omnibus absolutam & verè legitimam esse,sect.48. Cui nihil addendum, licet aliis verbis vti liceat in concipiendis precibus,sect.49. De fiducia quam adfert nobis appellatio filiorum Dei, quam ne peccatorum quidem nostrorum conscientia labefactare debet,lib.3,cap.20,sect.36.37.

Licet pro omnibus (maximè fidei domesticis) precari nos oporteat, id tamen non obstare quominus & pro nobis & pro certis aliis orare specialiter liceat, lib.3.cap.20,sect.38, 39,& 47.

De petendi audacia quam Dominus suis concedit & fiducia obtinendi,lib.3,cap.20,sect.47.

Bonum esse vt sibi quisque nostrum exercitationis gratia peculiares horas cõstituat ad precandum, modò sine superstitiosa obseruatione,lib.3.cap.20,sect.50.

In omni oratione diligenter cauendum ne Deum certis circunstantiis alligare velimus,lib.3,cap.20,sect.50.

De perseuerantia & patientia in precandi exercitio, lib.3, cap.20,sect.51.52.

de Ordinibus Ecclesiasticis Papæ.

Sacramentum ordinis parit Papistis septem alia Sacramentula, de quorum nominibus & distinctione nondum conuenit inter illos,lib.4,cap.19,sect.22. Ridicula & impia eorum stultitia, quòd in singulis Christum sibi collegam faciunt, sect.23.

De Acoluthis, Ostiariis & Lectoribus, quos ordines Ecclesiasticos & Sacramenta faciũt Papistæ, lib.4,cap.19,sect.24. Et quibus ceremoniis eos consecrent,sect.27.

De Exorcistis, ordine Ecclesiæ Papalis, lib.4, cap.19,sectione 24.

Psalmistarum, Ostiariorum, Acoluthorum ordines vana esse nomina in Papatu, quũ ministeria illa ipsi non exequantur, sed puer aliquis, aut quiuis laicus,lib.4,cap.19.sect.24.

De clericali tonsura & eius significatione, ex Papistarum doctrina, lib.4,cap.19,sect.25. Perperam ab ipsis referri ad Paulũ, qui suscepto voto rasit caput, aut ad veteres Nazaræos,sect.26. Ex Augustino ostenditur vnde originem habuerit,sectione 27.

De tribus ordinibus maioribus: primum de ordine Presbyterii vel Sacerdotii. vbi ostenditur Papistas improbissimè peruertisse ordinem à Deo positum, & Christo vnico ac æterno Sacerdoti esse iniurios,lib.4,cap.19,sect.28.

De exufflatione in creandis Sacerdotibus Papisticis: & peruersè illos eiusmodi ceremonia imitari Christum. vbi tractatur, multa egisse Dominum quæ nobis exempla esse noluit,lib.4,cap.19,sect.29.

De charactere indelebili sacri olei, quo vnguntur in creatione ipsa Sacerdotes Papistici: perperámque referri ad filios Aaron. sed istos, dum Leuitarum æmuli esse appetunt, fieri apostatas à Christo,lib.4,cap.19,sect.30.31.

P.

de Pædobaptismo.

Pædobaptismum cum Christi institutione & signi natura optimè congruere,lib.4,cap.16.

Circuncisioni Baptismum succesisse: quid simile habeant, quid item diuersum,lib.4,cap.16,sect.3.4.

Quum rei signatæ in Baptismo participes infantes etiam faciat Dominus, non esse ipsos à Baptismo arcendos, lib. 4, cap.16, sect. 5. & ipsos etiam regenerari à Domino, sect. 17.18.19.

Quum constet nobis idem fœdus quod cum Abrahamo percussum Deus voluit in infantibus consignari sacramento exteriori, in iis etiam locũ hodie habere Baptismum,lib. 4,cap.16,sect.6.

Rectè probari pædobaptismum ex eo quòd Christus puerulos est amplexus, & manus eis imposuit,sect.7.

Refutantur quædam argumenta aduersariorum pædobaptismi,lib.4,cap.16,sect.8,& 22.23.25.27.28.29.

Magnum ex pædobaptismo fructum redire & ad patres fideles, & ad ipsos infantes,lib.4,cap.16,sect.9. quo Satan per Anabaptistas priuare nos conatur,sect.32.

Refutantur argumenta cõtraria aduersariorum, Res alias signari Baptismo quàm Circuncisione: fœdus nostrum aliud esse ab illo vetere: alios hodie quàm tum diei pueros, lib.4, cap.16, sect. 10.11.12.13.14.15. Diluuntur & alia ab ipsis conficta discrimina inter Circuncisionem & Baptismum, sect. 16. Item quòd obiiciunt Baptismum pœnitentiæ & fidei esse sacramentum, quorum neutrum in tenellam infantiam cadat, sect.20,21.

In adultis fides & intelligentia debet præcedere Baptismi administrationem: sed in infantibus fidelium Baptismus intelligentiam præcedit,lib.4,cap.16,sect.24.

Refellitur eorum commentum qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant,lib.4,cap.16,sect.26.

Quòd Christus anno tantùm tricesimo fuit baptizatus, optima factum fuisse ratione: nec iuuare causam aduersariorum pædobaptismi,lib.4,cap.16,sect.29.

Cur Cœna infantibus fidelium non sit administranda, Baptismus non denegandus,lib.4,cap.16,sect.30.

Longus catalogus argumentorum quibus impius Seruetus pædobaptismum impugnauit: & eorundem refutatio, lib.4, cap.16,sect.31.

De pædobaptismo,lib.4,cap.8,sect.16.

de Papa.

Non esse ex Christi instituto primatum Romanæ sedis ostenditur, lib.4,cap.6, sect.1.2.3.4. neque Petrum habuisse principatum in Ecclesia, aut inter Apostolos, sect.5.6.7. neque vtile esse. neque fieri posse vt vnus homo vniuersæ Ecclesiæ præsit,sect.8 9.10.

Etiamsi Petrus habuisset primatum in Ecclesia, non tamen sequi, sedem illius primatus Romæ esse debere, lib. 4, cap.6,sect.11.12.13. Multis argumentis ostenditur Petrum non fuisse Episcopum Romanum,lib.4,cap 6,sect.14.15. Primatum Romanæ sedis non esse ex vsu veteris Ecclesiæ, lib.4, cap.6,sect.16.17.

De exordio & incrementis Romani Papatus, donec se in hanc altitudinem extulit qua & Ecclesiæ libertas oppressa, & omnis moderatio euersa fuit,lib.4,cap.7.

In plerisque conciliis non Romanum Episcopum aut eius legatos primum locum tenuisse, sed alium aliquem ex Episcopis in Chalcedonensi obtinuisse, sed extra ordinem, lib. 4,cap.7,sect.1.2.

De titulo primatus & aliis superbiæ titulis quibus se iactat Papa, quando & qualiter obrepserint,lib.4,cap.7,sect.3. Vniuersalis Episcopi titulum à diabolo excogitatum, & ab Antichristi præcone publicatum pronuntiat Gregorius,lib. 4,cap.7,sect.4.

Quod iactat Romanus Pontifex, se iurisdictionem habere in omnes Ecclesias, falsum esse ostenditur ex vsu veteris Ecclesiæ, lib.4,cap.7,sect.5. siue ordinationem Episcoporum spectes,sect.6. siue admonitiones & censuras Ecclesiasticas sect.7. siue conciliorum indictionem,sect.8. siue ius audiendarum appellationum,sect.9.10.

Ambitiosè priscos Pontifices Romanos in plerisque epistolis prædicasse sedis suæ amplitudinem, sed quæ fidem tũc non habuerunt: suppositiue etiam fictitia quædam quasi à sanctis viris olim scripta, lib.4,cap.7,sect.11,& 20.

Licet Gregorii tempore valde aucta esset Romani Episcopi authoritas, multum tamen abfuisse ab effreni dominatione & tyrannide, ostenditur ex eius scriptis,lib.4,cap.7,sect. 12.13,& 22.

Certatum de primatu inter Constantinopolitanum Episcopum & Romanum,lib.4,cap.7,sect.14.15.16. donec Phocas concessit Bonifacio tertio vt Roma esset caput omnium Ecclesiarũ: quod postea cõfirmauit Pipinus, quũ Romanæ sedi iurisdictionem dedit in Ecclesias Gallicanas, sect.17. Inde magis

magis ac magis creuisse tyrannidem Romanæ sedis, partim insciția, partim ignauia Episcoporum. quam dissipationem totius Ecclesiastici ordinis deplorat & exprobrat Pontifici Bernardus, sect. 8.22.

Insolentia & impudentia Romanorum Pontificũ in prædicanda suprema sua authoritate, lib. 4, cap. 7, sect. 19. 20. Quæ redarguitur ex Cypriano & Gregorio, sect. 21.

Non posse Romam esse matrem omnium Ecclesiarum, quum non sit Ecclesia: neque Romanum Pontificem, Episcoporum principem, quum non sit Episcopus, lib. 4, cap. 4, sectione 23.24.

Papam esse Antichristum probatur ex Paulo, lib. 4, cap. 7, sect. 25.

Etiamsi Romana Ecclesia olim habuisset honorem primatus, eum tamen loco non esse alligandum, lib. 4, cap. 7, sectione 26.29.

De moribus vrbis Romæ, Pontificis & Cardinalium, & eorum theologia, lib. 4, cap. 7, sect. 27.28.

Romanum Pontificem regnis primùm, deinde etiam imperio manum iniecisse: quod indignum esse eo qui se Apostolorum successorem iactat, ostenditur ex grauissimis reprehẽsionibus Bernardi, lib. 4, cap. 11, sect. 11. De Constantini donatione, qua latrocinium suum tegere conatur, sect. 12: & nõdum elapsos esse annos quingentos quum in subiectione principum adhuc manebant Pontifices: quáque occasione illam excusserint, sect. 13. Redegisse ipsos in suam potestatem vrbem Romam ante annos centum circiter & triginta, sectione 14.

de Patientia.

Abnegationis nostri, quatenus Deum respicit, pars est æquanimitas & tolerantia. quam præstabimus, si in quærenda vitæ præsentis commoditate vel tranquillitate nos Domino totos resignemus, neque vllam prosperãdi rationem appetamus, speremus, cogitemus, quàm ex eius benedictione, lib. 3, cap. 7, sect. 8.

Ita fiet vt commoda nostra ex illicitis artibus vel cum iniuria proximorum nunquam quæramus: deinde ne immodica opum vel honorum cupiditate ardeamus: postremò si bona res nostræ cedant, ab arrogantia: si malè, ab impatientia cohibebimur, lib. 3, cap. 7, sect. 9. Quod ad omnes etiam casus quibus obnoxia est præsens vita, extenditur: quorum Dei Patris sui manum moderatricem semper agnoscunt fideles, non autem fortunam, sect. 10.

Non eam esse fidelium patientiam quæ careat doloris sensu, sed quæ diuina consolatione suffulta pugnet aduersus naturalem doloris sensum. Itaque reiiciendam stoicorum patientiam, neque vitiosum per se esse lachrymari aut formidare, lib. 3, cap. 8, sect. 8.9. Descriptio repugnantiæ illius quæ generatur in cordibus piorum ex naturæ sensu, qui penitus exui nõ potest, & pietatis affectu, quo illum subigi & domari oportet, sect. 10.

Multum interesse inter philosophicam patientiã & Christianam, quòd illi parere doceant quia sit necesse, Christus, quia iustum, deinde nobis salutare, lib. 3, cap. 8, sect. 11.

de Peccatis.

Platonis dictum, Non peccare homines nisi ignorantia, improbatur. item eorum qui in omnibus peccatis consultam malitiam & prauitatem intercedere tradunt, lib. 2, cap. 2, sectione 22.23.25.

Contra peruersam sophistarum imaginationem de peccatis venialibus (quæ dicunt esse cupiditates sine deliberato assensu, & non diu cordi insidentes) ostenditur, omne peccatum (ad leuissimam vsque concupiscentiam) mortem mereri, & mortale esse, nisi in sanctis, qui Dei misericordia veniam consequuntur, lib. 2, cap. 8, sect. 58.59.

Refutatio ineptæ distinctionis eorum inter peccata mortalia & venialia: & calumniæ eorum, dum dicunt nos facere peccata omnia æqualia, lib. 3, cap. 4, sect. 28.

Quomodo accipiendum, quòd Deus visitat iniquitatem patrum in filios in tertiã & quartam generationem: & autalis vindicta diuinam iustitiam dedeceat, lib. 2, cap. 8, sectione 19.20.

de Peccato originali.

Peccati originalis definitio & explicatio, lib. 4, cap. 15, sectione 10.11.12.

Peccati originalis definitio vera, & definitionis explicatio: vbi ostenditur non solùm pœnam ab Adamo in nos grassatam esse, sed instillatam ab ipso luem in nobis residere: & quomodo fit peccatum alienum, sit etiam proprium. deinde non ad inferiorem tantùm appetitum, sed ad mentem & cor intimum penetrauisse eiusmodi contagionem, vt nullat sit animæ pars à corruptione immunis, lib. 2, cap. 1, sect. 8 9.

Refutantur qui Deum suis vitiis inscribere audent, quia dicimus naturaliter vitiosos esse homines. Et ostenditur, naturali quidem vitiositate corruptum esse hominem: (nequis praua consuetudine comparari putet) sed quę à natura non fluxerit, imò sit aduentitia qualitas, non substantialis ab initio proprietas, lib. 2, cap 1, sect. 10. 11.

de Peccato in Spiritum sanctum.

Peccati in Spiritum sanctum vera definitio, & exempla ex Scriptura, lib. 3, cap 3, sect. 22.

Non esse particularem lapsum vnum aut alterum, sed vniuersalem defectionem: cuius descriptio ex Apostolo declaratur. neque mirum esse si ita prolapsis Deus semper sit futurus implacabilis, lib. 3, cap. 3, sect. 23. Quum pœnitentibus tantùm veniam promittat, quod illi nunquam facient. Et licet quibusdam eiusmodi Scriptura tribuat gemitum & clamorem: id tamen non fuisse pœnitentiam & conuersionem, sed potius cæcum tormentum ex desperatione, Ibidem, sectione 24.

de Perseuerantia.

Lib 2 cap. 5, sect. 3.

Refutatur pessimus error, perseuerantiam dispẽsari à Deo pro hominum merito, prout se quisque non ingratum primæ gratiæ præbuerit: bifariámque in illa sententia errari ostenditur. Et de distinctione vulgari operãtis gratiæ & cooperantis: & quomodo ea vsus sit Augustinus, commoda definitione leniens, lib. 2, cap. 3, sect. 11.

de Pœnitentia.

Pœnitentiam ex fide nasci, non autem eam præcedere, lib. 3, cap. 3, sect. 1. Refutantur rationes eorum qui contrà sentiunt. Hoc tamen non significari spatium aliquod temporis quo fides pœnitentiam parturiat: sed tantùm ostendi, neminem posse seriò studere pœnitentiæ nisi se Dei esse nouerit. De errore Anabaptistarum quorundam, Iesuitarum, & similium, qui certos dies suis neophytis præscribunt ad pœnitentiam, lib. 3, cap. 3, sect. 2.

Doctos quosdam etiam ante hæc tempora duas pœnitentiæ partes constituisse, mortificationem (quam vulgò contritionem vocant) & viuificationem, quam ipsi perperam interpretantur consolationem ex sensu misericordię Dei: quũ potius rectè viuendi studium significet, lib. 3, cap. 3, sect 3.

Alios duas ponere pœnitentiæ formas, alteram Legalem, alteram Euangelicam: vbi etiam proponũtur vtriusque exẽpla ex Scriptura, lib. 3, cap. 3, sect. 4.

Vera definitio pœnitentiæ ex Scriptura: & pœnitentiam, licet à fide separari non possit, debere tamen distingui, lib. 3, cap. 3, sect. 5.

Dilucidior enarratio definitionis pœnitẽtiæ: vbi primùm ostenditur requiri conuersionem ad Deum, id est transformationẽ non in operibus tãtùm externis, sed in anima ipsa, lib. 3, cap. 3, sect. 6. Deinde ex serio Dei timore ipsam proficisci. Vbi etiam agitur de tristitia quæ secundum Deum est, lib. 3, cap. 3, sect. 7.

Tertiò explicatur quod dictum fuerat, pœnitentiam constare duabus partibus, carnis mortificatione & Spiritus viuificatione, lib. 3, cap 3, sect. 8.

Vtrunque ex Christi participatione nobis contingere: prius ex mortis eius, posterius ex resurrectionis communicatione. Itaque pœnitentiam esse reformationem imaginis Dei in nobis, & instaurationem in Dei iustitiam Christi beneficio: eámque instaurationem non vno momento impleri in nobis, lib. 3, cap. 3, sect. 9.

Sed manere in sanctis omnibus, dum habitant in mortali corpore, certaminis materiam cum carne sua. sicque sensisse omnes sani iudicii scriptores Ecclesiasticos: Augustinum in primis, qui hunc mali fomitem & concupiscendi morbum in electis vocat infirmitatem, aliquando etiam peccatum: & re vera esse peccatum lib. 3, cap. 3, sect. 10.

Id confirmatur Pauli testimonio, & ex summa præceptorum. Quòd autem Deus dicitur purgare Ecclesiam ab omni peccato, referri ad reatum potius quàm ad ipsam peccati materiam: quòd habitare non desinit in regeneratis (sed regnare desinit) licet non imputetur, lib. 3, cap. 3, sect. 11.

Declaratio septem causarum, vel effectuum, vel partium, aut affectionum pœnitentiæ, quas recẽset Paulus Ex autem sunt studium aut solicitudo, excusatio, indignatio, timor, desiderium, zelus, vindicta. Vbi etiam modũ tenendũ esse in hu-

iusmodi vindicta & timore, adiicitur ex Paulo, & illustratur egregia Bernardi admonitione, lib.3 cap.3. sect.15.

Pœnitentiæ fructus, pietas erga Deum, charitas erga homines, sanctitas & puritas in tota vita. sed illa omnia ab interiore cordis affectu debere incipere, vnde postea externa testimonia emergant. Vbi etiam de externis quibusdam pœnitentiæ exercitiis: quæ plus æquo vrgere videntur vetusti scriptores, lib.3, cap.3, sect.16.

Conuersionem cordis ad Deum, præcipuum esse pœnitentiæ caput: saccum & cinerem, fletum & ieiunium, à veteribus ante Christum sæpe vsurpata tanquam publicæ pœnitentiæ iudicia: quorum tamen duo posteriora locum adhuc habere possunt ad deprecandam Dei iram in calamitosis Ecclesiæ temporibus, lib.3, cap.3, sect.17.

Improprie transferri ad externam hãc professionem pœnitentiæ nomen. Confessio publica nõ semper necessaria in peccatis, priuata apud Deum nunquam omitti potest: in qua non tantum recens admissa fateri cõuenit, sed grauioris lapsus alicuius displicentia nos ad præteritorum memoriam reuocare debet. De speciali pœnitentia, quę à sceleratis & aliis quibusdam exigitur: & de ordinaria, cui Dei filios (perfectissimos etiam) tota vita dare operam oportet, lib.3, cap.3, sect.18.

Dominum ideo gratis suos iustificare, quo simul eos Spiritus sui sanctificatione in veram iustitiã instauret. propterea Iohannem, Christum & Apostolos prædicasse pœnitentiam & remissionem peccatorum: cuius locutionis vis clarius explicatur, lib.3, cap.3, sect.19.

Christianos perpetuam pœnitentiam meditari debere, & illum plurimum profecisse qui sibi plurimum displicere didicit, lib.3, cap.3, sect.20.

Singulare donum Dei esse pœnitentiam, ad quam homines omnes vocat, quam iis omnibus dat quos seruare vult: & quam Apostolus pronuntiat nunquam datum iri omnibus voluntariis apostatis, quorum irremissibilis est impietas, id est peccantibus in Spiritum sanctum, lib.3, cap.3, sect.1.

Quanuis ficta pœnitentia non placeat Deo, aliquando tamen Deum hypocritis conuersionem aliquam præ se ferentibus parcere ad tempus, non eorum gratia, sed in commune exemplum, vt discamus alacrius ad sincerã pœnitentiã adiicere animos: ostenditur exemplis Achab, Esau & Israelitarũ, lib.3, cap.3, sect.25.

Scholasticos sophistas turpiter hallucinari in iis quas assiguant pœnitentiæ definitionibus: nihilo fœlicius diuidere dum eam partiuntur in contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis. Vbi de quæstionibus quibusdã quas agitãt, ex quibus facilè colligitur, eos de rebus sibi ignotis garrire quum de pœnitẽtia loquuntur, lib.3, cap.4, sect.1.

Quum tria illa requirunt in pœnitentia, iisdẽ etiam necessariò alligare peccatorum remissionem. quòd si ita est, nihil nobis miserius, quum nunquam tranquillitatem conscientiæ habere possimus. Quod ostenditur primùm in illa cõtritione cordis qualem requirunt, lib.3, cap.4, sect.2.

Multum interesse inter eiusmodi contritionis doctrinam, & eam quam à peccatoribus requirit Scriptura, vt verè esuriant & sitiant Dei misericordiam, lib.3, cap.4, sect.3.

Quo sensu veteres scriptores existimarint solennem pœnitentiam, quæ pro grauioribus peccatis tum exigebatur, nõ magis iterandam quàm Baptismum, lib.4, cap.1, sect.29.

de Pœnitentia, sacramento Papistico.

De ritu veteris Ecclesiæ in publica pœnitentia, & de reconciliatoria manuum impositione: item successu temporis in priuatis quoque absolutionibus manuum impositionẽ vsurpatam, lib.4, cap.19, sect.14.

Variæ scholasticorum opiniones quomodo pœnitẽtia sit sacramentum: & ostenditur ei non conuenire definitionem sacramenti, lib.4, cap.19, sect.15.16.

Mendacium & impostura fuisse quod de sacramẽto pœnitentiæ sunt commenti: & ornari ab illis impio & blasphemo elogio, Secundam esse tabulam post naufragium à Baptismo, lib.4, cap.19, sect.17.

de Politica administratione.

Distinguendam politiam à regimine interiori animæ: repudiandos qui illam euertere conantur vt Christianis non necessariam, aut qua stante pereat spiritualis animæ libertas: item adulatores qui nimis illi tribuunt, atque Dei imperio opponunt, lib.4, cap.20, sect.1.2.

Politia donum Dei est, humano generi magnas vtilitates afferens, & non paruum adminiculum ad statum religionis tuendum. Politicæ administrationis tres partes, magistratus, leges & populus, lib.4, cap.20 sect.3.

De tribus regiminis ciuilis formis, aristocratia, democratia & monarchia. vtra sit melior, simpliciter definiri nõ posse: fieri tamen hominum vitio vt tutius sit & tolerabilius plures tenere gubernacula, quàm vnum regnare Sed omnes formas has à Deo esse, & variè ab ipso dispensari: itaque priuatorum esse parêre, non suo arbitrio res nouare, libr.4, cap.20.sect.8.

De immunitate quam sibi sumunt Clerici Romanenses, veteris Ecclesiæ Episcopis incognita, lib.4, cap.11, sect.15.

In causis fidei cognitionem olim fuisse penes Ecclesiam, non penes principes, licet aliquando principes authoritatem suam interponerent in rebus Ecclesiasticis, sed conseruando Ecclesiæ ordini, non turbando, lib.4, cap.11, sect.15.16

De iure gladii vsurpato ab Episcopis in Papatu: & quomodo ex tenuibus initiis paulatim tantos progressus fecerint, lib.4, cap.11, sect.9.10.

de Promissionibus.

Non fine causa promissiones omnes in Christo concludi: quum quælibet promissio sit diuinæ erga nos dilectionis testificatio: nemo autem à Deo extra Christum diligatur. Neque Naaman Syrum, Cornelium Centurionem, Eunuchum ad quem delatus est Philippus, Christi cognitione caruisse, licet eius gustum admodum tenuem haberent, & fidem aliqua ex parte implicitam, lib.3, cap.2, sect.32.

Vtiustitiæ amore & iniquitatis odio corda imbueret Dominus, nuda præcepta proposuisse non contentus, promissiones subiunxit benedictionum tam vitæ præsentis quàm æternæ beatitudinis, minas etiam tam calamitatum præsentium quàm mortis æternæ. Minæ summam Dei puritatem, promissiones summum eius erga iustitiam amorem, miram quoque in homines benignitatem testãtur, lib.2, cap.8 sect.4

De promissione propagandæ Dei misericordiæ in mille generationes, lib.2, cap.8, sect.21.

Promissiones Legis licet conditionales, non tamen frustra datas esse, lib.2, cap.7, sect.4.

de Prædestinatione.

Suauissimi fructus esse ostenditur doctrinæ prædestinationis cognitio. Eius tres præcipuæ vtilitates recensentur: & admonentur ii qui curiositate quadam impulsi vltra Scripturæ limites prorumpunt in diuinæ sapientiæ adyta, lib.3, cap.21, sect.1.2. Item ii qui omnem prædestinationis mentionem sepeliri iubent, sect.3.4.

Quid sit prædestinatio, quid præscientia Dei: & perperam alteram alteri subiici. Prædestinationis exemplum in tota Abrahæ sobole, aliarum gentium respectu, confirmatur multis testimoniis Scripturæ, lib.3, cap.21, sect.5. Ostenditur etiam specialis prædestinatio, qua inter filios Abrahæ quosdam ab aliis discreuit, sect.6.7.

Confirmatio doctrinæ prædestinationis ex Scripturæ testimoniis petita, lib.3, cap.22.

De iis qui prædestinationis causam faciunt præscientiam meritorum. itẽ de aliis qui litem Deo intendunt, quòd quosdam aliis electis præterierit, lib.3, cap.22, sect.1.

Deum tam in electione quàm reprobatione nullam rationem habuisse operum, nec præteritorum, nec futurorum, sed illius beneplacitum vtriusque causam esse, lib.3, cap.22. sect. 2.3.4.5.6.7.11. Confirmatur hoc ex Augustino, sect.8. & refellitur contraria Thomæ argutiola, sect.9.

Promissiones salutis non omnibus, sed electis peculiariter destinari, lib.3, cap.22, sect.10.

Non pugnare hæc duo, quod Deus verbi prædicatione externa multos vocet, paucis tamen det fidei donum, lib.3, cap. 22, sect.10.

Contra eos qui electionem ita fatentur vt negent quenquam à Deo reprobari, lib.3, cap.23. sect.1.

Frustra litigare cum Deo reprobos, quum Deus nihil ipsis debeat, nihil non iustè velit, & ipsi suæ damnationis iustas causas in se reperiant, lib.3, cap.23, sect.2.3.4.5.

Respondetur ad sacrilegam interrogationem quorũdam, cur Deus ea vitio imputaret hominibus quorum necessitatem illis sua prædestinatione imposuit, li.3, cap.23, sect.6.8.9.

Prædestinationis definitio, lib.3, cap.23, sect.8.

Refutãtur qui ex doctrina prædestinationis inferunt, Deũ habere acceptionem personarum, lib.3, cap 23, sect.10.11.

Contra porcos, qui prædestinationis obtentu securi in vitiis suis pergunt, & omnes qui hac doctrina stante dicũt coeidere omne bene agendi studium, lib.3. cap.23, sect.12.

Contra eos qui dicunt hanc doctrinam euertere omnes ad piè viuen

piè viuendum exhortationes, ostenditur ex Augustino, cursum suum habere prædicationem, neque tamẽ impediri prædestinationis cognitionem, lib.3, cap.23, sect.13. Sic in hoc capite doctrinæ temperandam veri docendi rationẽ vt prudenter caueatur (quoad licet) offensio, sect.14.

Quòd verbi Dei prædicationi alii obediunt, alii contemnũt, vel ea magis excæcãtur & indurantur, licet id fiat horum malitia & ingratitudine, simul tamẽ tenendum, diuersitatem eiusmodi pendêre ex arcano Dei consilio, quo altiorẽ causam requirere sit nefas, lib.3, cap.24, sect.12.13.14.

Exponuntur loci quidam, quibus videtur negare Deus sua ordinatione fieri vt iniqui pereant, nisi quoad se reclamante ipsi mortem sponte sibi accersunt. & ostenditur eos nihil repugnare doctrinæ prædestinationis, lib.3, cap.24, sectione 15.16.17.

Vniuersalitatẽ promissionum salutis non repugnare doctrinæ prædestinationis reproborum: nec tamen sine optima causa vniuersaliter concipi, lib.3, cap.24, sect.17. Vbi etiã diluuntur nonnullæ obiectiones eorum qui negant caput hoc doctrinæ.

de Prouidentia Dei.

Aliter profanos homines carnis sensu fateri Deum creatorem, aliter nos per fidem: vtpote quæ moderatorem etiam omnium esse doceat, non vniuersali quadam motione, sed singulari quadam prouidentia, quæ ad minimum vsque passerem extenditur, lib.1, cap.16, sect.1.

Qui fortunæ aliquid tribuunt, sepeliunt Dei prouidentiam: cuius occulto consilio omnes euentus gubernantur, lib.1 cap.16, sect.2.

Res inanimatas, quanuis sua singulis naturaliter indita sit proprietas, vim tamen suam non exerere nisi quatenus præsenti Dei manu diriguntur, ostenditur ex sole, ante quem & lucem extare, & terram omni bonorum genere abũdare voluit: quem etiam & biduo substitisse, & decẽ gradibus ad Dei iussum retrocessisse legimus, lib.1.cap.16, sect.2. item ex stellis & signis cæli, quæ metuunt increduli, sect.3.

Dei omnipotentiam in continuo actu versari, sic vt ad singulos & particulares actus intenta sit, & nihil nisi eius consilio accidat. quod qui non agnoscũt, Deum sua gloria fraudant, & eius bonitatem extenuant, nos contrà inde duplicem fructum percipimus, lib.1, cap.16, sect.3.

Dei prouidentiam non tantùm speculari quæ fiunt, sed euentus omnes moderari probatur. Vnde euertitur figmentum de nuda præscientia, de vniuersali tantùm prouidentia: item error Epicureorum, & eorum qui Deo dominatũ tribuunt tantùm supra mediam aeris regionem. Quandam tamen vniuersalem prouidentiam cõstitui posse, sed ita ne specialis obscuretur: quæ moderatur non tantùm quosdam, sed omnes particulares actus, lib.1, cap.16, sect.4.5.

Penes Deum non esse tantùm principium motus, ostendit anni vnius fertilitas, alterius sterilitas: quum illud benedictionem, hoc maledictionem & vindictam suam vocet Dominus, lib.1, cap.16, sect.5.

Dei prouidentiam in gubernando mundo præcipuè considerandam in humano genere, & singulorum hominum varia conditione euentuumque diuersa dispensatione, lib.1, cap.16, sect.6.7.

Contra eos qui calumniantur, hanc doctrinam de prouidentia Dei esse dogma Stoicorum de fato, lib.1, cap.16, sectione 8.

An aliquid fortuitò vel contingenter accidat: vbi Basilii Magni dictum, Ethnicorum voces esse Casum & Fortunam, & Augustini: pœnitere se vsum esse Fortunæ nomine. Fortuita tamen dici posse quoad nos, quæ in natura sua considerata, aut secundum notitiam nostram æstimata eiusmodi apparent, licet in Dei occulto consilio sint necessaria. item cõtingẽtia posse nominari futura omnia, vt nobis incerta sunt, lib.1, cap.16, sect.8.9.

Quæ consideranda sint vt in rectum finem referatur doctrina de prouidentia Dei, quo nobis eius constet vtilitas. Et vbi eorum quæ accidunt, causæ nobis non apparent, cauendum esse ne vel fortunæ impetu res volui putemus, vel Deo obloquamur: sed ita nos reuereri oportere eius iudicia occulta, vt nobis eius voluntas, iustissima sit rerum omnium causa, lib.1, cap.17. sect.1.

Contra canes quosdam (qui doctrinam de prouidentia Dei latratu suo hodie impetunt) probatur ex Scriptura, quũ Deus voluntatem suam in Lege & Euangelio ita reuelarit vt fuorum mentes illuminet intelligentiæ Spiritu, ad mysteria percipienda quæ illic continentur, alioqui incomprehensibilia, mundi tamen gubernãdi rationem vocari profundam abyssum: quia dum nos eius causæ latent, reuerenter tamen adoranda est, lib.1, cap.17, sect.2.

Profanos eiusmodi homines stultè tumultuari, dum obtendunt, si doctrina de Dei prouidentia vera sit, orationes fidelium quibus aliquid in futurum petant, esse peruersas, nõ esse capienda de rebus futuris cõsilia, & homines qui aliquid contra Legem Dei admiserint, non peccasse. quæ præcipitia vitabunt quicunque in prouidentia Dei considerandi ad veram modestiam erunt compositi, lib.1, cap.17, sect.3, & seq.

Quod ad futura pertinet, Scripturam bene conciliare humanas deliberationes cum Dei prouidentia, probatur: quia æternis eius decretis minimè impedimur quominus sub eius voluntate & prospiciamus nobis, & omnia nostra dispensemus. consultandi enim cauendique artes inspiratas hominibus esse à Domino, quibus prouidentiæ eius subseruiamus in vitæ propriæ conseruatione, lib.1, cap.17, sect.4.

In præteriti temporis euentibus omnibus intercedere Dei voluntatẽ: nec tamen excusari scelerum authores: quia propria conscientia redarguuntur, nec Dei voluntati, sed suę cupiditati obsequuntur. Eos quidem diuinæ prouidentiæ esse instrumenta, sed ita vt totum malum in se deprehendant, penes Deum autem nonnisi legitimus malitiæ eorum vsus reperiatur, lib.1, cap.17, sect.5, & cap.18, sect.4. Vbi idẽ ostenditur in electione regis Iarobeam, deficientibus à domo Dauidis decem tribubus, cæde filiorum Achab, & traditione Filii Dei.

Pia sanctáque prouidentiæ Dei meditatio, quã dictat pietatis regula: primùm vt certo persuasi nihil fortuito cõtingere, ad Deum velut præcipuam rerum omnium causam oculos semper referamus: deinde vt singularem eius prouidentiam pro nobis excubare non dubitemus, siue cum hominibus tam malis quàm bonis, siue cum reliquis creaturis nobis sit negotium. In quem vsum sumendæ ex Scriptura Dei promissiones quæ id testentur: quarum exempla recitantur lib.1, cap.17, sect.6. Adiungenda etiam testimonia Scripturæ, quę docent sub Dei potestate esse omnes homines, siue cõciliandi nobis sint eorum animi, siue cohibenda malitia hostiũ nostrorum. quod postremum Deus variis modis facit: nempe interdum mentem illis adimendo, nonnunquam, vbi mẽtem illis concedit, abstterrendo, ne quod conceperunt machinentur: interdum etiam vbi conari permisit, impetus eorum opportunè abrumpendo. quam notitiam necessariò sequitur animi gratitudo in prospero rerũ successu, lib.1, cap.17, sect.7.

In rebus autem aduersis, quum ab hominibus lædimur, patientia placidáque animi moderatio: quod Iosephi à fratribus, Iobi à Chaldæis afflicti, & Dauidis à Semei cõuitiis impetiti exempla demonstrant. Quòd si sine hominum opera nos miseria aliqua premi contingat, hanc eandem doctrinam optimum esse impatientiæ remedium, quia res aduersas etiã prodire à Deo Scriptura testatur, lib.1, cap.17, sect.8.

In Dei prouidentiam præcipuè attentus vir pius non tamen conniuebit ad causas inferiores. Itaque si beneficium à quoquam accepit, illi etiam se obstrictum ex animo sentiet & fatebitur. siquid damni fecerit, vel alteri dederit sua negligentia vel imprudentia, sibi imputabit: multo minus scelera excusabit. In rebus verò futuris causarum inferiorum potissimùm rationem habebit: ita tamen vt in capiendis consiliis proprio sensu non feratur, sed Dei sapientiæ se commẽdet, nec externis subsidiis ita eius fiducia subnitatur, vt in illis securè acquiescat quum adsunt, aut trepidet quũ desunt, lib.1, cap.17, sect.9.

Inæstimabilis piæ mentis fœlicitas quæ in Dei prouidentiam recumbit, eleganter multísque describitur. contrà, misera anxietas, qua alioqui constringi nos necesse est, quum tot morbis terreni huius domicilii infirmitas obnoxios nos reddat, quum infinitis periculis domi, foris, in terra, in mari, ab hominibus, à diabolis vita salúsque nostra obsideatur, lib.1, cap.17, sect.10.11.

Doctrinæ de prouidentia non obstare locos Scripturæ, vbi dicitur Deum pœnituisse: quum illic (quemadmodum etiam quando discitur irasci) ad captum nostrum se submittens, eum describat non qualis in se est, sed qualis à nobis sentitur. Item quod Niniuitis pepercit, quibus excidium intra quadraginta dies minatus erat: Ezechiæ vitam prorogauit in plures annos, cui mortem præsentem denuntiauerat: quia eiusmodi denuntiationes tacitam continent conditionem. quod simili exemplo in rege Abimelech propter Abrahæ vxorem increpato optimè comprobatur, lib.1, cap.17, sect.12.13.14.

Refelluntur ii qui modestiæ laudem captantes, Dei iustitiam mendaci patrocinio asserere tẽtant, dum Dei permissu

tantùm, non etiam prouidentia & voluntate fieri obtendunt quæ Satan & omnes reprobi malè faciunt. Et nihil efficere homines nisi quod ipse iam apud se decreuerit, & arcana sua directione cõstituat, probatur ex afflictione Iob, deceptione Achab, Christi cæde, Absalon incesto coitu, & aliis plurimis exemplis, lib.1.cap,18,sect.1.

Idque non tantùm in actionibus externis locum habere, sed in motibus etiã arcanis. Deum enim in improborum etiã mentibus & cordibus operari ostenditur ex Pharaonis induratione & aliis testimoniis. Nec obstare quòd illic Satanæ opera sæpe interuenit. agit enim nihilominus Deus, sed suo modo: iustam scilicet vindictam exercens, lib.1,cap.18,sect.2. itaque Deum non esse scelerum authorem, Ibidem, sect.4.

Superbiæ intolerabilis arguuntur qui modestiæ prætextu hanc doctrinam reiiciunt. Diluitur eorum obiectio, Si nihil eueniat nisi volente Deo, duas in eo contrarias esse voluntates, quum occulto consilio decernat quæ lege sua palàm vetuit. & ostenditur Deum secum non pugnare, nõ mutari Dei voluntatẽ, non simulare ipsum se nolle quod vult: sed quum vna & simplex sit in Deo voluntas, nobis multiplicem apparere: quia pro mentis nostræ imbecillitate, quomodo idem diuerso modo nolit fieri & velit non capimus. Tandem ex Augustino ostenditur, hominem interdum bona voluntate velle aliquid quod Deus non vult, & mala voluntate velle quod Deus vult bona, lib.1,cap.18,sect.3.

Dei potentiæ consideratio in regẽda hac mole cæli & terræ, singularúmque quæ in iis sunt partium, lib.1,ca.5,sect.5.

Dei prouidentia sic administrari hominum societatem vt se liberalem, misericordem, iustum & seuerum ostendat, lib. 1,cap.5,sect.6

Qui censentur in vita hominum fortuiti casus, tam prosperi quàm aduersi, sunt totidem cælestis prouidentiæ signa, lib.1,cap.5,sect.7. & debent nos expergefacere ad spem futuræ vitæ, Ibidem, sect 9.

Quomodo Deus operetur in cordibus suorum, Satan in impiorum, ita tamẽ vt ipsi nõ excusentur, lib.2,cap.4,sect.1.

Deum etiam operari in impiis, idque eodem in opere quo Satan. neque tamen Deum prædicari authorem peccati, aut Satanã vel impios excusari: sed distingui alterum ab altero, tum in fine agendi, tum in modo, lib.2,cap.4,sect.2.

Veteres nonnunquam hæc retulisse non ad operationem Dei, sed ad præsciẽtiam aut permissionem, ne inde impii occasionem arriperent de Dei operibus irreuerenter obloquendi. Scripturam tamen, quum Deum dicit excæcare, indurare, & similia, plus aliquid quàm permissionẽ notare: licet Deus duobus modis operetur in reprobis: nempe deserendo, Spiritúmque suum ab illis auferendo: deinde etiam tradendo illos Satanæ ministro iræ suæ, lib.2,cap.4,sect.3.4.

Satanæ ministerium intercedere ad reprobos instigãdos, quoties huc atque illuc Dominus sua prouidentia eos destinat, lib.2,cap.4,sect.5.

de Purgatorio.

Ad doctrinam de Purgatorio non esse cõniuendum, quum sit exitiale Satanæ commentum, quod Christi crucem euacuat, &c. lib.3,cap.5,sect.6.

Expositio quorundam locorum Scripturæ quos Papistæ perperam detorquent ad confirmationem sui Purgatorii, lib.3,cap.5,sect.7.8.9.

Respondetur ad obiectionem Papistarum, vetustissimam fuisse Ecclesiæ obseruationem vt preces fierent pro defunctis. Vbi ostẽditur id à veteribus factum sine verbo Dei, pernersa quadam æmulatione, ne Christiani, si pigri essent in curandis funeribus, viderentur profanis hominibus deteriores. Interim tamen hic latam esse differẽtiam inter hunc veterum lapsum & Papistarum peruicacem errorem, lib.3,cap. 5,sect.10.

R

de Ratione hominis.

Intellectum hominis non ita esse damnandum perpetuæ cæcitatis vt nihil intelligentiæ vllo in rerum genere ei reliquum fiat: sed nõnullã esse eius perspicientiã, quòd veritatis inquirendæ studio naturaliter rapitur. Et tamen hanc appetentiam mox concidere in vanitatem: quia mens hominis præ hebetudine rectam veri inuestigandi viam tenere nequit: deinde in quarum rerum veram notitiam incumbere expediat, sæpius non discernit, lib.2,cap.2,sect.22.

Quod ad res terrenas attinet, hominis mentem valere acumine ostenditur exemplis: primò in politia & œconomia: quum nemo non intelligat oportere hominum cœtus legibus contineri, & harum legum principia mente complectatur, lib.2,cap.2,sect.13.

Item in artibus tum liberalibus tum manuariis: quibus discendis (licet alii aliis magis idonei) inest homini quædam aptitudo: imò etiam amplificandis & expoliendis. Sic tamen vniuersale bonum esse lumen rationis & intelligentiæ in hominibus, vt prorsus gratuitum sit erga singulos beneficentiæ Dei munus. quod ostendit Deus dum quõsdam moriones & stupidos creat. item dum facit vt hic acumine, alius iudicio, alius mentis agilitate præstet: item dum instillat singulares motus non solùm pro cuiusque vocatione, sed etiam pro ratione temporis aut rei quæ agenda est, lib.2,cap.2, sect.14, & 17.

Artium inuentio, methodica traditio, aut interior & præstantior cognitio, quæ in antiquis iurecõsultis, philosophis, medicis (profanis sanè hominibus) elucent, admonent nos, mentem hominis quantũlibet ab integritate sua collapsam, eximiis tamen Dei donis etiamnum esse ornatam, lib.2,cap. 2,sect.15.

Ea esse dona Spiritus, quæ Dominus quibus vult dispensat (etiam impiis) in publicum bonum generis humani. itaque iis vti nos oportere, etiamsi impiorum ministerio nobis communicentur: quibus sunt fluxa & euanida, quoniam destituuntur ipsi solido veritatis fundamento, lib.2,cap.2,sectione 16.

Humanam rationem nihil cernere quod ad regnum Dei & res cæleste (quæ tribus capitibus continentur, Deum nosse, paternum eius erga nos fauorem, & formãdæ secundum Legis regulam vitæ rationem) demonstratur in duobus primis, lib.2,cap.2.sect.18. & in eam rem varia Scripturæ testimonia citantur, sect. 19.20.21. In tertio videtur aliquanto esse quàm in superioribus acutior, quum lege naturali ad rectam vitæ normam homo instituatur. sed imperfecta est, & non aliò valet eiusmodi notitia in incredulis quàm vt reddantur inexcusabiles, nec lumine illo naturali veritatem in singulis cernãt. Vbi explicatur Themistii dictum, Intellectum in definitione vniuersali rarissimè falli, sed hallucinationem esse quum ad hypothesin descendit: & ostenditur, hominis iudiciũ vniuersale in boni & mali discrimine nõ esse vbique sanũ & integrum. Nã quæ precipua sunt in prima Legis tabula non assequitur, nempe de fiducia in Deum, &c. in secunda tabula quanuis aliquanto plus habeat intelligentiæ, deliquium tamen aliquando pati deprehenditur: vt quum iudicat absurdum esse nimis imperiosam dominationem ferre, & non vlcisci iniurias. item concupiscentiæ morbum non agnoscit in vniuersa Legis obseruatione, lib.2,cap.2,sect.22.23.24.

Coram Domino nihili esse rationis nostræ acumen in cunctis vitæ partibus, ostenditur ex Scriptura: & mentibus nostris necessariam esse illuminationis gratiam, non initio tantùm aut vno aliquo die, sed in singula momenta, lib.2, cap.2,sect.25.

Vide sub dictione Liberum arbitrium quædam huc pertinentia.

de Christo Redemptore.

Inutilem nobis esse cognitionem Dei creatoris, nisi succedat etiam fides ipsum in Christo Patrem & redemptorem nobis proponẽs: eámque doctrinã ab exordio mundi omnibus seculis locum habuisse inter Dei filios, lib.2,cap.6.sect.1.

Variis argumentis & Scripturæ testimoniis probatur, fœlicem Ecclesiæ statum semper in Christi persona fuisse fundatum. Nam & prima electi populi adoptio, & Ecclesiæ conseruatio, liberatio in periculis, & instauratio post dissipationem, à gratia mediatoris semper pẽdebat, neque alibi spes omnium piorum vnquam fuit reposita quàm in Christo, lib. 2,cap.6,sect.2.3.4.

Diligenter reputandum quomodo redemptoris partes impleuerit Christus, vt in ipso omnia nobis necessaria reperiamus, quum (vt ait Bernardus) sit nobis lux, cibus, oleum, sal, &c, lib.2,cap 16,sect.1.

Exponitur quomodo conueniat dicere, Deum fuisse nobis inimicum donec per Christum nobis reconciliatus est: quum dare nobis Christum & misericordia prænuenire nos, signa fuerint amoris quo iam nos complectebatur. & ostenditur Scripturam hac locutione & similibus vti, vt se ad sensum nostrum accommodet: neque tamen falsò ita loqui. Idque totum authoritate Scripturæ & Augustini testimonio probatur, sect.2.3.

de Regeneratione.

Contra Anabaptistas quosdam qui phreneticã intemperiem

riem pro ſpirituali regeneratione cõminiſcuntur: nempe in ſtatum innocentiæ iam reſtitutos Dei filios non oportere amplius ſolicitos eſſe de carnis libidine refrænanda, ſed tãtùm Spiritum ducem ſequendum, lib.3, cap.3, ſect.14.

de Religione.

Reprobis neceſſitas extorquet confeſſionem, aliquem eſſe Deum, lib.1, cap.4, ſect.4.

Falli eos qui dicunt paucorum vafritia excogitatam religionem ad continendum in officio ſimplicem populum, lib.1, cap.3, ſect.2.

Etiam impii & athei homines cogũtur, velint nolint, ſentire aliquem Deum eſſe, lib.1, cap.3, ſect.2. Et quo ſenſu dicat Dauid eos ſentire non eſſe Deum, lib.1, cap.4, ſect.2.

de Remiſſione peccatorum.

Contra eos qui perfectionem ſomniant in hac vita, quæ veniæ petendæ neceſſitatem tollat, lib.3, cap.20, ſect.45.

De peccatorum remiſſione: & quo ſenſu peccata vocentur debita, & nos dicamur aliis remittere qui in nos peccarunt, lib.3 cap.20, ſect.45.

De diſtinctione culpæ & pœnæ: vbi firmiſſimis Scripturæ teſtimoniis refellitur Papiſtarum delirium, Culpa remiſſa Deum pœnam retinere, quæ ſit redimenda ſatiſfactionibus, lib.3, cap.4, ſect.29.30. Vbi etiam oſtenditur non poſſe ipſos elabi ſua diſtinctione inter æternam pœnam & temporales.

De locis quibuſdam Scripturæ quibus illi ſuum errorem confirmare nituntur: vbi oſtẽditur duo eſſe diuini iudicii genera: vnum vindictæ, alterum caſtigationis. quæ ſunt prudẽter diſtinguenda, lib.3, cap.4, ſect.31.

Prius fideles ſemper vehemẽter eſſe deprecatos: poſterius placido animo ſuſcepiſſe, quia amoris habet teſtimonium. Item quòd iraſci dicitur Dominus ſanctis ſuis, nõ ad puniendi conſilium vel affectum referri, ſed ad vehementem doloris ſenſum, quo ipſi afficiuntur ſimulac vel qualemcunque eius ſeueritatem ſuſtinent: hócque illis expedire in malis ſuis ſibi diſplicere. Reprobos contrà, dum flagellis Dei feriũtur, iam quodammodo incipere pœnas pendere illius iudicio. Quæ omnia confirmãtur Scripturæ teſtimoniis, itẽ Chryſoſtomi & Auguſtini expoſitionibus, Ibidem, ſect.32.33.

Deum remiſſo Dauidi adulterio, eum caſtigaſſe cum in cõmune exemplum, tum vt ipſum humiliaret. & hac ratione fideles, quibus propitius eſt, quotidie ſubiicere communibus huius vitæ miſeriis, lib.3, cap.4, ſect.35.

Expoſitio articuli Symboli de remiſſione peccatorum, li.4, cap.1, ſect.20.21.

Claues Eccleſiæ datas eſſe ad remittenda peccata, non tãtùm iis qui nunc primùm conuertuntur ad Chriſtum, ſed fidelibus per totam vitam, lib.4, cap.1, ſect 22. Confirmatur hæc doctrina teſtimoniis Scripturæ, aduerſus Nouatianos & quoſdam ex Anabaptiſtis, qui fingunt Baptiſmo regenerari Dei populum in Angelicam vitam, & poſtea non ſupereſſe lapſis veniam, ſect.23.24.25.26.27.

Refutantur & ii qui voluntariam Legis tranſgreſſionem faciunt delictum irremiſſibile, Ibidem, ſect.28.

de Chriſti Reſurrectione.

Sine Chriſti reſurrectione mutilum eſſe quicquid de cruce, morte & ſepultura credimus. Eius triplicem nos percipere fructum: quòd & iuſtitiam nobis acquiſiuit coram Deo, & nobis pignus eſt futuræ reſurrectionis, & eius vita iam nunc regeneramur in vitæ nouitatem, lib.2, cap.16, ſect.13.

Exponitur hiſtoria reſurrectionis Chriſti, lib.3, cap.25, ſectione 3.

de Reſurrectione vltima.

Quoniam ſpe & patientia maximẽ opus habent fideles, ne deficiant in vocationis ſuæ curſu: ſolidè illum in Euãgelio profeciſſe qui ad continuam beatæ reſurrectionis meditationem eſt aſſuefactus, lib.3, cap.25, ſect.1.2.

Caput de reſurrectione vltima continet doctrinam magni ponderis, ſeriam & creditu difficilem: quam difficultatem vt ſuperet fides, duo adminicula ſuppeditat Scriptura, Chriſti ſimilitudinem, & Dei omnipotentiam, lib.3, cap.25, ſect.3.4.

Refutantur Sadducæi negantes reſurrectionem, & Chiliaſtæ, regnũ Chriſti terminãtes mille annis, lib.3, cap.25, ſect.5.

Refellitur eorum error qui imaginantur animas die vltimo non recepturas corpora quibus nunc indutæ ſunt, ſed nouis & aliis præditas fore, lib.3, cap.25, ſect.7.8.

De modo reſurrectionis vltimæ, lib.3, cap.25, ſect.8.

Quo iure communis ſit impiis & à Deo maledictis reſurrectio vltima, quæ ſingulare eſt Chriſti beneficiũ, li.3, c.25, ſe.9.

S.

de Sabbatho.

Expoſitio quarti præcepti. finis eius, & tres cauſæ quibus conſtare ipſum obſeruandum eſt, lib 2, cap.8, ſect.28. Prima cauſa, ſpiritualis quietis adumbratio (id eſt ſanctificationis noſtræ) primarium locum tenuiſſe in Sabbatho, probatur ex variis locis, Ibidem, ſect. 29. Cur ſeptimum diem aſſignarit Dominus, Ibidem, ſect.30.31. partem hanc, quum ceremonialis eſſet, abolitam fuiſſe Chriſti aduentu, Ibidem.

Duæ poſteriores cauſæ, vt ſtati ſint dies celebrandis conuentibus Eccleſiaſticis, vt ſeruis detur à labore remiſſio, omnibus ſeculis conueniunt, lib.2, cap.8, ſect.32.

De diebus conuentuum Eccleſiaſticorum ad verbum audiẽdũ & preces publicas: vbi de diei Dominici obſeruatione, lib.2, cap.8, ſect.32.33. & de vitãda hìc ſuperſtitione, Ibid.34.

de Sacerdotio Chriſti, regno & munere Prophetico.

Vt ſciamus quorſum miſſus fuerit Chriſtus à Patre, & quid nobis attulerit, tria potiſſimùm ſpectanda in eo eſſe: munus Propheticum, regnum & ſacerdotium: ad eáque pertinere quòd ei tribuitur Chriſti (ſiue Meſſiæ & Vncti) elogium, licet peculiariter regni intuitu ita ſit dictus. Licet Prophetas & Doctores Eccleſiæ ſuæ Deus ſemper dederit, omnes tamen pios plenam intelligentiæ lucem Meſſiæ demum aduentu expectaſſe probatur: & ipſum quum apparuit, vnctũ fuiſſe Prophetam nõ ſibi modò, ſed toti ſuo corpori, lib.2, cap.15, ſect.1.2.

Quod ad regnum, primùm notare oportere ſpiritualem eſſe eius naturam: vnde & eius æternitas colligitur. quæ eſt duplex: altera ad totũ Eccleſiæ corpus pertinet, altera propria eſt cuiuſque membri. Vtraque declaratur, & Scripturæ teſtimoniis illuſtratur, ſect.3. Exponitur vtilitatẽ regni Chriſti non poſſe aliter à nobis percipi, quàm dum ſpirituale eſſe cognoſcimus: eámque duabus in rebus conſiſtere: nẽpe quòd nos bonis omnibus ad æternam animarum ſalutem neceſſariis locupletat: deinde quòd robore & virtute munit aduerſus diabolum omnéſque eius impetus. itaque Chriſtum nobis magis quàm ſibi regnare: vnde & Chriſtiani non immeritò dicimur. AEternitati regni eius nihil derogare quòd dicitur vltimo die traditurus regnum Deo & Patri, ſimiléſque ſententias, ſect.4.5.

De ſacerdotio: vt ad nos perueniat eius efficacia & vtilitas, oſtenditur incipiendum eſſe à Chriſti morte. Hinc ſequi æternum eſſe deprecatorem, cuius patrocinio fauorem conſequimur: vnde tum precandi fiducia, tum tranquillitas piis conſcientiis oritur. poſtremò ita eſſe ipſum Sacerdotem vt nos aſciſcat in ſocietatem tanti honoris, quo grata ſint Deo quæ à nobis proueniunt ſacrificia precum & laudis, ſect.6.

de Sacramentis.

Quid ſit ſacramentum, lib.4, cap.14, ſect 1. Qua ratione veteres hoc vocabulum vſurpauerint in eo ſenſu, ſect. 2. 13.

Nunquam eſſe ſacramentum ſine præeunte promiſſione, quam hoc modo Dominus obſignat, noſtræ ignorantiæ & tarditati, deinde etiam infirmitati conſulens, ſect.3.5.6.12.

Sacramentum conſtare verbo & ſigno externo: ſed aliter eſſe verbum ſacramentale ſumendum quàm exiſtiment Papiſtæ, lib.4, cap.14, ſect.4.

Sacramenta non deſinere eſſe teſtimonia gratiæ Dei, licet impiis quoque porrigantur, qui inde grauiorem damnationem contrahunt. lib.4, cap.14, ſect.7.

Sic confirmari fidem noſtram ſacramentis vt tamen id pẽdeat ab interiore Spiritus efficacia, lib.4, cap.14, ſect.9.10.11. non ponatur virtus aliqua in creaturis, ſect.12.

Impugnatur diabolicum dogma ſcholarum ſophiſticarũ, ſacramenta nouæ Legis iuſtificare & conferre gratiam, modò nõ ponamus obicẽ peccati mortalis, lib.4, cap.14, ſect.14.

Auguſtini ſcita diſtinctio inter ſacramẽtum & rem ſacramenti, qua oſtenditur, licet Deus in ſacramentis Chriſtum verè offerat, ab impiis tamen nihil recipi præter ſacramentum, id eſt ſignum externum, lib.4, cap.14, ſect.15.16.

Non eſſe arbitrandum, latentem aliquam virtutem ſacramẽtis annexam affixámque eſſe, quo ipſa per ſe Spiritus ſancti gratias nobis conferant, lib.4, cap.14, ſect.17.

Sacramenta olim quædam exhibuit ſuis Deus in miraculis, quædam in rebus naturalibus. vbi de arbore vitæ & de arcu cæleſti, lib 4. cap.14, ſect.18.

Sacramenta eſſe à Domino teſtimonia gratiæ ac ſalutis, & à nobis viciſſim profeſsionis notas, lib.4, cap.14, ſect.19.

Sacramenta veteris Eccleſiæ ſub Lege eundem habuiſſe

scopum quem nostra, Christum: quem tamen nostra clarius offerunt. quare explodendum dogma scholasticum, Illa adumbrasse gratiam Dei, nostra præsentem cõferre, lib.4, cap. 14, sect.20.21.22 23.

Exponuntur quidam Scripturæ loci, & veterum testimonia, ex quibus aliter res habere videtur, Ibid. sect.24.25.26.

de quinque falsò nominatis Sacramentis.

Quum sacramenta negamus esse quinque ab hominibus inuenta, non de nomine sed de re contendimus: quia volunt Papistæ esse inuisibilis gratiæ visibiles formas, lib.4, cap.19, sect 1.

Multæ afferuntur rationes cur non liceat hominibus instituere sacramenta, item distinguendum esse inter sacramẽta & alias ceremonias, lib.4, cap.19, sect.2.

Veteris Ecclesiæ authoritate non posse probari septenarium numerum in sacramentis, lib.4, cap 19, sect.3.

Licet plura sacramenta habuerit vetus Ecclesia sub Lege, hodie tamen Christianam Ecclesiam duobus à Christo institutis contentam esse debere: neque licere hominibus alia cõdere, aut his aliquid de suo addere, lib.4, cap.18, sect.20.

de Sacrificiis.

Differentia inter Mosaica sacrificia & Cœnam Domini in Ecclesia Christiana, lib.4, cap.18, sect.12.

Quid propriè significet sacrificii nomen: & de variis generibus sacrificiorum sub Lege, quæ ad duo membra referri possunt, vt alia vocentur Eucharistica, siue gratiarum actionis, alia Propitiatoria siue expiationis, lib.4, cap.18, sect. 13.

Vnicum nobis sacrificium propitiatorium, mors Christi: eucharistica plura, omnia nempe charitatis officia, preces, laudes, gratiarum actiones, & quicquid in Dei cultum à nobis agitur, lib.4, cap.18, sect.13.16.17.

Hæc sacrificandi species quotidie locum habet in Ecclesia, & in Cœna Domini: & inde Christiani omnes sacerdotes sunt.

de Satisfactionibus Papisticis.

De satisfactione, cui tertium locum assignant in Pœnitẽtia, de retentione pœnæ, culpa remissa, & similibus mendaciis, quæ corruunt oppositа gratuita peccatorum remissione per nomen Christi, lib.3, cap.4, sect.25.

Refutatur blasphemus error scholasticorum, Remissionem peccatorum & reconciliationem semel fieri in Baptismo, sed post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones, lib.3, cap.4, sect.26. Eiusmodi errore Christum suo honore spoliari, & conscientiarum pacem turbari, quum nunquam certò statuere possint sibi remissa esse peccata, Ibidem, sect.27.

Apud Danielem quum iubetur Nebuchadnezer peccata sua iustitia redimere, illud redimere referri ad homines potius quàm ad Deũ: & non causam veniæ illic describi, sed potius modum veræ conuersionis. Idem de quibusdã aliis Scripturæ locis, lib.3, cap.4, sect.36.

Expositio loci illius in Euangelio, Remissa sunt illi peccata multa quia dilexit multum: dilectionem scilicet non esse causam remissionis, sed probationem remissionis, lib. 3, cap.4, sect.37.

Veteres Ecclesiasticos scriptores non eo sensu loquutos de satisfactionibus quo Papistæ: & intellexisse pœnitentes satisfacere Ecclesiæ, non Deo, lib.3, cap.4, sect.38.39.

de Scandalis.

Quæ cauenda sint, quæ negligenda, quid scandalum datum, quid item scandalum acceptum, lib.3, cap.19, sect.11.

Quinam sint infirmi, quibus cauendum est ne offendiculum ponamus, declaratur ex Pauli doctrina & exemplo, lib. 3, cap.19, sect.12.

Quòd cauere iubemur ne offendiculo simus infirmis, locum habere tantùm in rebus indifferentibus: itaque hac doctrina perperam abuti qui in infirmorum gratiam dicunt se Missam audire, lib.3, cap.19, sect.13.

de Scriptura, verbo Dei & illius authoritate.

Homines non bene Deum agnoscere creatorem, & discernere à fictitiis Deis ex rerum creatarum consideratione nisi lumine verbi accedente adiuuentur: eúmque ordinem in suis eruditiõnis Deum tenuisse, non tantùm ex quo Iudæos in populum peculiarem elegit, sed ab initio etiam erga Adã, Noe, & cæteros Patres, lib.1, cap.6, sect.1.

Vel per oracula & visiones vel aliorum ministerio Patres habuerunt verbum quod certò persuasi fuerunt esse Dei, quo ipsum agnouerunt verum Deum creatorem & gubernatorem rerum omnium: quod verbũ ipse postea, vt in omnes ætates consuleret mortalibus, voluit quasi publicis tabulis consignari in Lege & Prophetis, lib.1, cap.6, sect.2.3. vbi etiam Scripturæ testimoniis confirmatur, rerum creatarum considerationi adiungendam esse verbi doctrinam, ne euanidam Dei notitiam concipiamus.

De iis qui Scripturæ authoritatem dicunt pendere ab Ecclesiæ iudicio: & quàm malè nobiscum ageretur si ita esset, lib.1, cap.7, sect.1.

Optimè refelli hoc commentum ex loco Pauli (Ephes.2.) Fideles ædificatos super fundamẽtum Apostolorum & Prophetarum, lib.1, cap.7, sect.2.

Quo sensu Augustinus dicat se non crediturum Euangelio, nisi Ecclesiæ ipsum moueret authoritas: quem locum illi calumniosè detorquent ad erroris sui confirmationem, lib.1, cap.7, sect.3.

Licet suppetant alia multa argumenta, quæ fidem faciunt (& ab impiis etiam extorquent) Scripturam à Deo prodiisse: non alia tamen quàm Spiritus sancti arcano testimonio verè persuadetur cordibus nostris, Deum esse qui loquitur in Lege, Prophetis & Euangelio. idque pluribus locis ex Iesaia confirmatur, lib.1, cap.7, sect.4.5.

Ordinata diuinæ sapientiæ dispensatio, nihil terrenum redolens doctrina, pulchra partium omnium inter se consensio, & præcipuè contemptibilium verborum humilitas sublimia regni cælestis mysteria loquens, secundaria sunt administricula ad stabiliẽdam Scripturæ fidem, lib.1, cap.8, sect.1.2.11. Item Scripturæ antiquitas: quum aliarum religionum libri sint recentiores libris Mosis, qui tamen ipse nouum Deum non comminiscitur, sed Deum Patrum Israelitis proponit, lib.1, cap.8, sect.3.4.

Quòd Moses Leui patris sui dedecus, Aaronis fratris & Mariæ sororis murmur non subticet, proprios filios non euehit, argumenta sunt, in libris eius nihil esse ab homine confictum, lib.1, cap.8, sect.4.

Item miracula omnia quæ contigerunt tam in Legis promulgatione quàm toto reliquo tempore, lib.1, cap.8, sect.5. Quæ quum profani scriptores negare non possent, calumniati sunt magicis artibus à Mose edita: quæ calumnia firmissimis rationibus refutatur, lib.1, cap.8, sect.6.

Item quòd Moses in Iacob persona loquens tribui Iudæ principatum assignat, & quòd vocationem Gentium, prædicit (quum illud quadringentis pòst annis, hoc duobus ferè pòst annorum millibus contigerit) argumenta sunt, Deum ipsum esse qui in libris Mosis loquitur, lib.1, cap.8, sect.7.

Quòd Iesaias prædicit Iudæorum captiuitatem, & eorum redemptionem authore Cyro, (qui cẽtesimo post illius mortem anno natus est) quòd Ieremias antequam populus abduceretur, præscribit exilio tempus annorum septuaginta, quòd Ieremias & Ezechiel locis alter ab altero lõgè dissiti in dictis omnibus cõsentiũt, quod Daniel prædicit de rebus futuris ad annum vsque 600, documenta sunt certissima ad sanciendam librorum Propheticorum authoritatem, libr.2, cap.8, sect.8.

Contra quosdam profanos derisores, qui quærunt qui sciamus Mosis & Prophetarum esse quæ sub eorum nominibus leguntur: item Mosen vnquam fuisse aliquem, libr.1, cap.8, sectio.9. Item qui quærunt vnde ad nos peruenerint exemplaria librorum Scripturæ, quum Antiochus iusserit omnia concremari. Vbi de admirabili Dei prouidentia in illis per tot secula conseruandis inter tot hostes & tam sæuas persequutiones, lib.1, cap.8, sect.10.

Trium Euangelistarum sermonis simplicitas cælestia mysteria continens, Iohannis oratio grauibus sententiis è sublimi tonans, in Petri & Pauli scriptis relucens cælestis maiestas, Matthæi insperata vocatio à mensa, Petri & Iohãnis à nauiculis ad Euangelii prædicatiõnem, Pauli hostis conuersio & vocatio ad Apostolatum, signa sunt loquentis in ipsis Spiritus sancti, lib.1, cap.8, sect.11.

Tot seculorum, tam variarum gentium, & tam diuersorum animorum consensus in amplectenda Scriptura, rara etiam quorundam pietas eius authoritatem apud nos debent confirmare, lib.1, cap.8, sect.12.

Item tot martyrum sanguis qui pro eius confessiõne mortem firmo & sobrio Dei zelo oppetierũt, lib.1, cap.8, sect.13.

Contra fanaticos qui posthabita Scripturæ lectione & doctrina, Spiritum iactant, & ad reuelationes transuolant, lib. 1, cap.9, sect.1.2.

Refutatio

Refutatio obiectionis ab ipsis allatæ, Indignum esse, Spiritum Dei, cui subiicienda sunt omnia, Scripturæ subiacere, lib.1, cap.9, sect.2.

Item quòd dicunt literæ occidenti nos incubare, lib.1.cap.9, sect.3.

Mutuo nexu Dominus doctrinæ Spiritúsque sui certitudinem inter se copulauit, lib.1, cap.9, sect 3.

Qualem cæli & terræ reliquarúmque creaturarum contẽplatio Deum nobis delineat, eũdem repræsentat Scriptura, nempe æternum, plenum bonitate, clementia, misericordia, iustitia, iudicio, & veritate: idque non alium in scopum, lib.1, cap.10, sect.1.2.

Quid sentiendum de potestate Ecclesiæ in Scripturæ interpretatione, lib.4, cap.9, sect.13.

Perperam hoc colore abuti Romanenses ad errorum & blasphemiarum confirmationem, sect.14.

de Spiritu sancto.

Testimonia quibus probatur deitas Spiritus, lib.1, cap.13, sect.14.15.

Spiritum sanctum vinculum esse quo nos sibi efficaciter deuincit Christus, ac sine eo nobis inutile esse quicquid in salutẽ generis humani Christus passus est ac fecit, lib.3, cap.1, sect.1.3.

Christum peculiari modo Spiritu sancto venisse instructũ, nempe vt à mundo nos segregaret. Inde dici Spiritũ sanctificationis. Quare nunc Patris nunc Filii Spiritus dicatur: & dici Spiritum Christi, non modò quatenus Christus est Sermo ille æternus, sed secundum Mediatoris quoque personã, sectione 2.

Interpretatio elogiorum quibus Scriptura insignit Spiritum: vbi de exordio totàque instauratione salutis nostræ agitur. Spiritus adoptionis, arrhabo & sigillum nostræ hereditatis, vita, aqua, oleum & vnctio, ignis, fons, Dei manus, &c. sect.3.

Eidem præcipuum esse opus Spiritus, propterea àque ad eã magna ex parte referri quæ passim occurrunt in Scriptura ad vim & efficaciam Spiritus exprimendam, sect.4.

de Superstitione.

Superstitiosorum simplicitas eos non excusat, quia eorum cæcitas vanitate, superbia, & contumacia implicitã deprehẽditur, lib.1.cap.4, sect.1.3.

Deo gratificari quum tentat superstitio, mendacibus fucis ei illudit, lib.1, cap.4, sect 3.

Superstitiosi non appropinquant ad Deum nisi inuiti & seruili timore, lib.1, cap.4, sect.4.

Quicunque puram religionem adulterant, licet antiquitatis consensum vel vrbis alicuius consuetudinem sequantur, discessionem faciunt ab vno & vero Deo, lib.1, cap.5, sectione 12.

Quid à superstitione differat religio ostenditur ex etymologia vocum superstitionis, religionis, ἀυσεβείας, lib.1, cap.12, sect.1.

Superstitionis astutiæ, dum vni Deo supremum locum cõcedens, illi turbam minorum Deorum circundat, lib.1, cap.12, sect.1.3.

de Templis.

De Templis Christianorum ad conuentus Ecclesiæ celebrandos, lib.3, cap.20, sect.30.

Non expedire in templis Christianis vllas omnino habere imagines, veteris Ecclesiæ authoritate & Augustini rationibus confirmatur, lib.1, cap.11, sect.13.

Verbi prædicatio & sacramenta viuæ sunt imagines solæ templis Christianis conuenientes, lib.1, cap.11, sect.7.13.

Synodi Nicenæ, quæ Irenes imperatricis iussu habita est, impietas, putidæ insulsitates & ineptiæ in approbandis imaginibus in templis, earúmque adoratione, lib.4, cap.11, sectione 14.15.16.

De templorum & sacrorum ornatu in vetere ecclesia, lib.4, cap.4, sect.8, & cap.5, sect.18.

de Tentationibus.

De variis tentationum formis: & quo sensu dicatur Deus nos tentare, lib.3, cap.20, sect.46.

de Testamento veteri & nouo.

De similitudine Veteris & Noui testamenti: vbi ostenditur vnum esse substantia & reipsa, administratione tantùm variare. Similitudo in tribus præcipuè capitibus vertitur, lib.2, cap.10, sectione 1.2.

1. Vetus testamẽtum non detinuisse Patres in terrena fœlicitate, sed præcipuè spectasse ad futuram vitam, ostenditur ex Paulo, qui sub eo dicit contineri promissiones Euangelii, ibid, sect.3.

Idem etiam probatur ex Lege & Prophetis: primùm consideratis verbis fœderis, Ego sum Deus vester, ibid.sect.7.8. Item, Ero Deus seminis vestri post vos, sect.9. Deinde etiam ex vita sanctorum Patrum, nempe Adam, Abel, Noe, sect. 10. Abraham, sect. 11. Isaac, Iacob, sect, 12.13.14. Tum ex multis testimoniis Dauidis, sect.15.16.17.18.

Iobi, sect.19. in genere, posteriorum Prophetarum, sect. 20. Sed nominatim Ezechielis, sect.21. Iesaiæ, & Danielis, sect.22. Tandem cõcluditur totum hoc caput: vbi rursus testimonia quædam ex Nouo testamento adducuntur, sect.23.

2. Vetus testamentum non hominum meritis, sed gratuita Dei misericordia fuisse suffultum: 3. ita tum cõstitisse Christi mediatoris cognitione fœdus Patrum cum Deo, probatur, ibid.sed.4.

Sacramentorum etiam significatione Israelitas sub Lege Christiano populo pares fuisse, lib.2, cap.10, sect.5.6.

Quatuor differentiæ Veteris testamenti à Nouo, quibus quintã adiicere licet. Prima, quòd tametsi olim quoque Dominus populi sui animas in cælestem hereditatem volebat collimare: quo tamen in spe illius melius alerentur, contemplandam sub beneficiis terrenis ac quodammodo degustandam exhibebat: nunc clarius reuelata per Euangelium futuræ vitæ gratia, rectà ad eius meditationem mentes nostras erigit, omisso inferiori, quẽ apud Israelitas adhibebat, exercitationis modo, lib.2, cap.11, sect.1. Propterea cõparari veterem Ecclesiam heredi paruulo, qui à tutoribus regitur, sectione 2.

Eadem ratione tanti æstimasse veteres Patres hanc vitam eiúsque benedictiones, sect.3.

Secunda differentia est in figuris: quibus Vetus testamentum imaginem & vmbram spiritualium bonorum ostẽtabat: nouum præsentem veritatem & corpus solidum exhibet. Additur ratio quare Dominus hunc ordinem obseruarit. & subiicitur definitio Veteris testamenti, ibid.sect.4.

Hoc sensu dici, Legis pædogia deductos fuisse Iudæos ad Christum: antequã in carne exhiberetur sect.5. Quod in excellentissimis etiam Prophetis & singulari Spiritus gratia pollentibus locum habuit, sect.6.

Tertia differentia sumitur ex Ieremiæ 31. & 2.Cor.3. quòd Vetus testamentum literale est, Nouum spirituale: Vetus mortiferum, Nouum, vitæ organum, &c. Ibid sect.7.8.

Quarta differentia, quòd Vetus testamentum Scriptura vocat seruitutis, quia timorem in animis generat: Nouum, libertatis: quòd eosdem in fiduciam & securitatem erigat. Tres posteriores differentiæ comparationes sunt Legis & Euangelii. Prima continet etiam promissiones ante Legem editas, Patres sub Lege & Veteri testamento ita vixisse, vt non illic restiterint, sed aspirarint semper ad Nouum, adeóque certam eius communionem amplexi sint, sect.9.10.

Quinta, quòd ante Christi aduentum gentem vnam Dominus segregauerat, in qua fœdus gratiæ suæ contineret, reliquis interim velut neglectis. Sic Gentium vocatio insignis est tessera qua supra Vetus testamentum Noui excellẽtia illustratur: res adeo incredibilis, vt Apostolis etiam ipsis in Prophetarum lectione versatis & Spiritu sancto donatis noua adhuc visa fuerit, sect.11.12.

Conclusio huius loci: & responsio ad varias obiectiones nonnullorum, qui hanc in gubernanda Ecclesia varietatem, diuersum in docendo modum, tantam rituum & ceremoniarum conuersionẽ pro magna absurditate iactant. Vbi ostenditur Dei cõstantiam elucere in hac mutatione, nihílque ab eo factum nisi sapienter, iustè, & in misericordia: quum aliter Ecclesiam in pueritia, aliter in adolescentia gubernat: item quũ gratiæ suæ manifestationem in vno populo ante Christi aduentum continuit, quam deinde effudit super omnes nationes, sectione 13.14.

T.

de Timore.

Fideles sæpe timore & diffidentia laborare ex propriæ infirmitatis sensu, lib.3, cap.2, sect 17.

Altera timoris species in pio pectore concepta, vel ex exẽplis diuinæ vltionis in impios, vel ex propriæ miseriæ consideratione. Eiusmodi timorem adeo non esse contrarium fidei, vt fidelibus maximè commendetur. nec mirum esse si simul sint in fideli anima pauor & fides, quum ex opposito in impiis simul sint torpor & anxietas, lib.3, cap.2, sect.22.23.

Timorem Domini gemino ex sensu emanare, quum scilicet Deum honoramus tanquam Patrem, timemus vt Dominum: nec mirum esse si vtrunque affectum idem animus recipiat, lib.3, cap.2, sect.26. Et alium esse hunc timorem à timore infidelium, quem seruilem vulgò vocant, Ibidem, sect.27.

de Traditionibus.

Quum Dominus veræ iustitiæ regulam traditurus, omnes eius partes ad voluntatem suam reuocarit, inde constat nihili coram eo esse quicquid bonorum operum ex suo ingenio excogitant homines: sed legitimum cultum sola constare obedientia, eámque esse originem, matrem custodémque virtutum omnium, lib.2, cap.8, sect.5.

De traditionibus humanis, id est edictis de cultu Dei præter eius verbum profectis ab hominibus: & earum impietate & necessitate, lib.4, cap.10, sect.1.2.5.6.7.8.

Constitutionum Papalium (quas vocant traditiones Ecclesiasticas) diuisio in eas quæ ritus continent, & alias quæ ad disciplinã spectare dicuntur. Vtrarúmque impietas, quòd in illis Dei cultus constituitur, & præcisa necessitate astringuntur conscientiæ, lib.4, cap.10, sect.9. Propter illas fit irritum Dei præceptum, sect.10.

Vera nota traditionum humanarum quas ab Ecclesia repudiari & à piis omnibus improbari conuenit, lib.4, cap.10, sect.16.

Refutatur quorundam prætextus defendentium traditiones Papales, quòd sint à Deo, quia Ecclesia non possit errare, & regatur à Spiritu sancto, lib.4, cap 10, sect.17.

Meram esse impostúram, referre ad Apostolos originem traditionum quibus hactenus oppressa fuit Ecclesia, lib. 4, cap.20, sect.18.19.20.

Falsò ad excusandam tyrannidem legum Papalium prætexi exemplum Apostolorum, præcipientium Gentibus vt abstineant ab idolothytis, suffocato, & sanguine, lib.4, cap. 10, sect.21.22.

Domino suum regnũ eripitur quoties ipse traditionũ humanarum legibus colitur. quod grauissimum semper fuisse crimen coram Deo exemplis & testimoniis Scripturæ ostẽditur, lib.4, cap.10, sect.23.24.

Inuentiones humanas non posse defendi exemplo Menoha priuati hominis sacrificium offerentis, aut Samuelis sacrificantis in Ramatha, lib.4, cap.10. sect.25: aut Christi iubentis ferre onera importabilia quæ alligabant Scribæ & Pharisæi, lib.4, cap.10. sect.26.

De sanctis & vtilibus Ecclesiæ constitutionibus, ac earum scopo, lib.4, cap.10, sect.1.

De constitutionibus Ecclesiasticis, quæ sanctæ haberi debent, vt quæ verè seruiant decoro, vel ordinem & pacẽ conseruent in Ecclesia, lib.4, cap.10, sect.27.28.29. Prudẽter expendendũ quæ sint eiusmodi sect.30. Christiani populi officium esse illas obseruare: & qui cauendi hîc sint errores, & quomodo interim semper sua conscientiis salua maneat libertas, sect.31.32.

de Tributis.

De tributis, vectigalibus, indictionibus, oblationibúsque quæ principibus persoluuntur, quomodo iis vti bona conscientia possint pii principes, lib.4, cap.20, sect.13.

de Trinitate.

In vna & simplici Dei essentia tres nobis distinctè considerandas personas, siue (vt Græci dicunt) hypostases, lib. 1. cap.13, sect.2.

Refutantur ii qui personæ nomen in hac materia dãnant & reiiciunt propter nouitatem, lib.1, cap.13, sect.3.4.5.

Voces quasdam nouas excogitare coacti sunt sacri doctores, ad asserendam Dei veritatem contra vafros quosdã homines, qui tergiuersando ipsam eludebant: vt contra Arriũ nomen ὁμοουσίου, contra Sabellium, proprietatum vel personarum trium, lib.1, cap.13, sect.4.16. Et de Hieronymi, Hilarii ac Augustini diuersis sententiis in harum vocum vsu, sectione 5.

Quid personam vocemus quum de Trinitate disseritur, lib.1, cap.13, sect.6. Et de errore Serueti in acceptione huius vocis, Ibidem, sect.22.

Quemadmodum Christi aduẽtu clarius se patefecit Deus, ita etiam tunc in tribus personis familiarius innotuisse, lib. 1, cap.13, sect.16.

Testimonia Scripturæ quibus demonstratur distinctio Patris à Verbo, & Verbi à Spiritu, lib.1, cap.13, sect. 17. Et distingui in Scriptura Patrem à verbo & Spiritu, Spiritum etiam ab vtroque, tam ex ordinis obseruatione quàm ex propriis attributis, lib.1, cap.13, sect.18.

Simplicissimam Dei vnitatem non impedit ista personarum distinctio, lib.1, cap.13, sect.19. Et quo sensu dicant veteres Patrem Filii esse principium, & tamen Filium à se ipso essentiam habere, Ibidem.

Breuis summa eorum quæ de vnica Dei essentia & tribus personis credere nos oportet, lib.1, cap.13, sect.20. Et hîc sobriè multáque cum moderatione nobis philosophandum, ne aut cogitatio aut lingua vltra verbi Dei fines procedat, Ibidem, sect.21.

Refutatio deliriorum Serueti in hoc capite doctrinæ, libr. 1, cap.13, sect.22.

Refutatio erroris quorundam nebulonum, Patrem verè & propriè vnicum esse Deum, qui Filium & Spiritum formando suam in eos deitatem transfuderit, lib.1, cap.13, sect. 23. Et falsum esse quod sumunt, quoties Dei mentio fit in Scriptura, nonnisi Patrem intelligi, sect.24. Item quòd indiuidua somniant, quorum singula partem obtineant essentiæ, sect.25, Responsio ad eorum obiectionem, Christum, si propriè sit Deus, perperam Filium Dei vocari, Ibid. sect.26. Responsio ad multos locos, quos in confirmationem suæ sententiæ adducunt ex Irenæo, vbi Patrem Christi asserit esse vnicum & æternum Deum Israel, Ibid. sect.27. Item ad locos ex Tertulliano, Ibi. sect.28. Iustinum, Hilarium, Augustinum pro nobis facere, Ibid. sect.29.

Filium esse consubstantialem Patri, lib.4, cap.8, sect.16.

V

de Vita hominis Christiani.

Vitæ formandæ regulam continet Lex, sparsim etiam tradunt varii Scripturæ loci: nec sine methodo, licet nõ ita exquisita & affectata vt philosophi, lib.3, cap.6, sect.1.

Duo hîc exequitur Scriptura: excitat nos ad iustitiæ amorem, & normam præscribit eius sequendæ. Prius variis argumentis & rationibus facit, lib.3, cap.6, sect.2. Hîc Scripturam multò præstantiora fundaménta sumere quàm reperiri possint in omnibus Philosophorum libris, lib.3, cap.6, sect.3.

Contra eos qui Christi cognitionem obtendunt, quum vita & mores eorum Christi doctrinam non referant, lib. 3, cap.6, sect.4.

Licet perfectio optanda esset omnibus, agnoscendos tamen pro Christianis etiam plerosque qui non ita multum adhuc progressi sunt. Enitendum semper nobis esse, neque desperandum propter successus tenuitatem, libr.3, cap.6, sectione 5.

Ex Pauli loco partes vitæ bene compositæ, gratiæ Dei consideratio, abnegatio impietatis & mundanarum cupiditatum, sobrietas, iustitia, & pietas (quæ veram sanctitatem designat) spes beatæ immortalitatis, lib.3, cap.7, sect.3.

de Vita futura.

Variis miseriis Deum nos erudire ad præsentis vitæ contemptum, vt seriò futurã desideremus, lib.3, cap.9, sect.1.2.4.

Talem vitæ huius contemptum requiri à nobis, vt neque eam oderimus, nec aduersus Deum ingrati simus, cuius clementiæ ipsa etiam est testimonium fidelibus, lib.3, cap.9, sectione 3.

Admonentur ii qui nimia mortis formidine renẽtur: Christianorum potius esse diem illum expetere, qui finem contibuis propè eorum miseriis imponet, & vero gaudio eos perfundet, lib.3, cap.9, sect.5.6.

De fœlicitatis æternæ (quæ resurrectionis est finis) excellentia incomprehensibili, cuius suauitatis gustũ hîc nos assiduè percipere oportet: vitare tamen curiositatem vnde frigescit charitas, lib.3, cap.25, sect.10.11. Vbi etiam respondetur ad quæstiones quas quidam mouent de statu filiorum Dei post resurrectionem.

Quo sensu vita æterna dicatur nonnunquam merces operum, lib.3, cap.18, sect.2.4.

de præsenti Vita, eiúsque adiumentis.

Optimum modũ vtendi bonis huius vitæ proponi in Scriptura, lib.3, cap.10, sect.4.5. Cauendáque duo vitia: ne vel nimia austeritate astringamus conscientias, vel laxemus frænа hominum intemperantiæ, lib.3, cap.10, sect.1.3.

Deũ & in vestibus & in alimentis non tantùm necessitati nostræ, sed etiam oblectationi voluisse consulere, lib 3, cap. 10, sect.2.

Maximè

Maximè necessarium esse, vnumquenque nostrum in cunctis vitæ actionibus in suam vocationem intueri, nequid temere vel dubia conscientia tentemus, lib.3, cap.10, sect.6.

Deum non dedignari corporis etiam nostri terreni necessitatibus consulere. & quo sensu ab eo petamus panem quotidianum, lib.3, cap.20, sect.44.

de Vltima (vt vocant) vnctione.

Extremæ vnctionis Papisticæ administratio quibus, & qua forma verborum: nec posse defendi Iacobi authoritate aut Apostolorũ exemplo, lib.4, cap.19, sect.18. Quum gratia curationum olim data Apostolis iampridem desierit extare in Ecclesia, sect.19.20. Et, vt extaret, longè tamen abesse à sancta Apostolorum ceremonia impiam istorum obseruationẽ: cuius blasphemiæ demonstrantur, dum oleum exorcizant, & ei tribuunt quod est Spiritus sancti, sect.21.

de Voluntate hominis.

An omni ex parte vitiata sit corruptáque voluntas vt nihil nisi malum generet, an verò aliquam adhuc retineat arbitrii libertatem. Vbi exponitur vulgare dictum à philosophis vulgò sumptum, Omnia naturali instinctu bonum appetere: & ostenditur non posse inde probari libertatem voluntatis, lib.2, cap.2, sect.26. Non tantùm imbecillam, sed nullam esse animæ facultatem vltrò ad bonum aspirandi: & quum totus homo peccati imperio subiaceat, ipsam certè voluntatẽ arctissimis vinculis constringi, probatur testimoniis Scripturæ & Augustini, lib.2, cap.2, sect.27.

Lapsu suo hominem amisisse non voluntatem, sed voluntatis sanitatem, vt ad bonum ne quidem commouere se possit, nedum applicare: sed necessariò in malum trahatur vel ducatur, (licet non coactè sed voluntariè) probatur ex Augustino & Bernardo: & fusè ostenditur differentia inter coactionem & necessitatem, lib.2, cap.3, sect.5.

Quum Dominus bonum in cordibus nostris & inchoet & perficiat, quum operetur in nobis velle (id est bonam voluntatem) quum creet cor nouum, auferat lapideum, det carneũ: sequitur penitus corruptam esse hominis voluntatem, & nihil boni habere, lib.2, cap.3, sect.6.

Rationibus & variis Scripturæ testimoniis clarissimè probatur, Deum operari bonam voluntatem in suis, nõ tantùm præparando aut conuertendo ab initio: (ita vt postea ex se ipsa aliquid boni agat) sed quia illud vnius est quòd recti amorem concipit voluntas, quòd in eius studium inclinatur, quòd ad eius sectandi conatum incitatur & mouetur: deinde quòd electio, studium, conatus non fatiscunt, sed ad effectum vsque procedunt: postremò quòd homo in illis constanter pergit, & in finem vsque perseuerat, lib.2, cap.3, sect.7.8.9.

Itaque falsum esse quod multis seculis traditum est, Deum ita voluntatem mouere vt nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, aliásque similes sententias, Scripturæ & Augustini authoritate probatur, lib.2, cap.3, sect.10.11.12.13.14.

In actionibus etiam quæ per se nec iustæ nec vitiosæ sunt, & ad corpoream magis quàm spiritualem vitam spectãt, hominis voluntatem nõ esse liberam, sed Dei motione speciali inclinari ad clementiam, misericordiam, iram, pauorem, aliósque diuersos affectus, quoties ipse viam facere vult suæ prouidentiæ, probatur ex Scriptura, quotidiana experientia, & Augustini authoritate, lib.2, cap.4, sect.6.7.

de Voluntate Dei.

De voluntate Dei arcana: item de alia, cui respondet voluntarium obsequium, lib.3, cap.20, sect.43, & lib.3, cap.24, sectione 17.

de Vocatione.

De Vocatione efficaci siue interiori, quæ electionis est certum testimonium, & à sola Dei gratuita misericordia pẽdet, lib.3, cap.24, sect.1.2.

Contra eos qui in prædestinatione hominem faciũt Deo cooperarium: item qui electionem à posteriori suspendunt, lib.3, cap.24, sect.3.

Electionis nostræ certitudo cognoscenda ex verbo & Dei vocatione: nec perrumpendum nobis in æternum Dei consilium, lib.3, cap.24, sect.4. In Christo solo nos elegit Pater: in eo ergo contemplemur electionis nostræ firmitudinem, sect.5. Et ità vt inde etiam finalis perseuerantiæ fiduciam concipiamus, lib.3, cap.24, sect.6.7.8.9.

Vocatio duplex, vniuersalis & specialis, lib.3, cap.24, sectione 8.

Electos ante vocationem non differre quicquam ab aliis: & falsum esse quod quidam somniant, ab ipsa natiuitate insitum esse in cordibus eorum semen aliquod electionis: probatur variis exemplis & Scripturæ testimoniis, lib.3, cap.24, sect.10.11.

Quemadmodum suæ erga electos vocationis efficacia salutem, ad quam eos æterno cõsilio destinarat, perficit Deus: ita sua ipsum habere aduersus reprobos iudicia, quibus consilium de illis suum exequitur, & prædestinationi suæ viam facit: tractatur fusissimè, lib.3, cap.24, sect.12.13.14, &c.

de Votis.

De votis quæ præter expressum Dei verbum fiunt, an nũcupari rite possint ab hominibus Christianis: & quo loco sint habenda, lib.4, cap.13, sect.1.6.

Tria obseruanda in votis, Quis sit is cui vouemus, nempe Deus, qui obedientia delectatur, sect.2. Qui simus nos qui vouemus, vt metiamur vires nostras, vt vocationem nostrã intueamur, ne beneficium libertatis quod nobis Deus contulit negligamus, sect.3. Et quo animo voueamus, sect.4

De voto cœlibatus Sacrificorum, Mónachorum & Monialium, lib.4, cap.13, sect.3, &17.18.19.

Votorum quatuor fines: duo in præteritum tempus referuntur, duo in futurum, lib.4, cap.13, sect.4.5.

Votum fidelium omnium commune, quod in Baptismo nuncupatur, lib.4, cap.13, sect.6.

De mundi temeritate & superstitione in votis nuncupandis, lib.4, cap.13, sect.1.7.

CHRISTIANIS ET HVIVS LIBRI STVDIOSIS LECTORIBVS, AVGVstinus Marloratus Salutem à Domino precatur.

QVICVNQVE hos subsequentes duos Indices, ac in primis posteriorem legerint, mirari poterunt, quid mihi post tam multas huius operis editiones ac recognitiones in mentem venerit, vt omnes sacrarum literarum in eo citatas, ac bonam partem expositas authoritates colligerem: quum id, si aliquem fructum afferre poterat, maturiùs fieri oporteret: præsertim verò ab hinc triennio, quum author huic libro tam sedulò incubuit, vt præter plurimas vtiles rerum quas continet additiones, earũ collocatio ab ipsius manibus suis absoluta numeris prodierit: ità vt libris quatuor, in capita, eáque in diuersas sectiones, distinctis, totius Christianæ religionis summã nõ minus fœliciter quàm familiariter comprehenderit. Ac sanè non infiteor commodissimum futurum fuisse, si iam tum aliquis fideliter ac dulò in his locis colligendis inuigilasset: id quod & ipse ex typographi sententia facere decreueram: sed quòd meum munus aliò me auocabat, vel quũ iam recognito & secus atque antea dispositio operi finis imponeretur, rem omittere aut certè intermittere sum coactus. Ex quo enim liber hic & Latinus & Gallicus emanauit, quúmque iã passim vaniret, quia videbam neminem esse qui in Scripturæ locis ad copiosissimum indicẽ redigendis operã daret, & quòd quãta esset vtilitas ad omnes peruentura intelligebã, non potui quin pro viribus, & pro eo otio quod mihi hæ temporum procellæ concedebant, totã curã impenderẽ. Verùm vt omnia certiora ac emendatiora prodirent, nolui fidem adhibere numeris hactenus à typographo adscriptis: nã omnibus diligenter collatis, non paucos falsos, plures prætermissos, aliquot etiam traiectos comperi: facilè enim id recognitoribus minus sacrarum Literarum peritis vt plurimùm euenire solet, vt dormitantes hallucinentur. Itaque omnibus summa cum diligẽtia restitutis, iisque expletis quæ omissa videbãtur, sacræ Scripturæ locos ex ordine veteris ac noui Testameti coaceruatos ita digessi, vt siqui, aut memoriæ vitio, aut alio modo prætermissi sint (fieri enim vix potest quin spica aliqua in tam copiosa messe colligẽtis oculos fallat) hoc sperare audeam, tam paucos inuentũ iri, vt si quãdo ad prælum reuocetur Index, non multò locupletior sit futurus: tametsi rogo atque hortor Lectores, vt siquid animaduertãt ad typographiũ deferãt, quò res magis ac magis elaborẽtur. Hoc quoque obseruandum est, versiculos quos ego totos Indice sum cõplexus, non integros citari multò verò minùs exponi in Institutione, sed tãtùm dimidios: quod tamẽ à nobis temere non est factum. Sæpe enim occurrit, vt in diuersis Institutionis locis certæ citẽtur authoritates, quæ ex eiusdem versiculi parte aliqua afferantur. Et quia repetitionibus in locis ac numeris notandis vtẽdum fuisset, quæ Lectori tædium afferre poterant, malui integrum & perpetuum collocare versiculum, quàm eum in plures partes secãdo repetitionibus superuacaneis vti. De vtilitate quam ex hoc meo labore percipere poterũt Lectores, præter id quod me vsus & experientia docuit in huiusmodi indicibus, quos ad priuata studia & exercitationẽ in Institutiones antea æditas scripsi: eis saltem asserere possum, qui nondum satis in tractãdis sacris literis sunt exercitati, quíque Ecclesiæ seruiendi studio tenentur, atque adeò in dies ei dant operam, fore vt latissimum aditum inueniant tutò ac summa cum dexteritate, tum Prophetarum tum Apostolorum scripta explicandi, authoritates etiam hîc citatas, atque adeò his similes ad Ecclesiæ ædificationem, qui verus est finis, accõmodandi. Quanuis enim nobis non desint commentarij qui genuinum sensum sacrorum Scriptorũ in quibus versamur, nobis aperiãt, tamen quoniam qui eos scripserunt, & in iis fœliciter desudarunt, nuda ac syncera textus explicatione contenti fuerunt: haud facilè, nisi qui in Religionis capitibus non mediocriter versati sunt, commentarij solius opera freti, intelligere poterunt, ad quem locum communem, argumentum quod tractatur referri debeat. Qui verò hoc Indice vti non grauabitur, vbi locum quem exponit in eo inuenerit, videbit quo modo, & ad quem finem, siue ad veræ doctrinæ confirmationem, siue aduersariorum refutationem siue locorum, qui pugnare inter se videntur, conciliationem, sit accommodandus: Id quod magno erit vsui, non solùm vt amplificetur aliquod argumentum, verùm etiam vt iis qui in præcipuis Religionis Christianæ fundamentis cupiũt confirmari, satisfiat. Satis enim constat, quàm frigida & ieiuna sit eorũ oratio, qui nihil aliud quàm quod in Commentariis legerint, afferunt: cùm eorum authores, doctissimi inquam ac præstantissimi, breuitati diserte studuerint, quò Lectores locis communibus vterentur, ad ea quæ in Commentariis breuiter exposita reperiunt, fusius explicanda. Præterea cùm nõ semper habeamus in promptu quæ in Biblia Authores scripserunt: atque adeò cùm paucorum in aliquot libros, tum vel maximè authoris huius operis, Cõmentarij inueniãtur: non parũ hic Index, cùm alioqui obscuras & difficiles authoritates explanabit, adminiculi Lectoribus afferet. Aut enim subitam interpretationem, aut saltem aditum aliquem ad veræ sententiæ inuestigationem, inuenire

poterunt. Ad versionem verò quod attinet, spero equidem id non alienũ Lectoribus visum iri, qnòd ipsa Bibliorũ verba potiùs sim sequutus, quàm quomodo à Ioãne Caluino in hac Institutione citantur. Vt enim peritissimus est ac multiugis homo lectionis, quemadmodũ & ipsius opera satis testãtur quàm ei sacræ literæ sint familiares, non semper præ oculis dum scribit libros explicatos habet: Etenim ne necesse quidem est vt quicquid ex veteri ac nouo Testamento citat, totidem verbis describat: satis est, quod sensus ita fideliter retinetur, vocabulorúmque proprietas tam accuratè obseruatur, vt facilè omnium calumnias vitet: nisi fortasse eorum, qui ea libenter carpunt, quæ ne minima quidem ex parte imitari possint. Persuasus itaque nec ingratum authori., nec alienum lectoribus visum iri, si sententiæ, quomodo extant in nouissima Bibliorum, ex Hebræo quod ad vetus testamentum attinet, quod ad nouum è Græco, versione sumerentur: non dubitaui sacrarum literarum authoritates, aliter atque in Institutione habentur, quod ad verba attinet, describere, vt quod interdum in tertia persona affertur, index habeat in secunda, & contrà, eadẽ tamen seruata sententia: quod quisque facilè iudicabit si singula diligenter contulerit, ac sine anticipata opinione, quæ leuioribus & curiosis ingeniis, fructum quem ex multa lectione reportare deberent, eripit. In nominibus verò & numeris tum librorum tum capitum veteris Testamenti, non vulgatam, sed eam quæ Hebræo quadrat versionem, secuti sumus: cuius quidem lectores commonefacere lubuit, ne primum Regum, pro primo Samuelis, secundum Regum pro secundo eiusdem Prophetæ accipiant: quod ab iis factitatum est, qui vsque adhuc impressis Institutionibus numeros adscripserunt, quippe qui magnis Bibliorum, quas vocant, Concordantiis ex vulgari versione desumptis, adhæserunt: ex qua nonnulli veteris Testamẽti libri secus inscripti, Psalmi verò etiã aliter quàm ex Hebræorum ordine, vt omnibus constabit, distincti sunt. Cæterùm cùm in hoc libro omnia religionis capita copiosè & fideliter nobis exponantur, quibus facilè aduersariorũ falsas opiniones refellere possimus: quisquis ad eius lectionem cum docilitate, ac proficiendi studio accesserit, non dubium est quin & ipse cumulatè proficiat & aliis prodesse possit, quorum conscientias ita corroboret, vt nulla re vnquam labefactari possint: vtpote qui certum habeant, fidem suam firmissimo niti fundamẽto & Prophetarum & Apostolorum, qui & scripserunt & loquuti sunt afflati spiritu Dei, qui verbũ suum quod habet charissimum ac pretiosissimum, legi, audiri, tractari, & cum omni timore ac reuerentia nihil neque addendo, neque detrahendo ne iure vanitatis arguamur, accipi præcipit. Itaque cum omni simplicitate ac timore Dei hæc tam vtilia & necessaria legamus, & quotidie progressus faciamus in gratia & cognitione Christi, qui solus & Seruator est, caput ac Doctor Ecclesiæ, cui hoc & sempiterno tempore sit gloria, Amen. Cal. Maij,

M. D. LXII.

RERVM HOC VOLVMINE contentarum Index.

Primus numerus librum: alter caput: tertius ſectionem indicat.

A

ABRAHAM pater fidelium 2.10.11
Abraham ſola fide iuſtificatus 3.11.13
Abraham vitam miſeriarum plenã duxit 2.10.11
Acatius Amidæ Epiſcopus 4.4.8
Actio gratiarum ſoli Deo debetur 2.8.16
Actio gratiarum neceſſaria fidelibus 3.20.28
Acceptio hominis duplex apud Deum 3.17.4
Achab, & eius pœnitẽtia 3.3.25, & 3.20.15
Ἀκόλουθοι, & eorũ munus 4.4.10, & 4.19.23
Adam quomodo lapſus 2.1.4
Adam Dei prouidentia lapſus 3.23.8
Adam poſterior, vide Chriſtus
Adminiſtratio ſacramentorum pars miniſterii Eccleſiaſtici 4.15.10
Admonitiones priuatæ in Eccleſia neceſſariæ 4.12.2
Adoratio ſoli Deo debetur 2.8.5
Aduentus Chriſti in iudicium 2.16.17
Adulterium prohibitum 2.8.41
Aegyptiorum garrulitas ridicula 1.8.4
Aedificatio neceſſaria fidelibus 4.1.12, & 4.8.1
Afflictiones à Deo immiſſæ 1.17.8
Afflictiones fidelibus neceſſariæ 3.8.1
Afflictiones variis modis vtiles 3.4.32.33 34, & 3.8.2.3
In Afflictionibus finis ſemper conſiderandus 3.9.1
Afflictiones fidelium & impiorum differunt 3.4.32. & 3.8.1
Afflictiones impiorum maledictæ 3.4.32.33
Antichriſtus, & eius in Eccleſia ſedes 4.2.12.
Apollinarius vetus hæreticus 2.16.12
Apoſtoli qui propriè 4.3.4.5
Apoſtoli Spiritu diuino afflati, & loquuti ſunt & ſcripſerunt 4.8.9
Apoſtoli quomodo præferantur Ioanni Baptiſtæ 2.9.5
Apoſtolorum in ſcriptis ſcopus 4.20.12
Apoſtoli, ab iis qui ſe eorum ſucceſſores prædicant, longè differunt 4.8.9
Appetitus vindictæ prohibitus 2.8.57, & 4.20.20
Appetitus vindictæ in Samſone 3.20.15
Arbitrium, vide Liberum Arbitrium
Archediaconi, & illorum in Eccleſia origo 4.4.5
Archiepiſcoporum in Eccleſia inſtitutio 4.4.4
Ariſtocratia inter Iſraelitas à Deo conſtituta 4.20.8
Ariſtoteles philoſophus 1.5.5, & 1.15.7, & 2.3.23
Arrius hæreticus refellitur 1.13.4.16
Artes ſedentariæ à Deo ſunt 2.2.16
Aſcenſus Chriſti ad cælum 2.16.14
Aſtrologiæ vſus 1.5.5
Allegoriæ inutiles omittendæ 3.5.19, & 3.4.4
Ambroſius, & illius animi magnitudo 4.12.7.
Anabaptiſtarum errores 2.8.26, & 2.10.1.7, & 3.3.2.14, & 4.1.13, & 4.12.12, & 4.15.16, & 4.16.1, & 4.20.2
Anathematis ſignificatio 4.12.10
Angeli à Deo creati 1.14.3.4
Angeli ad Dei imaginem creati 1.15.3
Angeli ſpiritus eſſentialis naturæ 1.14.9
Angeli cur ſic dicti 1.14.5
Angeli cur appellentur exercitus ibid.
Angeli interdum dii vocantur ibid.
Angeli cur virtutes dicantur ibid.
Angeli non adorandi 1.14.11
Angeli ad ſalutẽ fideliũ conſtituti 1.14.7
Angelorum caput Chriſtus 3.22.1
Angeli mali, illorúmque lapſus 1.14.16
Angelorum munus 1.14.6.12, & 3.20.23
Angelorum diuerſa nomina 1.14.8
Animæ diffinitio 1.15.6
Anima eſt immortalis eſſentiæ 1.15.2.6
Anima bipertita 1.15.7
Animæ à Deo creatæ 1.15.5
Animæ immortales 1.5.2, & 2.10.9
Anſelmus 2.2.4
Anthropomorphitæ 4.17.23.25
Aſſentatores principum periculoſiſſimi 4.20.1.32
Audire ad credendum 3.2.6
Aulici & aſſentatores periculoſi 4.20.31
Authoritas Conciliorum 4.8.10.11, & 4.9.11

B

BAptiſmus, & eius ſignificatio 4.15.1.
Baptiſmus à Chriſto inſtitutus 4.16.17
Baptiſmus ſacramentum pœnitentiæ 4.15.4.
Baptiſmus cum ceremoniis 4.15.19
Baptiſmus pro circumciſione 4.14.24, & 4.16.6
Baptiſmus in quo differat à circunciſione 4.14.21, & 4.16.3
Baptiſmus quomodo neceſſari? 4.16.26
Baptiſmus ex adminiſtrantis dignitate non æſtimandus 4.15.16
Baptiſmus tria ad fidem Chriſtianam affert 4.15.1
Baptiſmus Ioannis & Apoſtolorum idem 2.9.5
Baptiſmus infantium ſacris literis probatus ac confirmatus 4.16.1
In Papatu ſemel baptizatis non repetendus Baptiſmus 4.15.16
Baſilius 1.14.20, & 1.16.8
Bella quomodo legitima 4.20.11
Benedictio Dei maximam vim habet 3.7.8.9
Beneficia quibus collata in Papatu 4.5.6
Berengarius 4.17.12
Bonum ſummum hominis 3.25.2
Bonum ſummum ex Platone 1.2.3
Bona Eccleſiæ quomodo olim diſtributa 4.4.6
Bonorum terreſtrium rectus vſus 3.10.1
Boni inter improbos 3.21.7, & 4.1.7.8.13
Bonitas Dei obiectum fidei 3.3.19

C

CAligula audax & inſignis numinis contemptor 1.3.2
Calumnia damnatur 2.8.47
Canonici qui in Papatu 4.5.10
Cantus introductus in Eccleſiã 3.20.32
Capellani in eccleſia Papiſtica 4.5.10
Cardinales quomodo in Eccleſia euecti 4.7.30.
Caro pugnat cum ſpiritu 3.20.17.18
Caſſii tribunal 4.20.10
Catechiſandi ratio in Eccleſia 4.19.12
Catharienſes 4.1.13
Cato 3.10.4
Cauſæ ſalutis noſtræ quatuor 3.14.17.21
Celeſtini hæretici refelluntur 2.1.5, & 3.23.5
Ceremoniæ aduẽtu Chriſti deletæ 4.15.25
Ceremoniæ à Chriſto ſeparatæ inutiles 4.14.25
Charitas à fide procreatur 3.2.41.
Chiliaſtæ, & eorum de regno Chriſti nugæ 3.25.5
Chriſtus Deus æternus 2.13.7, & 2.14.2.
Chriſtus Deus & homo 2.12.2
Chriſtus habet duas naturas 2.14.1
Chriſtus cur Ieſus appellatus 2.16.1
Chriſtus alter Adam 1.15.4, & 2.12.7
Chriſtus patronus 3.20.17
Chriſtus angelus nominatus 1.3.10, & 1.14.5.
Chriſtus verus ac ſolus miraculorum author 1.13.13
Chriſtus author vitæ 2.17.1.
Chriſtus eccleſiæ caput 4.6.9
Chriſtus hominum & angelorum caput 2.12.1. & 3.22.1.
Chriſtus ſolum animarum noſtrarum alimentum 4.17.1
Chriſtus ſolus Eccleſiæ doctor ac magiſter 4.3.3, & 4.8.7.8
Chriſtus filius Dauid 2.13.3
Chriſtus propriè Dei filius 2.14.5
Chriſtus finis Legis 1.6.2, & 2.6.4, & 2.7.2
Chriſtus omnium fidelium frater 2.12.2
Chriſtus totius eccleſiæ fundamẽtũ 3.15.5
Chriſtus vt officio mediatoris fungeretur debuit carnem humanam aſſumere 2.12.1.4.
Chriſtus perfectiſsima Dei imago 1.15.4
Chriſtus totius mundi iudex 2.16.17
Chriſtus ſacramentorum ſubſtantia 1.14.16, & 4.17.11.
Chriſtus ſolus interceſſor inter Deum & hominem 1.14.12, & 2.6.2.3, & 2.12.1. & 2.16.16, & 2.17.1. 4. & 3.20.17, & 4.12.25.
Chriſtus verum Baptiſmi obiectũ 4.15.6.
Chriſtus panis vitæ 4.17.5.
Chriſtus Propheta, rex, & ſacerdos 2.15.1
Chriſtus verum noſtræ electionis ſpeculum 3.24.5.
Chriſtus ſacerdos 2.12.4, & 2.15.6. & 4.18.2, & 4.19.28.

INDEX.

Christus solus omnium electorum seruator 3.24.6
Christus sol iustitiæ 2.10.20,& 3.25 1,& 4.8.7
Christus anima legis 2.7.2
Christus anno circiter tricesimo baptizatus 4.16.29
Christus diuersis afflictionibus obnoxius 3.8.1
Christus in Euangelio patefactus 2.9.1
Christus omnis peccati expers 2.13.4,& 2.16.5
Christus nobis Dei gratiam & vitam æternam acquisiuit 2.17.1
Christus in cælo quæri debet 4. 17.29
Christus verè carnis nostræ essentiam assumpsit 2.13.1
Christus sedet ad dexteram Dei patris 2.14.3
Christus solus omnibus fidelibus est satis 2.16.19
Christus in iudicium venturus 2. 16.17
Christus est præditus carne viuificante 4.17.9
Christus morte sua nobis vitam attulit 2.16.5
Christus ad inferos descendit 2.16. 8.9
Christus 40. dies ieiunauit: quámque ob causam 4.12.20
Christus nostras induit infirmitates excepto peccato 2.16.12
Christus perfecta iustitia præditus 3. 14.12
Christi meritum 2.17.1
Christi miracula 1.13.13
Christus sua obedientia deleuit nostra peccata 2.16.5
Christi officium 2.16 2,& 2.12.4,& 2.5.1, & 3.12.7
Christus infinita potentia præditus 2.15. 5,& 2.16.16
Christi regnum æternum 2. 15. 3, & 3. 25.5
Christi regnum spirituale 2.15.3.4,& 4.5. 17,& 4.17.13,& 4.20.1.12.
Christus à mortuis resurrexit 2. 16.13
Christus victor in Satanam 1.14.18
Christus interdum nomen suum Ecclesiæ communicat 4.17.22
Christiani fideles dicti 2.15.5
Christiani nomine tenus 3.6.4
Circuncisio in quo differat à baptismo 4.14.21,& 4.16.3
Claues regni cælorum 4.6.4,& 4.2.10, & 4.11.1
Clerici qui olim 4.4.9
Clericorum immunitas 4.11.15
Clericalis tonsura 4.19.26 27
Cognitio Dei in hominum mẽtibus infixa 1.3.1
Cognitio Christi 3.2.6
Cognitio hominis necessaria 1.1.1
Cognitio hominis duplex 1.15.1
Cognitio vitæ cœlestis animo hominis impressa 1 15.6
Κοινωνία ἰδιωμάτων id est, Communicatio proprietatum vtriusque naturæ Christi 2.14.1
Cœlibatus 2.8.43,& 4.12.26,& 4. 13.18
Cœna Domini quomodo instituta 4.17. 1.20
Cœna Domini in duobus sita 4.17. 11.14
Cœnæ Domini vsus 3.25.8
Cœna Domini olim pueris administrata 4.16.30
Cœna Domini conspurcata in Papismo 4.18.1
Cœtus Ecclesiastici necessarii 2.8.32,& 4.1.5
Communio sanctorum 4.1.3
Comparatio inter Christum & Mosen 2.11.4
Concilia inter se disidentia 4.9&
Conciliorum authoritas 4.8.10.11, 4.9.1
Concupiscentia damnatur 2.8.49
Concupiscentia peccatum coram Deo 3.3.12.13
Concupiscentia in regeneratis 3 3.10
Confessio peccatorũ necessaria 3.3.17
Confessio peccati multifariam 3. 20.9
Confessio auricularis, eiúsque fundamentum 3.4.4.5
Confessionis species 4.12
Confirmatio papistarum. 4.19.4
Congregatio in Christi nomine 4.9.2
Coniectura moralis fidei repugnans 3. 2.38
Coniunctio Dei cum fidelibus 2.8.58
Conscientiæ significatio 3.19.5,& 4. 10.3
Consolatio fidelium 1.4.6,& 1.16.3,& 1.17.11,& 2.8.21,& 2.16.5.17,& 3.8.7,& 3.9.6, & 3.15 8, & 3.20.51, & 3.25.4,& 4.1.3
Constantinus 4.11.12
Constitutionum Ecclesiasticarum duæ species 4.10.29
Contemptus ministerii non inultus manebit 4.1.5
Contemptus mortis 3.9.5
Contentio in Ecclesia de vniuersalis Episcopi titulo 4.7.4
Contẽtio pro infantulorum baptismo 4.16.32
Continentiæ nomen quid significet 4. 13.17
Continentia donum Dei singulare 2. 8 42
Conuentus Ecclesiastici necessarii 2.8. 32,& 4.1.5
Conuentus in nomine Christi 4 9.2
Conuersio quænam in sacramentis inueniatur 4.17.14.15
Corda hominum in potestate Dei 1. 18.1.2
Cornelius centurio cur baptizatus 4. 15.15
Cornelius priusquam Euangeliũ ex ore Petri audisset regeneratus 3.24.10
Cornelii fides 3.2.32
Corpus etiam Deo consecratum 3.25.7
Corpus Christi finitum 4.17.26
Corpus Christi templum appellatur 2. 14.4
Corpus Christi quomodo in Cœna edatur 4.17.5
Crates Thebanus 3.10.1
Credere Ecclesiam, non in Ecclesiam 4.1.2
Crux Christi est currus triumphalis 2.16.6
Crux, vide Afflictio.
Culpa & pœna simul collocãtur 3.4.29
Cultus diuinus primum iustitiæ fundamentum 2.8.11
Curiositas fugiẽda 1.4.1,& 1 14.1.4.7.8. 16,& 1.15.8, & 2.1.10,& 2.12.5,& 2.16. 18,& 2.17.6,& 3.20.24, & 3.21.1.2,& 3. 25.6.10

D

DAuid figura & imago Christi 3. 20.25
Descensus Christi ad inferos 2.16.8.9
Deus vnus 1.10.3,& 2.8.16
Deus non est acceptor personarum 3. 23.10
Deus origo & fons bonorum omnium 1.2.1
Deus non est author peccati 1.14.16,& 1. 18.4,& 2.4.2
Deus solus corda nouit 2.8.23,& 3.2.16, & 3.4.9
Deus solus omnium rerum creator 1. 14.3
Deus doctor fidelium 3.2.6
Deus totius mundi iudex 1.16.6
Deus spiritualis legislator 2.8.6
Deus sibi ipsi lex est 3.23.2
Deus omnipotens 1.16.2.3
Deus sponsus Ecclesiæ 2.8.18
Deus natura liberalis 3.20.26
Deus rex æternus 3.20.42
Deus semper sibi similis 1.4.2.3,& 2. 11 13
Deus quodammodo se visibilem reddit in Christi persona 2.9.1
Deus cur mundum sex diebus creauit 1. 14.22
Deus non debet vlla visibili effigie repræsentari 1.11.1
Deus quomodo dicatur esse in cælo 3. 20.40
Deus duobus modis cognosci potest 1. 2.1.
Deus est simplicis & infinitæ essentiæ 1. 13.2
Deus nobiscum & cum patribus fœdus iniit, sed diuersa ratione 2.10.2
Deus ficta pœnitentia non placatur 3. 3.25
Deus quomodo obcæcet & induret improbos 2.4.3
Deus quomodo in cordibus hominum operetur 2.4.1
Deus duobus modis in electis operatur 2.5.5
Deus beneficium suum electis duntaxat largitur 2.2.6,& 2.3.14
Deus homines sua benedictione ditat 3.7.8.9
Deus in omnes creaturas suam infundit misericordiam 1.5.5
Deus omnia regit sua prouidentia 1.16.1
Deus iram suam in reprobos testatur 3. 25.12
Deus homines gratuita sua benignitate anteuertit 3.14 5,& 3.2.42
Deus in corda potiùs quàm in opera intuetur 3.14.8,& 3.20 31
Deus quomodo improbis vtatur 1. 18. 1.
Deus suis diuersis modis indulget 3.15.4, & 3.19.5,& 3.20.12.19,& 4.17.14
Deus nonnunquam vult suum verbum annunciari reprobis 3.14.13
Diabolus quomodo improbus 2.3.5
Diaboli spiritus essentiales 1.14. 19.
Diaconi sunt duorum generum 4.3.9
Diaconi in Ecclesia & illorum munus 4.3.9
Diaconi quales in Papatu 4.5.15,& 4. 19.32
Diaconissæ in Ecclesia 4.13.19
Dionysius de Hierarchia cælesti 1. 14.4
Discrimen inter Deum & homines 2.8. 6,& 2.10.9,& 30.20.26
Discrimen inter iustum & iniustum 3. 14.2
Discrimen inter Legem & Euangelium 2.9.2.3.4

INDEX.

Discrimen inter necessitatẽ & coactionem 2.3.5
Discrimen inter pastores & doctores 4.3.4
Differẽtia inter patres, & fideles sub nouo Testamento 2.7.16, & 2.9.1.2.4, & 2.10.5, & 2.14.5, & 4.10.14, & 4.14.23
Discrimen inter veram religionem & superstitionem 1.12.1
Discrimen inter sacramenta veteris ac nouæ Legis 4.14.23.26
Discrimen inter schismaticos & hæreticos 4.2.5
Discrimen inter vetus ac nouum fœdus 2.11.1
Dignitas & præstãtia hominis 1.15 3.4
Dignitas fidelium, vide, fideliũ dignitas
Disciplina Ecclesiastica 4.12.1
Disciplina Ecclesiastica mitigari debet 1.4.29
Disciplinæ Ecclesiasticæ partes 4.12.22
Disciplina Lacedæmoniorũ admodum dura 4.13 8
Disputatio inter Petrum & Simonem Magum fictitia 4.6.15
Dissimulatio quorundam reprehenditur 3.19.13
Distinctio fidei formatæ & informis nugatoria 3.2.8
Distinctio δουλείας & λατρείας 1.11.11, & 1.12.2, & 2.2.5
Distinctio scholastica trium libertatis generum 2.2.5
Distinctio scholastica necessitatis 1.16.9
Distinctio pœnæ & culpæ 3.4.29
Distinctio ridicula peccati mortalis & venialis 2.8.58, & 3.4.28
Distinctio inter sacramentũ & rẽ ipsam sacramenti 4.14.15
Docendi in ecclesia verus modus 4.8.5.6.7
Doctores necessarii in ecclesia 4 3.4
Doctrinæ Mosis scopus 1.8.3
Doctrina Christi anima est ecclesiæ 4.12.1
Doctrina fidei in Papatu corrupta 4.8.1
Doctrina pœnitentiæ à Sophistis corrupta fuit 3.4.1
Donatio Constantini 4.11.12
Donatistæ refutantur 4.1.13, & 4.15.16
Donatistæ durissimi 4.12.12

E

Ecclesiasticus author incertus 2.5.18
Ecclesia vera 4.1.1
Ecclesia vera longè differt ab adulterina 4.2.1
Ecclesiæ veræ notæ 4.1.9.10
Ecclesia bifariam consideranda 4.1.7
Ecclesiæ locus 4.1.9
Ecclesia suam habet iurisdictionem 4.11.1
Ecclesiæ perfectio 4.8.12
Ecclesiæ perpetuitas 2.15.3
Ecclesia semper in mundo fuit 4.1.17
Ecclesia catholica seu, vniuersalis 4.1.2
Ecclesia quomodo sancta 4.1.13.17, & 4.8.12
Ecclesia est regnum Christi 4.2.4
Ecclesia interdum Christi nomine appellatur 4.17.22
Ecclesiæ antequam existeret Papatus conditio 4.4.1.2
Ecclesia Papistica 4.2.2
Ecclesiæ Romanæ authoritas 4 6.16.
Ecclesia errare potest 4.8.13
Ecclesia quomodo ædificanda 4.8.1
Ecclesiæ anima est Christi doctrina 12.1.4.
Ecclesiæ magna est authoritas 4.1.10
Ecclesia semper à Domino conseruatur 2.15.3
Ecclesiæ disciplina 4.1.29
Ecclesiæ fundamentum 1.7.2, & 4.2.1
Ecclesiæ potestas subiecta Dei verbo est 4.8.4
Electi soli Dei gratiæ sunt compotes 2.2 6
Electi soli verè credunt 1.7.5, & 3 2.11, & 3.24.2
Electi soli Deum timent 2.3.4
Electi soli perire nequeunt 3.24.6.7
Electi soli in fide permanent 32.4. 6
Electi multò differunt à reprobis 3.2.27, & 3.4.32, & 3.8.6, & 3.9.6, & 3.13.3, & 3.20.16.29
Electio Dei æterna 3.21.1
Electio gratuita 3.22 1
Electio est ecclesiæ fundamentum 4.1.2
Electio vocatione stabilita & confirmata 3 24.1
Electionis constantia 3.24.4
Electionis finis, vitæ sanctimonia 3.23.2
Eliæ ieiunium 4.12.20
Epicuri opinio de diuinitate 1.2.2
Epicuræi semper multi 1.16.4
Epiphanius 4.9.9, & 4.15.21
Episcopi, presbyteri, pastores, ministri interdum idem designant 4.3.8
Episcopi qui eligendi 4 3.12
Erectio manuum in precibus 3.20.16
Errores sæpe cum fide permixti 3.2.31
Esau & illius pœnitentia 3.3. 25
Ethnicorum prophana templa 4.1.5
Euangelistarum munus 4.3.4
Euangelium pro manifesta arcani Christi declaratione 2.9.2
Euangelium interdum reprobis annuntiatur 3.2.4.1
Euangelium à Lege differt 2.9.2.3.4
Euangelii summa 3.3.1.19
Euangelium spectat fidem 2.11.17
Eunuchi pietas 3.2.32
Eusebius 1.11.6, & 4.6.14, & 4 7.26
Eutyches hæreticus 2.14.4.8, & 4.17.30
Examine vicarii Episcoporũ quo vtantur 4.5.5
Excommunicatio ab anathemate differt 4.12.10
Excommunicatio tres habet fines 4.12.5
Exhortationes fidelibus vtiles ac necessariæ 2.7.12
Exhortationes ad ieiunia & preces 4.12.14
Exhortationum vsus 2.5.5
Exorcistæ in Papatu 4.19.24
Exuperius Episcopus Tolosanus 4.5.18

F

Facetiæ damnandæ 4.5.18
Fanaticorum ridiculæ reuelationes 1.9.1
Fideles iusti appellati & qua ratione 4.15.10
Fideles Dei filii 4.17.2
Fideles in hoc mundo peccatores 3.3.11.12
Fideles sacerdotes dicti 2.15.6
Fideles à Deo edocti 3.2.6
Fideles in varias cogitationes abstracti 3.2.18
Fideles sunt participes mortis & resurrectionis Christi, & qua ratione 3.3 9
Fideles aliquando proferunt innocentiam suam & integritatem 3. 14. 18.19
Fideles cur Christiani dicti 2 15.5
Fideles perpetuò bellum gerunt 1.14. 13.15.18, & 3.3.10, & 3.20.46, & 4.15. 11.12
Fidelium afflictiones 3.4 32, & 3.8.1
Fidelium scopus 2.10.11, & 3 25.2
Fidelium conditio 2.15, & 3.8.1, & 3.9.6
Fidelium timor 3.2.21.22
Fidelium desiderium 4.13 4
Fidelium dignitas 1.14.1, & 2.16.16, & 4.17.2
Fidelium fœlicitas 2.15.4, & 3.25.10
Fidelium virtus 2.5.5
Fidelium perfectio 3.17.15
Fidelium sacrificia 4.18.4.16
Fideles semper tuti 3.24.7
Fideles in Satanam victores 1.14.18
Fidei diuersæ significationes 3.2.13
Fides interdum prò spe sumitur 3.2.43
Fides pro confidentia 3.2.15
Fides pro potestate ædendi miracula 3.2 9
Fides vera 1.7.5, & 3.2.6.7 41
Fidei natura 3.13.4
Fidei fundamentum est Dei promissio 3 2.29
Fidei incrementum necessarium 4.14.7
Fides est Dei donum 1.7.5, & 2.3.8, & 3.14, & 3 2.3+
Fides ab electione proficiscitur 3.22.10
Fides doctrinæ comes 3.2.6
Fides non est sine intelligentia 3.2.3
Fides cum spe coniuncta 3.2.42
Fides certa ac firma esse debet 3.2.39
Fides quomodo appelletur opus 3.2 35
Fides inuocationis mater 3.20.1
Fides omnium bonorum radix 4.13.20
Fides pœnitentiam gignit 3.-.1
Fides sola iustificat 3.11.19, & 3.17.10
Fides renouat homines regenerat 3.3.1
Fides reproborum 3.2.10.11
Fides Simonis Magi 3.2.10
Fides Sophistarum intricata 3.2.2
Fidei obiectum 3.3.19
Fides formata & informis ex Sophistis 3.2.8
Fiducia soli Deo debetur 2.8.16
Fiducia fidelium 3.24.7
Filiorum munus erga parentes 2.8.35.36
Finis singulorum præceptorum considerandus 2.8.8.9
Finis nostræ regenerationis 1.15.4, & 3.3.19
Fortuna Ethnicorum vocabulum 1.16.18
Fortunæ nulla vis 1.16.1.4, & 3.7.10
Fundamentum Ecclesiæ 1.7.2, & 4.2.1
Fundamentum fidei, gratuita Dei promissio 3.2.29
Furtum prohibitum 2.8.45
Furtum variis modis committitur ibid.

G

Galenus 1.5.2
Gentium vocatio 1.11.11.12
Gloria fidelium post hanc vitam 3 25.10
Gloria fidelium in hoc mundo 2.15.4. 3.13.1
Gratia Dei libera 3.21.6, & 3.22.1
Gregorii septimi astus 4.11.3
Gregorii opinio de imaginibus 1.11.5
Gregorius Nazianzenus 1.13.17, & 4.9.13

Gubernatores Ecclesiæ 4.3.8

H

HAEretici à schismaticis differunt 4.2.5
Hierarchia Papatus 4.5.13
Hieronymus taxatur 1.13.5
Hildebrandus Gregorius septimus 4.11.13
Homerus 1.17.3,& 2.2.17,& 4.6.8
Homicidium prohibitum 2.8.39
Hominis creatio 1.15.1,& 2.1.10,2.3.11, & 2.5.18
Homo est paruo mundo similis 1.5.3
Hominis excellentia 1.15.3 4
Homines infinitis periculis in hoc mundo sunt obnoxii 1.17.10
Honestas in Ecclesia seruanda 4.10.29
Honos maioribus debitus 2.8.15
Honor diuersas habet significationes 2.8.25
Honoris tria genera 2.8.36
Horatius 1.11.14
Hypocrisis homini insita 1.1.2
Hypocritarum natura 1.4.4
Hypocritarum preces coram Deo detestandæ 3.20.29

I

IAcob vitæ in speciem miseræ exemplum 2.10.12
Idololatria damnatur 1.11.1,& 2.8.16.17
Idololatriæ origo 1.5.11,&1.11.8
Ieiunii definitio 4.12.18
Ieiunium sanctum & legitimum tres habet fines 4.12 15
Ieiunii vsus 3.3.17
Ieiunium quomodo necessarium 4.12.14
Ieiunium Mosis 4.12.20
Ieiunium Eliæ ibid.
Ieiunium Christi ibid.
Ieiunium Papistarum 4.2.21
Ioannis Baptistæ ministerium 4.15.17
Ioannis Baptistæ munus 2.9.5
Ioãnes Baptista medium inter Legem & Euangelium 2.9.5
Ioannes Baptista Euangelii nuncius ibid.
Ioannes Baptista quomodo Elias dictus ibid.
Iephtes votum 4.13.3
Iesuitæ 3 3.2
Ignatius 1.13.29
Ignorantia non est solum peccatum 2.1.22
Imago Dei in homine 1.15. 3, & 2. 12.6
Imagines licitæ & illicitæ 1.11.12
Immunitas quam sibi arrogauit Clerus 4.5.15
Impositio manuũ in pastorum electione 4.3.16
Impositio manuum an sacramentum 4. 14.20
Improbi quamuis Dei sint instrumenta, tamen excusatione carent 1.17.5, & 1.18.4,& 2.5.5,& 3.23.9
Improbi diuinis castigationibus indurantur 3.4.32,&3.8.6
Improbi quomodo Deum timeant 4. 10.23
Improbi nonnunquam donis præstantibus excellunt 3.14.2.3
Indulgentiæ satisfactionibus additæ 3.5.1
Indulgentiarum origo 3.5.5
Indurationis improborũ origo 3,24.14
Infantes damnationem secum ex vtero matris adducunt 4.15.10
Infantes à Deo regeniti 4.16.17
Infantes baptizandi 4.16.1
Infidelitas radix omnium malorum 2.1.4
Inimici diligendi 2.8.35.36
Inobedietia,prima humani generis pernicies 2.1.4
Intellectus & voluntas duæ animæ partes 1.15.7
Intelligentia cum fide coniuncta 3.2.3
Intentio bona 2.2.25
Intercessionis sanctorum origo 3. 20.21
Inuocatio à fide promanat ibid.
Inuocatio soli Deo debita 2.8 16
Iosephus 1.8.4,& 2.8.12
Ira Dei maxima in reprobos 3.25.12
Irenæus 1.13.27,& 2.6.4,& 2.14.7,& 4.7.7
Isaaci conditio quod ad mũdum spectat 2.10.12
Isaaci peccatum 3.2.31
Iudas à Christo electus quomodo 3. 24.9
Iudas quomodo Cœnæ Christi communicarit 4.17.34
Iudicia Dei bifariam 3.4.31
Iudicia quomodo legitima 4.20.18
Iudæi primogeniti in Dei familia 4. 16 14
Iusiurandum est species cultus diuini 2.8.23
Iuramenta priuata licita nécne 2. 8.27
Iurisiurandi formulæ sacris literis familiares 2.8.24
Iurisdictio in homine duplex 4.19.15
Iurisdictio Ecclesiastica penes quem 4. 7.5,& 4.11.1
Iurisdictio in Ecclesia 4.11.1
Iustificari coram Deo 3.11.2, & 3. 17.12
Iustitia Christi perfecta 3.14.12
Iustitia operum ex mercede colligi non potest 3 18.1
Iustitia partialis à Sophistis conficta 3. 14 13
Iustinus Martyr 1.10.3
Iuuenalis 1.11.3

L

LAcedæmoniorum disciplina 4.13.9
Lactantius 1.4.3,&1.11.6
Laici baptizare non possunt 4.15.10
Lapsus Adami 2.1.4
Latria & Dulia 1.4.3,&1.12.2
Libertas Christiana spiritualis 3. 19.9
Libertas Christiana in tribus consistit 3.19.2
Libertas populi in Episcoporum electione 4.4.11
Liberum arbitriũ hominis ante lapsum 1.15.8
Liberum arbitrium hominis 1.15.8,& 2. 2.1,& 2.5.1
Legis summa 2.8.11
Legis vsus 1.12.1,& 2.7.1
Legis munus 2.7.6,& 3.19.2, & 4.15.12
Leges ciuiles ab hominibus constitui possunt 4.20.15
Leges politicæ nerui validissimi rerum publicarum 4.20.14
Lex Dei in tres partes à Mose distincta 4.20.14
Lex moralis duabus partibus constat 20.15
Lex Mosis miraculo quodam conseruata 1.8.9
Lex cur promulgata 1.6.2
Lex quomodo abolita 2.7.14
Lex spiritualis 2.8.6
Lex obseruari non potest propter carnis imbecillitatem 2.5. 6.7, & 2.7.4.5

M

MAcedonius hæreticus refutatur 3. 13.6
Magistratus dignitas 4.20.24
Magistratus munus 2. 8. 46, & 4. 20.9
Magistratui parendum 4.20.8. 22.23
Magistratus Deo subiectus 2. 8.38,& 4.20.32
Magistratui citra peccatum licet interficere 4.20.10
Magistratus à Deo ordinati sunt eique placent 4.20.4
Magistratus nomine Dei verè appellantur. 4.16.31
Magistratus Dei sunt vicarii 4.20.6
Magnitudo animi sanctorum 3.8.3
Maledicentia damnatur 2.8.47.48
Manducatio carnis Christi. 4.17.6
Manuum impositio in pastorũ electione. 4.3.16
Manichæi hæretici refelluntur. 1.13. 1, & 1.14.3, & 1.15.5, & 2.1.11, & 2.11. 3,& 2.13.1.2, & 2.14.8,& 3.11.5,& 3.23. 5,& 3.25.7,& 4.12.19
Marcionitæ 1.13.1.2,& 4.17.17
Matrimonium à Deo constitutum 2. 8.41
Matrimonium non est sacramentum 4.19.34
Matrimonium non debet prohiberi Ecclesiæ ministris 4.12.23
Maria Christi mater Iosepho affinis 2.13.3
Mercedes promissa fidelibus. 2.
Mendacium omnino prohibitum 8. 47
Meritum, fidei synceritati contrarium 3.15.2 4.
Michael Seruetus Anabaptista 16.31
Michael Seruetus refellitur 1.13.10.22, & 1.15.5,& 2.9.3,& 2.10.1, & 2.14.5.6. 7,& 4.16 29.31,& 4.17 29.30
Milesiorum prouerbium 4.13.15
Ministerium verbi in Ecclesia necessarium 4.1.5, & 4.3.2.3, & 4.1. 4.11
Ministerium Ioannis Baptistæ & Apostolorum vnum 4.15.7
Ministri verbi, Vide Pastores.
Misericordia & veritas coniunctæ sunt 3.13.4.
Misericordia Dei in omnes creaturas effusa 1.5.5 4.18.8
Missæ origo
Missæ virtutes 2.15.6, & 4.2.9, & 4. 18.1 4.5.9
Missarum forum in Papatu 4.3.8
Moderatores Ecclesiæ 2.2.1.11
Modestia fidelibus necessaria 4.
Monachi veteri Ecclesiæ incogniti 5.8
Monachorum corrupti mores 4.13. 15
Monachorum periculosæ sectæ 4.13. 14
Monachi vota temeraria faciunt 4.1. 3.3.17
Moniales veteri Ecclesiæ ignotæ 4.13. 19
Monica mater Augustini 3.5.10
Monitiones priuatæ necessariæ in Ecclesia 4.12.2 2.16.12
Monothelitæ refelluntur 2.16.7
Mortificatio carnis 2.16.5
Mortis Christi magna vis Mors

Mors à fidelibus contempta 3.9.5
Moses omnium Prophetarum princeps 4.8.2
Moses familiariter scripsit 1.14.3
Mosis doctrina 1.8.3
Moses cur quadraginta dies ieiunarit 4.12.20
Mulieres sub hominum nominibus in genealogiis comprehenduntur 2.13.3.
Mulieribus baptizare non licet 4.15.20
Mundus pro genere humano creatus 1.16.6

N

NAamani Syrii pietas 3.2.31
Naturæ corruptio 2.5.1
Natura duplex in persona mediatoris 2.14.1
Necessitas duplex 1.16.9
Necessitas & coactio differunt 2.3.5
Necessitas fatalis Stoicorum 1.16.8
Nehemiæ ieiunium 4.12.16
Nestorius hæreticus 2.14.4.5
Nomen Dei summa cum reuerẽtia sumi debet 2.8.22
Nomen Dei quomodo sanctificari debeat 50.20.41
Nomen Christi aliquando Ecclesiæ tribuitur 4.17.22
Nouatiani refelluntur 3.3.21,& 4.1.23

O

OBedientia Deo gratissima 2.8.5
Obedientia Christi nostra deleuit peccata 2.16.5
Obedientia parentibus debita 2.8.38
Obedientia regibus & magistratibus debita 4.20.8.22.23.32
Obiectum fidei 3.3.19
Obseruatio dierum superstitiosa dãnatur 2.8.31
Opus Spiritus sancti 4.14.8.9
Opus idem pluribus omnino contrariis tributum 1.18.4,& 2.4.2
Opera hominem non iustificant 3.17.11.
Opera carnis à peccato originali proueniunt 4.15.10
Opera supererogationis 3.14.14
Operum iustitia 3.18.1
Opera bona ex Dei gratia proueniunt 2.3.13
Opera bona à fide procedunt 4.13.20.
Officium pastoris differt à principis officio 4.11.8
Officiales cur constituti 4.11.7
Orationis significatio 3.20.2
Oratio omnibus fidelibus necessaria 3.20.2
Oratio vtilis multis modis 3.20.2
Oratio quomodo concipi debeat 2.20.4.8.11
Oratio Dominica exponitur 3.20.36.
Oratio non intermissa 3.20.7
Orationes publicæ Deo gratæ 2.2.20.29
Ordo, sacramẽtum à Scholasticis inuentum 4.19.22
Origenes 2.2.4.27,& 2.5.17,& 2.8.12,& 3.22.8
Osiander refellitur 1.15.3.5,& 2.12.5.6.7.& 3.11.5
Ouidius 1.15.3,& 2.2.23

P

PAnis pro rebus necessariis corpori 3.20.44
Panis assumit nomen corporis Christi 4.17.20
Papa se Christi vicarium appellat 4.6.2.
Papa Antichristus 4.7.21.25,& 4.9.4
Papa sibi Occidentis Imperium subiecit 4.11.14
Papa quo pacto tantum creuerit 4.7.1
Paphnutii opinio de cælibatu 4.12.26
Papistæ Christi simiæ 4.19.29
Papistæ quomodo imagines defendant 1.11.5
Papistæ Christum ignorant 2.15.1
Papistarum ieiunia 4.12.21
Pastor & episcopus 4.3.8
Pastores in ecclesia 4.3.4.5
Pastores & Doctores necessarii in ecclesia 4.3.4
Pastorum munus 2.8.46,& 3.3.17,& 4.1.1.5.22,& 4.3.6,& 4.8.1,& 4.12.2.11.14.17
Pastorum potestas 3.4.14.
Pastorum vocatio 4.3.11
Patientia fidelibus necessaria 3.8.1,& 3.20.52,& 3.25.1
Patientia Christianorum differt à philosophorum 3.8.11
Patres sub vetere Testamento 2.7.16,& 2.9.1.2.4,& 2.10.5,& 2.14.5,& 4.10.14,& 4.14.23
Patriarchæ in Ecclesia 4.4.4
Pauperum cura in Ecclesia 4.3.8
Pax à remissione peccatorum procedẽs 3.13.4
Peccatum originale 2.1.5.8,& 4.15.10
Peccatum in Spiritum sanctum 3.3.22
Peccatum veniale ex Sophistis 2.8.58
Peccatum omne per se mortale est 2.8.59
Peccata duobus modis 4.12.3.6
Peccata cur debita appellentur 3.20.45
Peccata patrum quomodo in filiis puniantur 2.8.19.20
Peccata sanctorum sunt venialia 2.8.59
Peccata extra ecclesiam non cõdonantur 4.1.20
Peccata sigillatim numerari non possunt 3.4.16.18
Peccatores pro dissolutis hominibus 3.20.10
Pelagiani hæretici refelluntur 2.1.5,& 2.2.21,& 2 3.7,& 2.7.5,& 3.22.8
Perfectio Ecclesiæ 4.8.12
Perfectio fidelium 3.17.15
Perfectio fidei ibid.
Periurium est execrandum 2.8.24
Perpetuitas ecclesiæ 2.15.3
Persecutio pro iustitia 3.8.7
Persæ solem adorabant 1.11.1
Perseuerantia donum Dei 2 3.11,& 2.5.3
Perseuerantia electorum tantùm propria 3.3.11
Personæ significatio in Scriptura 3.23.10
Personæ tres in vna essentia Diuina 1.13.1
Petrus nullum habebat ius in alios Apostolos 4.6.5
Petrus Romæ non fuit 4.6.14
Philosophorum opinio de libero arbitrio 2.23
Phocas Romanæ sedis patronus 4.17.7
Pighius hæreticus 3.2.30
Plato philosophus 1.5.10
Plautus 1.17.3
Plutarchus 1.2.3
Pœnitentia vera 3.3.5
Pœnitentia vera ex fide proficiscitur 3.3.1
Pœnitentia eximium Dei donum 3.3.21,& 3.24.15
Pœnitentia pars Euangelii 3.3.1
Pœnitentia non est sacramentum 4.15.10,& 4.19.14
Pœnitentiæ effecta 3.3.15.16
Pœnitentiæ partes 3.3.3.8
Pœnitentia in Deo non inuenitur 1.17.12
Penitentia Achab 3.3.25.& 3.20.15
Politia inter Christianos. 4.20.3.
Politia ecclesiastica non contemnenda. 4.10.27
Præcepta dei ex hominis facultate non æstimanda. 2.5.4.6.
Præcepta legis quomodo consideranda. 2.8.8.
Præcepta Dei ab hominibus perfectè obseruari nequeunt. 2.5.4.6
Præceptorum tria genera. 2.5.6.8.
Prædestinatio quid significet. 3.21.5.
Prædestinationis cognitio ardua & difficilis. 3.21.1.
Prædicatio Euangelii reprobis etiam est communis. 3.24.1.
Præparatio Papistarum. 2.2.27
Præscientia in Deo quid significet. 3.21.5.
Præsentia Dei homines perterrefacit. 1.1.3.
Præsidia in ciuitatibus. 4.20.12.
Presbyteri seculares in Papatu. 4.5.9.
Presbyterorum munus. 4.12.2.
Preces assiduæ. 3.20.7.
Preces hypocritarum coram Deo abominandæ 3.20.29
Preces sanctorum defunctorum. 3.20.21.
Primatus sedis Romanæ. 4 6.1.
Primogenitura aliquando à Deo contemnitur. 3.22.5.
Principibus non est blandiẽdum. 4.20.1.
Proximi significatio. 2.8.55.
Promissio Dei gratuita, est fundamentum fidei. 3.2.29.
Promissiones Dei in solis electis sunt efficaces. 3.24.16.
Promissionum Dei vsus. 2.5.10.
Promissiones Dei omnes in Christo inclusæ. 3.2.32.
Promissionum vsus erga fideles & improbos. 2.5.10.
Promissiones Legis & Euangelii quomodo inter se consentiant. 3.17.1.
Prophetæ qui proprie. 4.3.4.
Prophetæ Legis interpretes. 1.6.2.& 4.8.6.
Prophetæ bonitatem Dei terrenis beneficiis adumbrarunt. 2.10.20
Prophetarum potestas. 4.8.3.
Prouerbium Milesiorum. 4.13.15.
Prouidentia Dei erga omnes creaturas. 1.16.1.4.
Prouidentia Dei quomodo consideranda. 1.17.1.& 1.5.6.7.
Prouidentia Dei in regnorum distributione. 4.20.26.
Potentia Dei quomodo considerãda 1.14.20.21,& 1.16.3,& 3.2.31
Potentia Ecclesiæ quatuor capitibus comprehenditur 4.7.6
Potentia Ecclesiæ subiecta est Dei verbo 4.8.4
Potestas ligandi & soluendi 3.4.14.15
Potestas Prophetarum 4.8.3
Pugna fidelium assidua 1.14.13.15.18,& 3.

3.10.& 3.20.46.& 4 15.11.12.
Purgatorium quomodo excogitatum. 3. 5.6.7.

Q

Quadrageſimæ obſeruatio ſuperſtitioſa 4.12.20.
Quatuor hominum iuſtificatorum ſpecies 3.14.1
Quatuor Deo in primis debentur. 2.8.6.
Querimonia Senecæ de idolis 1.11.2.
Quæſtiones inutiles reiiciendæ. 1.14.1. 1.4.& 2.12.5.

R

Ratio humana in rebus ſpiritualibus cæca. 2.2.19.
Rationis vis. 2.2.2.
Rebeccæ peccatum. 3.2.31.
Redemptio in vno Chriſto 2.6.1.
Regeneratio per fidem 3.3.1.
Regenerationis finis. 1.15.4,& 3.3.19.
Regenerationis gradus 4.16.31.
Regeneratio ex Anabaptiſtis 3.3.14.
Regimẽ duplex in homine.3.19.15,& 4.20
Regiminis tres ſpecies 4.20.8.
Regnum Chriſti æternũ. 2.15.3.& 3.12.7.
Regnum Dei 3.3.19.
Regna Dei prouidentia diſtribuuntur. 4.20.26.
Relatio inter fidem & verbum Dei.3.2.6. 29.31.& 3.11 17.& 3.22.10
Religionis origo 1.12.1.
Religio vera 1.2.2,& 1.4.3.
Remiſsio peccatorum in ſola eccleſia reperitur 4.1.20.
Remiſsio peccatorum primus eſt in Eccleſiam & Dei regnum aditus Ibidem.
Remiſsio peccatorũ pacem gignit 3 13.4.
Renuntiare ſibi ipſi 3 3 8.& 7.1.2.
Repetitiones Hebræis familiares.1.15.3.
Reprehenſiones ad legis violatores. 2. 5.11.
Reprobatio ex Dei voluntate 3.22.11.
Reprobi Deo inuiſi 3.24.16.
Reprobi excuſatione carent quũ peccãt 3.23 9.
Reprobi Deum non timent vt decet.3. 2 27.
Reproborum fides 1.11.12.
Reproborum miſera conditio 3.25.6.
Reproborum pœna erit grauiſsima 3. 25.12.
Reprobi Dei verbũ audire poſſunt.2.5.5.
Reſipiſcentia.VIDE Pœnitentia.
Reſurrectio Chriſti 2.16.13.
Reſurrectio carnis creditu difficilis.3. 25 3.
Reſurrectio carnis bonis & improbis cõmunis 3.25.9.
Reſurrectio miro quodã modo fiet 3.25.8
Reuelationes fanaticorum 1.9 1.
Regibus obtemperãdũ 4.20.8.22.23.& 4.20.32.
Reges ac magiſtratus dii nominantur. 4. 16.31.
Regibus aſſentatores adeſſe nõ oportet. 4.20 32.
Romaniſtæ fruſtra ſibi Apoſtolorũ ſucceſsionẽ glorioſe arrogant 4.2.2.3.
Roma omnium Eccleſiarum non eſt caput.4.7.17.

S

Sabbati vera obſeruatio 2.8.28.
Sabbatum quomodo Chriſti aduentu abolitum. 2.8.31.
Sabellius hæreticus refellitur 1.13.4.
Sacramenti vera ſignificatio. 4.14.1.
Sacramentum ſine promiſsione non eſt, 4.4 3.
Sacramẽti generalis ſignificatio.4.14.18.
Sacramenta duo in eccleſia 4.14. 20,& 4.18.20.
Sacramenta numero plura ex ſcholaſticorum opinione 4.19.1.
Sacramentorum vſus 4 14.13.
Sacramenta Legis ab Euangelicis differunt. 4.14.23.26.
Sacerdotium Chriſti 4.12.
Sacerdos ſummus ſub Lege erat Chriſti figura.4.6.2,& 4.12.25,& 4.14.21.
Sacrificium Deo gratum 3.7.1.
Sacrificiorum vſus 2.7.1.17,& 2.12.4.
Sacrificium fidelium. 4.18.4.16.
Sadducæorum de Angelis opinio.1.14.9.
Sadducæorum de animis ſententia. 1.15.2.
Sadducæi refelluntur, 2.10 23,& 3.25.5.
Sapientia vera 1.1.1.
Sanctimonia vitæ electionis ſcopus. 3. 23.12.
Sancti interdum diuina præſentia perterrefiunt 1.1.3
Sancti defuncti an pro nobis preces concipiant. 3.20.24.
Salus à Dei electione prouenit.3.24.4.5.
Salus fidelium cum ipſius omnibus partibus in Chriſto continetur 2.16.19.
Salutis quatuor cauſæ 3 14.17.21.
Sãſon hoſtes vlciſcendo quodammodo peccauit 3.20.15.
Sanctificare nomen Dei. 3.20.41.
Saræ peccatum
Satan omnis improbitatis ac iniquitatis author. 1.14.15.
Satan autor diſsidii 4 17.1.
Satan diuerſis appellatur nominibus.1, 14 13.
Satan vocatur Dei ſpiritus 2.4.5.
Satan vltionis diuinæ miniſter. 1.18.2,& 2.4.2.
Satan Dei ſimia 1.8.2.& 4 14.19.
Satan quomodo in reprobis operetur 2. 4.2.
Satan nihil niſi Deo volente ac permittente poteſt 1 14.17.& 1.17.7.
Satan eccleſiæ prout vellet non noceat. 1.14.18.
Satanæ aſtus 3.20.46.& 4.1.1.11.13.& 4. 14.19,,& 4.15.16,& 4.19.32,& 4.17.12, & 4.18.18.
Satisfactio à Sophiſtis excogitata 3. 4. 25.& 3 16.4.
Scala Iacob 1.14.12.
Scandalum duplex 2 19. 11
Scandala vitanda. Ibid.
Schiſmatici qui propriè 4 2.5.
Scopus omnium fideliũ 2.10.11,& 3.25.2
Scortatio damnatur 2.8.41.
Scriptura homines ad Dei cognitionem adducit 1.16.1.
Scriptura duobus modis de Eccleſia verba facit 4.1.7.
Scriptura quamuis ſimplex,magni tamen eſt ponderis 1.8.1.
Scripturæ maximus eſt fructus 1.9.1.
Sedes Chriſti ad dexteram patris 2.16.15.
Sectæ monachorum periculoſæ 4.13.14.
Semina legum in omnibus hominibus 2. 2.13.
Semen religionis in mente humana 1. 3. 1.& 1.5.1.
Seneca 2.2 3.& 3.8.4.
Senſus quinque in homine 1.15.6.
Senſus diuinitatis in hominum mente inſculptus 1.2.3.& 1.3.1.
Sephora filium quomodo circunciderit 4.15.22.
Sepultura veterum, & illius ſignificatio. 3.25.8.
Sepulturæ Chriſti ſignificatio 2.16.7.
Seruetus,vide,Michael Seruetus.
Seruorum munus 2.8.46.
Signa pœnitentiæ extrinſeca 4.12.14.17.
Simeonis magi fides 3.2.10.
Simoniæ ſignificatio 4.5.6.
Simplicitas ſacrarum literarum magnæ eſt efficaciæ 1.8.1.
Sinus Abrahæ 3 25.6.
Sobrietas fidelibus neceſſaria 1.9.3.
Sol à Perſis adoratus 1.11.1.
Solon 4.20.9.
Spes pro fide 3 2.43
Spes cum fide coniuncta 3.2.42.
Spes etiã vltra mortẽ porrigitur 3.24.7
Spes propter bona antea à Deo accepta 3.2.31.
Spei natura 3.25.1.
Spiritus ſanctus eſt Deus æternus.1.13.14
Spiritus ſanctus internus doctor 3.1.4.
Spiritus ſanctus in improbis non habet domicilium 2.2.16.
Spiritus ſancti elogia 3.1.3.
Spiritus ſancti munus 3.2.36.
Spiritus ſancti opus 4.14.8 9.
Stoici & illorum opinio de neceſsitate. 1.16.8.
Summa legis 2.8.11.
Summa Euangelii 3 3.1.19.
Subdiaconi in eccleſia 4 4.10
Subdiaconi papatus 4.19.33.
Superbia in homine inſita 1.1.2.
Superbia omnium malorum initium.2. 1.4.
Superſtitionis origo 1.12.1.
Superſtitio differt à vera religione 1.12.1.
Superſtitiones quomodo tolli poſsint inter homines 1.6.9.
Symbolum Apoſtolorum 2.16.18.

T

Templorum vſus 3.20.3.& 4.1.5.
Tẽpla Græciæ à Xerxe incenſa aut diruta. Ibid.
Templorum ſuperfluus ornatus 4.5.18.
Tentationis diuerſæ ſpecies 3.20.46.
Tentare Deum quid ſignificet 4 13.3.
Tertullianus 1.10.3,& 1 13.6.28,& 2.14. 7,& 3.20.48,& 3 25.7,& 4.15.21.48,& 4.17.29.
Teſtamentum vetus Chriſti opera cõfir matum 2.10.4.
Teſtamentum vetus & nouum in quibus ſimilia 1.11.14.
Theodorus epiſcopus 1.11.16
Theodoſius Mirenſis epiſcopus 1.11.16
Theodoſius imperator publicum peccatum agnouit 4.12.7.
Theologia Paparum & Cardinalium 4. 7.27.
Theſaurus Eccleſiæ ex papiſtis 2.2.4,& 3.22.9.
Thomas Aquinas. 3.2.27,&
Timor Dei qualis in reprobis 4.10.23. 3.2.26.
Timor Domini 3.2.21.22.
Timor fidelium 4.19.26.27.
Tonſuræ origo 4.17.12.14 15.
Tranſſubſtantiatio à Sophiſtis excogitata 4.12.5
Tradi Satanæ 4.20.13
Tributa Principibus pẽdi debẽt 4.13.1.3.4.
Trinitas perſonarum in Deo 1.13.3.7,& 3.4.2.
Triſtitia duplex 3.3.7,& 3.4.2.
Turcæ idolum loco veri Dei ponunt. 2. 6.4.

V

Valla 2.23.6.
Varro 1.11.6.
Vectigalia principibus pẽdenda 4.20.13.
Veritas & miſericordia cõiunctæ 3.13.4.
Viduæ ſenes & illarũ cælibatus 4.13.18.
Vigilare perpetuò 1.14,14.
Vindicta Deo relinquenda 2.8.57, & 4. 20.20.

Vindictæ

Vindictæ appetitus prohibitus ibid.
Vita hominis à Deo limitibus est circunscripta 1.16.9,&1.17.4.
Vita præsens Dei benedictio 2.8.37.
Vita presens breuis ac futilis 3.9.2.
Vita Christiana 3.3.20,& 3 6.1.
Vita æterna scopus omnium fidelium 2.10.11.
Vita æterna cur merces aut præmium appelletur 3.18.3.4.
Virgilius 1.5.5.
Vnctio extrema non est sacramentum 4.19.18.
Vnio Hypostatica 2.14.5.
Vocationis duæ species 3.24.8.
Vocatione electio confirmatur 3.24.1.2.
Vocatio vniuscuiusque consideranda 3.10.6.
Vocationis fideliũ scopus 3.6.2.&3.25.1.
Vocatio gentium 2.11.11.12
Vocatio pastorum quatuor in rebus sita est 4.3.11.
Voti significatio 4.13.1.
Votum cælibatus 4.13.18.
Votum Iephtes 4.13.3.
Vota charitatis 4.19.26.
Vota fidelium, quatuor sibi res proponunt 4.13.4.
Vota monachorum temeraria 4.13.3.17.
Vota temeraria violanda 4.13.20.
Voluntas Dei simplex 3.24.16.
Voluntas Dei bifariam consideranda 1.17.2.
Voluntas Dei suprema rerum omnium causa 1.14.1;&1.16.8,&1.17.2,&1.18.2.
Voluntas Dei est rerum omnium necessitas 3.23.8.
Voluntatẽ Dei sequi oportet 3.20.43.
Volũtas Dei summa iustitiæ regula 3.23.
Voluntas hominis quomodo in regene ratione aboleatur 2.5.15.
Voluntas & intellectus duæ partes animæ 1.15.7.
Volũtas hominis in Dei manu. 2.4 6.7.
Voluntas in regeneratis 2.3 6,& 2.5 15.

X

Xenophon 1.5.12,& 4.12.22.
Xerxes incendit aut diruit omnia templa Græciæ 4.1.5.

Z

Zachariæ Papæ perfidia 4.7.17.
Zelus temerarius 2.2.25.
Zepherini constitutio de Cœnæ celebratione. 4.17.46.

Alter Index quo continentur Bibliorum Loci

EX SERIE LIBRORVM VETERIS ac noui Testamenti.

Si quando in margine duos numeros reperias, prior Bibliorum caput, posterior versum indicat: si vnicum, versum tantùm. Primus verò contextui postpositus, Institutionis librum, Secundus caput, Tertius sectionem designat.

GENESIS.

1 IN principio Deus creauit cælum & terram 1.14.20.
2 Et Spiritus Dei expansus erat super abyssos. 1.13.14,&1.13.22.
3 Et dixit Deus, Fiat lux, & lux fuit 1.13.7,&1.16.2.&1.13.8.
11 Germinet terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum 1.16.2.
26 Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã 1.13.24,&1.15 3.
27 Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illos masculum & fœminam 1.11.14,&1.15.3.&2.1.1.
28 Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus quæ mouentur super terram 1.14 22.
31 Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Et factum est vespere & manè dies sextus. 1.14.22,&3.23.8
2.1 Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum 1.14.4
2 Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod fecerat 1.14.2,&2.8 30.
7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem 1.14.8. &1.15.5
9 Lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali 4.14.8.
17 In quocunque die comederis ex eo, morte morieris 3.2.7.
18 Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi 4.13.3
23 Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est 2.12.7, &
34 Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini. 1.14.15
6 Vidit igitur mulier quod lignum esset bonum ad vescẽdum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit 2.1.4
15 Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo eius 1.14.18, & 2.10.2. & 2.13 2.
17 In laboribus comedes ex ea cũctis diebus vitæ tuæ 3.14 13,&2 10.10.
22 Nunc ergo ne fortè mittat manum suam,& sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum, eiiciamus eum 4.14 2.
4.4 Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius 3.14.8
7 Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius 2.15.16
8 Quúmque essent in agro, cõsurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum 2.110.10
10 Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra 3.2.7
13 Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear 3.3.4
6.3 Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, &c. 3.14.1
5 Videns autem Dominus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore 2.2.25
6 Tunc pœnituit Dominum quòd hominem fecisset in terra 1.17.12
18 Ponam fœdus meum tecum 4.14.6
22 Fecit Noe omnia quæ præceperat illi Deus 20.10.10
8.21 Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescẽtia sua 2.2.25,& 2.2 27,& 3.14.1
9.2 Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouẽtur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt 1.14.22
9 Ecce ego statuo pactum meum vobiscũ & cũ semine vestro post vos 4.14.6
13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram 4.14.18
24 Euigilatus autem Noe ex vino, quũ didicisset quæ fecerat ei filius suus minor 2.10.10
25 Ait, Maledictus Chanáan, seruus seruorum erit fratribus suis 1.11.8
27 Dilatet Deus Iaphet, & habitet in Tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius
12.4 Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus 2.10.11
10 Facta autem est fames in terra: descẽditque Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi ibid.
13 Dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis ibid.
17 Flagellauit autem Dominus Pharaonem, & domum eius propter Sarai vxorem Abram 2.8.19
13.7 Et facta est rixa inter pastores Abram, & pastores gregum Loth 2.10.11
11 Diuisique sunt alteruter à fratre suo ibid.
14.13 Et ecce vnus qui euaserat nuntiauit Abram Hebræo ibid.
18 At verò Melchisedec rex Salẽm, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi,) &c. 4.18.2
15.1 Noli timere Abram ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis 2.11.1,& 3.25.10,& 4.16.11,& 4.16.24
5 Suspice cælum & enumera stellas si potes, & dixit ei, sic erit semen tuum 3.18.2
17 Quũ ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens

inter diuisiones illas 4.14.18
18. Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem 4.16.11
16.2 Ecce cõclusit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem, &c. 3.2.31
5 Dixitque Sarai ad Abraham, Iniquè agis contra me 2.10.11
Ego dedi ancillam meam in sinum tuũ. 3.2.31.
9. Dixitque ei Angelus Domini, Reuertere ad dominam tuam 1.14.16
15 Peperitque Agar Abræ filium 2.10.11
17.2 Ponam fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. 3.18.2.
5 Constitui te patrem multarum gentium 2.10.11
7 Et statuam pactũm meum inter me & te, & inter semen tuum, post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. 2. 8.21, & 2.10.9, & 2.13.1, & 4.15.20, & 4. 16.3.
10 Circuncidetur ex vobis omne masculum 4.14.20, & 4.16.3
11 Et circuncidetis carnem preputii vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos 4.16.14
12 Infans octo dierum circuncidetur in vobis omne masculum in generationibus vestris 4.16.5, & 4.16.6, & 4 16.30
13 Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. 4.17.22
14 Masculus cuius preputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit 4.16.6
21 Constituam pactum meum cum Isaac. 4.14.5.
18.1 Apparuit autem ei Dominus in convalle Mamré.
2 Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum 1 14.9 4
10 Reuertens veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua 3.18.2
23 Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? 3.20.15
27 Quia semel cœpi, loquar ad Dominũ meum, cùm sim puluis & cinis? 1.15.1.
19.1 Venerúntque duo Angeli Sodomã vespere 1 14.9
20.2 Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est 2.10.11
3 En, morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum 1.17.14
18 Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ 2.8.19
21.2 Concepitque Sara, peperitque filium Abrahæ, in senectute sua 2.10.11.
10 Eiice ancillam hanc & filium eius 2.10 11, & 4.2.3.
12 Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen 3.22.6.
24 Dixitque Abrahã, Ego iurabo 2.8.27
25 Et Abraham increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant serui eius 2.10.11
22.1 Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham 3.8.4, & 3.20.46.
2 Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque offeres eum in holocaustum 2.10.11
3 Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secũ duos iuuenes, & Isaac filium suũ: quúmque concidisset ligna in holocaustum, abiit in locum quem præceperat ei Deus. 3. 18.2.
8 Fili mi, Dtus prouidebit sibi victimã holocausti 1.16.4
12 Nunc cognoui quòd timeas Dominũ, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me 3.8.4.
16 Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio vnigenito, &c. 3.18.2
17 Benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & velut arenã quæ est in littore maris Ibid.
18 Et benedicẽtur in semine tuo omnes gẽtes terræ, quia obedisti voci meæ. 2. 13.1, & 4.14.21.
23.4 Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum 3.25.8
7 Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth. 1.12.3
12 Adorauit Abraham coram Domino & populo terræ Ibid.
19. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici quæ respiciebat Mamre, hæc est Hebron in terra Chanaan. 3.25.8
24.7 Ipse mittet Angelum suum corã te. 1.14 6. & 1.14.12.
12 Domine Deus domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham 1.14.12
25.27. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur 3.2.31
26.1. Orta autem f. me super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palestinorum in Gerara. 2.10.12.
4 Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: dabóque posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicẽtur in semine tuo omnes gentes 2.13.1
7 Respodit, Soror mea est: timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata coniugio 2.10.12
15 Ob hoc inuidentes ei Palestini, omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo 2.10.12
20 Sed & ibi fuit iurgium pastorum Geraræ, aduersus pastores Isaac 2.10.12
31 Et surgentes manè, iurauerũt sibi mutuó 2.8.27.
35 Quæ ambæ offenderant animũ Isaac & Rebeccæ 2.10.12
27.9 Pergens ad gregem, & affer mihi duos hœdos optimos, &c 3.2.31.
14 Abiit, & attulit, dedítq; matri 2.10.14
27 Statímque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait, Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. 3.11.23.
38 Esau eiulatu magno fleuit 3.3.24, & 3. 3.25.
39 In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua 3.3.25
28.5 Isaac igitur dimisit Iacob 2.10.12.
11 Vidítque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tãgens cælum 2.9.2
12 Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per viam 1.14.12
18. Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem, quem suppoſuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper 1.11.15
22 Cunctorum quę dederis mihi offeram decimas tibi 4.13.1.
29.20 Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis 2.10.11
23 Et vespere Liam filiam suam introduxit ad Iacob 2.10.12
27 Imple hebdomadã dierũ huius copulæ: & hãc quoque dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis aliis 2.10.12
30.1 Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo, Da mihi liberos, alioquí moriar 2.10.12
2 Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? 1.16.7
31.19 Et Rachel furata est idola patris sui 1.11.8
23 Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in monte Galaad 2. 10.12.
40 Die noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis 2.10.12
53 Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac 2.8.27
32.1 Iacob autem abiit in itinere quod cœperat, fuerúntq; ei obuiam Angeli Dei 1.14.5
7 Timuit Iacob valde &c: 2.10.12
10 Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quã expleuisti seruo tuo: in baculo meo trãsiui Iordanem 3.20.14, & 3.20.16
11 Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne forte veniẽs percutiat matrem cum filiis 2.10.12. & 30.20.14
28 Nam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis homines prævalebis? 1. 14.5
29 Interrogauit eum Iacob, Dic mihi quo appellaris nomine? Respódit, Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Et benedixit ei eo in loco 1. 13.10
30 Vocauítque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem, & salua est anima mea 1. 13.10
33.3 Et ipse progrediens adorauit prouinus in terrã septies, donec appropinquaret frater eius 2.10.12
34.5 Intellexit Iacob eum violasse filiã suam Dina 2.10.12
25 Simeõ & Leui fratres Dinæ, gladius ingressi sunt vrbem confidẽter, interfectíque omnibus masculis, &c. 2.10. 12, & 4.1.24.
29 Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius 2.10.12
35.18 Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit &c. 2.10.12
22 Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris, quod illum minimè latuit 2.10.12, & 4.1.24
37. 18 Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, 'extrahentes eum de cisterna, vẽdiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis numis 4.1.24
32 Tulerũt autem tunicam eius, mittentes qui ferrent ad patrem, &c. 2.10.12
38.18 Ad vnum igitur coitum mulier cõcepit, &c. 2.10.12, & 4.1.24
42.6 Fratres Ioseph venerunt, & adorauerunt

uerunt eum 1.3
36 Absq; liberis me esse feciſtis, Ioseph non superest, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin aufertis, in me hæc omnia mala reciderunt 2.10.12
43.14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: & remittat vobiſcum fratrem veſtrum quem tenet in vinculis,& hunc Beniamin:ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero 2.4.6
45.8 Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum,&c. 1.17.8
47.7 Et Iacob ſalutauit Pharao 1.11.15
9 Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorũ ſunt parui & mali 2.10.12
Et non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt 2.10.13
29 Facies mihi miſericordiam & veritatem,vt non ſepelias me in Aegypto 2.10.13
30 Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condâſque in ſepulchro maiorum meorum 2.10.13,& 3.25.8
31 Quo iurante, adorauit Iſrael Dominum, conuerſus ad lectuli caput 1.11.15
48.14 Et Iſrael extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim 4.3.15
16 Angelus qui eruit me de cunctis malis,benedicat pueris iſtis 1.14.6
Et ſuper eos inuocentur nomina patrum meorum Abraham & Iſaac 2.20.25
19 Sed frater eius minor, maior erit illo,& ſemẽ illius creſcet in gẽtes 3.22.5
49.5 Simeon & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia 1.8.4
9 Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? 1.8.4
10 Non auferetur ſceptrum de Iuda,& dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium 1.8.6
18 Salutare tuum expectabo Domine 2.10.14
50.20 Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum:vt exaltaret me ſicut in præſentia cernitis 2.17.8
25 Quum Deus viſitabit vos,aſportate oſſa mea vobiſcum de iſto loco 2.10.13

EXODVS.

2.12 CVmque circunſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Aegyptiũ abſcondit in ſabulo 4.20.10
3.2 Apparuítque ei Dominus in flamma ignis,de medio rubi,&c. 4.17.21
6 Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham & Deus Iſaac,& Deus Iacob 2.8.15,& 2.10.9
8 Deſcendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa 4.20.30
10 Sed veni, & mittam te ad Pharaonẽ, vt educas populum meum 4.8.2
14 Qui eſt miſit me ad vos 1.13.23
21 Dabóque gratiam populo huic coram Aegyptiis:& quum egrediemini, non exibitis vacui 1.17.7
4.3 Dixítque Dominus, Proiice eam in terram: Proiecit, & verſa eſt in colubrum 4.17.15
11 Quis fecit os hominis,aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum?nonne ego? 1.13.14
21 Vide vt omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius,& non dimittet populum 2.4.4,& 3.24.13
22 Indurabo cor eius, & non dimittet populum 1.18.2
25 Tulit ilico Sephora acutiſsimam petram, & circuncidit præputium filii ſui 4.15.22
6.7 Et aſſumam vos mihi in populum,& ero veſter Deus 2.10.8
23 Accepit autem Aaron vxorem Elizabeth filiam Amnadab, ſororẽ Nahaſſon,quæ peperit ei,Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar 2.13.3
7.1 Dixítque Dominus ad Moſen, Ecce cõſtitui te Deum Pharaonis,& Aaron frater tuus erit propheta tuus 1.3.9
3 Sed ego indurabo cor eius,& multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Aegypti 1.18.2,& 2.4.3,& 2.4.4
10 Tulítque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, & verſa eſt in colubrum 4.17.15
11 Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt ipſi per incãtationes Aegyptiacas & arcana quædam ſimiliter 1.8.5
12 Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones:ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum 4.17.15
8.15 Videns autem Pharao quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum 1.18.2
10.1 Et dixit Dominus ad Moſen, Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurauí cor eius,& ſeruorum illius: vt faciam ſigna hæc in eo 2.4.4
11.3 Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Aegyptiis. Fuítq; Moyſes vir magnus in terra Aegypti, coram ſeruis Pharaonis, & omni populo 2.4.6
12.5 Erit autem agnus abſque macula, maſculus anniculus 4.16.31
26 Et cùm dixerint vobis filii veſtri, Quæ eſt ita religio? 4.16.30
43 Hæc eſt religio phaſe,Omnis alienigena non comedet ex eo 4.17.22
46 Nec os illius confringetis 1.16.9
13.2 Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Iſrael tam de hominibus, quàm de iumentis: mea ſunt enim omnia 4.16.31
14.19 Tollénſque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael,abiit poſt eos 1.14.6
21 Cúmque extendiſſet Moyſes manum contra mare,abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte,&c. 4.15.9
26 Et ait Dominus ad Moyſen,Extende manum tuam ſuper mare,vt reuertãtur aquæ ad Aegyptios, ſuper currus & equites eorum 4.15.9
31 Timuítque populus Dominum, & crediderunt Domino,& Moyſi ſeruo eius 4.8.2
15.3 Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius 1.13.24, & 4.17.23
16.7 Et manè videbitis gloriam Domini,audiui enim murmur veſtrum contra Dominum. nos verò quid ſumus quia muſsitatis contra nos? 1.8.5
14 Quúmque operuiſſet ſuperficiẽ terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terrã 4.17.34,& 4.18.20
17.6 Ecce ego ſtabo ibi coram te, ſupra petram Horeb:percutiéſque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus 4.17.15,& 4.17.21,& 4.18.20
15 Aedificauítque Moyſes altare:& vocauit nomẽ eius,Iehouah-Niſsi 1.13.9
18.16 Quúmque acciderit eis aliqua diſceptatio, venient ad me, vt iudicem inter eos,& oſtendam præcepta Dei, & leges eius 4.11.8
19.5 Eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra 4.16.13
6 Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale,& gens ſancta 2.7.1
16 Iámque aduenerat tertius dies,& manè inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua,ac micare fulgura,& nubes denſiſsima operire montem,clangórque tubæ vehementius perſtrepebat: & timuit populus qui erat in caſtris 1.8.5
20.3 Non habebis Deos alienos coram me 1.13.24
4 Nõ facies tibi ſculptile, neque omnẽ ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper,& quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra 1.11.1,& 1.11.12,& 1.13.24
5 Non adorabis ea neque coles:ego ſum Dominus tuus fortis, zelotes, viſitãs iniquitatem patrum in filios,in tertiã & quartam generationem eorum qui oderunt me 1.12.1.
6 Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præceſta mea 2.10.9
13 Non occides 4.20.10
24 In quo fuerit memoria nominis mei: veniam ad te & benedicam tibi 4.1.5
21.16 Qui maledixerit patri ſuo vel matri morte moriatur 2.8.36
13 Qui autẽ non eſt inſidiatus,ſed Deus tradidit eum in manus eius, &c. 1.16.6,& 1.18.3.
22.1 Si quis furatus fuerit bouem aut ouem,& occiderit vel vendiderit,quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. 4.20.16.
8. Si latet fur, applicabitur dominus domus ad Deos, & iurabit quod non extenderit & manum,&c. 4.20.4
11 Iuſiurandum erit in medio quod non extenderit manum, ad rem proximi ſui 2.8.26
29 Decimas & primitias tuas non tardabis reddere 3.7.5
23.1 Non ſuſcipies vocem mendacii nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falſum teſtimonium 2.8.47
4 Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti,reduc ad eum 2.8.36
5 Si videris aſinum odientis te iacẽre ſub onere, non pertranſibis ſed ſubleuabis cum eo 2.8.56
12 Vt requieſcat bos & aſinus tuus & refrigeretur filius ancillæ tuæ & aduena 2.8.32
13 Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro 2.8.25
19 Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui 3.7.5
20 Ecce ego mittã Angelum meum qui

præcedat te, & custodiat in via,& introducat in locum quem præparaui 1.14.6
24.18 Ingressúsque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus 1.8.5,& 4 12.10
25.17 Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & dimidiũ tenebit longitudo eius,& cubitum ac semissem latitudo 1.11.3
18 Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi 1.11.3
20 Vtrumque latus propiciatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciántque se mutuò versis vultibus in propiciatorium quo operienda est arca,in qua pones testimonium quod dabo tibi 1.11.3
40 Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est 2.7.1,& 4.14.20
28.9 Sumésque duos lapides Onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel 3.20.18
10 Sex nomina in lapide vno,& sex reliqua in altero iuxta ordinem natiuitatis eorum 3.20.18
12 Portabítque Aaron nomina eorum coram Domino super vtrunque humerum ob recordationem 3.20.18
21 Habebúntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus cælabũtur singuli lapides nominib⁹ singulorum per duodecim tribus.
29.9 Cingésque eos balteo, Aaron scilicet & liberos eius,& impones eis mitras, erúntque sacerdotes mihi religione perpetua,&c. 4.2.9
36 Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum: mundabísque altare, &c. 2.17.4, & 4.18.13
30.10 Et deprecabitur Aarõ super cornua eius semel per annum,in sanguine quod oblatum est pro peccato 2.[illegible].6
30 Aaron & filios eius vnges,sanctificabísque eos, vt sacerdotio fungantur mihi 4.19.31
31.3 Et impleui Beseleel,spiritu Dei,sapientia,intelligentia, & scientia in omni opere 2.2.16
13 Videte vt sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris 2.8.29
32.1 Surge,fac nobisdeos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro,qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit 1.11.8
4 Dixerúntque, Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti 1.11.9
27 Ponat vir gladiũ super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portã, per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem,& amicũ & proximum suum 4.20.10
32 Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis,dele me de libro tuo, quem scripsisti 3.20.35
33.19 Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit 2.5.17, & 3.11.11, & 3.22.6, & 3.22.8, & 3.24.15
20 Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet 1.11.3
34.6 Domino transeunte coram eo, ait, Dominator Domine Deus,misericors & clemens,patiens & multæ miserationis 1.10.2
7 Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiã & quartã progeniem 2.8.19
28 Fuit ergo ibi cum Domino Moyses, quadraginta dies, & quadraginta noctes: panẽ non comedit,& aquam non bibit 4.12.20
29 Cúmque descẽderet Moyses de monte Sinai,tenebat duas tabulas lapideas testimonii,& ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini 1.8.5
35.2 Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbathum & requies Domini 2.8.29
30 Ecce vocauit Dominus ex nomine Beseleel, filium Vri filii Hur, de tribu Iuda 2.2.16
40.34 Et nubes operiebat tabernaculum, maiestate Domini coruscante 1.8.5

LEVITICVS.

1.2 HOmo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino: de pecoribus, idest de bobus & ouibus offerens victimas 4.14.20
4 Ponétque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit,atque in expiationem eius proficiens 4.3.16
5 Immolabítque vitulum coram Domino 4.18.11
4.2 Anima quum peccauerit per ignorantiam,& de vniuersis mandatis Domini,&c. 4.1.28
5.13 Et expiabit eum sacerdos à peccato suo quod peccauit in vno de istis, & remittetur ei,&c. 2.7.4
8.6 Congregatáque omni turba ante fores tabernaculi statim abluit Aarõ & filios eius 4.3.15
11.44 Sancti estote, quia ego sanctus sum 4 25
16.2 Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tẽpore ingrediatur sanctuarium,quod est intra velum corã propitiatorio,quo tegitur arca 2.15.6
21 Et Aaron posita vtraque manu super caput hirci viuentis, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum 3.4.10
18.5 Quæ faciens homo viuet in eis 2.8.4,& 2 17.5,& 3.14 13,& 3.17.3
6 Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinẽ eius 4.19.3
19.2 Sancti estote,quia ego sanctus sum Dominus Deus vester 2.8.14,& 3.6.2,& 4.19.25
12 Non periurabis in nomine meo,nec pollues nomen Dei tui.ego Dominus 2.8.24
16 Non eris criminator, nec susurro in populo 2.8.47
18 Non quæres vltionem,nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum 2.2.8.56,& 4.20.19
31 Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid siscitemini,vt polluamini per eos 4.1.5
20.6 Anima quę declinauerit ad magos, & ariolos,& fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui 1.8.5
7 Sanctificamini, & estote sancti, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester 4.19.25
9 Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur 2.8.36
26.3 Si in præceptis meis ambulaueritis,& mandata mea custodieritis,& feceritis ea 2.5.19
4 Dabo vobis pluuias temporibus suis, &c. 1.16.5,& 2.8.4
12 Ambulabo inter vos,& ero Deus vester, vósque eritis populus meus 2.10.8
20 Consumetur in cassum labor vester, non proferet terra germen,nec arbores poma præbebunt 3.20.44
23 Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi 1.17.8
26 Postquam confregero baculum panis vestri,ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddãt eos ad pondus,&c. 3.20.44
33 Vos autem dispergam in gentes, & euaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ 2.11.1
36 Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum 1.18.2,& 2.4.6

NVMERI.

6.5 OMni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius 4.19.26
18 Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tollétque capillos eius, & ponet super ignem 4.19.26
9.18 Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum,ad imperium Domini erigebant tentoria 4.18.9
11.9 Quũque descenderet nocte super castra ros, descẽdebat pariter & Man 1.8.5
18 Sanctificamini cras, comedetis carnes 3.20.51
31 Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit 1.16.7
33 Adhuc carnes erant in dentibus eorũ,nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum,&c. 3.20.51
12.1 Loquutáque est Maria & Aaron contra Moysen, propter vxorem eius Aethiopissam 1.8.4
14.43 Amalecites & Chananæus ante vos sunt,quorum gladio corruetis eò quòd nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum 2.5.11
15.30 Factum est autem: quum essent filii Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligẽtem ligna in die Sabbathi 2.8.29
16.24 Præcipe vniuerso populo vt scparetur à tabernaculis Core & Dathan,& Abiron 1.8.5
20.10 Congregata multitudine ante petram, dixit eis, Audite rebelles & increduli, Num de petra hac poterimus vobis aquam eiicere? 1.8.5
26 Quúmque nudaueris patrem vestæ suæ, indues ea Eleazarum filium eius 4.3.15
21.8 Fac serpentem æneũ, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eũ, viuet 4.18.20
9 Fecit ergo Moyses serpentem æneũ, & posuit eum pro signo: quem quum percussi aspicerent, sanabantur 2.12.3
23.10 Moriatur anima mea morte iustorum,

rum,& fiant nouiſsima mea horum ſimilia 2.10.14
19 Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur 1.17.12
28.2 Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtũ ſempiternum 4.1.5

DEVTERONOMIVM.

1.16 AVdite illos,& quod iuſtum eſt iudicate:ſiue ciuis ſit ille,ſiue peregrinus 4.20.4,& 4.20.6,& 4.20.9
39 Paruuli veſtri,de quib⁹ dixiſtis,quòd captiui ducerentur, & filii qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam,ipſi ingredientur 4.16.19
2.30 Indurauerat Dominus Deus tuus ſpiritum eius, & obfirmauerat cor illius,ita vt traderetur in manus tuas 1.18.2,& 2.4.3,& 2.4.4
4.2 Non addetis ad verbum quod vobis loquor:nec auferetis ex eo 4.9.2
7 Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris 3.24.15
9 Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſolicitè, ne obliuiſcaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ,&c. 2.8.5
11 Et acceſsiſtis ad radices montis qui ardebat vſque ad cælum: erántque in eo tenebræ, & nubes & caligo 1.11.3
15 Cuſtodite igitur ſollicitè animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua loquutus eſt vobis Dominus 1.11.2
16 Ne fortè decepti,faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ 2.8.17
17 Simulitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram,vel auium ſub cælo volantium 2.8.17
5.14 Vt requieſcat ſeruus & ancilla tua, ſicut & tu 2.8.32
17 Non occides 4.20.10
6.5 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota fortitudine tua 2.7.5, & 2.8.51, & 3.19.4
13 Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis 2.8.25
16 Non tẽtabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis 4.13.3.
25 Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta eius,coram Domino Deo noſtro, ſicut mandauit nobis 3.17.7
7.6 Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram 2.8.14
7 Non quia cunctas gẽtes numero vincebatis,vobis iunctus eſt Dominus,& elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores 3.22.5
8 Sed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodiuit iuramentum quod iurauit patribus veſtris,&c. 3.22.5
9 Et ſcies quia Dominus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligẽtibus ſe, & iis qui cuſtodiunt præcepta eius 3.17.5
12 Si poſtquam audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi & miſericordiam quam iurauit patribus tuis 3.17.1
13 Et diliget te & multiplicabit,benedicétque fructui ventris tui & fructui terræ tuæ,&c. ibid.
8.2 Et recordaberis itineris cuncti per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te,atque tentaret 3.20.46
3 Vt oſtenderet tibi,quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. 1.16.7. & 3.20.44
9.6 Scito ergo quòd non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cùm duriſsimæ ceruicis ſis populus 3.21.5
10.12 Et nunc Iſrael,quid Dominus petit à te, niſi vt timeas Dominũ Deum tuum?&c 2.8.51
14 En Domini Dei tui cælum eſt,& cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea ſunt 2.11.11,& 3.21.5
15 Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus,& amauit eos,elegitque ſemen eorum poſt eos,&c. 3.21.5
16 Circuncidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius 2.5.8,& 3.3.6,& 4.16.3,& 4.16.21
20 Dominum Deum tuum timebis,& ei ſoli ſeruies:ipſi adhærebis,iurabiſque in nomine illius 2.8.25
11.26 En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionẽ & maledictionem 3.17.1
12.13 Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris 4.2.9
14 Sed in eo quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcunque præcipio tibi. Ibidem
28 Obſerua,& audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi & filiis tuis poſt te in ſempiternum,&c. 2.8.5
32 Nec addas quicquam nec minuas 4.10.17
13.3 Tentauit vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrũ diligatis eum, an non in toto corde & in tota anima veſtra 3.20.46
14.2 Populus ſanctus es Domino Deo tuo: & elegit vt ſis ei in populum peculiarem de cunctis gẽtibus quæ ſunt ſuper terram 2.8.14
16.10 Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo,oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui 4.18.8
19 Non accipies perſonam,nec munera: quia Munera excæcãt oculos ſapientum,& mutant verba iuſtorum 4.20.9
17.8 Si difficile & ambiguum apud te iudiciũ perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinẽ,cauſam & cauſam,&c. 3.4.4
9 Veniéſque ad ſacerdotes Leuitici generis,ac ad iudicem qui fuerit illo tẽpore,quæréſque ab eis,&c. 3.4.4,& 4.8.2
11 Et docebunt te iuxta Legem eius:ſequeríſque ſententiam eorum 4.8.2
12 Qui autem ſuperbierit,nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael ibid.
16 Quúmque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Aegyptum 4.20.9
18.11 Neque qui quærat à mortuis veritatem 3.5.6
13 Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo 2.8.51
15 Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus ipſum audies 4.1.5
19.19 Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit 4.20.16
21.18 Si genuerit homo filium contumacem & proteruum,qui non audierit patris ac matris imperium,& coercitus obedire contempſerit, &c. 2.8.36
23 Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno 2.7.15,& 2.16.16
23.5 Vertítque maledictionem eius in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te 3.21.5
24.13 Sed ſtatim reddes ei pignus ante ſolis occaſum, vt dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas iuſtitiam coram Domino Deo tuo 3.17.7
26.18 En, Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris,ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius 2.8.4
27.26 Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius,nec eos opere perficit 2.7.5,& 2.7.15,& 2.16.6,& 3.11.19,& 3.12.1,& 3.14.13, & 3.17.1,& 3.17.9
28.1 Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mãdata eius quæ ego præcipio tibi hodie:faciet te Domin⁹ Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra 1.17.8, & 2.5.10
Venténtque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi tamen præcepta eius audieris 2.8.4
12 Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum,cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ,&c. 1.16.5
29 Omníque tempore calumniam ſuſtineas,& opprimaris violentia,nec habeas qui liberet te 4.20.25
36 Ducétque te Dominus,& regẽ quem conſtitues ſuper te, in gentem quam ignoras tu,& patres tui, &c. 2.11.1
65 Dabit enim tibi Dominus cor pauidum,& deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore 2.4.6
29.2 Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti,&c. 2.2.20
4 Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſsint audire, vſque in præſentem diem 2.2.20
18 Ne fortè ſit inter vos vir aut mulier, familia,aut tribus,cuius cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro, vt vadat & ſeruiat,&c. 3.17.5
19 Quúmque audierit verba iuramenti huius,benedicat ſibi in corde ſuo, dicens, Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: & aſſumat ebria ſitientem 3.17.5
20 Et Dominus non ignoſcat ei, ſed tunc quam maximè furor eius fumet, & zelus contra hominem illum:& ſedeãt ſuper eum omnia maledicta quæ

scripta sunt in hoc volumine,&c. 3.3.7
29. Abscondita,domino Deo nostro quę manifesta sunt, nobis & filiis nostris vsque in sempiternum,vt faciamus vniuersa Legis huius. 1.1.2,& 3.21.3.
30.2. Et reuertus fueris ad eum,& obedieris eius imperiis,sicut ego hodie præcipio tibi,cum filiis tuis,&c. 3.3.6.
3. Reducet te dominus Deus tuus de captiuitate tua,ac miserebitur tui,& rursum congregabit te de cunctis populis in quos te antè dispersit 4.1.24.
6. Circuncidet dominus Deus tuus cor tuū,& cor seminis tui, vt diligas dominum Deum tuum, &c 2.5.8.& 2.5.12. & 3.3.6.& 4.16 3.
10 Si tamen audieris vocem domini Dei tui,& custodieris præcepta eius & cæremonias,quæ in hac Lege præscripta sunt,&c. 1.7.5
11. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie,non supra te est, neque procul positum. 2.5.12.
13 Neque trans mare positum: vt causeris,& dicas, Quis é nobis poterit trāsfretare mare,& illud ad nos vsque deferre,vt possimus audire? 2.5.12
14 Sed iuxtate est sermo valde in ore tuo & in corde tuo vt facias illum. 2.5.12, & 3.24.3.
15 Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum,& è contrario mortem & malum 3 17.1.
19. Testes hodie inuoco cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & bonum,benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam,vt & tu viuas,& semen tuum. 2.5.4,& 2.7.3.
32.5. Peccauerunt ei, & non filii eius in sordibus, generatio praua atque peruersa 1.8.6.
8. Quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum,&c.2.11.11. & 3.21.5.
15 Incrassatus est dilectus,& recalcitrauit. Incrassatus,impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, &c. 3.8.5.
17 Immolauerunt dæmoniis & non Deo 4 13.17.
21 Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus 1 13.15
35 Mea est vltio,& ego retribuam,&c.2. 8.56,& 4.20.19
46 Ponite corda vestra in omnia verba mea quæ ego testificor vobis hodie: vt mandetis ea filiis vestris custodire & facere, & implere vniuersa quæ scripta sunt in volumine legis huius 2 7.13
33.3. Omnes sancti in manu illius sunt 2. 10 9.
29 Beatus es tu Israel,quis similis tui populo, qui saluaris in domino?, &c. 2. 10.8.
34.5. Mortuúsque est ibi Moyses seruus domini in terra Moab,iubente domino. 4.6.11.

IOSVE.

1.7. NE declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram,vt intelligas cūcta quæ agis 4.9.12.
8 Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus,&c. 4.5.12
2.1. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis,nomine Rahab,& quieuerunt apud eam 3.24.11.
9 Noui quod dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ 2.4.6.
11 Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum, dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum Ibidem.
5.14. Sum princeps exercitus domini. 1. 14.5.
7.19. Et ait Iosue ad Acam, Fili mi, da gloriam domino Deo Israel,& confitere,atque indica mihi quid feceris. 2. 8.24.
10.13. Steterúntque sol & luna 1 16.2.
11.20. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum,& pugnarent contra Israel 1.18.2.
24.2 Trans fluuium habitauerūt patres ab initio, Thare pater Abraham & Nachor:seruierúntque diis alienis 1.11.8. & 3.24.2.
3 Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus,& adduxi eū in terram Chanaam,&c. 3.24.2

IVDICES.

2.1. Ascenditque dominus de Galgalis ad locum flentium 1 14.6
18. Quumque dominus iudices suscitaret in diebus eorum flectebatur misericordia,& audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. 3.3 25,& 3.20.15.
19 Postquam autem mortuus esset iudex reuertebantur,& multò faciebant peiora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos 3.3 25
3 9. Et clamauerunt ad dominum,qui suscitauit eis saluatorem,& liberauit eos, 3 20.15,& 4 20.30.
12 Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu domini 3.20.15
15 Et postea clamauerunt ad dominum: qui suscitauit eis saluatorē Aod,inclytum filium Gera 3.20.15
6.11. Venit autem Angelus domini & sedit sub quercu 1.14.6
14 Respexítque ad eum dominus, & ait, Vade in hac fortitudine tua:& liberabis Israel de manu Madian 1. 13. 10, & 1.14.5.
34 Spiritus autem domini induit Gedeon qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer,vt sequeretur se 1.2 17.
37 Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas &c. 4.14.18.
8 27. Fecítque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra,fornicatúsque est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam 4.10.25.
9.20. Sin autē peruersè, egrediatur ignis ex Abimelech,& consumat habitatores Sichē,& oppidū mello,&c.3.20.15.
11.30. Votum vouit domino Iephthe dicēs,Si tradideris filios Ammon in manus meas,&c. 4.13.3.
13.10. Ecce apparuit mihi vir quem antè videram 1.14.6.
16 Cui respondit Angelus, Si me cogis non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud domino 1.13.10
18 Cur quæris nomen meum quod est mirabile? 1.13.10
19 Tulit itaque Manue hœdum de capris & libamenta, & posuit super terram offerens domino 4.10.25
22 Morte moriemur,quia vidimus dominum 1.13.10,& 1.14 5.
23 Si dominus nos vellet occidere,de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset,&c. 1.11.10
16.28. Domine Deus meus memento mei,& redde mihi nunc fortitudinem pristinam, vt vlciscar me de hostibus meis. 3.20.15
21.25. In diebus illis nō erat rex in Israel sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur,hoc faciebat 4.20.9.

RVTH.

SIn ille noluerit te retinere, ego te absque vlla dubitatione suscipiam, viuit dominus. 4.8.9.

I.SAMVEL.

1 15. POrrò Anna loquebatur in corde suo,tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Aestimauit ergo eam Heli temulentam. 3.20.31
2.6. Dominus mortificat & viuificat:deducit ad inferos & reducit 3.20.12
9. Pedes sanctorum suorum seruabit & impii in tenebris conticescent:2.10.18
10 Et dabit imperium Regi suo,& sublimabit cornu Christi sui 2.6.2.
25 Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit dominus occidere eos 1.18. 3 & 3.2 .14.
34 Hoc autem erit tibi signum quod venturum est duobus filiis tuis Ophni & Phinees: in die vno morientur ambo. 1.18.1.
6.9. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Beth sames,ipse fecit malum hoc nobis grāde,&c. 1.16 8
7.3. Si in toto corde vestro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth, & preparate corda vestra domino, &c. 3.3 5.
6 Et ieiunauerunt in die illa atque dixerunt ibi,Peccauimus domino 4.12.17.
17 Aedificauit etiam ibi altare domino. 4.10.25.
8.7. Non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos 4.20.6.
11. Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis,filios vestros tollet, & ponet in curribus suis,&c. 4.20.26.
10.6. Et insiliet in te spiritus domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. 2.2.17,& 2.3.4.
9 Itaque cùm auertisset humerum suum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. 3 2.12
26 Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 2.2 17
11.6. Et insiluit Spiritus domini in Saul, cùm audisset verba hæc: 2.4.6.
15 Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram domino,&c. 1.8.6
12.22 Et non derelinquet dominus populum suum, propter nomen suum magnū,quia iurauit dominus facere vos sibi populum. 3.21.5.
14.44. Et ait Saul,hæc faciat mihi Deus, & hæc addat,quia morte morieris Ionathan 2.8.24.
15.11. Pœnitet me quòd constituerim Saul regē:quia dereliquit me, & verba mea opere non implenit: Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad dominum tota nocte. 1.17.12,& 3.20.15
22. Numquid

22 Nunquid vult dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. 4.10.17. & 4.18.9.

23 Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scel⁹ idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex, 4.10.17, & 3.4.33. & 3.22.6

29 Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitentia non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam 1.17.12

30 At ille ait, Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, &c. 3.3.4.

35 Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam dominum pœnitebat, quòd constituisset regem Saul super Israel. 3.20.15

16.1 Dixitque dominus ad Samuelé: vsque quo tu lugebis Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Israel? 3.20.15, & 3.22.6.

13 Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius 1.8.6, & 2.1.17.

14 Et exagitabat eum spiritus nequam à domino 1.14.17, & 2.4.5

18.10 Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, 1.14.17, & 2.4.5.

19.9 Et factus est spiritus domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam, &c. 2.4.

23.26 Et ibat Saul & viri eius ad latus mõtis ex parte vna, Dauid autem & viri eius erant in latere montis 1.16.9.

27 Et nuncius venit ad Saul dicens, festina, & veni quoniam infuderũt se Philistini super terram Ibidem

24.7. Propitius sit mihi dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo domini, vt mittam manum meam in eum, qui Christus domini est 4.20.28

11 Sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim, non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus domini est Ibidem.

26.9 Et dixit Dauid ad Abisai, Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum domini, & innocens erit? Ibidem

12 Omnes dormiebant, quia sopor domini irruerat super eos 1.18.2

23 Dominus retribuet vnicuique secundum iustitiam suam & fidem: tradidit enim te dominus in manum meam, &c. 3.17.14.

31.13. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus. 4.12.17

II. SAMVEL.

5.8. IDcirco dicitur in prouerbio, Cæcus & claudus non intrabunt in templum. 4.16.31

7.14 Qui si iniquè aliquid gesserit, arguã eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum 3.4.32

27 Quia tu domine exercituum Deus Israel reuelasti aurem serui tui, dicens, domum ædificabo tibi, &c. 3.20.13

28 Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus & verba tua erũt vera: locutus es enim ad seruum tuum bona hæc 3.20.14

10 12 Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri, dominus autẽ faciet quod bonũ est in conspectu suo 1.17.9

11.4 Missis itaque Dauid nuntiis, tulit eam: quæ cum ingressa esset ad illum, dormiuit cum ea. 4.1.24

15 Scripsit autem in epistola, Ponite Viriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum vt percussus intereat Ibidem

12.12 Tu fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in cõspectu omnis Israel 1.18.1.

13 Et dixit Dauid ad Nathan, Peccaui domino. Dixitque Nathan ad Dauid, Dominus quoque trãstulit peccatum tuum, non morieris 3.3.4, & 3.4.10, & 3.4.31, & 4.1.24.

14 Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen domini: propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur 3.4.33.

16.10 Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit. 1.17.8, & 1.18.1, & 1.18.4.

22 Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui, coram vniuerso Israel. 1.18.1, & 1.18.4

17.17 Et dixit Chusai ad Absalon, Non est bonum cõsilium quod dedit Achitophel hac vice 1.17.7

14 Domini autem nutu dissipatum est cõsilium Achitophel vtile, vt induceret dominus super Absalon malum 1.17.7, & 2.4.6.

22.20. Et eduxit me in latitudinẽ: liberauit me, quia complacui ei 3.17.5

21 Retribuit mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundum munditiam manuum mearum reddidit mihi. Ibid.

24.1. Et addidit furor domini irasci cõtra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem ad Ioab, Vade numera Israel & Iuda 1.14.18

10 Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad dominum, Peccaui valde in hoc facto, &c. 3.3.4.

20 Et egressus adorauit regem prono vultu in terram 1.12.3.

I. REGVM.

1.16 INclinauit se Bethsabee, & adorauit regem 1.12.3.

21 Eritque, cũ dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus peccatores 3 11.3.

2.5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab fili⁹ Seruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, &c. 4.20.10.

6 Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos Ibidem

8 Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Gemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, &c. Ibidem.

8.23 Qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis qui ambulant coram te in toto corde suo. 3.17.5.

46 Quòd si peccauerit tibi (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, &c. 2.7.5, & 3.14 9, & 4 1.25

47 Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis, &c. 4.1.25

58 Sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius, & custodiamus mandata eius, & cærimonias eius, & quæcunque iudicia mandauit patribus nostris 1.3.9.

11.12 Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filii tui scindam illud. 2.6.2.

23 Suscitauit ei quoque Deus aduersarium, &c. 1.18.1.

31 Ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus 1.18.1

34 Nec auferam omne regnum de manu eius, sed ducem ponam eum cũctis diebus vitæ suæ, propter Dauid seruum meum, &c. 2.6.2

39 Et affligam semen Dauid super hoc, veruntamẽ non omnibus diebus Ibid.

12.10 Et dixerunt ei iuuenes qui cum eo nutriti fuerant, Sic loquere populo huic, &c. 1.17.7

15 Et non acquieuit rex populo: quoniã auersatus fuerat eum dominus, &c. 1.17.7, & 1.18.4, & 2.4.6.

20 Nec secutus est quispiam domum Dauid præter tribum Iuda solam. 1.18.4.

28 Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite vltrà ascendere in Ierusalem, ecce Dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti 4.2.8

30 Et factum est verbum hoc in peccatũ: ibat enim populus ad adorandum vsque in Dan 4.20.32

31 Et fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui

15.4. Sed propter Dauid, dedit ei dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & statueret Ierusalem, 2.6.2

18.10 Viuit dominus Deus tuus, non est gens aut regnum in quo non miserit dominus meus, &c. 2.8.27

41 Et ait Elias ad Achab, Ascende & comede & bibe, quia sonus multæ pluuiæ est. 2.20.3

42 Elias autẽ ascẽdit in verticẽ Carmeli & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua Ibidem

43 [illegible] dixit ad puerum suum, Ascende & prospice contra mare: qui quum ascendisset & contemplatus esset, ait, Non est quicquam, & rursum ait illi. Reuertere septem vicibus Ibidem

19.8 Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb 4.12.20

18 Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. 4.1.2

21.12 Prædicauerunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi 4.12.17

28 Et factus est sermo domini ad Eliam Thesbiten. 3.3.25

29 Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, nõ inducam malũ in diebus eius, &c. 3.3.25, & 3.20.15

22.6 Cõgregauit ergo rex Israel quadringentos circiter prophetas. 4.9.6

21 Egressus est autem spiritus, & stetit coram domino, & ait, Ego decipiam 1.14.17, & 1.17.7, & 1.18.1.

22 Et ille ait, Egrediar, & ero Spiritus mẽdax in ore omnium prophetarum eius 4.9.6.

27 Hoc dicit rex, Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aquæ angustiæ, donec reuertar in pace. Ibidem

II. REGVM.

5.17 DIxítque Naaman, Vt vis: sed obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum mulorum de terra: non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis nisi Domino 3.2.32

18 Hoc autẽ solũ est de quo deprecetis Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus templum &c. Ibid.

19 Qui dixit ei, Vade in pace: abiit ergo ab electo tempore Ibidem

6.15 Heu heu domine mi, quid faciemus? 1.14.11.

16 Plures nobiscum sunt, quàm cum illis

17 Domine, aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruũm igneorum in circuitu Elizei. 1.14.7, & 1.14.8, & 1.14.11

31 Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie 2.8.2

10.7 Quũque venissent literæ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, &c. 1.18.4

10 Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus, &c. Ibid.

16.10 Quúmque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Vriam sacerdotem exemplar eius, & similitudinem iuxta omne opus eius 4.10.23

17.24 Adduxit autem rex Assyriorum viros de Babylone, & de Cutha, &c. Ibidem.

25 Quúmque ibi habitare cœpissent, nõ timebant Dominum: & immisit eis Dominus leones qui interficiebant eos 4.18.23

32 Et nihilominus colebant Dominum, fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, &c. 3.2.13 & 4.10.23, & 4.15.22.

33 Et quum Dominũ colerent, diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem Gentium, de quibus transtulerant Samariam. 2.13

34 Vsque in præsentem diem priorem seruantur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias eius, &c. Ibidem

19.4 Et fac orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt. 3.20.14

35 Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia. 1.14.6.

20.1 Præcipe domi tuæ: morieris enim tu, & non viues 1.17.12

2 Tunc Ezechias conuertit faciem suã ad parietem, & orauit Dominum. 3.3.4.

3 Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim 3.14.19, & 3.20.10.

5 Ecce sanaui te, die tertio ascẽdes templum Domini.

9 Vis vt ascendat vmbra decem lineis, aut vt reuertatur totidem gradibus? 4.14.18.

11 Inuocauit Isaïas Propheta Dominũ & reduxit vmbram per lineas, quibus descenderat in horologio Achaz. 1.16.2.

21.4 Extruxítque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, In Ierusalem ponam nomen meum 3.10.23.

16 Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Ierusalem vsque ad os, &c. 3.24.11.

22.2 Fecítque quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui, non declinauit ad dexteram siue ad sinistram 10.23

8 Dixítque autem Heclias Pontifex ad Saphan scribam, Librum legis reperi in domo Domini: deditque Heclias võ lumen Saphan scribæ, qui legit & illud. 1.8.8

I. PARALIP.

28.2 ET scabellum pedum Domini Dei nostri 4.1.5

II. PARALIP.

19.6 VIdete, ait quid faciatis: non enim hominis exercetis iudiciũ: sed Domini 4.20.4, & 4.20.6

NEHEMIAS.

1.4 QVmque audissem verba huiusce modi sedi & fleui, & luxi diebus multis, & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli. 4.12.16

5 Quæso Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum, & misericordiam cum iis qui te diligunt, &c. 3.17.5

7 Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia quæ præcepisti Moysi seruo tuo 3.4.11

9.14 Et sabbathum sanctificatum tuum ostendisti eis 2.8.29

IOB

1.6 QVadam autẽ die, quũ venissent filii Dei vt assisterẽt coram Domino, affuit inter eos etiam Satan 1.14.17, & 1.14.19, & 1.18.1, & 2.14.5.

12 Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam. 1.17.7.

17 Sed & illo loquente venit alius, & dixit, Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nuntiarem tibi 2.4.2.

21 Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum 1.17.8, & 1.18.1, & 1.18.3, & 2.4.2.

2.1. Venit quoque Satan inter eos vt staret in conspectu Domini 1.14.17, & 1.14.19, & 1.18.1.

4.17 Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? 3.12.1

18 Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles & in Angelis suis reperit prauitatem. 3.12.1, & 3.17.9.

19 Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? 1.15.1, & 1.15.2, & 3.12.1

17 Beatus homo qui corrigitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes. 3.4.32

9.2. Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo 3.12.2.

20 Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, prauum me comprobabit 3.12.5

10.15 Et si impius fuero, væ mihi est, & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria 3.14.16

12.18 Baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum 4.20.28

20 Commutat Deus labium veracium, & doctrinam senum auffert. 2.4.4

13.15 Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. 2.10.19, & 3.2.21

14.4 Quis potest facere mundum de immundo, nónne tu qui solus es? 2.1.5, & 3.12.5.

5 Breues dies hominis sunt, mensium numerus apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. 1.16.9.

17 Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam 3.4.29

15.15, Ecce inter sanctos eius, nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius 3.12.1

16 Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit, quasi aquam, iniquitatem? 3.12.5

19.25 Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum 2.10.19, & 3.25.4

26 Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. 2.10.19

27 Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, &c. Ibidem.

21.13 Ducũt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt 2.10.17

25.5 Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius 3.12.1.

26.14 Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius: & cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitru magnitudinis illius intueri? 1.17.2

28.12. Sapiẽtia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Ibidem

21 Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet Ibidem

23 Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum eius Ibidem

28. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo intelligentia 1.17.1, & 3.2.26

34.30 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi 4.20.25

36.27 Qui aufert stillas pluuiæ, & effũdit imbres ad instar gurgitum 1.5.5

41.2. Et quis ante dedit mihi, & reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt mea sunt 3.14.5

PSALMORVM.

1 1. Beatus vir qui non abiit in consilio & in via peccatorũ non stetit 3.17.10

2 Sed in Lege Domini voluntas eius, & in Lege eius meditabitur die ac nocte 2.7.13

22. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius 2.16.3

3. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum Ibid.

4 Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus subsannabit eos 1.5.1, & 2.16.3

8. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ 2.11.11

9 Reges eos in virga ferrea, & tãquam vas figuli confringes eos 2.15.5, & 4.1.19.

12 Apprehendite disciplinam: ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. 2.6.2, & 4.20.5, & 4.20.29.

3.5 Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me. 2.37

2.37.
4.7 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine 1.11.14
5.4 Mane astabo tibi,& videbo quoniã non Deus volens iniquitatem tu es 3.20.12
8 Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in dõmum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo 3.2.23,&3.20.11
6.1 Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me 3.4.32.
7.6. Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum,&c. 3.20.15,&3.17.17
9 Iudica me Domine secundum iustitiã meam, & secundũ innocentiam meam super me 3.17.14
8.3 Ex ore infantium & lactantiũ perfecisti laudem 1.16.3
5 Quid est homo,qnod memor es eius? aut filius hominis quoniã visitas eum? 1.5.3,&2.13.2
9.10 Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum 3.2.31
10.13 Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem 1.4.2
11.4 Dominus in templo sancto suo, 1.5.1
12.2 Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximũ suum:labia dolosa,&c.4.14.8
7 Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ,probatum septuplum 3.2.15
14.1 Dixit insipiens in corde suo, non est Deus 1.4.
3 Dominus de cælo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens Deum 3.14.1
4 Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum 2.3.2
15.1 Domine quis habitabit in tabernaculo tuo ? aut quis requiescet in monte sancto tuo? 3.17.6,&3.24.8
2 Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo 3.6.2,&3.17.2
16.2 Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges 2.8.53
3 Sanctis qui sunt in terra eius, mirificabit omnes voluntates meas in eis 1.11.14,& 2.8.53,&3.7.5
5 Dominus pars hæreditatis meæ,& calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi 2.11.2,& 3.25.10
10 Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem 3.25.3
17.1. Exaudi Domine iustitiam:intende deprecationi meæ 3.17.14
3 Probasti cor meum,& visitasti nocte: igne me examinasti,& non est inuenta in me iniquitas Ibid.
17 Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua 2.10.17,& 3.25.10
18.1 Diligam te Domine fortitudo mea 3.20.23,& 4.17.23
22 Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit,quoniam voluit me 3.1.17 5
23 Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam,& secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi 3.17.5,& 3.17.14
30 Quoniam tu populum humilem saluum facies:& oculos superborum humiliabis 3.12.6
33 Eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se 3.2.15
19.1 Cœli narrant gloriam Dei 1.5.1,& 1.6.4
8 Lex Domini immaculata çonuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis 2.7.12, & 4.8.6
13 Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me 3.4.16,& 3.4.18,& 3.17.2
20.3 Memor sit omnis sacrificii tui : & holocaustum tuum pingue fiat 3: 20.18
10 Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te 2.6.2
22.1 Deus Deus meus, quare me dereliquisti? 2.16.11
4 In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt,& liberasti eos 3.20.26
26 Vota mea reddam in conspectu timentium eum 4.13 4
23.4 Nã etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es 1.17.11 & 3.11.21,& 3.2.28
8 Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ 2.3.12
24.3 Quis ascendet in montem Domini?aut quis stabit in loco sancto eius? 3.6.2
4 Innocens manibus, & mundo corde, qui nõ accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo Ibid.
6 Hæc est generatio quærentium eum 3.24.8
25.1 Ad te Domine leuaui animam meã 3.20.5
6 Reminiscere miserationum tuarum Domine,& misericordiarũ quæ à sæculo sunt 3.20.9
7 Delicta inuentutis meæ, & ignorantias ne memineris : secundum misericordiam tuam memento mei tu 3.3.8, & 3.20.9
10 Vniuersæ viæ Domini,misericordia & veritas requirentibus testamentum eius,&c. 3.20.7 & 3.17.2
11 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo:multum enim est 3.17.2
18 Vide humilitatem meam & laborem meum,& dimitte vniuersa delicta mea 3.19.9
26.1 Iudica me Domine,quoniam ego in innocẽtia mea ingressus sum,& in Domino sperãs non infirmabor 3.17.14
2 Proba me Domine, & tenta me : vrenes meos,& cor meum 3.20.46
5 Odi ecclesiam malignantium : & cum impiis non sedebo 3.17.14
8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ 1.11.14
9 Ne perdas cum impiis Deus animam meam,& cum viris,&c. 3.17.14
27.1 Dominus illuminatio mea,& salus mea,quem timebo? 1.17.11
3 Si consistant aduersum me castra,non timebit cor meum Ibid.
10 Pater meus,& mater mea dereliquerũt me:Dominus autem assumpsit me 3.20.36
14 Expecta Dominum,viriliter age: & confortetur cor tuum,& sustine Dominum 3.2.17
28.8 Dominus fortitudo plebis suæ : & protector saluationum Christi sui est 2.6.2, & 2.6.3
29.3 Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit : Dominus super aquas multas 1.6.4
3.6 Ad vesperum demorabitur fletus,& ad matutinum lætitia 1.10.18
7 Ego autem dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternũ: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus 3.8.2
31.1 In te Domine sperani,nõ cõfundar in æternũ:in iustia tua libera me 3.11.12
6 In manus tuas commendo spiritum meum:redemisti me Domine Deus veritatis 3.20.26
16 In manibus tuis sortes meæ 1.17.11
23 Ego autẽ dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum 3.1.16
32.1 Beati quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata 3.4.29,& 3.11.11,& 3.14.11,& 3.17.10
5 Delictum meum cognitum tibi feci & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino,&c. 3.4.9
6 Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno,&c. 3.20.7,& 3.20.26
33 6 Verbo Domini cœli firmati sunt:& spiritu oris eius omnis virtus eorum 1.13.15,& 1.16.1
12 Beata gens cuius est Dominus, Deus eius:populus quem elegit in hæreditatem sibi 2.10.8,& 3.2.28,& 3.21.5
13 De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum 1.16.1
18 Ecce oculi Domini super metuentes eum,& in eis qui sperant super misericordia eius 3.20.40
22 Fiat misericordia tua Domine super nos,quẽadmodũ sperauim⁹ in te 3.20.12
34.7 Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum,& de omnibus tribulationibus eius saluauit eum 3.20.26
8 Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum:& eripiet eos 1.14.6, & 1.14.8.& 3.20.23
15 Diuerte à malo,& fac bonum 3.3.8
16 Oculi Domini super iustos : & aures eius in preces eorum 1.16.7,& 3.20.3, & 3.20.10
17 Vultus autem Domini super facientes mala:vt perdat de terra memoriam eorum 1.16.17
22 Mors peccatorum pessima 2.10.14, & 2.10.18
23 Redimet Dominus animas seruorum suorum 2.10.16
36.1 Dixit iniustus vt delinquat in semet ipso,nõ est timor Dei ante oculos 1.4.2
2 Quoniã dolosè egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium Ibid.
6 Domine in cælo misericordia tua : & veritas tua vsque ad nubes 3.2.7
7 Iudicia tua abyss⁹ multa 1.17.2,& 3.13.5
10 Apud te est fons vitæ : & in lumine tuo videbimus lumen 2.2.20
37.7 Subditus esto Domino,& ora eum 3.2.37
22 Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicẽtes aute mei disperibunt 2.11.2
38.1 Domine, ne in furore tuo arguas me,neq; in ira tua corripias me 3.4.32
5 Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ : & sicut onus graue grauatæ sunt super me 3.4.16
9 10 Obmutui,& non aperui os meum, quoniam tu fecisti 1.17.8
13 Aduena ego sum apud te, & peregrinus,sicut omnes patres mei 2.10.15
14 Remitte mihi,vt refrigerer priusquã

abeam,& amplius non ero 3.20.16
40.4 Et immiſit in os meum canticum nouum,carmen Deo noſtro : videbũt multi & timebũt, & ſperabũt in Domino 3.20.26,& 3.20.18
6 Multa feciſti tu Dominus meus mirabilia tua : & cogitationibus tuis nõ eſt qui ſimilis ſit tibi 1.5.9,& 1.17.1
7 Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi 3.22.10
8 Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me 2.16.5
9 Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei Ibid.
11 Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiã tuã & veritatẽ tuã à cõcilio multo 3.2.7
12 Miſericordia tua & veritas tuas ſemper ſuſceperunt me Ibid.
41.5 Sana animam meam, quia peccaui tibi 3.20.23
42.3 Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum: quando veniã & apparebo ante faciem Dei? 4.17.21
5 Tranſibã vſque ad domũ Dei, in voce exultationis & confeſsionis,&c. 3.4.9
6 Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo 3.2.16
43.5 Quare triſtis es anima mea,& quare cõturbas me? Spera in Deo Ibid.
44.4 Nec enim in gladio ſuo poſſederũt terram, & brachium eorum nõ ſaluabit eos : ſed dextera tua, & brachium tuũ, & illuminatio vultus tui, quoniã complacuiſti in eis 3.21.5
21 Si obliti ſumus nomen Dei noſtri,& ſi expandimus manus noſtras ad Deũ alienum 3.20.27
22 Nõne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis 3.20.27
23 Quoniã propter te mortificamur tota die : æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis 3.25.3
45.7 Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: virga directionis, virga regni tui 1.13.
8 Dilexiſti iuſtitiam,& odiſti iniquitatem : propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis 2.15.5,& 4.19.18,& 4.20.10
13 Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis 1.11.15
46.1 Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus 3.2.37
2 Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur mõtes in cor maris Ibid.
6 Deus in medio eius, non commouebitur 4.13
47.3 Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram 1.13.24
5 Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob quem dilexit 3.2.1.5
48.9 Sicut audiuimus ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum 1.11.14
11 Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ : iuſtitia plena eſt dextera tua 3.20.41,& 4.16.32
49.7 Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur 2.10.17
8 Frater non redimit: nõ dabit Deo placationem ſuam Ibid.
11 Cùm viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens & ſtultus peribunt Ibidem.
12 Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina ſua in terris ſuis Ibid.
13 Et homo quum in honore eſſet, non intellexit : comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis Ibid.
14 Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in honore ſuo complacebunt Ibid.
15 Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos : & dominabuntur eorum iuſti in matutino Ibid.
50.15 Et inuoca me in die tribulationis: & eruam te,& honorificabis me 3.20.13,& 3.20.28,& 4.17.37
23 Qui laudem ſacrificat, is me glorificat: & hæc eſt via per quam oſtendam ei ſalutem Dei 4.18.17
51.1 Miſerere mei Deus pro bonitate tua,&c. 3.4.9
6 Vt purus agnoſcaris quando iudicaueris 1.18.3,& 3.11.11,& 3.23.2
7 En ego in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea 1.5,& 3.3.18,& 3.20.9,& 4.16.17
12 Cor mundum crea mihi Deus,& ſpiritum firmum intra me innoua 2.2.25, & 2.2.27,& 2.3.9
17 Aperi Domine labia mea, vt os meũ laudem tuam prædicet 3.20.28
19 Sacrificia Deo ſpiritus cõfractus: cor contritum & confractum Deus non deſpicies 3.20.16
21 Tunc delectaberis hoſtiis, ſacrificio & holocauſto iuſtitiæ: tũc vitulos imponent ſuper aram tuam 4.18.17
52.10 At ego ſimilis oleæ frondoſæ in domo Dei 2.10.17
53.4 Non eſt qui quod bonum eſt faciat 2.3.2
55.23 Reiice in Dominum ſarcinã tuam, & ipſe te ſuffulciet: nõ permittet vt iuſtus perpetuò labaſcat 1.17.6, & 2.10.17
24 Tu interim, ô Deus, detrudes ſanguinarios iſtos & fraudulẽtos in puteum interitus 2.10.17
56.5 In Deũ ſperaui, nihil metuo quod caro mihi faciat 1.17.11
10 Quoties te inuoco, hoſtes mei retrocedunt, in hoc certus fio quòd tu es Deus meus 3.20.11
13 Vota nũcupabo tibi ô Deus, reddam laudes tibi 4.13.4
59.11 Bonitas tua, ô Deus meus, anteuertat me : fac Deus optata in hoſtibus meis videam 2.3.12
60.14 In Deo fortiter faciemus,& ipſe conculcabit hoſtes noſtros 3.20.46
62.9 Effundite ante conſpectum eius cor veſtrum, Deus refugium nobis 3.20.5
10 Filii hominum vani ſunt, mendaces filii viri : ſi ſimul ponantur in bilance, ipſa vanitate leuiores erunt 2.3.1.
63.4 Bonitas tua, ipſa vita optabilior eſt 3.2.28,& 3.17.14
65.1 Tibi ô Deus laus in Sion, tibi perſoluetur votum 3.20.29
3 Tu exaudis precem: hinc omnis caro ad te venit 3.20.13
5 Beatus quem elegeris, quem tibi adhibueris : habitabit ille in atriis tuis, &c. 3.21.5
68.19 Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem 1.13.11
21 Domino Deo exitus mortis 3.25.4
36 Tremẽdus es, ô Deus, de ſanctuariis tuis, Deus Iſraelis ipſe dat robur populo 1.11.14,& 4.7.2
69.3 Demerſus ſum in limum profundi ſimum, in quo non eſt fundum,&c. 4.7.13
5 Vt quæ non rapui rependere cogar 2.16.5
22 Et dederunt in cibo meo fel : & cùm ſitirem potarunt me aceto 4.17.15
29 Deleantur de libro viuentium,& inter iuſtos non ſcribantur 2.10.18,& 3.24.9
71.2 Pro tua iuſtitia erue me, & libera me 3.11.12
72.8 Imperitet à mari ad mare vſque, & à flumine vſque ad terminos terræ 2.11.1
11 Et adorent eum omnes reges, omnes gentes ſeruiant ei 4.5.17
73.2 Parum abfuit quin mutarent pedes mei, ferè effuſi ſint greſſus mei 3.9.6
17 Donec in ſecretiora Dei adyta penetraui, & intellexi vt poſtremò eſſent quique habituri 2.10.16, & 3.9.6
26 Conſumitur caro mea & cor meum: Deus autẽ eſt petra cordis mei,& portio mea in æternum 2.11.2
74.2 Memor ſis cœtus tui, quem iampridem comparauiſti : & ſortis hæreditariæ quam vendicaſti: montis Sionis in quo habitare es ſolitus 3.20.14
9 Signa noſtra nõ videmus, nullus ſupereſt propheta: nemõque nobiſcum qui ſciat quouſque tandem 2.15.1
75.7 Nam nec ab Oriente, nec ab Occidẽte, neque à Meridie exaltatio cõtingit 1.16.6
77.10 Oblitus éſtne miſereri Deus, continebitne in ira miſericordias ſuas? 3.2.16
11 Tandem cogitabam, Hęc mea eſt infirmitas, dextera Excelſi vices mutat 3.2.31
78.8 Nec euadant ſimiles patribus ſuis nationi deficiẽti & rebelli, nationi quæ rectè cor ſuum haudquaquam inſtituit,& cuius ſpiritus nunquã verè Deo credidit 2.5.11
36 Ore ſuo blanditi ſunt ei, lingua autem ſua ei mentiebantur 3.3.25
37 Cor eorum non erat rectum erga illum, nec fidi fuerunt in fœdere eius Ibid.
45 Immiſit in eos æſtum iræ ſuæ, impetum, indignationem & anguſtiam, cadæmonum incurſiones 1.14.17
60 Vt deſereret tabernaculum Silo, tẽtorium in quo inter homines habitabat 2.6.2
67 Et repudiauit tentorium Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit 2.6.2,& 3.22.6.
70 Et elegit Dauidem ſeruum ſuum, à caulis ouium tulit eum 2.6.2
79.9. Auxiliare nobis, ô Deus ſalutis noſtræ, propter gloriam nominis tui: & libera nos, & propitius ſis peccatis noſtris propter nomen tuum 3.20.14
13 Et nos populus tuus, & grex paſcuorum tuorum te celebrabimus in ſæculum,& per omne ęuum prædicabimus laudes tuas 3.7.10
80.2 Qui inſides Cherubim, affulge 1.13.24,& 2.8.15,& 4.1.5
4 Deus reſtitue nos, & fac illuceſcere faciem tuam,& ſalui erimus 3.2.28
5 Domine Deus exercituum, quouſque tandem excandeſces in oratione populi tui? 3.20.16
18 Sit manus tua cum viro dexteræ tuæ, cum filio hominis quem tibi corroborafti

borasti 2.6.2
81.11 Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti 3.2.31
82.1 Deus consistit in cœtu Dei, in medio Deorum Iudicem agit 4.20.4, & 4.20.6, & 4.20.29
3 Vindicate pauperem & pupillum, afflictum & miserum absoluite 4.20.9
4 Eripite tenuem, & inopem de manu impiorum liberate Ibid.
6 Equidē dixeram, Vos dii estis, & vos omnes filii Excelsi 1.14.5, & 4.20.4
84.1 Quàm sunt amabilia ô Domine exercituum, tabernacula tua! 4.1.5
3 Ardet, & etiam deperit anima mea ad atria Domini, cor meum & caro mea clamant ad Deum viuum 2.11.2
8 Ibunt de virtute in virtutem, comparebit quisque eorum apud Deum in Sion 4.17.21
86.2 Custodi vitā meā, quoniā beneficus sum: serua tu Deus seruū tuū 3.20.10
5 Etenim tu Domine bonus es & propitius, ampla bonitate in omnes qui te inuocant 3.2.29
11 Dirige me Domine in viis tuis, tunc ambulabo in veritate tua: coge pectus meum, vt timeat nomen tuum 2.2.27, & 2.3.9
88.17 Super me transierunt furores tui, & terrores tui me confecerunt 3.4.34
89.4 Pepigi fœdus cum electo meo, iuraui Dauidi seruo meo 4.1.17
5 Semen tuum in æternum confirmabo, & stabiliam solium tuū ad omnem posteritatem Ibid.
31 Si filii eius Legem meam deseruerint, & in iudiciis meis non ambulauerint 3.4.32, & 4.1.27
32 Si statuta mea prophanarint, & præcepta mea non custodierint 3.4.32
33 Præuaricationes eorum virga visitabo, & iniquitates eorum flagellis 3.4.32, & 4.1.27
34 At bonitatem meam non auferā ab eo, nec fallam illi fidem meam 3.4.32, & 4.1.27
36 Semel per sanctitatem meam iurani, haudquaquam Dauidem fefellero 2.5.3
37 Semen eius in æternum erit, solium eius coram me vt sol perstabit Ibid.
38 Firmū vt luna manebit, quæ est certus in æthere testis 2.15.3
90.4 Mille anni coram te sunt vt dies hesternus qui præteriit, imò vt noctis vigilia 3.2.42
7 Etenim ira tua deficimus, & feruente indignatione tua terremur 3.4.34
9 Nam cuncti dies nostri te irascente dilabuntur, annos nostros finimus dicto citiùs 3.25.12
11 Quis vim iræ tuæ nouit? vt te quique timent, ita in eos indignatio iræ tuæ sæuit Ibid.
91.1 Sedens in abdito Excelsi, sub vmbra Omnipotentis commoratur 1.17, 6, & 2.8.41
3 Nam is à laqueo venatoris, & à peste exitiali te liberabit 1.17.11
11 Nam Angelis suis tua causa præcipiet, vt in omnibus viis tuis te custodiant 1.14.6, & 2.8.42, & 3.20.23
15 Me inuocabit, ideo eum exaudiam, adero ei in afflictione, eripiam eum & glorioſum eum reddam 3.20.14
92.6 Quàm magna sunt facta tua, ô Domine, vehemēter profunda cōsilia tua 2.10.17
7 Vir stupidus istud non cognoscit, neque stultus intelligit 1.5.9
13 Iustus vt palma florebit, & sicut Cedrus in Libano succrescet. 2.10.17
14 Plantati in domo Domini in atriis Dei nostri florebunt Ibid.
93.1 Dominus rex est, induit celsitudinem, induit inquam Dominus robur, séque accinxit: quin & orbis sic firmatus est vt non nutet 1.6.3
5 Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum 1.6.4
94.11 Nouit Dominus cogitationes hominum vanas esse 2.2.25, & 3.14.1.
12 Fœlix vir quem, tu ô Domine, castigaueris, & quem in Lege tua instituēris 3.4.34
19 Pro æstu multarum cogitationum intra me, recrearunt animam meam consolationes tuæ 3.20.7
95.7 Si hodie voci eius auscultaueritis 3.2.6
8 Ne induretis cor vestrum, vt in Meriba, vt in die Massa in deserto 2.5.11
96.10 Dicite in gentibus, Dominus regnat, & orbis firmabitur ne nutet, &c. 1.6.3
97.1 Dominus regnat, exultet terra, & insularum multitudo lætetur Ibidem.
7 Procumbite coram eo dii vniuersi 1.13.11, & 1.12.23
10 Custodit Dominus animas sanctorū suorum, éque manu impiorum eos custodit 2.10.16
11 Lux sata est iustis, & iis qui integro sunt corde lætitia Ibid.
99.1 Domino regnante, cum tumultu populi cōcurrunt: insidet Cherubim, terra mouet 1.6.3, & 2.8.15
5 Exaltate Dominum Deum nostrum, & prosternite vos ad scabellum pedum ipsius: sanctus enim est 1.11.5, & 4.1.5
9 Exaltate Dominum Deū nostrum, & prosternite vos ad montem sanctitatis eius: est enim sacrosanctus Dominus Deus noster 1.11.15
100.3 Agnoscite quòd Domin⁹ est De⁹, ipse nos fecit, & non ipsi nos: sumus populus eius, & grex pascuorum eius 2.3.6 & 3.21.5
101.3 Scelus nefarium ante oculos meos quod designē, non proponā, defectores odio prosequar, nec vnquam mihi adhærescent 4.20.9
8 Maturè perdā omnes impios terræ, vt è ciuitate omnes facinorosi exscindantur 4.20.10
102.14 Tu itaque exurgens miserearis ipsius Sion 1.13.11
16 Et timebunt gentes nomen Domini & omnes reges terræ gloriam tuam Ibidem
18 Ac rationem habuerit precationis humilium, neque precationem eorum spreuerit 3.20.28
19 Quod quidem literarum monimentis transmittetur ad posteros: & populus qui creabitur, laudabit Deum Ibid.
22 Vt celebrent homines nomen Domini in Sion, & laudem eius in Ierusalem Ibid.
26 Nam primùm terræ fundamenta iecisti, & cæli sunt opus manuū tuarum 1.13.11, & 2.10.15
27 Quæ interibunt, tu autem perstas: & vniuersa vt vestis veterascent, &c. 2.10.15
28 Verùm tu idem es perpetuò, & anni tui non finiuntur Ibid.
8 Miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors 3.2.29.
17 Domini autem benignitas erga timentes eum durat ab æterno in sempiternum tempus 2.10.15
20 Prædicate Dominum Angeli eius, qui pollentes virtute exequimini eius voluntatē, obediendo voci verborum eius 1.14.4, & 3.20.43
104.2 Luce amictus est tanquam vestimento 1.5.1
4 Qui legatos suos effecit spiritus, & ministros suos ignem flammantem 1.16.7
15 Et vinum quod exhilarat cor hominis, & oleum quod nitidam reddat faciem 3.10.2
27 Vniuersa autem ex te pendent, vt eis cibum suum des suo tempore 1.16.1
28 Téque dante colligunt, & te manum aperiente satiantur bonis Ibid.
29 Si autem abscondas faciem tuam, turbantur: sique spiritum eis eripias, expirant, & reuertuntur in puluerem Ibid.
30 Rursum animalia creantur, si tuum spiritum mittas, & renoues terræ faciem Ibid.
105.4 Semper faciem eius quærite 4.1.5
6 O semen Abrahami cultoris ipsius, filii Iacobi electi eius 2.21.5
25 Vertítque cor eorum in odium sui populi vt dolum commolirentur in seruos ipsius 1.18.2, & 2.4.4
106.3 O beatos qui seruant iudicium, & faciunt semper quod iustum est 3.17.10
4 Memento mei Domine per fauorem erga tuū populum: meique rationem habeto per tuam salutem. Vt videam bonū electis tuis hominibus paratum, & laudeam gaudium gentium tuarum 4 1.
12 Tùncque fidem habuerunt verbis eius, vt decantarent laudem ipsius 3.20.15
13 Verùm confestim obliti sunt eius, neque sustinuerunt consilium eius
31 Quod ei est imputatum pro iustitia sempiternis temporibus 3.17.7, & 3.17.8.
37 Nam filios suos & filias suas mactauerunt victimas dæmonibus 4.13.17
46 Et fecit eos gratiosos apud victores suos anniuersos 2.4.6
47 Serua nos Domine Deus noster, & congrega nos ex gētibus, vt confiteamur nomini tuo sanctissimo, & celebremus te laudibus tuis 3.20.28
107.4 Qui errabāt in deserto, in solitudine per itinera, quibus oppidū habitatum non inueniebant 1.5.7
6 Clamauerunt Dominum in periculis suis, & eripuit eos ex angustiis ipsorum 3.20.15
13 Clamauerunt etiam Dominum in periculis qui eripuit eos ex angustiis ipsorum Ibid.
16 Quia contriuit valuas æreas, & effregit obices ferreos 2.16.9
19 Clamauerūt etiā Dominū, &c. 2.20.15
25 Qui suo imperio ciet vētū, procellosū, qui altè fluctus ipsius attollit 1.16.7
29 Et sedata tēpestate reddit mare tranquillum, ita vt desinant fluctus quibus

iactabantur Ibid.
40 Nam Deus effundit contemptum in principes, & errare facit eos per vastitatem inuiam 1.18.2, & 2.2.17, & 2.4.4.
43 Quisquis igitur sapit, custodiet hæc & beneficia Domini considerabit 1.5.7.
110.1 Dixit Dominus Domino meo, Sede mihi ad dexteram donec inimicos tuos subdam scabellum tuis pedibus 2.15.3, & 2.16.16
4 Iurauit Dominus, nec pœnitet eum, vt tu sis sacerdos æternus ritu Melchisedech 2.11.4, & 2.15.5, & 4.18.2, & 4.19.28.
6 Iudicabit Messias in gentibus & omnia plena cadaueribus erunt, quãdo contundet capita in multis regionibus 2.15.5
111.1 Confitebor Domine ex toto corde in concilio & cœtu proborum 4.14.8
2 Magna sunt Domini facta, quæ inquiruntur ab omnibus qui delectantur ipsis 1.18.3
10 Principium sapientiæ est timor Domini 2.3.4, & 3.2.26
112.1 Beatus est vir qui timet Dominũ, & valde præceptis eius delectatur 3.17.10.
6 Memoria iusti vsque durabit 2.10.16.
9 Eius iustitia æternùm perstabit cornúque eius altum erit cum gloria Ibidem.
10 Miniméque impii assequentur quod desiderant Ibid.
113.6 Séque demittit vt inspiciat quæcunque sunt in cælo & in terra 1.16.5.
7 Qui erigit tenuem ex puluere, & pauperem à stercore euehit 1.5.7
9 Qui sterilem matrem familiãs efficit matrem gaudentem liberis 1.16.7
115.3 Atqui Deus noster in cœlo est, qui perficit quicquid voluerit 1.16.3, & 1.17.1, & 1.18.3, & 3.24.15
4 Simulacra ipsorum sunt argentea & aurea, opus quod manibus hominis producitur 1.11.4
8 Quibus similes euadant qui ea faciũt, & quicunque fidit eis Ibid.
116.1 Diligo Dominum, quandoquidem exaudiuit supplicem meam vocem 3.20.28.
7 Reuertere anima mea ad locum tuum quietum, quia Dominus in te beneficium contulit 3.2.17
12 Quam gratiam referam Domino pro illis omnibus quæ in me contulit beneficiis? 3.20.28
13 Sumpto calice quo gratiæ aguntur pro accepta salute, nomen Domini vocabo Ibid.
14 Meáque vota exoluam Domino nunc coram vniuerso populo ipsius 4.13.4
15 Nam apud Dominum mors benignorum ipsius maximi est mométi 2.10.14, & 2.10.18
18 Mea vota exoluam nunc coram vniuerso populo ipsius 4.13.4
117.2 Benignitas eius erga nos præpollet, ac veritas Domini æternùm permanet 3.2.7
118.6 Domino à me stante non timebo quid mihi homo inferre conetur 1.17.11
18 Probè me castigauit Deus, attamen non permisit vt morerer 3.4.32.
25 Ah Domine serua quæso, ah Domine da quæso fœlicem successum 2.6.2
26 Optima quæque illi precamur, qui venit in nomine Domini: nósque fausta imprecamur vobis è domo Domini Ibid.
119.1 O beatos qui vita integrum iter tenent incedentes ad præscriptũ Legis Domini 3.17.10
10 Quum autem te quæram ex toto corde meo, ne sinas me aberrare à mandatis tuis 2.2.25, & 4.14.8
14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum magis quàm in omnibus diuitiis 3.2.15
18 Velamen detrahe oculis meis, vt inspiciam admirabilem sapientiam quæ recondita est in Lege tua 2.2.21.
34 Doceto me vt retineam Legem tuam, & toto corde illam custodiam 2.2.25.
36 Inclina cor meum ad obtestationes tuas, & non ad auaritiam 2.3.9, & 2.5.11.
41 Et obueniant mihi tua beneficia, & salus tua secundum eloquium tuum 3.2.31
43 Et ne omnino eripias ab ore meo verbum veritatis: siquidem tua iudicia expecto 3.2.17
71 Bonum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas 3.4.32.
76 Verùm obtingat quæso mihi tua benignitas, quæ me consoletur secundum eloquium tuum quod spem aperuit seruo tuo 3.3.4, & 3.10.14
80 Sit cor meum integrum in tuis decretis, propterea non pudefiam 2.2.27.
89 Verbum tuum Domine perstat æternùm in cœlo 4.8.6
103 Quàm dulce est palato meo eloquiũ tuum, certè ori meo dulcius melle est 3.2.15
105 Verbum tuum lucerna est pedibus meis, & lux aditer meum 1.17.2, & 2.7.12, & 4.8.6
111 Aeterna hæreditate mihi venerunt testimonia tua: sunt enim gaudiũ cordis mei 3.2.15
112 Adieci animum meum decretis tuis, vt exequar illa in finem vsque, & adeò æternùm 2.5.11
127 Quamobrem præcepta tua amaui magis quàm aurum, &c. 3.2.15
133 Formato gressus meos, eloquio tuo, & ne dominetur mihi vlla vanitas 2.3.9
121.4 Ecce nõ dormiscet, neque dormiet qui custodit Israelem 3.20.3
130.1 Ex profundo malorum te voco Domine 3.20.4
3 Si enim iniquitates obseruare velis ô Deus, Domine quis subsistet? 3.12.1, & 3.17.14
4 Verum apud te clementia est, & propterea timeris 3.3.2, & 3.16.3
131.2 Malè sit mihi si non comparaui, & similem iudicaui animam meam puero ablactato apud matrem suam: ésque anima mea in me similis puero ablactato 3.7.9
132.2 Memento Domine omnium quibus afflictus fuit Dauid 3.20.25
7 Adeamus tabernacula eius, & adoremus scabellum pedum eius 4.1.5
11 De fructu ventris tui aliquem solio tuo ponam 2.13.5
13 Dominus elegit Siõ, & expetiuit eam sibi sedem 4.1.17
14 Hæc mea est requies sempiterna, hîc habitabo quoniam expetiui eam 4.1.5
133.3 Quia Dominus mandauit ibi esse benedictionem & vitam sempiternam 2.11.2
135.15 Simulacra gentium sunt argẽtea & aurea, opus quod manibus hominis producitur 1.11.4
138.1 Confitebor tibi toto corde meo, & coram iudicibus psallam tibi 4.14.8.
2 Confitebor nomen tuum propter benignitatem, & propter veritatẽ tuam 3.2.7.
8 Non omittes opera manuum tuarũm 2.24.6
140.14 Profectò iusti confitebuntur nomini tuo, & probi permanebũt in cõspectu tuo 2.20.16
141.2 Valeat precatio mea pro incenso ante te, ac leuatio manuum mearum pro vespertino sacrificio 3.20.14, & 4.18.17
142.6 Proinde Domine te clamo, ac dico, Tu es meum confugiũ, & sors mea in terra viuentium 2.11.2
8 Et ero iustis vice coronæ, quia beneficiis me affecisti 3.20.26
143.2 Ne ambules tamen in ius cum seruo tuo: nullus enim viuens coram te iustus est 2.7.5, & 3.12.2, & 3.14.15, & 3.17.14, & 3.20.8
5 Recolo tamen tempora superiora, & de omnibus factis tuis commentor 3.2.31
144.15 Beatum populum cui contingit ita viuere: beatũ populum cuius Deus est Dominus 2.10.8, & 3.2.28
145.3 Magnus est Dominus & impensè laudandus, cuius magnitudo imperuestigabilis est 1.5.8
5 De maiestatis gloriæ tuæ decore, & rebus tuis admirandis disseram Ibid.
8 Dominus enim beneficus & misericors, patiens & magnæ benignitatis 1.10.2, & 3.20.9
9 Bonus est Dominus in omnes, & misericordia eius superat omnia opera ipsius 1.5.5
13 Regnum tuum regnum est sempiternum, & dominiũ tuum per secula vniuersa durat 1.13.24
18 Præsto adest Dominus omnibus vocantibus eum, omnibus eum vocantibus cum veritate 3.20.3, & 3.20.7, & 3.20.14
19 Facit autem quicquid volent timentes eum, & clamorem eorum exaudit ac seruat eos 3.20.5, & 3.20.13
147.9 Qui dat pecori suum pastum, & pullis coruorum qui eum vocant 1.16.5
10 Non probat fortitudinem equi, neque delectatur tibiis viri 2.2.19
20 Non egit ad hũc modum cum omnibus gentibus, neque manifestauit eis iudicia 3.21.6

PROVERBIA.

1.7 TImor Domini, scientię initium 3.2.26
2.21 Recti enim inhabitabunt terram, & integri superstites in ea erunt 2.11.2
22 Impii verò è terra exscindentur, & prævaricatores ex ea funditus euellentur Ibid.
3.11 Castigationem Domini caue auersari,

feris, fili mi, neque fastidias ad increpationem eius 3.4.32
12 Quem enim amat Dominus castigat, & tanquam pater in filio delectatur 3.8.6
8.15 Per me regnant reges, & principes decernunt iustitiam 4.20.4, & 4.20.7.
22 Dominus possedit me initio viæ suæ, ante opera eius tùm eram 1.13.7
23 Ab æterno ordinata sum, & ab initio ante terram Ibid.
24 Nondum erant abysi quum ego essem formata, nondum fontes aquis redundabant 1.13.7, & 2.14.8
9.10 Principiũ sapientiæ est timor Domini 3.2.26
10.7 Memoria iusti laudem habet: impiorum verò memoria sordet 2.10.18, & 3.17.15
12 Odium excitat occasiones contentionum: sed dilectio omnes præuaricationes obtegit 3.4 31, & 3.4.36
12.14 Quisque pro operis sui ratione donabitur 3.18.1
28 In semita iustitiæ vita est, & hæc ipsa ad mortem nequaquam ducet 3.17 15.
13.13 Qui præceptum timet, huic rependetur 3.18.1
14.21 Qui proximum suum contemnit peccat: qui autem afflictis benigne facit beatus est 3 17.10
26 In timore Domini forte est asylum, & filiis quoque eius erit perfugium 3.14.19
15.3 In omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos. 4.17.23
8 Sacrificium impiorum abominatur Dominus, oratio autem rectorum gratissima est ei 3.14.8
16.1 Hominis est disponere cor: à Domino autem est responsio linguæ 1.16.6.
2 Homini omnes viæ suæ mũdæ videntur in oculis suis: Dominus autem disponit spiritus 3.12.5
4 Omnia operatur Dominus propter se, impium quoque ad diem malum 3.23.6.
6 Beneficentia & fide expiatur iniquitas, & in timore Domini receditur à malo 3.4.31, & 4.4.36
9 Cor hominis deliberat de via sua: Dominus autem dirigit gressum eius 1.17.14.
12 Impietatem designare, abominandum esse debet regibus: iustitia enim solium fultum esse oportet 4.20.10.
14 Ira regis mortis est nuntius: sapiens autem placare illam poterit. 4.20.32.
33 In sinum deiiciuntur sortes, at omne iudicium earum pendet à Domino 1.16.6
17.11 Rebellis duntaxat malum quærit: huic crudelis nuntius mittetur cõtra eum 4.20 10
15 Ex æquo abominatur Dominus tam eum qui scelestum absoluit quàm eum qui insontem damnat.
18.10. Turris fortissima est nomen Domini, quò quum currit iustus extra telorum iactum est 1.13.13, & 3.20.14.
19.17 Domino fœnerat quisquis benefacit pauperi secũdum beneficium rependetur ei 3.18.6
20.7 Iustus ambulat in sua integritate, liberi eius post ipsum beati 2.8 21
8 Rex sedens in solio iudicii, dissipat omne malum intuendo 4.20.10.
9 Quis dicet, Mundum est cor meum, purus sum à peccato meo? 3.133
12 Auris auditum, & oculi visum, ambo hæc fecit Dominus 2.4.7
20 Qui maledicit patri suo aut matri suæ, huius lucerna extinguetur in mediis tenebris 2.8.36
24 Gressus viri fortis à Domino, & mortalis quomodo intelligeret viam suam?
26 Dissipat impios rex sapiens, & rotam vertit super eos 4.20.10
21.1 Cor regis est in manu Domini velut riuus aquarum: quocunque volet inclinat illud 1.18.2, & 2.4.7, & 4.20.9
2 Sua cuique via recta videtur 3.12.5
24.21 Time Dominum fili mi & regem 4.20.22.
24 Qui dicit impio, Iustus es, huic maledicunt populi, hunc nationes detestabuntur 4.20.10
25.2 Gloria Dei est cælare verbum: at gloria regum, est scrutari verbum 3.21.3
4 Auser rubiginem ab argento, iam exibit excoctori vas. Auferatur impius à conspectu regis, iam thronus eius iustitia firmus erit 4.20. 10.
21 Si esuriat qui te odit, ciba illum pane: si sitierit pota eum aqua 2.8 56.
27 Quemadmodum multum mellis edere non est bonum, sic qui gloriam scrutatur opprimetur à gloria 3.21.2.
26.10 Egregius aliquis ac magnus vir conficit per se omnia: stultus autem mercede conducit transgressores 3.23.4.
28.2 Propter præuaricationem eorum qui in terra habitant, fit vt alii subinde imperent 4.20.28
14 Beatus est homo qui ingiter pauet: qui autem cor suum obdurat, corruet in malum 2.2.23
29.13 Pauper & fœnerator inter sese conueniunt: vtriusque autem oculos Dominus illustrat 1.16.6
30.4 Quod nomen est eius, & quod nomen filii eius, si nosti? 2.14.7
5 Omnis sermo Dei purgatus est, scutum his qui eo nituntur 3.2.15
6 Ne addas sermonibus eius, ne te redarguat & mendax inueniaris 4.10.17

ECCLESIASTES.

2.11 ET conuersus sum ad omnia opera mea quæ peregerũt meę manus, & ad laborem quem pertuli: & ecce omnia inanitas & animi molestia 2.2.12
3.19 Eadem enim solent hominibus & brutis animantibus euenire: & qualis est mors vnius, talis est mors alterius? & spiritus idem omnibus inest, nec habet homo quicquam præstantius pecore: siquidem omnia sunt inanitas 3.2.38
21 Quis autem scit an spiritus hominum sursum ascendat, & spiritus pecoris deorsum in terram descendat? 3.25.5
7.30 Deus hominem probum condidit: ipsi autẽ plures iam facti cogitationes vanas persecuti sunt 2.1.10, & 2.5.18
9.1 Homo pariter odiũ & amorẽ ignorat eorum quæ sibi sunt proposita 3.2.38, & 3.13. 4
2 Omnibus eadem prorsus vsueniunt iusto & impio, &c. 1.16.9
4 Canis viuens præstat leoni mortuo 3.25.5
5 Qui viuunt sciunt se morituros esse: at mortui prorsus nihil nouerunt, &c. 3.20.24
6 Tum amor ipsorum, tum odium ipsorum, tũ inuidia ipsorũ iam abolita est, nec amplius habent sortem in mundo ex omni eo quod est sub sole Ibid.
12.7 Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum 1.15.2, & 1.15.5

CANTICVM CANTICORUM.

1.14 OStende mihi formam tuam: & æde mihi vocem tuam: vox enim tua ita mihi erit suauis, & forma tua venusta 1.11.14
5.3 Exui meam tunicam, & quomodo rursum induam illã? laui pedes meos & quomodo coinquinabo eos? 1.16.4

ESAIAS.

1.5 AD quid percuteremini vltrà, addituri scilicet defectionẽ? omne caput languet, & omne cor mœret 3.4.33
10 Audite verbum Domini tyranni Sodomorum, ausculca & tu Gomorrhæ plebs Legem Domini 4.1.18
12 Quis postulauit id à manu vestra? 3.14.15.
13 Ne vltrà afferatis frustraneum munus, incensum res est mihi abominanda, neomenias, sabbathum, vestrũ defessus sum ferẽdo, &c. 2.8.34, & 3.14.8
14 Neomenias vestras & statas festas ex animo odi, lassum reddunt me 4.2.10.
15 Et quum expãderitis manus vestras, abscondam oculos meos à vobis, etiamsi multiplicaueritis orationem, haudquaquam exaudiam, nam manus vestræ plenæ sunt sanguinibus 3.20.7
16 Auferte malitiam 3.3.8
17 Discite beneficiis, siscitemini iudicium, dirigite oppressum, ius dicite pupillo, causam viduæ suscipite 2.8.52, & 3.3.8
18 Si peccata vestra fuerint vt coccus, niue reddentur albiora: si rubuerint instar purpuræ, sicut natiua lana fiẽt 3.4.29
19 Si volueritis & audieritis, bonis terræ fruemini 2.5.10
20 Si verò renueritis, ac cõtumaces fueritis, gladio deuorabimini, quoniam os Domini loquutum est Ibid.
2.8 Idolis quoque plena est terra eius, operi manuum suarum geniculantur, & ei quod fecerunt digiti sui 1.11.4
3.1 Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ 1.16.7
3 Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis 4.20.25
4.1 Modò nomine tuo vocemur, tollàsque opprobrium nostrum 3.20.25
5.8 Væ his qui copulant domum domui, & agrum agro continuant, donec locus deficiat, &c. 1.18.1, & 2.4.4
26 Et eriget signum genti quæ procul est, & sibilo annuet ei ab extremitate terræ, &c. 3.19.9
6.1 Vidi Dominum sedere in solio sublimi & ædito, & fimbriæ eius replebant regiam 1.13.11, & 1.13.2

2 Seraphim autem superne: senæ alæ erant singulis 1.11.3,& 1.14.8
5 Væ mihi quoniam ad silentium redactus sum, eò quòd homo sim polluta habens labia 4.8.3
6 Volauítque ad me vnus ex Seraphim, habens in manu sua carbonem incensum correptum forcipe ex ara 1.11.3
9 Dicebat ille, Vade, & dicito populo isti: Audiendo, audite, & ne intelligatis, &c. 1.13.15,& 3.23.13,& 3.24.13
10 Crassum reddito cor populi huius,& aures eius fac hebetes, & oculos eius obline, ne fortè vel oculis suis videat, &c. 2.4.3
7.4 Obserua & sis tranquillus, ne timeas, neque molescat cor tuum à duabus caudis istorum titionum fumigãtium, &c. 1.17.11,& 3.2.17
14 Ecce, virgo illa concipiet & pariet filium,& vocabis eum Immanuel 2.6.3, & 2.12.1
18 Fiet eodem tempore vt Dominus sibilo annuat muscæ quæ est ad finem fluminum Aegypti, & api quæ est in terra Assyriorum 2.4.4
8.14 Is erit sanctuarium, sed lapis offendiculi, & petra ruinæ duabus domibus Israelis 1.13.11,& 1.13.23
16 Liga testimonium, signa Legem in discipulis meis 3.22.10
17 Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob,& præstolabor eum 3.2.42
18 En ego & pueri quos dedit mihi Dominus,&c. 3.22.10
9.6 Puer natus est nobis, filiúsque datus est nobis: cuius Imperium erit super humero eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conciliarius, Deus, Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis 1.13.9,& 2.15.1,& 2.17.6,& 3.13.4
12 Sed manus eius adhuc extenta est 4.17.23
10.1 Væ his qui decernunt decreta iniqua 4.20.20
5 Heus Assur virga furoris mei, is est baculus, in manu eorum indignatio mea 1.18.1,& 4.20.25
6 Ad gentem hypocritam mittam eum & cõtra populum qui indignationem meam commeruit, mandabo ei vt auferat spolia,& diripiat prædam, vt redigat eum in conculcationem instar luti quòd in plateis est 1.18.2
12 Futurum autem est, quum Dominus perfecerit vniuersum opus suum in monte Zion & in Ierusalem, &c. 1.18.1.
15 Num gloriabitur securis aduersus eum qui ea secat? aut serra magnificabitur aduersus eum qui se tractat? Quod perinde esset ac si virga sese eleuaret contra eum qui ipsam fert, & baculus sese extolleret, quasi lignũ non esset 2.4.4
11.2 Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus cõsilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis 2.15.5,& 4.19.22
3 Et faciet eum spirare timore Domini: ob id non ad aspectum suorum oculorum iudicabit, neque ad famam, quæ ad aures eius affertur, arguet 2.3.4
4 Spiritu labiorum suorum interficiet impium 1.13.15
9 Non afficient malis, neque vastabũt per omnem sanctum montem meum, &c. 4.20.10
10 Tunc quoque vsuueniet vt radicem Iesse (quæ stat in signum populorum) gentes quoque requirant 1.13.13
12.1. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me 3.4.32.
14.1 Miserebitur Dominus Iacob & eliget adhuc Israelem 3.21.5
27 Domino exercituum constituente, quis faciet ipsum irritum? quúmque extenderit manum suam, quis eam refellet? 1.17.14
19.18 In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, quæ loquentur lingua Chananaica,& quæ iusiurandum præstent Domino exercituum, &c. 2.8.23
19 In die illa erit altare Domino in medio terræ Aegyptiacæ, &c. 4.18.4.
21 Cognoscetur Dominus ab Aegyptiis, contrà cognoscent Aegyptii ipsum Dominum in illa die, & colent eum hostiis & muneribus, vouebúntque votum Domino, & reddent Ibidem.
25 Cui benedixit Dominus exercituum, dicens, Benedictus populus meus Aegypti, opus manuum mearum Assyrius 1.18.1
25.1 Designasti admiranda, & consilia tua sunt procul verè & firmiter 3.24.4.
8. Mortem præcipitabit in sempiternum, & absterget Dominus lachrymam ab omni facie,&c. 3.9.6
9 En, hic est Deus noster, expectauimus eum, & seruabit nos 1.13.10, & 1.13.24
26. 1. Vrbs fortis nobis est, salus ponet muros & propugnaculum 1.17.6.
19 Mortui tui viuent, & quemadmodum corpus meum resurgent: expergiscimini, & iubilate habitatores pulueris, &c. 2.10.21, & 3.25.4
21 Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, visitatum iniquitatem habitatorum terræ,& proferet terra sanguines suos, neque occulet intra interfectos suos 3.25.8
28.16 Qui crediderit non festinabit 1.13.13.
29.13 Eo quòd populus iste ore suo ad me accedit, & labiis suis me honorificè prædicat, cor autem eius longè abest à me, & timor eorum, &c. 3.20.7,& 3.20.31,& 4.10.15,& 4.10.16,& 4.10.23
14 Ideo en ipse quoque addam vt mirificè agam cum populo isto, mira scilicet & portentosa, nempe peribit sapientia sapientum eius, & intelligentia prudentium eius sese abscondet 4.10.6
30.1 Væ filiis defectoribus, dicit Dominus, qui audent consilium capere, sed non ex me: quique fundunt fusionem, sed non,&c. 3.20.28
15 In vacando & silendo sitũ erit robur vestrum 3.2.37
33 Præparata est præterea iam olim Tophet, hæc etiam pro rege præparata est, quam profũdam & amplam fecit: penetrale eius ignis, vis lignorum ingens, quæ flatus Domini, ceu sulphureus torrens incendit 3.25.11.
31.1 Væ his qui descendunt in Aegyptum pro auxilio, quíque equis nituntur, & fiduciam habent in quadrigis quòd multæ sint 3.20.28
7 Etenim abiiciet in die illo quisque simulacra argentea sua, & simulacra aurea sua, quæ fecerant vobis sceleratæ manus vestræ 1.11.4
33.14 Metuunt in Sion peccatores, tenet tremor hypocritas: qui ex nobis, inquiunt, habitabit cum igne deuorante? quis nostrûm habitabit cum ardoribus æternis? 3.12.1,& 3.17.6
22 Dominus iudex noster, Dominus Legislator noster, Dominus Rex noster, ipse seruabit nos 2.10.8,& 2.15.5,& 4.17
24 Populo qui habitat in ea remissa est iniquitas 4.1.20
35.8 Isthic quoque erit semita & via, & vocabitur via sancta, pollutus non transibit per eam 4.1.17,& 2.6.2
37.4 Tu ergo suscipias orationem pro reliquiis quæ adhuc supersunt 3.20.5
16 Domine exercituum, Deus Israelis qui Cherubim inhabitas, tu solus Deus es omnium regnorum terræ 2.8.15
32. Quia prodibunt reliquiæ de Ierusalem, & seruati de monte Sion 4.1.4
35 Propugnabo enim vt seruem vrbem istã, propter meipsum,& propter Dauidem seruum meum 21.7.5
36. Egressus itaque Angelus Domini, percussit in castris Assyriorum centena octogintaquinque millia, &c. 1.14.6,
38.1 Sic dicit Dominus: manda domui tuæ: morieris enim tu & non viues 1.17.12,& 3.3.4
3 Mi Domine, memẽto quæso quòd ambulauerim coram te in fide,& integro corde, & quòd fecerim quæ tibi placent 3.20.10
5 Ecce ego addo ad dies tuos quindecim annos 1.17.12
8 Ecce ego reducam vmbram gradibus quibus descẽdit in hora Achaz 4.14.18
20 Dominus ad seruandum me adfuit, & cãtica mea celebrabimus omnibus diebus vitæ nostræ in æde Domini 3.20.28
39.6 Ecce dies venient vt auferatur Babylonem quicquid domi tuæ est, & quicquid reposuerũt patres tui vsque in hunc diem, nec quicquam fiet reliquum dicit Dominus 1.8.7
7 Quin & ex filiis tuis, qui ex te prodibunt, quósque generabis, auferent, & erunt eunuchi in aula regis Babylonis 2.8.19
40.2 Malitia eius expleta est, & iniquitas eius remissa: dupla enim accepit de manu Domini pro omnibus peccatis suis 2.44.33
3 Vos clamantis in deserto, Parate viam Domino in solitudine planam facite semitam Deo nostro 3.3.2
6 Vox dicebat, Clama: & dixi, Quid clamabo? &c. 2.9.5,& 2.10.7
11 Pascet gregem suum vt pastor 4.19.34
12 Quis mensus est vola sua aquas,& cælos palmo quis æstimauit? quis comprehendit tribus digitis puluerẽ terræ,&c. 3.2.31
13 Quis parauit Spiritum Domini? quis verò à consiliis ei fuit, & eum docuit? 4.18.19,& 4.19.2
17 Omnes gẽtes corã eo tãquã nihil sũt, & res inanes atq; friuolæ reputantur

illi comparatæ 3.2.25
18 Cui ergo similem facietis Deum? aut quodnam simulacrum adornabitis ei? 1.11.2, & 1.11.12
21 Annon à rerum primordio hoc nuntiatum est vobis? an non docti estis à iactis terræ fundamentis? 1.11.4, & 1.14.1
Qui sedet supra globũ terræ, &c. 1.5.5
29 Ipse potius dat lasso virtutem, & ei quem vires deficiunt, robur abundè suppeditat 2.2.10
41.7 Faber lignarius confirmauit conflatorem qui expolit malleo, cum eo qui crebris vicibus incudem percutit, & dicit, Bonum hoc erit ad plumbatu ram, firmauítque simulacrum hoc clauis, ne loco moueretur 2.11.2
9 Elegi te, neque vnquam te repudiaui 3.21.5
29 En vani sunt omnes illi & opera eorum nihil, simulacra eorum vẽtus sunt & res informis 1.11.2
42.1 Ecce seruus meus, quo nitar, &c. 2.14.2
8 Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus 1.13.9
9 Priora ecce venerunt, & noua ego annuncio, quæ ego vobis nota facio antequam exoriantur 1.8.7
10 Cãtate Domino carmen nouum, laudem eius canite ad extrema terræ vsque 3.20.28
13 Dominus herois instar prodibit 4.19.34
43.1 Ne timeas, Ego enim redemi te, vocaui te nomine tuo, vt meus esses tu 3.2.31
10 Vos testes mei, dicit Dominus, & seruus meus quem elegi, vt sciatis & credatis mihi, vtque intelligatis quòd ego sum ille ipse: ante me non est formatus Deus, neque post me erit 1.7.5
11 Ego, ego inquam sum Dominus: & præter me non est seruator 3.4.15
25 Ego, ego ille ipse sum, qui deleo trãsgressiones tuas, idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor 1.13.12, & 3.4.15, & 3.4.25, & 3.20.45
44.3 Effundã aquas super siticulosam, & flumina super aridam: ideſt effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germina tua 2.2.10, & 3.1.3, & 3.2.39
6 Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter me non est Deus 1.13.23, & 1.13.24
12 Faber ferrarius forcipe correpta, operatur in prunis, & scalpris fingit illud, agit robusto brachio suo: quin esurit interim, ita vt vires deficiant: neque aquas bibens, ita vt lassus concidat 1.11.4
22 Ego deleui transgressiones tuas vt densas nebulas, & vt nubem peccata tua: reuertere ergo ad me, quia redemi te 3.4.29
45.1 Sic dicit Dominus Messiæ suo Cyro, cuius dextram prehendi, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & lumbos regum aperiam, ad aperiendũ ante faciem eius valuas portarum, & portæ non claudantur 1.8.7
7 Formãs lucẽ, & creãs tenebras: faciẽs pacem, & creãs malum, ego Dominus facio omnia ista 1.17.8, & 1.18.3.
9 Væ disceptandi cum factore suo, vas fictile cum figulis luti scilicet. Num enim dicit lutum figulo suo, quid facis, & operi tuo non sunt manus? 1.11.2.
23 Incuruabitur mihi omne genu, & iurabit mihi omnis lingua 1.13.11, & 1.13.23, & 3.5.8, & 3.25.7
25 In Domino iustificabuntur, & gloriabuntur omne semen Israelis 1.13.2, & 2.14.16
46.5 Cui quæsb me adsimilabitis, æquiparabitis, aut comparabitis me, vt ei similis sim? 1.11.2
47.6 Equidem ita iratus eram populo meo, vt profanarem hæreditatem meam 3.4.32
48.10 Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te probatum in fornace afflictionis 3.4.32
16 Dominus Deus misit me & Spiritus eius 1.13.14
49.15 Num obliuioni tradit mulier infantem suum, quò minus misereatur filii vteri sui? &c. 1.17.6, & 3.20.36
23 Et erunt reges nutritii tui, & reginæ eorum nutrices tuæ, &c. 4.20.5
51.6 Cœli vt fumus corrumpentur, & terra vt vestis vetustate peribit, & qui in ea habitant, ad eũdem modum peribunt: salus autem mea in æternum durabit, & iustitia mea non concidet 2.10.15
52.1 Exurge, exurge, indue robur tuum Siõ, indue vestes decoris tui ô Ierusalem, ciuitas sancta: quoniam vltra nõ veniet in te incircuncisus & pollutus 4.5.17, & 4.1.17
3 Gratis venundati estis, & ideo absque argento redimemini 3.4.25
7 O quàm specioſi sunt super montes pedes euangelizantis, prædicantis pacem 4.3.3
53.1 Quis credidit prædicationi nostræ, & brachium Domini cui reuelatũ est? 1.7.5, & 3.22.10
4 Cùm tamen ipse portet nostras infirmitates, & dolores nostros ipse baiulet: nos autem existimabamus eum tactum percussione Dei, & afflictum 2.12.4, & 3.4.27 & 4.17.17
5 Ipse verò vulneratus est propter trãsgressiones nostras, & attritus propter iniquitates nostras: mulcta enim correctionis nostræ ei imposita est, & in liuore eius nobis medicatum est 2.12.4, & 2.16.5, & 2.16.9, & 2.17.4, & 3.4.30
6 Nos omnes tanquam ouis errauimus, quisque viam suam sectatus. Dominus autem effecit vt incurreret in ipsum omnium nostrũm iniquitas 2.16.6, & 3.4.27, & 3.12.5, & 3.24.11.
7 Mulctatus est & afflictus, nec tamen os suum aperuit: sicut pecus ad mactationem ducetur, & sicut agnus coram tonsoribus suis mutus sit, is non aperuit os suum 2.16.5
8 Absque dilatione, citráque iudicium raptus est: & generationem eius quis enarrabit? quoniam succisus est de terra viuentium, &c. 2.15.3
10 Dominus tamen voluit ipsum infirmando atterere, vt vbi posuerit animã suam hostiam delicti, videat semẽ, &c. 2.7.2
11 Et ipse baiulabit eorum iniquitates 2.16.5, & 3.11.8
12 Et cum transgressoribus cõnumeratus est 2.16.5
54.13 Porrò vniuersi filii tui docti erũt à Domino, pàxque multa filiis tuis 1.7.5, & 2.2.20, & 3.20.10, & 3.24.14
55.1 O vos omnes qui sitiris, venite ad aquas: & hi quibus non est pecunia, adeste, cibum comparate & comedite, &c. 2.2.10, & 3.1.3, & 3.15.4
2 Cur expenditis pecuniã pro eo quod cibus non est, & laborem vestrum pro eo quod non satiat? 3.14.15, & 4.10.15
3 Inclinate aurem vestram, & ad me venite: audite, & viuet anima vestra: feriam enim vobiscum fœdus sempiternum, misericordias Dauidis fideles 2.6.3, & 3.26
4 Ecce dedi eum testem populis, principem ac præceptorem populis 2.6.3, & 2.15.1
6 Quærite Dominum dum inuenitur, inuocate eum dum prope est 3.3.20
56.1 Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia properat salus mea ad veniendum, & iustitia mea vt reueletur Ibidem.
2 Beatus homo qui fecerit hoc, & filius hominis qui hoc apprehenderit, custodiens (scilicet) sabbathum, ne prophanet illud, &c. 2.8.29
7 Hos adducam ad montem meum sanctum, & exhilarabo eos in æde mea oratoria, holocausta, & sacrificia eorum accepta erunt in ara mea: quoniam ædes mea ædes orationis vocabitur cunctis populis 3.10.29
10 Speculatores eius omnes cæci sunt, omnes sunt ignari, canes muti, &c. 4.9.3
57.15 Sic dixit excelsus & sublimis, inhabitans æternitatem, & cuius nomen sanctum est, &c. 3.12.6
58.5 Num huiusmodi ieiunium est quod ego elegi, (nimirum) vt certo die homo affligat animã suam, aut torqueat caput suum, &c. 4.12.19
6 An non potius hoc ieiunium eligo, Aperire nexus improbitatis, &c. 3.6
7 [illegible] à carne tua ne te abscondas, 3.7.8
9 Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, En me tibi 3.20.14
13 Si auerteris pedem tuum sabbatho, quo minus facias voluntatem tuam in die meo sancto, &c. 2.8.31, & 2.8.34
59.1 Ecce manus Domini non est mutila, quominus seruare possit: neque aggrauata auris eius, vt non exaudiat 3.11.21
2 Sed iniquitates vestræ diuellunt inter vos & inter Deum vestrum, & peccata vestra abscondunt vultum eius à vobis, ne exaudiat 2.12.1, & 3.11.21.
7 Pedes ipsorum ad malum currunt, & properant ad effundendum innocentem sanguinem: cogitationes eorum, cogitationes sunt vanæ, vastitas & cõtritio in viis eorum 2.3.2
15 Hæc quum videret Dominus, displicuit in oculis eius quòd non esset iudicium
16 Et vidit Deus, (idque obstupescens & admirans) quod nemo esset, nemo inquam esset, qui sese opponeret, & salutem præstitit ei brachium eius, & iustitia eius fulciuit eum 3.14.6.

17 Induit iustitiam tanquam loricam, & galeam salutis capiti suo imposuit, &c. 3.11.12
20 Porrò ipsi Zioni,& eis qui de Iacob à perfida transgressione resipuerint, veniet Redemptor 3.3.20, & 3.3.21.
21 Spiritus meus qui super te est,& verba mea quæ inserui ori tuo,nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui,&c. 1.7.4,& 1.9.1,& 4.1.5
60.2 Ecce enim tenebræ operient terrã,& caligo populos: super te autem orietur Dominus,& gloria eius super te apparebit 2.3.1
6 Omnes de Saba venient,aurũ & thus ferentes, & laudes Domino annuntiantes.
7 Omnes oues Cedar congregabuntur tibi 4.5.17
19 Sol non erit tibi vltra in lucem diurnam, & splẽdor Lunæ non lucebit tibi,&c. 2.2.18
61.1 Spiritus Domini Dei super me est, eo quòd vnxit me Dominus, & misit me vt læta nunciem mansuetis, &c. 2.15.2,& 3.3.20,& 3.4.3,& 3 12.7
3 Et vocabuntur arbores iustitiæ, & plantatio Domini ad glorificandum 3 14.16
63.10 Porrõ ipsi rebellarunt & asperarunt Spiritum eius sanctum 1 13.15
16 Quum tu sis pater noster(siquidem Abraham nos non cognouit, neque Israel nos nouit)tu Domine pater noster es,Redemptor noster 3.20.25,& 3.20.36
17 Cur abduxisti nos Domine à viis tuis, cur induraſti cor nostrum quominus timeremus te? 2.4.4,& 3.3.21.
64.5 Ecce autẽ iratus es quòd peccauimus 3.20.8
6 Et fuimus nos omnes veluti immundum,& sicut vestis centonum abiectorum omnes iustitiæ nostræ defluximus nos omnes tanquam folium &c. 3.2.25
65.1 Quæsitus sum ab his qui non interrogauerunt,inuẽtus sum ab his qui me non quæsierunt.&c. 3.24.2
2 Expandi manus meas tota die ad populum desertorem, qui graditur in via non bona 3.24.16
16 Qui sibi benedicere voluerit in terra,benedicet sibi in Deo vero: & qui iurauerit, iurabit per Deum verum, &c. 2.8.23
24 Futurúmque est,vt priusquam inuocent,ego respõdeam,& adhuc illis loquentibus,ego exaudiam 3.20.14
25 Non affligent neque vastabunt in vniuerso monte meo sancto, &c. 4.20.10
66.1 Cœlum solium meum est, terra verò scabellum pedum meorum:vbi igitur erit domus ista quam ædificabitis mihi?& vbi locꝰ iste in quo quiescam? 3.20.30,& 4 17.24
2 Ad quem autem respiciam, nisi ad eum qui est humili & fracto spiritu, & qui ad verbum meum contremiscit? 3.12.6
22 Sicut cœli noui, & terra noua quæ conditurus sum,stant coram me, dicit Dominus:sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum 2.10.22
23 Et erunt perpetuæ neomeniæ, & perpetua sabbatha: veniet omnis caro vt adoret coram me 2.8.30.
24 Vermis eorũ non morietur,& ignis eorum non extinguetur, & erunt fastidio omni carni 3.25.12

IEREMIAS.

1.6 AH Domine Deus,en non noui loqui: quoniam puer sum ego 4.8.3
9 Ecce ego posui verba mea in os tuum Ibidem.
10 Ecce ego constitui te hodie super Gentes, & super regna, vt euellas & extirpes,vt perdas & dissipes, vt ædifices & plantes Ibid.
2.13 Duo mala fecit populus meus, me deseruerunt fontem aquarum perennium vt effoderẽt sibi puteos,puteos, inquam pertusos, qui aquas continere non valent 3.20.14
3.1 Aiunt,siquis vxorem suam repudiat, illa autem abiens ab eo, alteri viro nubit,&c. 2.8.18,& 4.1.25
2 Attolle oculos tuos in vertices, & vide sicubi non sis subagitata, &c. 2.8.18
12 Reuertere tu aduersatrix Israel, ait Dominus: nõ coniiciam vultus meos contra vos, quia beneficus sum, &c. 4.1.25
4 1 Si reuerti voles ô Israel (dicit Dominus) ad me reuertere: & si amoueris abominationes tuas à conspectu meo,non eris extorris 2.5.10,& 3.3 6
4 Nouate vobis nouelleta, neque in spinas seminate.Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordis vestri quisque in Iuda & ciues Ieruſalẽ, &c. 2.5.8,& 3 3.6,& 3.3.7,& 4.16.21
9 Et fiet in die illo, ait Dominus, vt concidat cor regis, & cor principum, obstupescant sacerdotes, & prophetæ consternentur 4.9.6
11 In tempore illo dicetur populo isti & Ieruſalem, Ventus exiccans per vertices venit,in deserto,via filiæ populi mei,&c. 1.16.7
14 Ablue à malicia cor tuum, ô Ieruſalem,&c. 2 5.8
5.3 Domine,nónne oculi tui ad fidẽ intenti sunt? Percussisti eos,& non doluerunt: tu perfeciſti eos, sed noluerunt recipere disciplinam, induraverunt vultus suos magis quàm saxum, noluerunt reuerti 3.4.35,& 9 14.8
7 Vbi in hac re propitius tibi essem? Filii tui deseruerunt me, & iurauerunt per eos qui dii non sunt,&c. 2.8.23
14 Quia loquuti estis verbum istud:ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem,& populum istum in ligna,& vorabit eos 3 24.13
6.13 A minimo eorum vsque ad maximum eorum quisque auaritiæ & lucro inhiat, & à propheta vsque ad sacerdotem quisque fraudulenter & perfidè agit 4.9.3
7.4 Nolite fidere verbis mendacibus, dicendo, Templũ Domini, Templum Domini, Templum Domini 4.2.3
5 Si emendando emendaueritis vias vestras, ac studia vestra, si ius reddideritis inter virum & proximum eius,&c. 3.17.1
13 Quoniam vos feciſtis omnia opera ista, dicit Dominꝰ, etiam quum loquerer ad vos maturè surgẽs, & loquens, sed nõ audiſtis, vocaui,sed non respõdistis 2.5.11
14 Faciam domui super quam inuocatum est nomen meum,&c.quemadmodum ipsi Silo feci Ibid.
21 Nihil loquutus sum cum patribus vestris, neque præcepi eis eo tempore quo educerem eos de terra Aegypti, de ratione holocausti & sacrificii 4.10.15
22 Sed hoc verbum præcepi eis, dicendo, Audite vocem meam,& ero vester Deus,&c. 4.10.15,& 4.10.17
27 Tu quoque loqueris ad eos omnes sermones istos, sed non auscultabunt tibi:clamabis ad eos, sed non respondebunt 2.5.11
28 Hæc est gens quæ non audierunt vocem Domini Dei sui, neque disciplinam receperunt Ibid.
9.22 Ne glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur robustus in robore suo, nec glorietur dives in diuitiis suis 3.13.1
23 In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me quia ego sum Dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra,&c. 1.10.2, & 1.13.1
10.2 A cœli signis ne formidetis, nam gentes ab illis formidant 1.16.3
8 Et hoc vno brutescunt,& stulti fiũt, quòd disciplina vanitatum lignum est 1.11.5
11 Dii qui cœlum & terram non condiderunt,perdentur de terra & de sub cœlis ipsis 1.13.23
23 Scio, ô Domine, quod hominis illius non est via sua, nec cuiusquam vt eat & gressus suos disponat 1.16.6
24 Castiga me Domine, sed in iudicio non in furore tuo,ne forte imminuas me 3 4.32
11.7 Obtestando obtestatus sum patres vestros, ab eo tempore quo eduxi eos de terra Aegypti in hunc vsque diem, & tempestiuè surgendo, obtestando, & dicendo,Audite vocem meam 3.20.7, & 4.10.17
8 Sed non audiuerunt, nec inclinarunt aurem suam, &c. Induxi ergo super eos omnia verba fœderis huius, quæ præceperam vt facerent,&c. 3.20.7
11 Ecce adducam super eos malum, de quo eluctari non poterunt, clamabũntque ad me, & non exaudiam eos Ibidem.
19 Corrumpamus lignum in cibum eius, & exscindamus eum è terra viuẽtium, &c. 4.17.15
12.16 Si illi discendo didicerint vias populi mei, vt iurẽt scilicet per Nomen meum:nempe, Viuit Dominus,quemadmodum docuerunt,&c. 2.8.23
14.7 Si iniquitates nostræ responderint nobis, facito tu ô Domine propter nomen tuum: quoniam auersiones nostræ multæ sunt, tibi peccauimus 3.20.8
14 Prophetæ isti mendacium prophetant in nomine meo, nõ misi eos:nihil mandaui eis,&c. 4.9.3
15.1 Si starent Moses & Samuel coram me, non esset animus meus ad populũ istum: eiice eos à facie mea, vt egrediantur 3.20.25
17.1 Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, vnguéque adamantino exaratum in tabula cordis vestri & in cornibus ararum vestrarum 3.4.29
5 Sic dicit Dominus, Execratus vir qui confidit in hominem,& carnem ponit brachium suum, à Dominóque recedit cor eius 2.2.10
9 Vafrum cor super omnia, & ærumnosum est,quis cognoscet illud? 2.3.2

21 Cauete, quàm charæ sunt vobis animæ vestræ, ne tollatis onus die sabbathi, ad inferendum illud per portas Ierusalem 2.8.29
22 Neque efferatis onus é domibus vestris die sabbathi: imò nihil operis faciatis, sed sanctificate diem sabbathi, &c. Ibid.
27 Si verò me non audieritis, sanctificando diem sabbathi, quominus tollatis onus, & eatis per portas, &c. Ibidem.
18.8 Si redierit ea gens (contra quam loquutus eram) à malitia sua, iam & me quoque pœnitebit mali quod ei facere constitueram 1.17.12
18 Adeste, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: quoniam non peribit lex à sacerdote, & consilium à sapiente, & verbum à Propheta 4.9.5
20.2 Percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & coniecit eum in neruum, qui erat ad portam Beniamin superiorem, quæ fuit iuxta ædem Domini 4.9.6
21.12 Ius reddite manè, & asserite spoliatum de manu eius qui ei vim facit, &c. 4.20.9
22.3 Facite iudicium & iustitiam, & asserite spoliatum de manu eius qui ei vim facit, &c. Ibid.
23.1 Væ pastoribus qui perdunt & dissipant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus 4.9.3
5 Ecce dies veniunt, dicit Dominus, vt excitem germen iustum Dauidi, egnabitque rex, & prudenter rem geret, & faciet iudicium & iustitiam in terra 2.6.3
6 Et hoc nomen eius quo vocabunt eum, Dominus iustitia nostra 1.13.9, & 3.11.8
16 Ne audieritis verba prophetarũ qui vobis prophetãt, vanos reddunt vos, &c. 4.9.2
24 An non cælum & terram impleo, dicit Dominus? 4.1.5
28 Propheta apud quem est somnium, somnium narret: & is apud quem est verbum meum, loquatur verbũ meum ex fide 4.8.3
24.7 Et dabo eis cor, vt sciant me, quia ego sum Dominus: ipsi erũt mihi populus, & ego ero eorum Deus, quia reuertentur ad me ex toto corde suo 2.2.20
25.11 Redigetúrque vniuersa ista terrá in solitudinem & vastitatem, & seruient gentibus illis, nempe regi Babylonio septuaginta annos 1.8.7
12 Quúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo & ipsius Regis Babylonici & eorum iniquitatem, ait Dominus, &c. Ibid.
29 Ecce ego incipio affligere vrbẽ quæ vocatur nomine meo, & vos omnino impunè abiretis? &c. 3.4.34
27.5 Ego feci cælum & terram, hominẽ & iumenta, quæ sunt in superficie terræ, &c. 4.20.27
6 Nunc autem tradidi omnes istas terras potestati Nabuchodonosoris regis Babylonis serui mei 4.20.27, & 4.20.28
7 Et seruient ei omnes gentes, & filio eius atque nepoti eius: donec eius quoque terræ tempus veniat, &c. 4.20.27
8 Porrò gens aut regnum quod seruire Nabuchodonosori regi Babylonio, & quod collum subdere iugo regis noluerit, &c. Ibid.
9 Vos ergo ne audiatis prophetas vestros, diuinos vestros, somniatores vestros, mathematicos vestros, & veneficos vestros, qui vobis sic dicunt, Non seruietis regi Babylonis 4.9.3
14 Ne audiatis sermones prophetarum prophetantium, ac dicentium vobis, Non seruietis regi Babylonis Ibid.
17 Ne audiatis eos, sed seruite regi Babylonio, & viuite 4.20.28
29.7 Quærite pacem eius ciuitatis, ad quam ego vos transtuli, & orate Dominum pro ea: quoniam, &c. Ibid.
31.18 Audiui planè Ephraim sese in captiuitate cruciãtem, Castigasti me, & castigatus sum sicut vitulus nõ assuetus: conuerte me, & conuertar: quoniam tu es Dominus Deus meus 2.3.5. & 2.5.8, & 3.24.15
19 Protinus enim vt conuersus sum, pœnitui, & postquam cognitus sum, mihi cõplosi manus super femur, &c. 2.5.8
31 Ecce dies venient, ait Dominus, vt feriam cum domo Israel, & cũ domo Iuda fœdus nouum 2.11.7, & 3.4.29
32 Non iuxta fœdus quod pepigi cum patribus eorum, tẽpore quo prehensa manu eorum, eduxi eos de terra Aegypti, quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt, &c. 2.5.9, & 2.11.7
33 Post dies illos, dicit Dominus, inferam legem meam in interiora illorũ, & in cor eorum scribam eam: eróque Deus eorum, ipsíque erunt mihi populus 2.8.14, & 3.20.45
34 Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccata eorũ non recordabor amplius 3.4.29, & 3.20.45
35 Sic dicit Dominus, qui dedit solem in lucem diurnam, lunã stellarúmque ordines in lucem nocturnam, &c. 4.17.17
32.16 Posteaquam dedissem literas emptionis ipsi Baruch filio Neriæ, orabam ad Dominum 3.20.15
18 Tu facis misericordiam in millia, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum qui post eos nascuntur, &c. 2.8.19
23 Non paruerunt voci tuæ, & in Lege tua non ambulauerunt, & quicquid præcepisti eis vt facerent, non fecerunt: idcirco effecisti vt euenirent eis omnia ista mala 2.5.11
39 Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus: & bene sit eis, & filiis eorum post eos 2.3.8
33.8 Mundabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccauerunt contra me, ac propitius ero omnibus iniquitatibus eorum quibus in me peccarunt 3.20.45, & 4.1.20
16 In diebus illis seruabitur Iuda, & Ierusalem habitabit securè: & hoc est quod vocabit eam, Dominus iustitia nostra 1.13.9
42.2 Sine, quæso, te exorari, vt pro nobis ores ad Dominũ Deum tuum, &c. 3.20.14
9 Sic dixit Dominus Deus Israelis, ad quem vos me misistis vt prosternerem precationẽ vestram in conspectu eius Ibidem.
48.10 Maledictus qui facit opus Domini dolo malo 4.20.6
50.20 In diebus illis, & in tempore illo, dicit Domin⁹, quæretur iniquitas Israelis, & nulla erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur 3.4.29
23 Quomodo fractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? quomodo Babylonia inter gentes redacta est in solitudinem? 2.4.4
25 Aperuit Dominus armamentarium suum, & protulit arma indignationis suæ: quoniam hoc opus quod factum est in terra Chaldæorum, à Domino Deo exercituum est 1.18.1

LAMENTATIONES.

3.8 SEd & si clamem & supplicem, obstruit aures ad orationem meam 3.20.16
38 Ex ore Altissimi nõnne non proficiscuntur mala & bona? 1.17.8
4.20 Spiritus narium nostrarum vnctus Domini captus est in retibus eorum, de quo nos dicebamus, In vmbra eius viuemus inter gentes 2.6.2

EZECHIEL.

1.20 QVocunque impellebat impetus eundi, illuc ibant, & quocunque erat animus eundi: rotæ subuehebantur è regione ipsorum: quoniam spiritus animalium, &c. 4.19.22
2.3 Fili hominis, mitto te ad filios Israel, ad gentes rebelles, quæ cõtra me rebellarunt: ipsi & patres eorum perfidè mecum egerunt vsque in hunc ipsum diem 3.24.13
4 Filii sunt dura facie, & pertinaci corde, ego te mitto ad eos Ibid.
3.17 Fili hominis speculatorem constitui te domui Israelis: audies igitur verbum ex ore meo, & diserte monebis eos ex me 4.8.3
18 Ille quidem impius morietur in iniquitate sua; sanguinem verò eius de manu tua requiram 4.3.6, & 4.2.5
7.26 Calamitas alia super aliam veniet, & erit rumor super rumorem: & inquirent visionem à Propheta, & lex peribit à sacerdote, atque consilium à senioribus 1.18.2, & 4.9.6
.4 Et sublata est gloria Domini ab so Cherub ad limen ædis 4.2.3
5 Et ⁊onitus alarum Cherubim auditus est vsque ad atrium exterius 1.14.8
11.19 Dabo eis quoquè cor vnum, & spiritum nouum dabo in visceribus eorum: auferam cor lapideum de carnè eorum, & tribuam eis cor carneum 1.13.10, & 2.3.8, & 2.5.5, & 3.24.1
20 Vt ambulent in institutis méis dabo eis cor vnum: & custodiãt iudicia mea, faciántque ea: & erunt mihi populus, ego verò ero eorum Deus 2.5.5
12.1 Domus rebellis sunt 3.24.13
13 At ego expandã super eũ rete meum, ínque sagena mea capietur, ducámque eum Babylonem in terram Chaldæorum, quã tamen non videbit, & ibi morietur 2.4.4
13.9 In cœtu populi mei non erunt, & in albo domus Israelis non scribentur &c. 2.24.9, & 4.1.4
14.9 Et propheta si seductus loquutus fuerit sermonem, ego Dominus seduxi prophetam illum, &c. 1.18.2
14 Et si fuerint tres viri illi in medio eius Noe, Daniel, & Iob: ipsi in iustitia sua liberabunt animam suam, &c. 3.20.23
16.20 Accepisti etiam filios tuos & filias tuas quos peperisti mihi, & sacrificasti eos illis vt deuorarent, &c. 2.2.11, & 4.16.24
17.20 Expandam super eum rete meum, & deprehendetur in casibus meis, &

adducam eum in Babylonem, vt iudicer illic cum eo, idque propter transgressionem qua transgressus est contra me. 2.4.4
18.4 Anima quæ peccauerit ipsa morietur. 2.8.4,& 3.4.28
9 Qui in statutis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem: iustus ille est, viuendo viuet, dicit dominus Deus. 3.17.15
20 Anima quæ peccauerit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii,&c. 2.8.9,&2.8.19,&2.8.20,&2.8 59,&3.3.24
21 Quod si auersus fuerit impius ab omnibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia statuta mea, fecerit-que iudicium & iustitiam: viuendo viuet, & non morietur. 3.3.24, & 3.4.18, &3 17.15
23 Num desidero aut volo mortem impii, dicit Dominus Deus? An non magis vt se conuertat à viis suis malis, & viuat? 4.1.25
24 Et si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, iuxta omnes abominationes quas fecit impius, &c. 3.4.29,& 3.14.10
27 Quum impius se auerterit ab impietate quam fecit, fecerítque iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuam seruabit. 3.4.9
31 Abiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis,& facite vobis cor nouum & spiritum nouum,&c. 3.3.6
32 Quandoquidem non delector morte morientis, dicit Dominus Deus, auertite ergo,& viuite 4.1.25
19.12 Et ventus orientalis exiccauit fructum eius. 1.16.7
20.11 Dedíque eis statuta mea, atque iudicia mea indicaui eis, in quibus homo, si ea fecerit, viuet 3 17.3
12 Sed & sabbatha mea dedi eis, quæ essent signum inter me & inter eos, vt scirent quòd ego Dominus qui sanctifico eos .8.29
42 Scietísque quia ego Dominus, quum induxero vos in terram Israelis, & in terram,&c. 3.13.1
43 Et recordabimini ibi viarum vestrarum, atque cunctorum studiorum vestrorum in quibus polluti estis, &c. Ibidem
22.8 Sancta mea despexisti, & sabbatha mea prophanasti. 2.8.29
25 Cõiuratio prophetarum eius in medio eius, sicut leo rugiens & qui prædam rapit, comederunt animam 4.9.3
26 Sacerdotes eius violenter discerpserũt Legem meã, sanctuaria mea proprophanauerunt, nec discrimen habuerunt inter sanctum & prophanum: Ibidem
23.37 Filios etiam suos quos mihi genuerant, traduxerunt eis in cibum. 4.16.24
38 Polluerunt sanctuarium meum in die illa, atque prophanarunt sabbatha mea 2.8.29
28.10 Mortibus incircunciſorum morieris per manum alienorum, quoniam ego loquutus sum, dicit Dominus Deus 2.10.18
29.4 Ego ponam hamos in maxillas tuas, & efficiam vt hæreant pisces fluminum tuorum in squamis tuis, &c. 1.17.11
19 Ecce ego do Nabuchodonosori regi Babylonis terram Aegypti, & auferet multitudinem eius, diripiet spolia eius, & deprædabitur prædam eius, & erit merces exercitui eius 4.20.26
20 Pro opere quo mihi ministrauit in ea, dedi ei terram Aegypti, eo quòd mihi fecerunt, dicit Dominus Deus 4.20.26
31.18 Inter incircunciſos dormies cum interfectis gladio. Hic est Pharao & vniuersus strepitus eius,&c. 2.10.18
33.8 Ipse impius in iniquitate sua morietur, & sanguinem eius de manu tua requiram 4.12.5
11 Non delector morte impii, quin magis quum reuertitur impius à via sua, & vixerit,&c. 3.24.15
14 Et is conuersus à peccato suo, fecerit iudicium & iustitiam, &c. 3.17.15
34.4 Quin in duritia & sæuitia dominati estis eis 4.11.14
23 Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, Dauidem seruum meum: is pascet eas, atque is erit eis pastor 2.6.3
36.21 Et peperci Nomini meo sancto quod prophanarunt domus Israelis inter gentes ad quas venerunt 3.4.30
22 Non propter vos ego facio, ô domus Israel, sed propter nomen meum sanctum quod prophanastis inter gentes,&c. 3.12.3,& 3.15.2
25 Et spargam super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, atque à cunctis idolis vestris mundabo vos 3.1.3
26 Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in præcordia vestra: auferam cor lapideum de carne vestra,& dabo vobis cor carneum 2.3.6,&2 5.8.& 3.24.1,& 3.24.15
27 Inferam spiritum meum in interiora vestra, efficiámque vt ambuletis in statutis meis,& iudicia mea custodiatis atque faciatis 1.3.10,& 2.3.6
32 Non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus, hoc notum sit vobis: pudeat vos viarum vestrarum, & erubescite, domus Israelis 3.4.3,& 3.12.3.& 3.15 2
37.4 Tum dixit ad me, Vaticinare super ossa ista,& dic ad ea, Ossa arida audite verbum Domini 2.10.21
25 Et Dauid seruus meus erit princeps eorum vsque in æternum 2.6.3
26 Percutiam denique cum eis fœdus pacis, fœdus perpetuum erit cum eis Ibidem
48.12 Principis autem erit quicquid reliquum est vtrinque iuxta collationem sacram, & iuxta possessionem vrbis,&c. 4.2.13
35 Et nomen vrbis ab eo die, Deus illic 1.13.4

DANIEL.

2.21 Qui deponit reges, & creat reges 4.20.26
37 Tu rex omnium regum præstantissimus es, in quem Deus cœli regnum, potentiam, robur & decus contulit 4.20.26
44 Porrò temporibus regum istorum Deus cœli regnum condet, quod æternis temporibus non destruetur, nec imperiũ eius alteri populo relinquetur, quod comminuet & finiet omnia ista regna, ipsum verò æternùm stabit 2.15.3
4.24 Proin rex, meum cõsilium probetur tibi, & tua peccata redime iustitia, & iniquitates tuas beneficentia in pauperes 3.4,31,& 3.4.36
5.18 Tuo parenti Nebuchad-nezar, ô rex, summus Deus cõtulerat regnum & amplitudinem, & decus & magnificentiam 4.20.26
6.22 Imò & te iudice, rex nullum scelus patraui 4.20.32
7.4 Primum simile fuit leoni, habens aquilinas alas: spectabam verò donec euulsæ sunt eius alæ,&c. 1.8.7
10 Decies mille myriades ante ipsum stabant: quúmque iudicium consedisset, libri aperti sunt 1.14.5,& 1.14.8, & 3.2.41
25 Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos excelsos implicabit: sibíque arrogabit mutare temporum statum & leges,&c. 4.7.25
9.5 Peccauimus,& iniqui fuimus, impiè egimus, & desciuimus à te deflectendo etiam à præceptis tuis,& iudiciis tuis 3.4.9
7 Tibi quidem Domine tribuenda est iustitia, nobis autem pudor,&c. 4.20.29
10 Neque obtẽperauimus voci Domini Dei nostri, vt transigeremus vitam ex ipsius Legibus, quas proposuerat nobis per suos seruos prophetas 2.5.11
18 Non in precibus nostris quas effundimus coram te, allegamus nostram iustitiam, sed tuam profusissimã misericordiam 3.20 8,& 3.20.14
24 Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt populo tuo & vrbi tuæ ad consummandum scelus, & perficiendum peccata,& expiandum iniquitatem, & ad iustitiam sempiternam adducendum,&c. 2.7.2,& 2.15.1,& 2.15.6
27 Porrò hebdomas vna confirmabit fœdus erga multos, & dimidium hebdomadis abrogabit victimam & oblationem, erítque vastator super abominationum ala,&c. 4.2.12
10.13 Sed princeps regni Persici restitit mihi 1.14.7
20 Nunc quidem reuertar pugnatum aduersus Principẽ Persarum. Ibidem
12.1 Illo tempore Michael princeps magnus rerum potietur, qui stat à filiis tui populi, erítque tempus difficile, &c. 1.14.7,& 1.14.8,& 2.10.15
2 Multíque dormientium in terra pulueruleuta, resurgent: hi ad vitam æternam, illi verò ad probra & contemptum æternum 3.25.7
3 Porrò doctores splendebunt vt splẽdor firmamenti: & qui multos ad iustitiam adducunt, vt stellæ sempiternis temporibus 3.25.10

HOSEE

1.11 Et congregabuntur filii Iuda & filii Israelis simul: ponéntque sibi caput vnum, atque ascendent de terra 2.6.3
2.5 Siquidem mater eorum scortata est, & genitrix eorum pudefacta, quia dixit, Ibo, sequar amatores meos,&c. 2.8.18
18 Et pangam cum eis fœdus in die illo, cum bestiis campi, & cum volucribus cœli,& cum reptili terræ,&c. 4.1.20
19 Et despondebo te mihi in sempiternum, despondebo inquam te mihi in iustitia & in iudicio, & in beneficentia,& in miserationibus, 3.14.6,& 4.1.20
23 Miserebórque ipsi Lo-huramà: & dicam ad Lo-ami, Ami tu: & ipse dicet mihi

mihi, Deus meus 3.14.6
3.5 Postea reuertentur filii Israelis, & inquirent Dominum Deum suum, & Dauidem regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonitatem eius nouissimis diebus 2.6.3, & 3.2.23
5.11 Vim ac calumniam passus est Ephraim, fractus est iudicio, eo quòd animum induxit sequi præceptum 4.20.32
15 Et reuertar ad locũ meum, donec se in culpa esse cognoscant, & quærant faciem meam 2.5.13
6.1 Venite reuertamur ad Dominum: quoniam ipse discerpsit, & sanabit nos: percussit & obligabit nos 3.3.2
7.8 Ephraim factus est placenta quæ non est versa 3.4.35
8.4 Ipsi reges instituerunt, sed non ex me 1.18.4
9.8 Speculator Ephraim cũ Deo meo, propheta laqueus aucupis est in omnibus viis eius, odium in domo Dei eius 4.9.3
12.5 Et Dominus Deus exercituum: Dominus, memoriale eius 1.13.10
13.11 Dabam tibi regem in furore meo, & sustuli eum in excandescentia 1.18.4, & 4.20.25
12 Colligata est iniquitas Ephraim, & reseruatum peccatum eius 3.4.29
14 De manu inferorũ redemissem eos, à morte vindicassem eos: vbi causa tua ô mors? vbi pernicies tua ô inferi? &c. 3.25.10
14.3 Auser omnẽ iniquitatem, & accipe bonum, & persoluemus iuuencos labiorum nostrorũ 3.4.30, & 3.20.28, & 4.18.17
4 Assur non saluabit nos, super equis non equitabimus: neque dicemus vltrà operi manuum nostrarum: Vos Dii nostri estis: eo quòd in te sit miseratio pupillo, 1.11.4
5 Ego sanabo auersionem eorum, diligam eos liberalissimè, quoniam auersus est furor meus ab eo 3.14.6

IOEL.

2.12 Conuertimini ad me in toto corde vestro, ieiunio, fletu, & lamento, 2.5.8, & 3.3.17
13 Scindite cor vestrum, & non vestimenta vestra, &c. 3.3.16, & 4.12.19
15 Clangite tuba in Zione, sanctificate ieiunium, indicite cœtum. 4.12.14, 4.12.17
28 Et post hæc, effundã Spiritũ meum super omnem carnem, & prophetabũt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt, 2.15.2, & 3.1.2, & 4.18.4
32 Quicunque inuocauerit nomẽ Domini, liberabitur, quoniam in monte Zion & in Ierusalem erit saluatio, 1.13.13, & 1.13.20, & 3.20.2, & 3.20.14, & 4.1.3, & 4.1.4
3.17 Erit Ierusalem sacrosancta, nec alieni per eam vltrà transibunt 4.1.17

AMOS.

1.2 Dominus ex Zione rugiet, & de Ierusalem edet vocem suam, &c. 2.8.15
3.6 Estne malum aliquod in ciuitate quod Deus nõ fecerit? 1.17.8, & 1.18.3
4.7 Ad hæc pluuiam negaui vobis, dum adhuc essent tres menses vsque ad messem, & pluui super ciuitatem vnã, super aliam non pluui, &c. 3.22.10
5.14 Quærite bonum, & non malum, vt viuatis, &c. 2.5.10
6.1 Væ opulentes in Zione, &c. 3.19.9
4 Qui dormiunt in lectis eburneis, indecorè se distendentes in grabbatis, &c. Ibidem
8.11 En dies veniunt, dicit Dominus Deus, vt missurus sim famem in terram, non panis quidem famem, aut aquæ sitim, sed audiendi verba Dei 3.22.10
9.11 Die illa excitabo tabernaculum Dauidis collapsum, & sæpe circumdabo rupturas eius, demolitionésque eius instaurabo: reædificabóque eam vt retro temporibus 2.6.3

ABDIAS.

17 At in monte meo Zion, reliquiæ superernnt quæ seruantur, &c. 4.1.13

IONAS.

1.4 Dominus autem excitauit ventum magnum in mari, factáque est ingẽs tempestas in illo mari 1.16.7
2.10 Ego autem voce gratulatoria tibi sacrificabo, quæque voui persoluam: ipsa salus Domini est. 3.20.28
3.4 Adhuc intra quadraginta dies Ninive subuertetur 1.17.12
5 Crediderunt itaque ciues Niniuitæ Deo: & ieiunio indicto à magno ad paruum vsque saccos induerunt 3.3.4, & 4.12.17
10 Vidit Deus opera eorũ, nempe quòd à viis suis malis auersi essent, & Deus quoque pœnitentia ductus est super malo quod illis inferre decreuerat, & non intulit 1.17.14

MICHAEAS

2.13 Ascendit pandens iter ante eos: diuidet, & transibunt portam, & egredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum 2.6.3
3.6 Nox vobis vice visionis irruet, tenebræque pro diuinatione: & occumbet sol super prophetas illos, diésque super eos obtenebrescet 4.9.6
5.2 Et tu Bethleem Ephrata, paruula quidem es inter Chiliarchas Iehuda, ex te autem prodibit mihi qui Dominator sit in Israele: & exitus, &c. 2.14.7
13 Excidam quoque sculptilia tua, & statuas tuas è medio tui, ne vltrà opus manuum tuarum adores 1.11.4
7.9 Indignationẽ Domini feram, quia si peccaui, donec causam meam egerit, &c. 3.4.32
19 Deponet iniquitates nostras: & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 3.4.29

HABACVC.

1.12 An non tu es ab initio Domine Deus meus, Sanctus meus, & non moriemur, Domine 2.10.8
2.3 Si distulerit, expecta eam, certissimè enim veniet, neque moram nectet 3.2.42
4 Iustus in sua fide viuet 3.14.11, & 3.18.5
18 Quid proderit sculptile? quoniam sculpsit illud fictor eius? fusile, & doctor mendax, quòd fidit eo, fictor scilicet figmento suo, vt faceret idola muta 1.5.12, & 1.11.5
20 At Dominus in templo sanctitatis suæ: taceat à conspectu eius vniuersa terra 1.5.12, & 1.10.3, & 2.8.15
3.2 Memor sis in ira misericordiæ 3.4.32
3 Deus ab Austro venit 1.13.27
13 Egressus est in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, &c. 2.6.3

SOPHONIAS.

1.5 Eos quoque qui in tectis militiam cæli adorant, & qui adorant ac iurant per Dominum, iurántque per Melchom 2.8.23
3.11 Nam tum ex te tollam eos, qui in te insolenter exultant, neque tu te vltrà efferes in monte sancto meo 3.12.6

HAGGAEVS.

2.12 Interroga sacerdotes Legem, dicens, Si tulerit homo carnem sanctificatam in ala vestimenti sui, &c. 3.14.7

ZACHARIAS.

1.3 Reuertimini ad me, dicit Dominus exercituũ, reuertárque ad vos 2.5.9, & 3.24.15
2.4 Angelus alius egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominũ & iumentorum in medio eius 1.13.10
8 Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei 1.13.10, & 1.17.6
11 Adiungentur denique gentes multæ ad Dominũ in illa die, eruntque mihi populus: in medio autem tui habitabo, sciésque Dominum exercituum me ad te misisse 1.13.10
12 Et hæreditate possidebit Dominus Iehudam, tanquam partem suam, in terra sancta, & rursum eliget Ierusalem 3.21.5
3.10 In die illa, dicit Dominus exercituum, quisque proximum suum subter vitem & subter ficum vocabit 3.13.4
7.13 Et euenit vt quemadmodum ipse clamauerat, illique non audierunt, sic iam clament, nec eos exaudiam dicit Dominus exercituum 3.3.24
9.9 Exulta vehementer filia Sion, iubila filia Ierusalem, En rex tuus veniet tibi (iustus & seruator ipse) mitis, &c. 1.13, & 2.17.6
11 Et tu in sanguine fœderis tui, dimisi vinctos tuos de lacu in quo non est aqua 2.16.9
12.4 In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum stupore: & eum qui ei insidet vesania, &c. 4.9.5
13.9 Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: dixi, Populus meus hic: & ipse dicet, Dominus est Deus meus. 3.20.13
14.9 Erítque Dominus rex super omnem terram: in illo die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum 1.12.3

MALACHIAS.

1.2 Annon Esaü frater erat ipsius Iacob? dicit Dominus 3.21.6
3 Et tamen Iacob dilexi, Esau autem odio habui Ibidem
6 Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo ego Pater sum, vbi honor est quem mihi impenditis? si verò Dominus sum vester, vbi mei timor? 2.8.14, & 3.6.3, & 3.2.26
10 Etenim ab ortu solis ad occasum eius vsque, magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco nomini meo incensum atque mola pura affertur, &c. 4.18.4, & 4.18.16
2.4 Tum scietis quod ad vos mandatum meum miserim vt esset fœdus meum cum Leui, dicit Dominus exercituum 4.2.3, & 4.8.2

5 Fœdus meum fuit cum eo, vitæ scilicet & pacis: dedíque ei ea, timorem, vt me metueret, metúque nominis mei paueret 4.2.3
6 Lex veritatis fuit in ore eius, nec fuit deprehensa in labiis eius iniquitas, &c. 4.2.3, & 4.8.2
7 Etenim labia sacerdotis custodient sciétiam, legémque ex ore eius requirent: Legatus enim est Domini 4.8.2, & 4.8.6, & 4.9.2
8 Vos autem recessistis de via, & offendiculo posito multos in Lege impingere fecistis, & corrupistis fœdus Leui 4.7.30
3.1 Subitóque ad templum suum veniet Dominus ille quem vos quæritis, & legatus fœderis quo vos delectamini 1.13.10, & 1.14.9
15 Eisque parcam, vt quispiam filio suo seruienti sibi parcit 3.19.5
4.1 Ecce dies illa venit, ardens vt clibanus: tum erunt omnes arrogantes, & omnis qui impietatem patrat stipula, inflammabitque eos dies ventura, &c. 3.24.12
2 Vobis autem, qui nomen meum timetis, orietur sol iustitiæ, &c. 2.6.1, & 3.24.12
4 Mementote legis Mosis serui mei, quam ei in Horeb ad omnem Israelem mandaui 4.8.6
5 En ego mittam vobis Eliam prophetam, priusquam dies Domini magnus & terribilis veniat 2.9.5
6 Is reducet cor patrum in filios, & cor filiorum in patres suos 4.1.6

TOBIAS.

3.25 ET missus est angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos 1.14.8

SAPIENTIA.

14.16 DEinde interueniente tempore, cõualescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum impo[illegible] colebantur figmenta [illegible].8

ECCLESIASTICVS.

15.14 DEus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata & præcepta sua 2.15.18
15 Si volueris mandata seruare, cõseruabunt te, &c. Ibidem
16 Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam Ibidem
17 Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi Ibidem
16.5 Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius. 3.15.4

BARVCH.

2.18 SEd anima quæ tristis est super magnitudinem mali, quæ declinans, & labascens abit, mœstus animus oculíque deficientes, & esuriens anima gloriam tuam prædicarint & iustitiam 3.20.8
19 Neque enim iustè factis patrum, aut regum nostrorum freti, preces nostras coram te Domine Deus noster effundimus 3.20.8
20 Sed quia indignationem & iram tuam immisisti nobis, quemadmodum per seruos tuos prophetas denũciasti Ibidem

I. MACHAB.

1.54 LIbríque legis qui inuẽti fuissent, concerpti & igne cremati sunt 1.8.9

II. MACHAB.

12.43 TVm deinde stipe viritim coacta, ad duo millia drachmarum argenti misit Hierosolymam ad sacrificium pro peccato faciendum, &c. 3.5.8
15.39 Et siquidem rectè & commentario congruenter, hoc & ipse volebam: sin exiliter ac tenuiter, hoc est quod potui Ibidem

MATTHAEVS

1.5 SAlmon autem genuit Booz è Rachab Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Iesse 2.13.3
16 Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, ex qua genitus est IESVS ille qui dicitur Christus Ibidem
21 Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVS. Ipse enim seruabit populum suum ex peccatis ipsius, 2.6.1
23 Ecce, virgo quædam vterum feret, & pariet filium, & vocabis nomẽ eius Emmanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus 2.12.1
2.6 Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es inter duces Iuda ex te enim exibit dux qui pascet populum illum meum Israel 2.14.7
3.2 Ioannes dicebat, Resipiscite: appropinquauit enim regnum cœlorum 3.2.2, & 3.3.5, & 3.3.19
6 Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua 3.4.6, & 4.15.6, & 4.16.24
11 Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam, &c. 4.15.6, & 4.15.8, & 4.16.26
12 Cuius ventilabrum in manu ipsius, & perpurgabit aream suam: & coget triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili 3.25.12, & 4.1.13, & 4.1.19
13 Tunc aduenit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo 4.15.6, & 4.16.27
15 Omitte me nunc: ita enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc omittit eum 2.16.15
16 Et vidit Spiritum Dei ascendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum, 1.11.3, & 4.17.21, & 4.19.20
17 Et ecce vox è cœlis, dicens, Hic est filius ille meus dilectus in quo acquiesco 2.16.11, & 3.2.32, & 3.8.1, & 3.24.5
4.2 Et quum ieiunasset dies quadraginta & noctes quadraginta, postea esuriit 4.12.20
3 Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si filius es Dei, dic vt isti lapides panes fiant 3.20.46
4 Non è solo pane viuet homo, sed ex omni verbo prodeunte per os Dei, 3.20.44
10 Tunc dicit ei Iesus, Abi Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies, 1.20.3
11 Tunc omittit eum Diabolus: & ecce Angeli accedebant, & ministrabant ei 1.14.6
17 Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere, Resipiscite: appropinquauit enim regnum cœlorum 2.9.2, & 3.3.2, & 3.3.19
19 Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum 4.16.31
5.3 Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum, 3.17.10
4 Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient 3.8.9
8 Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt 3.25.6
10 Beati qui persequutionem patiuntur iustitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cœlorum 3.8.7
12 Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis, 3.18.2
13 Vos estis sal terræ. 4.3.3, & 4.8.4
14 Vos estis lux mundi, 4.3.3, & 4.5.14
15 Neque accendunt lucernam & ponunt eam subter modium: sed in candelabrum, & splendet omnibus qui sunt in domo 1.11.4
16 Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificẽntque Patrem vestrum qui est in cœlis 3.16.3
17 Ne existimate me venisse vt dissoluam Legem aut Prophetas: non veni vt dissoluam, sed vt impleam 2.7.14
19 Quisquis igitur soluerit vnum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum: quisquis autem fecerit, &c. 2.8.59
21 Audistis dictum fuisse antiquis, Non occides: quisquis autem occiderit, tenebitur iudicio 4.20.10
22 Ego verò dico vobis, quicunque irascitur fratri suo temere, tenebitur iudicio 2.[illegible].7, & 2.8.39
25 Esto amicus aduersario tuo citò, dum es in via cum eo: nequando, &c. 3.5.7
26 Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc vsquedum reddideris vltimum quadrantem 3.25.6, & 3.5.7
28 Quicunque aspicit mulierem vt eam concupiscat, iam adulterauit eam in corde suo 2.8.7
34 Ne iuretis omnino, neque per cælum, &c. 2.8.26, & 4.13.12
39 Ego verò dico vobis ne resistatis malo: sed quisquis te cædet in dexteram tuam, obuerte ei & alteram 4.20.19, & 4.20.20
44 Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui deuouent vos, 2.8.17, & 3.7.6, & 4.13.12
45 Vt sitis filii Patris vestri qui est in cœlis: facit enim vt sol suus exoriatur super bonos ac malos, &c. 3.20.15, & 3.24.16, & 3.25.9
46 Si dilexeritis eos qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? nõne & publicani idem faciunt? 2.8.7
6.2 Itaque quum dabis eleemosynam, ne cures buccina cani coram te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in plateis, vt gloriam consequantur ab hominibus. Amen dico vobis eos referre mercedem suam, 3.7.2
6 Tu verò quum precaris, introito in conclaue tuum, & clauso ostio tuo precare Patrem tuum qui est in occulto, &c 3.20.29
7 Precantes autem ne fatis loquaces vt Ethnici: putant enim fore vt sua illa loquacitate exaudiantur 3.20.29
9 Vos igitur ita precamini, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c. 3.20.6, & 3.20.34
11 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie 2.5.14
12 Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris 3.4.39, & 4.1.23

21 Nam vbi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum. 3.2.25,&3.18.6,&3.25.1

23 Quòd si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? 3.2.25

7.7 Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis 3.20.13

11 Si vos igitur quum sitis mali, nostis dona bona dare liberis vestris, quantò magis Pater vester qui est in cælis, dabit bona iis qui ab ipso petẽt? 3.20.36

12 Quæcunque igitur volueritis vt faciant vobis homines, ita & vos facite eis: ista enim est Lex & Prophetæ, 2.8.53

15 Cauete vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces, 4.9.2

8.4 Dicit Iesus leproso purgato, Vide vt nulli dicas: sed abi: ostende teipsum Sacerdoti, & offer donum illud quod imperauit Moses, vt hoc sit eis testimonio.

10 Hæc quum audisset Iesus, miratus est: & ait sequentibus, Amen dico vobis, ne in Israel quidem tantam fidem inueni 3.2.13

11 Multi ab Oriente & Occidente venturi sunt, & discumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum 2.10.23,&4.16.13

12 Filii regni eiicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium 3.25

13 Et dicit Iesus Centurioni, Abi, & vt credidisti fiat tibi. Sanatúsque est puer eius eo ipso momento. 3.20.11

25 Et accedentes discipuli excitauerunt eum, dicentes, Domine serua nos, perimus 3.2.21

29 Quid nobis tecum, Iesu fili Dei? venisti huc vexatum nos ante tempus? 1.14.19

9.2 Et ecce, obtulerunt ei paralyticum in lecto proiectum: quúmque vidisset Iesus fidem eorum, dixit paralytico, Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua 3.2.13,&3 4.35,&3.20.9

3 Quidam è Scribis dicebant apud se, Iste blasphemat 1.13.12

4 Et quum vidisset Iesus cogitationes eorum, &c. Ibidem

5 Vtrum enim est facilius, dicere, remissa sunt tibi peccata: an dicere, surge, & ambula? 4.19.29

6 Vt autem sciatis authoritatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata, (tunc dicit paralytico) Surge, tolle tuum lectum, & abi domum tuam 1.13.12

12 Qui valent non egent medico, sed malè affecti 2.12.4

13 Non veni vt vocarem iustos, sed peccatores ad resipiscentiam 3.3.20,&3.12.17,&3.14.5

15 Num possunt filii thalami lugere quandiu est cum eis sponsus? 3.3.17,&4.12.17

29 Tunc tetigit oculos cæcorum, dicens, Secũdum fidem vestram fiat vobis. 3.2.43,&3.4.22,&3.20.11,&4.19.18

34 Pharisæi dicebant, Per principem dæmoniorum eiicit dæmonia 9.3.22

35 Et circuibat Iesus vrbes omnes ac vicos, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangeliũ regni, &c. 2.9.2

10.1 Tunc aduocatis duodecim Apostolis, dedit eis potestatem aduersus spiritus impuros 4.5.5

5 In viam Gentium ne abieritis, & in vrbem Samaritanorum ne ingrediamini 2.11.12

8 Aegrotos sanate, leprosos purgate, mortuos excitate, dæmonia eiicite, 1.13.13

18 Et ad præsides ac reges adducemini mea causa, vt hoc sit eis & Gentibus testimonium 3.4.4

20 Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, is est qui loquitur in vobis 4.19.8

28 Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna 1.15.2,&3.25.7

29 Nonne duo passerculi assario væneunt, & vnus ex eis non cadet humi sine Patre vestro 1.16.1,&1.16.5,&1.17.6

30 Vestri verò etiã capilli capitis omnes numerati sunt 1.16.2

31 Ne igitur timete: vos multis passerculis præstatis 1.17.6

33 Quisquis autem negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui est in cælis 4.1.26

11.10 Iste enim est de quo scriptum est, Ecce, ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te 3.3.19

11 Non surrexit, inter eos qui gignuntur è mulieribus quisquã maior Ioanne Baptista: sed qui est minimus in regno cœlorum, maior eo est 2.9.5

13 Omnes Prophetæ & ipsa Lex vsque ad Ioannem prophetarunt 2.12.5,&2.11.10

23 Et tu Capernaum, quæ es vsque ad cælum sublata, vsque ad inferos deprimeris: nam si Sodomis æditæ fuissent virtutes quæ æditæ sunt apud te, mansissent vsque ad hodiernum diem 3.24.15

25 In illo tempore respondens Iesus dixit, confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligẽtibus, & ea detexeris infantibus 3.2.34

27 Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cuicũque voluerit filius retegere 4.8.5

28 Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam vt requiescatis 3.3.20,&3.4.3,&3.12.7,&3.18.9

29 Tollite iugum meum super vos, & discite à me quòd mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris 3.18.9

30 Iugum enim meum facile est, & onus meum leue est 4.19.3

12.24 Pharisæi vero quum hæc audissent, dicebant, Iste non eiicit dæmonia nisi per Beelzebul principem dæmoniorum 3.3.22

31 Quoduis peccatum & blasphemia remittetur hominibus: blasphemia verò in Spiritum non remittetur hominibus 3.3.21,&1.13.15,&3.3.22

32 Et quisquis loquutus fuerit aduersus Filium hominis, remittetur ei, quisquis autem fuerit loquutus aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro 3.5.7

41 Nineuitæ resurgent in iudicio cum natione hac, & condemnabunt eam quòd ipsi resipuerint ad prædicationes Ionæ 3.24.15

43 Quum impurus Spiritus exierit ab homine, ambulat per arida loca, quærens requiem, & non inuenit, &c. 1.14.14,&1.14.19

13.4 Et in seminando, alia quidem ceciderunt iuxta viam: & venerunt volucres, & deuorarunt ea 3.22.10,&4.14.11,&4.17.33

5 Alia verò ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & statim exorta sunt, propterea quòd non habebant profundam terram 4.17.33

7 Alia verò ceciderunt in spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocarunt ea 4.17.33

9 Qui habet aures ad audiendum, audiat 3.23.13

11 Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum 1.7.5,&3.24.13

16 Vestri verò beati sunt oculi, quòd cernãt, & aures vestræ quòd audiant 2.9.1

17 Amen enim dico vobis, multi Prophetæ & iusti desiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt 2.11.6

24 Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo 4.1.13

29 At ille dixit: Nonne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum 4.12.11

31 Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum quispiam seminauit in agro suo 4.19.34

33 Aliam parabolam loquutus est eis, dicens, Simile est regnum cælorum fermẽto, quod acceptum mulier condidit in farinæ satis tribus, vsquequo fermentaretur tota 4.19.34

39 Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus: 1.14.15

14.25 Quarta autem noctis vigilia abiit ad eos Iesus ambulans super mare 4.17.29

15.3 Quare & vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestram? 4.10.10

4 Nam Deus mandauit dicens, Honora patrem tuum & matrem. Et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur 2.8.36

8 Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest à me 3.20.31

9 Sed frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum 4.10.15,&4.10.23

13 Omnis planta, quam non plantauit pater ille meus cælestis, eradicabitur 2.3.9,&3.2.12,&3.23.1,&3.24.6

14 Sinite eos: duces sunt cæci cæcorum: Porrò si cæcus cæco præierit, ambo in foueam cadent 3.19.11,&4.9.2,&4.9.12

24 Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel 2.11.12

16.6 Videte & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum 4.10.26

12 Tunc intellexerunt eum non dixisse vt cauerent à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum Ibidem

16 Tu es Christus ille filius Dei viuentis 4.6.6

17 Beatus es Simon bar-Iona: quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis 12.2.19,&31.4,&32.34

18 Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam 4.6.3,& 4.6.5

19 Et tibi dabo claues regni cælorum, & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cælis 3.4.12,& 4.1.22, & 4.2.10, & 4.6.4, & 4 11.1, & 4.12.4

23 Abſcede à me ſatana, ſcandalo es mihi 4.7,28

24 Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam ac ſequatur me 3.7.2,& 3.8.1

27 Futurũ eſt vt Filius hominis veniat cum gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique ſecundum facta eius 3.18.1

17.2 Transformatúſque eſt coram eis, & ſplenduit facies eius vt ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba vt lux 4.17.17

5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbrauit eos: & ecce vox è nube, dicens, Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco: ipſum audite 2.15.2,& 3.2.32,& 3.8.1,& 3.20.48,& 4.8.1,& 4.8.7

8.10 Dico vobis Angelos eorum in cælis per omne tempus videre faciem patris mei qui in cælis eſt 1.14.7,& 1.14.9

11 Venit Filius hominis vt ſeruet quod perierat 2.12.4

15 Si peccauerit in te frater tuus, veni & argue eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit lucratus es fratrem tuum 4.12.3

17 Quòd ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ: quòd ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut quiſpiam ethnicus & quiſpiam publicanus 4.8.15,& 4.11.2,& 4.12.3

18 Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo, & quæcunque ſolueritis in terra, erunt ſoluta in cælo 3.4.12,& 3.4.20,& 4.1.22,& 4.2.10, & 4.8.4,& 4.12.4, & 4.12.9

19 Rurſum dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint in terra, quodcunque petierint, fiet eis à patre meo qui in cælis eſt

20 Vbi enim ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio eorum 4.19,& 4.6.4,& 4.9.2

22 Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties 4.1.23

24 Procidens ergo conſeruus eius ad eius pedes, precabatur eum dicens, Differ iram erga me, & omnia reddam tibi Ibidem

19.6 Itaque non amplius ſunt duo, ſed vna caro: quod ergò Deus coniunxit homo ne ſeiungat 4.15.22

11 Non omnes capiũt hunc ſermonem, ſed quibus datum eſt 2.8.42,& 4.13.17

12 Sunt enim eunuchi qui ex matris vtero nati ſunt ita: & ſunt eunuchi qui caſtrati ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtrarunt propter regnum cælorum 2.8.42

13 Tunc oblati ſunt ei pueruli vt manus eis imponeret, & precaretur: diſcipuli autem obiurgarunt eos 4.16.7

14 Sinite puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum 4.16.7,& 4.16.17,& 4.16.26

15 Et quum impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc 4.3.15

17 Nullus eſt bonus, niſi vnus, nempe Deus. Si vis autem ad vitam ingredi, ſerua mandata 1.13.13,& 13.24,& 3.18.9

18 Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, &c.

19 Honora patrem & matrem 2.8.12

21 Si vis perfectus eſſe, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo 4.13.13

25 His auditis diſcipuli eius perculſi ſunt valde, dicentes, Quis ergo poteſt ſeruari? 2.7.5

26 Intuitus autem eos Ieſus dixit eis, Apud homines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt Ibidem

28 Ieſus dicit eis, Amen dico vobis, vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam, vos, inquam, ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael 2.16.18,& 3.25.10

29 Et quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, cauſa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis iure poſsidebit 2.26.10

20.1 Simile eſt regnum cœlorum patrifamiliâs, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios quos mitteret in vineam ſuam 3.18.3

25 Scitis principes Gentium in eas dominari, & qui magni ſunt licentia vti in eas 4.11.8,& 4.11.9

26 Verũm non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter 4.11.8

28 Sicut Filius hominis non venit vt ſibi miniſtraretur, ſed vt miniſtraret, darétque animam ſuam in redemptionis pretium pro multis 2.16.5

21.9 Porrò turba quæ præibat, & quæ ſequebatur, clamabat, dicens, Hoſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini 2.6.4

22 Quæcunque precando petieritis, ſi credideritis, accipietis 3 20.11

25 Baptiſma Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi ratiocinabantur apud ſe, dicentes, Si dixerimus, è cælo: Dicet nobis, quare ergo non credidiſtis ei? 4.19.5

31 Vter è duobus fecit quod voluit eius pater? Dicũt ei, Prior. Dicit eis Ieſus, Amen dico vobis, publicani & meretrices præeunt vobis in regnum Dei 2.8.14,& 3.7.2

22.2 Simile eſt regnum cælorum cuidam regi qui fecit nuptias filio ſuo 3.24.8

12 Amice, quomodo huc introiſti non habens veſtem nuptialem? 4.17.45

13 Ligatis pedibus & manibus eius tollite eum & coniicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium 3.25.12

14 Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi 3.24.6

23 In illo die adierunt illum Sadducæi (qui dicunt non eſſe reſurrectionem) 2.10.23

30 Nam in reſurrectione, neque vxores ducunt, neque nuptum dantur: ſed ſunt vt Angeli Dei in cælo 1.14.9,& 1.15.3.& 2.12.6,& 3.25.11,& 4.1.4

32 Ego ſum Deus Abrahã, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium 2.10.9, & 4.16.3

37 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua 2.8.11,& 2.5.51,& 3.3.11

38 Secundum autem ſimile eſt huic diliges proximum tuum vt teipſum 2.8.11

43 Quomodo ergo Dauid per ſpiritum vocat eum Dominum? 1.13.15

23.4 Ligant enim onera grauia difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum: Digito autem ſuo nolunt ea mouere 4.10.1,& 4.10.26

8 Vos autem ne vocemini Rabbi. vnus enim eſt doctor veſter, nempe Chriſtus: omnes autem vos fratres eſtis 4.8.8

9 Et patrem veſtrum neminem vocetis in terra: vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt 3.20.38

23 Et omittitis quæ grauiora ſunt Legis, iudicium, miſericordiam ac fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere 2.8.52

25 Væ nobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam purgatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem illa plena ſunt rapina & intemperantia 3.4.36

37 Ieruſalem, Ieruſalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui a te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, &c. 4.14.16

24.11 Et multi pſeudoprophetæ ſurgẽt ac ſeducent multos 4.9.4

14 Et prædicabitur iſtud Euangelium regni in vniuerſa terra, vt ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis 3.4.4

24 Surgẽt enim pſeudochriſti & pſeudo prophetæ, & ædent ſigna magna & miracula, ita vt ſeducant (ſi fieri poſsit) etiam electos 4.9.4

30 Tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo: & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa 2.16.17

36 De die autem & hora nemo ſcit, ne Angeli quidem cælorum, ſed Pater meus ſolus 1.14.9

45 Quis igitur eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familitium ſuum, vt det illis alimentum in tempore? 4.16.31

25.3 Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non ceperant oleum ſecum 3.5.7

21 Dixit autem dominus ſeruo, Bene habet, ſerue bone & fidelis: in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium domini tui 2.3.11

23 Bene habet ſerue bone & fidelis: in paucis fuiſti fidelis, &c 2.3.11

29 Omni habẽti dabitur, & augebitur: qui verò non habet, etiam quod habet tolletur ab eo 2.3.11,& 3.15.4

31 Quum venerit Filius hominis cum gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ 4.14.9,& 16.17

32 Et cogentur coram eo omnes gentes: & ſeparabit eos, alteros ab alteris, vt paſtor ſeparat oues ab hœdis 2.25.9

34 Venite benedicti Patris, poſſidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi 3.18.1,& 3.18.2,& 3.18.3,& 3.24.16

35 Eſuriui enim, & dediſtis mihi quo veſcerer: ſitiui, & dediſtis mihi potum, &c.

&c. 3.18.1
40 Amen dico vobis, quatenus id feciſtis vni ex iſtis, fratribus meis minimis, mihi feciſtis 3.18.6
41 Maledicti, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. 1.14.14,& 1.14.19,& 3.25.5
44 Et abibunt iſti in ſupplicium æternum: iuſti verò in vitam æternam 3.25.5
26.10 Quid moleſtiam exhibetis iſti mulieri? opus enim bonum operata eſt erga me 3.25.8
11 Semper enim pauperes habetis vobiſcum: me verò non ſemper habebitis 4.3.1,& 4.17.26,& 4.17.28
12 Quòd enim hæc vnguentum hoc iniecit corpori meo, ad ſepeliendum me, fecit 3.25.8
15 Ait eis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Ipſi verò appenderunt ei triginta argenteos numos 4.18.14
26 Edentibus autem eis accepit Ieſus panem: & quum benedixiſſet, fregit, deditque Diſcipulis & ait, Accipite, comedite: hoc eſt corpus meum 4.14.20, & 4.16.30, & 4.17.1, & 4.17.20, & 4.19.23
27 Et accepto poculo, & gratiis actis, dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes 4.9.14
33 Tunc dicit eis Ieſus, Vndiquaque triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: manete hìc, & vigilate mecum 2.16.12, & 3.8.9
39 Et progreſſus paululum, procidit in faciem ſuam, precans, & dicens, Pater mi, ſi poſsibile eſt, abeat à me poculum iſtud: veruntamen non vt ego volo, ſed vt tu 2.16.12
53 An putas me non poſſe nunc precari Patrem meum, qui huc ſiſtat mihi plures quàm duodecim legiones Angelorum? 1.14.8
74 Tunc cœpit ſeipſum deuouere, & iurare, dicens, Non noui hominem 4.1.26
75 Tunc meminit Petrus verborum Ieſu, qui dixerat ei, Priuſquam gallus vocem mittat, ter me abnegabis. Et egreſſus extrà, fleuit amarè 3.3.4
27.4 Peccaui, prodito ſanguine innoxio. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris 3.3.4
12 Et quum ipſe accuſaretur à principibus & ſenioribus, nihil reſpondit 2.16.5
14 Et non reſpondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur præſes valde Ibidem
23 Præſes autem ait, Enimuerò quid mali fecit? At illi amplius clamabant, dicentes, Crucifigatur Ibidem
24 Videns autem Pilatus ſe nihil proficere, ſed maiorem tumultum fieri, accepta aqua abluit manus coram turba, dicens, Innoxius ego ſum à ſanguine huius iuſti: vos videritis Ibid.
46 Circiter verò horam nonam exclamauit Ieſus voce magna, dicens, Eli, Eli, lama ſabachtani? Hoc eſt Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me? 2.16.11
50 Ieſus autem quum rurſum clamaſſet voce magna, emiſit ſpiritum 4.19.23
52 Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierãt, ſurrexerunt 2.10.23,& 3.25.7
53 Qui egreſsi è monumentis poſt reſurrectionem eius, introierunt in ſanctam vrbem, & apparuerunt multis 2.10.23
66 Ipſi autem profecti munierunt ſepulchrum, obſignato lapide cum cuſtodia 3.25.3
28.5 Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, Vos verò ne timete, &c. 1.14.6
6 Non eſt hìc: ſurrexit enim prout dixit. 4.17.29
7 Dicite diſcipulis eius, eum ſurrexiſſe à mortuis 1.14.6
11 Proficiſcentibus autem ipſis, ecce, quidam è cuſtodia venerunt in vrbem, & annunciauerunt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerãt 3.25.3
12 Tunc coacti cum ſenioribus, conſilio capto, pecuniam multam dederunt militibus Ibidem
13 Dicentes, dicite, Diſcipuli eius nocte venerunt, & eum furati ſunt nobis dormientibus Ibidem
18 Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra 3.15.5
19 Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti 3.13.16,& 4.3.6, & 4.8.4,& 4.14.20,& 4.15,6, & 4.15.18,& 4.15.20,& 4.15.22.& 4.16.27,& 4.19.28
20 Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi 2.16.14, & 4.8.8, & 4.8.11, & 4.17.26, & 4.17.28,& 4.17.30

MARCVS.

1.1 PRincipium Euangelii Ieſu Chriſti filii Dei 2.9.2
4 Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſsionem peccatorum 3.3.19, & 4.19.17
15 Et dicens, Impletum eſt tempus, & appropinquatum regnum Dei, reſipiſcite, & credite Euangelio 3.3.19
3.15 Haberéntque poteſtatem ſanandi morbos, & eiiciendi dæmonia 1.13.13
28 Amen dico vobis, quæuis peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ quibuſcunque blaſphemarint 3.5.7
29 Sed quicunque blaſphemarit in Spiritum ſanctum, non habet remiſsionem in æternum, ſed tenetur æterno iudicio 1.13.15,& 3.3.22
6.7 Deditque eis poteſtatem aduerſus ſpiritus impuros 1.13.13
13 Et dæmonia multa eiiciebant: vngebántque multos ægrotos, & ſanabant eos 4.19.18,& 4.19.21
7.33 Ipſe verò quum abduxiſſet eum è turba priuatim, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & quum ſpuiſſet tetigit linguam eius 4.19.23
8.38 Quemcunque puduerit mei acſermonum meorum in natione iſta adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit eius, &c. 4.1.26
9.23 Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ 4.14.7
43 In gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur 4.25.12
10.9 Quod ergo Deus coniunxit, homo ne ſeiungat 4.1.2
30 Quin accipiat centuplicia nunc iſto tempore, domos, & fratres & ſoroes, & matres & liberos, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo venturo vitam æternam 3.18.3
11.24 Quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos, & erunt vobis 3.20.11
12.18 Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & interrogauerunt eum dicentes 3.25.5
13.32 Sed de die illo ac hora nemo ſcit, ne Angeli quidem qui in cælo ſunt, nec ipſe Filius, ſed ſolus pater 2.14.2
14.22 Et edentibus ipſis, quum accepiſſet Ieſus panem, & benedixiſſet, fregit: deditque eis, & ait, Accipite, edite: hoc eſt corpus meum 4.17.1,& 4.17.20
33 Et aſſumit Petrum & Iacobum & Ioannem ſecum, cæpítque expaueſcere, & grauiſsimè angi 3.8.9
34 Et dixit eis, Vndiquaque triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: manete hìc & vigilate 2.16.12
15.28 Et impleta eſt Scriptura quæ dicit, Et cum ſceleratis numeratus eſt 2.16.5
16.9 Apparuit primùm Mariæ Magdalenæ, ex qua eiecerat ſeptem dæmonia 1.14.14
15 Profecti in mũdum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ 4.3.4,& 4.3.12,& 4.16.27,& 4.19.28
16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur 4.15.1.& 4.16.27
19 Dominus igitur poſtquam loquutus fuiſſet eis: ſurſum receptus eſt in cœlum, & ſedit ad dexteram Dei 2.14.3, & 4.17.27

LVCAS.

1.6 ERant iuſti ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè 3.17.7
15 Et Spiritu Sancto implebitur etiam ab vtero matris ſuæ 4.16.17
17 Nam ipſe præcedet in conſpectu eius, cum Spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iuſtorum, vt paret Domino populum inſtructum 4.1.6
31 Et ecce, concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius IESVS. 2.16.1
32 Hic erit magnus, & Filius Altiſsimi vocabitur: dabitque ei Dominus Deus ſedem Dauid patris ipſius 2.14.4,& 2.14.17
33 Regnabitque ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis 2.14.3,& 2.15.3
34 Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non ſum cognitura? 4.17.25
35 Et reſpondẽs Angelus, dixit ei Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi inumbrabit te: propterea id etiam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei 2.14.5
43 Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? 2.14.4
54 Suſcepit Iſrael puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ, 2.10.4
72 Vt vteretur miſericordia erga patres noſtros, ac memor eſſet Teſtamenti ſui ſancti Ibidem
73 Et iuriſiurandi quod iurauit Abrahamo patri noſtro, &c. Ibidem
74 Vt ſine metu, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiremus ipſi 3.16.2.
77 Et des cognitionem ſalutis populi eius, per remiſsionem peccatorum ipſorum 3.11.22
79 Vt appareat iis qui in tenebris & vmbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in viã pacis 2.12.4

2.11 Nempe natum esse vobis hodie seruatorem, qui est Christus Dominus, in vrbe Dauid 2.15.5
13 Et repentè adfuit cum Angelo multitudo exercituum cælestium, laudantium Deum 1.14.5
37 Et quum esset vidua quasi annorum octogintaquatuor, non abscedebat a templo, ieiuniis & deprecationibus seruiens Deo noctem ac diem 4.12.16
52 Iesus autem proficiebat sapientia,& statura,ac gratia apud Deum & homines 2.14.2
3.3 Venit igitur in omnem regionem circuniacentem Iordani, prædicans Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum 3.3.19,& 4.15.7,& 4.19.14
8 Ferte igitur fructus dignos iis qui resipuerint, & ne cœperitis dicere apud vos ipsos, Patrẽ habemus Abraham. Dico enim vobis, posse Deum etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo 3.3.5
14 Interrogauerunt autem eum etiam milites,dicẽtes,Et nos quid faciemus? Et ait eis,Neminem concutite, neque calumniemini: & contenti estote stipendiis vestris 4.20.12
16 Respondit Ioannes, Ego quidem baptiso vos aqua: sed venit qui validior me est, cuius non sum dignus qui soluam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni 3.1.3,& 3.1.4,& 4.15.6,& 4.15.7
22 Ac descendit Spiritus sanctus corporea specie tanquam columba,supra eum,& vox de cælo extitit,dicens,Tu es Filius ille meus dilectus, in te acquiesco 4.17.21
23 Ipse autem Iesus incipiebat esse quasi annorum triginta, filius(vt existimabatur)Ioseph,qui fuit filius Heli 4.10.27,& 4.16 29
38 Qui fuit filius Henos,qui fuit Seth, qui fuit Adam,qui fuit Dei 2,12.7 & 2 13.3
4.17 Tunc datus est ei liber Esaiæ Prophetæ: quúmque explicuisset librum, inuenit locum in quo scriptum erat 4.19.23
18 Spiritus domini super me,propterea quòd vnxit me: vt euangelizem pauperibus misit me,vt sanem contritos corde 2.15.2,& 3.3.20,& 3.4.3
5.14 Iesus tetigit leprosum:& statim lepra abiit ab eo.Ipse vero præcepit ei vt nulli hoc diceret: sed vade, inquit, ostende teipsum Sacerdoti, & offer pro purgatione tui prout præcepit Moses,vt hoc sit eis testimonio 3.4.4
34 Num potestis facere vt filii thalami, quo tempore cum ipsis est sponsus,ieiunent? 4.12.17
6.13 Et quum dies ortus esset, aduocauit discipulos suos: & quum ex ipsis elegisset duodecim, quos & Apostolos nominauit,&c. 4.3.5
23 Gaudete illo die & salite. ecce enim, merces vestra multa est in cælis 3.18.1
24 Sed væ vobis diuitibus: nam reportatis consolationem vestram 8.19.9
36 Estote ergo misericordes, prout & pater vester misericors est 3.7.6
7.29 Et iis auditis totus populus,& publicani iustificarunt Deum qui baptizati fuerant Baptismo Ioannis 3.11.3
35 Sed iustificata est sapientia à filiis suis omnibus Ibidem
36 Rogauit autem eum quidam ex Pharisæis vt cum ipso vesceretur: itaque ingressus domum pharisæi discubuit 3 4.37
47 Cuius rei gratia, dico tibi remissa esse peccata eius multa: nam dilexit multum: cui autem paululùm remittitur, paululùm diligit 3.4.31
8.2 Et quædam mulieres quas sanauerat à spiritibus malis & morbis, Maria quæ vocabatur Magdalene,ex qua septem dæmonia ei exierant 1.14.14
7 Et aliud cecidit inter spinas,& simul enatæ spinæ suffocarunt illud 3.2.10
13 Qui verò super petram, ii sunt qui cùm audierint, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radices non habẽt, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt Ibidem
15 Quod autem in bonam terram cecidit, ii sunt qui in corde honesto & bono auditum sermonem retinent & fructum afferunt per patientiam 4.14.11
9.23 Siquis vult me sequi, abneget seipsum, & tollat crucem suam quotidie,& sequatur me 3.15.8
26 Quem enim puduerit mei, & meorum sermonum, eius pudebit Filium hominis quando venerit cum gloria sua,& Patris,sanctorúmque Angelorum 1.14.9
41 Respondens autem Iesus ait, O natio incredula & peruersa, quousque tãdem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc 3.4.36
55 Sed conuersus Iesus obiurgauit eos, dicens, Nescitis cuius spiritus vos sitis 3.20.15
10.1 Post hæc autem designauit etiam Dominus alios septuaginta, misitque eos binos ante faciem suam,&c. 4.3.4
6 Quòd si fuerit illic quispiam filius pacis,requiescet super eum pax vestra sin munus,ad vos reuertetur 3.23.14
16 Qui vos audit, me audit: & qui vos reiicit,me reiicit 4.3.3,& 4.8.4
18 Spectabam Satanam vt fulgur è cœlo cadentem 1.14.18
20 Sed de eo ne gaudete quòd spiritus vobis subiiciantur, gaudete verò potius quòd nomina vestra scripta sunt in cælis 3.24.9
21 Eo ipso momento exultauit Iesus Spiritus, & dixit,Cõfiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd hec absconderis à sapientibus & intelligentibus,& detexeris ea infantibus:etiam Pater,quia ita placuit tibi 3.2.34
22 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,& nemo nouit quis sit Filius,nisi Pater, & quis sit pater, nisi filius, & cuicunque voluerit Filius detegere 3.2.1,& 4.18.29
23 Beati oculi qui vident quæ vos videtis 2.9.1
24 Dico enim vobis multos Prophetas & Reges cupiuisse videre quæ videtis, nec vidisse,&c. 3.9.1,& 2.11.6
25 Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 4.13.13
27 Ille verò respondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum vt teipsum 2.8.11
30 Quidam descendebat ab Hierusalem in Ierico, & incidit in latrones, &c. 2.5.19
36 Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? 2.8.55
11.2 Dixit autem eis, Quum precamini, dicite Pater noster qui es in cælis, &c 3.20.6,& 3.20.34
3 Panem nostrum quotidianũ da nobis in diem 2.5.14
21 Quum validus quispiam armatus custodit aulam suam,in pace sunt ea quæ habet 1.14.13,& 1.14.19
22 Postquam verò quispiam validior inuadens vicerit eum, totam armaturam eius aufert qua cõfidebat, & spolia eius distribuit 1.14.18
39 Dixit autem Dominus ei, Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæque partem purgatis, sed quod intra vos est plenum est rapina & scelere 3.4.36
12.5 Timete eum qui postquam trucidarit,præditus est authoritate iniicẽdi in gehennam 1.15.2
10 Quisquis dicet quippiam in Filium hominis, ei remittetur: ei verò qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur 1.13.15,& 3.3.21,& 3.3 22,& 3.5.7
14 Heus tu,quis me vobis Iudicem, aut partitorem præfecit? 4.11.9,& 4.11.11
14.21 Abi citò in plateas & vicos vrbis, & pauperes ac mancos claudósque & cæcos huc introducito 4.16.31
15.7 Dico vobis ita fore gaudium in cælo super vno peccatore resipiscente, maius quàm super nonagintanouem iustis quibus non opus est resipiscentia 1.14.7
20 Quum autem longè adhuc abesset, vidit eum pater ipsius,ac misericordia motus est,& accurrens incidit in collum eius,& deosculatus est eum 3.20.37
6,2 Vocauit eum igitur,& dixit ei, Quid hoc audio de te?redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris amplius esse dispensator 3.10.5
9 Et ego vobis dico:facite vobis amicos ex mammona iniusto,vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula 3.15.6
5 Vos estis qui iustificatis vos ipsos in hominum conspectu, Deus autem nouit corda vestra 3.11.3,& 3.12.2
16 Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: ab eo tempore regnum Dei annunciatur,& quiuis in illud vi irrumpit 2.7.16
22 Factum est autem vt moreretur mendicus,& asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ 1.14.7,& 1.15.2, & 3.25.6
17.3 Si peccauerit in te frater tuus, obiurga eum: & si resipuerit, remitte ei 3.7.6
5 Tunc dixerunt Apostoli Domino, Adde nobis fidem 4.14.7
7 Quis autem vestrûm habet seruum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro,&c. 3.14.15
10 Ita & vos, quũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis,dicite, Serui inutiles sumus,nam quod debuimus facere,fecimus 3.14.14,& 3.15.3
14 Quum autem eos vidisset, dixit eis, Profecti ostendite vos sacerdotibus. Et factum est vt inter eundum purgati sint 3.4.4
20 Interrogatus autem à Pharisæis, quando venturum esset regnum Dei, respondit eis,& dixit, Non veniet regnũ Dei ita vt obseruari possit 2.15.4
18.1 Dixit autem eis etiam parabolam huc spectantem,quòd oporteret semper ipsos

per ipsos precari, nec segnescere 3. 20.7.
13 Publicanus autem procul stans, nolebat vel oculos in cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori 3. 4.18, & 3.12.7
14 Dico vobis, descendit Publicanus iustificatus domum suam potius quàm Pharisæus: quia quicunque se extollit deprimetur: & qui se deprimit, extolletur 3.4.35, & 3.11.3
42 Et Iesus dixit ei, Recipito visum: fides tua te seruauit 4.19.12
19.17 Dominus autem ait, Bene habet serue bone: quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatē super decem vrbes 3.3.11
26 Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet, adimetur Ibidem
20.27 Tunc nonnulli Sadducæorū (qui negant esse resurrectionem) accesserunt 3.10.23, & 3.26.5
37 Mortuos autem excitari, & iā Moses indicauit apud rubum, quum dicit Dominum Deum Abrahā, & Deum Isaac, & Deum Iacob 2.10.9
38 Nam Deus non est mortuorum, sed viuorum 4.16.3
21.15 Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere omnes qui se vobis opponent 4.3.12
28 Quum autem hæc fieri incipient, erigite & attollite capita vestra, quoniā appropinquat redemptio vestra 3.9.5
22.17 Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipsis 4.17.20, & 4.17.43, & 4.18.8
19 Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem 4.3.6, & 4.15.20, & 4.16.30, & 4.17.1, & 4.17.20, & 4.17.37
20 Itidem etiam dedit eis poculum, postquam cœnasset, dicens, Hoc poculum est Nouum illud testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur 2.11.4, & 2.17.3, & 4.17.6, & 4.17.20
25 Reges gentium dominantur eis: & qui habent potestatem in eas, benefici vocantur 4.11.8, & 4.11.9, & 4.20.7
26 Vos autem non ita: sed qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est: & qui princeps est, sicut qui ministrat 4.11.8
32 Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua 3.24.6, & 4.7.27, & 4.7.28
43 Visus est autem ei Angelus è cœlo corroborans eum 1.14.6, & 2.16.12
44 Erat autem sudor eius quasi grumi sanguinis descendentes in terram 2.16.12, & 3.8.9
61 Tunc conuersus Dominus intuitus est Petrum: & recordatus est Petrus sermonis Domini, quomodo (nimirum) dixerat ipsi, Priusquā gallus vocem emiserit, ter me abnegabis 3.4.35
62 Et egressus foras Petrus, fleuit amarè 3.3.4
23.42 Dixitque Iesu, Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum 3.24.11, & 4.16.31
43 Tunc dixit ei Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso 3.25.6
46 Quúmque clamasset voce magna Iesus, ait, Pater, in manus tuas depono spiritum meum 1.15.2, & 3.25.6
24.5 Dixerunt eis, Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? 1.14.6
6 Non est hic, sed surrexit: memento te vt loquutus sit vobis, quum adhuc in Galilæa esset 3.25.3
11 Sed visa sunt apud eos quasi deliramētum verba earū, neque crediderunt eis 3.2.4
12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & quum introspexisset, videt sitea sola illic iacētia: abiitque, apud semetipsum mirans hoc factum Ibidem
16 Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent 4.17.29
26 Nonne hæc oportuit pati Christū, & introire in gloriam suam? 2.17.6, & 3.18.7, & 4.17.32
27 Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso scripta erant 1.9.3, & 3.2.34
31 Sed ipse ablatus est ex eorum conspectu 4.17.29
39 Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum: contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere 2.14.2, & 3.25.3, & 4.17.29
44 Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me 3.5.8
45 Tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas 3.2.34
46 Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die 2.12.4, & 3.3.19
47 Et prædicari in eius nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes Gentes incipiendo ab Hierusalem 2.12.4, & 3.3.1, & 3.3.19
49 Vos autem manete in vrbe Hierusalem, vsquequo induamini virtute ex alto 4.3.12
51 Et factū est, dum ipse benediceret eis, disiunctus ab eis, sursum ferebatur in cœlum 4.17.27

SECVNDVM IOhannem.

1.1 In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, erātque ille Sermo, Deus 1.13.6, & 1.13.11, & 1.13.22
3 Omnia per hūc Sermonem facta sunt 1.13.7, & 1.13.17
4 In ipso vita erat, & vita erat Lux illa hominum 1.13.13, & 1.15.4, & 2.2.19, & 2.6.1, & 4.17.8
5 Et Lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt 2.2.12
9 Hic erat Lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum 2.12.4
10 In mundo erat, & mundus per eum factus est: sed mundus eum non agnouit Ibidem
12 Quotquot eum acceperunt, dedit eis hanc dignitatē, vt filii Dei fierent, nēpe iis qui credunt in nomen eius 2.6.1 & 3.1.4, & 3.20.36, & 3.22.10
13 Qui non ex sanguine neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt 2.2.19, & 2.13.2, & 3.14
14 Et Sermo ille caro factus est: & cōmoratus est inter nos (& spectauimus gloriam eius, gloriam, inquam, vt vnigeniti egressi à Patre) plenus gratiæ ac veritatis 1.13.11, & 2.12.4, & 2.14.1 & 2.14.8
16 Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia 2.13.1, & 2.15.5, & 3.11.9, & 3.20.1
17 Nam Lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum extitit, 2.7.16
18 Deum nemo vidit vnquā: vnigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit 1.13.17, & 2.2.20, & 2.9.1, & 4.17.30
23 Ego sum vox clamantis in deserto, Cōplanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta 2.9.5
29 Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi 2.14.3, & 2.16.5, & 2.17.4 & 3.4.26, & 4.15.7
32 Testatus est Iohannes, dicens, Cōspexi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, qui etiam mansit super eum 2.15.5, & 4.19.20
33 Et ego non nouerā eum: sed qui misit me, vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritū descendentem, ac manentē super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto 2.15.5
36 Ecce agnus ille Dei 2.9.5
41 Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant illa ex Iohanne, & secuti fuerant eum 4.6.5
43 Et adduxit eum ad Iesum Ibidem
52 Deinceps videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendētes, ac descendentes super Filium hominis 1.14.12 & 2.9.2
2.2 Vocatus est autem etiam Iesus, ac discipuli eius ad nuptias 4.13.3
9 Vt autem gustauit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum Ibidem
15 Factóque flagello è funiculis, omnes eiecit è templo, & oues & boues: & argentariorum numulos effudit, mensasque subuertit 4.19.23
19 Respōdit Iesus, & dixit eis, Destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud 2.14.4, & 3.25.7
21 At ille loquebatur de templo corporis sui Ibidem
23 Quum autem esset Hierosolymis in Pascha, die festo, multi crediderunt in nomen eius, conspicientes signa quæ edebat 4.2.5
24 Ipse autē Iesus non credebat eis semetipsū, eò quòd nosset omnes 3.2.12
3.3 Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei Ibidem
5 Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnū Dei 4.16.25
6 Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est 2.1.6, & 2.3.1
13 Nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, nempe Filius hominis, qui est in cœlo 2.14.2, & 4.17.30
14 Prout Moses extulit serpentē in de-

ſerto, ita extolli oportet filiũ hominis 2.12.4, & 4.18,20
16 Ita Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam 2.12.4
23 Baptizabat autem etiam Iohannes in Aenon prope Salim, &c. 2.16.4, & 2.17.2, & 3.14.17, & 3.24.5, & 3.24.7, & 4.15.6
27 Homo non poteſt recipere quicquã, niſi fuerit ei datum è cœlo 2.2.20
33 Qui recipit eius teſtimonium, is obſignauit quòd Deus verax ſit 3.2.8
34 Nam is quem miſit Deus, verba Dei loquitur, non enim huic admetitur Deus Spiritum 2.13.1, & 2.15.5
36 Qui credit in Filium, habet vitã æternam: qui verò non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum 4.16.31
4.1 Vt ergo cognouit Dominus Phariſæos audiſſe ipſum plures diſcipulos facere & baptizare q̃ Ioannem 4.15.6
14 Quiſquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum: ſed aqua illa quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam 3.1.3
22 Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt 1.5.12, & 1.6.4, & 2.6.1
23 Sed venit hora, & nunc eſt, quũ veri adoratores adorabũt Patrem Spiritu ac veritate 3.20.30, & 4.10.14
24 Deus eſt Spiritus 1.13.24
25 Scio Meſsiam venturum, qui dicitur Chriſtus: quum venerit ille, nobis annunciabit omnia 2.15.1, & 4.8.7
35 Ecce dico vobis, attollite oculos veſtros, & ſpectate regiones: nam albæ iam ſunt ad meſſem 4.16.31
42 Et mulieri dicebant, Non amplius propter tuos ſermones credimus: ipſi enim audiuimus, & ſcimus hunc eſſe verè Seruatorem illum mundi, Chriſtum 2.2.5
53 Agnouit ergo pater id factũ eſſe illa ipſa hora qua dixerat ei Ieſus, Filius tuus viuit: & credidit ipſe ac domus eius tota Ibidem.
5.8 Dixit ei Ieſus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula 4.19.29
17 Pater meus vſque adhuc operatur, & ego operor 1.13.7, & 1.13.12, & 1.16.4, & 2.14.2
18 Propterea ergo magis ſtudebant eum Iudæi trucidare, quia non ſolùm ſoluiſſet Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dixiſſet Deum, parem ſe faciens Deo 1.13.12
21 Sicut enim Pater excitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat 2.14.3
22 Neque enim Pater iudicat quẽquam, ſed omne iudicium dedit Filio 1.14.4, & 2.16.18
23 Vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem. Qui non honorat Filium, nõ honorat Patrem qui miſit eum 2.6.2, & 2.14.3
24 Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: ſed tranſiuit à morte in vitam 2.9.3, & 3.15.6, & 3.24.5, & 3.25.1, & 4.16.26
25 Veniet tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint viuent 2.5.19, & 2.12.4, & 3.14,5
26 Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo 4.17.9
28 Ne hoc miramini: nam veniet hora qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius 3.25.4. & 3.25.7
29 Et prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis 3.18.1
32 Alius eſt qui teſtatur de me 1.13.17
35 Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad tempus exultare in eius luce 2.9.5
36 Opera q̃ dedit mihi Pater vt ea perficerẽ, ipſa inquam opera quæ ego facio, teſtantur de me quòd Pater miſerit me 1.13.13
44 Quomòdo vos poteſtis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur non quæratis? 3.11.9
46 Si crederetis Moſi, crederetis mihi: de me enim ille ſcripſit 2.9.1
6.27 Operemini non cibo qui perit, ſed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis 3.8.1, & 4.14.25
29 Hoc illud eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille 3.10.10
35 Ego ſum panis ille vitæ: qui venit ad me nequaquam eſuriet: & qui credit in me non ſitiet vnquam 3.24.5, & 4.17.4
37 Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eũ qui venit ad me non eiiciam foras 3.22.7, & 3.24.6
38 Quia deſcendi è cœlo vt faciam non voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me 2.14.2
39 Hæc eſt autẽ volũtas Patris qui miſit me, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in vltimo illo die 3.22.7, & 3.22.10, & 3.24.6, & 3.24.7, & 3.25.8
40 Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt Filiũ, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c. 3.22.10, & 3.24.6
44 Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum: ego verò ſuſcitabo eũ vltimo illo die 2.2.20, & 2.5.5, & 3.24.1, & 3.2.35, & 3.22.7
45 Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audiuit à Patre & didicit, venit ad me 1.3.10, & 2.2.20, & 2.3.7, & 2.5.5, & 3.2.34, & 4.24.1, & 3.24.14
46 Non quòd Patrem viderit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo: hic vidit Patrem 3.2.34, & 3.22.10, & 3.24.1
47 Qui credit in me, habet vitam æternam 1.13.13
48 Ego ſum panis ille vitæ 3.11.9, & 4.18.4, & 4.17.4
49 Patres veſtri comederunt manna in deſerto & mortui ſunt 2.10.6
50 Hic eſt panis ille qui è cœlo deſcendit, vt qui eo veſcitur non moriatur 10.6, & 4.17.34
51 Ego ſum panis viuificus qui è cœlo deſcendi: ſiquis ederit ex hoc pane, viuet in æternũ: & panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita 3.11.8. & 4.11.7. & 4.17.5, & 4.17.8, & 4.17.14
53 Dixit ergo eis Ieſus, Amen amen, dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis 3.11.9, & 4.17.6
54 Qui edit carnem meã, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in vltimo illo die 3.11.9, & 4.17.34
55 Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus 2.17.5, & 4.17.8
56 Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo 4.17.33
57 Sicut miſit me viuens ille Pater, & ego viuo per Patrem: ita etiam qui ederit me, viuet ipſe quoque per me 2.17.5
65 Propterea dixi vobis, neminẽ poſſe venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo 3.23.13
70 Nõne ego vos duodecĩ elegi, & vnus ex vobis eſt diabolus? 3.22.7, & 3.24.9
7.16 Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me 2.8.26, & 4.8.4
37 Vltimo autem die illo magno feſtiſtetit Ieſus, & clamauit, dicens, Siquis ſitit, veniat ad me, & bibat 2.16.4, & 3.1.2, & 3.1.3, & 4.19.6
39 Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus 4.17.22
8.12 Ieſus loquutus eſt, dicens, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ 2.14.3, & 3.2.1, & 3.11.12, & 4.19.23
16 Solus nõ ſum, ſed ego & qui miſit me Pater 1.13.17
26 Qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor mundo 2.8.26.
30 Hæc illo loquẽte, multi crediderunt in eum 3.2.5
31 Dicebat ergo Ieſus iis Iudæis qui crediderant ipſi, Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis 3.2.12
34 Amen amen dico vobis, quiſquis cõmittit peccata, ſeruus eſt peccati 2.2.27.
44 Vos ex patre diabolo eſtis 1.4.15 Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit: non eſt enim veritas in eo. Quotieſcũque loquitur mẽdacium, de ſuo loquitur, quia mendax eſt, & mendacii pater 1.14.16, & 1.14.18. & 14.19
47 Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis 4.2.4
50 Ego verò non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet 2.14.2
56 Abraham pater veſter geſtiuit vt videret diem iſtum meum: & vidit, ac gauiſus eſt 2.9.1, & 2.10.4
58 Dixit eis Ieſus, Amen amen dico vobis, priuſquã Abraham fieret, ego ſum 2.14.2
93. Neque iſte peccauit, neque parentes eius: ſed oportet opera Dei manifeſta fieri in eo 1.17.1
5 Quandiu fuero in mundo, Lux ſum mundi 2.14.3
6 Hoc quum dixiſſet, ſpuit humi, & fecit lutum ex ſputo, & illeuit lutum oculis cæci 4.19.18
7 Dixítque Ieſus, Vade, laua in piſcina Siloam, (quod eſt, ſi interpreteris, miſſus) abiit ergo & lauit, rediitque videns 4.19.19
24 Et dixerunt ei, Tribue gloriam Deo 2.8.24
31 Scimus aũt Deũ peccatores nõ audire: ſed ſiquis Dei cultor eſt, & volũtatem eius

eius exequitur, hunc audit 3.20.7,& 3.20.10

10.3 Huic aperit ianitor, & oues vocem eius audiunt: & suas oues vocat nominatim,& educit eas 3.24.6

4 Quúmque oues suas emiserit, antegreditur eas, & oues eum sequuntur, quia norunt vocem eius 3.22.10,& 4.2.4

5 Alium autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum 3.22.10

7 Iesus ergo rursum dixit eis, Amen,amen dico vobis, ego sum ostiũ ouium 4.19.23

9 Ego sum ostium, per me quisquis introierit seruabitur, & ingredietur, & egredietur,& pascua inueniet 2.14.3

11 Ego sum Pastor ille bonus: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus 4.19.34

14 Ego sum Pastor ille bonus, & agnosco oues meas,&c. 4.2.4

15 Prout nouit me Pater, ita & ego noui Patrem,& animam meam pono pro ouibus 2.26.5

16 Alias autẽ oues habeo quæ non sunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere,&c. 3.24.6

17 Propterea Pater me diligit, quia pono animam meam vt eam rursus assumam 2.12.4

18 Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatẽ habeo rursus eam assumendi. Hoc mandatum accepi à Patre meo 2.12.4,& 2.16.5

26 Sed vos non creditis: non enim estis ex ouibus meis 3.22.10

27 Oues meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco,&c. 3.24.6

28 Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manu mea 3.15.5,& 3.21.1,& 3.22.7,& 3.24.6

29 Pater meus qui eas dedit mihi, maior omnib. est: neque quisquã potest rapere è manibus Patris mei 3.22.10

30 Ego & Pater vnum sumus 2.92.8

34 Nonne scriptum est in Lege vestra, Ego dixi, Dii estis? 4.16.31

35 Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est,& nõ potest solui Scriptura 4.20.4

37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi 1.13.13

11.25 Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etiam, si mortuus fuerit, viuet 1.13.13,& 2.12.4,& 3.25.9,& 4.17.16

41 Pater, gratias ago tibi quòd me audieris 1.13.13

43 Et cùm hæc dixisset clamauit voce magna, Lazare, adesdum foras 4.19.29

44 Tum qui fuerat mortuus, prodiit manus & pedes vinctus fasciis: facies autem eius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus, Soluite eum, & sinite abire 3.4.5

47 Coegerunt ergo pontifices & Pharisæi concilium,& dicebant, Quid faciemus? 4.9.7

12.27 Pater, conserua me ab hac hora, sed propterea veni in horam hanc 2.16.12,& 2.12.4

28 Pater glorifica nomen tuum 2.12.4

31 Nunc damnatio adest mũdi huius: nũc princeps mundi huius eiicietur foras 1.14.13

32 Et ego si sublatꝰ fuero è terra, omnes traham ad me ipsum 2.25.6

39 Propterea non poterát credere, quia iterum dixit Esaias 3.24.13

41 Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam eius,& loquutus est de eo 1.13,11,& 1.13.23

43 Dilexerunt enim gloriã hominũ potius quàm gloriam Dei 3.11.9

49 Ego ex me ipso non sum loquutus 4.8.13

13.4 Surgit à cœna,& deponit palliũ,& accepto linteo præcinxit se 4.19.23

15 Exemplũ enim præbui vobis, vt prout ego feci vobis ita & vos faciatis 3.16.2.

18 Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim 3.22.7,& 3.24.9

34 Mandatum nouum do vobis, vt alii alios diligatis, sicut inquã dilexi vos, vt etiam diligatis alii alios 3.16.2

14.1 Creditis in Deum, credite etiam in me 1.13.13,& 2.6.4

5 Dixit ei Thomas, Domine nescimus quò abeas, quomodo igitur possumus viam scire? 4.17.23

6 Ego sum via & veritas,& vita 1.13.17.& 2.6.1,& 3.20.21,& 4.16.17

8 Dicit ei Philippus, Domine ostẽde nobis Patrem,& sufficit nobis 14.1.23

10 Non credis me in Patre,& Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: sed pater qui in me manet, ipse facit opera 2.14.2,& 4.8.13

11 Credite mihi, me in Patre,& Patrem in me esse: sin minus, propter ipsa facta credite mihi 1.13.13

13 Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio 3.20.17

16 Ego autem rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, &c. 1.13.17,& 4.8.11

17 Nempe Spiritũ illum veritatis, quem mũdus non potest recipere, quia non videt eum nec nouit eum, vos autẽ cognoscitis eũ, quia apud vos manet, & in vobis erit 3.1.4,& 3.2.39

26 Consolator autem ille, ideſt Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia,& suggeret vobis omnia quæ dixi vobis 2.2.21,& 3.1.4,& 4.8.8,& 4.8.13

28 Pater maior me est 1.13.26

30 Non loquar amplius multa vobiscũ: venit enim princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam 1.14.18

15.1 Ego sum vitis illa vera,& Pater meꝰ agricola est. Omnẽ palmitẽ in me non ferentem fructũ, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, vt plus fructus ferat 2.3.9,& 2.14.3,& 4.19.34

3 Iam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis 3.6.3

5 Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me & ĩ quo ego maneo, hic fert multum fructum: nam absque me, &c. 2.2.8,& 2.3.9,& 2.5.4,& 4.19.34

10 Si mandata mea seruauerits, manebitis in charitate mea: sicut & ego Patris mei mandata seruaui, & maneo in eius charitate 3.16.2

16 Ego elegi vos & constitui vt abeuntes fructum adferatis,& fructus vester maneat 3.22.3,& 3.22.8,& 4.1.6

19 Si ex mundo fuissetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mũdo, propterea odit vos mundus 3.22.7

26 Spiritus ille veritatis qui à Patre emanat 1.13.17

16.2 Mouebunt vos synagogis 4.2.6

7 Expedit vobis vt ego abeam 1.13.26,& 2.16.14,& 3.25.3,& 4.17.26

11 De iudicio autẽ, eo quòd princeps huius mundi condemnatus sit 1.14.13

12 Adhuc habeo multa quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare 3.20.1.& 4.8.14

13 Quum autem venerit ille, ideſt Spiritus veritatis deducet vos in omnẽ veritatem, non enim loquetur à semetipso: sed quæcũque audierit loquetur 1.9.1,& 3.2.34,& 4.8.8,& 4.8.13

20 Amen amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos verò tristes eritis, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium 3.8.9

24 Vsque adhuc non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum 3.20.17

26 Illo die in nomine meo petetis 3.20.18

28 Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & proficiscor ad Patrem 4.17.26

17.3 Hæc est autem vita æterna vt te solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum 1.13.26,& 2.6.1,& 3.2.3

5 Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria quam habui apud te prius quàm hic mũdus existeret 1.13.8,& 1.13.22,& 2.14.2

6 Patefeci nomen tuũ hominibus quos dedisti mihi selectos è mundo, Tui erãt,& mihi eos dedisti 3.24.1,& 3.24.6

9 Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi qui tui sunt 3.22.7

12 Quum essem cum eis in mundo ego seruabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis, vt Scriptura impleretur 3.22.7,& 3.24.6,& 7,& 9.

15 Non rogo vt tollas eos è mundo, sed serues eos à malo 2.5.11

19 Et pro iis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem 2.13.1, & 4,& 2.15.6, & 2.17.6, & 3.11.12

21 Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me,& ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint: vt credat mundus me à te missum esse 3.1.24

18.4 Iesus itaque sciẽs omnia quæ vẽtura erant in se, prodiẽs dixit eis, Quem quæritis? 2.16.5

36 Respondit Iesus, Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certarent ne traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc 2.15.3

37 Quisquis est ex veritate, audit vocem meam 4.2.4

38 Dicit ei Pilatus, Quid est veritas? & quum hoc dixisset venit rursum ad Iudæos,& dicit eis, Ego nullum inuenio crimen in eo 2.16.5

19.30 Quum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatũ est,&c. 4.18.3,& 13.

34 Sed quidam ex militibus lancea latus eius fodit, & statim exiuit sanguis & aqua 4.34.22

36 Non confringetur vllum os ipsius 1.16.9

20.8 Tunc ergo introiuit etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit 3.2.4

17 Ne me tangito: nondum enim ascẽdi

ad Patrem meum 2 12.2,& 4.17.29
19 Quũ ergo vespera esset die illo primo hebdomadis, & fores essẽt clausæ illic vbi erant discipuli coacti propter metum Iudæorum, venit Iesus, stetitque in medio 4.17.29
22 Et quum hæc dixisset afflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctũ 4.19.7,& 20.
23. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorũ retinueritis retẽta sunt 3.4.12,& 4.1.22,& 4 2.10,& 4 6.3,& 4.6.4,& 4.8.4,& 4.11.1,& 4.12.4
28 Dominꝰ meus & Deus meus 1.13.11
31 Hæc autẽ scripta sunt vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei,& credentes vitam habeatis, &c. 3.2.6
21.15 Simon fili Ionæ, diligis me plus q̃ hi? dicit ei, Etiam Domine. Tu nosti quòd amen te. dicit ei, Pasce agnos meos 4.6.3,& 4.11.1,& 4.19.28
18 Quum esses iunior cingebas te,& ibas quò volebas, quum autem senueris,&c. 3,8.9

ACTA SANCTORVM Apostolorum.

1.3 QVibus etiã seipsum postquam ipse passus fuit repræsentarat viuum multis indubitatis signis, per dies quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnũ Dei spectãt 2.16.14,& 3.25.3,& 4.17.17
5 Ioannes quidem aqua baptizauit, vos autẽ baptizabimini Spiritu sancto istis non multis pòst diebus 4.15.18
8 Sed recipietis virtutem Spiritus sancti, postquam superuenerit in vos, eritisque mihi testes & in Ierusalem, & in tota Iudæa, Samariáque & vsque ad vltimas terras 4.3.12,& 4.19.28
9 Et quum hæc dixisset aspicientibus ipsis eleuatus est: & nubes susceptũ eum abstulit ab oculis eorum 2.16.14,& 3.25.3,& 4.17.27
10 Ecce viri duo astiterunt illis albo vestitu 1.14.6
11 Hic Iesus qui sursum à vobis receptus est in cœlum, ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum 1.14.6,& 2.16.17,& 4.17.24,& 27
15 Et per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorũ, dixit, (erat autem turba capitum cõdem loci) quasi centum viginti 4.3.15
23 Statuerunt igitur duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus,& Matthiam 4 3.13,& 4.3.14
26 Iecerunt igitur sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam, qui cõmunibus calculis allectus est cum vndecim Apostolis 4.3.15
2.3 Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super vnumquemque eorum 4.15.8
4 Repleti sunt autem omnes Spiritu sancto, cœperúntque loqui aliis linguis 4.19.8
11 Quicunque inuocauerit nomen Domini, seruabitur 1.13.20
23 Hunc inquã definito consilio & prouidentia Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis 1.18.1,& 3.22.6
24 Quem Deus excitauit, solutis doloribus mortis, eo quòd impossibile erat ipsum ab ea retineri 2.16.11,& 2.16.12
33 Itaque dextera Dei euectus, & promissum sanctum Spiritũ adeptus a Patre, effudit hoc quod vos nũc spectatis & auditis 2.16.15
37 Quid faciemus, viri fratres? 3.3.4,& 4.16.22
38 Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrũm in nomine Iesu Christi, in remissionẽ peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti 4.15.6
39 Vobis facta est promissio & liberis vestris, & omnibus qui lõgè sunt, quoscunque videlicet aduocauerit Dominus Deus noster 4.16.16
41 Qui ergo libenter exceperũt sermonem eius, baptizati sunt, & addita sunt Ecclesię die illo capita quasi ter mille 4.15.6, & 4.17.6
42 Erántque perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione, & fractione panis, & precibus 4.17.5,& 4.17.35,& 4.17.44
6 Petrus autem dixit, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula 1.13.13,& 4.19.18
15 Principẽ autẽ vitæ trucidastis, quam Deus excitauit à mortuis: cuius rei nos testes sumus 2.17.1
18 Deus autem omnia quæ pronunciauerat per os omnium Prophetarum suorum, Christum passurum 1.18.1
19 Resipiscite igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra 3.3.20
21 Quem oportet quidẽ cœlo capi, vsque ad tẽpora restitutionis omnium, quæ tempora prædixit Deus per os omnium sanctorũ à seculo Prophetarum 2.16.15,& 4.17.29
25 Vos estis filii Prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres nostros,&c. 2.10.23,& 4.16.15
26 Vobis primùm Deus excitatum filiũ suum Iesum misit qui benediceret vobis, vnumquemque auertendo ab ipsis sceleribus 3 3.20
12 Nec est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari 2.16.1,& 2.16.14
28 Vt facerent quæcunque manus tua & cõsilium tuum prius definierat facienda 1.18 1,& 18.4
32 Multitudinis autem qui crediderant erat cor vnum & anima vna 4.1.3
5.4 Tu non es mentitus hominibus sed Deo 1.13.15
16 Conueniebat autem etiam vulgus vicinarum vrbium in Ierusalem, adducens ægrotos ac vexatos à spiritibus impuris: qui sanabãtur omnes 4.19.18
29 Obedire oportet Deo potius quam hominibus 3 3.19
31 Hunc inquam Deus dextera sua euectum constituit principem ac seruatorem, vt det resipiscentiam Israeli & remissionem peccatorum 3.3.19
41 Ipsi ergo gaudentes profecti sunt à conspectu consilii, quòd digni habiti essent qui nomine Iesu cõtumelia afficerentur 3.8.7
6.1 Cæterum per eos dies quum multiplicarentur discipuli, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, quòd ipsorum viduæ despicerẽtur in ministerio quotidiano 3.2.6
2 Itaque duodecim illi aduocata multitudine discipulorum, dixerunt, Non est æquũ nos derelicto sermone Dei, ministrare mẽsis 3.2.6,& 4.3.15,& 4.11.9
3 Dispicite ergo fratres 7. viros ex vobis idoneo testimonio ornatos,&c. 4.3.9
6 Qui cum precati essent, imposuerunt eis manus 4.3.15
7 Itaque sermo Dei crescebat, & valdè multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem 3.2.6
10 Sed non potuerunt resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur Stephanus 3.3.22
7.5 Nec dedit ei possessionem in ea, nec vestigium quidem pedis 2.10.13
28 Num tu me vis interimere, quemadmodum interemisti heri Aegyptium? 4 20.10
44 Tabernaculũ testimonii fuit patribꝰ nostris in deserto, prout præceperat is qui dixerat Mosi vt faceret illud secundum exemplar quod viderat 2.7.1
48 Excelsissimus ille non habitat in tẽplis manu factis 3.20.30,& 4.1.5
53 Qui accepistis Legem per dispositionem Angelorum, nec seruastis 1.14.9
55 Quum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cœlum oculis vidit gloriam Dei, & Iesum adstantem ad dextram Dei 4.17.17,& 4.17.19
56 Et ait, Ecce, cõspicio cœlos apertos, & Filium hominis adstantẽ ad dextrã Dei 2.16.15,& 4.17.29
59 Lapidarunt igitur Stephanum, inuocantem & dicentem, Domine Iesu, suscipe,&c. 1.13.13, & 1.15.2,& 3.25.6
8.13 Simon verò & ipse credidit, & baptizatus perdurabat apud Philippum, & conspiciens signa,&c. 3.2.10
14 Miserunt ad eos Petrũ ac Ioannem 4.6.7,& 4.15.8
15 Qui quũ descendissent, precati sunt pro eis, vt acciperent Spiritum sanctum 4.19.6
16 Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantùm fuerãt in nomine Iesu 4.5.6,& 4.19.8
17 Deinde imposuerunt eis manus, & receperunt illi Spiritum sanctum 4.15 8, & 4 16.31
18 Quum autem conspexisset Simon per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecunias 3.2 10
22 Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui 4.1.26
27 Is igitur surgens profectus est, & ecce quidam Aethiops Eunuchus, dynastes Candaces reginæ Aethiopum, qui præerat vniuersis illius opibus, venerátque adoraturus in Ierusalem 3.2.32.
31 At ait ille, Qui enim possim eum audire, nisi quis mihi prærierit? 3.2.32
37 Dixit verò Philippus, Si credis ex toto corde, licet 4.14 8
38 Ambo in aquam descenderunt Philippus simul & Eunuchus, & ille baptizauit eum 4.16.22, & 4.16.31
9.1 Saulus adhuc minas spirãs ac cædem aduersus discipulos Domini 3.2.6
3 Quum autem iter facerent, factum est vt appropinquaret Damasco, & repentè circunfulsit eum lux è cœlo 4.17.17
4 Et quum cecidisset in terram, audiuit vocem dicentem sibi, Saul, Saul, quid me persequeris? 3.25.3.& 4.17.19
6 Surge & ingredere vrbem, & dicetur tibi quid te oportet facere 4.3.3
10 Erat autem quidem discipulus Damasci, nomine Ananias, ad quem dixit per visum Dominꝰ, Anania. & ille ait, Ecce ego adsum Domine 3 2.6
13 Domine

3 Domine audiui ex multis de viro isto quot malis affecerit sanctos tuos in Ierusalem 1.13.13
14 Quinetiam hoc loco habet potestatē, à principibus Sacerdotum vincien di omnes qui inuocant nomē tuū Ibid.
15 Instrumentū electū est mihi iste 4.3.5
17 Abiit igitur Ananias,& introiuit domū illam,& impositis manibus,dixit, Saul frater, Dominus misit me(Iesus inquā qui apparuit tibi in via qua veniebas)vt visum recipias 4.19.10
19 Fuit autē Saulus cum discipulis qui erant Damasci,per dies aliquot 3.2.6
25 Acceptum igitur eum discipuli nocte,per murum demiserunt,fune summissum in sporta Ibidem
35 Ioppæ autem fuit quædam discipula nomine Tabitha,quæ,si interpreteris, dicitur Caprea. Hæc erat dines operum bonorum& eleemosynarum quas præstabat Ibidem
38 Quum autē Lydda esset prope Ioppem, discipuli,audito Petrū illic esse, duos viros miserunt ad eum Ibidem
40 Electis verò omnib.foras,Petrus positis genibus precatus est 4.19.2
10.2 Pius ac timens Deū, cū tota domo sua, & præstans eleemosynas multas populo 4.19.2,& 3.24.10
3 Qui quum assiduè precaretur Deum, vidit per visum manifestè quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem, 4.3.3
25 Vt autem factū est vt introiret Petrus, occurens ei Cornelius,& accidens ad eius pedes,adorauit 1.12.3
31 Dixitq;,Corneli,exauditæ sunt preces tuæ,& eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei 3.2.32
34 In veritate comperio Deum non accipere personam 3.17.4,& 3.23.10
42 Præcepit autem nobis vt prædicaremus populo: ac testificaremur eum esse qui definitus sit à Deo iudex viuorum & mortuorum 2.16.17
43 Huic etiam omnes Prophetæ testimoniū dāt, remissionem peccatorum accepturū per nomē eius quemuis qui crediderit in eum 3.4.25,& 3.5.2
44 Adhuc loquente Petro verba ista,illapsus est Spiritus sanctus in omnes qui audiebāt hunc sermonem 4.16.31
48 Iussitque eos baptizari in nomine Domini 4.15.15
11.3 Ad viros preputium habētes introisti,& vna edisti cum eis 4.6.7
4 Exorsus autem Petrus omnia exposuit eis ordine 4.6.7
16 Memini autem illius dicti Domini: cùm diceret,Ioannes quidem baptisauit aqua, vos vero baptisabimini Spiritu sancto 3.2.3,& 4.15.18
18 His autem auditis quieuerūt, & glorificauerunt Deum, dicentes: nempe etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam 3.3.21
26 Ita vt discipuli nominarētur primū Antiochiæ Christiani 3.2.6,& 4.16.31
29 Singuli autem discipulorum, prout cuique suppetebat, decreuerunt aliquid subsidio mittere 3.2.6
12.15 At illi dicebāt. Angelus eius est 1.14.7
13.2 Separate mihi Barnabam & Saulū operi ad quod eos aduocaui 4.12.14
3 Quū igitur ieiunasset & precati essent, & imposuissent eis manus dimisserūt eos 4.3.15,& 4.12.14,& 4.12.16
36 Dauid quidem quum sua ætate inseruisset Dei consilio,obdormiuit, & adiunctus est patribus suis, sensitque corruptionem 3.20.23
38 Notum sit igitur vobis, fratres,annuntiari vobis remissionem peccatorum per istum 3.11.3,& 3.11.22
39 Et ab omnib.à quib. per Legē Mosis absolui nō potuistis, per hūc quēuis qui credat absolui 2.17.5,& 3.11.3
40 Qui alloquētes eos, persuaserūt eis vt perseuerarent in gratia Dei 2.5.8
48 Gentes autem hæc audientes gauisæ sunt,& glorificabant sermonem Domini & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam 3.2.11,& 3.24.2,& 3.24.13
52 Discipuli verò replebantur gaudio & Spiritu sancto 3.2.6
14.16 Qui præteritis ætatib. fuit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere 1.5.13,& 2.11.11
20 Sed quū cinxissent eū discipuli, surrexit,& ingressus est vrbem 3.2.6
22 Oportet nos per multas oppressiones ingredi in regnum Dei 3.8.1,& 3.18.7,& 3.25.8
23 Quumque ipsis per suffragia creassent per singulas Ecclesias Presbyteros,precatique essent cum ieiuniis,cō mendarūt eos domino in quē crediderāt 4.3.7,& 4.3.12,& 4.3.15,& 4.12.16
15.7 Quum autē multa disceptatio fuisset, surgens Petrus dixit eis,Viri fratres, vos scitis Deum iampridem inter nos elegisse me, 4.6.7
9 Nihilque discreuit inter nos & illos, fide purgatis,&c. 3.14.8,& 4.14.4
10 Nūc ergo quid tentatis Deum,imposito iugo ceruici discipulorū 3.2.6
11 Imò per gratiam domini Iesu Christi credimus nos seruatum iri, quemadmodum & illos 3.5.4
20 Sed ad eos scribendum vt abstineant à pollutionib.idolorū,&scortatione, & suffocato,&c. 4.10.17.& 4.10.21
29 Videlicet vt abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulacris,&c. 4.10.17
16.1 Peruenit autem Derben & Lystrā: & ecce,discipulus quidam erat illic nomine Timotheus, filius mulieris cuiusdam Iudeæ fidelis, &c. 3.2.6
3 Eum itaq; voluit Paulus secū proficisci:& assumptū eum circūcidit,propter Iudæos q in illis locis erāt:3.19.12
14 Quædā autem mulier nomine Lydia quæ purpurā vendebat in vrbe Thyatirorum,Deum colens,&c. 3.24.13
15 Quum verò baptisata fuisset & familia eius,&c 4.16.8
33 Et baptisatus est ipse, & omnes domestici illius illico 4.16.8
37 Paulus autē dixit eis,Cæsos nos publicè,indicta causa, quum simus Romani, coniecerunt in carcerē,& nunc clam nos eiiciūt? nō profectò: sed veniant ipsi,& nos educant 4.20.19
17.27 Vt quærerent Deum,si fortè palpando eum inuenirēt,quanquam profectē non longè abest ab vnoquoque nostrūm 1.5.3,& 1.5.8,& 1.5.13
28 Per ipsū enim viuimus,& mouemur, & sumus,sicut & quidā vestratiū poetarum dixerunt: nam huius progenies etiam sumus 1.15.5,& 1.16.1,& 1.16.4
29 Progenies ergo Dei quum simus,nō debemus existimare auro aut argento, aut lapidi,sculptili artificii aut cōmentationis hominū numē esse,&c. 1.11.2
30 Temporib.igitur istis ignorātiæ dissimulatio Deus nūc denuntiat omnib. vbique hominib.vt resipiscant 3.3.7
32 Quum audissent autem resurrectionem mortuorum, alii quidem cauillabantur,&c. 3.25.7
18,18 Quum totōdisset caput Cēchreis: habebat enim votum 4.19.26
23 Confirmans omnes discipulos 3.2.6
19.1 Vbi quum discipulos inuenisset,dixit eis,&c. Ibidem
3 In quid ergo baptisati estis?at illi dixerunt in Ioannis,baptisma 4.15.8,& 4.15.18
4 Ioannes quidem baptisauit baptismo resipiscentiæ, dicens populo vt in eum qui venturus erat post ipsum,crederet 4.15.7
5 His igitur auditis baptisati sunt in nomen Domini Iesu 4.15.6,& 4.15.8,& 4.15.18
6 Et cū eis imposuisset manus Paulus, venit Spiritus sanctus in eos: & loquebantur linguis,& prophetabant 4.3.15
12 Ita vt etiā ad ægrotos deferrētur à corpore eius sudaria seu semicincta,& discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent 4.19,18
13 Aggressi sunt vero quidam ex circulatoribus Iudæis exorcistis nominare super eos qui habebāt spiritus malos, nomen domini Iesu,dicentes:Adiuramus vos per Iesum quem Paulus prædicat 4.19.24
20.1 Postquam autē cessauit tumultus, quum aduocasset Paulus discipulos,& complexus esset,&c. 3.2.6
10 Quum descendisset autem Paulus, ruit in eum,& cōplexus dixit, Ne tumultuamini, anima enim eius in ipso est 4.19.19
17 Misis autē Mileto nūtiis Ephesum, accersiuit Presbyteros Ecclesiæ 4.3.8
18 Vos scitis,à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim 4.3.7
20 Vt nihil subterfugerī eorū quæ vobis cōducerēt,quominus ea vobis annūtiarē,&docerē vos publicè,& p singulas domos 4.1.22,& 4.3.6,& 4.11.14
21 Testificās Iudæis simul & Græcis cōuersionē ad Deum,& fidē in dominum nostrum Iesum 3.2.1,& 3.3.2,& 3.3.5
26 Testor vos hodierno die,me purum esse à sanguine omniū 4.4.3,& 4.12.2
28 Attendite igitur vos ipsos,& totum gregem in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei,quā proprio illo sanguine acquisiuit 1.13.11,& 2.14.2,& 3.5.2,& 3.11.8,& 4.3.8,& 4.5.8
29 Ego hoc noui,post discessum meum lupos graues,non parcentes gregi,ingressuros esse in vos 4.9.4
30 Et ex vobisipsis exorituros qui loquātur peruersa, vt discipulos post se abstrahant Ibidem
31 Ideo vigilate,memores me per triennium nocte & die nō cessasse cum lacrymis monere vnumquemque 4.3.6
36 Et quum hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum illis omnib.4.19.2
21.4 Permansimus autem ibidem dies septem,inuentis discipulis 3.2.6
22.1 Viri fratres&patres,audite meā,quā nūc apud vos vtor defē iorē 3.20.19
16 Exurge,& baptisare,& ablue peccata tua, inuocato nomine domini 4.15.15
18 Et vidi eum qui mihi dixit, Festina, & exi citò ex Ierusalem:quoniam non accipient testimonium tuum de me 4.17.17,& 4.17.29
25 Quum autem adstrinxissent eum loris, dixit adstanti Centurioni Paulus, Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? 4.20.19

23.1 Intentis autem in consessum oculis Paulus ait, Viri fratres, Ego omni conscientia bona, seruiui Deo ad hunc vsque diem 3.17.14
8 Sadducæi quidē dicūt nō esse resurrectionē, neque Angelum, neque Spiritū 1.14.9,& 1.15.2,& 2.10.23,& 3.25.5
12 Orto autem die quidam ex Iudæis facta coitione deuouerunt sese, dicentes, neque esuros se, neque bibituros vsquequo trucidassent Paulum 4.13.3
24.12 Neque verò me in templo inuenerunt cum aliquo disserentem, aut coitionem turbæ facientem, neque in synagogis, neque in vrbe 4.20.19
15 Et spem habeā in Deū, fore quā etiā ii ipsi expectāt resurrectionē mortuorum, tum iustorū tum iniustorū 3.25.9
16 In hoc igitur me exerceo, vt cōscientiā habeā sine offēdiculo, apud Deū & apud homines semper 3.19.16 &4.10.4
25.10 Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari, Iudæis nulla in re iniuriam feci, sicut & tu pulchrè nosti 4.20.19
11 Nam siquam iniuriā ac dignum morte aliquid feci, non recuso mori: sin verò nihil est eorum quorum isti me accusant, nemo potest me illis condonare: Cæsarem appello. 4.20.19
26.17 Eruens te ex hoc populo,& Gentib. ad quos nunc te mitto 3.2.1
18 Vt aperias oculos eorū vt se cōuertant à tenebris ad lucem,& à potestate Satanæ ad Deū, vt remissionē peccatorū & sortē inter sanctificatos accipiant, per fidem quæ est in me. Ibid.
20 Sed iis primùm qui sunt Damasci,& Hierosolymis, & per omnem regionē Iudææ, deinde & gentib. annuntiaui vt recipiscerent & reciperēt se ad Deum, opera facientes digna iis qui resipiscunt 3.3.5
28.15 Vnde quum audissent fratres de rebus nostris, prodierunt nobis in occursum 4.6.17
16 Quum autem venissemus Romam, Cēturio tradiditvinctos præfecto exercituum 4.6.15
25 Rectè sanè Spiritus sanctus loquutus est per Esaiam Prophetam Patrib. nostris 1.13.15

AD ROMANOS

1.1 PAulus seruus Iesu Christi, ex Dei vocatione Apostolus, separatus ad prædicandum Euangelium Dei, 2.14.6,& 4.3.10
2 Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis. 2.10.3
3 De filio suo (facto ex semine dauidis secundū carnē 2.13.1,& 2.13.3,& 2.14.6
4 Declarato filio Dei potenter secūdū Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis) nempe Iesu Christo domino nostro 2.16.13,& 4.19.22
5 Per quē accepimus gratiā & Apostolatū ad obedientiā fidei, inter omnes Gentes,&c. 3.2.6,& 3.2.8 & 3.2.29
7 Gratia vobis sit & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo 1.13.13
9 Testis est mihi Deus cui seruio spiritu meo in Euangelio Filii ipsius, quòd indesinentet meminerim vestri 2.8.27
16 Non me pudet Euāgelii Christi, potentia Dei siquidē est ad salutē cuiuis credenti, Iudæo in primis tū etiā Græco 2.9.4,& 2.10.3,& 3.2.29,& 4.1.5
17 Iustitia enim Dei per illum retegitur ex fide in fidem: sicut scriptū est, Iustus ex fide viuet 3.2.29,& 3.11.19,& 3.2.32
19 Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est ipsis: Deus enim eis manifestū fecit 1.5.1,& 1.5.13
21 Propterea quòd cum Deum cognouerint, tamen vt Deum non glorificauerūt, neq; gratias ei egerūt: sed vani facti sūt in ratiocinationib. &c. 1.5.12
22 Quū se profiterentur sapientes, stulti facti sunt 1.4.1
28 Et sicut non visum est eis Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis iudicii expertem, vt facerēt quæ minimè cōueniebāt 1.18.2
2.6 Qui reddet vnicuique secundum opera ipsius 3.16.3,& 3.18.1
11 Non enim est personarum acceptio apud Deum 3.23.10
12 Quicunque enim sine Lege peccauerūt, sine Lege quoque peribūt: & quicunque in Lege peccauerunt per Legem damnabuntur 2.2.22
13 Non enim qui audiūt Legē, iusti sunt apud Deū, sed qui Legem præstāt iustificantur 3.11.15,& 3.17.13
14 Namquū Gentes quæ legē nō habēt, natura quæ Legis sunt faciant, isti legem non habentes, 2.2.22
15 Vt ostendant opus Legis scriptum in cordib. suis, vnà testimonium reddēte ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuò accusantib. &c. 3.19.15,& 4.10.3
25 Si trāsgressor Legis fueris, circūcisio tua facta est preputium 4.14.24
3.4 Imò esto Deus verax, omnis autem homo mendax 4.15.17
9 Quid igitur? precellimus? nullo modo: nā ante criminati sumus Iudeos & Græcos omnes esse sub peccato. 3.4.6
10 Sicut scriptum est, Non est iustus ne vnus quidem 2.1.9,& 2.3.2,& 2.5.3
12 Non est qui faciat quod bonum est, non est vsque ad vnum 2.3.3
15 Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem 2.3.3
19 Scimus autem, quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere: vt omne os obturetur,& obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei 2.7.8,& 2.10.3,& 3.4.6
20 Propterea ex operibus Legis nulla caro iustificabitur in conspectu eius: per Legem enim agnitio peccati 2.5.6,& 2.7.7,& 3.11.19
21 Nunc verò absque Lege iustitia Dei patefacta est, comprobata testimonio Legis & prophetarum 2.9.4,& 2.10.3,& 3.11.18.& 3.11.19
23 Iustificantur autem gratis, id est eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo 2.5.3,& 2.16.5,& 2.17.5,& 3.4.30,& 3.11.4,& 3.11.19,& 3.15.16,& 3.20.45
24 Quem proposuit Deus vt esset placamentum per fidē, in sanguine ipsius, ad declarandam iustitiam suam, per remissionem præcedētium peccatorum ex Dei tolerantia 4.15.3
25 Ad declarandam iustitiam suam præsenti tempore: vt sit ipse iustus,& iustificans eum qui est ex fide Iesu 3.11.12,& 3.13.1,& 3.13.2,& 3.14.17
26 Vbi igitur glorificatio? exclusa est. per quam legem? operum? nō. imò per legem fidei 3.11.13,& 3.13.2
4.2 Nam si Abraham ex operib. iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum 3.11.13,& 3.11.18
3 Credidit Abraham deo, & imputatū est ei pro iustitia 3.17.8,& 3.17.10
4 Ei qui operatur merces nō imputatur ex gratia, sed ex debito 3.11.20
5 Et verò qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium imputatur fides sua pro iustitia 3.11.3,& 3.11.6
6 Sicut etiam Dauid pronuntiat beatum cum hominem cui Deus imputat iustitiam absque operib. dicens 2.17.5,& 3.11.4,& 3.11.20,& 11.22
7 Beati quorū remissæ sunt iniquitates & quorum obtecta sunt peccata, 2.11.11
10 Quomodo ergo imputata est? cū esset in circuncisione, an quum esset in preputio? &c. 4.16.3
11 Et signum accepit circuncisionis, quod obsignaret iustitiam fidei quæ fuerat in preputio 4.14.5.& 4.14.21,& 4.14.23,& 4.16.20
12 Et pater circuncisionis, iis videlicet qui non solùm sunt ex circuncisione, &c. 4.16.12
13 Non enim per Legē promissio cessit Abrahæ, aut semini eius vt esset hæres mundi, sed per iustitiam fidei 3.14.11
14 Etenim si ii qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides,& vana reddita est promissio 3.11.11,& 3.13.3
15 Nam lex iram efficit: siquidem vbi non est lex, ibi nec transgressio est 2.7.7.& 3.11.19
17 Sicut scriptum est (patrem multarum gentium constitui te) corā eo cui credidit, Deo videlicet viuificāte mortuos, & vocante que non sunt, tanquam sint 2.10.11,& 3.2.15.& 3.14.5
21 Ac planè persuasum habēs, eū quod promiserat, posse etiam facere 3.2.31
25 Traditum in mortem propter offensas nostras,& excitatū propter iustificationē nostri 2.15.5,& 2.16.3,& 2.17.5
5.1 Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deū per dominū nostrum Iesum Christum 3.2.16,& 3.13.6
3 Scientes quòd oppressio patientiam efficiat 3.8.3
5 Porrò spes non pudefacit, quod charitas Dei effusa sit in cordib. nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis 3.1.2 &3.2.12
8 Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd quū adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit 2.12.4,& 2.16.4 &3.4.25
9 Iustificati igitur eius sanguine, seruabimur nunc multò magis per eum ab ira 2.16.5
10 Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per Filii eius mortē, multò magis recōciliati seruabimur per vitā ipsius: 2.16.2,& 2.16.5,& 2.17.3,& 2.16.4,& 2.17.6,& 3.11.21,& 3.14.6
12 Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt 2.1.6,& 2.1.8,& 2.13.4
15 At non vt offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur, nam si illius vnius offensa multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donū per gratiā quæ est vni⁹ hominis Iesu Christi, &c. 3.5.4
16 Neque vt illud quod introiit per vnum qui peccauit, ita est beneficium, nam reatus quidē ex vna offensa introiit ad condemnationem: quod autē gratificatur De⁹, datur ex multis offensis ad iustificationem. 2.17.3,& 2.17.4
19 Sicut per inobediētiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiā, iusti cōstituētur multi 2.1.4,& 2.16.5,& 2.17.3.& 3.11.4,& 3.11.9,& 3.11.12,& 3.11.23,& 4.14.21

20 Lex verò introiit vt augeretur offensa: sed vbi auctũ est peccatũ, ibi superabundauit gratia 2.5.6,& 2.7.7
6.3 An ignoratis nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos? 4.15.5
4 Sepulti igitur sumus vnà cum eo per Baptismũ in mortẽ: vt sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriã Patris, ita & nos noua vita ambulemus, 2.8.31,& 2.16.7,& 2.16.13 & 3.3.5,& 4.16.15,& 4.16.21.& 4.19.8,
6 Illud scientes, veterẽ illũ nostrũ hominem cũ illo crucifixum esse, vt euertetur corpus peccati, ne posthac nos seruiamus peccato 3.3.9,& 3.3.11
12 Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis 3.3.13
14 Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia 3.19.6,& 4.15.12
18 Liberati igitur à peccato, mancipati estis iustitiæ 3.6.3,& 3.16.2
19 Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ. Itaque sicut statuistis membra vestra serua impuritati & iniquitati ad patrãdam iniquitatem,&c. 1,24.10,& 3.25.8
23 Stipendia peccati mors: donum autem Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro 3.2.16,& 3.13.6
7.1 An ignoratis fratres, (peritos enim alloquor) Legem tantisper dominari homini quoad ipse vixerit? 4.15.12
7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Imò peccatum non cognoui nisi per Legem,&c 2.5.6,& 2.7.6
12 Itaque lex ipsa quidem, sancta, & mandatum illud sanctum, iustum ac bonum 2.9.4
14 Scimus enim Legem esse spiritualem 2.8.6
14 Quod enim perpetro, nõ agnosco: non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio 2.2.27
18 Noui enim in me nõ habitare, (id est in carne mea) bonum: nam velle adest mihi,&c. 2.1.9
19 Non facio bonũ quod volo: sed malũ quod nolo hoc ago: 2.2.27,& 3.3.11
20 Quod si id facio quod ego nolo, nõ amplius ego id perpetro: sed peccatũ quĩ in me habitat id perpetrat 2.2.27
23 Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati quæ est in membris meis 3.3.14
24 Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis? 3.9.4,& 3.11.11, & 4.15.12
8.1 Nulla igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, id est qui non secundum carnem incedunt, 3.4.28,& 4.15.12
3 Quum enim Legis impotentia nihil posset in carne, Deus suo ipsius Filio misso conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatũ in carne 2.7.5,& 2.12.4, & 2.13.1, & 2.13.4, & 2.16.6,& 3.2.32,& 3.4.27,& 3.11.23
6 Nam intelligentia carnis, mors est: intelligentia verò spiritus vita & pax. 2.3.1
7 Propterea quod intelligentia carnis, inimicitia est aduersus Deum, Legi enim Dei non subiicitur: nã ne potest quidem 2.1.9,& 3.3.8,& 3.20.24
9 Vos aũt nõ estis in carne, sed in spiritu: si quidẽ spiritꝰ Dei habitat in vobis: quòd si quis spiritũ Christi nõ habet, is non est eiꝰ 3.1.2,&3.2.39,& 4.17.12.
10 Porrò si Christus in vobis est, corpꝰ quidẽ mortuũ est propter peccatũ: spiritꝰ autẽ vita est propter iustitiã 2.1.6, & 3.1.3,& 3.2.24,& 3.25.3,& 4.17.12
11 Si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem eius Spiritum in vobis 1.13.18,& 3.1.2, & 3.2.39, & 3.25.3, & 3.25.8,& 4.17.12
14 Quotquot Spiritu Dei ducuntur, ii sunt filii Dei 3.2.39
15 Non accepistis spiritũ seruitutis rursum ad metum, sed accepistis Spiritum adoptionis,&c. 2,11.9,& 2.14.5,& 3.1.3,& 3.2.11,& 3.13.5, & 3.20.1, & 3.24.1, & 4.19.22
16 Qui ipse Spiritus testatur vna cũ spiritu nostro, nos esse filios Dei 3.2.39
17 Quod si filii, etiã hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, &c. 2.12.2
19 Res creatæ quasi exerto capite obseruantes, expectant reuelationem filiorum Dei 3.9.1,& 3.25.2
20 Res creatæ vanitati subiectæ sunt, non sua sponte,&c. 2.1.5
21 Scimus omnes res creatas vnà suspirare & vnà parturire ad hoc vsque tẽpus 2.1.5,& 3.25.2
22 Neque verò illæ solùm sed & ipsi qui primitias spiritus habemus, nosipsi inquã apud nosipsos suspiramus, adoptionẽ expectãtes, id est redẽptionem corporis nostri 3.18.3,& 3.25.11
23 Spe seruati sumus, spes autem si cernatur, nõ est spes,&c. 2.9.3
24 Si verò quod nõ videmus speramus, nempe per patientiam expectemus, 3.2.41,& 3.2.43.& 3.25.1
25 Itidẽ autẽ & Spiritus vnà subleuat infirmitates nostras, quid enim precemur vt oportet, nõ nouimꝰ: &c. 3.20.5
26 Qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus Spiritus: quia secundum Deum interpellat pro sanctis 3.20.5,& 3.20.34,& 3.18.7,& 3.24.1
28 Quos præsciuit, eosdem prædestinauit, vt conformes fiant imagini filii sui: vt is sit primogenitus inter multos fratres 2.13.2,& 3.1.1,& 3.1.3,& 3.1.1,& 3.15.8
29 Quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit eos etiã iustificauit quos autem iustificauit,&c. 2.5.2,& 3.14.20,& 3.18.4,& 3.24.6
31 Is quidẽ qui proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit eũ, quĩ nõ etiã cũ eo omnia nobis gratificabitur? 2.14.7,& 2.17.6,& 3.24.5
32 Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus is est qui iustificat 3.11.3,& 3.11.6,& 3.11.11
33 Quis est qui cõdẽnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò qui etiã excitatꝰ est, q etiã est ad dextrã Dei, &c. 2,16.13,& 2.16.16,& 2.16.18,& 3.20.20
34 Quis nos separabit à charitate Christi? nũ oppressio, nũ angustia, nũ persequutio, num fames, num nuditas, nũ periculum, num gladius? 3.13.5
35 Causa tua occidimur totum diem, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi. 3.9.6,& 3.25.3,& 3.14.19
37 Nã mihi persuasum est neque mortẽ, neque vitã, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura 3.2.16,& 3.2.40,& 3.15.8,& 3.24.6
38 Neque sublimitatem, neque profunditatem neque rem vllam aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro 3.2.16,& 3.2.28,& 3.2.40
9.3 Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, coguatis inquam meis secũdum carnem: 3.2.35
5 Quorum sunt Patres, & ii ex quibus Christus quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus laudandus in secula, Amen. 1.13.11,& 2.13.3,& 2.13.1,& 2.14.6
6 Non omnes qui sunt ex patre Israele, sunt Israel 3.22.4,& 4.2.3
7 Neque quia sunt semẽ Abrahæ, ideo omnes sunt filii. sed in Isaac vocabitur tibi semen 3.21.7,& 4.16.14
8 Hoc est, nõ qui filii carnis, ii filii Dei: sed qui sunt filii promissionis, censentur in semine, 3.21.7
11 Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, vt propositum Dei quod est secundum ipsius electionem 3.22.4
12 Non ex operib. sed ex vocante, firmum maneret, dictũ est ei, Maior seruiet minori 3.22.5
13 Sicut Scriptũ est, Iacob dilexi, Esau verò odio habui 3.21.7,& 3.22.11
14 Quid igitur dicemus? num iniustitia est apud Deum? Absit 3.22.8
15 Miserebor cuius misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero 3.22.6
16 Nempe igitur electio nõ est eius qui velit, neque eius qui currat, sed miserentis Dei 2.5.4,& 2.5.17,& 3.24.1
17 Ad hoc ipsum excitaui te vt ostendã in te potestatem meam,&c. 3.24.14
18 Itaque cuius vult miseretur, quẽ autem vult indurat 1.18.2,& 3.22.11
20 Imò verò, ô homo, tu qui es qui ex aduerso respõsas Deo? 3.23.1,& 3.23.4,& 3.24.16
21 An non habet potestatem figulus in lutum, vt ex eadem massa &c. 3.17.5
22 Quid verò si volẽ ostẽdere irã, & notã facere potentiã suã, pertulit multa lenitate vasa iræ,&c. 1.14.18,& 3.23.1
24 Quos etiam vocauit nimirum nos non solùm ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus 3.24.16
32 Offenderunt ad lapidem offendiculi 1.13.23
33 Ecce, pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis: 1.13.11
Quisquis credit in eũ nõ pudefiet 1.13.13
10.3 Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam iustitiã studentes,&c. 3.11.13
4 Finis Legis est Christus ad iustitiam cuiuis credenti. 1.6.2,& 2.6.4,& 2.7.2,& 3.22.6,& 4.8.13
5 Qui præstiterit ea, viuet per illa 3.11.14,& 3.11.17,& 3.17.3
6 At quæ ex fide est iustitia, ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?&c. 1.17.2
7 Aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christũ ex mortuis reducere Ibid.
8 Hoc est verbũ illud fidei qđ prædicamus. 2.5.12.& 3.2.29,& 3.2.30.& 4.14.14
9 Quod si cõfessus fueris ore tuo dominũ Iesum,& credideris in,&c. 3.11.4
10 Corde creditur ad iustitiam, ore autẽ cõfessio fit ad salutẽ 3.2.2,& 3.2.8
11 Quisquis credit in eum non pudefiet 1.13.13
14 Quomodo igitur inuocabũt eum in quẽ nõ crediderit?& c.3.20.1.& 3.20.11
17 Fides ex auditu: auditꝰ &c.3.20.27,& 4.1.5,& 4.8.9,& 4.16.19,& 4.6.3

11.2 Non abiecit Deus populum ſuum quem præcognouit,&c. 3.22.6
4 Sed quid dicit ei diuinum reſponſum? Feci vt remanſerint mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu imagini Baal 4.1.2
5 Ita igitur & hoc rempore reſeruatio ſecundum electionem gratuitam facta eſt. 3.21.1
6 Quòd ſi per gratiã nõ iã ex operib. alioq gratia iã nõ eſt gratia,&c.3.14.5
16 Quòd ſi primitiæ ſanctæ, ſancta etiam maſſa,& ſi radix ſancta eſt,etiam rami 4.16.15
17 Quòd ſi nõnulli rami defracti ſunt, tu verò quum eſſes oleaſter inſitus es pro ipſis, & particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es 3.1.1
20 Rectè:per infidelitatẽ defracti ſunt, tu verò per fidem ſtas.ne effertor animo,ſed time 2.3.22,& 3.24.6
26 Et ita totus Iſrael ſeruabitur, ſicut ſcriptũ eſt,veniet ex Siõ ille liberator & auertet impietates à Iacob 3.3.21
29 Dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt vt eorum ipſum pœnitere non poſsit 4.16.14
32 Concluſit Deus omnes in contumacia,vt omnium miſereretur 2.7.8,& 3.23.11,& 3.24.16
33 O profundas diuitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei, quàm inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & eius viæ imperueſtigabiles 1.17.2,& 3.23.5
34 Quis cognouit mentem Domini?aut quis ei fuit à cõſilio 3.2.34,& 4.18.19, & 4.19.2
35 An quis prior dedit ei, & reddetur ei? 3.14.5,& 3.22.3,& 3.23.11
36 Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia 2.8.13
12.1 Precor igitur vos fratres,per miſerationes Dei, vt ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctã, acceptam Deo, rationalem illum cultũ veſtrum 2.5.4,& 3.7.1,& 3.16.3,& 4.18.16
2 Et ne configuremini ſeculo iſti, ſed transformemini per renouationem mentis veſtræ,ad hoc vt probetis quæ ſit voluntas Dei,bona illa,accepta,ac perfecta 2.1.9,& 4.16.4
3 Prout cuique Deus partitus eſt mẽſuram fidei 4.13.3,& 4.16.4
4 Quẽadmodũ in vno corpore mẽbra multa habemus, membra autẽ omnia eandem non habent actionem 3.16.2
6 Siue prophetiam, prophetemus pro proportione fidei 4.16.4,& 4.17.32
7 Siue miniſterium, verſemur in miniſtrãdo:tũ is qui docet in docẽdo.4.3.8
8 Tũ qui exhortatur in exhortatione: qui diſtribuit cũ ſimplicitate:qui præeſt cũ diligẽtia:q miſeretur cũ hilaritate.4.3.8,& 4.3.9,& 4.11.1,& 4.20.4
10 Fraterna charitate alii ad alios amãdos propenſi: honore alii aliis præeuntes 3.7.4
14 Benedicite iis q vos inſectãtur,benedicite,inq̃,& ne imprecamini.4.20.20
19 Nõ voſmetipſos vlciſcimini, dilecti, ſed date locum iræ:ſcriptum eſt enim, Mihi eſt vltio,ego rependã,dicit Dominus. 4.20.19
21 Ne vincitor ab eo quod malũ eſt,ſed vince bonitate malitiam 4.20.20
13.1 Omnis anima poteſtatib. ſuperemi nẽtib. ſubiecta eſto,nõ enim eſt poteſtas niſi àDeo:&que ſunt poteſtates,à Deo ſũt ordinatæ 3.19.15,& 4.10.3,& 4.10.5, & 4.20.4,& 4.20.7, & 4.20.23
4 Princeps enim Dei miniſter eſt tuo bonò:quòd ſi feceris quod malum eſt, metue, nõ enim temerè gladiũ geſtat, nam Dei miniſter eſt, vltor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit. 4.20.10. & 4.20.17,& 4.20.19
5 Quapropter neceſſe eſt ſubiici, non ſolũ propter irã, ſed etiã propter cõſcientiã 3.19.15,& 4.10.3,& 4.20.22
6 Propter hoc enim tributa ſoluitis: ſiquidem Dei miniſtri ſunt in hoc ipſum incumbentes 4.20.13
8 Nemini quicquã debete,niſi vt alii alios diligatis: nam qui diligit alterum Legem impleuit 2.8.57
9 Siquidẽ illud. Non mœchaberis,non occides,nõ furaberis,nõ falſũ teſtimonũ dices,& ſiquod aliud eſt mãdatũ, in hoc ſermone ſũmatim cõprehẽditur, Diliges proximũ tuũ ſicut teipſũ 2.8.57
14 Sed induimini Domino Ieſu Chriſto,& carnis curã ne habete,ad explẽdas cupiditates 3.11.&3.10.2
14.1 Eum qui fide eſt infirmatus aſſumite, non tamen ad certamina diſputationum 3.10.11
5 Alius quidẽ æſtimat diẽ præ die, alius aũt pæquè æſtimat quẽuis diẽ. Vnuſquiſq; in aĩo ſuo plenè certº eſto 2.8.33
10 Omnes ſiſtemur apud tribunal Chriſti 1.13.23,& 3.5.8
11 Scriptum eſt enim, Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua cõfitebitur Deo 1.13.11,& 1.13.25,& 3.25.7
13 Ne amplius igitur alius de alio iudicemus:ſed hic potius adhibete iudiciũ vt ne offendiculũ ponatis fratri 3.19.11
14 Noui & perſuaſũ habeo per dominũ Ieſum, nihil eſſe impurũ p ſe,ſed ei q exiſtimat aliquid eſſe impurũ 3.19.8
17 Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax,& gaudium per Spiritum ſanctum 2.15.4,& 3.17.4
22 Tu fidẽ habes:apud temetipſum habe coram Deo.Beatus qui nõ cõdẽnat ſeipſum in eo quod approbat 3.19.8
23 Qui verò ambigit ſi ederit,cõdẽnatº eſt,quoniam nõ edit ex fide: quicquid verò ex fide nõ eſt, peccatũ eſt 3.5.10, & 3.15.6,& 4.13.17,& 4.15.22
15.1 Debemus nos qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobiſipſis 3.19.11
5 Deus autem patientiæ, & conſolationis author,det vobis vt eodem animo inter vos mutuò affecti ſitis, ſecundum Ieſum Chriſtum 4.2.5
6 Vt concorditer vno ore glorificetis Deum, ac patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti 3.20.29.& 3.20.31
8 Illud autẽ dico,Ieſum Chriſtũ miniſtrũ fuiſſe circũciſionis, vt cõfirmaret promiſsiones patrũ 3.2.32,& 4.16.15
12 Erit radix Ieſſe, & qui exurgat ad imperandum Gentibus, in ipſo Gẽtes ſperabunt 1.13.13
19 Adeò vt ab Ieruſalẽ & circũiacẽtib. regionibus,vſq; ad,Illyricũ,impleuerĩ pdicandi Euãgelii Chriſti munº 4.3.4
20 Ita porrò ambiẽs pdicare Euãgeliũ, nõ vbi nominatus eſſet Chriſtus Ibid.
25 Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam,miniſtrans ſanctis 4.6.14
30 Precor autẽ vos,fratres,p Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ,& per charitatẽ ſpiritus,vt mecum certetis veſtris pro me apud Deum precibus 3.20.20
16.3 Salutate Priſcillã & Aquilam,adiutores meos in Chriſto Ieſu 4.6.14
7 Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos meos, & concaptiuos meos, qui ſunt inſignes inter Apoſtolos,qui etiam ante me fuerunt in Chriſt. 4.3.5
20 Porrò Deus pacis princeps cõteret Satanam ſub pedes veſtros citò 1.14.18,& 3.15.5
25 Ex reuelatione miniſterii quod à tẽporibus æternis tacitum fuit 2.9.4
26 Nunc verò factum eſt manifeſtũ,& per Scripturas propheticas,&c. 2.9.4

AD CORINTHIOS.

1.1 PAulus vocatione Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, 4.3.10
3 Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro,& domino Ieſu Chriſto. 1.13.13
9 Fidelis Deus p quã vocati eſtis ad cõmunionẽ filii ipſiº Ieſu Chriſti,&c.1.5.5
11 Declaratum eſt mihi de vobis, fratres mei,à domeſticis Chloes, quòd lites ſunt inter vos 4.1.14
12 Hoc autẽ dico, vnũquenque veſtrũ dicere,Ego quidẽ ſum Pauli,&c. 4.13.14
13 Nũ diſpertitº eſt Chriſtus?nũ Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomen Pauli baptizati fuiſtis? 3.5.2,& 4.15.13
20 Vbi ſapiens?vbi ſcriba? vbi inquiſitor ſeculi iſtius? 2.2.20
21 Poſtquã in Dei ſapientia mundus nõ cognouit Deum,ex eius ſapientia,placuit Deo per ſtultam prædicationem ſeruare credentes 2.6.1
23 Nos autẽ prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam, 3.24.14
26 Videtis vocationem veſtrã, fratres, vos videlicet non eſſe multos ſapientes,ſecundum carnem, nõ multos potentes,non multos nobiles. 3.23.10
30 Ex ipſo autẽ vos eſtis in Chriſto Ieſu,qui factus eſt nobis ſapiẽtia à Deo, iuſtitiáque& ſanctificatio,&c.2.15.2,& 2.16.19,& 3.3.19,& 3.4.30,& 3.11.6,& 3.11.12.& 3.14.17,& 3.15.5,& 3.16.1
2.2 Nõ decreui quicq̃ ſcire inter vos niſi Ieſũ Chriſtũ,eúmq; crucifixũ 1.13.13, & 2.12.4,& 2.12.5 ,& 2.15.2,& 3.2.1
4 Neque oratio mea,neque prædicatio mea verſata eſt in p ſuaſoriis humanæ ſapiẽtiæ verbis, ſed in demõſtratione ſpiritualis,&c.1.8.1,& 4.1.6,& 4.14.11
5 Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientia hominũ,ſed in potentia Dei 3.2.35
8 Quam nemo principum huius ſeculi cognouit,nam ſi cognouiſſent,&c. 1.5.12,& 2.14.2,& 4.17.30
10 Nobis autẽ Deº ea reuelauit per ſpiritũ ſuũ. Spiritº enĩ omnia ſcrutatur, etiã pfunditates Dei 1.13.14,& 3.2.34
11 Quis enim hominũ nouit ea que ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo?ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei 3.2.34
12 Nos verò nõ ſpiritum mundi accepimus,ſed Spiritum qui eſt ex Deo: vt ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus 3.2.39,& 4.8.11
13 Spiritualia cum iis que ſunt ſpiritualia coniungentes 4.16.31
14 Animalis autem homo non eſt capax eorum que ſunt Spiritus Dei.Sũt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere,quia ſpiritualiter diiudicatur 2.2.20,& 3.2.34
16 Quis nouit mentem domini, qui inſtructurus ſit eum? nos autem Chriſti mentem habemus 1.13.14,& 3.13.4
3.2 Lactis potu vos alui, & non eſca: nondum enim poteratis id ferre. imò ne nunc quidẽ adhuc poteſtis 3.19.13
3 Quũ enim in vobis ſint liuor & cõtentio,& diſsidia,nonne carnales eſtis, & ſecundam hominẽ inceditis? 4.1.14
4 Etenim quũ dicit quidam,Ego quidẽ ſum Pauli, alter verò,ego ſũ Apollo, nonne

INDEX.

nonne carnales estis? 4.4.2,& 4.13.14
6 Ego plãtaui, Apollos rigauit, sed Deꝰ dedit incrementum 2.5.4,& 3.23.14, & 4.1.6
8 Vnusquisque suam mercedem accipiet secũdum suum laborem 3.16.3,& 3.18.1
9 Dei sumus administri: Dei aruum, Dei ædificatio estis 2.5.17,& 4.1.6
11 Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id quod positũ est quod est Iesus Christus 3.15.5,& 4.6.6
12 Siquis superædificet super fundamẽtum hoc, aurũ, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam 3.5.9
13 Cuiusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit, nam per ignem retegetur,&c. Ibid.
14 Si cuius opus manebit, quod superædificauerit, mercedem accipiet Ibid.
15 Sicuius opus exustum fuerit, damnum faciet, ipse verò seruabitur, ita tamẽ vt per ignem Ibid.
16 An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? 3.6.3, &3.16.2,& 3.25.7,& 4.3.1,& 1.13.15
19 Sapientia mundi huius, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, Carpit sapientes cum sapientia ipsorum 1.5.7, 2.2.20
21 Itaque nullus glorietur in hominibus: omnia namque vestra sunt 4.19.1
4.1 Sic de nobis reputet homo vt de ministris Christi, & dispensatoribus mini steriorum Dei 4.3.6,& 4.5.9
4 Nullius rei mihi cõscius sum, sed non per hoc iustificatus sum: sed Dominus is est qui me diiudicat 1.14.18,& 3.12.2, & 3 17.14
5 Ne ante tempus quicquam iudicate, vsquedum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordiũ 3.12.4
7 Quis te discernit? quid autem habes quod non acceperis? quòd si etiam acceperis, vt qui non acceperis? 2.5.2,& 3 7.4,& 3.24.12
15 In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui 4.1.6
5.1 Omnino auditur esse inter vos scortatio,& eiusmodi scortatio, que ne inter gẽtes quidem nominatur,&c. 4.1.14
2 Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, vt tolleretur è medio vestri qui facinus hoc patrauit 4.1.15
4 Vobis & meo Spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, cum potestate domini Iesu Christi 4.11.5,& 4.12.4
5 Eiusmodi inquam homo tradatur Satanæ, ad interitũ carnis, vt spiritus saluus sit die illo Domini Iesu 4.12.5,& 4.12.6
6 An nescitis paululo fermenti totam massam fermentari? 4.52.5
7 Etenim Pascha nostrũ pro nobis sacrificatum est, nempe Christus 4.12.13, & 4 18.3
11 Siquis quũ frater nominetur, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut cõuiatiator, ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, inquam, ne edatis quidem 4.1.15,& 4.12.5
12 Quid enim mea interest etiam de extraneis iudicare? nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? 4.11.5
6.6 Sed frater cum fratre iudicio experitur, idque sub infidelibus 4.20.21
7 Iam omnino impotentia in vobis est, quòd iudicia habetis inter vosmetipsos 4.1.14
9 An ignoratis iniustos non esse Dei hæreditatem possessuros? 3.4.21, & 3.24.10
10 Ne errate, neque scortatores, neque idololatræ, neq; mœchi, neque molles, neque qui comcumbunt cum masculis, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque conuitiatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt 3.4.21
11 Iustificati estis in nomine Domini Iesu,& per Spiritum Dei nostri 1.13.14,& 3.1.1,& 3.6.3,& 3.14.6,& 3.24.10
13 Escæ ventri destinatæ sunt,& venter escis: Deus autem & hunc & eas abolebit 3.25.8,& 4.13.9,& 4.19.7
15 An ignoratis corpora vestra esse mẽbra Christi? 3.6 3,& 3.25.8,& 4.17.9
19 An ignoratis corpus vestrũ esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo,&c. 1.13.15,& 3. 3.9,& 3.25.8,& 3.25.7,& 4.3.1
20 Nam empti estis pretio: glorificate igitur Deũ in corpore vestro & in spiritu vestro, quę sũt Dei 2.17.5,& 3.25.
7.2 Sed propter fornicationem, suam quisque vxorem habeat, & proprium quæque virum habeat 3.8.43
3 Vxori vir debitam beneuolentiã reddat: similiter autẽ & vxor viro 4.12.19
5 Ne fraudate alius alium, nisi fiquid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus: & rursum simul conuenite ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram Ibid.
7 Velim omnes homines esse vt etiam ipse sum: sed vnusquisque propriũ donum habet ex Deo, alius quidẽ ita, alius autem ita 2.8.42
9 Quòd si non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimoniũ cõtrahere, quã vri 2.8.43,& 4.13.17
14 Maritus infidelis, sanctificatus est vxori,& vxor infidelis sãctificata est viro: alioqui certè liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt 2.17,& 4. 16.6,& 4.16.15,& 4.16.31
19 Circuncisio nihil est, & preputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei 4.14.24
21 Seruus vocatus es? ne tibi sit curæ: sed si potes etiam liber fieri, potius eo vtere 4.20.1
23 Pretio empti estis, ne estote serui hominum 4.20.32
31 Qui vtuntur mũdo hoc, vt non abutẽtes, preterit enim species huius mũdi 3.10.1,& 3.10.4,& 4.19.7
34 Quæ est innupta, curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta cũ corpore, tum spiritu,&c. 2.8.43
35 Hoc autem dico vestro commodo: non vt laqueũ vobis iniiciã,&c. 4.10.2
8.1 Cæterũm de iis quæ idolis immolantur, scimus nos omnes scientia esse preditos 4.10.22
5 Etiamsi sint qui dicantur dii & in cœlo & in terra 1.13.11
6 Nobis tamen vnus est Deus Pater ille, à quo omnia & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quẽ omnia, & nos per ipsum 1.13.11,& 2.3.6,& 2.14. 3,& 2.15.5
9 Sed videte nequo modo potestas illa vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt 3.19.11,& 4.10.22
9.1 Nonne sum Apostolus: nonne sum liber? nonne Iesum Christũ Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino? 3.14.15,& 4.1.14,& 4. 17.17,& 4.17.29
2 Sigillum Apostolatus mei estis in Domino 4.1.6
5 Annon habemus potestatem sororem vxorem circunducendi, vt reliqui Apostoli,& fratres Domini, & Cephas? 4.12.25
12 Atqui non vsi fuimus iure isto: sed omnia sustinemus, nequid remoremur Euangelium Christi 3.14.15
16 Væ autem mihi est, nisi Euangelisem 4.3.6
19 Quum liber sim ab omnibus, omnibꝰ meipsum seruum feci, vt plures lucrifaciam 3.19.12
20 Et factus sum Iudæis vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam,&c. 4.19.26
22 Factus sum infirmis vt infirmus, vt infirmos lucrifaciã: omnibus factus sum omnia, vt omnino aliquos seruẽ 3.19.12
10.1 Nolim autem vos ignorare, fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare trãsiisse,&c. 2.10.5
2 Et omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari 4.15.9
3 Et omnes eandem escam spiritualem edisse 4.14.23,& 4.18.20
4 Et omnes eundem potum spiritualem bibisse: Bibebant enim ex sequenti spirituali petra: Petra verò erat Christus 1.13.10,& 2.9.1,& 4.14.26,& 4.17.15,& 4.17.21,& 4.17.22
5 Sed plerosque illorum non approbauit Deus, prostrati sunt enim in deserto 4.14.24
11 Hæc autem omnia typicè eueniebãt eis: scripta autem sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt 2.3.21, & 2.10.5
12 Itaque qui sibi videtur stare, videat ne cadat 3.2.40,& 3.4.6
13 Tentatio vos non cepit nisi humana 3.20.46
16 Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? panis quẽ frangimus, nonne cõmunio corporis Christi est? 4.17.10,& 4 17.15,& 4.17.22,& 4.17.38,& 4.18.8
17 Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, nã omnes vnius panis fimus participes 4.17.14
23 Omnia mihi licent, at nõ omnia conferunt: omnia mihi licent, at nõ omnia ædificant 3.19.12
25 Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam 3 19.11
28 At siquis vobis dixerit, hoc idolis, mactatum est, ne edite, propter illum qui indicauit,& propter conscientiam 2.3. 6,& 2.3.9
29 Conscientiam autem dico, non tuam, sed illius alterius 4.10.4
31 Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite 3. 20.44
32 Estote sine offendiculo & Iudæis & Græcis,& Ecclesiæ Dei 3,19.11
11.4 Omnis vir orans aut prophetãs operto capite, dedecorat caput suum 4. 19.26
5 Omnis verò mulier orans & prophetans non operto capite, dedecorat caput suum 4.10.29
7 Vir non debet velare caput: cum is imago sit & gloria Dei: ac mulier gloria viri est 1.15 4
16 Quòd siquis videtur contentiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei 4.10.31
20 Itaque quum conuenitis in vnum, hoc non est Dominicam cœnam edere 4.18.12
22 Num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis? 4.10.29

23 Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis 4.17.35,& 4.17.50
24 Et gratiis actis fregisse, ac dixisse, Accipite, edite, hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur, hoc facite ad mei recordationē 4.17.1,& 4.17.20
25 Itidem & poculū, póstque cœnasset, dicēdo, Hoc poculum est nouum illud Testamentū per meum sanguinem,&c. 4.17.20
26 Quotiescunque ederitis panem hūc, & poculum hoc biberitis,mortem Domini annuntiatis,vsque quo venerit 4.16.30,& 4.17.37
28 Probet autem quisque seipsum,& ita de pane illo edat,& de poculo illo bibat 4.1.15,& 4.16.30,& 4.17.40
29 Nam qui edit & bibit indignè,dānationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini 4.1.15,& 4.16.30,& 4.17.33,& 4.17.34,& 4.17.40
31 Etenim si nosipsos diiudicaremus,nō puniremur 3.3.18
32 Sed quum punimur, à Domino erudimur,ne cum mundo cōdemnemur 3.4.33,& 3.8.6
12.3 Notum vobis facio,nullum per Spiritum Dei loquentem,dicere Iesum anathema,&c. 2.2.20
6 Et discrimina facultatum sunt, sed idem est Deus efficiens eas omnes in quibusuis 2.3.6,& 2.3.9
8 Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ,alii verò sermo cognitionis,per eundem spiritum 4.3.11
10 Alii verò genera linguarum,alii verò interpretatio linguarū 1.14.14,& 3.2.9
11 Sed omnia, hæc efficit vnus ille & idem Spiritus distribuens priuatim illa singulis,sicut vult 1.13.14,& 4.17.22
12 Sicut enim corpus vnum est,& membra habet multa, omnia vero membra corporis vnius multa quum sint,vnum sunt corpus:ita & Christus 1.13.16,& 3.7.5,& 3.16.2,& 4.17.22
13 Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus siue Iudæi,sine Græci,&c. 4.14.7,& 4.15.15,& 4.16.22
25 Vt ne sit disidium in corpore, sed membra idem curent alia pro aliis 3.20.20
28 Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas,tertio doctores,deinde cōstituit potestates, deinde dona sanationum,opitulationes,&c. 4.3.8,& 4.11.1,& 4 20.4
31 Sed ambite dona potiora, & porro iter ad excellentiā vobis indicabo 3.2.9
13.1 Si linguis loquar hominum & Angelorum,charitatem autē non habeam factus sum æs resonans,aut cymbalum tinniens 2.5.4
2 Et si habeam totam fidē,adeo vt montes transferam ,charitatem autem non habeam,nihil sum 3.18.8
3 Etsi insumam alendis egenis omnes facultates meas,& si tradā corpus meū vt comburar, charitatem autem nō habeam,hoc nihil mihi prodest 4.13.13
4 Charitas patiens est, comis est,charitas non inuidet,charitas non agit perperam,non inflatur 3.7.5,& 3.7.6
9 Ex parte cognoscimus,& ex parte prophetamus 3.2.20
10 Postquā aduenerit quod perfectum est,tunc quod ex parte est abolebitur 3.2.13
12 Cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm cernemus 3.25.11,& 4.58.20
13 Nunc vero manet fides,spes,charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas 3.18.8
14.15 Quid est igitur?precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia, &c. 3.20.5,& 3.20.32
16 Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem?&c. 3.20.33
29 Prophetæ autē duo aut tres loquantur,alii diiudicent 4.8.9,& 4.9.13
30 Quod si quid alii patefactum fuerit assidenti,prior taceat 4.1.12
34 Mulieres vestræ in conuentibus, si leant:nec enim permissum est eis vt loquantur.&c. 4.10 29
40 Omnia vero decenter & ordine fiant 2.8.32,& 3.20.29,& 4.3.10,& 4.10.27,& 4.10 30
15.6. Postea visus est amplius quàm quingentis fratribus semel,&c. 3.25.3
10 Amplius quàm illi omnes laboraui: non ego tamē,sed gratia Dei quæ mecum est 2.3.12,& 4.1.6
12 Quod si Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, nō esse resurrectionem mortuorum? 3.25.7,& 4.1.14
13 Nam si resurrectio mortuorū non est, Christus quoq; nō est excitatus 3.25.3
14 Quod si Christus non est excitatus, inanis videlicet est prædicatio nostra, inanis autem etiam est vestra fides Ibid.
16 Nam si mortui non excitantur, Christus quoque nō est excitatus, 2.13.2
17 Quod si Christus non est excitatus, inanis,&c. 2.13.2,& 2.16.13
19 Si in hac solū vita speramus in Christum,miserrimi omnium hominum sumus 3.9.6,& 3.18.4
20 Nunc autem Christus excitatus est ex mortuis:& primitiæ eorum qui obdormierunt factus est 2.16.13
21 Quia per hominem mors,per hominem quoq; resurrectio mortuorū 2.1.6
22 Sicut in Adam omnes moriuntur,ita & in Christo omnes viuificātur 4.16.17
25 Nam oportet eum regnare, vsquequo omnes inimicos subiecerit pedibus eius 2.16.16
28 Postquam vero subiecta ei fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiicietur ei, &c.1.3.26, & 2.8.30,& 2.14.3,& 2.15.5,& 3.20.42,& 3.25.12
36 Demē, quod tu seminas non viuiscit nisi mortuum fuerit 3.25.4
39 Non omnis caro,eadem caro:sed alia quidem caro hominum,&c. 3 25 8
41 Alia gloria solis,& alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum, stella enim à stella differt in gloria 4.19.34
45 Factus est prior homo Adam animal viuens: posterior autem Adam factus est spiritus viuificus 1.15.4,& 3.1.2
46 At spirituale non est prius, sed animale,deinde spirituale 4.16.31
47 Primus homo è terra, terrenus : secundus homo ipse Dominus è cœlo 2.12.7,& 2.13 2,& 2.13.4,& 4.17.25
50 Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi,&c.4.16.17
51 Ecce mysteriū vobis dico,non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur 2.16.17,& 3.25.8
52 Momento & ictu oculi,ad vltimam tubam, (canet enim tuba,) & mortui suscitabūtur incorrupti, & nos mutabimur 2.16.17
53 Oportet enim hoc corruptioni obnoxium,induere incorruptā naturam, &c. 3.25.7
54 Quum autem hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturā, & mortale hoc induerit immortalitatem 3.25.10
16.2 Primo quoque die, hebdomadis vnusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit,&c. 2.8.33
7 Nolo vos nunc in transcursu videre: sed spatio temporis aliquantum manurum me apud vos, si Dominus permiserit 1.17.11

II. AD CORINTHIOS.

1.2 GRatia & pax sit vobis à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo 1.13.13
3 Pater ille misericordiarum & Deus omnis consolationis author 3.20.37
6 Siue autem premimur ,id fit pro nostra cōsolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia earundem perpessionum quibus & nos afficimur : siue consolationē accipimus,id fit pro vestra consolatione ac salute 3.5.4
12 Nam gloriatio nostra hæc est,testimonii videlicet conscientiæ nostræ,quod eum simplicitate & synceritate Dei nō cū sapiētia carnali,&c.3.2.41,& 3.17.14
19 Dei filius Iesus Christ°,qui inter vos per nos prædicatus est,&c. 4 17.50
20 (Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiā,& in ipso sunt Amen) &c.2.9.2,& 3.2.32,& 3.20.17,& 4.14.20
22 Qui etiam obsignauit nos, deditque arrabonem Spiritus in cordibus nostris 1.7.4,& 3.1.3,& 3.2.36,& 3.24.1
23 Ego vero testem Deum inuoco in animam meam, me idcirco nondum venisse Corinthum 2.8.24,& 2.8.27
24 Non quòd dominemur vestræ fidei, sed quòd administri sumus gaudii vestri &c. 4.8.9
2.6 Sufficit istiusmodi homini ista obiurgatio à pluribus profecta 3.4.12
7 Vt è contrario potius vos ei condonetis,cūmque consolemini,nequo modo redundante tristitia absorbeatur vir huiusmodi 4 1.29,& 4.12.8
8 Quapropter precor vos vt ratam faciatis in illum charitatem 4.12.9
16 Nempe,odor mortis ad mortem his, illis vero odor vitæ ad vitam,&c.2.5.5
3.3 Dum palàm fit vos esse epistolā Christi subministratam à nobis, inscriptam non atramento,&c. 2.8.57
5 Non quòd idonei simus ex nobisipsis, ad cogitandum quicquam velut ex nobis,&c. 2.25,& 2.2.27 & 2.3.6
6 Qui etiam fecit vt idonei essemus ministri noui Testamenti,non literæ, sed spiritus:nam litera occidit,spiritus autem viuificat 1.9.3,& 2.7.2,& 3.1.4,& 4.1.6,& 4.14.11.
7 Quod si mortis ministerium literis informatū in saxis,fuit gloriosum, adeò vt nō posset ītueri filii Israel,&c.2.7.7
8 Quî non potius ministerium spiritus erit gloriosum? 1.9.3
9 Nam si ministerium condemnationis fuit gloriosum, multo magis ministerium iustitiæ abundat gloria 1.11.7,& 4.3.3
14 Itaque occaluerunt mentes eorum, nam vsque ad diem hodiernum in lectione veteris Testamenti manet non retectum velamē illud,(quod per Christum tollitur) 2.30.23
15 Sed ad hunc vsque diem quum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est Ibid.
17 Dominus vero,spiritus ille est, vbi autē spiritus Domini, ibi libertas 2.2.8

18 Nos autem omnes retecta facie gloriã Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur 1.15.4,& 1.15.5,& 3.2.20,& 3.3.9
4.4 In quibus Deus huius seculi excæcauit mẽtes, id est infidelib. ne irradiet eos lumen Euãgelii gloriæ Christi qui est imago Dei 1.14.13,& 1.18.2,& 2.4.1,& 1.9.1
6 Deus qui dixit vt è tenebris lux splendescceret, is est qui splẽduit in cordibus nostris,&c. 2.9.1,& 3.2.1,& 4.1.5,& 4.3.3
7 Habemus autẽ thesaurum hunc in testaceis vasculis, vt eiꝰ virtutis præstãtia sit Dei, & nõ ex nobis 4.15.5,& 4.4.1
8 Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at nõ prorsus hæremus 3.8.9,& 3.15.8
9 Persecutionem patimur, sed in ea non deserimur: deiicimur, at nõ perimꝰ 3.15.8
10 Quolibet die mortificationẽ Domini Iesu in corpore circunferentes, vt etiã vita illa Iesu in corpore nostro manifesta fiat 3.15.5,& 3.15.8,& 3.18.7,& 3.23,& 3.25.7
13 Quia habemus eundẽ Spiritum fidei, secundum illud quod scriptũ est, Credidi, & ideò loquutus sum,&c. 3.2 35
5.1 Scimus enim nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculũ dissolutum fuerit, ædificiũ ex Deo habituros 3.15.6
2 In hoc enim suspiramus, expetẽtes domicilio nostro, quod è cælo est, superindui 3.9.5
4 Nõ cupimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas in vita 1.15 2,& 3.9.5
5 Qui etiam dedit nobis arrabonem Spiritus 2 9.3,& 3 2.36
6 Confidentes igitur semper, & scientes vos aduenas esse in corpore, peregrè absumus à Domino 1.15.2,& 3.2.14,& 3.9.4,& 3.25.1,& 3.25.6
7 Per fidem enim incedimus, non per aspectum 3.2.14
8 Confidimus autem, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum 1.15 2
10 Omnes enim nos compatere oportet coram tribunali Christi, &c. 13.11,& 1.15.2,& 3.18.1,& 3.25.7
17 Siquis igitur est in Christo, noua creatura est, vetera præterierunt, &c 3.2.32
18 Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christũ, &c 3.2.29,& 3.5.5,& 3 11.4,& 4.6.3
19 Deus erat in Christo, mundum reconciliãs sibi, non imputando eis peccata ipsorũ, &c. 1.12.4,& 2.17.2,& 3.2.32 & 3.4.25,& 3.11.22,& 3.14 11,& 3.1.22
20 Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precãte per nos 3.4.27,& 4.1.22,& 4.3.1
21 Fecit enim vt qui non nouit peccatũ, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo 2.16.5,& 2.16.6,& 2.17.2,& 3 5.2,& 3.11.11,& 3.11.22, & 3 11.23
6.8 Per gloriã & ignominiã per cõuitia & laudes 3.8.8
16 Vos templum estis Dei viuentis 1.13.15,& 3.6.3,& 3.16.2
7.1 Has igitur quũ habeamus promissiones, dilecti, purgemꝰ nosipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, &c. 1.15.2,& 2.5.11,& 2.9.3,& 3.16.2:& 3 25.7
10 Nam qui secundum Deum est dolor, resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit 3.3.7,& 3.4.2
11 Ecce enim istuc ipsum, quòd secũdum Deum tristitia affecti fuistis, quantum in nobis effecit studium? &c. 3.3.15
8.11 At nunc etiã illud ipsum facere absolute: vt sicut adfuit promptũ illud velle, ita etiã adsit ipsum perficere ex eo quod habetis 2.5.8
16 Gratia autem sit Deo qui cordi Titi indidit idem studiũ pro vobis Ibid.
17 Quod tum exhortationem illã gratam habuit, &c. Ibid.
9.6 Qui serit parcè, parcè etiã metet, & qui serit benigne, benignè etiam metet 3.18.6
7 Quisq; sicut præoptat corde, ita agat, nõ ex tristitia aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus 3. 6.3
12 Nam submimistratio oblationis istius non solùm supplet sanctorum inopiam, &c. 2.7.5
10.4 Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinitus valida, & ad subuersionem, &c. 4.8.9,& 4.11.5,& 4 11.10
6 Et paratum habemus quo vindicemus omnem cõtumaciam, postquã impleta fuerit vestra obedientia 4.6.3
8 Nam si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra quã dedit nobis Dominꝰ ad ædificationẽ, &c. 4.8.1
11.14 Neque id mirum: ipse enim Satanas transformatur in Angelum lucis 1.9.2,& 4.12.12
12.2 Noui hominem in Christo ante annos quatuordecĩ (an in corpore nescio: an extra corpus nescio, Deus nouit) raptũ in tertium vsque cœlum 1.9.1,& 1.14.4,& 4.3.3
4 Raptum fuisse in Paradisum & audisse ineffabilia verba, quę nõ liceat homini loqui 1.14.4
7 Et ne excellentia reuelationũ supramodum efferrer, datꝰ est mihi furculus infixus carni, & angelus Satan, &c. 1.14.18,& 3.3.14,& 4.17.34
8 Super hoc ter Dominum rogaui, vt abscederet à me 1.13.20
9 Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea &c. vt potentia Christi inhabitet in me 1.3.13, & 1.13.20,& 3.3.14
21 Ne iterum, vbi venero, me deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos, &c. 3.3.18,& 4.1.27
13.4 Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate viuit tamen ex potentia Dei. nam & nos infirmi sumus cum eo, &c. 2.13.2,& 2.14.6,& 2.16.13
5 Vos ipsos tentate an fistis in fide, vos ipsos probate: annon agnoscitis vosmetipsos, videlicet Iesum Christũ in vobis esse, nisi reprobi estis? 3.2.39
10 Ex potestate quem dedit mihi Dominus ad ædificationem, at non ad destructionem 4.8.1
13 Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei & cõmunicatio Spiritꝰ &c. 3.1.2

AD GALATAS.

1.1 PAulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum 4.3.13
2 Qui que mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ 4.1.14
3 Gratia vobis & pax à Deo patre, & domino nostro Iesu Christo 1.13 13
6 Miror vos ita cito deserto eo qui vocarat vos in gratiam Christi, transferri in aliud euangelium 4.1.27
8 Sed etiam si nos, aut Angelus è cœlo euãgelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto 4.9.12
16 Retegere Filium suum in me, vt euangelizarem ipsum inter gentes, &c. 3.22.7
18 Deinde tribus post annis redii Hierosolymam, vt viserem Petrum, & mãsi apud eũ dies quindecim 4.6.7,& 4.6.14
2.1 Deinde interiectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam vnà cum Barnaba, assumpto simul & Tito 4.6.14
3 Sed neq; Titus qui mecum erat, cum esset Græcus, coactꝰ fuit circũcidi 3.19.12
6 Personam hominis Deus non accipit 3.23.10
7 Mihi creditum erat Euangeliũ prepu tii sicut Petro circuncisionis 4.6.7
8 Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circuncisionis, efficax fuit etiam per me inter gentes 4.1.6,& 4.6.7
9 Quumque cognouissent gratiam mihi datam Iacobus & Cephas & Ioannes, &c. 4.6.13
14 Sed quum vidissem eos non recto pede incedere vt veritati Euangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, &c. 4.12.3
16 Scientes iustificari hominem nõ ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi, &c. 3.17.2
19 Ego enim per Legem Legi mortuus sum, vt Deo viuerem 2.16.7
20 Viuo autem non amplius ego, sed viuit in me Christus, &c. 4.19 35
3.1 Amentes Galatæ, quis vos fascinauit ne obsequeremini veritati, &c. 1.11.7,& 4 1 27,& 4.18 11
2 Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex fide per auditum percepta? 3 2.33,& 4.1.6
6 Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad iustitiam 3.17.8
8 Prouidens autem Scriptura Deum ex fide iustificaturum gentes, antè euangelizauit Abrahæ 3.11.3
10 Quotquot ex operibus Legis sunt, sub execratione sunt. Scriptũ est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus, &c. 2.7.5,& 2.7.17,& 2.16.2,& 3.11.19
12 Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, viuet in ipsis 3 11.18,& 3.11. 9
13 Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio. &c. 2 7.15,& 2.8,57,& 2.16.2,& 2.16.6,& 2.16,19,& 2.17.4,& 3.4.27,& 3.11.12,& 3.19.3,& 4.12.21
16 Abrahæ vero dictæ sunt promissiones & semini eius, &c. 2.6.2,& 2.13.3 & 4.14.21
17 Hoc autem dico, pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi, Lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, vt aboleat promissionem 3 1.20
18. Si ex Lege est hæreditas, non ita ex promissione, Abrahæ verò per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem 3.1.17
19 Quid igitur Lex? Transgressionum gratia addita est, &c. 1.14.9,& 2.5.6, & 2.7.2
21 Num igitur Lex addita est aduersus promissiones Dei? Absit, &c. 3 11.19,& 3.4.6
22 Sed concludit Scriptura omnia sub peccatũ, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus 3.4.6
24 Itaque lex pedagogus noster fuit in Christum respiciens, vt ex fide iustificaremur 2.7.2,& 2.7.11,& 2.11.5
27 Nam vos qui in Christo baptizati estis Christum induistis 3.1.1,& 3.1.3,& 4.14.7,& 4.15.6,& 4.16.21,& 4.19.8
28 Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculas ac fœmina, omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu 2.11.11,& 4.20.1

4.1 Hoc autem dico, Quandiu hæres est infans, nihil differt à seruo, quanuis sit dominus omniũ 2.11.2,& 2.11.5,& 2.11.13,& 4.10.14
2 Sed sub tutoribus,& curatoribus est vsque ad tempus quod pater prefinierit 4.10.4
3 Ita & nos quum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in seruitutem redacti Ibid.
4 At postquam venit plenum tẽpus, misit Deus filiũ suum factum ex muliere, &c.2.16.5,& 2.7.15,& 2.11.11,& 2.12.7, & 2.13.1,& 2.13.3,& 2.17.5 & 4.20.15
5 Vt eos qui Legi erant obnoxii, redimeret, vt adoptionem acciperemus 2.7.15,& 3.19.2
6 Quoniam autẽ estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantẽ, Abba, ideſt Pater 2.14.5,& 3.1.3, & 3.2.11,& 3.13.5,& 3.20.37
8 Tum quidẽ ignorãtes Deũ, seruiebatis iis qui natura nõ sunt dii 1.4.3,& 1.12 3
9 At nunc cũm cognoscitis Deum, imò potius edocti sitis à Deo,&c.4.1.27,& 4.10.10, & 4.19 7
10 Dies obseruatis & menses,& tempora & annos 2.8.13
11 Metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos Ibid.
22 Scriptum est enim, Abrahamũ filios duos habuisse, vnũ ex ancilla,& vnum ex libera 2.7.17 & 4.2.3
24 Per quæ aliud figuratur: Nã hæc sunt duæ illæ pactiones,&c. 2.11.9
25 Sina enim est mons in Arabia, pari autem serie respondet ei Ierusalem quæ nunc est,&c. 3.2.6
26 Sublimis verò illa Ierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrũ 4.1.1
28 Promissionis filii sumus secundum Isaac 4.16.12
30 Eiice ancillam & filium eius 3.18.2
5.1 In libertate igitur qua Christus nos liberauit, perstate,&c.3.19.2,& 3.19.14, & 4.10.8,& 4.10.9,& 4.20.1
4 Quicunque per Legem iustificamini, & à gratia excidistis 3.19 14
5 Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus 3 2 43
6 In Christo Iesu neq; circuncisio quicquam valet, neque preputiũ,&c.3.11.20
13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres: tantũm ne libertatẽ &c. 3.19.11
14 Tota Lex vno verbo cõpletur, isto videlicet, Diliges proximum tuum vt teipsum 2.8.53
17 Caro cõcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem,&c. 2.7.5,& 2.2.27
19 Manifesta sunt opera carnis: q̃ sunt adulterium, scortatio, impuritas, proteruia 2.1.8,& 3.14.1,& 4.15.10
6.10 Dum tempus habemus simus benefici erga omnes,&c. 3.7.6,& 3.20.38
14 A me verò abfit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quẽ mundus mihi crucifixus est, & ego mundo 2.16.7
15 Nam in Christo Iesu neque circuncisio quicq̃ valet, neq; preputiũ, 4.14.24
17 De cætero nequis mihi molestias exhibeto: ego enim stigmata,&c.3.18.7, & 3.25.8

AD EPHESIOS.

1.2 GRatia vobis & pax à Deo Patre nostro,& Domino Iesu Christo 1.13.13
3 Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cœlis in Christo 3.22.10
4 Sicut elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, vt simus sancti,&c.2.3.8,& 2.8.53,& 2.12.5,& 2.16.4,& 3.15.5,& 3.17.15,& 3.19.2,& 3.22.1,& 3.23.12,& 3.24.3,& 3.24.5
5 Qui prædestinauit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese,&c. 2.12.5,& 3.11.4,& 3.18.2
6 Ad laudem glorioſæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto 2.17.2,& 3.2.32,& 3.11.4
7 In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius,&c. 3.4.30
9 Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundum gratuitã suam beneuolentiam,&c. 4.14.2,& 4.19.36
10 Vt in pleni tẽporis dispensatione recolligeret omnia in Christo, tum quæ in cœlis sunt,&c. 2.12.5,& 3.20.21
13.7 In quo speraſtis & vos, audito sermone veritatis, ideſt Euangelio salutis vestræ,&c 1.7.4,& 2.9.3,& 2.10.3,& 3.1.4,& 3.2.36,& 3.24.1,& 3.24.8
14 Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dũ in libertatẽ vindicemur,&c. 3.24.8
17 Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater illegloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ,&c. 1.2.21
18 Vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis 3.2.16,& 4.8.11
20 Quam exeruit in Christo, quum excitauit eum ex mortuis,&c. 2.16 15
21 Longè supra omne imperium ac potestatẽ,& potẽtiã,& dominiũ,& omne nomen quod nominatur,&c. 1.14.5,& 2.15.5,& 2.16.15
22 Eúmque cõstituit caput supra omnia, ipsi Ecclesiæ 2.15.5,& 4.6.9
23 Quæ est corpus ipsius,& cõplementum eius qui omnia implet in omnibus. 2.15.5,& 3.20 38,& 4.1.10,& 4.17.9
2.1 Quum essetis mortui in offensis & peccatis 3.24.10
2 In quibus olim versati estis, vt est vita mundi huius, secundum principem cui potestas est aeris,&c. 1.14.13,& 1.14.18, & 2.4.1,& 3.24.10
3 Inter quos & nos omnes conuersati sumus, olim in cupiditatib. carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationib. libebãt,&c.2.1.6,& 2.1.11,& 4.16.17
4 Sed Deus qui diues est misericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos 3.14.5
5 Quum per offensas mortui essemus, vnà viuificauit nos,&c. 2.5.19
6 Vnáque excitauit, vnáque collocauit in cœlis, in Christo Iesu 2.16.16,& 3.15.6,& 3.25.1
8 Gratia estis seruati p fidẽ, idque nõ ex vobis, sed Dei donũ est 3.13.2,& 3.14.11
9 Non ex operib. nequis glorietur 3.13.2
10 Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona,&c.2.3.6, & 3.3.21,& 3.14.5,& 3.15.7,& 3.23.13
11 Mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini, preputium,&c.4 14.12,& 4.16.15
12 Vos inquam, illo tẽpore fuisse absque Christo, alienos à Repub. Israelis,&c. 1.4 3,& 1.5.12,& 2.6.1,& 3.24.10,& 4.16.3,& 4.16.24
14 Ipse est pax nostra, qui vtraque fecit vnum,&c. 2.7.17,& 2.11.11,& 3.2.28,& 3.2.32,& 3.13.4,& 4.16.13
16 Et vt vtrosque in vno corpore recõciliaret Deo per crucem,&c. 2.17.2
19 Non igitur amplius estis hospites, & inquilini, sed conciues,&c. 3.25.1
20 Superstructi super fundamẽtum Apostolorum ac Prophetarum,&c.1.7.2,& 4.1.9,& 4.2.1,& 4.2.4,& 4.6.5
21 In quod totum ædificium cõgruenter coagmẽtatũ crescit vt sit templum sanctum Domino 3.15.5,& 3.16.2
3.2 Siquidẽ audiuistis dispensationẽ gratiæ Dei quæ data est mihi apud vos 4.14.2
7 Cuius factus sum minister ex dono gratiæ Dei,&c. 3.22.7
10 Vt nota nũc fiat per Ecclesiã imperiis ac potestatibus quæ in cœlis sunt,&c. 1.18.3,& 2 11.12,& 3.24.16
12 In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia,&c.8.2.15,& 3.13.5,& 3.20.12
14 Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi 3.2.15
15 Ex quo tota familia in cœlis,& in terra nominatur Ibid.
16 Vt det vobis, pro diuite sua gloria, vt fortiter corroboremini,&c. 2.12.5
17 Et inhabitet Christus per fidem cordibus vestris 2.9.3,& 2.12.5,& 4.17.5
18 Vt in charitate radicati & fundati, valeatis assequi cum omnib. sanctis,&c. 2.12.5,& 3.2.14,& 3.14.19
19 Et cognoscere charitatẽ illã Christi, omni cognitione superiorẽ,&c. 2.12.5
4.2 Tolerantes alii alios per charitatẽ. 4.12.11,& 4.12.13
3 Studentes seruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis Ibid.
4 Vnum est corpus & vnus Spiritus,&c. 4 1.3,& 4.3.1,& 4.6.10
5 Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma 1.13.16,& 4.15
7 Sed vnicuique nostrûm data est gratia &c.2.15.5,& 3.1.2,& 4.6.10
8 Quum ascendisset in sublime, captiuã duxit captiuitatem,&c.1.13.11,& 2.16.16
10 Qui descendit ipse est etiã qui ascendit, longè supra omnes cœlos,&c.2.16. 14,& 4.3.2,& 4.6.10
11 Dedit igitur ipse alios quidem, Apostolos, alios verò Prophetas,&c 4.1.11 & 4.1.5,& 4.3.4,& 4.6.10,& 4.8.12
12 Ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii,&c. 4.1.5
13 Donec euadamus omnes ad vnitatem fidei,&c. 4.14.8
14 Vt ne simus amplius pueri, q̃ fluctuemus & circũferamur quouis vento doctrinæ,&c. 4.3.1
15 Sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum,&c. 2.16.15,& 3.1.1,& 3.1.3,& 4.3.2,& 4.6.9,& 4.17.9
16 Ex quo totũ corp⁹ cõgruẽter coagmẽtatũ, & cõpactum per omnes suppeditatas cõmissuras,&c. 2.13.1,& 4.6.9
17 Hoc itaque dico,& obtestor per Dominũ, ne amplius versemini,&c. 2.3.1
18 Cogitationem habentes obscuratam, & abalienatam,&c. Ibid.
20 Vos non ita didicistis Christum 3.2.6,& 3.6.4
22 Nempe deponere quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem illum hominem,&c. 3.3.8,& 3.6.4
23 Renouemini Spiritu mentis vestræ 2.1.9,& 2.3.1,& 3.3.8,& 3 7.1
24 Et induite nouum illum hominẽ, qui secundum Deum conditus est,&c.1.15.4
27 Neque date locum diabolo 1.14.18
28 Qui furabatur, non amplius furetur, sed potius laboret,&c. 3.24.10
30 Et ne tristitia afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem,&c. 2.5.8
5.1 Estote igitur imitatores Dei, vt filii dilecti 3.6.3
2 Versamini cum charitate, sicut & Christus dilexit nos,& tradidit semetipsum &c. 2.17.5,& 4.19.23
6 Ne quisquam vos seducat inanib. sermonibus, propter hæc enim.&c.3.2.27
8 Eratis olim tenebræ, nunc aũt lux in Domino

Domino,&c. 3.16.2,& 3.24.10
14 Excitare,qui dormis,& surge à mortuis & illucescet tibi Christus 2.5.19
23 Quoniam vir est caput vxoris, vt & Christ⁹ est caput Ecclesię 3.6 3,& 4.6.9
25 Et semetipsum exposuit pro ea 4.1.17 & 4.8.12,& 4.20.29
26 Vt eam sanctificaret,purgans,&c.3.3. 11,& 3.6.3,& 4.1.13;& 4.15.2,& 4.16.22
27 Vt sisteret eam sibi gloriosam, idest Ecclesiā nō habentē,&c.3.3 11,& 4.1.10
28 Ita debēt viri diligere suas vxores, vt sua ipsorum corpora,&c. 4.19.35
29 Nullus enim vnquam suam ipsius carnem odio habuit,imo enutrit,ac fouet eam,sicut & Dominus Ecclesiam Ibid.
30 Mēbra sumus corporis eius,ex carne eius,&c.2.12.2,& 2.12.7,&3.1.3,& 4 17.9
32 Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo & Ecclesia 4.12.24
6.1 Liberi,auscultate in Domino parentib.vestris,&c.2.8.36,& 2.8.38,& 4.20.29
4 Et vos patres ne prouocate liberos ad iram,&c. 4.20.29
9 Apud eum nullus est personæ respectus 3.23.10
10 Quod superest,fratres mei,corroboremini per Dominum,&c. 2.5.8
12 Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem,&c. 1.14.13,& 1.17.8
13 Propterea assumite vniuersam illam armaturam Dei,&c. 1.14.13,& 2.5.11
16 Insuper assumpto scuto fidei, quo possitis omnia,&c. 3.2.21,& 3.20.12
18 Omni prece & supplicatione,precantes omni tempore per Spiritum,&c. 3. 20.5,& 3.20.7.& 3.20.12
19 Et pro me,vt mihi detur sermo ad aperiendū oris mei cū libertate 3.20.20

AD PHILIPENSES.

1.1 Paulus & Timotheus serui Iesu Christi,&c. 4.3.7,& 4 3.8
4 Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis,&c. 2.2.25
6 Persuasum habens hoc ipsum, fore vt qui cœpit in vobis opus bonum,&c.2. 3.6,& 3.18.1,& 3.24.6
20 Secundum intentam expectationē & spē meā,quod nulla in re pudefiam,sed cum omni libertate,&c. 3.2.43
23 Coarctor enim vtrinque, cupiens migrare, & esse cum Christo 3.9.4
29 Nobis enim datum est in Christi negotio,nō solùm in eū credere,&c.2.17.5
2.2 Explete meum gaudiū, vt itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes,&c. 4.2.5
3 Nihil gerite per cōtentionem aut per inanē gloriā,sed ex modestia,&c.3.7.4
5 Itaque is sit affectus in vobis qui fuit in Christo Iesu 4.2.5
6 Qui quum esset in forma Dei,nō duxit rapinam,&c. 1.13.11,& 1.13.24
7 Ipse se exinaniuit,forma serui accepta, similis hominibus factus,&c.1.13.14,& 2.13.2,& 2.16.5,& 4.17.25
8 Ipse se summisit, factus obediens vsque ad mortem,&c. 2.13.2,& 2.14.3,& 3.15.8,& 4.14.21
9 Quapropter & Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donauit nomen,&c. 2.11.12,& 2.13.2,& 2.15.5,& 2.16.15,& 2.17.6
10 Vt ad nomen Iesu omne genu se flectat,&c.1.15.24,& 2.11.12,& 2.14.3,& 3.5.8
12 Dilecti mei,sicut semper obedistis,nō vt in præsentia mea solùm,&c. 2.5.11, & 3.2.23,& 3.18.1
13 Deus is est qui efficit in vobis, vt velitis,& vt efficiatis,&c.2.2.27,& 2.3.6, & 2.3.11,& 2.5.11,& 3.2.23,& 3.11.12
15 Vt sitis irreprehensi & sinceri, filii,inquam,Dei,inculpati,&c. 3.17.15
17 Quin etiam si pro libamento offerar, super hostia sacrificióque fidei vestræ gaudeo & gratulor omnib.vobis 3.2.6
20 Neminē enim habeo pari animo præditum,qui germanè res vestras curaturus sit 4.6.15
21 Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt,non quæ Christi Iesu Ibid.
3.5 Hebræus ex Hebræis:religione Pharisæus 3.24.10
6 Quod ad zelum attinet,persequēs Ecclesiam,&c. 3.24.10
8 Quin etiam omnia duco damnum esse propter eminētiam cognitionis Christi Iesu Domini mei,&c.3.11.13,& 3.25.2
10 Vt cognoscam eum, & vim resurrectionis ipsius,&c. 2.16.13, & 3.8.1, & 3. 15.8,& 3.25.2
12 Nedum vt iam metam apprehenderim aut iam perfectus sim,sed,&c. 4.6.11
14 Vnum autem ago,equidē quæ à tergo sunt obliuiscens,&c. 3.14.13,&3.25.1
15 Quotquot perfecti sumus,hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis,&c. 3. 2.4,& 4.1.12
20 Nos enim vt municipes cœlorū nos gerimus: vnde etiam seruatorem expectamus,&c. 3,25 2,& 3.25.3,& 4.17.27, & 4.17.29
21 Qui transformabit corpus nostrū humile,&c.3.25.3,& 3.25.8,& 4.17.29
4.3 Et rogo te quoq;,socie germane,opitulare ipsis,vt q̄ in Euāgelio, 3.24.9
6 De nulla re solliciti estote : sed omni in re precibus & supplicatione,&c. 3. 20.28,& 3.20.40
12 Noui aūt deprimi, noui etiam abundare, vbique & in omnibus initiatus sum,&c. 3.10.5,& 3 19.9
18 Expletus sum,inquam,acceptis ab Epaphrodito,quæ à vobis,&c. 4.18.16

AD COLOSSENSES.

1.4 Audita fide vestra in Christo Iesu, & charitate in omnes sanctos 2.10.3,& 3.18.3,& 4 10.24
5 Propter spem sepositam vobis in cœlis,&c. 3.18.3,& 3.25.1
9 Propterea & nos,ex quo die id audiuimus,non desinimus pro vobis orare, &c. 2.2.25
10 Et crescentes in agnitionē Dei 2.2,25
12 Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit,&c. 3.22.1
13 Qui liberauit nos à potestate tenebrarum,&c. 3.15.6
14 In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius,&c. 2.17.5,& 3.4.30, & 3.15.5
15 Qui est imago Dei inconspicui, primogenit⁹ omnis rei creaturæ 2.2.20,& 2.6.4, & 2.12.4, & 2.12.7, & 2.14.2, & 2.14.5
16 Nā per eū cōdita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & q̄ in terra, visibilia & inuisibilia,&c. 1.14.10,& 2.17.2,&2.12.7
18 Estque caput corporis Ecclesiæ 2.12. 7,& 4.6.9
21 Itaque vos quondā abalienatos & gostes,mente opibus,&c. 2.16.2,& 3.14.6
20 Et per eum reconciliare omnia sibi, &c. 1.14.10,& 3.4.27,& 3.15.5
22 Nunc tamen recōciliauit vos in corpore illo carnis suæ,&c. 2.16.2
24 Nūc gaudeo de iis quæ patior pro vobis,&c. 3.5.2,&3.5.4,& 4.12.5
26 Mysterium absconditum à seculis,& ætatibus, nunc autem illud est patefactum sanctis eius 2.11.12,& 2.7.17,& 3. 2.14,& 4.14.2
2.2 Vt consolationem accipiant eorum corda,ipsis charitate cōpactis,&c.3.2.14
3 In quo sunt omnes thesauri sapiētiæ ac cognitionis absconditi 2.12.4,& 2. 15.2, &3.2.13,&2.11.5, & 3.11.12,& 4.8. 7,& 4.10.8,& 4 18.20
8 Videte nequis sit qui vos deprædetur per philosophiā,&c. 4.10.8,& 4.10.24
9 Nam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter 1.13.13,& 3.11.5
10 Et estis in eo cōpleti qui est caput omnis ſperii ac potestatis 1.14.5,& 4.6.9
11 In quo etiā circūcisi estis,circūcisione q̄ fit sine manib.&c. 4.14.24,& 4 16 11
12 Consepulti cum eo per Baptismū,&c. 3.25.8,& 4 15.5,& 4.16.21
13 Vósque mortuos in peccatis,& præputio carnis vestræ,&c. 2.7.17
14 Deleto quod aduersum nos erat rituum chirographo,&c. 2.7.17,&2.17. 5,& 3.4.25
15 Expoliata imperia ac potestates traduxit palā,triūphatis illis p eā 2.16.6
16 Nequis igitur vos damnet ob cibū vel potū,aut respectu diei festi,&c. 2.8.33
17 Quæ sunt vmbra rerū futurarū,at corpus est Christi 2.7.16,&2.8.31,& 4.14. 22,& 4.14.25
19 Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per cōmissuras & cōpages suppeditatum,&c. 2.15.1
20 Si itaque mortui estis in Christo, liberi estis ab elementis mundi,&c.4.10. 9,& 4.19.7
21 Ne attigeris,neque gustaris, 4 10.13
23 Quæ rationem quidem habēt sapientiæ,in cultu voluntario,&c. 4.10.11,& 4.10.24,& 4.13.2
3.1 Itaque si resurrexistis cū Christo,superna quærite,&c. 3.6.3,& 4.17,36
2 Superna curate non terrestria 4.17.36
3 Mortui estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo.&c.2 16.7,& 2.16 13.& 3.25.1
5 Mortificate igitur membra vestra terrestria,scortationē,impuritatē,&c.2.16.13
6 Ob quæ venit ira Dei in filios contumaces 3.2.27
9 Ne mentimini alius aduersus aliū, cum exueritis veterem,&c. 3.3.8
10 Et indueritis nouum illum,qui renouatur,&c. 1.15.4,& 2.12.6,& 3.3.8
11 Vbi non est Græcus,& Iudæus Circōcisio & Præputiū,barbarus,&c.4.20.1
14 Adhæc aūt omnia induimini charitate,&c. 2.8.53.& 3 18.8,& 4.13 13
16 Docendo,& cōmonefaciendo vos mutuò Psalmis,hymnis,&c. 3.20.32
20 Liberi,auscultate parentibus 2.8.36
24 Sciētes vos à Dominos recepturos mercedem hæreditatis,&c. 3.18.2
25 Neque est personarū respectus 3.2.10
4.3 Precantes simul etiam pro nobis,vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, &c. 3.20.20
17 Et dicite Archippo, Vide vt ministerium quod accepisti,&c. 4.3.7

I. AD THESSALONICENSES.

2.18 Ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus)&c. 1.17 11
19 Nā quæ est nostra spes aut gaudiū,aut corona de quo glorier?&c. 3 25.10
3.5 Quamobrē etiā ego non amplius ferens vestri desiderium, misi eum vt cognosceret fidem vestram,&c. 3.20.46, & 4.1.6
12 Faxit aūt Dominus abūdetis & exuberetis mutua inter vos,&c. 2.6.6
13 Vt corda vestra inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo, &c. 3.17.15
4.3 Hæc est voluntas Dei,nempe sanctificatio vestra 3.16 2
7 Non enim vocauit nos Deus ad impu-

ritatem, sed ad sanctificationem 3.16.2, & 3.19.2, & 3.23.13

15 Hoc enim vobis dicimus verbis Domini, fore vt nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, non preueniamus eos qui obdormierunt 3.25.8

16 Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, & voce Archãgeli ac Dei tuba, descẽdet è cœlo, & qui mortui fuerint in Christo, resurgẽt primùm 1.14.8, & 2.16.17

17 Deinde nos viui qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes in occursum Domini in aera: & ita semper cum Domino erimus 2.16.17

5.2 Ipsi enim pœnitus scitis diem illum Domini, vt furem in nocte, ita venturum esse 4.19.34

9 Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Iesum Christum 2.16.2

17 Indesinenter orate 3.20.7, & 3.20.28

18 In omnib⁹ gratias agite, hæc enim est voluntas Dei per Christum Iesum erga vos 3.20.28

19 Spiritum ne extinguite 1.9.3 & 2.5.11

20 Prophetias ne ꝓ nihilo habete 1.9.3

23 Deus autem pacis author, sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, anima & corpus inculpatè in aduentũ Domini nostri Iesu Christi seruentur 3.6.3, & 3.17.15, & 3.25.7

II. AD THESSALONICENSES.

1.4 NOs ipsi de vobis gloriamur apud Ecclesias Dei, idest de tolerantia vestra, & fide in omnibus persequutionibus vestris & oppressionibus quas toleratis 3.2.11

5 Quæ res manifesto est indicio iusti iudicii Dei, vt digni cẽseamini regno Dei pro quo etiam ista patimini 3.2.11, & 3.18.7

6 Iustum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem 3.9.6, & 3.18.7, & 3.25.4

7 Vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum, quum patefiet Dominus Iesus de cœlo cum Angelis potentiæ suæ 3.17.7

9 Qui pœnam pendent æterni exitii, damnati à præsente Domino, & potente ipsius gratia 3.25.12

10 Quum venerit vt sanctificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in fidelibus omnibus (quòd fides habita sit testimonio nostro apud vos) in die illo 3.25.10

11 Cuius etiam rei gratia precamur semper pro vobis, vt vos dignetur ista vocatione Deus noster, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam beneuolentiam, & opus fidei potenter 2.5.8, & 3.2.35

2.3 Nequis vos seducat vllo modo: non enim aduenietdies Christi quin venerit defectio prius & retectus fuerit homo ille sceleratus, filius inquam ille perditionis 4.9.7

4 Sese opponens & efferens aduersus quicquid dicitur Deus, aut numen: adeò vt in templo Dei tanquam Deus sedeat, &c. 4.2.12, & 4.7.25, & 4.7.29, & 4.9.4

9 Illum inquam, cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & signis, & prodigiis mendacibus 1.14.17

11 Propterea igitur Deus mittet illis efficaciam deceptionis, vt credant mendacio 1.14.17, & 1.18.2.4.5.

12 Vt damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia 1.18.2, & 2.4.5

13 Nos autem debemus gratias agere Domino semper de vobis fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati 3.1.4

14 Quò vocauit vos per Euangelium nostrum ad obtinendam gloriam Domini nostri Iesu Christi 2.10.3

3.6 Denuntiamus autem vobis fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, &c. 4.1.26

10 Etiam quum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quòd si quis nolit operari, etiam non edito 4.16.29

12 Iis autem qui sunt istiusmodi, denuntiamus, & eos obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete operãtes, suo pane vescantur 4.1.26

14 Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate & ne commercium cum eo habete, vt eum pudeat 4.12.5

15 Neque vt inimicum ducite, sed admonete vt fratrem 4.12.10

I. AD TIMOTHEVM.

1.5 FInis mandati est charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata 2.5.6, & 2.8.51, & 3.2.12, & 3.19.16, & 4.10.4

9 Sciens legem iusto positam non esse, sed Legis contemptoribus, & iis qui subiici nesciunt, impiis, &c. 2.7.10

13 Me inquam qui prius eram blasphemus, & persequutor & iniuriosus, sed mei misertus est, nam ignorans id faciebam fidei expers 3.3.22

15 Iesus Christus in mundũ venit vt seruaret peccatores, quorum primus sum ego 2.12.5

17 Regi autem æterno, immortali, inuisibili, soli sapiẽti Deo honor sit & gratia 1.13.11, & 1.13.24

19 Retinens fidem & bonam conscientiam, qua repulsa, nonnulli fidei naufragium fecerunt 3.2.12

2.1 Ad hortor igitur ante omnia vt fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones, pro quibusuis hominibus 3.20.19, & 4.20.23

2 Pro regibus & quibusuis in eminentia constitutis: vt tranquillam, & quietam vitam degamus, cum omni sanctitate & honestate 4.20.5, & 4.20.23

4 Qui quosuis homines vult seruari, & ad agnitionem veritatis venire 3.24.15

5 Vnus Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus 2.12.1, & 2.17.5, & 3.20.17, & 3.20.20, & 4.12.25

6 Qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro quibusuis, Christus inquam testimonium illud suis temporibus destinatum 2.17.5, & 3.4.30

8 Velim igitur viros precari in quouis loco, puras manus attollente, absque ira & disceptatione 3.20.29, & 3.25.7, & 4.19.2

3.2 Oportet igitur Episcopum irreprehensum esse, vnius vxoris virum, vigilãtem, sobrium, compositum, hospitalem, aptum ad docendum 4.3.12, & 4.4.7, & 4.4.10, & 4.5.2, & 4.12.23, & 4.12.24

9 Tenentes mysterium fidei cum pura conscientia 3.2.13, & 4.19.36

15 Quæ est Ecclesia Dei viui, columna & stabilimentum veri tatis 4.1.10, & 4.2.1, & 4.2.10, & 4.8.12

16 Et sine controuersia magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne 1.13.11, & 4.14.2

4.1 Spiritus autem diserté dicit, fore vt posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum 4.9.14

2 Docentes mendacium per hypocrisim, quorum cõscientia cauterio resecta est 4.9.14

3 Prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem 4.9.14, & 4.12.23

4 Nam quicquid creauit Deus, bonum est, nec quicquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur 3.19.8.

5 Sanctificatur enim per verbum Dei, & preces 3.19.8, & 3.20.28

6 Innutritus in sermonibus fidei, bonáque doctrina quam assectatus es 3.2.13

8 At pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ 2.9.3, & 3.2.28, & 3.20.44

10 Idcirco etiam fatigamur & probris afficimur, quòd speramus in Deo viuo, qui est cõseruator omnium hominum, maximè verò fidelium 3.8.8

13 Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, interim dum venio 1.9.1

14 Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi ad prophetandum, cum impositione manuum presbyterii 4.3.15, & 4.19.28

5.9 Vidua allegatur non minor annis sexaginta quæ fuerit vnius viri vxor 4.3.9

12 Ex eo damnandæ, quòd primam fidem reiecerint 4.13.18

17 Qui benè presunt presbyteri duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in sermone & doctrina 2.8.35, & 4.11.1

20 Eos qui peccant coram omnibus argue, vt & reliqui timeant 4.12.3

21 Obtestor in conspectu Dei, & Domini Iesu Christi, & electorum Angelorum, vt hæc serues, absque eo vt vnum alteri præferas, nihil faciẽs in alteram partem declinãdo 1.14.9, & 1.14.16, & 3.23.4

22 Manus citò ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis 4.3.12, & 4.3.15

6.4 Is turget nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones ac verborum pugnas, ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ 1.13.3

10 Siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis 3.2.13.

16 Qui solus immortalitatem habet, lucem inaccessam habitans, quem vidit nemo hominũ neque videre potest: cui honor, & robur æternum, Amen 1.6.3, & 1.18.3, & 3.2.1

17 Iis qui diuites sunt in hoc seculo, denuntia ne efferantur animo, neque spem ponant in diuitiis incertis, sed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum 3.18.6

20 Timothee, depositum serua, & auersare profanes de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ

tæ ſcientiæ 1.16.8

II. AD TIMOTHEVM.

1.1 Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu 2.9.3
6 Suggero tibi vt exuſcites donum Dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum 4.3.15
9 Qui ſeruauit vos & vocauit vocatione ſancta, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, &c. 2.12.5, & 3.14.5, & 3.22.3, & 4.3.26
10 Patefacta nunc eſt per illuſtrem illũ aduentum Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui & mortem aboleuit, & vitam in lucem produxit, ac immortalitatẽ per Euangelium 2.9.1, & 3.25.1
12 Quam ob cauſam & hæc patior, neque erubeſco, noui enim cui crediderim, & mihi perſuaſum eſt illum poſſe depoſitum meum in illum diem ſeruare 3.2.31, & 3.25.4
14 Præclarum depoſitum ſerua per Spiritum ſanctum qui inhabitat in nobis 3.2.33
18 Det ei Deus vt inueniat miſericordiam apud Dominum in die illo 3.25.10
2.10 Ideo omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria æterna 3.5.4
12 Si cum eo mortui ſumus, cum eo etiam viuemus: Si toleramus, & cum eo regnabimus 3.15.8
13 Si infidi ſumus, ille tamen fidus manet, negare ſeipſum non poteſt 1.4.2, & 3.20.36
16 Prophanos clamores de rebus inanibus cohibe: ad maiorẽ enim procedẽt impietatem 3.2.13
19 Solidum tamen Dei fundamentum ſtat, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſint ſui, &c. 3.22.6, & 4.1.2, & 4.1.8
20 In magna domo non tantùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea ac teſtacea, & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus 3.15.8
25 Cum lenitate erudito eos qui contrario animo ſunt affecti, ecquando det eis Deus vt reſipiſcentes agnoſcãt veritatem 1.14.18, & 3.3.21, & 3.24.15
26 Et elapſi ex diaboli laqueo, à quo captiui tenentur, mentis ſanitatem recipiant, ad præſtandam illius voluntatem 1.14.18, & 3.3.21
3.7 Semper diſcentes, ſed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire poſſint 3.2.5
8 Quemadmodum Iannes & Iambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem 3.2.13
16 Tota Scriptura diuinitus eſt inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia 1.9.1, & 2.7.14
17 Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus 1.9.1
4.1 Obteſtor igitur ego te coram Deo & Domino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, in illuſtri illo ſuo aduentu & regno ſuo 2.16.17
8 Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iuſtus ille iudex 3.10.4 & 3.25.4
16 In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt 4.6.15

AD TITVM.

1.1 Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem 3.2.12, & 3.22.10
5 Huius rei cauſa reliqui te in Creta, vt quæ reliqua ſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim presbyteros, ſicut ego tibi mandaui 4.3.7, & 4.3.6, & 4.3.15
6 Si quis eſt inculpatus, vnius vxoris vir, liberos habens fideles, &c. 4.3.12, & 4.12.23
7 Oportet Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem, &c. non turpiter lucri, lucri cupidum 4.5.19
9 Tenacem fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit, vt poſſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & cõtradicentes conuincere 4.3.6
13 Teſtimonium hoc eſt verum: quã ob cauſam redarguito eos preciſè, vt ſani ſint in fide 3.2.13
15 Omnia quidem pura puris: pollutis autem & infidelibus, nihil eſt purum, &c. 3.19.9, & 4.13.9, & 4.17.40
2.2 Vt ſenes ſobrii ſint, venerandi, temperantes, ſani fide, charitate, & tolerantia 3.2.13
11 Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus 2.12.4, & 3.7.3, & 3.16.2, & 4.1.26
12 Erudiens nos vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, iuſtè, & pie viuamus in præſenti ſeculo 3.16.2, & 3.25.1
13 Expectantes beatam illam ſpem & illuſtrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei, ac Seruatoris noſtri, nempe Ieſu Chriſti 3.9.5, & 3.16.2
3.1 Suggere ipſis, vt ſeſe ſubiiciant principatibus, ac poteſtatibus obtemperent, vt ad omne opus bonum ſint parati 4.20.23
4 Poſtquam bonitas, & erga homines amor apparuit Seruatoris noſtri Dei, ſeruauit nos 2.5.17, & 3.14.5, & 4.1.26
5 Non ex operibus iuſtis quæ feceramus nos, ſed ex ſua miſericordia, per lauacrum regenerationis, &c. 1.13.14, & 3.4.25, & 4.15.2, & 4.15.5, & 4.16.20, & 4.17.22
7 Vt iuſtificati ipſius gratia, hæredes efficeremur ſecũdum ſpem vitæ æternæ 3.15.6
9 Stultas autem queſtiones & genealogias, & contentiones ac pugnas legales cohibe: ſunt enim inutiles & vanæ 2.12.5

AD HEBRAEOS.

1.1 Deus multis vicibus, multíſque modis olim loquutus Patribus per Prophetas 2.9.1, & 2.15.1, & 4.8.7
2 Vltimis hiſce diebus loquutus eſt nobis per Filium 1.13.7, & 4.8.7, & 4.18.20
3 Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & character perſonæ illius, ſuſtineãtque omnia verbo illo ſuo potente, purgatione peccatorum noſtrorũ per ſeipſum facta, &c. 1.13.2, & 1.13.12, & 1.16.4, & 2.2.20, & 2.14.3
4 Tantò præſtantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis ſortitus eſt nomen 1.14.9
6 Adorent eum omnes Angeli Dei 1.13.11, & 1.13.23
10 Et tu in initio Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli 1.13.11, & 1.13.23, & 1.13.26
14 Nonne omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis? 1.14.9, & 3.20.23
2.5 Non Angelis ſubiecit mundum illum futurum de quo loquimur 1.14.9
9 Sed Ieſum illum cernimus gloria & honore coronatũ, qui pauliſper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſsionẽ, vt beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret 1.13.16, & 2.16.7
11 Nam & qui ſanctificat & qui ſanctificãtur, ex vno ſunt omnes, quam ob cauſam non erubeſcit fratres ipſos vocare 2.13.2
14 Vt per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc eſt diabolum, &c. 1.14.18, 2.13.1, & 2.13.2, & 3.11.12
15 Et liberos redderet quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant ſeruituti 2.16.7
16 Non enim videlicet Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit 1.14.9, & 2.13.1, & 2.13.2
17 Debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, vt miſericors, eſſet, & fidelis pontifex in iis quæ apud Deum agẽda forent 2.13.1, & 2.16.12, & 2.16.19
3.14 Chriſti participes facti ſumus, ſinmodo principium illud quo ſuſtentamur, firmum tenuerimus ad finem vſque 3.2.16
4.9 Itaque reliquus eſt aliquis ſubbatiſmus populo Dei 2.8.29
14 Habẽtes igitur Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum Filium Dei, teneamus hanc profeſsionem 2.7.2, & 4.4.21
15 Non habemus Pontificem qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato 2.12.1, & 2.12.7, & 2.13.1, & 2.16.12, & 4.17.24
16 Accedamus igitur cũ fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & gratiam inuenianus ad opportunum auxilium 3.20.12, & 3.20.17
5.1 Omnis autem Pontifex ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur in iis quæ apud Deum agenda ſunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis 2.12.4
4 Neque ſibiipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron 4.3.10, & 4.15.22, & 4.18.9, & 4.18.14
5 Ita & Chriſtus non ſibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, &c. 4.14.21, & 4.18.2
6 Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec 4.19.28
7 Qui in diebus carnis ſuæ, quum deprecationes & ſupplicationes apud eũ qui poterat ipſum ſeruare à morte, cum clamore valido ac lachrymis obtuliſſet, & exauditus eſſet ex metu 2.16.11
8 Quamuis filius eſſet, tamen ex iis quæ paſſus eſt, didicit obedientiam 3.8.1
10 Cognominatus à Deo Pontifex, ſecundum ordinem Melchiſedec 4.18.2
6.4 Nam fieri non poteſt vt qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtauerũntque do-

num cœleſte,& participes fuerunt Spiritus ſancti 3.2.11,& 3.3.21,& 3.3.23
6 Si prolabantur vt denuò renouentur per reſipiſcentiam,&c. 3.3.21
10 Non enim iniuſtus eſt Deus,vt obliuiſcatur operis veſtri,& laborioſę charitatis, quam exhibuiſtis ipſius nomini 3.18.7
13 Deus enim pollicitus Abrahæ,quum non poſſet per quenquam maiorē iurare,iurauit per ſeipſum 2.8.25
16 Homines quidem iurant per eum qui ſit maior, atque iiſdem omnis controuerſia finis,eſt iuſiurandum ad confirmationem adhibitum 2.8.27
7.3 Sine patre, ſine matre,ſine genere, nec initium dierum, neque vitæ finem habens,ſed aſsimilatus Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum 4.19.28
7 Porrò ſine vlla controuerſia id quod minus eſt, ab eo quod maius eſt benedicitur 4.18.2
11 Si conſummatio per Leuiticum Sacerdotium erat,&c. 2.11.4
12 Mutato igitur Sacerdotio , neceſſe eſt vt Legis quoque mutatio fiat 3.4. 4,& 4.6.2
17 Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec 4.18.2
19 Nihil enim ſanctificauit Lex, ſed adſcita ſpes melior, per quam appropinquamus Deo 2. 7. 17, & 2.11.4
21 At hic cum iureiurando per eum qui dixit ei,Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum, &c. 4.8.2
22 Tantò potioris fœderis ſponſor factus eſt Ieſus Ibid.
24 At iſte,propterea quòd in æternum manet,perpetuum habet ſacerdotium 2.15.6
25 Vnde & ſeruare prorſus poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum 2. 16.16
8.1 Cæterùm eorum quæ dicimus hæc ſumma eſt: Talem nos habere Pontificem, qui conſedit ad dextram throni maieſtatis illius cœleſtis 2.16.15
5 Vide,inquit,vt facias omnia ad exemplar quod oſtenſum eſt tibi in monte 2.7.1
6 At nunc noſter ille Pontifex eo excellētius miniſterium ſortitus eſt,quo præſtantioris eſt fœderis interceſſor, &c. 2.16.12
9.1 Habebat quidem etiam prius fœdus conſtitutos religionis ritus , & ſanctuarium mundanum 4.14.21
7 In ſecundum autem, ſemel quotannis ſolus Pontifex , non ſine ſanguine quem offert pro ſeipſo, & pro populi erratis 2.15.6
8 Hoc declarante Spiritu ſancto,nondum patefactam fuiſſe viam ad ſacrarium, priore tabernaculo adhuc conſiſtente Ibid.
9 Quo dona ſacrificiáque offeruntur, quæ non poſſunt conſcientia ſanctificare cultorem 2.7.17, &2.11.4, & 4. 14.25
11 Adueniens autem Chriſtus Pontifex futurorum, &c. 2.16.16.& 4.14.21,& 4.18.2
12 Neque ſanguine hircorum & vitulorum , ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in Sacrarium 2.17. 4,& 4.18.3
13 Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem 2.17.4.
14 Quantò magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit,inculpatum Deo, purgabit,&c. 2. 16.6,& 3.16.1,& 4.14.21
15 Itaque ob id noui fœderis Mediator eſt,vt morte intercedēte,&c.4.17. 4,& 2.7.17
16 Nam vbi teſtamentum eſt , mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris 4.18.5
22 Et omnia ferè ſecundum Legem ſanguine purificantur , & abſque ſanguinis effuſione nō fit remiſsio 2.15.6,& 2.17.4
26 Sed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum ad abolendum peccatum, per immolationem ſui ipſius patefactus eſt, &c. 4.18.3
27 Et ſicut iliud ſtatutum eſt hominibus vt ſemel moriantur , poſtea verò iudicium 2.16.17,& 3 25.8
28 Ita & Chriſtus ſemel oblatus vt multorū peccata tolleret,altera vice abſque peccato cōſpicietur iis,qui ipſum expectant ad ſalutem 3.25.2
10. 1 Lex enim vmbram obtinens futurorum bonorum , non expreſſam formam rerum , iis hoſtiis quas ſingulis annis eaſdem aſsiduè offerūt, nunquam poteſt accedentes ſanctificare 2.7.16, &2.7.17,&2.11.4, & 4. 14.23
2 Alioqui non deſiiſſent offerri , propterea quòd qui ſacrificaſſent , ac ſemel purgati eſſent , nullorum peccatorum amplius ſibi conſcii eſſent 3. 19.15.& 4.10 3.& 4.14.25
4 Non enim poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata 4.14.25
7 Tunc dixi, Ecce adſum : in capite libro ſcriptum eſt de me,vt faciā,Deus, voluntatem tuam 2.16.6
8 Quum ſuperius dixiſſet , Sacrificium & oblationem & holocauſtomata & hoſtiam pro peccato noluiſti , neque approbaſti , quæ iuſta Legem offeruntur : tum dixit , Ecce adſum vt faciam,Deus,voluntatem tuam 2.16.5
10 Qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam 3. 6.3 , & 4.18.3
14 Vnica enim oblatione conſecrauit in perpetuum eos qui ſanctificātur 3. 5.2,& 4.18.3
19 Quum igitur,fratres,habeamus libertatem ingrediendi Sacrarium per ſanguinem Ieſu 3.20.20
20 Ea via quam dedicauit nobis recentem & viuam per velum , hoc eſt carnem ſuam 3.20.18
26 Si vltro peccauerimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia 3. 3.21,& 3.3 23,& 4.18.3
27 Sed horrenda quedam expectatio iudicii , & ignis feruor qui deuoraturus eſt aduerſarios 3.25.12
29 Quanto putatis acerbior ſupplicio dignus cenſebitur,qui Filium Dei conculcarit,& ſanguinem fœderis per quem fuerat ſanctificatus profanum duxerit,& Spiritum gratiæ contumelia affecerit 3.3.21
36 Patiētia vobis eſt opus, vt vbi voluntatem Dei præſtiteritis,reportetis promiſsionem 3.2.37
11.1 Eſt nunc fides , illud quod facit vt extent quæ ſperātur,& quod demonſtrat quæ non videantur 3.2.41, & 3.25.1
3 Per fidē intelligimus conſtructū fuiſſe mundū verbo Dei,vt quæ cernimus non fint ex apparentibus facta 1.6.1, & 1.5.13, & 1.16.1
6 Atqui fieri non poteſt vt quiſquam ei ſine fide placeat . Nam qui accedit ad Deum , hunc credere oportet eſſe Deum, & præmia largiri iis qui ipſum requirunt 3.11.15, & 3.14.4, & 3. 20.40
7 Per fidem diuinitus admonitus Noe de iis quæ nondum videbantur veritus,&c. 3.2.30
9 Per fidem commoratus eſt in terra promiſſa vt alienus,&c. 2.10.13
17 Abraham quum tentaretur obtulit Iſaac per fidem, vnigenitum inquam illum obtulit is qui promiſsiones exceperat 3.19.6.
21 Adorauit baculo innixus 1.11.15
12.3 Reputate igitur quis ille ſit qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſeſe contradictionem , ne animis deficientes,fatiſcatis 3.3.15
5 Et obliti eſtis exhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi,ne negligito caſtigationē Domini,neque deficias animo cùm ab eo arguēris 3. 4.32.
8 Quòd ſi eſtis abſque caſtigatione,cuius participes ſunt omnes,nempe ſpurii eſtis,& non filii 3.8.6
9 Deinde corporum noſtrorum patres habuimus caſtigatores,& eos reuerituſumus annon multò magis ſubiiciemur Patri ſpirituum , & viuemus? 1.15.2
17 Scitis eum etiam poſtea quum vellet hæreditario iure benedictionem aſſequi, reprobatum fuiſſe, non enim reperit pœnitentiæ locum,quanuis cum lachrymis benedictionem illā ex quiſiſſet 3.3.24
18 Non enim veniſtis ad contrectabilem montem , & incenſum ignem , & turbinem & caliginem , & procellam 2.11.9
22 Sed acceſsiſtis ad montem Sion & ciuitatem Dei viui,Ieruſalem cœleſtem, & myriadas Angelorum 1.14.9
23 Conuentum & concionem primogenitorum qui conſcripti ſunt in cœlis , & iudicem vniuerſorum Deum 3.25.6
13 4 Honorabile eſt inter quoſuis coniugium,& cubile impollutum: ſcortatores autē & adulteros dānabit Deus 4.9.14 & 4.12.25,& 4.13.3
8 Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula 2.10.4
15 Per ipſum igitur aſsiduè offeramus Deo ſacrificium laudis, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius 3. 20.28,& 4.18.61,& 4.18.17
16 Beneficentiæ verò & communicationis ne obliuiſcimini : talibus enim victimis delectatur Deus 3.4.36, & 3.7. 5,& 3.15.4,& 4.18.17
17 Obedite ducibus veſtris,& obſecundate, vigilant enim pro animabus veſtris, tanquam rationē reddituri 1.15.2

IACOBI.

1.2 PRo ſummo gaudio ducite fratres mei , quoties in tentationes varias incideritis 3.20.46
12 Beatus vir qui tolerat tentationem, quoniam quum probatus erit accipiet coronam vitæ 3.17.10
13 Nemo quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari, nam Deus tentari malis non poteſt, nec quenquam tentat 3.20.46
14 Sed

14 Sed vnusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur 3.20.46
15 Deinde cupiditas posteaquã concepit parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem 3.3.13
17 Omne munus bonum & omne donũ est perfectum, superne descendens à patre luminũ, apud quem non est trãsmutatio, aut conuersionis obumbratio 1.13.8, & 2.2.21, & 4.14.10
21 Quapropter, abiectis omnibus sordibus, & excremento malitiæ, cum lenitate recipite insitum sermonem, qui possit seruare animas vestras 4.17.25
2.5 Nonne Deus elegit pauperes mundi huius, vt fierent diuites fide, cohæredes regni quod promisit iis à quibus diligitur? 3 23.10
10 Quisquis totam Legem seruauerit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur 3.14.10 & 3.18.10
14 Quæ vtilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò nõ habeat? Non potest fides illa eum seruare 3 2.9, & 3.2.12
19 Tu credis Deum vnum esse, rectè facis, & dæmonia credunt, & horrescũt 3.2.10
21 Abraham pater ille noster, nonne ex operibus iustificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare? 3.17.11
4.3 Petitis & non accipitis, eò quòd male petatis, vt in voluptates vestras insumatis 3 20.7
6 Sed maiorem offert gratiam, quia dicit, Deus superbis resistit: modestis autem dat gratiam 2.2.10, & 3.12.5
8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Remundate manus, vos peccatores, & purificate corda, vos duplices animo 3 3.16
11 Qui damnat fratrem suum, loquitur contra Legem, & damnat Legem: quod si damnas Legem, &c 4.10.7
12 Vnus est Legislator qui potest seruare & perdere Ibidem
14 Qui ignoratis quid futurum sit postero die, quæ est enim vita vestra? vapor enim est, &c. 3.20.28
15 Pro eo quod dicere debuistis, Si Dominus voluerit, & viuamus, faciemus hoc aut illud Ibidem
5.12 Ante omnia, fratres mei, ne iurate neque per cœlum, neque per terram, neque aliud vllum iusiurandum. Sit autem vestrum est, est, & non, non, &c. 2.8.26
13 Affligitur aliquis inter vos? oret. est aliquis æquo animo? psallat. 3.20.7
14 Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orẽt pro eo, &c. 4.19.18, & 4.19.21
15 Et oratio fidei seruabit laborantem, erigétque eum Dominus: quòd si peccata commiserit, remittentur ei 3.20.11
16 Confitemini alii aliis offensas, & orate alii pro aliis, vt sanemini: multum enim valet deprecatio iusti efficax 3.4.6, & 3.4.11, & 3.20.27
17 Elias homo erat iisdẽ quibus nos obnoxius, & precibus precatus est ne pluueret: & non pluit super terram annos tres & sex menses 3.20.26

I. PETRI:

1.2 Delectis ex prænotione Dei Patris ad sanctificationẽ Spiritus, per obedientiam & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi, Gratia vobis & pax multiplicetur 3.1.1, & 3.14.6, & 3.22.6, & 4.15.2
3 Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis 2.16.13
5 Qui virtute Dei custodimini per fidẽ ad salutem quæ parata est patefieri tẽpore vltimo 3.2.42, & 3.18.3
7 Vt exploratio fidei vestræ multò pretiosior exploratione auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur 3.8.4
9 Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum 1.15.2, & 3.18.3, & 5.25.1
11 Scrutantes in quem aut cuiusmodi temporis articulum, prænuntius ille qui in ipsis erat, Spiritus Christi, declararet euẽturas Christo perpessiones 1.13.18, & 2 9.1
12 Quibus patefactum est eos non sibi, sed nobis ea administrare quæ nũc annuntiata sunt vobis, 2.9.1, & 2 11.6
15 Sed sicut is qui vos vocauit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conuersatione reddamini 3.6.3
16 Sancti estote, nam ego sanctus sum 3.6.2
18 Vt qui sciatis vos non caducis rebus argento vel auro, fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, ex patrum traditionibus accepta 2.17.5
19 Sed pretioso sanguine vtpote agni immaculati & incontaminati, nempe Christi 2.17.5, & 3.6.3
20 Præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus propter vos 3.22.6, & 4.18.20
21 Qui per eum creditis Deo, qui excitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, vt spes ac fides vestra in Deo esset 2.16.13, & 3.2.1, & 3.2.43
22 Animabus vestris purificatis, auscultando veritati per Spiritum, cum charitate fraterna simulationis experte, &c. 1.15.2, & 2.5.11
23 Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei viui, & manentis in æternum 2.10.7, & 3.2.21, & 4.1.6, & 4.16.18, & 4.16.31
2.5 Ipsi quoque veluti viui lapides ædificemini, domus spiritualis, &c. 4.6.5, & 4.18.16
9 Vos autem genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus quẽ sibi Deus vt propriũ vendicat: vt virtutes prædicetis illius qui vos vocauit è tenebris in admirabilem suam lucem 2.7.1, & 3.13.2, & 4.18.17, & 4.19.25
11 Dilecti, precor vt tanquam aduenæ & peregrini abstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant aduersus animam 1.15.2
13 Subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi, propter Dominum: siue regi vt qui superemineat 4.20.23
17 Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate 4.20.7
21 Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, vt insequeremini vestigia ipsius 3.16.2
24 Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viueremus: cuius vibicibus sanati estis 2.16.6, & 2.17.4, & 3.4.25, & 3.4.27, & 3.4.30, & 4.15 21
25 Eratis velut oues errantes: sed conuersi nunc estis ad pastorem & curatorem animarum vestrarum 1.15.2, & 3.25.6
3.7. Viri similiter vnà versentur vt scientes decet, vasi muliebri vt infirmiori tribuentes honorem, &c. 4.20.29
18 Nam & semel Christus pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, vt nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu 2.13.2
19 Per quem etiam spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicauit 2.16.9
21 Qui nunc correspondens exemplar Baptismi nos quoque seruat (non quo carnis sordes abiiciuntur, sed quo fit vt bona conscientia Deũ interroget) per resurrectionem Christi 3.19.15, & 4.10.3, & 4.14.4, & 4.14.24, & 4.15.2, & 4.15.2, & 4.16.21
4.3 Satis est nobis quòd anteacto vitæ tempore libidinem gentium patrauerimus, quum incederemus in proteruiis, &c. 3.15.8, & 3.24.11
8 Ante omnia verò charitatem alii in alios propensam habentes. nam charitas operiet multitudinem peccatorum 3.4.31, & 3.4.36
10 Vt quisque accepit donum, ita alius in alium illud subministrantes, vt boni dispensatores variæ Dei gratiæ 3.7.5
11 Siquis loquitur loquatur vt eloquia Dei 3.8.8, & 4.8.9
17 Nam tempus est quo incipiat iudicium à domo Dei: quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis? &c. 3.4.34.
5.1 Presbyteros qui inter vos sunt precor, ego vna presbyter, &c. 4.6.7
2 Pascite Dei gregem qui penes vos est 4.10.17, & 4.6.3
3 Neque vt dominantes cleris 4.4.9, & 4.10.7
5 Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam 3.12.5
6 Submittite igitur vos ipsos potenti manui Dei, vt vos in tempore extollat 3.2.40
7 Omni cura vestra in eum cõiecta, nam illi cura est de vobis 1.17.6
8 Sobrii estote: vigilate, nam aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiẽs ambulat, quærens quem deuoret 1.14.13, & 1.4.18. & 3.20.46
10 Cæterùm Deus omnis gratiæ autor qui vocauit nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos, is inquam absolutos vos reddat, stabiliat, roboret, fundet 3.2.40

II. PETRI.

1.4 EX eo quòd nobis maxima & pretiosa promissa donata sunt, vt per hæc efficeremini diuinæ consortes naturæ, &c. 3.11.10, & 3.25.10
5 Ad hoc ipsum verò vos omni prætera collato studio, adiicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam 2 5.11
10 Quapropter fratres potius studete vocationem & electionem vestram

firmam efficere: hæc enim si feceritis, nunquam impingetis 3.15.8
14 Quum sciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum meum: sicut Dominus Iesus Christus declarauit mihi 3.25.6
19 Et habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attendatis velut lucernæ splendenti in obscuro loco, vsque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordib⁹ vestris 1.9.2
21 Non libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sancto, loquuti sunt sancti Dei homines 1.13.7 & 1.13.15
2.1 Fuerunt & pseudoprophetæ in populo: vt etiam inter vos erũt falsi doctores, &c. 4.9.4
4 Si Deus Angelis qui peccauerant, non pepercit, sed in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit, &c. 1.14.16, & 1.14.19
9 Nouit Dominus pios è tentatione eripere 3.20.46
19 A quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus 2.2.8
3 4. Vbi est pollicitatio aduentus eius? nam ex quo die patres obdormierunt omnia ita permanent ab initio creationis 3.2.42
8 Vnum autem hoc ne vos lateat, dilecti, Vnum diem apud Dominum, proinde esse vt mille annos, & mille annos vt diem vnum 3.2.42
9 Nolens vllos perire: sed omnes tendere ad resipiscentiam 3.24.15

I. IOHANNIS.

1.1 QVod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & quod manus nostræ tractarunt de sermone vitæ 2.14.2, & 2.14.7, & 4.17.8
7 Quòd si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Filii eius Iesu Christi purgat nos ab omni peccato 2.17.4, & 3.5.2, & 4.14.21
9 Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, &c. 3 4.10, & 3.20.9
10 Si dixerimus nos non peccasse, mẽdacem facimus eum, &c. 3.20.45
2.1 Si quis peccauerit, Aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum iustum 3.4.26, & 3.20.17
2 Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis 2.17.2, & 3.4.26, & 3.20.20
12 Scribo vobis filioli, quoniam remissa vobis sunt peccata propter nomen eius 2.17.5, & 3.4.26
18 Pueruli, vltimum tẽpus adest, & sicut audistis antichristum venturum 4.18.20
19 E nobis egressi sunt, sed non erãt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, &c. 3.3.23, & 3.24.6, & 7
20 At vos vnctionem habetis à Sancto illo profectam, & nostis omnia 3.1.3
23 Quisquis negat Filium, is ne Patrẽ quidem habet 2.6.4
27 Sed vnctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis, vt quisquam doceat vos. verùm sicut vnctio eadem docet vos, &c 3.1.3
3.1 Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe vt filii Dei vocemur: propterea mundus non nouit nos, quia non nouit eum 3.6.3, & 3.20.36
2 Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus: scimus autem fore, vt cùm patefactus ipse fuerit, similes ei simus, &c. 2.9.3, & 3.2.14, & 3.11.10, & 3.25.10, & 4.18.20
3 Et quisquis habet hanc spem in eo sitam purificat se, sicut & ille purus est 3.16.2
8 Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam à principio diabolus peccat: Filius autem Dei, &c. 1.14.15, & 18, & 19, & 3.15.8
9 Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, cò quòd ex Deo natus est 1.3.10, & 2.5.11
10 Per hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli, &c. 1.14.19, & 3.16.2
15 Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidã habere vitam æternam in se manentem 2.8.39
16 Per hoc cognouimus charitatẽ, quòd ille animã suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere 2.14.2
20 Nam si nos condemnet cor nostrũ, potẽtior est Deus corde nostro, & nouit omnia 3.4.18
22 Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam præcepta eius custodimus, &c. 3.20.7, & 10
24 Qui seruat eius mandata, in eo habitat, & per hoc nouimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit 3.1.4. & 3.2.39
4.1 Dilecti, ne cuiuis spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint &c. 4.9.2
3 Quicunque spiritus non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est 4.17 32
10 In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misérit Filium suum, &c. 2.17.2, & 3.14.6
11 Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere 3.16.2
13 Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis 3.1.4, & 3 24.2
18 Metus non est in charitate: expleta charitas foras eiicit metum: quoniam metus cruciatum habet, qui autem metuit, non est perfectus in charitate 3.2.27
19 Nos diligimus eum, quoniã ipse prior dilexit nos 2.16.
5.4 Quicquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vicit mundum, nempe fides nostra 1.18.3, & 2.5.11, & 3.2.21
6 Hic ille est Iesus Christus qui venit per aquam & sanguinem, &c. 4.14.22
7 Tres sunt qui testificãtur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus, & hi tresvnum sunt 3.1.1
8 Et tres sunt qui testificantur in terra spiritus, & aqua & sanguis, & hi tres in vnum consentiunt Ibi.
12 Qui habet Filium habet vitam: qui nõ habet Filium Dei vitam non habet 3.14.3, & 3.15.6
14 Et hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, siquid petierimus secundum voluntatem eius, nos audire 3.20.5
15 Quòd si scimus eũ audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones quas ab eo petiimus 3.20.52
18 Qui genitus est ex Deo, conseruat seipsum 2.5.11
19 Scimus nos ex Deo esse, & mundum totum in malo iacere 3.2.14
20 Hic est verus Deus & vita æterna 1.13.11, & 26
21 Filioli, cauete vobis ab idolis, Amen, 1.11.1

II. IOANNIS.

1.7 MVlti impostores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne, &c. 4.17.32

IVDAE.

6 ET Angeli qui non seruata sua origine reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius diei, vinculis æternis sub caligine reseruasse, &c. 1.14.16, & 1.14.19, & 3.25.6
9 At Michael Archangelus, quum aduersus diabolum certans disceptaret de corpore Mosis, non ausus est impingere illi notam maledicti, sed dixit, Increpet te Dominus 1.14.8, & 1.14.19

APOCALYPSIS.

2.5 EI qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum 4.14.21
6 Et fecit nos Reges & sacerdotes Deo & Patri suo 2.15.6, & 4.18.17
5.13 Et omnem creaturam quæ in cœlo est & quæ super terram, & sub terra, & in mari, & quæ in eis sunt omnia, audiui dicentia, &c. 3.5.8
7.14 Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna, & lauerunt stolas suas & dealbarunt in sanguine Agni 3.5.2.
13.5 Datúmque est ei os loquens magna & blasphemias 4.7.25
14.13 Beati posthac mortui, ii inquã qui Domini causa moriuntur. Etiam dicit Spiritus. requiescũt enim à laboribus suis 3.5.10
18 Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum secundum opera eius 3.9.6
19.10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, sed dixit mihi, Vide ne feceris, conseruus tuus sum, vnus ex fratribus tuis qui habent testimonium Iesu. Deum adora 1.12.3, & 1.14.10
20. 4. Deinde vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est eis: &

& animas eorum qui securi percussi sunt propter testimoniũ Iesu, & propter sermonem Dei, quique non adorarunt bestiam, neque imaginem eius, neque acceperunt characterem eius in frontibus suis, aut in manibus suis, viuéntque & regnabũt cũ Christo mille annis 3.25.5

21.27. Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, sed tantùm, &c. 4. 16.17

22.8 Ego verò hæc quum vidissem & audissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat 1. 12. & 1.14.10

9 Is verò dixit mihi, Vide ne feceris, conseruus enim tuum sum, & vnus fratrum tuorum Prophetarum, &c. 1. 14.10

18 Siquis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto 4.9.2

19 Et siquis abstulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ, &c. Ibidem.

FINIS.

972432